THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

COMPLECTENS

SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illustrationem utriusque Testamenti, & ad Philologiam sacram, & profanam utilissimum, maximeque necessarium.

VOLUMEN VIGESIMUMSEXTUM.

AUTORE

BLASIO UGOLINO.



VENETIIS

MDCCLXIII.

Apud Joannem Gabrielem Herthz, et Sebastianum Coletti.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.



MAXIMILIANO

COMITI DE AMILTON
EPISCOPO OLMITIENSI
MARIÆ THERESIÆ AUGUSTÆ
Reginæ Pannoniæ, & Bohemiæ &c.
AB INTIMIS CONSILIIS

BLASIUS UGOLINUS
FELICITATEM.

CUM *ea sit*, PRÆSTANTISSIME PRÆSUL, *de Tua pietate & sapientia fama, quæ maxima esse potest, ea de causa* ANTIQUITATES SACRAS, *quas edendas illustrandasque*

que ſuſcepi, Tibi præcipue dicandas addicendaſque putavi, quod probe noſſem, quantum iis ex Tuis Auſpiciis, adverſus eam, qua ſive temporum ſive hominum injuria prope conflagrarunt, invidiam impartiri poſſet præſidii ac dignitatis. Permagni mea intererat eas Tuo judicio atque autoritate commendari, cum omnium bonorum laude ac prædicatione commenderis. Singulari enim flores gratia, atque autoritate; quam ut Tibi comparares, multa Tibi a fortuna, maxima a natura atque ingenio præſidia affuerunt. Genus vetuſtate, opibus, civili & militari gloria, rerum domi bellique geſtarum magnitudine in tota fere Europa celebratur. Ne majorum memoriæ ac dignitati defuiſſe viderere, magna cura ac diligentia abs Te data opera eſt, ut domeſticum gloriæ patrimonium ſartum tectumque tuerere. Itaque cum ſingulari doctrinæ & pietatis fama floreres, factum eſt, ut CLEMENTIS XIII. Pontificum omnium, quos adhuc vidimus aut meminimus innocentia atque integritate Optimi Maximique, & MARIÆ THERESIÆ AUGUSTÆ, conſtantia, prudentia, magnanimitate, beneficentia, rerum domi bellique geſtarum magnitudine, poſt omnium hominum, atque omnium ſeculorum memoriam clariſſimæ celeberrimæque judicio dignus haberere, ut Epiſcopatu Olmitienſi, in Germania ampliſſimo, honorificentiſſimoque inſignirere; quo munere adhuc ſumma cum laude & commen-

mendatione perfunctus es, ne tam insigni judicio defuisse viderere. Prudentia, pietas, sapientia, liberalitas, beneficentia, ceteræque virtutes, quæ Episcopum quammaxime decent, abs Te excoluntur, & commendantur omnes; Tua cura & solicitudo in hortandis, excitandisque civibus, ne in tanto bello, tantaque rerum desperatione (cum omnia, quæ victis patienda metuendaque essent mala, ab hoste infensissimo timerentur) in tuenda propugnandaque provincia, metu & formidine percellerentur, omnium literis, ac prædicatione celebrata est. Dici vix potest, quæ Tua sit in tuendo, custodiendoque populo, cura & diligentia, ut diu noctuque vigilandum excubandumque Tibi esse censeas, ut abs Te gregis Tibi commissi saluti atque incolumitati consulatur. Qua de causa nulla generis, nulla officiorum, nulla ambitus, nulla prehensationis habita ratione, iis unis abs Te impertiuntur sacerdotia, qui a pietate & doctrina præcipue commendantur. Literis omnibus, præsertim Ecclesiasticis, quibus Clerici imbuantur, ut Tecum in Vinea Domini excolenda operari possint, nulla abs Te unquam præsidia, atque ornamenta defuere: ANTIQUITATES SACRÆ, PRÆSUL PRÆSTANTISSIME, dignæ sunt præ ceteris, quas tuendas ornandasque suscipias: Etenim divina, qua gloriantur origine, præ ceteris excellunt. Græcas, & Romanas, quæ Imperii majestate, & rerum gestarum magnitudine tantopere celebratæ sunt, vetu-

state,

ſtate, præſtantia, dignitate, atque utilitate longe præſtant, atque antecellunt. Leges Atticæ Romanæque, quibus tandiu Orbis terrarum temperatus eſt, ex hoc fonte deductæ, derivatæque ſunt. Denique, ut uno verbo omnia complectar, Jehova Legislatore, Rege, atque Imperatore gloriantur: Vale.



BLA-




BLASIUS UGOLINUS LECTORI.

Posteaquam in superiori Volumine de Synedriis Hebræorum luculenter actum sit, rerum ordo postulabat, ut in hoc ea quæ judicia pœnas, asylos, servos, & juramenta spectant, illustrarentur; In primis data opera est, ut illustraretur celeberrimum illud Jacobæum oraculum, de auferendo in adventu Messiæ sceptro Jehuda, quo Judæi pervicaciæ & erroris arguantur: Etenim maleferiati homines nescio quos Æchmalotarchas in Babylonia, & principes Synhedrii in Palæstina sibi somniarunt, ut inde continuati Imperii & juris gladii sibi argumenta desumerent, cum satis superque manifestum sit, jam nato Christo Redemtore, Romanos in Judæa Regno, & summa rerum potestate potitos fuisse.

INDEX
OPUSCULORUM,
Quæ in hoc volumine continentur.

DANIE-



DANIELIS HEINRICI DISSERTATIO DE JUDICIIS HEBRÆORUM.

بسم الله رحمن رحيم

POSITIO I.

Adæ sublimis in statu integritatis felicitas proponitur, ejusdemque matura nimis defectio. Satan. شيخ من ارض نجد Senex de terra Negidhæa quondam *Arabibus, & rerum experientia probatissimus*. Homo filius defectus. *Sex ipsi a Deo primitus injuncta præcepta.* Jura hominem a feritate revocant. *Hæc Judæis*, una ex tribus mundi columnis. *Demostheni* συνθήκη πόλεως *Partiliter ac sigillatim ferme Patriarchis dispensata.* Ἀτασθαλία *unde?* ἄλεγα δαὶς *&* δαιτρός. *Vocabuli* ΝΟΜΟΣ *apud Homerum & alios silentium, & scriptarum legum ab initio defectus, harum antiquitati nihil derogat. Ante Mosem an scriptura extiterit?* Enochus *Beidavi Arabi*, Edrites, *Eusebio*, Atlas *gentium*. *Vocabuli* السحاب *significatio examinatur*. Cantilenæ Magistrales. Germanis *literarum notitia, & civilis cultus, admodum serus*. Bardi *qui, & a quo dicti?* Dryjus *IV. Gallorum Rex*. Druidæ. *Ebræorum Cabala. R. Josephus Coecus translationis Chaldaic. Hagiographorum auctor. Ebræa gens præ cæteris de legibus ac juribus triumphat.*

ERat ista primævæ rationalis creaturæ hominis, ac illibatæ illius & simplicis innocentiæ ardua integritas, tantaque virium harmonia ac perfectio; ut ipsum animi virtutibus absolutissimum, mentis sapientia eminentissimum, cordis sanctitate beatissimum, & appetituum rectitudine videris felicissimum. Ista quidem, inquam, erat sublimis protoplastorum felicitas: verum nimis, heu! brevis ista fuit, ac exiguo tempore, sua laborans mole, mature fragilis. Decepit incautos, ac secure credulos animos, شيخ من ارض نجد الذي راى الدهور وبلوات الامور اعلم مصالح *Senex ille Negidhæus, qui secula vidit, & rerum experientia probatus evasit.* (Ita antiquum illum serpentem vere describit *Abunazar. Ibn. Abdorrachman, alleg. Cl. Hott. Hist. orient. Lib. II. cap. IV. p. 263.*) ac unico morsu, æternam ipsis inflixit cladem ac miseriam, nulla non penetraturam secula. Recens jacebat originalis justitiæ corona, jamque dives illa ac beata spi-

ſpiritualium bonorum exſpiraverat copia & poſſeſſio, mentemque mille agitabant novi furoris ſtimuli, & Stygio pravorum appetituum æſtu, jactabant miſeram, nullis ſalvandam viribus, nullo, de totali interitu, vindicandam labore, non ope ulla! ita quidem, ut optime Arabicus ille Sophiſta, ineffabilem hanc mortalitatis deploraturus ſtragem ac miſeriam, hominem nervoſe appellitet ابن المقصان *filium defectus*; & non immerito, Iſraeliticam illam Synagogam, hanc calamitatem, in totius humani generis perſona Jehovæ exaggerare volentem, deſperabundam ferme, & hunc in modum exclamantem, fingant Ebræorum Doctores. במדבר *Rabb. fol.* רסב *f. b. c.* 2. רבוני של עולם אתה יורע כחו של יצר רע שהוא קשה i. e. *Domine mundi, Te certe non latet, quanta ſit vis appetitus ac concupiſcentiæ* (ſc. figmenti etiam, ſicut hoc vocabulum accipitur *Gen. 6. 5.* quod attendiſſe videntur Rabbini:) *pravæ, quam ſit illa vehemens, & vincendo ſumme difficilis!* Sed quid ſumma illa divini Numinis miſericordia? pergunt enim ibidem: אמר הקבה סקלו אותו קימע בעולם הזה ואני מעבירו מכם i. e. *Reſpondit Sanctus Benedictus ille: removete ac reprimite ipſam ſenſim, quantum ejus in hac vita fieri poterit, & Ego illam abigam a vobis.* i. e. non tantum quiſque privata ſollicitudine, verum etiam, quibus incumbit, publica, ipſius conatus frangite, authoritate; nec ego meam vobis denegabo operam & auxilium. Nec enim tum de humano genere penitus conclamatum erat, ac ſi nulla prorſus ipſi ad efficiendam (ut cum *Aug. Confeſ.*, *ex articulo ejuſdem* XVII. loquamur,) civilem juſtitiam; & deligendas res rationi ſubjectas, adfuerint media, & nullus plane, impetuoſos illos coercendi motus, ſuperfuerit modus: Reſtabat altior quædam vis, ac divinior in natura Genius, qui præeunte divina gratia, Stygias illas compeſcere furias, ac atros illos, ſi non omnino exſcindere, debellare tamen poſſet, ac convellere ἀνομίας impetus. Superimminebat ipſa divina Majeſtas, quæ periculoſos illos ſcopulos ad quos noſtram, cœcus ille impetus, illidendam duceret ſalutem, digito quaſi monſtrabat fugiendos, certoſque legum & præſcribebat, & mentibus inſcribebat articulos, non tam ad infernales iſtas eludendas fraudes, quam, in illarum perniciem, jurium in ſimul jacienda fundamenta, de poſtero in juſtam ſurrectura molem. Nec enim hac in cauſa, Judæorum, quam ipſius Moſis authoritati alligant, ſuſpectam habeo fidem; dum affirmant, Deum primorum parentum impediendo ulteriori lapſui, ſtatim quibuſdam ſuccurriſſe legibus ac mandatis, pariterque quædam judiciorum inſtituiſſe ſimulacra, nullo ferme non loco inculcant. Ferunt namque ſex tum ipſis propoſuiſſe præcepta, eaque ceu *naturalis legis* inſinuaſſe, *compendia*, (ita iſta vocantur *Lib. Chin fol.* 10.) quæ recitat. *Rabb. Moſe b. Maim, Halach. Melach. c. IX.* על ששה דברים נצטוה אדם הראשון על עכום ועל ברכת השם ועל שפיכות דמים ועל גלוי עריות ועל הגזל ועל הדינים: *Sex*, inquit, *mandata data fuiſſe primo homini*: ſcilicet *de idololatria, de benedictione ſeu ſanctificatione*, (*ſive uti Joh. Cocc. Exc. Gem. Thalm. Sanh. c. VII. Exc. V. p. 268. vertit, de exſecratione Nominis divini,*) *de homicidio, de inceſtu, de rapina, & demum de judiciis, ſeu de judiciis, publice inſtituendis. Vid. Maim. Hal. Melach. cap. IX. Schemoſ. Rabb. fol.* למן f. a. c. 2. *Buxtorffium, Lex. Thal. Rabb. pag.* 1316. *P. Cun. L. II. de Rep. Ebr. c. XIX. p.* 274. *& de ſeptem Noachi, Clar. Hakſp. de Script. Jud. uſ. Supr. Lipm. p.* 340. *Caſp. Gent. Hiſt. Jud. pag. 96.* Noverat ſiquidem ſummus rerum Monarcha, Deus, *nullam immaniorem beſtiam homine fore*, ut ex *Aug. de Civ. D.* loquar, *ſi ſibi relinqueretur*; & a jure & legibus, queis ſolis nocentes reſtringuntur & proteguntur innocentes, futurus eſſet ſolutus, ſicque non forent, qui cuſtodirent leges, & jurium tuerentur regna. Nimirum hæc ipſa ſunt, propter quæ mundum conditum eſſe, ſeu queis ſine, ipſum ſubſiſtere non poſſe, (ut quæ אחר משלושה רגלי העולם *una ſint ex columnis ſuper quas fundatus ſit* ישובן של בני אדם *orbis habitabilis. Vid. Maſs. Abboſ. c. l.* §. יח & R. עובדיה מברטנורה *ad l. Miſchn. cit. item. debbarim. Rabb. fol.* רצה. *f. a. c.* 2.) Judæorum affirmant eruditiores: hæc ſcil. ipſa ſunt, quæ jam olim vocavit Demoſthenes κοινὴν συνθήκην πόλεως. *Arniſ. Doctr. Pol. c. XVII. p. m.* 428. ac ſine quibus nullam unquam diu ſtare poſſe rempublicam, etiam vidit *Ariſtoteles*, (*l.* I. *Rhet. c.* IV. *L. V. Pol. c.* IX. IV. *Polit. c.* IV.) nulla diuturna fore pacis vincula, nulla æquitatis fundamenta, immo, ſine quibus, (quod, ac ſi ex Apollinis Tripode Judaica Gens:) איש את רעהו חיים בלעו *proximum ſuum vivum deglutiret.* Depravatam ſiquidem poſt lapſum hominis naturam ita comparatam invenimus, ut vix unquam ſuo vivat contenta, ſed aliena ſemper appetat, quavis arte ea acquiſitura, dolo quovis. Hoc malum ut ſiſteretur dubium non eſt, quin per ſalutares leges, (quarum unam vel alteram temporis

poris progreſſu, reliquis interdum promulgavit majoribus parentibus ac Patriarchis *Deus*: ceu de Noacho, Abrahamo, & Jacobo in Schemoſ. *Rabb.* (male quidem huc trahendo verba. *Pſ.* CXLVII. 27.) refertur: לא עשה כן לכל גוי אלא למי ליעקוב שבחרו מכל האומות ולא נתן להם אלא מקצת נתן לאדם ו׳ מצוות הוסיף לנח אחם לאברהם ח׳ ליעקב ט׳ אבל ישראל נתן להם כל *Non ita fecit reliquis populis, niſi iis, qui cum Jacobo erant, quem elegerat de omnibus populis; neque illis dedit ſimul omnia (præcepta,) ſed quædam tantum, & ex parte: Adamo dedit ſex, ad quæ Noacho adjecit unum: Abrahamo octo, Jacobo novem &c. Aſt Iſraeli dedit omnia in univerſum. adi. & Maim. in Hal. Melach. c.* IX. *apud P. Cun. l.* II. *d. Republ. Hebr. c.* XIX. *p.* 274.) & publica jurium exercitia, mature objecta ſint repagula. *Vid. Suaretz. l.* II. *d. legibus* §. 5. Ut enim Deus a primo uſque mundi conditu, judiciorum ſuorum viam ſemper exſeruit quam evidentiſſime: ita inficiandum non eſt hanc ſacram juſtitiæ normam, a *Deo* primum implantatam protoplaſto, & exemplis deinde iteratam ac declaratam illuſtribus, primo quoque hominum ſeclo, inſuper habitam non fuiſſe, ſed ſuo modo ſemper cultam, atque exercitam. Ita enim requirebant; & temerarii protervorum inſultus, & neceſſaria adverſus eos opitulatio, ac æqua bonorum defenſio. Elegans & notatu dignum, quod offendimus *apud Ath.* Δειπν, *l.* I. *p.* 12. de ἀτασθαλία: quam inquit vocatam, quod ἐν ταις θαλίαις, i. e. conviviis ac feſtivitatibus, primum illud hominum genus, ſcelus id patraſſet; eamque homines impuliſſe, ut lege ſancirent, æqualiter victus partiretur; hincque; ἄλεισα dicta, (tanquam ἄλις ἔτα), & δαῖτα (ἐπὶ τὸ δαίεσθαι) quod divideretur ac diſtribueretur æquis partibus. Verba authoris hæc ſunt: Ἐπεὶ γὰρ οἱ πρῶτοι Ἄνθρωποι, οἷς δὴ οὐ παρῆν ἄφθονος τροφὴ ἄρτι φαινομένης, ἀθρόον ἐπ' αὐτὴν ἰόντες βίᾳ ἥρπαζον, καὶ ἀφῃροῦντο τοὺς ἔχοντας καὶ μετὰ τῆς ἀκοσμίας ἐγένοντο καὶ φονοὶ ἐξ ὧν οἰκὸς λεχθῆναι καὶ τὴν ἀτασθαλίαν, ὅτι ἐν ταῖς θαλίαις τὰ πρῶτα ἐξημάρτανον οἱ ἄνθρωποι εἰς ἀλλήλους. Ὡς δὲ παρεγένετο αὐτοῖς πολλὴ ἐκ τῆς Δήμητρος, διένεμον ἑκάστῳ ἴσην, καὶ οὕτως εἰς κόσμον ἦλθε τοῖς ἀνθρώποις τὰ δόρπα. διὸ ἄρτου δὲ ἐπίνοια πέμματός τε εἰς ἴσον διαμεμοιραμένων, καὶ τοῖς διαπίνουσιν ἄλεισα· καὶ γὰρ ταῦτα ἐς ἴσον χωροῦντα ἐγίνετο· ὥς τε ἡ τροφὴ, δαὶς, ἐπὶ τὸ δαίεσθαι λέγεται, ὅ ἐστὶ διαμοιρᾶσθαι ἐπίσης, καὶ ὁ τὰ κρέα ὀπτῶν δαιτρὸς ἐπεὶ ἴσην ἑκάστῳ μοῖραν ἐδίδου. i. e. *Mortalium primum illud genus, dum humanior cibus haud ita dudum repertus, non afflueret, confeſtim & avide in alimentum irruebat, iiſque qui habebant, vi eripiebant: qua immodeſtia & inſolentia coedes fiebant, indeque probabile eſt* τὴν ἀτασθαλίαν *vocatam, quod* ἐν ταῖς θαλίαις *i. e. conviviis ac feſtivitatibus, ſcelus id primum homines patravere. Ut autem Cereris beneficio largior annona fuit, cibum ex æquo ſingulis diſtribuebant, quæ res ad modeſtiam cœnas revocavit, homineſque impulit, ut æqualiter, panem ac bellaria partirentur, &* ἄλεισα (*ſic dicta quidam volunt tanquam* ἄλις ἔτα) *pocula bibituris paris magnitudinis fierent, eſt itaque* δαὶς *appellatus* ἐπὶ τὸ δαίεσθαι, *quod divideretur ac diſtribueretur æquis partibus: & qui carnes aſſat coquis,* δαιτρὸς, *quoniam æquam portionem cuique fruſtulatim diſſecat &c.* Itaque in prima illa, confuſa ac indiſcreta multitudine, dum quiſque in proximum ſæviebat, omniaque cædibus miſcebantur & rapinis, ipſa neceſſitas creavit leges, ipſaque ſcelera ſibiipſis intercluſere, viam, dum injuſtitiam, & pravos iſtos mores, vel natura ipſa duce, quiſque paterfamilias ſeu primogenitus, prout in ſua familia, vel tota gente antecellebat, in ſuis puniebat.

Nec refert, quod nonnulli urgent: quod nullibi apud antiquiſſimos Poetas, Orpheum, puta, Muſæum, Homerum, & qui hujus æris fuere alii, vocabuli ΝΟΜΟΣ, nulla extet mentio, nec unquam leges publicis tabulis ac monumentis conſecratæ legantur; *Arniſ. Doctr. Polit. cap.* XVII. *p. m.* 329. *P. Cun. de Rep. Ebr. lib.* I. *cap.* I. *p.* 4. hujuſque rei ſub veſtibulo ſcripturarum non ſtatim luculenta ſeſe offerant teſtimonia atque exempla. Ut enim iſta quæ ad Politiam externam ſpectant, non ſemper attenderunt, quippe quæ ad longe altiora hominum ducunt animos: ita illi harum antiquitatum, non eos attigerunt terminos, ut ſilentio ſuo derogare aliquid aſſertioni huic poſſint. *Vid. Flav. Joſ. Apol. contra App. in fronte. P. Cun. l. c. p.* 3. Quid? quod nec ipſum ante Moſen, literas & ſcripturam earum, (cujus rei quidem originem, *Keſſæus in Vitis Patrum, cum Tornello* ad Adamum, *Joſephus* ad Sethum ejuſque poſteros, *Beidavi Comment. in Surat. de Maria* ad Edritem, h. e. *Enochum*, Gentilium illum *Atlantem* (*teſte Euſebio*) quem ipſe fuiſſe dicit: لولى من خط بالقلم ونظر في علم النجوم والسحاب *principium ſeu autorem Scripturæ per Calamum, ipſumque Studioſe coluiſſe ſcientiam de ſtellis & meteoris*, (ita enim reddere libet vocem, السحاب, quam ferme Doctiſs. Hotting. l. c. omiſiſſe videtur, ve-

verum ut plurimum ſignificare, nubes, aerem, apparitiones igneas, nimbos &c. Vid. *Pſ. Arab.* XVII. 13. XCVI., 2. *Schind. Lex. Pent. rad.* כרב) referunt, *adi Joſeph. Antiq. l.* I. *c.* IV. *Aug. L.* XVIII. *de Civ. Dei c.* XXXIX. *Heinr. Hott. Theſ. Phil. l.* I. *c.* II. *Sect.* II. *p.* 85. *Hiſtor. or. l.* I. *c.* II. *p.* 22.) aliquam fuiſſe, quaſi indubitatum habetur a plurimis, quapropter non tantum leges illas, qui primi a Deo acceperunt, ſuis etiam nepotibus, oretenus ac veluti per manus tradebant. *Corn. Bertr. de Pol. Jud. c. l. p.* 14. verum etiam per certas quaſdam cantilenas, ac oralem traditionem, quicquid egregii conſtitutum, factum, geſtumve fuerat, ad poſteros tranſmittebatur. Quemadmodum cujus *Fl. Joſ. l.* I. *contra App. teſtis* eſt, nec Homeri de bello Trojano carmen ſcribebatur primitus, defectu nimirum literarum, ſed cantu docebatur, ac diſcebatur παραδόσει mutua. Idque ad eum omnino modum, quo Germani olim noſtri, (ad quos literarum cognitio admodum ſero pervenit, & ſi *Æn. Sylvio* credendum, ſed vix credendum exiſtimem: demum ſub *Adriano Imperat.*, i. e. poſt nat. Chriſtum, ann. CXXX. *civilem cultum cum literis accepere, vid. Les annotations de Blaiſe de Vigenere ſur les Comment. de Jule Cæſar, de Guerre de la Gaule p. m.* 183.) facta Heroum egregia, & ſuas de virtutibus doctrinas, cantibus, quos *Magiſtrales* appellitabant, propagabant & tradebant in vulgus. *Beat. Rhenan. d. Germ.* Hinc & ipſis, illi, qui tales componebant cantilenas, vocabantur *Bardi. Joh. Dorſch. Adm. Jeſ. Chriſti Sept. Diſſert.* I. *p.* 24. a, Bardo, *Dryii*, IV. tum Gallorum Regis, (a quo poſtea *Druidæ* nomen ſortiti ſunt,) filio. Ita ſupra laudatus auctor, *Blaiſe de Vigenere l. c. p.* 349. ex *Beroſo: Le quatrieſme fut le ſuſdit Dryjus, homme de grand eſprit & ſçavoir, ſelon que Dit Beroſe:* Dryjus apud Celtas peritiæ plenus: *lequel laiſſa un fils appelle Bardus, dont furent appellè Bardes, une autre ſorte de Philoſophes, qui ſe meſloyent de Poeſie, & Muſique; & chantoyent en haux vers, ſour leurs inſtrumens les lovanges des hommes valereux, & les blaſmes, & reproches des poltrons, & puſillanimes, ainſi que dit Lucian au j. de ſa Pharſalie:*

> *Vos quoque, qui fortes animas belloque peremtas*
> *Laudibus in longum vates demittitis ævum,*
> *Plurima ſecuri fudiſtis carmina* Bardi.

Hæc ille: Eadem ferme ratione Ebræos olim per Cabalam ſuam, (quæ inde nomen traxit,) i. e. non ſcriptis, ſed viva voce, traditiones ſuas ac dogmata, per ſucceſſionem poſteris inſinuaſſe notum eſt, hocque ipſo παιδείας τρόπῳ Deum in V. T. ab initio mundi uſque ad legis Moſaicæ lationem, per annos 2453. uſum fuiſſe, non inique contendunt Judæorum Doctores, dignum, quod huc inſeratur illud eſt, quod ex *Rabb. Gedalia Schal. hackabb. p. 6. f. 6. Heinr. Hott. Theſ. Philol. l.* I. *c.* II. *ſect.* II. *p.* 82. וגם אין ספק שברוך טבע כל האבות מבקשים שישלמו בניהם כמותם ויותר כפי האפשרות כי האב והמלמד אינם מקנאים בבנו ותלמידו אם כן אדם מסר כל חכמתו אל שת בנו הנולד לו כצלמו וכדמותו ומהם נשתלשל לנח ואברהם ודורותיהם וכל עד מתן תורה שאז הורה מסרת בגלוי אל משה ולכל ישראל ומהם נשתלשלת אל דור ודור עד היום הזה *i. e.* ſi κατὰ πόδα reddideris: *Non eſt dubium, quin ipſa natura duce, omnes parentes ſtudeant, ut reddant liberos ſuos in perfectione (doctrinæ) ſibi ſimiles, vel etiam majores, juxta id, quoad ejus fieri licet: quoniam pater & præceptor invidia non laborant erga filium ſuum & diſcipulum ſuum. Quod ſi ita eſt; tradidit Adam omnem ſapientiam filio ſuo Setho, qui ei genitus erat juxta imaginem ſuam & ſimilitudinem ſitam,* (Gen. c. V. v. 3.) *ab hoc & poſteris ejus concatenata ſerie pervenit ad Noachum & Abrahamum, & generationes illorum, & ſic deinceps uſque ad lationem legis, quam tunc Deus benedictus tradidit palam in conſpectu omnium Moſi Magiſtro noſtro, ſuper quo pax! & toto Iſraeli, a quibus poſtea continuata fuit ad omnes generationes, ad hunc uſque diem. Confer. P. Fag. Targ., not. ad Deut.* V., 27. *Chemnit. Exæm. Concil. Trident. P.*, I. *p.* 35. 39. *Camer. op. p.* 166. *Theophylactum initio Comment. in Matth. Chryſoſtomum Hom.* I. *in Matth. Hott. Th. Phil. l. c. Jacob. Alting. Hebr. ling. in Acad. Groning & Omlandiæ Prof. de Republ. Ebr. Scholaſt. p.* 62. 63. Quin & verſionem olim Chaldaicam, non ſcripto, ſed orali traditione ſuſtentatam eſſe, auctor eſt *R. Jom. Tof. Abrahamida, gloſs. ad Cod. Megill. c.* I. *ubi* ubi de *R. Joſepho Coeco*, cui a quibuſdam translatio Chaldaica *Hagiographorum* tribuitur, ita inquit: הא דאשכחן לר׳ יוסף דעסיק ומיירי בתרגום טובא בכל דוכתא משום דהוא סג׳ף נהור ולא יכול ללמוד דברים שבכתב על פה ולפיכך היה קורא הפסוקים בתרגום שהוא דבר שבעל פא i. e. *R. Joſephum plurimum ubique invenimus in inſtitutione & meditatione paraphraſi Chaldaica uſum. Nam quum captui luminibus eſſet, id quod per ſcripturam tradebatur, diſcere non poterat. Ideo ſententias ſcripturæ, ſermone Chaldaico recitabat:*

ea

ea enim versio non scripto sed orali traditione continebatur, adi. *Joh. Coch. annot. ad Exc. Gem. Talm. c.* XI. *Exec.* XVIII. *n.* I. *p.* 327. *Heinr. Hott. Thes. Philol. l.* I. *c.* III. *sect.* I. *p.* 262. *&* 263. Habebant itaque antiquissimi illi, & primi ipsi, sua judicia, suasque judiciorum formas, sed sine literarum commentariis, & rudia omnia atque informia. Nihil enim illico ut natum est, statim absolutum est atque perfectum; sed principio parce viribus suis utitur, donec per justam temporis successionem incrementum acquirat, & tandem ad suæ perfectionis ascendat culmen. Quod itaque ab initio parcum paucumque heic fuit, & sine literis, Jehovæ postmodum æterni Induperatoris instinctu & jussu, perfectius perfectiusque, & majus majusque factum est, & ostensum, ut in monumenta tandem referretur literarum.

Atque hæc quæ diximus, ut quidem ad universi humani secli videntur pertinere gentes, imprimis tamen ad eam omnino sunt restringenda, quæ a *Deo*, O. M. in peculiarem olim sui fuerat lecta cultum. Istud enim hodieque pro summa, summi Numinis amoris erga sese, jactitat indicina; præ cæteris gentibus suas ab ipso habuisse leges, sua ipsis ab ipso concessa judicia, id quod hoc משל sc. parabola docere satagunt, in *Debbarim Rabb. fol.* רצה *f. b.* א'ר' לוי למה ד' למלך שהיו לו בנים הרבה והיה אוהב את הקטון יותר מכולן והיה לו פרדס אח' והיה איהב יותר מכל מה שהיה לו אמר המלך נותן אני את הפרדס הזה שאני אוהבו מכל מה שיש לי לבני הקטון שאני אוהבו מכל בני כך אומר הב'ה מכל האומות שבראתי אוהב אלא לישראל שנ' כי נער ישראל ואוהבהו מכל מה שבראשי אני לא אוהב את הרון שנ' כי כנ' אני יאוהב משפט אמר הב"ה נותן אני מה שאהבתי לעם שאני אוהב. *Dicit R. Levi, quare hoc? Fuit rex quidam cui erant filii multi, qui amabat natu minimum, magis, quam cæteros omnes, erat autem ei quoque paradisus seu hortus amœnus, quem itidem deperibat præ omnibus bonis suis. Dixit Rex: Dabo ego hortum hunc, quem amo præ cæteris meis omnibus, filio meo minori, amo enim ipsum præ cæteris omnibus filiis meis: Ita dixit Sanctus benedictus ille: ex cæteris gentibus omnibus quas, creavi, non amo ullam magis, quam Israeliticam, quia dictum est:* etenim puer Israel & dilexi eum. (*Hos. XI.* 2.) *ex omnibus autem, quæ creavi, nihil magis amo quam judicium, quia dictum est:* Ego Dominus amans judicium. (*Jes. LXI.*) *Propterea dixit Sanctus benedictus ille, dabo istud quod amo, populo, quem amo.*

Sic enim summo numini placuerat, ut eo in populo, ac ab origine quidem, una fere in familia, stirpe una, & paucis in personis, pietas & justitia quam maxime conspiceretur, ex cujus pomœriis omnes tandem rivuli melioris vitæ, tanquam ex inciliis, profunderentur in omnes angulos orbis habitabilis. Fuit hic populus gens quondam Judæorum, non qualis hodie oberrat, a *Deo*, ob blasphemias in Christum Dominum, justo zelo abjecta; sed qualis olim erat, electa in peculium *Dei*, futuri tum, at tandem dati Salvatoris salutare sitiens & expectans desiderio ingenti. De horum ergo judiciis aliquid in medium proferre est animus. Omnia enim de iis dicere velle, majorum virium est, alius loci, temporis alius. Ne vero sub his angustiis deerremus, aut vagemur extra oleas, triplicem nostri discursus, nobis figemus metam, ut nimirum consideremus, I. τὰ περὶ τῶν ὑποκειμένων, i. e. *loca horum judiciorum, tempora, ac persona &c.* II. τὰ περὶ τῶν προσκειμένων, *ut consideremus, ea quæ ad processum illorum, & ad ea, quæ istam secuta sunt, spectare suplicia ac pœnas, quibus denique* III. exigua quædam annectemus *de istorum mutatione ac interitu, & Judæorum, si quæ restat, hodierna Politia.*

POSITIO II.

Judicia Ebræorum quid? Vocis משפט *significatio expenditur. Ejus a voce* חוקים *differentia, vox* דין *quid proprie?* دين *Arabibus*, lex communis. ሕግ፡ *Æthiopum* דיני ממונות *quæ?* It. דיני קנסות & דיני נפשות*? Caput olim sacrum.* Κεφαλὴ, τοῖς LXX. *vita ac salus hominis* Heinsius *in explicanda voce* ἐκεφαλαίωσαν *Marc.* XII., 4. *errasse notatur, verbum* شج *male Romana versio reddidit contumelia afficere.* شجاج *Avicennæ quid?* Λιθοβολεῖν *non semper pœnam capitalem denotat. Muchammedis in suffurandis S. Scripturæ historiis astuta sagacitas. Eadem deprehenditur in traducendis Judæorum figmentis.* צאחב *vox Arabum periphrasi inserviens.* רחמן *Rab. ac Mucham. Deus. Verbum* אנחהי VII. *conj. quid?* Ebr. vox *unde?* Ebher. *Patr. Arab.* Hud. *Inde Judæi, quasi Hudæi.* בני אלהים Gen. VI., 2. *plurimis pro Magnatibus sc.* Magistratibus. *Duplex primitus Magistratuum cura.* Adami, *in Cainum filium pœna.* Enochus, *Adami discipulus. Primus anathematis præco.* Mathusalem *&* Ebher, *judices. Noachi in*

in Chamum maledictio quæ? Æthiopes *cur nigro colore? Fons* משפט Gen. XIV. 7. Furtum. *Jacobi evidentes juſtitiæ in ſuis vindiciæ. Ignis ſupplicium apud Judæos & Crotoniatas in adulteros poſitum.* Thamar *Schemi Sacerdotis filia olim credita.* Job *vere* εὐσεβὴς, & νομοθέτης *Arabibus prædicatur.* זקנים Exod. III., 16.

FUerunt *judicia Ebræorum*, actiones in in populo *Dei*, quibus delicta & accuſationes examinabantur, inſontes abſolvebantur, & ſontibus infligebantur pœnæ; ut metus ingereretur mentibus, & honor vindicaretur æterni Numinis. Duplici autem iſthæc in gente illa imprimis gaudebant nomine. Vel communiori quodam ac latiori: atque ita vocabantur משפטים, quibus complectebantur, *jus ſtrictum, vel omne id, ad quod jus nos obligat, conſuetudines, mores, ſtatuta*, (eaque inprimis, ex mente Maim. in Moreh. P. III. c. 26.) *quorum utilitas conſpicua nobis ſit; puta, probibitionem homicidii, furti, &c.* ita enim ille l. c. idiomate Arab. hujus vocis explicat vim ac emphaſin:

وتلك البينة الفايد عند الجهورة
تسم משפשים
وهو الغير بينة الفا بعمد الجهور
تسم הוקים

i. e. *hæc, (præcepta) de quorum utilitate nobis conſtat, dicuntur* משפטים, *de quorum vero utilitate non, appellantur* חוקים, *ſicut in prohibitione præputii, & heterogeneorum in vineis, adi H. Hott. Th. Phil. p. 546.) crimina, itidem, ſupplicia, juſtitiam ac ipſius cultum, ſontium correctionem, & locum judiciorum ipſum*, quamvis ego malim conſeſſum: *adi Grotium, d. Jur. bell. & pac. lib.* II. *c.* XIV. §. 6. *Job. Coch. ann. ad Exc. Gem. Thalm. Maccoth. c.* III. *Exc.* I. *n.* I. *p.* 435. *it. Excerpt. Gem. Thalm. Sanh. c.* I. *Exc.* II. *n.* 5. *p.* 131. *Flac. Clav. P.* I. *cap.* CCCCLXXIX. *Fag. Targ. not. ad Exod. c.* XVIII. 157. it. *R. D. Kimch. libr. rad. rad* שפט *col.* תקמה, qui itidem id nominis explicat per החוק והדת והכונה. Vel ſpecialioliori quodam ac anguſtiori: quo ipſis veniebant ſub nomine מדינים, & מדנים דינים quam voculam non tantum his, verum etiam aliis orientalibus, ſub hac ipſa ferme notione, communem fuiſſe, conferenti patet. Ita Chaldæus Judicium ſuo Idiomate דינא, Syrus ܕܝܢܐ, Arabs paululum diſcedens, communem horum normam, *legem communem* دين. Quin & ipſum Æthiopem ab hac Ebraica, ſuam radicem ኰነነ *dominari, judicare, mutuaſſe*, hincque ſua judicia appellaſſe ኵነኔ (*mutato ſcil.* ד *in* ח) vix dubitare auſim. Voluere autem hac ipſa voce, non tantum ſignificare ipſum *judicii actum*, verum etiam ipſas inſuper denotare *cauſſas, lites ac controverſias, quæ in talibus ventilabantur olim judiciis. Vid. Genebrard. Pſal.* IX. *p.* 29. *Job. Bapt. Ferr. Nomoncl. Syr. col.* 125. Hæ ipſis ut plurimum numerabantur triplices: vel n. erant דיני ממונות cauſæ ac judicia pecuniarum & divitiarum, ac, qui circa ipſas ſurgebant, contractuum. Ita *R. Obad. Mibbartenur. ad Maſſ. Sanh. c. l.* §. I. דיני ממונות דהיינו הוראות והלואות *Mammonos, ea ſunt conventionum creditorum & debitorum.* Quibus adjunge, emtionum, venditionum, oppignorationum, &c. de quibus vid. *Exod.* XXI. *a. v.* 2. *uſque ad* 12. & *c.* XXII., *v.* 25. 26. vel etiam erant דיני קנסות, quæ occupata erant circa eas cauſas, quæ non in nuda rerum compoſitione acquieſcebant, ac conteſtatione, ſed etiam certas quaſdam ac ſingulares exſpectabant, mulctas ac pœnas; non quidem capitales, ſed pecuniarias tantum, & corporales. Utpote reſtitutionem quatrupli, quintupli, ſextupli &c. flagellationem, fuſtigationem & quæ illarum fuere ſpecies aliæ; *de quibus Exod.* XXI. *a. v.* 18. *uſque ad fin. c.* XXIII. *a princ. uſque ad v.* 17. *Conſule & Lexicon Thalm. majus, Job. Buxt. in rad.* קנס. Vel denique erant דיני נפשות i. e. Judicia animarum; quæ nos alio nomine hinc inde vocavimus κεφάλικα, *criminalia ſeu capitalia*, more conſueto, a κεφαλῇ, ſeu principali illa ac nobili corporis humani, (quæ ſacra olim reputabatur ac adorabatur quaſi, Ath. Δειπ l. II. *p.* 66.) parte, capite, quod vitam, famam, ac exiſtimationem denotare vel Tyroni liquet; quia hæc duo in diſcrimen vocare ſolita fuerint. Atque hoc modo Helleniſtas, Ebræorum נפש, per κεφαλὴν i. e. vitam ac ſalutem *Eſdr.* XLIII. 4. reddidiſſe, recte quidem obſervaſſe videtur, vir alias eruditiſſimus D. Heinſius, ſed male ex iſto fundamento tranſtuliſſe, illud ἐκεφαλίωσαν, quo utitur Marcus in Evangelii ſui capite XII. v. 4. *pœna capitali afficere*. Nec enim verborum familiarior in profanis ac forenſibus uſus, ad ſacram temere trahendus ſcripturam, neque ad cujuſvis vocis ſignificationem Metaphoricam, derivari verbi, ſtatim examinanda vis eſt, ſed ſuo modo, conſueto Scripturæ Stylo æquanda, & contextui ſæpe danda interpretatio eſt; proindeque in omni loco illud ruminandum, quod B. Hieron. de optimo interpretandi genere: *opti-*

optima interpretatio non semper fit transferendo verbum ex verbo, sed aliquando melius est transferre sensum ex sensu. Rectius Lutherus, ac ipsius Marci sensui, (qui in his impiorum contra Domini Apostolos recensendis persecutionibus, contra reliquorum Evangelistarum ordinem, gradatim, h. e. a levioribus ad graviora procedit, ac extremas) convenientius, qui pro Græco λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν αὐτὸν, substituit, und sie getworffen Ihm den Kopff mit Steinen. Cum quo consentire video interpretes ferme omnes, Syrum præcipue ac Arabem, quorum ille utitur verbo ܦܩܚܘܗܝ & *contuderunt* eum, hic v. ἐμφατικωτέρως شجّوه quod quidem, (minus contentus cum iis, qui id verbi cum Romana tantum referunt ad lusus ac contumeliam,) verto, *capite vulneraverunt*, *sc. læsere eum*: aurem vellicante illo Arabum lumine Avicenna, qui ab hac ipsa conjugatione excoriationem cutis, non in quavis corporis parte, sed in capite, vocat, شجاج, & vulnus seu cicatricem, sine dubio itidem in capite, شج, ceu videre est in *Lex. Pent. Schindl. Rad.* שגג. *Lud. de Dieu. Comm. ad. Marc. l. c. c.* XII. *p.* 217. Nec obstat diversus Matthæi in hac explicanda parabola ordo; cum Lucas *c.* XX. 21. itidem hanc recensendo parabolam, hunc ipsum virgis castigatum dicat, immo nullius plane actionis capitalis, sed vulnerationis tantum, faciat mentionem, nec istud, quod hoc antecedit, λιθοβολήσαντες: licet enim id quandoque usitatam illam Judæis pœnam, *lapidationem* seu סקילה, denotare, non eamus inficias: non raro tamen furiosos illos ac impotentes plebis insultus, quibus sibi exosos ut plurimum de facto petebant, quique modo in vulnera, nonnunquam in mortem cedebant, non pœnam capitalem, indicare, clamant loca 1. *Sam.* XXX. 6. 1. *Reg.* XII. 18. *Job.* VIII. 59. X. 31. sicut iterum præ cæteris accuratior Arabs, istud ll. cc. non pro pœna capitali accepit, sed tantum pro vulneratione, hincque notanter reddidit فجرحوه & *vulneraverunt eum*, quod alio loco, sed eodem ferme sensu eadem Romana reddidit, *& plagis affecerunt eum*, *Luc.* X. 30. Hoc Luth. und sie schlugen ihn. Videtur versutum istud Diaboli instrumentum, Muchammed, a Christo Domino hanc quoque mutuasse parabolam, ac ipsam recensendo, non minus, suis imposturis, (si quid valeant,) nobis adstipulari, quam extreme mutilando ac corrumpendo suam facere. Eadem dexteritate, qua usus etiam fuit in traducendis *Cabbalistarum & Judæorum* (quorum vivam etiam operam in concinnandis diabolicis suis monumentis adhibuisse notum est,) fabulis ac traditionibus. *Consule Clar. ac Exc. Dn. Theod. Haksp. Promot. ac Præcept. meum omni ætate sancte suspiciendum, Tract. de scriptorum Jud. in Theol. usque p.* 245. 265. 489. narrat iste Apostolos, qui missi fuerant ad *socios* cujusdam *civitatis* (ita hic *concives* appellitare videtur, idque singulari Arabum περιφράσεως elegantia, cui hoc vocabulum אצצאחב inservire deprehenditur. Ita idem iste *Surata* II. *damnatos ac infideles*, vocat צחאב אלנאר *socios ignis*, & alio loco *fideles* צחאב אלכתב *socios libri*. Avicenna, *Studiosos Physices* צחאב אלעלם אלטביעי *socios scientiæ naturæ sc. naturalis*, *&c.* Vid. modo citatum *Clar. Hacksp. de Fid. & relig. Mucham. Pos.* IV. *Schindl. L. P. in rad.* צחב,) hos, inquit, quum in dictam civitatem venissent (חאא הא) loquitur Mucham. i. e. *venit ipsam* (apostoli sc.) consueto suo & Arabum dicendi genere, quo plurali humano jungunt verbum singulare; *Erp. Synt. Arab. cap.* 1. 2. *& Ellipsi* particulæ ב vel אלי, pro *venit in*, vel *ad ipsam*; cum qua hoc verbum חאא ut plurimum construitur:) licet auctoritatem ac ablegationem *Misericordis* (vestigia iterum premit Rabbinorum, qui familiari suo loquendi modo Deum κατ' ἐξοχὴν appellant רחמן) prætenderint, nihilominus ab ipsis habitos esse, ac essent *ex mendacibus*, (formulam hanc loquendi vid. ap. *Clar. Hacksp. in suo Mucham. c.* VII. §. 8.) immo contumeliis etiam ab infidelibus affectos, & in ipsos, hos, nisi *finirent* (*Shindl. L. P.* verbo huic נהא etiam in hac VII. conjugat. significationem tribuit *prohibendi* tantum & *corrigendi*, verum reddere placuit *finire & terminare*, docente inde derivato nomine מנתהי, *finis*, *terminus*, *extremitas*, *epilogus*,) discursum suum, tormentis ruituros minatos esse, & lapidatione quadam, hanc ipse proponit per verbum רגם, quod etiam impetuosum quendam (quem supra diximus) plebis insultum & ausum nonnunquam significare, patet ex locis *Job.* VIII. & X. Scilicet, meminit & ipse non supplicii capitalis, sed minarum tantum gravium ac irarum. Sistit denique virum quendam, qui de extremitate civitatis accurrens, infideles istos ad obedientiam adhortatus fuerit, hunc innuit ab ipsis morti traditum. Verba ejus extant *Surata* XXXVI., quæ vulgo alias, inscribitur يس per abbreviaturæ licentiam pro يا انسان quibus duabus

bus vobis Surata hæc inchoatur. *Interpret. Teffin. Kitabel. Tenoir.* ipſa ita habent

ولضرب هم مثلا اصحاب القية انجاهـــا
الرسلون ، اذ لرسلـنـا السم اثنين فلث
دوها فعرزفا بثلش فقالواافا اليلم مرسلون،
قالواما انتم الا بشر مثلنا ومالزلب
الرمن من ستى لنام دلا نكذ بون ،
قالوا ربنا يملم انا اليلم ارسلون ، وما
علينا الا البلاغ المبين ، قالوا انا تطيرنا
بكم لرن لدتنتهولانر صنلم وامشنلم
منا عذاب اليم ، قالوا صاررفكم معلماين
نكد قميلانتم قور فسر فعن ، وحا من
اقصتى المدينة رجل يستى قال يا فوم
اتبعوالر سلين ، وابتعوا من لا يسككم
ابراوهم هتدون ، ومالي لا اعبد
الذتى فطر في واليكز حعون ، اتحذ
من دونه الهة لن ردن الرمن دص لا تقر
غي شفا عتم شيا ولا ينقذون ،
لمن افي اذ الص ضلالت مبين ، افى
امنت بربكر فا سفون قيل احخل الجنة ،

quæ, quoad ejus, ope unici Schindleri Lexici Pent. fieri potuit, aliorum deſtitutus adminiculo, ad verbum ita latinitate dono: *Propono vobis in parabola ſocios civitatis, quum venere in ipſam* (civitatem) *Apoſtoli. Tunc miſimus ad illos, duos, & mendacio arguere ambo illos: ſuperaddimus his tertium, hi dixerunt: utique nos ad vos, Apoſtoli:* (ſubintellige, miſſi ſumus,) *dixerunt* (*econtra*,) *quid vos niſi caro, ſicut nos? & quid rei* (ſigni) *Deus demiſit?* (ſc. ut vobis credamus?) *utique vos, non niſi de mendacibus, dixerunt: ſcit Deus, quod nos ad vos Apoſtoli, & quid nobis* (*expectandum*,) *niſi plagæ ac in fortunium certiſſimum? dixerunt: utique, auguramini vobis ipſis; ſin. non finietis* (verba veſtra,) *nos vos lapidabimus, & vobis applicabimus tormenta dolorifica, dixerunt: veſtrum augurium ſit cum vobis ipſis, qui eſtis gens corrupta ac impia. Et venit de extremitate civitatis vir quidam currens, qui dixit: o popule! reveremini ac bonis verbis excipite Apoſtolos, reveremini eos, qui non petunt de vobis mercedem, & tamen docent ac erudiunt: & quod ad me; nonne adorem eum qui blaſmavit me? ad quem revertemini? Si me ille prehenderit in judicio ſuo, & corripuerit me malo Deus, interceſſio idolorum, num me dimovebit, aut illi liberabunt me? nonne ego in errore manifeſto,* (eſſe) *ſi crederem in Deos veſtros? obedite quæſo! dixerunt* (ipſum occidentes?) *vade tibi in Paradiſum*. Gallus *Le Sieur de Ryer* plus ſuæ nonnunquam, indulgens linguæ eligentiæ, quam ipſius textus curans genuinam verſionem, iſta ita interpretatur: Raconte leur la parabole de ceux de la ville, au ton Seigneur à envoyè ſes Prophetes, nous leur avons envoyè deux Prophetes, ils les ont deux dementis, nous les avons ſecourus par un troiſième, ils ont tous trois dit aux habitans de ville, nous ſomme envoyez de part de Dieu pour vous precher ſes commendemens, ils ont reſpondu, vous n' eſtes que des hommes comme nous, Dieu ne nous à point envoyè de ſigne pour vous faire cognoiſtre, vous eſte des menteurs. Ils ont dit: Dieu ſcait, qu'il nous à envoyè vers vous, nous ne ſomme obligez qu' a vous precher ſes commandemens; ils ont reſpondu, nous voule vous randre infidelles comme vous? ſi vous ne finiſſe pas ce diſcours, nous vous lapiderons, & vous ferons ſouffrir, de rigoreuſes peines. Ils ont dit voſtre mal ſoit avec vous, qui vous à cy devant ſi mal inſtruit? certainemant vous eſte des meſchans. Alors un homme accourut de' extremitè de la ville, qui leur dit: O peuple obeiſſe aux ceux qui ne vous demande point de recompenſe de la peine qu' ils prennent de vous inſtruire, & qui ſont dans le droict chemin; pourqoy n' adoreray je pas celuy qui m' a creè? & devant lequel vous ſerez tous aſſemblez pour eſtre jugez? adorez vous un autre que luy? S' il me veut chaſtier, les prieres de vos idoles ne me pourront pa ſauver, je ſeroy extremement devoyè ſi je croiois en vos Dieux, eſcutez & comprennez je que je vous dis. (Neamoint ils l' ont tuè) & luy ont dit: va entre dans le Paradis &c.

Continuat ibidem impoſtor, inchoatam, ad Salvatoris veſtigia, parabolam, gravemque Domini memorat ſtomachum, emiſſumque in perſecutorum perniciem, vindicem angelum, quæ omnia huc arceſſere odioſum nimis foret, cum alias a propoſito nimis longe divertiſſe videamur. Hæc fuſius tranſcripſiſſe juvabat, non tam, ut ex ipſo Arabico fonte, hiſtoriæ hujus plenius peti poſſit nervus; quam ſceleratiſſimi hujus ſeductoris, ingens in deprevandis ac traducendis SS. locis, patere aſtutia, ac temeritas.

Ut ad rem redeamus. Quæ de Judiciorum etymis proferenda duximus, expoſuimus: nobis ſub ea militent ratione, qua non tantum judiciorum objecta ac cau-

causas, verum nonnunquam, ipsorum etiam actum, & quæ ad ipsum pertinuere, denotent accidentia, ac requisita cætera. Cæterum vocamus ista, *Ebræorum*: προσδιορισμῷ suo & universali nomine; quia secundum ea caussas disceptabant, ac judicabant, qui erant ex *Abrahami* progenie, & communi nomine (idque ut R. *Becchai* super *Exod. c.* XXI. 2. placet: *maxime in Ægypto, ubi sine lege essent:*) vocabantur *Ebræi*; non quidem a nomine proprio *Abbraham*, quasi *Abbræos* dictos velis: sicut male, & contra linguæ Ebrææ principia, existimant *Eusebius de Præp. Evang. l.* IX. *c. ult. Ambros. in Ep. ad Philipp. cap.* 3. *Nicol. Lyr. in Matth.* XXI. 28. *& alii*, sed ab ipsius cognomento quo dicebatur עברי: hocque vel *ab Ebræo* עבר *transiit*, a trajectu ipsius, quo ex Mesopotamia trans Euphratem, quo tunc habitaverat, transiit in terram Canaan, *Gen.* XIV. 13. ut quasi περάτης seu transitor dicatur; cujus sententiæ *Divus Hieron. Jes.* XIX. 18. *Chrysost. Hom. in Gen.* XXXVI. *Ariemontanus in Canaan. cap.* IX. Vel, *ab* עבר *sc.* ut vult *Georg. Amir. Gram. Chald. præfatione de linguæ Chaldaicæ sc. Syriatæ utilitate, ex Syriaco* ܥܒܪ, *Trans*, a regione illa transfluviali, seu Transcuphratæa, (quomodo priscis illis temporibus synecdochice in Cananæa, *Mesapotamia* appellabatur. *Buxt. loco infra cit.*) quam antea inhabitaverat. *Vid. Jos.* XXIV. 3. *Es.* VII. 20. *& Rabb. Becb. in Exod. circa fin. Bereschb. Rabb. Parascha* 41. vel certe, *quia ortus erat ab Ebero filio Selah.* a cujus sententiæ partibus stant ex nostratibus: *Luth. Comm. in Gen. c.* V. ex Ebræis *Aben Esr. ad Exod.* I. 16. *ubi ita*: בל שהוא ממשפחת עבר יקרא עברי i. e. *quicunque est de familia* Ebher, *vocatur Ebræus*, nec aliter *Auctor Berischit. R. sect.* 41. *qui ex sententia R. Nehemiæ*, Abrahamum *dictum dicit* עברי, שמבני בניו של עבר *quia ipse ex posteris* Ebheri, *& R. D. Kimcb. in* ספר שרשים *colum.* שוב *rad.* עבר, qui & eandem ob causam contendit *Jonam* se appellasse עברי (ut legimus in ejus *propb. cap.* I. *v.* 9. שממשפחה עבר *quod ex familia* Ebher *esset*, quibus consentire videntur, *inter* Arabes, *Propheta Meccensis, Elmakinus, & Beidavi*; quos nullam aliam ob causam, *Eberum* vocasse هود, nisi, quod ab ipso *Ebræos*, postea *Jebudæos*, & per Aphær. *Hudæos*, dictos; ab ipso appellatos existimarint, innuit *Clar. Hotting. Diss. hist. Theol. supr. Heptapl. Paris. Hist. or. L.* I. *c.* III. *p.*27. *L.* II. *cap.* II. *p.* 213. *cujus vide & Thess. Philol. L.* I. *c.* I. *Sect.* II. *p.* 4. & rem totam ex professo discussam *apud Buxt. Diss. de conserv. Ling. Ebr. Sect.* IV. *imprimis* §. 37. Nos hic nomen *Ebræorum* ita accipi volumus, ut late quidem sub eo intelligatur, tota Dei sub veteri testamento ecclesia, ea etiam, quæ ante universum mundi cataclismum; stricte tamen ea, quæ post illum, & imprimis, quæ fuit post latam legem, ac *paginas illas ruptas, & volumen illud fractum*, (*ita Salvianus l.* I. *de gub. Dei*, Decalogum vocat) quod Moses acceperat e manibus Jehovæ.

Fuisse autem illo in populo, talia aliqua judicia; etiam in prima illa ac œconomica Politia, ac ante lationem illarum legum, nemo negabit, nisi qui negare velit, justissimos illos Patres, in suis noluisse vindicare injustitiam; quorum sicut in officio fidelitas, ut firma stetit, atque immota: ita de eorum, quorum, in impia illa ac aberrante multitudine, erat, vitia flagitiaque arcere ac punire, neglecto officio, videtur conqueri summum Numen. *Gen.* VI. 2. 3. *Andr. Riv. Pict. ad l. c.* & certe, si Chaldaicam paraphrasin, ac Ebræorum evolvamus commentaria, non aliud deprehendemus, quam omnia ferme, eo unice collimare, quo illud loc. cit. בני אלהים, ad magistratus trahant, & rerum potentes, ac Magnates. Hinc *Onkeloso*, præ illo בני אלהים, arridet, בני רברביא: R. D. Kimchi *lib. radicum rad.* אלה *col.* ל׳: הנגידים והאצילים *R. S. Jarchi* השרים ההולכים בשליחות של מקום i. e. *principes obeuntes apostolatum DEI*: *Libro Halichosolam*: מומחה ומוסמך *probatus, & certa ratione in judicem ac Doctorem promotus*. Consule, si placet, *Fag. Targ. ad l. c. Alting. de Repub. Scholast. Ebr. pag.* 65. 66. Sed ut ab ipsis mundi natalibus, & ab ipsa radice, ac omnium societatum seminario, exordium capiamus, profecto, quemadmodum Deus ipse diversis gradibus ac prærogativis societates istas distinxit, & mutua necessitudine, jubendi parendique officio, devinxit: ita summa rerum potestas, ac rei ut ita loqui liceat, civilis, administratio, penes patrem familias, vel etiam penes primogenitum constituta fuit. Et quemadmodum, Patriarchæ divinitus erant *Prophetæ, he*: כמו היועצים החכמים המזהירם האומה *quasi consiliarii populum exbortantes, & monentes; sive* הסכריזין ומשמיע לעם רברי תוכחות i. e. *qui res divinas, ad aliorum institutionem convictionemve, promulgabant*, ut *Raschi inquit ad Exod.* VII., I. & familiæ suæ *Dei* voluntatem promulgabant, ipsiusque aut promissa, aut minas prædicabant: ita etiam magistratus erant, qui non tantum suos ad justitiæ regulam compo-

nebant, de criminibus intra familiam, vel adversus familiam commissis cognoscebant, verum etiam pœnas statuebant, & exsequendas curabant, *adi Corn. Bertr. de Polit. Jud. c.* II. *p.* 15. *c.* III. *p.* 26. *Thom. Bils. Episc. Winton. de perpetua Eccl. Christi gubernatione c.* 1. *p.* 29. 32. *Molinum Vate. L.* 1. *c.* IV. *&* V. *H. Hott. Thes. Philol. L.* II. *c.* III. *Sect.* IV. *pag.* 569. *Alting. l. c. p.* 69. Ne autem verbis triumphare videamur, exempla in medium procedant: Ita Deus *Adamum* gubernandæ familiæ præfecit, *Gen.* III. 16. & tantum abest, ut ipsum ad exsecrabile illud factum, quo degener ipsius filius *Cain*, piissimum fratrem, *Abelem* rus invitando, (ita n. cum Græca legit Samaritana: *& locutus est Caineum Abile fratre suo:* ࠍࠋࠊࠄ ࠄࠔࠃࠄ *in rus abeamus*) inaudito destinaverat fratricidio, ita connivisse credam, ut nihil plane statuerit adversus tantam impietatem vindictæ, ut potius, (si conjecturis quid assequi liceat, & *Altingio* illud credendum, quod de profana ipsius secessione ex Patris Scola, novæque alicujus institutione, refert loc. cit. *p.* 14. *&* 64.) ipsum, furentem hunc filium, ex piorum coetu, ac sua ecclesia expulisse, hancque patris severitatem, ad novum illud cœptum, novamque ambitionem hunc impulisse, plane mihi persuadeam. *Hanochus* sane, septimus ab ipso homo, quemque *ab ipso Adamo institutum* fuisse refert. *Lib. Zoar*, apud *Alting. l. c.* cum videret, *Dei* filios, magis ac magis ab antiqua puritate indies descifscere, ac in pejus ruere; judicii adeo non pepercit, ut suæ ætatis homines solemni illo ac rigoroso anathemate ferire, ac cordate illud ܡܪܢ ܐܬܐ ἰδοὺ ἦλθε κύριος, (quod Paulus suis olim proposuit Corinthiis, 1. *Cor.* XVI. 22.) intonare veritus non fuerit. *Ep. Jud. v.* 14. Nec desunt Rabbinorum scita, quæ diserte asserunt, *Methusalemum*, ante diluvium, *Ebberumque*, post ipsum, in suis domibus, (notanter Auctor בבתי דינים) sedisse, ibique docuisse, ac præcepisse, quæ discerent filii, nepotes & posteri, *referente Maim. in Moreh. Nevochim. P.* III. *c.* XXXIX. *p. juxta Buxt. versionem* 302. Luculentius ista deprehendimus in iis, quæ diluvium secuta sunt, temporibus. Præterquam enim, quod Deus ipse, statim post istud, auctoritatem publici gladii restauravit: *Gen.* IX. 6. præterea tamen Justitiæ rigorem in pluribus observatum, certa supplicia in sontes constituta, jus vitæ & necis penes primores ac patres familias positum, ipsaque capitalia in usu fuisse, ex S. paginis, satis superque animadvertimus. Noachus אב וראש לכל הנבראים אחרי המבול *Vindex ille humani generis* (*ita illum appellitat Bechai, Leg. fol.* 17.) quando ab illuvione vix aruerat terra, cum intelligeret a *Chamo* sibi illatum opprobrium, gravissimam ob tantum scelus, etiam nepoti, *Chami filio*, irrogavit mulctam ac maledictionem æternam quasi. *Gen.* IX., 25. Cujus & infucatæ justitiæ splendor, non tantum intra illius populi ac terræ fines sese continuit, verum etiam ipsius ad confines Arabes, quædam penetravit umbra, ita, ut & hunc usque in diem apud ipsos Chamus male audiat, hujusque rei pœnam, ipsius posteros, Æthiopes,) hodieque luere, comminiscantur. Scilicet atrum istum colorem, quem saniores propriori Solis adscribunt vehementiæ, dicto Noachi dant maledicto, rem totam, sicut refert *Kessæus*, apud *H. Hott. Histor. or. L.* 1. *c.* III. *p.* 25. in Ismaeliticæ linguæ studiosorum gratiam, proprio involutam Charactere, benevolo mancipabimus lectori: Verba illius hæc sunt:

في حجر ولده سام وهبت الريح
وكشفت سوة نوح وسترة سام فضحك
حام ضحكا فاسحا لما لرا اسولن فانتبه
نوحا فقال ما هدا الضحك فا حبره
سام بما كان فغضب نوحا غضبا
شديدا علي حاروقال له يا حار
اتضحك على سوات ابيك غر الله
كلكفتك وسود وجهك قال واسود
وجهحار من وتموساعاته: i. e. *Dormivit autem Noachus in gremio filii sui Schemi: vento autem violenter spirante, pudenda Noachi deteguntur, quibus visis, in immodestum risum Chamus erupit. Expergefactus autem Noach rogavit; quis hic risus? & aperit ei Schem, quid fecisset Chamus. Unde gravissimam Noachus in Chamum exarsit ira, eique dixit: Itane rideas pudenda Patris tui? mutet Deus formam tuam, & nigrescat facies tua, dicuntque dicto citius Chami faciem, tetra nigredine mulctatam.* *Abrahami* Patriarchæ tempestate, judicia quoque floruisse, vel aliquo modo, nomen illud innuit משפט, quod fonti, ad quem reversi dicuntur Kedor Laomor, & reges qui cum ipso erant, inditum legimus *Gen.* XIV. 7. videtur enim ita iste appellatus, quod ibi incolæ conveniebant, res sacras ac *Dei* cultum peragebant, vel etiam causas forenses disceptabant, ac lites componebant. Sicut non male hunc locum interpre-

pretatur *Fag.* & ipse *Onkelos*, fontem *Mischpat* vertit מישר פילוג דינא i. e. *planiciem, ubi dirimebantur lites judicio*. Nec minori suis Patribus severitate, in suos animadvertit *Jacobus*. Siquidem *furtum* capite plectere animus erat, *Gen.* XXXI. 32. & quantum ad incestuosum filii Rubenis concubitum, excanduerit, indicina manifesta est, quod ob illum, ipsi jus eripuerit primogenituræ, dederitque, qua parte spectarat ad Sacerdotium, *Levi*; qua parte Regnnm, *Judæ*. *Genes.* XXXV. 22. XLIX.. 4. Quin & *ignis supplicium*, quod apud *Crotoniatas posuisse adulteris Salætum*, refert *Fac. Polit. Liv. cap.* XXXV. *p. m.* 434.) in fornicationem statutum, exemplo est Thamar: quam tamen eam ob caussam, huic supplicio subjacere debuisse, contendunt Hebræorum Eruditi, quod fuerit, filia Sacerdotis, (quibus fornicantibus hoc supplicium constituit *Thalm. M.* 8. *c.* IX. §. 1.) *Schemi* nempe. Consule *Raschi Perusch. ad Gen.* XXXVIII. 24. *P. Fag. ad l. c.* Nec tandem prætereundum, quod de *Jobo* memorat *Kessæus*, *in vitis Patrum*; quem præ cæteris νομοθεσίᾳ claruisse refert, *pag. 69. Alleg. Hott. Hist. Orient. L.* I. *c.* III. *p.* 37.

فشرع لهم الشرايع وبنا لهم المس
اجدوكانت له موايد يضعها للفقر
والمساكين ويكرم الاضياف وكان
لليتيم كالاب الرحيم وللارامل
كالزوج العطوف والضيف كالاخ الودود

i. e. *Leges iis dedit, templaque ædificavit, mensas egenis & pauperibus certas destinavit, peregrinos honoravit, orphano pater fuit misericors, viduæ benignus maritus, Advenæ frater dilectus*. Sicut autem hæc cura primitus penes patres familias fuit: ita paullatim, ecclesia *Dei* crescente, in alios etiam derivata fuit. Nec dubium est, quin statim in Ægypto, exuberante tum Ebræa multitudine, si non ab ipso Jacobo, ab ipsius tamen posteris ac nepotibus, aliqua, altioris regiminis stabilita, fuerit forma; vel si mavelis, rerum summa, ac judiciorum potestas, penes septuaginta illas animas, quæ cum Jacobo in Ægyptum profectæ memorantur *Gen.* XLVI. 27. *Deut.* x. 22. steterit, & jure successionis, in succedentes earundem familiarum primores, derivata fuerit, & videntur hæc ipsa LXX. animarum capita, ii ipsi esse, ad quos Moses, Ægyptum salutaturus, mandata habuit, *Exod.* III. 16. quique ibi appellantur זקנים, quos *R. Aben-Esra* definit eos, היועצים בכל דור ודור: *qui in consilium adhibiti fuerint in ætate ad ætatem, sc. anterioribus seculis*, seu ut Alting. Rep. Schol. p. 73. quorum fuerit להנהיגם וללמדם *populum universum ducere ac dirigere*, (quod Magistratuum) *& docere* (quod Magistorum) *vid. Alting. l. c. Aben-Esr. ad Exod.* IV. 29. *Cornel. Bertr. de Pol. Jud. c.* V. *p.* 30. 31. Nec ipsis שוטרים, istam destitutam fuisse ætatem, ex eo liquet, quod *Pharao* tali judicum genere usus fuit in dirigendis, & urgendis Israelitarum operibus, ceu legitur *Exod.* V. 14. Et plura forsan hujus rei adduci possent testimonia, sed instituti atque propositi habenda ratio est, sufficant hæc: quæ licet sine evidenti justitiæ testimonio, & spectabili procul dubio judiciorum schemate, acta esse, ut ego credam, vix induear; facile tamen concessero, levia illa, & tantis ceremoniarum pompis, quales deinde fuerunt additæ, transacta haud fuisse.

POSITIO III.

Mose *homo* familiaris Deo *Arabibus*. *Chiliadum, centuriarum, ac pentecostarum &c. in populo olim Israelitico, ratio ac computus. Summi Synedrii sc.* LXXI. *institutio. Unicum istud Moses voluit. Primis temporibus circa* arcam *convenire solebat. Sola postmodum id capiebant Hierosolyma. Locus Deut.* XVII. 18. *perpenditur.* R. Sal. Jarch. *de vero ejus sensu opinio.* Hierosolyma *in duarum tribuum*, Judæ *sc. &* Benjaminis *finibus, sita. Synedrium in Portione* Judæ. *Duo ibidem Synedria minora. De illorum proprio officio ac potestate dubitatur.* בית דין של שבט הגדול Consistorium tribus magnum, *ejusdemque ampla satis autoritas.* R. Judæ *de loco consistoriorum idoneo, superciliosa sententia. Mitior* Jarchidis. *Ipsi, quis* urbs *proprie dicta.* בטלנים *qui? Locum consessui triumvirorum ac* XXIII. *quem tribuant Thalmudistæ? numerus illorum de* CXX. *discutitur.* חוממים *qui?* מוכחשים *it. &* חוממי' *?* חוממי' *Eleemosynarum olim colligendarum ac dispensandarum ratio.* בית דין' *Ebræis* locus judiciorum, *non judicum consessus. Vox* Judicii, *Imperatori idem quod* tribunal. Georgius Weigenmayerus *perstringitur.* Senatus Romanus, *Romulo olim*, Curia. *Locus iste habendorum judiciorum apud Orientales & Judæos* Portæ ac fora. פיתח הר הבית *quæ? it.* פתח עזרת*? Sinedrium magnum in Sanctuario. Svavia de hoc Judæorum somnia, ac insulsæ, de piorum animarum ascensu & Christi nativitate in nos insimulationes* עזרת ישראל *quis proprie in templo locus?*

locus? atriorum quorundam longitudo panditur ac latitudo. Cur atrium istud Israelis dicatur עזרת, Kimchi *explicat. Sex* לזכות *sc. cameræ in atrio isto.* לזכת הפרוה *ope præstigiorum exstructum.* לזכת הגזית *sc. quæ versus meridiem camera, Synedrio magno dicata. In ejus medio* sceptrum *Precibus item ac solemnis illius* שמע sc. audi Israel *declamationi. Duplici ista surgebat fundo sacro sc. ac profano, area tamen æquali plane. Profanus Synedrio datus erat. Locus Sedendi*, Regibus David *in ista, atrii pars sacra.* החיל sc. antemurale, *quis in templo locus? Jarchidi* סורג בית המדרש murus. *Decem in templo loca Sanctitate differentia. Locus* לפני מן החומה. Bethphage *vicus unde dictus? Judæi Babylonienses sc.* מרנחאי *Orientales R. Benjamin in itin.* אלעירהקיין? עראק *sc.* Irak *locus orientis, duplex. Paraph.* Samaritanæ idem, quæ שנער *Gen.* XI. מומחין *qui? Judiciis capitalibus* Babylonienses *carebant.* Αἰχμαλωτάρχαι *Babylonienses* נשיאים *in Terra sancta nihil inferiores. Genus suum serie masculina ad Davidem referebant.*

MAjora sensit Reipublicæ incrementa, majora fori & curiæ, postquam كليم الله *Vir ille Deo familiaris* (ut Arabibus vocatur) Moses, ipsi præfectus fuerat, ipseque Deus ipsam dirigebat, legesque sacras, ac jura ipse præscribebat. Hic enim postquam per aliquod tempus, Populum Israeliticum solus gubernasset, ac varias, inter populum exortas, composuisset lites, ac controversias; Soceri tandem *Jethronis* ductus consilio, primum in populo Israelitico, publice publicam instituit auctoritatem, elegitque sibi viros חכמים נכונים וידעים, creavitque illos in Chiliarchas, Centuriones, Pentecostarchas, & Decuriones, h. e. judices, super. 78600. שורים sc. principatus, (inclusive sumtos, h. e. ut Raschi inquit: שקצתן נבללין בתוך קצתן *quorum una includebatur alteri*, v. g. decuria Pentecosti, pentecostes Centuriæ &c.) qui in 600000. illis qui ex Ægypto exiverant, continebantur, 60000. *Vid. R. S. Jarch. ad Exod.* XVIII. 19. *Coch. Exc. Gem. Th. Sab. c.* I. *Exc.* XIX. Non multo post, nihilominus succrescente molestiarum numero, ipsius Jehovæ auspiciis, LXX. illos ex Israele seniores, si non confirmavit, novos tamen constituit, ac publica inauctoravit χειροθεσίας initiatione, ut qui electum *Dei* populum imposterum regerent ac gubernarent, non sine sublimiori auxilio, non sine sanctiori impetu, ac animo; atque nunc tandem, non tantum in quavis chiliade, centuria quavis, immo in omni decuria, sacra Astrææ vigebant imperia, & universo populo sublimis ille lucebat seniorum consessus, שממנו יוצא תור׳ מכל ישראל, a quo lex & justitia egrederetur toti Israeli, ut *loquitur Mischna Mass. Sanh. c.* x. §. 2. quemque in rebus oppido arduis ac magnis, apprime consulerent, ac in cujus omnino acquiescerent decisione, ac arbitrio. *Vid. Mischn. l. c. Deut.* 17. *v.* 10. 11. 12. Hunc autem sicut unicum volebat Moses ac summum: ita de digno ipsi ac idoneo, mature prospexit loco, in quo unice suam figeret sedem. Postquam enim in deserto suis, temporibus locum hujus conventus, illum habuerat, qui erat circa אהל המועד; emergentibus felicioribus ac tranquillioribus Reipublicæ temporibus, occupataque terra Canaan, illum edixit, ut esset, ubi arca fœderis quiesceret, *vid. Deut.* XVII. 8. *Jos.* XVIII. 1. *Jud.* XX. 18. XXI. 16. 22. proindeque summum hunc consessum posterioribus temporibus, sola, quæ Reipublicæ arx essent, caperent Hierosolyma. Nec minori, de cætero judiciorum, in terra sancta instituendo ordine, sollicitus ille cura, quibusvis judicibus suas civitates, ac civitatibus quibusvis suos ac proprios dari judices, expresso mandato sanxit: *in* משנה תורה h. e. *Deut. c.* XVII. 18. שופטים ושוטרים תתן לך בכל שעריך אשר יהוה אלהיך נותן לך לשבטיך *judices*, inquit, *ac præfectos constituas tibi, in omnibus portis tuis, quas tibi dabit Dominus Deus Tuus, juxta tribus tuas.* Vel juxta versionem *Sebastiani Castalionis: Judices ac magistratus tributim creatote.* Quæ certe, ut pro virili, occupata Cananæorum terra, suo seculo præstitisse, h. e. ubivis locorum idoneos quosdam constituisse judices, videtur Josua: ita, hujus officii cultus, omni tempore, ad ultimum usque reipublicæ finem, neglectos non fuisse, aut si quandoque, temporum injuria collapsi fuerint, mox tamen eos restituos esse, extra dubium est. vid. 1. *Chron.* XXIV. 5. 2. *Chron.* XIX. 5. *&c.* 1. *Paral.* XIX. 14.

Judæi his nostræ explicationis non acquiescunt angustiis; sed verba ista latius latiusque extendunt. Non ingratam rem lectori me facturum confido, si majoris evidentiæ gratia, ea adducam, quæ Jarchides ad loc. *Deut.* citatum comminiscitur, præsertim, cum minus absurda illa dicat, & nostro discursui non parum inservire videantur. Primum ibi contendit; si unam in urbem, duæ confluxissent tribus, numerum horum judiciorum fuisse duplicatum, ac utriusque multitudini, singulares suos, ac proprios constitutos judices.

ces. Talem fuisse asserit Hierosolymam, Utpote in qua, (post secessionem X. tribuum) resedissent Juda & Benjamin: quod ipsum confirmatur alibi, *tract. c. Megillah. c.* IV. qui & ipsam urbem Hierosolymam, in dictarum tribuum confinio sitam loquitur, ita, ut *mons ædis, cellæ & atria, in tribu Judæ* æstimata fuerint; *in tribu Benjamin, porticus, templum, & Sanctum Sanctorum*, idemque istud inculcant. *Sebbachim, & Rosch. Hasschana c.* IV. שכינה בחלק בנימין סנהדרין בחלק של יהודה *habitatio divinitatis in portione* Benjamin, *Synedrium in portione Judæ*. An vero ibidem duplicata fuerint judicia, ipse non innuit. Id tamen nos docet *Mass. Sanh. c.* X. §. 2. quæ duorum judicum collegiorum expresse mentionem facit: licet ista, non cujusvis tribus proprias causas, sed omnes, quæcunque ad illa delatæ fuerint, ventilasse, ex l. c. optime colligi videatur; nisi, hoc tantum in diebus Sabbathinis, cum Synedrio magno ea factitasse, statuas. Deinde, inquit, unicuique tribui בית דין הגדול sc. collegium ac judicium majus, [quod quidem respectu Synedrii summi, minus erat, neque plures continebat judices, quam, qui ad minus constituendum alias requirebantur, h. est viginti & tres, ceu exponit. *R. Salom. l. c. vid. & Mass. Sanb. c.* I. §. ה'] fuisse præfectum, quod totam tribum judicaret, pari potestate in tribum suam, quali Synedrium של שבעים ואחד in totum populum. Verba ejus hæc sunt: מוסף על תתן לך שופטים ושוטרים תתן לך לשבטיך בכל שעריך מלמד שמושיבין דייני לכל שבט ושבט ובכל עיר ועיר i. e. *addit ad illud:* judices ac præfectos constituas Tibi, *& istud* juxta tribus tuas in omnibus portis tuis; *ad indicandum, quod judices constitui debeant in singula tribu, & civitate singula*, mox se ipsum ulterius explicat: ולא ידעתי פי' דבר זה כי כיון שמנינו בד בכל עיר ועיר הרי בתי דינים רבים בכל שבט ושבט אולי לומר שאם היתה עיר אחת לשני שבטים כירושלם שיש בה יהודה ובנימין שנושיב שני בתי דינים וכן העלו בפ' חלק שחולקין עיר אחת לשני שבטים וכן ירושלים היה בה ליהודה ובנימין ויתכן לפרש שיחייב הכתו' למנות בית דין על כל השפט והוא ישפוט את כלם ואח״כ נמנה ב״ד בכל עיר ועיר שישפוט את העיר ואף על פי שכלם שוים במנין שהם כג' כדיני נפשות וג' בדיני ממונות אבל הגדולים שבהם בחכמה יתמנו על כל השפט ותחתיהם לכל עיר ועיר & paucis interjectis. אם נסתפקו בעלי הדין של העיירות יבאו לפני ב״ד הגדול של שבט וישאלו כדרך שהסנהדרין גדולה ממונה על כל בתי ד' שבכל ישראל וכה יהיה ב״ד אחד על כל שבט ושבט ואם הוצריכו לגזורת ולתקן דבר על שבט שלהם גוזרים ומתכנין והיה לשבט כגזרת סנהדרין לכל שבט וזה הב״ד הוא המזכר במסכת הוריות: i. e. *& non succurrit, quomodo hoc explicandum sit*, (scil. quod dicat: judices & magistratus constituas tibi בכל שעריך לשבטיך,) *quia, si præficiatur* ב״ר *in singulis urbibus, ecce, jam ante multa judicia in singula tribu. forsitan dicendum: quod, si fuerit urbs aliqua, in qua duæ consederint tribus*, (sicut) *in Hierusalem, in qua fuere Jehuda & Benjamin; quod constituantur ibidem duo dicasteria.* Et huc spectat (illud quod legitur) *in Pereck* חלק *: quod nonnunquam distribuant urbem aliquam in tribus duas, talis fuit Hierusalem, quæ distributa erat in tribum Benjamin & Judæ. Et hanc ob causam, potius videtur dicendum esse, quod velit textus hic: sc. ut præficiatur consistorium super unamquamque tribum, quod judicet omnes,* (*tribules,*) *itemque super civitatem unamquamque, quod judicet in civitate. Et licet hæc omnia numero fuerint æqualia, qualis requirebatur olim* XXIII. *in judiciis capitalibus, & trium, in pecuniariis; illi tamen, qui erant sapientiores cæteris, præficiebantur super unamquamque tribum.* It. *quod si dubitaverint,* (*quod si in decisione consistorii urbis non acquieverint,*) *partes litigantes, appellant ad consilium magnum tribus, ibique causam disceptant. Quemadmodum itaque fuit Synedrium magnum præfectum super omnia consistoria Israelis: ita fuit consistorium quoddam constitutum super unamquamque tribum, & si necessitas quandoque postulabat decernere aliquid & corrigere in tribu, decernebant & corrigebant ut lubebat, eratque decretum illud quoad tribum, sicut Synedrii magni quoad tribus omnes. Et hoc est illud consistorium, cujus mentio fit in Massec. Horajot.* verba, ad quæ ille digitum intendit, in *Mass. Horajos. in c.* I. §. ה *hæc sunt:* הורו' בית דין של אחד מן השבטים ועשה אותו השבט על פיהם אותו השבט הוא' חייב ושאר כל השבטים פטורין: *si quid ordinet consistorium aliquod ex tribubus, & ista tribus faciat juxta mandatum illius, ista tribus rea fit, reliquæ antem tribus omnes liberæ abeunt.* Vid. etiam de hoc si lubet *Mass. Sanb. c.* I. §. *pen.*

Itaque in toto olim Israele eminebat consistorium illud magnum LXXI. in quavis tribu, juxta *R. Salomon Jarch.* itidem consistorium, quod respectu minorum vocabatur בית דין הגדול של שבט consistorium tribus magnum: in quavis Chiliade, Centuria &c., sui שופטים s. שוטרים Judices vel præfecti: in quavis urbe certi quidam magistratus: immo in omni loco; modo judicibus suis municipalibus, utpote Chiliarchis, Centur. &c. destitutus

non

non fuerit: quibus ullum aliquem, vel minimum, caruiſſe, veriſimile non eſt. Arctiori paulo Thalmudici econtra incedunt tramite. Parciſſimus omnium R. Jehuda; qui rem eo reſtringit, ut niſi ſint in urbe duo ad minimum, qui LXX. linguis loqui ſciant, & unus qui intelligat, conſilium ibi eſſe non poſſit. *Joh. Coch. annot. ad M. Sanh. cap. I. §. ult. n. 32. p. 18. R. Sal. Jarchi*, hocce privilegium, ei loco (reſpiciens forte *ad loc. II. Paral.* XIX. 5.) videtur adſcribere, qui urbs eſſet; h. e. in quo, præter reliquam multitudinem, decem בטלנים h. e. *homines otioſi, nulloque opere vacantes*, (h. e. decem Judaicæ Synagogæ quaſi Stipendiarii, qui primi in Synagogam venirent, & ultimi cum Sacerdote abirent, hincque Synagogæ ſumtibus ſuſtentarentur. Vid. *Bux. Lex. Th. Rabb. p. 292. & de his mox infr. R. Mibbarten.* pluribus.) *reperirentur*. Sin: כל קרך שאין בו י׳ כטלנים נידון ככפר: ipſi *omnis locus ſ. civitas, in qua non ſunt* X. בסלנים *habetur, ut pagus. Thoſephoſ. Jom. Tobb. ad locum Miſchn. citatum.* Cæteri tandem utplurimum, minimo ſ. triumvirorum conſeſſui, locum de finiunt eum, qui pauciores quam centum & viginti, minori vero, qui CXX., ſive, ut *Corn. Bertramo* placet, בעלי בתים, patres familias, ſ. quod aliis arridet, tantum cives, contineret, ſive, ſi illorum inſiſtamus veſtigiis; perſonas ſpectatiores, ac doctiores, quique ut plurimum, vel literis operam dederint, vel officio quodam publico inſignes, vel etiam certis de cauſis neceſſario ad judicia tracti fuerint? licet *R. Nehemias* CXXX., quo numero Decurionibus reſpondeant, ſtatuat. *Vid. Petr. Cun. Lib. I. d. Rep. Hebr. c.* XIII. *p. m. 107. Fag. ad Deut.* XI. 15. *Schick. d. jur. Reg. c. I. Theor.* II. *p. 9. Maſſ. Sanh. c.* I. *§. ultimo*. Ita computant iſtum numerum ex *Gem. R. Obadias Mibbarten. l. c. M. c. & ex parte*, רשי׳ *apud Jom. Tobb.* 1. *c.* כ״ג סנהררי קטנה ו״ג שורות של כ״ג כ״ג יושבים לפניהם שאם הוצרכו להוסיף על הדיינים מוסיפים מהם וי׳ בטלנים י׳ בני ארם בטלנים מכל מלאכה שיושבים תמיד בבה וב׳ סופרים לכתוב דברי המזכין ורברי המחייבים וב׳ חזנים שמשי ב״ד להלקות החייב ולהזמין בעלי הרין וב׳ בעלי דינין ושני עדים וב׳ זוממין וב׳ זוממי זוממין וב׳ נבאים ושלישי לחלק הצרק שצדקה נגביה ב״ב ומחלקת ב״ג ורופא אומן להקיז דם ולבלר ומלמר תינוקות הרי ק״כ: i. e. XXIII., *ſenatores Synedrii parvi: tres ordines*, (תלמידי חכמים) Candidatorum, (*quorum unuſquiſque conſtabat* XXIII. *perſonis*,) *qui ſedebant coram ipſis, ut, ſi neceſſitas poſtularet, ut adderentur judices, ex ipſis quoſdam addere poſſent:* X. *homines otioſi, h. e. decem vacantes ab omni opere, qui continue ſederent in Synagogis:* (i. e. nullo non tempore intereſſent precibus ac reliquis conventibus ſacris de quibus R. Johannan: *quando Deus Sanctus ac Benedictus venit in Synagogam, & non invenit in ea decem, ſtatim iraſcitur*. Vid. *Buxt. Lex. Thalm. in l. c.*) *duo ſcribæ, quorum unus ſcribat verba abſolventium, alter condemnantium: duo miniſtri judicum, ad percutiendos reos, & citandas partes litigantes, quæque a judice requirebantur: actor & reus: duo teſtes: & pro rei eventu, bini, qui malitioſo quodam teſtimonio, hos evertere conentur:* (hi vocabantur ii, qui in eo mentiri deprehendebantur, quod ſe ſuis oculis rem vidiſſe aſſerebant, reliqui, qui quovis modo errarant, dicebantur מוכחשים,) *duo, qui hos dolo aggrederentur, horumque mendacium in lucem protraherent:* (*de quibus poſtremis* vid. *Coch. not. ad cap.* VI. *Maſſ. S. §.* II. *n. 2. p. 49. L'Emp. Bav. Kam. c.* VII. *§. 3. n. 1. p. 149.*) *duo exactores: tertius quidam, qui cum his diſpartiatur Eleemoſynam: quæ ſcil. colligitur, reponitur, & aſſervatur a duobus, & diſtribuitur a tribus;* (quaque hebdomade pridie Sabbati *Coch. not. ad Exc. Gem. Th. c.* I. *Exc.* XVIII. *p. 167.*) *Medicus: Chirurgus*, (ſc. ſecans venas,) *ſcriba denique & unus qui inſtituat pueros. Ecce tibi* CXX. hæc ille:

Sicut autem judicia hæc, atque conſeſſus maxime circa res publicas, ſeu civiles ac politicas erant occupata: ita quoque in publicis atque conſpicuis adibantur locis. Ea generali Etymo δικαστήρια Græcis Hebræis בתי רינים, nonnunquam etiam, ut ſupra monitum, משפטים atque hoc ea ferme ratione, qua Imperator vocem *judicii*, uſurpavit, pro *tribunali*, & loco ubi judicia exercentur, *paſſim t. t. ff. ſi quis caution. judic. ſiſt.* Vid. *Rheing. de Regim. ſecul. & Eccleſiaſtico* II. II. 13. 6. Fallit ac fallitur *Georgius Weigeumejerus*, Profeſſor olim linguarum, in Inclyta univerſitate Tubingenſi, dum in ſuis ראשי תיבות: *ſub* ב״ד, e veſtigio huic noſtræ contradicit ſententiæ: בית רין, inquit ille, *Domus judicii i. e. conſiſtorium, congregatio ipſa judicum, non locus ubi ſedent judices*. Licet enim negari vix poſſit, nonnunquam illud conſeſſum judicum ſignificare, id tamen, non niſi eo ſenſu, quo Romulus, *Senatum Romanus*, dixit *Curiam*, h. e. Metonymico fieri, & ingens exemplorum probat numerus, & *Clar. Buxtorffius* ampliſſimo authoritatis ſuæ, evincit calculo, *in Abbr. ſub* ב״ר. *Vid. etiam Schindl. Lex. Pent. in rad.* דון *col.* 376. Iſta, ut diximus, conſtituta ac erecta fuere in locis publicis, h. e. *portis* ſeu *foris* cujuſque civitatis. Vid. 2. *Reg.* VII. 17.

17. *Deut.* xxv. 9. *Ruth.* iv. 1. *Ps.* lxix. 13. hinc &, quem locum Hebræus *Ruth.* iv. vocat שער, Chaldæus interpres appellitat: תרע בית דין דסנדרין Is mos, non tantum Hebræis, verum etiam reliquis orientalibus in uſu fuit. Ceu de Arabibus inſtruit auctor L. 1. *Alc. ſeu libri de generatione Machomed, & nutritura ejus*, ubi hæc legenti obviam venient, in verſione ejus Latina, *interprete Hermanno Dalmata, Scholaſtico ſubtili & ingenioſo apud Legionenſem Hiſp. civit. Cumque per majorem portam (Meccæ) intrarem, in introitum portæ ſenatus conſederat, hic & ego, cum audiendo cauſas conſediſſem, ſubito inter manus puer evanuit.* atque eodem plane modo verſio *Salomonis Svveigeri Paſtoris olim Norinbergenſis ad S. Mariam:* Als ich durch das groſſe Thor hinein gieng/ ſaſſen die Herren im Rath/ ich ſaßte mich auch nieder wolte hören/ was man guts fürbrächte/ und ſihe das Kind verſchwandt mir unter den Händen. Nec aliis in locis, duo illa Hieroſolymitana conſiſtoria, quorum ſupra mentio facta eſt, conveniebant. Hinc unum juxta Hebræorum mentem ac Judæorum, ſedebat על פתח הר הבית in porta, quæ aditum aperiebat ad montem templi. *M. Sanh.* c. x. *ſc. ad editionem Prag. c.* xi. §. 2. hoc eſt in illa, quæ erat inter duo iſta templi loca ſingulari ſanctitate conſpicua, החיל & עזרת נשים *Hbailſcil.* & atrium mulierum, (de quibus infra:) dextraque h. e. meridiem verſus reſpiciebat לשכת העצים: i. e. *atrium, in quo reponebantur ligna;* ſeptentrionem verſus לשכת הנזירי *Atrium, in quo ſe continebant Naſiræi*, præeunte *Jom Tobb* in deſcriptione templi, ad literam 'ח & 'ז rem exponit *Mibbartenura ad l.* Miſchn. citatum: אחד יושב על פתח הר הב' *unum quod ſedet in porta atrii*, הוא שער מזרחי שלפנים מן החיל ולפני עזרת נשים: i. e. *hæc eſt porta quæ eſt poſt Chail, coram vero atrio mulierum, idem repetitur in Thoſephoſ. Jom Tobb*, qui idem addit calculum R. Sal: *Jarchidis*: כתב ה"ר הוא שער מזרחי שלפנים מן החיל ולפני עזרת נשי' וכן פירשי ונראה שספרתם לקרוב הבתי דינין אל מקום היותר מקודש שבאפשר ולפי' פי' פתח הבית הוא הפתח על העבר שלפנים ששם מתחל' עזרת נשים ולא בפתח של עבר שבחוץ: *i. e. porta iſta erat porta meridionalis, quæ pone ſe habebat* חיל *Hbail, ante ſe vero atrium mulierum. Atque ita docet quoque Raſchi: videtur autem quod opinio illorum id intendat, ut duo hæc judicia trahant & ſtatuant, quantum ejus fieri poteſt, ad loca plus ſanctiora: proptereaque pergit, porta dicaſterii hujus, eſt illa quæ erat ad latus anterius, a quo principium ſumebat atrium mulierum, non in porta quæ erat in latere exteriori.* Alterum quod diximus δικαστήριον reſidebat. על פתח עזרת *in porta per quam perveniebatur ad atrium Iſraelis i. e.* בשער מזרחי של עזרת ישראל (ut illam vocat *Jom Tobb. in deſcriptione templi ad lit.* 'יא) *in porta itidem meridionali atrii Iſraelis;* quæ verſus dextram, adjunctum habebat לשכת פנחם *conclave Pinchas*, ulterioreque atrii parte, reſpiciebat לשלכת הגזירת: verſus ſiniſtram vero לשכרת עושי חביתין: h. e. *conclave eorum, quorum erat, ea quæ in ſartagine frigebantur*, (*vid.* 1. *Paral. IX.* 31.) *curare;* pergebatque ad illud, quod mox infra dicemus, לשכת המלח *præeunte Jom Tobb. in deſcript. templ. ad lit.* יב, יג, כח, לא. rem alias iterum explicat *Mibbartenuræ l.c.* אחד יושב למעלה הימינו כשעברו עזרת נשים ובאים לפתח עזרת ישראל i. e. *alterum ſedebat ad aſcenſum, qui dextram verſus patebat, quodque tranſibant per atrium mulierum, ac veniebant ad portam Iſraelitici atrii.* Summum Synedrium, Hebræorum republica, itidem occupatum erat במקדש *in ſanctuario*, h. e. eo in loco, quem Moſes ipſi aſſignaverat. *P. Cun. L.* 1. *d. Rep. Hebr. c.* xii. *pag.* 94. ubique *Deum*, mundi creationem exorſum, hodieque in vertice montis ſaxum ſupereſſe, in quo fundata ſit mundi machina, ſuaviter ſibi fingunt Judæi, *adſtipulante R. Schlom. fil. virgæ. In* שבט *Juda interpret. Gent. p.* 21. & 355. quæ quidem ſuo relinquimus loco: id unice, ὡς ἐν παρόδῳ, perſtringentes, quo nos Chriſtianos per hunc locum, piorum mortalium animas, in cœlum aſcendere, huncque ipſum eſſe locum, quo Salvator natus ſit, ſtatuere, immo affirmat credere. λυμὴ plane κεφαλῆ, & fœda calumniandi libidine. Fuit autem ea in templi parte, quæ vocabatur עזרת ישראל ſc. κατὰ ἐξοχὴν, עזרת: *atrium, ſ. atrium Iſraelis:* vel alio nomine המקום דריסת ישראל ſcil. המקום דריסת רגלי ישראל *ambulacrum, ſc.* πάνδρομος *Iſraelis;* quod erat inter עזרת נשים *atrium mulierum*, & עזרת כהנים *atrium ſacerdotum*, æquali ſpacio cum atrio ſacerdotum & mulierum, h. e. longitudinem habebat juxta computum *R. Jom Tobb.* cxxxv. longitudinem xi. ulnarum. Locus itidem promiſcua plebe, ac frequenti turba, quæ undique confluebat orandi cauſa, præ cæteris inſignis, proptereaque dictus, העזרה, ab *auxilio*, quod, ut ſcribit *R. D. K.* a quotidiana multitudine ibidem a *Domino* petebatur, riteque precando impetrabatur. Verba ejus extant in *L.Rad. in rad.* עזר *col.* שסו *ad Ez.* xliii. הוא החצר שנאספים בו בבית המקדש להתפלל שם והקב"ה שומע ועוזרם לפיכך נקראת עזרה כי כל הבא להתפלל שם בלב שלם נעזר ביי' אלהיו: i. e. *h. eſt atrium*, *in*

in quo conveniebant Israelitæ ad fundendas preces, ibique sanctus Benedictus exaudiebat eos, & auxilio succurrebat ipsis. Proptereaque dictus est, עזרה, *quoniam omnis, qui se eo conferebat orandi causa, idque faciebat recto corde, ac integro, auxilio non destituebatur.* Qua vero in parte hujus atrii, proprie consederint סנהררין; prodit *Mass. Middot.* §. ג. & ד. שש לשכות היו בעזרת שלש בצפון ושלש בדרום שבצפון לשכת המלח לשכת הפרוה לשכת המדיחין. לשכת המלח שם היו נותנין מלח לקרבן לשכת הפרוה שם היו מלוחים עורות קרשים ועל גג היה בית הטבילה לכ״ג ביום הכפורים לשכת המדיחין ששם היו מדיחין קרבי הקרשים ומשם מסבה עולה לגג בית הפרוה שבדרום לשכת העץ לשכת הנולה לשכת הנזית: i.e. *Sex cameræ fuere in atrio: tres versus Aquilonem, tres austrum versus: versus Aquilonem* לשכת המלח, *ex qua sal promebant ad oblationes:* לשכת הפרוה, (quam præstigiator quidam nomine פרוה, ע׳ סכשפית ope præstigiorum, ædificaverat; *Mibbart.*) *in qua reponebantur & sale conspergebantur pelles* (scil. ut, quod rationi consentaneum, cum magna copia quotidie reponerentur, eo melius a putredine, & quæ evenire ut plurimum solet, vermium corrosione præservarentur,) *sacrificiorum, cujusque in parte superiori, fuit balneum, in quo sese abluere solebat sacerdos m. in die expiationum:* לשכת המדיחין, *in qua abluebantur sacrificiorum intestina, & exinde patebat ascensus* בנין אבני מעלות סנלנלות וסבובות: *extructus lapidibus in ascensum factis, rotundis, & in circuitum ducentibus, ad dictam partem superiorem domus* הפרוה: *Austrum versus* לזכת העץ *Camera lignorum:* לשכת הנולה, in qua erat בור קבוע והגלגלה נתון עליו ומשם מפסיקין מי יכל עזרת: *puteus, ex quo ope rotulæ aquam hauriebant, ac in omnia alia derivabant atria:* & לשכת הנזית *in qua* סנדרין גדולה של ישראל: *Synedrium magnum.* Patet hinc, dictum Synedrium sedisse in parte hujus atrii meridionali, inquam, illo ipso loco, qui olim לשכה הנזית nuncupabatur h. e. *conclavi isto ex cæso lapide structo*, sceptroque, summæ illius majestatis nota ac insigni, in medio ejus pendente, apprime nobili. *P. Cun. Lib.* 1. *de Rep. Jud. c.* IX. *d. Christ. Ver. cap.* V. *p.* 139. Huic alias, *camera dolata:* עשויה נזית לכבודם של סנהררין: *in honorem & gloriam Synedrii* (ut loquitur *Jom. Tobb. ad l. c.*) *tanta arte & diligentia facta, ita, ut hujus ædificii tantus splendor, tantaque magnificentia fuerit, ut totus terrarum orbis nihil ipsi simile, aut secundum habere visus fuerit. Auctor Schebbeth Israel l. c. p.* 263. unicum hic, tanti hujus splendoris finem adducit, *Jom. Tobb.* libet addere alterum: nempe: non solum Hebrææ jurisdictioni inserviebat istud, verum etiam, לקראות את שמע precibus quoque ac solemni illi, ac quotidianæ, istius *Audi Israel, Jehova Deus tuus, Dominus unus est, Deut.* VI. *in fin.* ירדו ובאו להם ללשכת הנזית לקרות שמע: i. e. *descendunt deinde, ac veniunt in* לשכת הנזית *ibique orant* שמע. Factum id esse post mactationem sacrificii jugis, docet *Mischna l. c.* ante vero suffitum, h. e. ante tractationem ac ventilationem ullarum causarum *Tosephos Jom. Tobb.* לאחר ק״ש יקטירו את הקטרת והכי נכון הדבר שיתפללו קו׳ שיקטירו שם הקטרת ויעל קרבנם לריח ניחום: i. e. *absoluta lectione* τῶ שמע, *incendunt suffitum; ita enim ordinatum est, ut prius orent quam suffitum faciant, ut sit oblatio eorum Domino in odorem gratum.* Cæterum structura hujus ædificii, partim ex sacro, partim ulterius extensa, profano surgebat fundo, area æquali plane, ac ubique plana, saltim, qua parte ad fores, quæ in profanum ducebant, quibusdam depressa gradibus, quibus ex profano in לשכת הנזית, & ex hoc in profanum, facilior meantibus pateret aditus: qua v. parte in sanctum s. עזרת ישראל, nulla omnino laborabat inæqualitate, sed æque alto tramite, discurrentium excipiebat gradus, *ordine hæc explicat Jom. Tobb. ad Mass. Middos. in descriptione templi ad literas.* לשכת למזרחי הגזית חצי לא בקודש וחצי בחול ופתוחה לחה לחול ולקודש: *quod versus meridiem est* לשכת הגזית, *partim situm est in templi parte profana, partim sacra, duæque ipsi portæ sunt, una, quæ in profanum patet, altera, quæ in sacrum.* Tum pergit *in Toseph. ad l. c.* וצריך לומר שהמקום שכנויה בו בחול היה גם כן גבוה כגבוה העזרה שזה אין ספק בו שהלשכה קרעיתע שוה אבל במקום שפתוחה היה לחול היה מעלות שעירה עולין וממנו יורדין לחול: i. e. *Nec prætereundum est, quod locus in quo ædificata fuit camera ista dolata, in profano, fuerit æque altus cum* העזרה, *de quo non est dubium; nam cella s. camera ista fuit tabulato æquali plane, nisi, quod ea in parte, qua fores, quæ in profanum ducebant, erant gradus quidam per quos adscendebatur & descendebatur.* Quod ad hujus conclavis sacrum spacium: nemini id ullam concedebat requiem, nisi soli regi de familia David: Profanum Synedrio datum erat, quo ad audiendas considere poterat causas. *Hinc R. O. Mibbartenura ad l. c.* סנהדרי גדולה של ישראל יושבת בצר החול שבה לפי שלשכת הגזית היתה חציה בקודש וחצי בחול ובחצי של קרש לא היה אפשר לסנהדרי לשכת שאין ישיבה בעזרה אלא למלך בית דוד בלבד דכתיב ויבא המלך דוד וישב לפני ה׳: i. e. *Consistorium*

ma-

magnum Iſraelis, ſedebat in latere profano: לשכת הגזית *n. fuit partim in ſancto, partim in profano templi: jam in parte ſacra Synedrium conſidere non poterat: nemo enim, niſi reges de domo David, in* עזרה *conſidere jure audebat, quia ſcriptum eſt:* veniat Rex David, & aſſideat coram Domino.

Atque iſtud quidem tantum diebus profanis. Diebus Sabbatis ac feſtivis, temperabant ſibi a profana multitudine, quæ tum in loco ſolito, ſupra communem augebatur numerum: *R. Salomo. apud Coch. Exc. Gem. Sanh. c.* x. *Exc.* I. *n.* 2. *p.* 299.: Secedebant autem בחיל intra murum ſ. antemurale, quo tempore lex Moſaica ac Prophetæ, qui tum prælegebantur, audiebantur. *Act.* XIII. 15. &, ſi quæ difficilior quæſtio ad eos redundabat, eam explicabant. *Vid. Coch. Exc. Gem. Thalm. l. c.* Hinc *Ramb. Hilchos Sanh.* III. *c.* id nominis (חיל) per בית המדרש explicat. LXX. id interpretantur προτέχισμα *Thren.* II. 8. quod *Targum* per מיקתא, quod *ambitum* ſignificat. Quis, proprie in Sanctuario locus ita dictus ſit, optimus omnium exponit *R. D. Kimch. libr. Rad. Rad.* חלי. *col.* קנ. חיל החומה הקטונה וחיצונה שלפני החומה הגדולה: Hhail, murus eſt parvus exterior, coram muro majori, & *Mibbartenura ad Maſſ. Chelim. cap.* I. §. ה. החיל לפני מחומת הר הבית היה כותל גבוה עשרה טפחים והוא נקרא סורג ולפנים ממנו החול עשר אמות׳: i. e. *poſt murum montis ſanctuarii, erat paries altus decem palmorum, (ex lignis fiſſilibus decuſſatim in retis modum contextus: addit hoc Salomo filius Virgæ. in Schepb. Jud. p.* 359.) *qui vocabatur* סורג, *poſt hunc demum erat* חיל *ſ. antemurale, altum decem cubitorum.* ſcil. hoc loco, intelligitur locus, qui muro exteriori circundatus erat, intra ambitum montis ſ. parietem Soreg, & atrium mulierum: qui, ſicut ſacræ lectioni ac divino cultui dedicatus erat, ita ſingulari quadam ſanctitate, inter cætera templi eminebat loca. Utpote, quod gentibus, & iis, qui ſuper mortuo ſeſe contaminaverant, prohibitus erat, ceu inſtruit *Miſchn. Chelim. l. c.* ubi de decem templi locis, ſanctitate invicem differentibus, ita diſcurrit: לפני מין החומה *locus pone murum*, inquit, *ſanctus habetur ex eo, quod ibi a ſacerdotibus conſumebantur reliquiæ de ſacrificiis, oblationes ex frugibus matureſcentibus, juxta ignem teſtæ, cum decimis, ſecundis:* הר הבית mons ſanctuarii, *quod ab ipſo arcebantur qui ſeminis profluvio laborarant, cum menſtruatis, & eis, quæ puerperio adhuc immundæ eſſent:* החיל antemurale: *quod id intrare, gentibus, & iis, qui ſuper mortuo immundi facti fuerant, probibitum erat.* עזרת נשים atrium mulierum: *quod in id, ii, qui eo ipſo die ſeſe lavaverant,* (לשם יהוספט ובית דינו נזרו ex decreto *Joſaphati* ipſiuſque ſenatorum,) *non admittebantur:* עזרת ישראל Atrium Iſraelis, *quod ab ipſo abſtinere ſe cogebantur, deſtituti expiationis, ſ. qui ſacrificium expiatorium, pro peccato, nondum obtulerant.* עזרת כהנים Atrium Sacerdotum, *quod in id præter ſacerdotes, ſeſe recipiebat nemo, niſi quum ſolemni benedictione conſecrabatur Iſrael, & ii quorum ſacrificia & oblationes, vel mactabantur, vel agitabantur:* בין האולם ולמזבח locus inter porticum & altare, *quod in eo reperiebatur nullus, qui vitio laborabat, vel Naſiræus eſſet & comam alebat:* Templum, (cujus & altaris interceptum ſpacium, videtur illud eſſe, quod morte *Zachariæ* contaminatum dicitur apud *Matthæum* XXIII. 35.) *quod in id penetrabat nemo, niſi lotus manus & pedes:* קדש קדשים Sanctum ſanctorum, *quod ejus penetralia ſolum recipiebant pontificem, idque ſolum, in die expiationum.* Primo alias hæc loco ponit לפני מן החומה, *locum pone murum.* Per quem, quis proprie intelligendus ſit, ipſi dubitant *Magiſtri.* Nos, in majoris interim textus hujus Thalmudici perſpicuitatis gratiam, in tranſcurſu tantum, brevibus de ipſo diſpicere non ſuperſe debimus. *R. O. Mibbartenum* intelligit ſpacium ſc. locum pone murum Hieroſolymorum. *R. Juthannan*, apud *Jom Tobb. Toſeph.* illum, qui extra muros *Bethphage*; conveniunt tamen in eo, quod uterque locum quendam dicat ab Hieroſolymis ſejunctum. Ita enim חומת בית פאגי, exponit *Baal. Aruch. apud Lud. de Dieu, ad Matth.* XXI. *verſ.* I. *p.* 86. מקום חוץ ירושלים iſtud in aprico eſt: iſtum fuiſſe locum quendam epulis Levitarum, ex decimis & ſacrificiorum reliquiis, ſacrum. Quid ſi dicamus: iſtud לפני מן החומה, ſi non ipſum vicum *Bethphage*, locum tamen fuiſſe non longe ab ipſo ſemotum: ut qui forte, non aliam ob cauſam, hoc ſortitus, fuit nomen, quam quod ſi non in eo, non longe tamen ab eo, Sacerdotes ſua conſumſere alimenta, ultima voce φαγή, quam *Græcus* legit, derivata ex ipſius verbo φάγειν. In quibus tamen benevolo ac cordato Lectori omne delatum eſto judicium.

Patere nunc confido, quibus in locis: h. eſt, quibus in civitatibus, ac urbibus, quibus in curiis ac tribunalibus, judicia Hebræorum in Paleſtina olim, offendere licuerit. Extra Palæſtinam אנשי

בבל & מרניחאי ut cum *Maſoretbis* loquamur, Judæi *Babylonienſes*, & *orientales*; ſ. ut *R. Benj.* in itinerario appellantur, אלעירהקיין *Irakæi*. (Ita nuncupantur a nomine עראק Irak, quæ duplex numeratur, עראק אלערב *Irak* ſeu Irackæa *Ambum*, i. e. *Babylonica*, & עראק אלענם *Irack* ſeu Irakæa *Perſarum*, ſcil. prima provincia verſus Syriam. Quapropter etiam iſtius forte reſpectu Paraphr. Samar. pro שנער *Gen.* xi. 2. ſubſtituiſſe videtur ࠏࠓࠀࠒ ſc. עראק. *Vid. Heinrr. Hotting. Theſ. Philol. L.* i. *c.* i. *Sect.* iv. *p.* 19. Hi inquam Judæi, licet non in quovis diſtrictu, ac quibuſvis municipiis, in Eparchiis tamen ſuos habuere, tum judices ac conſeſſus ordinarios, qui jura dicerent cæteris omnibus de eadem gente in illius terræ confinibus degentibus: (Inter quos eminuiſſe videntur ii, quos Nahardææ, Soræ & Pombedithæ fuiſſe conſtat,) tum communes, quos vocabant מומחון, qui χει-ροθεσίᾳ a Synedrio magno in Palæſtina initiati, judicia paſſim exercebant extra illam; hac tamen notabili inter hos, & illos, in Palæſtina vigentes, differentia, ut hi quidem paſſim judicia pro lubitu exercerent, verum tantum דיני ממונות & קנסות, non autem נפשות, quæ ut Synedriis terræ ſanctæ propria erant, ac intra ipſam tantum ſtetere, ita ab his, ceu magiſtratu extero, & profano quaſi, nuſquam terrarum exerceri potuere, ac ne in Palæſtina quidem, niſi tantum in לשכת הגזית de quo ſupra: *Vid. P. Gal. d. Catholica veritate. L.* iv. *c.* v. *p.* 142. *P. Cunæus. L.* i. *d. Rep. Jud. cap.* ix. *p.* 86. Illi autem, utraque, ſua in terra tractarent, ac ex lege quælibet jura ſuis civibus redderent intra Patriam, extra ipſam vero nihil ſtatuerent in populares ſuos, niſi precario, & ſi hoc illis, aut Babylonienſium permiſiſſent proceres, aut alii qui exulantium Judæorum, capita erant. Quapropter etiam מומחין non tantum his rationem reddere, verum etiam, ſi quando deliquiſſent, ab ipſo veniam impetrare cogebantur, aut niſi imimpetraſſent, dictam luere pœnam ſ. mulctam. Hæc ipſa illorum capita vulgo appellabantur ipſorum lingua; ראשי גליות בבל, Græca Αἰχμαλωτάρχαι, qui, licet poteſtatem ſuam, habebant a regibus Perſicis, ejuſdem tamen auctoritatis erant, cum הנשיא in terra ſancta. Immo hoc natura glorioſiores & faſtuoſiores, hincque genus ſuum, impermixta ſerie maſculina referebant ad Davidem, hujus vero fœminina. *Vid. Joh. Coch. Exe. Gem. Thalm. Sanh. c.* i. *p.* 227. & 193. *Cauſ. Exerc.* i. *p. m.* 18. *Buxt. Exerc. S. in Inſtitut. S. Coem. S.* iii. §. 33. *Hein. Hott. Theſ. Phil. l. c.*

POSITIO IV.

Temporum momenta craſſiuſcule primitus diviſa. Matutina *judiciis habendis impendebantur. Minorum Synedriorum ordinarium conveniendi tempus.* Pecuniaria *ad noctem uſque protrahebantur. Condemnatoria* in capitalibus *ſententia poſtridie demum divulgabatur.* Sabbatho *aut* die feſto *judicia exercere nefas. Summi Synedrii ſenatores cur Sabbatho in* החיל *qui? Synedrii ſummi conveniendi tempus.* בין הערבים *Exod.* xxviii. 38. *Duplices Hebræis olim horæ* æquales & inæquales.

SIcut autem in judiciis exercendis, certa quædam adhibebantur loca ita quoque certa obſervabantur temporum momenta, licet ab initio quidem & primis iſtis temporibus, quibus noctis & diei ſpatia craſſiuſcule adhuc diviſa erant, nec & apud Græcos, nedum Homeri etiam ſeculis, in duodenas iſtas, in quas nunc, diviſa, partes erant; (Et hoc, ut videtur, a Chaldæorum, eximiis illis in Aſtronomia antiſtibus, primo artificio. Vid. *Joannem Spondanum comment. ad Iliad. Lib.* xi. *non procul ab initio p.* 200.) non certi ac determinati horarum articuli, ſed tenebrarum ac lucis, & forte etiam Solis jam in medio cœli conſtituti, inclinationis initia. Quale in tradendis olim populo Iſraelitico judiciis Deus ipſe obſervaverit, a Rabbinis diſcere licet, quibus ſcilicet nil incognitum, & qui mira ac ſuperſtitioſa ſagacitate in rerum omnium, etiam a naturali ſcientia abhorrentium, notitiam penetrant. Ferunt autem in שמות *Rabb. Sed. Misbp.* בבק׳ צוה התר׳ ובער׳ נתנו משפטי׳: i. e. *mane tradidit Deus Iſraeli legem, veſperi judicia.* Contrarium huic ſuis judiciorum actibus præfigere libuit Hebræorum Patribus, quibus matutinum & antemeridianum tempus viſum eſt commodiſſimum, utpote quod a Moſe quoque in auſpicandis ſuis judiciis, & rerum arduarum deciſionibus obſervatum fuerat. *Exod.* xviii. 13. 14. Pari ferme paſſu ambulabant duo conſeſſus minores. Ad hos enim conveniebatur a precibus matutinis, & ordinarie permanebatur ad finem horæ ſextæ, quæ noſtro reſpondebat meridiei, quod tempus olim prandii ſapientibus erat. *Vid. Schick. d. Jur. Reg. c.* i. *Theor.* ii. *p.* 9. *Coch. annot. ad Exc. Gem. Thalm.*

c. x.

c. x. *M. Sanh. Exe.* I. *n.* I. *p.* 298. *Rab. Maim. Hilch. Sanh. cap.* III. In hoc tamen utraque iſta judicia differebant, quod illa, in pecuniariis, ſemper in quamcunque partem, eo ipſe die, (quare nonnunquam etiam uſque ad noctem protrahebantur, & de nocte, אם רצו quod addit *Raſchi in Toſeph. Jom. Tobb.* decidebantur,) hæc vero non ita, niſi ſententia abſolutoria perferebatur, condemnatoria enim non niſi poſtridie erumpebat. Quare etiam pridie Sabbathi, eadem judicia exercere nefas erat, ac nemo rite primo actæ cauſæ die, in capitali judicio condemnari poterat. *Maſſ. Sanh. c.* IV. §. I. דיני ממונות דנין ביום וגומרין בלילה דיני נפשות דנין ביום וגימרין ביום דיני ממונות נוסרי׳ בו ביום בין לזכות ובין לחובה דיני נפשיות גומרין בו ביום לזכות וביום של אחרי לחובה לפי׳ אין דנין לא בע״ש ולא בערב יום טוב: i. e. *Judicia pecuniaria in quamcunque etiam partem decidebantur tum de die, tum de nocte, eodem ipſo die: judicia capitalia exercebantur de die, ac decidebantur de die: judicia pecuniaria decidebantur eo ipſo die, ſ. abſolutoria, ſ. condemnatoria eruebatur ſententia, capitalia eo ipſo quidem die abſolvendo, condemnando non niſi poſtridie. Quare etiam pridie Sabbathi, vel diei feſti non exercebantur. Vid. etiam, quæ Iſaac. Cauſ. ex Maim. ult. Jad. ſect. I. Sanh. Excerpt.* XVI. *p. m.* 482. cauſam hujus canonis addit *Gloſſa in Gemara:* שנמצא נמר דינו בשבת ולשהותו אחר השבת א״א מפני עינוי הדין ולדונו בו ביום א״א שאין ד׳ מיתות דוחין את השבת: *quia exſecutio judicii in Sabbatho exiſteret, jam autem proferre diem mortis damnati non licet: neque eodem dies ſupplicium ab eo ſumi poteſt, ſiquidem quatuor Suppliciorum capitalium genera Sabbatbum non urgent.* Scilicet ſicut reliqua judicia omnia diebus Sabbatis ac feſtivis, ita hæc præcipue dictis diebus eorumque paraſcevis exercere, ſummopere cavebant. Quod ſupra innuimus de Synedrio magno: iſtud diebus Sabbathis ac feſtivis convenire בחיל; id intelligendum non eſt, quaſi judicii habendi, & juris dicundi cauſa, tum temporis una fuerint *R. Salom. apud Coch. ann. ad Exc. Gem. Sanh. Exc. t. n.* 2. *p.* 299. ſed, ut, ſi quæ legalis quæſtio, quæ vel ab inferioribus dicaſteriis, quæ vel in aliqua alia civitate, vel Hieroſolymis reſidebant, & primum adibantur ac audiebantur, (eo enim ordine procedendum erat), ventilata fuerat, ac ab ipſis decidi non potuerat, ad ipſos tum per partes, tum per memoratorum dicaſteriorum judices, delata fuerit, quid de cauſa ſentiendum, populo promulgarent.

Coch. Gem. Sanh. cap. x. *Exerc.* II. ובשבתות ובימים טובים יושבין בחיל: i. e. *diebus Sabbathis ac Feſtivis conveniebant in loco, qui dicebatur* חיל, & mox: נשאלה שאלה כפניהם אם שמעו אמרו להם אם לאו עומדין למנין רבו המטמאין טמאו רבו המטהרין טהרו: i. e. *Si quæ ad illos quæſtio deferebatur, ſi jus acceptum habebant, dicebant, ſin, in ſuffragia ſurgebant, ſi plures pollutum cenſeant ſeu purum, plurium vincit ſententia.* Talis aliqua quæſtio videtur fuiſſe ea inter *R. Simeonem & R. Gamalielem:* cujus mentio fit *in Maſſ. Peah. c.* II. §. מעשה שזרע ר׳ שמעון .׳ו איש המצפה לפני רבן גמליאל ועלו ללשכת הגזית ושאלו ואמר נחום הלבלר מקבל אני מרבי מיאשא שקבל מאבא שקבל מן הזוגות שקבלו מן הנביאים הלכה למשה מסיני בזורע את שדהו שני מיני חטין אם עשאן גורן אחת נותן פאהן אחת שתי גרנות נותן שתי פאות: i. e. *detulerat cauſam quandam ſuper ſemente R. Simeon, qui oriundus erat ex urbe Mizpah. ad Rabban Gamalielem,* (qui, ſi modo huic hiſtoriæ veritas ſubſit, videtur ille fuiſſe, qui tempore Chriſti viguit, quique Divi Pauli a quibuſdam æſtimatur Præceptor: *de quo vid. Buxt. Albr. ſub* ר׳,) *qui* שלא היה בירי׳) cum hic non haberet quod reſponderet; *vid. Toſ. Jom. Tobb. ad l. c.*) *ambo apparuere coram conſilio magno, quod ædibatur Hieroſol. in* לשכת הגזית *ſeu camera delata, ipſique cauſam propoſuere: ubi* R. Nachum Scriba *ita incepit: ita ego accepi a R. Maeſa, qui id accepit ab Aba, qui ſuum debebat* אותם שנים שנים הנזכרים בפרק ק׳ דמסכת, הזוגות (אבות שקבלו שנים מפי שנים מפי שמעון הקדיק: i. e. *illis, quorum mentio fit in cap.* I. *Maſſ. Abboſ. qui bini ſuas traditiones acceperant a binis, a R. Simeone juſto:*) *qui bini ſuum derivabant a Prophetis, utpote traditiones Moſis in Monte Sinai: quod ſi quis in agrum ſeminaverit duas ſpecies tritici,* v. g. albam unam, ſubnigram alteram; *ſi fructus illarum conjunxerit, neque ab invicem ſepararit, unam tantum aliquam partem cedit pauperibus, ſin ſepararit, duas.*

Duo Minora Synedria ut dictum eſt, conveniebant a precibus matutinis ad finem uſque horæ ſextæ, altiori paulo temporis impendio egebat ſummus iſte Senatus. Quippe congregabatur a ſacrificio jugi matutino, uſque ad idem ſacrificium veſpertinum. *Maim. Hilch. Scinh. init. c.* III. *Schick. l. c.* quorum illud mactabatur *diluculo*, (*Maſſ. Thamid. c.* III. §. I. *Num.* XXVIII. 2. vid. etiam ex *dicto tract. Thalmud. ſupra in fin. Poſ.* III.) h. e. mane ante Solis ortum: hoc

vero בין הערבים *Inter duas veſperas. Num. l. c.* h. eſt. hora octava & dimidia, quo ipſo tempore ſol pergebat ad occaſum, atque cum diei tempore pomeridiano, jam ferme elapſo, ac ſolis *occiduo*, duas quaſi efficiebat veſperas. *Tract. Peſach. cap.* v. §. א. *Vid. Rabb. D. K. & Buxt. Lex, in* ערב. *Coch. annot. ad Exe. Gem. Thalm. Sanh. c.* x. *Exe.* I. *n.* I. *p.* 298. Sciendum tamen, tum in hoc, tum in præcedenti loco, intelligi horas non *æquales*, quæ perpetuo ejuſdem erant quantitatis, & per æquinoctialis circuli regularem & æquabilem motum diſtinguebantur; ſed *inæquales*, quorum quantitas cum incremento & decremento dierum, modo augebatur, modo minuebatur. De quibus *Gloſ. ad Maim. Hilchoſ. Kidd. Chod. cap.* VI., §. 2. השעות על שני פני שעות שוות ושעות עקומות ויקראו זמניות השעות השוות ישתנה מנינם ולא ישתנה שיורם והשעות הזמניות בהפך לא ישתנה מנינם אלא ביום או בלילה יב֗ שעות לא פחות ולא יותר אבל שיורם משתנה i. e. *duplices numerantur horæ*, æquales & inæquales, *qua &* זמניות i. e. temporales h. e. *quæ ſe quantitati diurni, vel nocturni temporis accommodant, dictæ ſunt, horarum æqualium numerus quidem mutatur, verum non quantitas; ſicut econtra inæqualium non numerus ſed quantitas mutatur: ſunt enim & manent tum de die tum de nocte* XII. *horæ, eæque nec plures, nec pauciores, id quod in æqualibus non evenit*. Itaque duo Synedria minora, ordinarie ſex integras horas judiciis habendis impendebant. Scilicet conveniebant a prima diei hora uſque ad ſextam, quam noſtro reſpondiſſe meridiei, ex eo ſequitur שבחמש חמה במזרח ובשבעה חמה במערב: *quod quinta Sol, illis in regionibus, verſus orientem, ſeptima autem occidentem verſus ſitus eſt:* ut dicitur *in Maſſ. Sanh. c.* v. §. ג. Summum vero, itidem a prima uſque ad IX. fere diei horam, quæ noſtræ reſpondebat tertiæ pomeridianæ. Hoc ipſo quoque tempore, nempe a primo ſtatim mane, ætate Chriſti congregatos legimus ſeniores populi, ſacerdotes, ac ſcribas, de Salvatore morti tradendo conſultabundos *Matth.* XXVII. I. *Marc.* XV., I. *Luc.* XXII. *66.* parum vel de ſua lege, vel avitis ſollicitos ritibus; quorum extremam malitiam ac infernalem furorem, quo minus ſanguineam de Salvatore non reſtinguerent ſitim, nec inviolabilis feſti ac Sabbathi reverentia, nec ſuſpicienda ac omnibus ſeculis infracta ferme patriorum ſcitorum, ab inaudito ſcelere compeſcuit, autoritas.

POSITIO V.

Maimonidis *de* perſoſſorio, *de quo Exod.* XXII. 12. *judicium. Tres perſonæ ad judicium requiruntur neceſſariæ. Judicum varia apud Hebræos Etyma.* Sacerdotium, τεκμήριον γένυς λαμπρότητος.

כהן Arab. Interpreti شريف *Nobilis.*

Locus Job. X. v. 34. 35. 36. *perpenditur. Singulare Scripturæ N. T. in allegandis V. T. locis compendium. Qui a judiciis arceri olim potuerint?* Poſteri *ex familia* Eli *Pontificis.* Rex *in Synedrium magnum non admiſſus. Perſonarum apud Judæos notabilis olim differentia.* Hhallilæi *qui? Quilibet ad pecuniaria judicia admiſſus.* הדיוטות *qui? certum quendam perſonarum delectum poſcebant cauſæ de* rapina *&* læſione. *Inferiorum, dictæ differentiæ, perſonarum, in dicaſteriis* παῤῥησία *ac libertas. Sacerdotum connubia: it. cum Iſraelitide connubium contrahere qui potuerint? Summum Synedrium ſolos admittebat* Sacerdotes, Levitas, & Iſraelitas. *Illorum non rerum tantum ſacrarum verum etiam civilium cura.* Sacerdotum *nomine & ſeniorum &c.* LXXI. Iſraelis Seniores *innuuntur.* Sacerdotes *nonnunquam idem quod,* Summi Sacerdotes; *&* Levitæ *idem quod* Sacerdotes Aaronitici, *decimandi olim inter ſacerdotes ratio. Iſraelitæ ſpectatiores ſeu nobiliores qui olim æſtimati fuerint. Qui item idonei ſacerdoti filiam collocare. Judices proſapiandi ac connotandi mos. Parentum merita. Maimonidis de ſummo pontifice, quatenus iſte ad ſummum Synedrium admiſſus ſit, ſententia examinatur. Rara Pontificum tempore templi ſecundi eruditio. Certam quandam pecuniæ ſummam, quotannis Regibus pendere tenebantur. Quæ ab illis tempore templi primi requiri ſolita fuerint. Conſilii iſtius magni præſides creduntur. Ardua in judicibus ſummi Synedrii requiſita.* Interpres ad latus, *ſummum Rabbinatus inſigne.*

Legitime in propria cauſa jus nemo dicebat, multo minus ſibi ipſi vindictam ipſe ſumebat, ſed quiſque ſuum judicem, ſive is ab illo alium in jus vocari, ſibique ab ipſo dari hoc contenderit, ſive propoſitis exceptionibus ac argumentis, contra alius vim ac accuſationem ſeſe defenderit, adibat. *Vid. Rheing. de Reg. Eccl. & ſecul. L.* II. *Claſſ.* II. *c.* XIII. *p. m.* 434. *n.* 8. *&* 9. Quapropter & *Maim.* perſoſſorium, de quo legimus

gimus *Exod.* xxii. 1. 2. Si qui noctu in alienam domum irruperit, & teſtes haberi non potuerint, non occidendum, ſed ſuo reſervandum ac ſiſtendum contendit judici. *Coch. annot. ad Maſſ. Sanb. c.* viii. §. vi. *num.* 3. *p.* 69. Patet hinc, omne judicium plerumque tribus conſtare perſonis: *Judice*, nimirum, *actore*, & *reo*; niſi quandoque; judex egerit ex officio, per viam inquiſitionis ſuper delicto notorio ac manifeſto. *Rheing. l. c.* Hoc Judæorum Magiſtratus quam maxime patrabant per ſuos miniſtros, quos שוטרים vocabant. His enim utebantur, ut per plateas ac tabernas circumirent, menſuras ac pondera obſervarent, & ſi quid pravi aut impii offendiſſent, ipſis deferrent, qui demum illud, pro rei judicabant qualitate. *Hal. Sanb. Initio cap.* 1. שוטרים אלו בעלי מקל ורוצח והם עומרין לפני הדיינו׳ המסבבים בשוקים עיר ועל החנויות לתקן השערים והמרים ולהכות כל מעוות וכל מעשיהם על פי הדיינים וכל שיראו בו עוות דבר מביאין אותו לב׳ד ודנין כפי רשעו: quæ, cum facilia ſint, explicatione non indigere arbitror. *Vid. interim quæ de ipſis infr. Poſ.* viii.

II. Quod itaque ad judices, ut de *baſi ac fundamento judiciorum* (Ita ipſos appellirat *Vand. de nullit. Rubr. ex def. Juriſd.*) ordiamur; varia ipſi, tum in S. paginis, tum in cæteris Hebræorum monumentis ſortiti ſunt Etyma, vel enim dictos invenimus *ab officio*, *quod exercebant*: quod, cum olim non tantum fuerit, defendere ſc. vindicare bonos, punire ac condemnare ſontes ac injuſtos, verum etiam, ut ſupra *Poſ.* 1. demonſtratum eſt, parentum inſtar, ac Doctorum, ſubditos, non aliter ac filios ſuos & diſcipulos, inſtruere, docere, informare, itaque nunc vocabantur דיינים, nunc שופטים, h. eſt, ut *uterque Moſes Cozenſis & Ægyptius ad Deut.* xvi. 18. explicant: הפוסקים הדין *ii*, *qui pronuntiabant ſententiam deciſoriam*: nunc, ab *Ezræ* temporibus & exemplo. סופרים *Scribæ: Vid. Jac. Alting. Rep. Schol. Hebr. p.* 111. & *quæ de Scriba Nachum* ſupra *Poſ.* IV. *ex Maſſ. Peah. cap.* ii. §. 6. nunc אבים *Patres*; vel quod non inepte cum *Xenophonte* de magiſtratibus loquente *d. Inſtit. Cyr. L.* viii. dixeris, *Patres Patriæ: Vid. Geneſ.* xlv. 8. *R. D. Kimchi in* ספר שרשים *Rad.* אב *fol. cap. modo* רבים רבנים i. e. *Magiſtri & Doctores: Dan.* ii. *vid. etiam Alting. loc. cit. Maim. apud*, *Selden. L. d. Syn. Vet. Hebr. cap.* xiv. *p.* 553. *& ea*, *quæ infra de ritu initiandi ac creandi judices. Poſ.* vi.

III. Vel quoque etiam appellabantur *ab ætate & Sapientia*: atque ita vocabantur זקנים, h. eſt *Seniores*, ſcil. ii, qui ſapientia & doctrina & dignitate: antecellerent: quod nomen, ſicut in Ægypto videtur natum, ita quoque poſtmodum uſurpatum conſtantiſſime eſt. *Jarch. in Exod.* iii. 16. *Num.* xi. 16. 1. *Reg.* viii. 1. 3. *Pſ.* cv. 22. [ad quem locum vide *Targum*] *Ezr.* x. *v.* 8. Confer. *Act.* iv. 8. *Hott. Theſ. Phil. L.* 1. *c.* iii. & iii. *p.* 308. *Alting. l. c. p.* 90. *Seld. de Synedr. Vet. Hebr. c.* xiv. *p.* 547. 548. *ſs. & ad l. Lev.* xix. 32. *Num.* xi. 16. xxiv. 25. *p.* 554. *& ſs.* mox, cum priſcis illis Sapientibus, qui *Philoſophi*, dici maluere, quam *Sophi* תלמידי חכמים *Sapientia Studioſi: Vid. R. Maim.* הלכות עדות *c.* v. *hinc*, *inde*, *cap.* vi. §. 2. *& omnino L' Empereur*, *ad Itin. Benj.* ſive eo etiam nomine, quo *Arabes* judices ſuos imprimis inſignire ſolebant, dicebanturque חכמים *Sapientes Vid. Eſdr.* 1. 14. *alting.* 1. *cap. p.* 91. *& Seld. loc. c. & quod ad Amb. Matth.* xii. 15.

IV. Vel *ab Excellentia ſæpe & dignitate*, *quæ illis adſcribebatur haud exigua*: qua ratione vocabantur שרים *Principes*: ii. *Paral.* xxxii. 3. נשיאים *Prælati*: *Exod.* xxii. 28. ראשי העם *Capita populi*: *Num.* xxv. 4. ubi, quos Moſes modo appellavit ראשי העם, mox vocat שפטי ישראל אצילי העם *optimates*: *Exod.* xxiv. 11. קריאי מועד *vocati cœtus*: *Num.* xvi. 2. בעלי אסופנת *Domini congregationis*: *Eccl.* xii. 17. Et cum Sacerdotalis dignitas, non infima apud ipſos reputabatur, immo illud ipſum erat quod τεκμήριον γένους λαμπρότητος eſſe, (ut inquit *Joſeph. initio vitæ ſuæ*,) & nobilitare poterat, nonnunquam judices vocabantur כהנים *Sacerdotes*, *Sebaſt. Munſt. ad. Exod.* ii. 16. *Schindl. L. P. in voc.* כהן. *Bez. in Cap.* v. *Luc. p. m.* 244. *b.* 5. *Fag. ad Exod.* ii. *v. c.* quo ipſo in loco Arabicam verſionem, pro hac voce notanter ſubſtituere ſuam شريف *excelſum*, *nobilem*; præ cæteris obſervavit *Hott. Theſ. Phil. L.* 1. *c.* iii. S. ii. *p.* 272. Tandem etiam non ſemel quoque ſublimi *Dei* honorabantur nomine, vocabanturque אלהים Dii. Huc illud trahendum *R. Joſ. Lev. in Olam. Tract.* 1. *c.* iii. אין אלהים אלא מימחה והסמוך, *non eſt ullus magiſtratus*, *niſi qui* χειροθεσίᾳ *initiatus*, *vel cum hac ſimul in magiſtrum ſeu Doctorem promotus fuerit*. Id quod & in SS. infrequens non eſt, utpote *Exod.* xxi. 6. xxii. 8. ii. *Part.* xxv. 3. *Pſ.* lxxxii. 1. 6. *conſul. R. David. Kim. ad Exod.* xxii. *l. c. &* ii. *Par. l. c.* nonnunquam, quod eodem recurrit, בני אלהים *filii altiſſimi*, ut *Pſal.*

c. v. c. cui non abſimile etymon, opportune Sacrificulo illi ac Eccleſiæ Antiſtiti, Galliæ Ducem d' Orleans, Lugdunum intrare parantem, bonis verbis excipienti, ſubvenit; cum ipſum appellabat Jovis Filium. Cujus rei ordinem ac eventum narrat Auctor *Hiſt. Heinr.* IV. *Lib.* II. *p.* 427. *Edit. Leyd.* II. (Le Duc d' Orleans) prit la poste à Lyon juſques à Roüane. De là deſcendit par battcaux à Orleans, & faillit à ſe perdre vers le Pont de Gien. Le Roi lui envoya le Dùc de Nemour pour le recevoir. La ville lui fit des harangues belles & reſpectueuſes. L' un des Orateurs accommoda judicieuſement ſont diſcours à ce qui ſe lit de l' entrèe d' Alexandre au Temple de Juppiter Hammon. Le grand Preſtre le voulant ſalver en paroles plus expreſſes & conformes à ſon affection, l'appella ò pai Dios, ò fils de Juppiter, penſent dire, ò Paidion qui ſignifie cher fils. Ceſtu cici diſoit au Duc que la langue fourcha un peu à ce Payen en parlant Grec qui n'eſtoit pas ſon langage naturel mais que ſens fourchement de langue on le pouvoit appeller fils de Dieu, parce que l' Eſcriture ſaincte appelle les princes enfans de treſ-haut, & encore Roi & Pere de la Patrie pour eſtre iſſu de la fille du grand Roi du Franſois. Illud ipſum eſt, quod dulciſſimus mundi Salvator *Joh.* x. 34. 35. 36. innuit. Ubi non tam ad Judæorum animis, cœcam incredulitatem, ac ſpontaneam ignorantiam improbandam, quam eripiendam, hæc ipſa verba modo allegata ex *Pſ. d.* אלהים אתם, ſ. ut Græcus textus habet, θεοὶ ἐςε, adducit: utpote quorum perverſa mentis acies, ac obſtinatum in Deum ac ſuos miniſtros odium, tantum concedere non poterat, ut, cum Scriptura V. T. (id quod optime calluerant,) mortales potentias, ac terreſtres magiſtratus, *Deos* appellitet, ac *filios altiſſimi*, eum, qui ipſe ab æterno Patre ab æterno exiverat, & quem æternus Pater innumeris divinæ virtutis operibus clarificaverat, præ iſtis optimo ac meliore jure appellari poſſe *Deum*, *ac filium altiſſimi*, ſibi perſuaderent. Videtur enim ipſa veritas non tantum ad hæc ipſa ſolum verba, quæ in Textu N. T. extant, habuiſſe reſpectum, verum etiam ſequentia illa in text. V. T. בני עליון כלכ׳, pariter ſubintelligi, plane voluiſſe. Quapropter & *v. c.* 36. cauſam, cur ipſum blaſphemiæ reum efficere voluerint, hanc dictitat: Quod ſe *Dei* dixerit *filium*, quod cum filio altiſſimi idem, ac plane Synonymum eſſe, quis non intelligit? Atque hoc notabili compendio uti ſolet N. T. Author Sp. S. in allegandis V. Inſtr. locis, ut, ſi quæ præ cæteris familiaria ac magis in vulgus nota, ea quandoque proferat non integra, lectorum interim ac auditorum animos ad ipſos remittens fontes, quo accuratiore ſpeculatione iſtos teneat ſuſpenſos. *Confer. loc. Matth.* v. 38. *Exod.* XXI. 24. *Lev.* XXIV. 20. *Deut.* XIX. 21. *Joh.* XIII. 19. *Pſ.* XLI. 10. *Rom.* X. 21. *Eſ.* LXV. 2. *Rom.* XV. 12. *Eſ.* XI. 10. I. *Cor.* XV. 55. *Oſ.* XIII. 14. *de.* Et forte etiam *Matth.* IV. 6. *Pſ.* XCI. II. Quamvis verba iſta ex *Pſ.* all. omiſſa, infernali potius Tentatoris verſutiæ, quam contractæ ſanctiſſimi Evangeliſtæ Styli brevitati, adſcribenda videantur. Iſta tamen in ſuis evangeliis, ad ſuam revocant ſedem, *Hebraicus ac Æthiopicus* interpres, adduntque iſtud לשמרך בכל דרכיך, vel quod forte Æthiopicus juxta verſionem *Potkenii* ከመ፡ ይዕቀቡከ፡ በኵሉ፡ ፍናዊከ፡፡ *ut cuſtodiant te in omnibus viis (egreſſibus, inceſſibus, emiſſionibus, legationibus,) tuis, Vid. Lud. de Dieu, App. in Matth. l. c. p.* 511.

V. Voluit autem SS. Magiſtratus ac judices, ſublimibus his ac illuſtribus inſignire titulis, ut & ipſi & ſubditi meminerint, magiſtratus his in terris, non tantum loco *Dei*, adeoque aliorum Dominos ac Deos quaſi eſſe, verum etiam ſuam, qua funguntur, poteſtatem ac officium, ab ipſo ipſis concreditam mundi Domino. Quapropter nec hi, ſua vel nimis aut parum utantur poteſtate, ſed ſemper præ oculis habeant את מי הן דנין ולפני מי הן דנון ומי עתיד לפרע מהן: *quem & coram quo judicent, & quis vindicaturus ſit*, ſicut ab iiſdem exigitur, *Gem. Sanhedr. c.* I. ac juxta monitum ejuſdem *Gemaræ*: לעולם יראה דיין עצמו כאלו חרב מונחת לו בין ירכותיו וגהנם פתוח׳ לו מתחתיו: *perpetuo cogitent, quaſi gladius eſſet inſertus lumbis eorum, & ſubter ipſos infernus apertus*, nec illi etiam, hos vilipendant, & contemnant, ſed ut Deum ipſum venerentur ac reſpiciant, ac perpetuo iſtud Arabum in ipſorum auribus reſonare jubeant: ظل السلطان كظل الله *Umbra imperatoris ac magiſtratuum, ut umbra Dei.*

VI. Et hoc ipſum eſt, cur veneranda olim antiquitas, hanc dignitatem, hunc honorem, cuivis patere noluerit, ſed certis eam, illam præſertim, qua ſummum gaudebat Synedrium, circumſcripſerit legibus, requiſitis certis, queis ſine intra hujus ſe conferre limites liceret nemini. Hinc non tantum certas quaſdam ac invio-

violabiles, de certis ac ad tale officium idoneis personis perscripsit regulas, verum etiam certas quasdam ac pias insuper addit ceremonias ac ritus, quibus recte illa peteretur, & susciperetur devote.

VII. Quales ab initio & quidem ante captivitatem Babylonicam, ad judicia, minora ptæsertim, electæ fuerint personæ, vix definire licet; nisi iis insistamus, quæ in judicibus requisivisse summum Mosen, mox dicemus. Interim multa hinc inde largiuntur Judæi, quæ vel ad reprobationem, vel electionem judicum requiri olim solita fuisse, jactitant: quæ tamen ut plurimum non nisi ad tempora templi secundi pertinere, ex iis, quæ infra ex illorum scriptis proferemus, manifeste satis patebit. In genere arcebantur: Eunuchi, illiberales, crudeles, immites, fæmina, ambobus oculis capti, (qui alterutro, ad pecuniaria admittebantur;) pastores, publicani, convicti, quod plus stato exegerint; & ut videtur, a consilio majori, nimia ætate confecti, patre & matre gentiles exterive, ac ἄτεκνοι *Vid. Fag. ad Deuter.* XV. *Maim. Hal. Sanh. c.* II. *Coch. ad Mass. Sanh. c.* I. *n.* 32. *p.* 18. *c.* IV. *not.* 10. *p.* 36. *Exc. Gen. Sanh. c.* III. *Exc.* III. *n.* 2. *p.* 195. *c.* VII. *Exc.* V. *n.* 2. *p.* 269. *Petr. Cun. L.* I. *d. Rep. Hebr. c.* XII. *p.* 99. *Seld. de Syned. Vet. Hebr. L.* I. *c.* XIV. *p.* 546. His nonnulli addunt *posteros ex familia Eli Pontificis;* moti Prophetico illo, quod legimus I. Sam. II. 32. לא יהיה זקן בביתך *non erit senior in domo tua:* per quem judicem, non additum intelligi oportere, contendunt in *Gem. Sanh. cap.* I. *Exe. juxt. Coch.* XV. Exemplo adducunt *R. Chanina* & *Rab. Hoschaja*, quos, cum *R. Juchannan.* promovere ad magistralem s. judiciariam dignitatem laborasset, hanc ipsam ob caussam rejectaneos factos esse, referunt *ibi.* Verum, ex parte reclamare videtur, id, quod Zemach David refert *P.* I. *p.* 44. nempe ipsum hunc *Chanina*, *a R. Juda Sancto* Synedriali magno, (si vel tunc temporis, ex mente Judæorum, id ita licuerit appellare:) in *Bethsearim*, *Tiberiade*, *& Zephoria*, ac Academiæ in terra Israel Rectore, in ipsius dignitatis constitutum fuisse successorem; ipsumque post obitum illius, qui incidit in annum Christi 230. istam occupasse, immo quod hunc ipsius *Juchananis* Thalm. Hierosol. Auctoris, antecessorem fuisse, affirmat. *Heinr. Hott. Hist. Eccl. P.* I. *c.* II. *S.* III. *p.* 71. *c.* III. *S.* III. *pag.* 130. Vide *&*, *quæ de R. Schemuele Jarchinæo*, singulari Embolismorum notitia claro, & R. Juhudæ S. medico, itidem ex tribu Eli oriundo, referuntur, *l. c. p.* 129. Memorabile illud est, quod de Ebræorum regibus refert *Maim. Hal. Sanh. cap.* II. nec ipsos etiam, in magni Synedrii senatorum numerum, fuisse receptos. Scilicet tanta præter alia regis reverentia, & tantus apud priscos illos justitiæ amor, ut cum res universæ, votis ac suffragiis in utramque partem libratis agebantur, ac decidebantur, verendam regis majestatem, penitus potius excludendam, quam ipsi contradicendum, aut præter æquitatem forte assentiendum putaverint. Quod docet *Rambam l. c.* his verbis. אין מושיבין מלך ישראל בסנהדרין שאסור לחלק עליו ולמרות דברו: i. e. *non concedunt regem Israel assidere magno consilie, quia vetitum est ab ipso dissentire, ipsiusque contradicere verbis Vid. Schick. Jur. Reg. c.* I. *Theor.* II. *p.* 10.

VIII. Cæterum sex personarum genera, gradu invicem, dignitate, ac existimatione differentia; recenset *Mischna Mass. Horaj. cap.* III. §. ח. כהן קורם ללוי לוי לנשראל ישראל לממזר וממזר לנתין ונתין לגר גר לעבד משוחרר: i. e. *major est Sacerdos Levita Israelita, Israelita Mamsero, Mamser Nethinæo, Nethinæus peregrino, peregrinus servo manumisso.* Quæ hic contractius ac generalius, fusius ac specialius enarat ista alio loco, in *Massec. Kiddusckim c.* IV. §. I. עשרה יוחסין עלו מבבל כהני לויי ישראלי חללי גירי וחרורי ממזרי כתיני שתוקי ואסופי: i. e. *decem hominum genera ascendere ex Babel. Sacerdotes, Levitæ, Israelitæ, Hballilæi, peregrini, Mamseri, Nethinæi, & Spurii;* (h. est ut pergit *Mischna* §. *seq.* II. שהיא מכיר את אמו ואינו מכיר את אביו:, *quibus quidem constabat de matre, non ita vero de patre,*) *& expositii:* h. e. ut eadem explicat, l. c. כל שנאסף מן השוק ואינו מכיר לא אביו ולא אמו: *ii omnes, quibus in foro repertis ac expositis, neque de patre constabat, neque de matre,* scil. quos ibi forte per גר & ממזר intelligi velit, hic exponit: nempe per illud simul comprehendit חרורי h. est ut R. Obad. Bartenurensis instruit עבדים משחררים: *servos libertate donatos:* per hoc vero, natu non tam sacro (ut ita loqui liceat) suspectos, quam profano, ac de hoc quidem שתוקי ואסופי *spurios ac expostitios:* de isto vero חללי *Hballilæos*, de quibus, antequam pedem ulterius moveamus, qui proprie ita dicantur, monendum est, id nobis iterum explicat *Mibbartenum*: חללי כהנים שנולדו מן הפסולים לכהנה: *Hballilæi sunt ex genere sacerdotum, quidque nati sunt ex tali, quæ cum Sacerdote rite contrahere connu-*

nubium non poterat, quæ tales æſtimatæ fuerint, ſuppeditat *Maſſ. Jebhamoſ. c.* II. §. 4. איסור קרושה אלמנה לכהן גרול גרושה וחלוצה לכהן הריוט: i. e. *cum vidua ſponſalia Sacerdoti magno contrahere non licet, neque cum expulſa, & iſta, quæ calceum detraxit Leviro*, (quam Scribas expulſæ æquiparare, *vid. apud Joh. Coeb. not. ad Maſſ. Maccoth. c.* I. §. I. *p.* 96.) *Sacerdoti communi*, ut ita Hhallilæi fuerint, qui nati fuerant ex אלמנה לכג̈ חללה גרושה וזונה לכהן הריוט: *Vidua juncta Sacerdoti magno, Hhallilæa, expulſa ſ. repudiata, & proſtibulo ſ. vitiata, quæ juncta erat Sacerdoti communi*, iterum manuducente *R. Ob. de Barten. ad l. Kidd. cit.* Vid. etiam *Lev.* XXI. 7. 13. *Ezech.* XLIV. 22.

IX. Videntur autem, ex his modo recenſitis perſonarum generibus nullum ferme iſta tempeſtate, a judiciaria ac Politica fuiſſe ſecluſum dignitate, ſed ex quibuslibet dictorum generum ordinibus, certa quædam nonnunquam electa, ac ad Hebræorum tribunalia tracta eſſe ſubjecta: licet alio diſcrimine ac reſpectu ad ſummum, alio ad media, alio ad minora & infima, h. e. mulctatitia ac pecuniaria dicaſteria. Ad hæc (utpote, quæ ſæpius quoſdam, non ut judices, ſed potius, ut rei teſtes, expetierint,) omnes olim fuiſſe admiſſos, niſi forte, vel ſuperiores ac nobiliores rerum ac cauſarum, quæ in hiſce judiciis quandoque eveniebat, vilitas, vel inferiores paſtoratus rejecerit, ac telonium, vel utroſque ſuſpecta vita, vel rara ac humilis eruditio & prudentia ſemoverit: dubitare prohibet illud quod expreſſe pronuntiat *Miſchn. Sanh. cap.* IV. §. 2. הכל כשרין לרון ריני ממונות: i. e. *quilibet de judiciis pecuniariis judicare poteſt*. h. e. ut exponit *Ramban apud Jom. Tobb. in Toſ. ad l. c.* ואפילו גר והוא שתהא אמו מישראל & paucis interjectis: וממזר נמי כשר לרון ר̈מ: i. e. *omnis idoneus ad tractandum judicia pecuniaria, etiam peregrinus, & qui matre natus eſt Iſraelitide, it: & Mamſer etiam non arcetur a cauſis pecuniariis*. His addit *Coch. ad c.* III. *Maſſ. Sanh. n.* I. *p.* 27. יושבי קרנות, homines ἀργοὺς καὶ ἀπράκτους, & הריוטות h. e. ut explicat Aruch. נקלה וטפל אנשים *homines viles & abjectos: vel ut deſcribit R. Juchannan, apud Mibbart. ad Maſſ. Sanh. cap.* III. §. I. שאין יורעים רין תורה אלא שהרגלו לרון: *illos, qui ſibi judicandi quandam dexteritatem, non ex eruditione & legis ſtudio, ſed cum ſæpius judiciis interfuerint, ex diuturna acquiſivere conſuetudine*, quos quidem, non niſi in caſu neceſſitatis ad talia judicia tractos fuiſſe teſtatur *R. Obad. de Bartenura ad Maſſ. Sanh. c.* I. §. I. ne ſcil. illis, qui pecuniam mutuo ſumere vellent, defectu τῶν מומחין δοκίμων intercluderetur aditus: ולא אצריכו רבנן לג׳ מומחין שלא תנעול רלת בפני לוין שמא יכפור הלוה ולא ימצא מומחין לכופו לרין אלא או יחיר מומחה או ג׳ הריוטות אבל גזלות וחבלות בשלשה מומחין: *neque de neceſſitate eſt*, inquit, *ut ſemper in talibus judiciis adhibeantur tres* מומחין, *ne illis qui forte pecuniam mutuo ſumere vellent, omnis præcidatur anſa. Quod ſi forte debitor neget debitum, & non haberi poſſint tres* מומחין *ad conſtituendum judicium; ſufficit, ſ. unus ex* מומחין *cauſam componat, ſive tres* הריוטות *cauſæ vero de rapina & læſione, poſtulant tres* δοκίμους *ſ.* מומחין. Et cur hiſce infima iſta in populo Iſraelitico inviderem judiciorum ſubſellia, quibus tamen, his longe majora tribuant autoritatis munera Thalmudici Doctores, nec enim leve pondus addere videntur ea, quæ legimus *in Thalm. Horaj. c. I.* §. ר. הורו בירה בין וירע אח׳ מהן שטעו ואמר להן טועים אתם או שלא היה מופלא של בירה רין שם או שהיה אחר מהן גר או ממזר או נתין או זקן שלא ראה לו בנים הרי אלו פטור׳: i. e. *Quod ſi conſiſtorium quoddam quid promalget, & intelligat quidam ex ipſis, quod iſtud errore teneatur, & dicit illis: erratis vos; ſ. iſte non fuerit maximus inter judices illius conſiſtorii, ſ.* ראש הישיבה; *ſ. fuerit unus ex illorum medio: ſ. peregrinus, ſ. Mamſer, ſ. Nethinæus, ſ. ſenex cui non ſunt liberi; ecce iſti ab omni culpa liberi evadunt*. Scilicet, cum judiciaria dignitate, ſapientiæ etiam ac eruditionis quendam gradum, tacite illis tribuit iſtud, & majora etiam Synedria, ſi quando erraſint, in errore placide reprehendere, poteſtatem facit. Id quod alias תלמידי חכמים: ſ. *Sapientiæ Studioſis* in Magiſtros ſuos licitum fuiſſe, demonſtrat *Coch. Exc. Gem. Thalm. Sanh. c.* I. *Exe.* III. & VI. *& not ad hunc* I. *p.* 140. ad quem tamen ſapientiæ & honoris gradum, aliquem ipſis aditum ſpondere, proindeque portam ad pecuniariæ Aſtreæ atria iterum aperire, videtur *iterum Miſchna. Horaj* primo limine citata. §. *cap.* cum, cum, אמתי בזמן שכלן שוין quando inter dictas l. c. perſonas, reſpectus mutatio quædam intercedere, & una alterius vices & dignitatem quaſi ſubire poſſit, quærenti, ita reſpondet: אבל אם היה ממזר תלמיד חכם וכג׳ עם הארץ ממזר ת״ח קרם לכג׳ ע״ה: *cum fuerit Mamſer* (idem pronuncies de reliquis perſonarum ordinibus.) *Sapientiæ Studioſus, & Sacerdos ſummus Idiotæ inſtar ac ultimæ ſortis homi-*

minum; *Mamser*, *qui fuerit Studiosus sapientiæ*, *major erit summo isto sacerdote*, quod tamen ad tempora templi secundi (id quod de ante dictis supra quoque subinnuimus) recte restringit *ad l. c. Jom. Tobb.* ut pote, quibus Sacerdotis summi Sapientia tanta non extiterit, quanta quidem olim in ipso requiri solita fuerit, ceu ex infra dicendis pluribus patebit.

X. De pecuniariis jam dictum est. Ad h. e. דיני קנסות s. *mulctatitia*, licet istos omnes admissos in genere ita non dixerim, omnes tamen illos ex iis affirmem receptos, qui cum Israelitis eadem ara & foco, i. e. eadem religione, eodemque civitatis jure gaudere datum erat, h. e. qui admittebantur ad Judæorum religionem, conjugia, officia publica, & quæcunque commercia alia, quorum possessionem & administrationem, sicut Israelitæ sibi vindicabant propriam: ita pia etiam dispensatione *in Hballilæos*, *peregrinos*, *&* *servos* redundabat *manumissos*, quorum posteri, utpote, *qui matre sati esse poterant Israelitide*, etiam ad summi Synedrii trahi poterant palatia. *Petr. Cun. L.* I. *de Rep. Hebr. c.* XII. *p.* 99. talia autem inter hos & illos intercessisse necessitudinum vincula, manifeste tradit *Mischna*, *Kidd. c.* IV. §. *c.* לויי ישראלי חללי גורי וחרורי מותרים לבא זה בזה: i. e. *Levitæ*, *Israelitæ*, *Hballilæi*, *peregrini*, *&* *servi manumissi poterant convenire* בקהל) (זה בקהל וה *ad invicem*. h. e. ut explicat *Schindl. Lex. Pent. rad.* בוא *col.* 165. *A.* communi uti jure, eadem frui religione, contrahere connubia, & quæ hujuscemodi conversationis fructus dixeris alios, id certe quod reliquis non licebat. *Nethinæis n. illegitimis & spuriis*, ultra *perigrinorum* commercia ascendere non licebat, docente *Mass. Jebhamos. c.* II. §. 4. *& Kidd. l. c.*

XI. Quod ad majora Synedria, & quod, in hisce de electione ac reprobatione statutis ac consuetudinibus, cum istis conveniebat ferme, magnum Synedrium attinet: Sicut ista omnia, quæ in summi Synedrii judicibus, ceu absoluta & necessaria requisita, priscos illos requisivisse justitiæ antistites, mox dicemus; summa omnia erant, ac ardua virtutum specimina, ita ad istum honorum apicem, non nisi ardui ascendebant animi, ingenia summa. Atque ab initio quidem & ante secessionem decem tribuum, (licet *Andr. Riv. Pict. in Isag. ad SS. p.* 127. id continuatum usque ad captivitatem Babylonicam, dicere satagat) ex singulis tribubus præclarissimi quique, in horum senatorum tracti fuere ordinem. Posterioribus temporibus ac succedentibus seculis, ad exemplum *Josaphati* II. *Par.* XIX. 8. Sacerdotes tantum, Levitæ & Israelitæ nobiliores, id quod etiam inculcat *Mass. Sanh. c.* IV. §. 2. אין הכל כשרין לדון דיני נפשות אלא כהנים לויים וישראלים המשיאין לכהנה: i. e. *non cuilibet liber licitum est judicare capitalia*, *nisi Sacerdotibus*, *Levitis*, *&* *Israelitis*, *qui filiam sacerdoti collocare poterant*, vel, ut expressius *Fag. Targ. ad Deut.* I. 13. אין מושובין בסנהדרין הגדולה אלא כהנים לויים וישראלים הראוים להשיא לכהנוה: i. e. *non cooptant in Synedrium magnum*, *nisi Sacerdotes*, *Levitas*, *&* *Israelitas*, *qui digni reputabantur*, *ut filiam sacerdoti desponsare possent*. Atque illi quidem, Sacerdotes nempe, præcipue ac primario, ut pote ad quos non rerum tantum sacrarum, verum civilium etiam pertinuerit cura, ac Politicarum, docente præter alios *Flav. Jos.* κατὰ Απιώνος λογ. β. *p. m. Edit. Basil.* 974. τὸ τοῖς (sc. ἱεροῖς) δ' ἦν τῆ νόμȣ καὶ τῶν ἄλλων ἐπιτηδευμάτων, ἀκριβὴς ἐπιμελεία, καὶ γὰρ ἐπόπται πάντων, καὶ δικασαὶ τῶν ἀμφισβητȣμένων, καὶ κολωσαι τῶν κατεγνωσμένων, οἱ ἱερεῖς ἐπαχθῆσαν. & *Phil. l. d. princ. constit.* ὅταν ȣ̈ν ἀμαυρὰν ποιῆται τὴν ἀντίληψιν τῶν πραγμάτων ἀσάφειαν, καὶ πολὺ σκότος ἀπεργαζομένων παραιτείσθω τὰς κρίσεις, καὶ ἀναπεμπέτω πρὸς ἀκριβεσέρȣς δικασάς: ȣ̈τοι δὲ τίνες ἂν εἶεν ἱερεῖς, καὶ ὁ τῶν ἱερῶν ἔξαρχος ἡγεμών. Ita Sacerdotes primo illo Synedrio, cui tum Moses præerat, cum hominem Sabbato ligna colligentem, coram sisterent, assedisse, testatur *Philo Lib.* III. *de vita Mos. p. m. Edit. Adr. Turn.* 134. 40. pari modo, quo apud gentiles olim cuncta sacerdotum regebantur, & consilio, & arbitrio, etiam quæ ad Politicum spectabant imperium. *Sicut de Æthiopibus Strabo Lib.* XVII. *de Ægyptiis*: *Ælian. Var. Hist. Lib.* XIV. 34. *de Persis eorumque* Magis: *Euseb. in Chron. Agathias L.* II. de Gallis eorumque Druidis: *Jul. Cæs. de bell. Gall.* de Romanis eorumque auguribus: *Cic. Brut. Lib.* II. *de leg. Turn. ad l. Phil. cit. p. m.* 143. 38. de Indis orientalibus eorumque Bohitiis *h. e.* Sacerdotibus: *Urban. Calvetonis & G. M. notis super Hist. India. orient. Tom.* I. *Hieron. Benzonis & Joann. Lerii Lib.* I. *p. m.* 33. *Vid. Corn. a Lap. ad loc. Deut.* XVII. 9. *p. m.* 928. *col.* 2. *C. Petr. Cun. Lib.* II. *de Rep. Hebr. c.* IX. *p. m.* 217. *Isaac. Caus. Exe.* XIII. *p. m.* 244.

XII. Illud tamen existimandum non est, id quod modo de Levitis diximus, ad totam tribum Levi, s. in genere ad omnes pertinuisse Levitas, horum enim major pars reliquis, per vices in templo ministrabant, eaque obibant officia, quæ igno-

ignobilioris erant operæ, quos ad hos pervenisse honores, nisi quosdam ex his in שוטרים s. ministros superiorum judicum, horumque sententiæ exsecutores admissos velis, s. in Collegium triumvirorum assumtos, mavelis, verisimile non est: Sed ad eos dumtaxat, qui eruditione ac doctrina cæteris anteibant, vel ut verius dicam suam progeniem ab Aarone deducebant Pontifice, solique sacerdotii gaudebant jure: atque ad illos præcipue, quos jam ante, propria elevaverat virtus ac dexteritas, quique stationum illarum (quarum Moses constituit octo, David XXIV. quasque omnes, usque ad totalem Hierosolymæ eversionem permansisse testis est *Josephus*.) principes ac capita constituti essent. Hos SS. hinc inde appellitat ראשי כהנים 1. *Par.* XXV. 4. *Neh.* XII. 7. כהנים ראשי אבות *Neh. c. cit. v.* 12. vel etiam ראשי מקדש *præfectos templi*, (quorum tamen diversum plane munus erat ab iis qui in N. T. vocantur στρατηγοὶ ἱερȣ̃: (Arabs الهيكل جند *cohortem s. exercitium templi vocat*.) 1. *Par.* XXIV. 4. quorum sane eruditio & Sapientia, utpote quæ in constituendis judicibus apprime attendebantur, ut cæteros superabat, ita præ cæteris hos sibi istam vindicasse dignitatem, nemo non fatebitur. Hanc ego causam arbitror quod nonnunquam, *Sacerdotum* idem veniat nomine *&* *judicum s. seniorum*, nonnunquam etiam *Sacerdotum*, *Levitarum*, *Capitum patrum* & similium *Deut.* XVII. 9. XXI. *c.* 6. eadem plane ratione, qua in novo T. per *principes Sacerdotum & scribas*, s. etiam per *principes Sacerdotum*, *scribas*, *&* *seniores populi* idem consessus innuitur ut patet *ex Matth.* II. 4. *Luc.* XXII. 66. & aliis locis plurimis. Hæc in transcursu leviter saltim attigisse sufficiat, immo hanc ipsam proclamo rationem, sub qua non tantum SS. verum etiam profani Scriptores *Josephus Phil. & alii* hac in negotio verba facientes, solium *sacerdotum* fecerint mentionem, ommisso *Levitarum* Patrocinio ut patet, ex *locis supr. all. Vid. Deut.* XIX. *Ezech.* XLIV. 24. atque ita non hic tantum, verum etiam multis aliis tam sacris, quam profanis locis, per *Sacerdotes*, summi, seu primores Sacerdotum; *Levitas* vero (stricte sumto Levitarum vocabulo) *Sacerdotes* intelligendi veniant, sicut labentibus seculis, & superante ambitionis pruritu, illi expresse τῶν ἀρχιερῶν, hi γραμματέων gaudebant titulo. Ita *Nehemias* quos modo vocavit *Sacerdotes c.* X. I. XII. I. mox vocat *capita Sacerdotum*, *c.* XII. 7. *& Sacerdotes capita Patrum d. c. v.* 12. (Sicut & indifferenter *Aaron*, *Eleasar*, *Esras unus ex* ἀρχιερῶν, modo sacerdotes, modo ἀρχιερεῖς appellantur.) Sic ille vocat *Levitas*, quos *Sacerdotes* rectius appellaveris. *c.* X. *v.* 38. Aderit autem *Sacerdos* filius Aaron cum *Levitis*, pro decimando cum Levitis, h. e. ut ipse & Levitæ accipiant decimas, de decimis Levitarum, per istos autem Levitas, intelligi sacerdotes Aaronitas, ex eo manifestum est, quod Levitæ ex suis decimis, quotannis decimam partem in alimoniam Sacerdotum pendere tenebantur. *Vid. Luc. Osiander. super Neh. c.* XII. *v.* 44. *p. m.* 424. *adi etiam* 1. *jam cit. confer Nic. d. Lyr. Gloss. ord. super. Esdr. c.* VIII. *de quibus tamen pluribus forsan cum DEO Disp.* III. *de interitu Judiciorum.*

XIII. Præter Sacerdotes & Levitas, Israelitas quoque admissos diximus: verum id demum factum, eum e Sacerdotum & Levitarum numero, non reperirentur, qui Magistralem hanc ornare potuerint spartam, sicque soli Sacerdotes & Levitæ totum constituerint consilium magnum, id quod nullo sæculo unquam accidisse observat. *Fag. Targ. ad Rom.* XVII. 8. Deinde non quivis admittebantur, sed מיוחסין h. e. *nobiliores* tantum & *spectabiliores*, s. מנוקין בצרק *mundi per justitiam*, & ii ישראילי להשא לכהנה qui, ut dictum est, *idonei æstimabantur sacerdoti filiam collocare*, quales reputabantur, שחוחוקי משוטרי הרבים ונבאי צרקה *quorum parentes probabantur esse ex* judicibus pecuniariis *s.* præfectis majoribus, ac *Eleemosynarum coactoribus*: quibus *R. Jose* addit מי שהיה חתום בערכי הישיבה של צבור: *illum qui in Catalogo nobilium virorum cœtus*, *reperiretur*, h. e. ut *R. Jom. Tobb.* animadvertit ex רשי, qui more recepto: היה כתוב בסררי הריינין *relatus & inscriptus esset in catalogo judicum ac nobilium istius loci*. Istud enim in more positum fuisse apud Hebræam gentem, refert ex *Jarchide Jom. Tobb.* שהיו רגילין לייהס את הראוים לרון שהיו מיוחסין וכותבין על הסרר פלוני פלוני מיוחסין הן שאין רגילין בני המקום למנות דינון מעירכה אלא מיוהס *quod diligenter notarint ac consignarint*, *qui digni reperirentur ad judiciariam ac magistralem dignitatem*, *quod essent prosapiati & ad judicia tractanda non idonei*, *hinc & in illorum matricula*, *nominatim connotatos ait: hic NN. hic. NN. prosapiati sunt: non enim alicujus loci cives costituisse judicem*, *qui judicet in isto loco*, *nisi prosapiatus*, *ac in catalogo judicum repertus fuerit*, huic adjungit *R. Jochannan ben Antigoni* illum שהיה מוכתב באס טרטיא של מלך *qui regiæ militiæ adscri-*

ſcriptus eſſet h. e. *itidem proſapiatus* שלא היו יוצאין למלחמה אלא מיוחסין שתהא נכותן וזכות אבותן מסייעתן *quia nulli legebantur ad militiam* (Regis) *niſi proſapiati, quod non tam merita ipſorum, quam Parentum ipſos adjutura, credebantur*, ut inquit *R. Mibbart. Vid. Maſs. Kidd. c.* IV. §. ה. Major itaque horum magni conſilii Senatorum numerus ſemper ex Levitis & Sacerdotibus conſtabat, quibus nonnunquam adjungebantur Prophetæ, (ſicut horum longam ſeriem narrat *Clar. Schick. d. jure regio c.* II.) nonnunquam etiam pontifices maximi, reliqua ex primatibus & nobilioribus populi Iſraelitici. Quod de Pontificibus maximis dictum eſt, liquet id. ex *Maſs.* 14. *Sab. c.* II. §. כהן גדול דן ודנין אותו, verum reſtringit id *Maimonides* ad eminentem quandam judicandi, & conſilia capiendi dexteritatem, eoſque eatenus tantum admiſſos contendit אם היו ראוים בחכמה quatenus *cordati, & capiendis conſiliis non inepti fuerint*, ſin, reprobare ipſos nefas non fuiſſe. *Vid. Petr. Cun. L.* I. *de Rep. Hebr. c.* XII. *p.* 98. Sed credibile eſt ipſum hac ſua limitatione, non niſi ad tempora templi ſecundi reſpicere; quibus non eruditio, nec ſapientiæ fulgor ac prudentiæ; ſed favor Regis, & quæ hunc utplurimum ciebat, pecuniæ, (quæ Regibus quotannis pro pontificatu pendebatur, quodque onus Maccabæorum etiam tempora preſſiſſe, patet ex illorum *L.* II. *c.* IV. 9. 24. 27. 28. 29.) major ſemper vis, creabat magnos Sacerdotes, idque labente jam Hebræorum Rep. quotannis ferme alios ac novos: contra quam olim fieri conſueverat, tempore templi primi. Hinc etiam *Mamſerum*, ſapientia & eruditione pollentem, illi, cui alias generis forte eminentia detuliſſet Sacerdotium magnum, reſpectu iſtius iſta tempeſtate anteponere non dubitant, *in Maſs. Horaj. cap.* IV. §. ח׳. Et magno tum temporis de ſummi ſacerdotis eruditione, laboraſſe dubio Synedrii ſeniores, manifeſte ſatis indicant iſta, quibus ipſum ad lectionem Paraſchæ אחרי מות, animaſſe ac ſtimulaſſe referuntur *in Maſs. Jom. c.* I. §. ג׳ מסרו לו זקני׳ מזקני ב״ד וקורי׳ לפניו בסדר היום ואומרים לו אישי כהן גדול קרא את בפיך שמא שכחת או שמא לא למדת: i. e. *adjungunt ipſi* (Sacerdoti magno ſeptem diebus ante diem expiationum in *Liſcath Phalbadrin* commoranti,) *ſeniores de ſenioribus Synedrii, qui legunt ipſo præſente in* סדר יום *h. e. Paraſcha* אחרי מות, *& dicunt ipſi:* (ארני) אישי: *Sacerdos magne, ſine, te ipſum audiamus legentem, niſi forte oblitus es, aut prorſus non didiciſti*, ad quæ Miſchnæ verba *R. Mibbartenura*: במקדש שני היו צריכין לכך שהיו מעמידין כ״ג שאינם מהוגנים על פי המלכות: *ſtante templo ſecundo, ita procedere cogebantur, cum ſacerdotes magni conſtituebantur juxta decretum regum, licet indignos ipſos ac inidoneos ad tale officium repererint*: quum econtra ſtante templo primo, omnia juxta illorum virtutem, eruditionem, ac ſapientiam fieri ſolita, ut mox audiemus ex iis quæ laudatus Rabb. ſtatim ſubjungit. Hinc crebræ illæ Rabbinorum lacrymæ: בזמן בית שני׳ שלא דקדקו לקיי׳ והכ״ :ה״ג שלא גדול בחכמה: i. e. *tempore templi ſecundi, cum non amplius* (ſicut ſub templo primo) *veterum more, per vota ac ſuffragia conſtituebantur, nec ſtabiles illa ſacerdotii magni manſiones attendebantur*, (ſed ad nutum regis, mox huic, mox alteri cedebantur;) *ſacerdos ſummus fuit, etiam qui non ita ſapientia excellebat, & eruditione eminebat. Toſeph. Jom. Tobb. ad Maſs. Horajoſc. c.* IV. §. ח. *Verba modo alleg.* item, de dicta regum in ſacerdotium poteſtate ac arbitrio, *Mibbartenum ad Maſſ. Jom. c.* I. §. I. *ad verba* שבעת ימים קודם יום הכפורים מפרישין כהן גדול מביתו ללשכת פלהדרין: *ſeptem diebus ante* יום הכפורים, *deducunt ſacerdotem magnum e domo ſua in Liſcath Phalbadrin*: פקידי המלך נקראים פלהדרין ומתוך שהכהנים הגדולי׳ שהיו בבית שני אחר שמעון הצדיק היו נותנין ממון כדי לשמש בכהנה גדולה ומתוך שרשעים היו לא היו משלימין שנתן והיו מתחלפין כל י״ב׳ חורש כפקידי המלך שהמלך מחליפן כל שנ׳ לכך נקראת לשכה זו לשכת פלהדרין: *præfecti*, inquit laudatus Rabb. *regis appellabantur Phalbadrin: cum enim ſacerdotes magni ſub domo ſecunda, jam inde poſt ſeceſſum Simeonis juſti, certam quandam pecuniæ ſummam, pro fideli ac firma in officio protectione, pendere tenebantur, multi autem ex his fuerant, quorum malitia ac temeritas, debitam annuæ penſionis ſummam non ſolverat, ſingulis duodecim menſibus in officio mutabantur, ſicut præfecti Regis ac commiſſarii, quos hic ſingulis mutabat annis, hincque hoc atrium*, (in quod ſe Sacerdos ſummus ſtato tempore conferebat,) *dictum fuit* לשכת פלהדרין: *Vid. & Heinr. Hott. Hiſt. Eccl. P.* I. *c.* I. §. I. *p.* 4.

Atque ad hæc quidem, ut dixi, crediderim tempora, & mentem & calamum intendiſſe Maimonidem. Quod ſi vero ad anteriora, & iſta, quæ priorem concomitata ſunt domum: an illa ab ipſo recte dicta, merito dubitatur: Obſtat ſummus ſummorum ſacerdotum in iſtis generationibus honor ac autoritas, arduum ipſorum in dijudicandis Legis contro-

troverſiis judicium, opum abundantia, eruditio ſumma; omnia judiciariæ dignitatis, (ut demonſtrabitur,) requiſita fere præcipua: quæ tamen maximam partem, iſta tempeſtate, in ſacerdote ſummo quoque ſpectata fuiſſe, ſuggerit *Obad. d. Barten. ad l. c.* במקדש הראשון לו היו מעמדין כ״ג אלא הגדול שבכהנה בביונה בכח ובעושר ואם לא היה לו עושר אחיו הכהנים מגדלין אותו משלה i. e. *Stante templo primo, non conſtituebant Sacerdotem magnum, niſi qui fuerit maximus inter ſacerdotes, genere, ſapientia, prudentia, virtute ac divitiis: quæ licet ipſi defecerint, fratres ipſius inopiam ſuis ſublevabant opibus*. Quid? quod filiæ *Selophcad*, cauſam mere civilem ad *Moſen* retulere, ac ſummum pontificem *Eleazarum*? *Num.* VII. I. 2. 3. & *Joſepho lib.* IV. *Ant. cap.* VI. *teſte*, ipſe *Moſes*, populo Iſraelitico ultimum dicturus Vale, hunc, ſi quando conſilii inopes forent, non tantum Eleazarum & Joſuam cum ſenioribus & principibus tribuum adire commendavit, ipſiſque obedire præcepit: verum etiam omnem cauſam, ſi quæ ab inferioribus dicaſteriis difficilior ſolvi non potuerit, Hieroſolymam ad Pontificem, Prophetam, & Seniores remittendam ſuaſit? Sane Clar. ille de Rep. Hebræorum Scriptor. *Carolus Sigonius l.* VI. *c.* VII. pontificem ſummum, reliquis Judicibus præfuiſſe ſtatuere non veretur: ipſumque *Vatablus & Abulenſis, apud Corn. a Lap. ad l. c. Num. ult. p.* 978. 979. 980. ſententiam deciſoriam publicaſſe pronunciaſſeque cordate aſſerunt. Ut ita, ſi his ſecurior habenda fides ſit, (quam tamen ex parte habendam, ſuadere illud vult, quod legitur II. *Par.* XIX., II. & apud *Niceph. Patriarch. de Phinea ſacerdote ſummo*: φινεὲς ὑὸς Ελεαζαρ μετὰ πάντων πρεσβυτὲρων κείνας ſ. ut legit *Seldenius* ex pervetuſto Manuſcripto *Bibliotb. Coll. Sion*: τὸν λαὸν κείνας.) tantum abſit, ut ſummum pontificem iſtis temporibus unquam a Synedrio magno arcitum cum Maimonide dixerim, ut potius, eundem ferme cum illo Hebræorum אב בית דין fuiſſe, adeoque ſecundum poſt נשׂיא, Synedrio magno præfuiſſe, pronunciaverim, ſiquidem hic ipſe, quem *ab beſ-din* vocitare ſolebant, & maximus inter judices fuerit, & ſententiam latam divulgarit: approbante id *Cetbubboſ. c.* XII. אב בית דין הוא הגדול שבריינין שהדינין נפסיקין על פיו: i. e. *Pater ſenatus*, (quem alias *R. Lipm. Niz. ad Hagg. c.* II. *p. m.* 142. ראש הסנהדרין: vocat) *maximus eſt inter judices, ejuſque ore lites deciduntur ac controverſiæ*. Iſtud extra omnem dubitationis aleam: neminem omnino alias, ex iſtis omnibus, ad judiciariam in univerſum admiſſum dignitatem niſi quem ſua probarit pietas, ſua prædicarit vita ac virtus, ſua commendarit eruditio. Quapropter nec ii etiam, quos alias vitæ conditionis, ſive generis valor ac vis, minoribus dicaſteriis dare poterat, recipiebantur, niſi præter alias, quas in ſuperiorum conſiſtoriorum judicibus requiri ſolitas mox dicemus virtutes, ſeptem hiſce ad minimum inſtructi fuerint, Sapientia, nimirum, modeſtia, timore *Dei*, odio quæſtus, amore veritatis, Philanthropia ſ. ut ab hominibus ametur, & tandem bono nomine, ac fama integra: quæ unice ſi defuerit, ſi forte non in hiſce infimis, in majoribus tamen, repulſa laborabat candidatus, id quod nos ſuo periculo docet Anan ille, quem cætera quidem ſatis eruditum, hanc tamen tantum propter cauſam, rejectaneum factum fuiſſe, atque ita neque ad χειροθεσίαν admiſſum, conſtat. *Adi Coch. Exc. Gem. Sanh. c.* X. *Exe.* I. *n.* 7. & 9. *p.* 300. *Cor. a Lap. ad Deut.* I. 15. *p.* 928. *Alting. de Rep. Schol. Hebr. p.* 96. *Heinr. Hott. Hiſt. Eccl. P.* I. *c.* VIII. *S.* IV. *p.* 537. Hinc nec illi, qui vulgo vocabatur מומחה δόκιμος, cui, סמיכה ſ. χειροθεσίᾳ in Palæſtina initiato, דיני ממונות & קנסות, extra ipſam exercendi poteſtas conceſſa erat, aſſumebatur, niſi חכמתו ומעלתו מפורסמת ההחון *ſapientia & eminentia ipſius in lege, nota fuerit vulgo*, & דבקיע במשנה ובגמרא ובקיע נמי בשיקול הדעת ומעיין בדיני כמה שני ומנסו ליה זימנין סגיאין ולא חזולי טעותא *in Miſchna & Gemara verſatus fuerit, ponderanda ſententia exercitatus, aliquot annos interfuiſſe judiciis obſervatus, probatuſque vicibus ac temporibus diverſis, non erraſſe deprehenſus fuerit*. Quæ eadem ferme ſunt, quæ in judicibus ex ſoceri Jethronis conſilio requiſivit Moſes, dum ſe illos eligi præcepiſſe ait: אנשים חכמים ונבונים וידעים בשבטיהם: *viros ſapientes, prudentes, & notos tribubus. Exod.* XVIII. 21. *Deut. l.* 15. *Sapientes*, ut explicat *Fagius*, qui cum ex libris & Magiſtris, tum ex rerum experientia, multa didicerint, viderint, ac noverint: *prudentes*, qui ea omnia, quæ norunt ac intellexerunt, ad bonum uſum commode accommodare potuerint, ita, ut ex præteritis & præſentibus, quid de futuro ſtatuere, e re foret, perſpicere valuerint: יודעים ſ. *notos*, qui pietate, honeſtate vitæ, lenibus moribus ac virtutibus, in opinionem hominum venerint, vel quod eodem recidit: יהא פרקן נאה, *qui boneſte & decore adoleſcentiam egerint*, ut obſerv. *Coch. ann. ad Exc. Gem.*

Sanh.

Sanh. c. IX. *Ex.* I. *n.* I. *p.* 291. atque ita *Josephum* vocari vult Doctissimus *Fagius l. c.* בנון וחכם *Gen.* XLI. 39. *Sapientem & prudentem* : *Sapientem*, quia intellexerit somnium Pharaonis, commodeque potuerit explicare : *Prudentem*, quod consilium, quomodo terræ Ægypti prospici oporteret, dederit. *Vid. interim de* מומחים, quorum paullo supra mentio facta est, *Joch. Coch. ad Mass. Sanh. c.* I. §. I. *n.* I. *p.* 4. & 5.

XV. Major hinc in cæteris requirebatur virtutis splendor, major pietatis ac vitæ, eruditio major. In consistorio summo tribuum, eos tantum allectos esse, qui cæteris omnibus doctrina anteirent ac sapientia, ex *Raschi*, *supra Posit.* III. demonstravimus : cæteri, qui in numerum LXX. adigebantur judicum ; eligebantur omnes, תלמידי בעל הישיבה *tales, qui aliquod temporis in Academiis triverint: Alting. de Rep. Hebr. Schol. p.* 97. præterea justæ ætatis viri, nec nimio senio confecti, aut spiritu refragantes superbo: liberorum parentes: statura & apparentia eminentes: opibus divites: scientia & sapientia præ cæteris insignes: Mathematici : magiæ ac idololatriæ gnari : LXX. linguarum periti, & quæ hujusmodi ab ipsis requirebantur alia. Ita *Jom. Tobb. Tos. ad Mass. Horajos. c.* I. §. 4. *ex Nachmanide, & Maimonide* אין מושיבין בסנהדרין זקן או סריס ומי שאין לו בנים *non trahunt in Synedrium, senem, vel castratum, vel orbum liberis*, causam, adjungit *Ob. de Bart. ad loc. cit.* cur orbo liberis judicare in his consiliis interdictum fuerit, hanc : שהוא אכזרי ולא ירחם *quod* scil. *ipse crudelis sit, & misereri nesciat: J. Coch. not. ad c. I. M. S. n.* 32. *p.* 18. אין מושיבין בסנהדרין אלא בעלי קומה ובעלי חכמה ובעלי מראה ובעלי זקנה ובעלי כשפים ויודעים בשבעים לשון: i. e. *Non cooptatur in Synedrium nisi qui sit egregia statura, & sapientia, & forma, justa ætate vegetus, magiæ non rudis, & callens* LXX. *linguas*; quales fuisse dicuntur *R. Elies. Josua, Akiba, & Simeon Theman.* Jabhnenses Synedriales : *ap. J. Coch. n. ad M. Sanh. c.* I. §. *ultim. not. c. p. c.* vel ut *summus Maim.* אין מושיבין בסנהדרין גדולה וקטנה אלא בעלי חכמה בעלי עושר בעלי כשפים *non cooptant in Syned. sive majus, sive minus nisi qui excelluerit in sapientia, abundaverit divitiis, & norit magiam: ac alio l. c.* II. *Hal. Sanh:* אין מעומדין בסנהדרין אלא אנשים חכמים ונבונים מופלגים בחכמת התורה בעלי דיעה ויודעים קצת משאר חכמות כגון רפואות וחשבון ותקופות ומזלות ואיצטגנינין ודרכי המעוננים והקוסמין והמכשפים והבעלי עבודה זרה וכיוצא באלן שיהיו יודעים לדון אותם: i. e. *non constituunt senatores Synedrii, nisi viros sapientes, prudentes, & exercitatos in studio legis : Philosophos ac Metaphysicos : scientes quoque aliquid de reliquis disciplinis: e. g. Medicina, Arithmetica, Calendario, Astronomia ac Theoria planetarum, Astrologia & modis divinationum : præstigiorum veneficiorumque gnaros, ipsam quoque idololatriam & talia callentes, ut illa dijudicare valeant*, & mox : וצוין להשתדל ולדכוק שיהיו כלון בעלי מראה ובוני לחשוש ידועי ברוב לשונות *attendere oportet ac diligenter explorare, ut omnes sint aspectabiles, curiosi, solliciti, dissimulandique periti : gnarique plurium linguarum exoticarum*, Scil. illa quidem, non, ut exercuerint, ceu de *Eleazaro* quodam ipsius ὁμοφύλῳ, refert *Jos. Antiq. Jud. L.* VIII. *c.* II. Et de *Chasdæo* Academiæ Bagdensis rectore, ejusque discipulo *David Eldavid*, (quos dicit auctor, fuisse Thalmudicæ doctrinæ liberaliumque artium peritissimos, ac in Magorum, præstigiatorum, & Chaldæorum libris versatissimos:) *Gentius, in Schephet Jud. s. Hist. Jud. p.* 163. sed, ut modo dictum est, שהיו יודעים לדון אותם *ut illa dijudicare*, s. ut alibi לפטל הכשפים ולהשמר מהם *ut ista refutare, & cavere ab illis potuerint. Vid. Munst. sup. Matth. c.* II. *p. m.* 133. Hoc vero שלא תשמעון מפי התורגמן *ne opus habuerint audire per interpretem*, maxime vero per interpretem jus & responsa reddere : *Joh. Coch. ann. ad Mass. Maccol. c.* I. §. 9. *n.* 27. *p.* 103. הנהו לעוזי דאתו לקמיה דרבא אוקי רבא שורגמן בינייהו והיכי מפי והתנן שלא תהא סנהדרין שומעת מפי התורגמן רבא מידע הוה ידע מה דהוו אמרי ואהדורינ הוא דלא הוא יודע: *Vult*, inquit Cochius, Rabbam *quandoque jus reddentem barbaris, interpretem apposuisse, non quod ipsorum linguam non intellexerit, sed quod eadem ipsis respondere nequiverit*. Si illud verum est, quod modo de Synedrialibus ac judicibus diximus, & quod supra P. III. *ex Mass. Sanh. c.* I. §. *ult.* retulimus : *consilium in urbe esse non potuisse, nisi ad minimum duo ibi fuerint, qui* LXX. *linguis loqui sciverint, & unus qui intellexerit:*) tantam imperitiam de hoc doctore affirmare non ausim, verisimilius est ipsum interprete usum, non ex quadam inscitia, ut vult, cit. *Rabb.* s. respondendi penuria, sed potius ad ostendendam & coram exteris magis declarandam, suam autoritatem & magnificentiam. Hoc enim magnificum olim ducebatur ac sublime, idque magistralis erat insigne dignitatis, per interpretem animi sensa revelare auditoribus. Quapropter & illud *Num.* XVII. 18. סמכת את ידך עליו

R. Sa-

R. Salom. Jarch. & *Siphri* exponunt: חן לו תורגמן שידרוש בחייך *adjunge ipſi interpretem, ut ipſo aſſidente, concionem habeat, te adhuc vivente*, de quo etiam ritu adl. *Gen.* XLII. 23. *Joh. Coch. not. ad Maſs. Sanh. c.* I. §. 3. *n.* 10. *p.*14. *ad Gem. Sanh. c.* 1. *Exc.* VIII. *n.*9.10. *p.*143.

POSITIO VI.

Dignitatem pretio redimere, ſumma olim infamia. Rite *expectanda* vocatio *erat* ac ordinatio. *Inferiores dignitatum gradus, primi utplurimum adibantur. Trium ordinum candidati. Legitimus hos in Synedria promovendi ordo. Judices* ordinandi *ritus, h. e.* סמיכה ſ. χειροθεσία, *maxime olim neceſſaria. Infractus* R. Jehudæ Ben Babæ, *in cuſtodiendis ac propagandis avitis ritibus, animus. Iſtius* χειρογεσίας *actus introducitur. An* una *peractus fuerit* manu? *Creatio in* Magiſtrum. Claves *tradendi mos. Luc.* XI. 52. *Judicandi poteſtas, vel oretenus ac immediate, vel per literas & internuncium, h. e. mediate, candidatis conferebatur.* Carmen virgini Sponſæ dicatum. Aichmalotarchas *apud Babylonienſes initiandi conſimilis mos. In loco ſacro iſte peragebatur, at publico tamen. Proprie* χειροθεσίαν, ſola terra ſancta *ſibi vindicabat. Extra ipſam collata, candidatis poteſtatem exercendi judicia capitalia præſcindebat.* Unus *primitus, ante quidem eodem conſecratus ritu, ſed* non ſolus, *ad manus judici novello imponendas, ſufficiebat. Maxime deinde hoc jus a ſummi Synedrii ſapientibus coarctatum. Penitus nunc de iſto conclamatum.* R. Hillel, *R. Jehud. S. nepos, Chriſto nomen dediſſe creditur.* Cornelius a Lapide *reprehenditur.*

Utut autem unuſquiſque ſapientia & eruditione cæteris anteibat, hanc tamen dignitatem ſponte obire, vel pretio eam redimere, non licebat. Hinc judici, qui ſuam emerat dignitatem, vel ullum honorem exhibere, pro piaculo habebatur, tantaque ipſius exiſtebat infamia ac deſpectus, ut ejus pallium non aliter, כמרדעת החמור *ac clitellas aſini* æſtimandum ordinarint. *Maim. Hilch. Sanh. c.* III. *ex tract. Hieroſ. Bechoroſ. alleg. Coch. Exc. Gem. Sanh. c.* I. *Exc.* VIII. *n.* 13. *p.* 144. Synedrii magni exſpectanda, ſive iſta mediata, ſive immediata, ſive per literas, ſive legatos ac commiſſarios, vocatio, ac ordinatio erat; nec ad ſupremos ſtatim cuivis adſpirandum gradus, ſed utplurimum ab infimis ſubſelliis, ad altiora progrediendum honoris altaria, exponit hoc nobis *Gemara Sanh. apud Joh. Coch. in Exc. ad cap.* x. *Exc.* I. משם כותבין ושלחין בכל מקומום כל מי שהוא הכם ושפל ברך ורעת הבריות נוחה הימינו יהא דיין בעירו משם מעלין אות' להר הבית משם לעזרה משם ללשכת הגזית: i. e. *ab hoc*, (conſiſtorio magno ſcil.) *miſſis hinc inde literis ac legatis, quilibet qui ſapiens ac humilis genu invenitur, & quem probant homines.* (*Vid. quæ ad hæc verba laudatus Coch. n.* 7. & 8. *p.* 300.) *poteſtatem accipit, ut judex eſſe poſſit in civitate ſua, inde ipſum evehunt ad conſilium, quod ſedet in aditu montis templi, inde ad iſtud, quod in porta atrii, inde tandem ad iſtud, quod in camera dolata, h. e. ad Synedrium magnum ipſum.* Propriori autem ac certiori promotionis ſpe fruebantur illi, qui jam in aliquem trium ordinum, qui coram Synedriis ſedere ſolebant, recepti erant; hi enim, mortuo aliquo ex judicibus, ordine aſcendebant, & defuncti ſupplebant locum, non quidem proprium, ſed quem ipſis conſueta judicum conceſſerat promotio: *Maſſ. Sanh. c.* IV. §. 4. ג' שורות של תלמידי חכמים יושבין לפניהן כל אחד ואחד מכיר את מקומו היוצריכין לסמוך סומכין מן הראשונא א' מן השנייה בא לו לראשונה ואחד מן השלישית בא לו לשנייה ובוררין להן עוד אחד מן הקהל ומושיבין אותו בשלישית ולא היה יושב במקומו ומומיבין אותו בשלישית ולא היה יושב במקומו של ראשון אלא יושב במקום הראוי לו': i. e. *Tres ordines candidatorum* (*quorum ſinguli juxta Maim.* XXIII. *candidatos habebat. vid. etiam, quæ ſupr. Poſ.* III. *ex Mibbart. ad M. Sanh. c.* I. §. *ult.*) *coram illis ſedebant,* (*judicibus:*) *horum quiſque ſuum obſervabat locum. Si quem promoveri* (*ut, ſi quis ſenatorum diem obierit, vel etiam, quod tamen ad ſummum ſenatum haud referas,* אם נחלקו, *ſi ipſi inter ſeſe diſſenſerint, ut ait Maim. Hilchoſ. Sanhedrin. cap.* I.) *neceſſitas exigeret, ex primo ordine is capiebatur. Tunc primus ſecundi ordinis in primum aſcendebat, primus tertii item in ſecundum, denique ex coetu delectus aliquis in tertio ordine, non quidem in loco primi, ſed ſibi conveniente, collocabatur.* Quod hoc l. de mutua candidatorum promotione quoque ſubinnuit Miſchna, nempe, primum tertii ordinis in ſecundum aſcendiſſe, id noli interpretari de primi ordinis primo loco, ſed ultimo, ita, ut omnes ordines ſimul quaſi promoveri videris, ſecunduſque primi ordinis, locum occuparit in eodem ordine primi jam in ſenatorum numerum recepti, primus vero ſecundi ordinis, primi ordinis ultimi,

jam

jam penultimi, ſuberit vices, & ſic porro. Ne autem quis forte ambitioſior, ex loco primo in ultimum tranſportari, duceret ignominioſum, acclamare ſoliti: הוי זנב לאריות ואל תהי ראש לשעולים: *eſto potius cauda Leonibus, quam caput vulpibus*. *Job. Cocb. not. ad. Miſchn. c. not.* 14. *p.* 39.

Interim tamen judex, licet ita electus & approbatus, ne in triumviratu quidem, & in cauſis vel minima concernentibus, admittebatur, niſi prius rite examinatus, χειροθεσίᾳ initiatus, vel cum hac ſimul in Magiſtrum ſive Doctorem creatus fuerit: *Vid. quæ ex Maim. Seld. de Syn. Vet. Hebr. Lib.* I. *c.* XIV. *p.* 552. *&* 553. Hinc notanter *R. Joſua Levita in* עולם *Tract.* I. *c.* III. אין אלהים אלא מומחה וסמוך: *non eſt ullus Magiſtratus, niſi qui* χειροθεσίᾳ *initiatus, vel cum hac pariter in Doctorem promotus fuerit*. Nec Moſes ullos conſtituiſſe creditur judices, niſi qui antea *Magiſtri honore*, h. e. רוח הנבואה *ſpiritu prophetiæ*, per χειροθεσίαν collato, fuerint inſignes. *Alting. de Rep. Heb. Schol. p.* 79. Scilicet: *idem ſunt judices & Magiſtri, & tum demum felices cenſendæ Reipublicæ*, inquit *Plato Lib.* V. *de Rep. p.* 466. ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν, ἢ οἱ βασιλεῖς φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς; *cum nemo melius, quam literatus imperet*: hoc quod S. P. R. *Tacito Auguſto* imperium deferendo, pie ac prudenter acclamaſſe, ſuggerit *Cl. Salmaſius Hiſt. Aug. in Flav. Vop. Syr. Tacit. p. m.* 227. Iſtam Hebræi vocitabant סמיכת ידים: i. e. ἐπίθεσιν τῶν χειρῶν, deſumta voce סמוכה ex illo, quod dicitur *Num.* XXVII. 18. ויסמוך את ידך עליו: *pone manum tuam ſuper ipſum*. Atque hanc primus quidem *Jacobus* moriens, patrios forſan imitatus ritus, in benedictione *Ephraimi ac Menaſſis* nepotum, exercuiſſe dicitur *Gen.* XLVIII. 14. Quem deinde ſequutus *Moſes*, prius tamen ut *R. Salom. Jarchi comminiſcitur ad Exod.* XXXIV. *v.* 29. hac ipſa manuum impoſitione ab ipſo Numine collata, (juxta illud quod Altiſſimus promiſerat: שכתי כפי עליך quod ipſe de impoſitione manus intelligit.) nobilis, ex mandato Jehovæ, Joſuæ, præmiſſo hoc ipſo ritu, gubernandi poſt ipſum populum, poteſtatem fecit. *Num.* XXVII. 22. 29. ac poſteritati ſimul egregius exſtitit auctor, iiſdem ceremoniis & ritu, ſuos conſecrandi judices ac magiſtratus. Quem certe, licet ſuccedentibus deinde ſeculis in uſu fuiſſe, adeo perſpicue ac ſolide probari non poſſit, ultimis tamen temporibus, ſancte ſemper cultum, ac ceu ſumme neceſſarium obſervatum fuiſſe, ex eo colligimus, quod *R. Judas Ben Baba*, *Akiba*, illius 24000. diſcipulorum Magiſtri, ac ut quidam exiſtimant ex poſteris *Siſaræ* proſelyti, ſocius, (*Vid. Heinr. Hott. Hiſt. Eccl. P.* I. *c.* II. *S.* III. *p.* 68. 75.) hanc neceſſitatem rite ſecum perpendens, hujus propagationem & continuationem jamjam intermoritura, ſanguine ſuo redimere maluit, quam impiis Adriani ſatisfacere שמדות ſeu edictis, abſque quo ſane ſi fuiſſet, fatentibus ipſis Judæorum arbitris, judicia pœnalia apud Iſraelitas agi non potuiſſent, immo prorſus abolita fuiſſent. *Johan. Coch. Gem. Sanh. c.* I. *Ex c.* XIV. Stupendum eſt, quod de ipſo mox ſubjungit *c. Gemara*: גזרו מלכות שמד על ישראל שכל הסומך יהרוג וכל הנסמך יהרג ועיר שסומכין בה תחרב ותחמין שסומכין בהן יעקרו מה עשה ר׳ יהודה בן בבא הולך ויושב לו בין שני הרים גדולים ובין שני תחימי שבת בין אושא לשפרעם וסמך שם ה׳ זקנים ואלו הן רבי מאיר ורבי יהודה ורבי שמעון ור׳ יוסי ור׳ אלעזר בן שמעון רב אויה מוסף אף נחמיה כיון שהכירו אויבים באו להרגם אל בני רוצו אמרו לו רבי מה תהא עליך אמר להן הריני מוטל לפניכם כאבן שאין לה הופכין אמרו לא זזו משם עד שנעצבו ג׳ מאות לונביאות של ברזל ועשוהו ככברה: i. e. *Regio edicto quondam ſancitum erat, ut quicunque manus imponendo judicem crearet, & qui judex creatus eſſet, interficeretur: qua in urbe res geſta eſſet, ea ſolo æquaretur, quibus in finibus, eorum incolæ exularent. Quid R. Judas ben Baba? profectus ſubſtitit inter duos montes, atque inter duos terminos Sabbathi, inter Uſcham & Sepharham, ibique quinque manu impoſita, in judicum ac Magiſtrorum numerum allegit. R. Meir, ſcil. R. Jehudam, R. Simeonem, R. Joſe, R. Eleaſarem f. Simeonis, quibus R. Uja, addit Nehemiam: cognita re, hoſtes ad ipſorum cædem properant: tum R. Jehudas: Filii mei, fuga quæſo vobis conſulite; reſpondent hi: Rabbi, quid vero de Te fiet? quibus ille: Ego ſaxi inſtar coram vobis projecti ero, quem ipſi non dimovere poterunt. Narratur, perſecutores ibi non diſceſſiſſe, priuſquam configerent illum trecentis lanceis ferreis, facerentque cribri inſtar confoſſum*. Quo ordine, ritu quo, ceremoniis quibus, dicta χειροθεσία ſive manuum impoſitio, (quæ quidem nonnunquam ad דיני ממונות tantum, nonnunquam ad דיני קנסות, ſive etiam דיני נפשות, reſtringebatur,) abſoluta fuerit; diſcere poſſumus ex *Gemara Sanhedrin c.* I. quo in loco *R. Acha* ita diſputat: בידא ממש סמכינן לה: אמל סמכינן ליה בשמא קרו ליה רבי ויהבו ליה רשות למידן דיני קנסות: i. e. *num manu ſimpliciter fit promotio?*

Reſp.

Resp. *imponunt illi manum : nomine promovendi appellato, acclamant ipsi Rabbi : & dant ipsi potestatem exercendi judicia criminalia*, idem inculcant etiam *Maim. ap. R. Jom. Tobb. ad Mass. Sanh. c.* I. §. III. *& R. O. Mibart. ad l. c.* Primam itaque omnium, suo ordine ponit סמיכת ידים *impositionem manuum*: quam quidem una fieri manu, mandasse videtur Dominus, *Num.* XXVII. 18. verum ambabus peragendam voluisse. Moses suo declarat exemplo. *l. c. v.* 22. *Deut.* XXXIV. 9. quem merito, hoc in negotio, nec inobedientiæ erga verbum ac mandatum DOMINI accusamus, nec superstitioso ae inutili prosequimur patrocinio: quorum illud quidem, sicut de ipso affirmare non verentur Rabbinorum quidam: ita, quo magis placide suum excusent procedendi modum, in suam rem istud trahunt, quod legitur Prov. XXII. 9. עין טוב הוא יברך *qui benignus est, benedicetur*. Nescientes interim : & *Enallagen* numeri singularis pro plurali, sicut in aliis non infrequentem, ita in his, quæ vel arte vel natura duplicate inveniuntur, esse frequentiorem (*confer Job.* XVI. 20. *Jer.* IX. 1. *Thren.* II. 10. *Psal.* XCII. 12. *Prov.* XXX. *v.* 71. *Esa. Lib.* 4. *Ps.* XXXVI. 12. *Es.* X. 13. *Ps.* XXXVI. 12. XXXVIII. 17. *&c.* & hunc ritum, ipsis fatentibus, ab hoc Mose petitum, citra omnem erroris suspicionem, vel ad ultima usque Reipublicæ momenta ambabus continuatum manibus. *Act.* XIII. 3. XIX. 16. I. *Tim.* IV. 14. *v.* 22. 2. *Tim. l.* 6. Atque hic quidem externus impositionis manuum ritus (seu iste manibus juxta se positis, sive ad modum publicæ illius סמיכת ac totius populi consecrationis, de qua *Num.* VI. 6. manibus, ceu quibusdam videtur, in transversum vallatis ac ad modum crucis dispositis, factus, fuerit,) ut videtur, nihil aliud fuit, quam ipsius candidati consecratio, ac rita precum & votorum, s. ista pro ipsius candidati persona ac sorte, s. pro obtinenda communis Reipublicæ, cui imposterum ille ministraturus esset, salute concepta fuerint, immolatio. Tantum enim abest, ut omni benedictione, comprecatione, ac nominis divini invocatione, actum hunc destitutum crediderim, ut ipsum potius solennibus quibusdam formulis & conceptis verbis condecoratum fuisse, plane mihi persuadeam: utpote, qui habebat significationem solennioris cujusdam consecrationis, quam hac ceremonia contestatus olim fuerat Jacobus. *Jac. Alt. de Rep. Hebr. Sch. p.* 82. fidem quodammodo faciunt ea, quæ ex Thalmudistis & libro Juchas. refert illustris *Scaliger in Elench. Tribæresii apud P. Cun. d. Rep. Hebr. L.* I. *c.* XII. *pag.* 97 הסמיכה לא דוקא ביד כמו שעשה מושה ליהישוע אלא אפילו בדבור בלבר די שיאמר אני סומך אותך תהיה סמוך: i. e. *actus iste τῆς χειροθεσίας, non fit simpliciter per manum, quemadmodum Moses fecit Josuæ, sed etiam fit per formulam, (hanc vetustissimam dicit auctor de Rep. Hebr. l. c.) quæ hæc dicitur: Ego impono tibi manum, & manus imposita tibi esto;* verum longe sublimiorem ea aluisse Genium, quæ in actu hoc χειροθεσίας adhibita diximus verborum monumenta, si dixerimus, non multum forte a veritate diverterimus, hanc manuum impositionem cum benedictionis initiatione, sequebatur *creatio in magistrum*, pronunciato ac proclamato Magistri seu Doctoris titulo, hanc enim factam fuisse indicat *Gemara*, solemni *nominis promovendi appellatione, Magistrique s. Doctoris tituli renunciatione*. Nos, quoad ad hunc præcise actum, addimus: *Candidati in sellam, ad hanc rem paratam, elevationem: interpretis, quod supremum Rabbinatus insigne fuisse, supra exposuimus, adjunctionem, ac tandem pugillarum ac clavium pro more traditionem*. Hoc in Magistris creandis apprime observatum fuisse, *ex Cameron. Myroth. in Luc.* XI. 52. testis est *Jac. Alting. de Rep. Hebr. Schol. p.* 107. istud vero, subinnuunt *R. Salom. Jarchi, & auctor* (quem vulgo jactitant *Ras.* cognomento *Abba*, discipulum *R. Judæ, Amoræorum*, sive ut Scaliger loqui amat, γνωμολόγων, Gemaræ constipatorum Coryphæi, *vid. Heinr. Hott. Hist. Eccles. c.* III. S. III. *p.* 130.) *libri Siphri, ad loc. Num.* XXVII. 18. (a quo & hujus rei, & modum, & originem præcipue derivant;) ad verba ista: סמכת את ידך עליו, quorum illa ita : העמידו מן הארע והושיבו אצלו על הספסל i. e. *eleva ipsum de terra, eumque colloca juxta te super sellam*, hic vero: תן תורגמן ליהושוע להיות שואל ודורש ומורה הוראית בחייך: i. e. *adjunge Josuæ interpretem, ut de adhuc superstite sua populo jura reddat, summaque penes ipsum resideat judicandi decidendique potestas, ipsumque iste, in rebus dubiis præcipue appellet*. Recte interim Gemara: quod Candidato tributum ait, titulum s. nomen רבי, illud enim, sicut summi fastigii nota erat: ita excellentiorem quandam designabat dignitatem ac potestatem, nullique tribuebatur, nisi qui in terra Israel promotus esset, licet ipsum ad tempus, h. e. quandiu הסומך in vivis esset, hoc carere oportuerit. Illi enim, qui extra terram sanctam permoti erant, vocem רב tantum & מר sustinebant, ac

cum

cum isto, χειροθεσίας privilegii parte carebat non minima, nempe, nulli horum דיני נפשות h. e. *judicia capitalia* exercere concessum erat quod obiter monendum duximus, vide interim *Buxt. Lex. Thalm. in* סמך *Abbr. sub.* ר׳. *Alting. l. c. p.* 113. *&* 114. Addimus id etiam: candidatum jam in petiti honoris culmen evectum, ac in Magistrum creatum, de sui promotoris participasse cognomine, vocatumque ipsius חבר; socium familiarem, ex. gr. *R. Johanna Sandalar* הבר *discipulus sapiens R. Meir*, & sic in aliis, non aliter ac olim Magistrorum discipuli, qui illorum filii, illique horum parentes appellati fuere, exemplo sunt LXXX. *Hillelis* discipuli, quos ratione disciplinæ suæ, suos filios dictos fuisse, meminit *P. Gal. L.* 1. *d. Christ. Ver. c.* 11. *p. m.* 3. *Vid. & Buxt. Lex. Thalm. l. c. Alt.* 1. *c. p.* 116. *& ea quæ paulo supra ex Gem. Sanh. c.* 1. *de R. Juda ben Baba*, ejusque novis creatis judicibus ac doctoribus. Tradita magistrali laurea, juris-dicundi potestas ipsi conferebatur, hanc posterioribus temporibus, & jam cessante manuum impositione, hac formula, candidato præsente & regulariter, institutam fuisse tradit *Maim.* הרי אתה סמוך ויש לך רשות לרון דיני קנסות: i. e. *ecce tibi manus imposita est: daturque tibi potestas exercendi judicia criminalia*: vel absente isto, per internuncium & scriptum renunciationis testimonium: ita enim significasse candidato promotorem, ait: שהוא סמוך ונתנה לו רשות לרון *quod scilicet promotus esset*, *ac nunc ipsi liceret inter esse judiciis*, *adi Petr. Cun. Lib.* 1. *de Republ. Hebr. cap.* XII. *p.* 97. *Alting. loc. cit. pag.* 109. Quo autem novelli judicis eruditio, ac dexteritas melius populo innotesceret ac civibus ipse si unus solum, vel maximus inter candidatos, si plures promovebantur, orationem ad populum habere tenebatur: id quod iterum inculcat *Raschi l. c.* cum inquit: *addito ipsi interpretem*, שירדוש בחייך שלא יאמרו עליו לא היהלו להרים ראש בימי משה: *quo concionem instituat*, *ne populus deinde dicat*, *se abhorruisse ut quicquam magni aggrederetur in vita tua*; ac subinnuit *auctor* הומשה וחימשי תורה *idiomate Rabbinico-Germanici*, *excusi Pragæ in fol. Anno juxta supputationem minorem* 369. h. e. *Anno Chr.* 1609. *ad l. c.* גיט דער זאנט נעם דיר יהושע מיט גוטן רידן דז ער הט גיוועזן צו זיין מנהיג ישראל. אונ׳ דוא זאלשט דיין הענד אוף אין טון דז ישראל זאל זעהן דז עי איז אז דיין שטאט אנ׳ איז אין אויך איין מול דרשן ביי דיינם לעבן פר כל ישראל דז ישראל זאלן ניט זאגן יהושע האט קיין סכט ביהט אוף צו העבן זיין הענד ביא לעבן משה: Tandem tota peracta solennitate, gratulationibus ac votis non omnino ipsos pepercisse, liquet ex eo, quod legimus *de R. Sira*, *apud Coch. Gem. Sanh. cap.* 1. *Ex.* XVI. רבי זירא הוא מיטמר מלמסמכיה דאמר ר׳ אלעזר לעלם הוי קבל זקיים כיון דשמע לה דרבי אלעזר אין ארם עולה לגדולה אלו אם כן מוחלין לו על כל עוונות אמצי ליה אנפשיה כי סמכו לרבי זירה שרו ליה הכי לא כחל ולאשרק ולא פירכוס ויעלת חן: i. e. *Rabbi Sira occultabat sese ne ipsi imponerentur manus*, *ob id. quod dixerat R. Eleasar*: *perpetuo sis obscurus*, *& eris superstes*, *verum quum audivit illud Eleasari*: *non ascendit homo ad dignitatem*, *quin ei remittantus omnes iniquitates*; *revocavit id ad animum*, *cum itaque ipsi imposuerunt manus*, *accinerunt illi*: (id quod *virgini sponsæ* proprium carmen erat) *sine oculorum fuco*, *aut infectione*, *aut fractis crinibus*, *rupicapra gratiosa ex Prov.* v. 19. Non absimile huic, in creatione judicis Palæstiniani, observato ritui, legitur itidem de initiatione Æchmalotarchæ Babylonici, quod, cum nostris, quæ modo explicavimus, & explicaturi sumus non minorem lucem, quam confirmationem afferre videatur, operæ pretium duximus huic nostro discursui ea inserere. Suppeditat ista nobis *R. Mosch. b. Schebbet*, *in Schebbet Juda*, *Interprete Casp. Gent. ejus editionis*, *nuper editæ p. m.* 301. *& ss.* quo in loco *R. Salomonem* quendam ita discurrentem inducit: Consilium est mihi Salomoni, *hic principum*, *quos Babylone atque in Persarum regno sibi gens Hebræa elegit*, *seriem pertexere*, & mox: *Historiam vero legi in veterum quorundam sapientum responsis*: *Quando sibi olim principem lecturi erant Hebræi*, *quem sua lingua* נשיא & ראש הגולה: i. e. *exulum caput appellant*, *Babylonem conveniebant Academiarum Rectores*, *Doctores*, *civitatis principes*, *senatores*, *judices*, *quotquot in regno essent*. *Hic paratæ erant ædes magnificæ*, *aulæis splendide obductæ*, *in quibus Academiarum Rectores*, *Doctores*, *& Seniores considerent*, *instructæ*: *præcipue vero splendida quædam sella*, *in qua futurus princeps collocandus erat*: *huic aliæ duæ adstabant*, *altera a dextris*, *altera a sinistris*, *quibus Academiæ Syriacæ & Pomveditæ Rectores*, *insidebant*. *Tum in frequenti procerum sapientumque consessu*, *Syriacæ Academiæ Rector insurgens*, *principem his verborum auspiciis prudenter admonebat*: *Noli fastu quodam & animo elato fratribus tuis superbe dominari*: *Nos enim tibi servitutem*, *non imperium conferimus*: *Quemadmodum sacræ monent literæ* 1. *Reg. c.* XII. 7. *Dic* *Jo-*

Jovis in ſacram ædem frequentes conveniebant, ubi dum Academiarum Rectores principi manus ſuas imponerent: alii interea tubis, alii vero cornibus accinebant, cuncti autem bene ominantes, feſta voce acclamabant: Noſter vivat princeps, vigeatque æternum. Ille princeps noſter, ille exulum caput, exulum caput eſt Iſraelitarum. Deinde ipſum domum rite deducebant, ubi tubis denuo canentes, ipſi poteſtatem faciebant regendi gentem Hebræam, integritate, juſtitia, prudentia, moderatione & longanimitate, ac paucis interjectis. *Die Sabbathi vero omnes Academiarum Rectores & proceres principis ædes mane adibant, quem ex ædibus ad ſacram ædem euntem proſequebantur frequentes. Præibat populum ſuum Princeps. Mos enim apud Babylonios reges & principes eſt, ut ſubditos præcedant. Præeuntis principis facies, bombycinno panno tecta, nemini conſpicua erat.* Paulo poſt, hæc ſubjungit: *His actis, cantores & alii peritiſſimi Muſici, circa principis cathedram convenientes, preces ſuas inſtrumentis muſicis cantabant, donec ſacer legis codex, ritu noſtro ex arca depromeretur. Deinde principem facie velatum, in Cathedram (quam ſcil. die Veneris ad hanc rem præparaverant referente Auctore paulo ſupra,) deducebant, quem ſecuti Syriacæ atque Pompedithæ Academiarum Rectores, in ſede illic poſita collocabant. Hinc divinæ legis liber, ex arca ſua in cathedram ferebatur, ex quo primum recitabat princeps, mox Academiarum Rectores. Lectione finita, princeps clauſis ob legis divinæ reverentiam oculis, orationem ad populum habebat, quam ſi ille forte non haberet, Academiæ Syriacæ Rectori habendam committebat: præſtitis his pietatis officiis, univerſi conſurgentes, principi bene ominantur.* Atque hæc ſunt, quæ de hoc סמיכה ſeu χειροθεσίας ritu, tum ex Rabbinorum monumentis, tum ex modo laudato R. Moſch. ben Schephet, eruere licuit, quorum illa quidem, nullius loci expreſſam mentionem faciunt, hic vero iſtum publicum quendam fuiſſe ac ſacrum, diſerte innuit, tali quoque ac ſimili in loco, a primis uſque temporibus, actum hunc celebratum fuiſſe, teſtes ſunt Jarchides, & Rb. Eſra. ſcil. in ſ. circa אוהל המועד, tabernaculum teſtimonii, ſive etiam labentibus Solibus, בלשכת הגזית *coram Synedrio magno*. Ita enim dicti iſti Doctores ſentiunt, *dum illud Num.* XXVII. 22. לפני כל העדה: ille quidem per *Sanhedrin* explicat, hic vero ita deſcribit: כדבר שהיה פרש לעדה הם הנועדים באוהל המועד: nim: *per* אהל המועד, *circa quod* LXX. *quoque in judices delectos ac creatos fuiſſe, legimus Num.* XI. 16. 24. cum quibus ſentit etiam *Jonathan in Thargum. pro* illo enim, quod in Hebr. legitur מתוך העדה, ipſe ſubſtruit. מנוסנהדרי ליה: *Num.* XXV. 7. Ex quibus aliud, ac generalius ſtatuimus: nempe hanc χειροθεσίαν ſtricte ac præciſe ita ſumtam, non niſi in terra ſancta exerceri potuiſſe; quamvis per eam collata poteſtas extra ejus fines ſeſe exſeruerit, h. e. ut ambo, & promotor, & candidatus, in terra Iſrael præſto eſſent, requirebatur. *Mibbarten. ad Maſſ. Sanh. c.* I. §. III. אין סומכון בחוצה לארץ אלא צריך שהסומך והמסמך יהיו כולן בארץ ישראל ואזיהיו לו רשות לרון דיני קנסות ואפילו בחוצה לארץ לפי שסנהדרי נוהגת בין בארץ בין בח׳ל אחר שנסמכו בארץ: i. e. *non exercent impoſitionem manuum extra Palæſtinam. Sed neceſſe eſt, ut & promotor & promovendus, ambo ſint in terra Iſrael, ſi promovendus velit tractare judicia criminalia; imprimis vero extra terram ſanctam: quod ipſi quidem probibitum non eſt, cum Sanhedrin obtineat, tum extra terram, tum in terra; modo creatus ſit in ipſa terra.* Notanter vero dictum fuit, vocabulo χειροθεσίας ſtricte ac præciſe ſumto: extra enim Palæſtinam, hanc quoque ſuis judicibus & magiſtratibus adhibuiſſe, vel illud loquitur, quod modo ex *Gentio* adduximus, verum ut diverſo id fiebat titulo, ita diverſo extra ipſam creati ac promoti, fruebantur privilegio, & quemadmodum hi, titulo *Rabbi* Magiſtris ac judicibus in terra Iſrael familiari, gaudere non poterant: ita judicia capitalia ſeu criminalia, (utpote quæ iſta, in Palæſtina tantum, & quidem in לשכת הגזית ventilabantur,) exercere nullo modo valebant, niſi iterata in terra Iſrael χειροθεσία, & novi tituli, & ſublimioris redemiſſent jura poteſtatis: ceu modo monuimus. *Conſule Alting. l. c.* 105. 114.

Quot & a quibus dicta hac סמיכה ידים peracta fuerit, diſceptant Thalmudici. *R. Judam* quinque ſtatuiſſe ad hunc actum neceſſarios, autor eſt *P. Gal. Lib.* IV. *d. Chriſt. ver. c. V. p. m.* 140. Communior omnium opinio in eo ſecura, tres præcipue huic interfuiſſe actui. *Maſſ. Sanb. c.* I. §. ג. *Gem. ad l. c. verum recte iſtis ibidem Gem. c. opponitur exemplum Moſis, & modo laudati R. b. Babæ.* Si verum fatendum: penes unum ipſe ἐπισκήψεως actus ſtetit, reliquos ſi qui adfuerint, ſive unus, ſive duo, vel quendam ex ipſis Rabbinatus dignitatem, alium rurſus judicialem poteſtatem candidato contuliſſe, vel certe, ut teſtes adſtitiſſe dixerim, ſicuti in actu illo fuſtigationis, *de quo Paulus* II. *Cor.* XI. 24. exſequendo,

do, tres quoque occupatos fuiſſe legimus: (quorum unus quidem numerum plagarum obſervavit, alter percuti mandavit, tertius exſecrationem intonavit.) & Babtiſma Proſelitorum, trium præſentia adminiſtrari oportuiſſe, teſtatur ex *Munſt. Ev. Hebr. Matth. c.* XXIII. *p.* 330. *Buxt. Lex. Thalm. in voc.* גר *Hott. Theſ. Phil. Lib.* I. *cap.* I. *S.* III. *p.* 17. qui certe teſtium interventus, adeo apud ipſos cenſebatur neceſſarius, ut ne ipſe quidem הנשיא, hunc actum abſente אב בות דין, nec hic abſente illo, abſolvere potuerit: nempe, ne res, debito deſtituta teſtimonio, quovis modo ſuſpecta fieri poſſet; quod in judices creatos nonnunquam cadere potuiſſe, ex eo diſcere licet, quod ad *Maſſ. Sanb. cap.* I. §. I. adducit *R. Jom. Tobb.* Rem totam declarat, *R. Moſ. ben Nachmani*, apud *Jom. Tobb. Toſeph. ad Maſſ. Sanb. c.* I. §. III. כת׳ הר״ב מנוי הדיין שהגדול הסמיך צריך שיצרף עמו שני מגלן אילימה מדכתיב ויסמוך א״ה חסני כחד וכ״ת משה במקום ע״א קאי א״ה לבעי ע״א קשיא גמ׳ והיינו דלא התנם הר״ב שהשנים צריך שיהו ג״כ סומכין וכן מבואר בפי׳ הרמ״בם בחבורו פ״ד מה׳ סנהדרין וכתב שם הכ״מ דהיינו טעמא דכיון דאסיקנא בקשיא דלא מצינו למילף דבעינן ג׳ מוקמינן לשלשה דתנן דהיינו אחד ושניים אף על פי שאינם סומכים: i. e. *R. Moſch. ben Nachm. qui ad iſtam rem conſtitutus erat judex, qui ut plurimum erat ſenior ſeu maximus inter doctores, neceſſario ſibi injungebat adhuc duos:* (כשרוצה לסמוך חכם, quoſcunque voluerit, ſi cuidam manus imponere paret, *ceu addit Mibbart. ad l. c.*) *unde autem diſcimus hoc? dicamne ex illo quod ſcriptum eſt: & impones manum tuam &c. Num.* XXVII. 18. *quod ſi ſic, unus tantum ſufficiet: atqui gloria decoris tui*, Moſes, *loco* LXXI. *ſtat; quod ſi concedimus, dicendum erit* LXXI. *ad hunc actum requiri: quod difficile eſt, hæc ex Gemara. Verum reſpondetur* הרב *h. l. non ſtatuere, duos, qui ſimul imponerent manus eſſe neceſſarios: (ſed quod concernit* χειροθεσίας *actum, unum tantum.) id quod eodem modo exponit & in commentariis ſuis Maimonides, in opere quod inſcripſit Halacha Sanhedrin. c.* IV. *cum ita ibidem ſcribit, gloria Domini noſtri: (rem componendi,) hunc eſſe modum ut eum, inferant: nobis non eſſe, quo demonſtrare poſſimus, quod diximus:* tres (*eſſe ad* χειροθεσίαν *neceſſarios*) nihilominus iis, quæ diximus inſiſtamus, & ſtatuamus tres ad hunc actum neceſſarios, *vero cum conditione, ac quod ajunt cum grano ſalis. Scilicet unum, qui manus imponeret, & duos alios quoſdam, qui actui huic intereſſent, etiamſi candidato manus ſuas non imponant*, & mox iterum Maim. הרי לא היה בא״י אלו סמוך אחד מושב שנים בצדו וסומך שבעים כאחד או זה אחר זה ואחר כך יעשה הוא והע׳ ב״ד הגדול ויסמכו בתי דינין אחרים: i. e. *ecce non fuit in terra Iſrael niſi unus tantum qui* χειροθεσίαν *perficeret, collocabat autem ſibi ad latus duos alios, idemque cenſebatur; ſive ſeptem ſimul, proclamabat ac creabat judices & Magiſtros, ſive unum poſt alterum, & mox: idque peragebat tum ipſe, tum reliqui* LXX. *conſilii magni, quibus quoque licitum erat cæteris judicibus ſuas imponere manus.* Addit hic alterum, nempe promotorem ut unicum, ita ejus vim ac poteſtatem plura ſimul reſpexiſſe objecta, h. e. plures ſimul, ſive ſeptem, ſive centum etiam uno, eodemque tempore potuiſſe creare judices ac magiſtros. *Confirmat id. Maim. apud Ob. Mebart. verbis mox citand. Buxt. Lex. Thalm. p.* 1160. Cæterum primis temporibus hanc χειροθεσίαν, quilibet peragere poterat, qui antea hac ipſa initiatus fuerit. *Petr. Cun. Lib.* I. *de Rep. Hebr. c.* XII. *p. m.* 96. donec lapſus ſeculorum, & hujus ſuccreſcente abuſu, iſtud jus ſoli ſibi Synedrii magni proceres h. e. הנשיא & אב בית דין cum reliquis ſenioribus, vel demum etiam ſoli נשיאים, ceu de Hillele ſene refert *P. Cun. L. c.* vindicavere, & ad illos tantum, quibus ab his conceſſum fuit, redundavit, id quod duraſſe videtur uſque ad *Hillelis* ראש הישיבה, & celeberrimi illius Emboliſmorum computatoris, qui unicus, tum temporis in terra Iſrael eminebat, & teſte *Epiphanio*: ſub medicæ curæ prætextu, Chriſto tandem nomen dedit, tempora, ſub quo, hoc eſt, ſeculo a Chriſto IV. prorſus in terra Iſrael occubuit, extra illam, ut videtur, ſub Geonatu, & ſeculo tandem XI. ita, ut ejus uſus apud ipſos hodie nullus ſit: fatente ipſo *Maim. apud Mebart. ad Maſſ. Sanb. c.* I. *l. c.* וכתב הרמ״בם שנראה לו שבזמן הזה שאין לנו סמוך איש מפי איש עד משה רבינו אם היו מסכימים כל החכמים שבארץ ישראל לסמוך יחיד או רבים הרי אלו סמוכים ויכולים לדון דיני קנסות ויש להן לסמוך לאחרים: i. e. *Scribit Rambam, quod ipſi videatur, ut hoc tempore, quo ipſis non amplius eſſent* χειροθεσία *initiati judices, quales olim fuerant, quorum unus ab altero, inde a Moſe uſque interrupta ſerie ordinatus erat: ſi omnes ſapientes in terra Iſrael conſentirent, ut manus imponerentur uni vel pluribus, illis licitum ſit & judicare* דיני קנסות, *& manus rurſus imponere aliis. Vide etiam Heinr. Hott. Hiſt. Eccl. P.* I. *c.* IV. *S.* III. *p.* 203. 204. *P.* II. *c.* XI. *S.* IV. *Theſ. Phil. Lib.* I. *c.* II. *S.* IV. *p.* 106.

p. 106. *P. Cun. Lib.* I. *de Rep. Hebr. c.* XIII. *p. m.* 109. Expoſita hujus χειροϑεσίας ratione ac ritu, nunc ſeſe latus quoque aperiret diſcurrendi campus, de modo ordinandi miniſtros Eccleſiæ N. T. quem ab iſta conſuetudine originem traxiſſe, extra dubium eſt; niſi a propoſito noſtro longius divertamus, metuendum foret. Unicum monemus: fallere ac falli cum ſuis ſectatoribus celebrem alias Jeſuitam illum, *Cornelium a Lapide*, *qui non tam huic actui*, *unctionem neſcio quam*, *immiſcere*, *quam Chriſmatis ſui defendere conatur ritus*; ex ea ratione, quod vox סמיכה, ut ipſe ſomniat, non modo manuum impoſitionem tantum, verum etiam unctionem quandam notet, cum ipſius radix, a qua deſcendit, סמך, præter alia, interprete *Pagnino* etiam *inungere* ſignificet. Profecto: πεχαυμένος ὀφϑαλμῶν, ut cum *Iſæo*, *apud Philoſtratum*, *loquar*, vel Claucomate captus, qui *jungere* (quam ſignificationem, & in Hebraicis & Chaldaicis & Rabbinicis ſeu Thalmudicis, ambabus largimur,) pro *inungere* legere potuit: quod obiter perſtringendum duximus.

POSITIO VII.

Solum ſ. unicum judicia exercere intra Palæſtinam prohibitum. Triumvirorum conſeſſus, *ejuſque quas proprie tractavit cauſæ*. *Judicem ab omni omnino ſuſpicione liberum eſſe volebant*. *Liberum partium in eligendis judicibus arbitrium*. XXIII. *conſeſſus ſive* Synedrium minus, *ejus erat* judicia capitalia *tractare*, h. e. *ventilare quidem non vero conſummare*. Summa Synedrium LXXI. *capiebat*. *Ejus potius*. *Cauſas tractabat graviores quaſvis*. *Vox* Synedrium *unde*? Græcæ linguæ *apud Judæos olim familiarior uſus*: Conſentes *qui*? novemſiles, *it.* & novemſides? *Quadringenta & octoginta* בתי כנסית *ſ.* Synagogæ *Hieroſolymis*. *Certi dignitatum inter judices gradus*.

HIS itaque ritibus atque ſolennitatibus initiati judices, ſua pollebant autoritate, ſuaque exercebant judicia, non tantum intra Palæſtinæ fines, verum etiam extra ejus terminos, idque, vel ſeparatim, vel conjunctim: illud factitabant extra Palæſtinam tantum, dum enim in peregrinis locis, ac extra ſanctam terram degebant Iſraelitæ, ac inter alieni populi Lares diffuſi, mixti, ac nonnunquam rari vivebant, adeoque judicia, vel in terra ſancta, vel etiam in ipſa Babylonia, & aliis locis diſſitis adire ſ. moleſtum nimis & periculoſum, vel ob diſperſam ac confuſam multitudinem, ubique; debitos cogere conſeſſus, impoſſibile nonnunquam erat, ac abſonum, unis ac ſolis quibuſdam demandata poteſtas erat illis in locis exercendi judicia. Hi peculiari nomine dicebantur מומחים, & non niſi דיני ממונות & קנסות: tractabant, eaque non abſolute, ſed ad nutum & arbitrium Æchmalotarchæ Babylonici, ſicut ſupra expoſuimus. Poſ. III. Solum ſeu unicum judicare intra Palæſtinam, ſummum credebatur piaculum: conjunctim ac ad unitis quaſi viribus jura reddere moris erat. Hinc illud *Sapientem* מצוה חכמים הוא שמושיב עמו אחרים שהרי אל תהי דן יחיד שאין דן יחיד אלא אחד: *Scitum eſt*, *ut nemo ſolus judicet*, *nemo enim judicat ſolus niſi unus*, h. e. *Deus*. Atque id quidem, nunc majori perſonarum numero, nunc minori; prout loci ac priſcæ conſuetudinis poſtulabat ratio, ac cauſarum, quæ proponebantur, diverſa attendebatur natura. Tres ad minimum requirebantur, qui in Judæa judicium, ac juxta Hebræorum opinionem, minimum conventum ac Senatum conſtituere debebant, unde crebra illa Rabbinorum ἐπιφωνέματα, אין ב״ד פחות משלשה כדי שהא רוב ומיעוט אם אחד יחלוק מהם: *Conſiſtorium non conſtat paucioribus quam tribus*, *ut ſit in eo plus & minus*, *ſi unus diſſentiat*, & שנים שדנין דיניהם אין דין: *duo qui judicant*, *ipſorum judicium non eſt judicium*. Qui ad trium trahebantur conſeſſum, erant illi ut plurimum, ceu ſupra monuimus, non adeo præclari, verum nonnunquam ex numero laicorum etiam, tractabantque res ac cauſas, non graviores, ſed leviores tantum, quæque res mobiles concernebant, ac bona fortunæ, eaſque etiam, quæ de capite non diſpiciebant, proptereaque dicti, דייני קנסות & ממונות h. eſt, tales judices, qui in contractus, modos acquirendi, ac nonnulla crimina non capitalia animadvertebant, atque illos quidem, vel inchoatos confirmabant, vel male corruptos ſolvebant; hæc vero temere commiſſa, vel pœna dicata corrigebant, vel ad ſuperiora dicaſteria relegabant, talia erant: de pecunia mutuo ſumenda, aut ſumta, de votis ſolvendis: (Fag. num. XVI. 2.) de rapinis: læſione: de damno vel dimidio damni: de reſtitutione dupli, quadrupli, quintupli: de decollatione junicis: de extractione calcei: de recuſatione orbæ minorennis: de decimis: de ſuppellectili ſacra: de pœna flagellationis, & quæ hujuſmodi alia, quæ recen-

ſet

ſet *Miſchna Sanch. c.* I. §. 'א ,'ב ,'ג quo in loco etiam, intercalationem anni, menſis, & χειροθεσίαν, de qua modo egimus, trinis hiſce adſcribit. §. 'ב. Quomodo vero, hunc ternarium numerum ipſa intellecta velit; an ſcilicet de numero judicum ordinario loquatur & immobili: an vero determinato, h. eſt: an certis ac ordinariis judicibus, iiſdemque ſemper individuis, in trinum ſemel allectis; atque ita collegio ſemper immobili ac eidem cauſas has adſcribat tranſigendas: an vero, illum ſaltim numerum, quem ad minimum ad illarum ventilationem adhiberi neceſſe fuerit, & infra quem deſcendere non licuerit, judicibus interim pro lubitu aſcitis, ſpecificet, ex Philologorum ſententia, quod præcipue referamus, non invenimus: plurimis prius arridere animadvertimus: verum an ſano ſenſu, merito dubitatur: præſertim, ſi ea ſpectetur, quam modo dicta χειροθεσία initiati judices, obtinebant, libertas ac licentia, nempe: ſemel hoc ipſo ritu conſecrati, libere ac promiſcue ea, ad quæ deſtinati erant, ſcil. mulctatitia iſta fuerint, ſeu pecuniaria, vel abdicabant, vel exercebant judicia, ſalvo tamen manente, cujuſque civitatis municipali jure, ac debita Promotoris erga Magiſtrum reverentia, reſervatoque partium libero eligendi arbitrio, quod, niſi obſervaverint aut expectarint, non bene judicaſſe credebantur. Hinc iſta quoad judices; ſi vel inter ſe de cauſa convenire non poterant, vel unus ex iſtis, ſe rei nervum neſcire (qui non aliter, ac abſens, exiſtimabatur) affirmaverat, in hoc minimo & minori, etiam, perſonarum iterata auctio, vel ii, cum quibus judicaturi eſſent non placuerant, liberum judicii repudium, vel a partibus ſuſpecti quid ac familiarius nimis, (id, quod tanto apud ipſos obſervabatur rigore, ut ne judici alias integerrimo, ſi ipſi, ſ. de partium alterutra, ſ. ipſarum adhærentibus, vel plumula ſaltim de capite, aut ſaliva ipſius, incurioſius in vulgus patens, operta fuerit, iſti judicio intereſſe non licuerit. *Vid. Coch. Exc. Gem. Sanh. Exc.* VI. *not.* 4. *p.* 153.) in alterutrum cecidiſſet, omnino de ejuſdem abdicatio. Hinc iſta etiam quoad partes; libera itidem judicum electio & rejectio, & ſancta in electorum ac approbatorum judicum, (ea quæ de neceſſitate non fuiſſet, ſi quiſque immobile ſuum ac fixum in civitate ſciviſſet dicaſterium:) judicium compromiſſio, quorum, cum hæc in Diſp. cum Deo ſecunda, propriam ſibi vindicabunt ſedem, uberiorem declarationem ac explicationem illuc relegamus. *Vid. interim. Johann. Coch. ad Exc. Gem. Thalm. Sanh. cap.* I. *Exc.* I. *num.* 3. *pag.* 134. §. X. *num.* 4. *pag.* 153. *cap.* III.

Quæ tamen omnia, ſicut immobilitatem judiciorum, quoad perſonas, quo magis videntur evertere, ita non minus evincere, illud quod modo ex Gemara adduximus, בשלשה, nihil aliud velle, quam dictos triumvirorum collegii judices, ad ternarii numeri ordinem, aut a partibus ad Exemplum *Boas-Ruth.* IV. 2. pro cujuslibet rei natura, aut gravitate, aſcitos ac electos, aut certe pro rei eventu ab ipſis ſuperioribus dicaſteriis pro lubitu fuiſſe delegatos. Atque iſtud, ita quidem, ut, & partibus, ſua ſemper conſtiterit in eligendis judicibus libertas ac arbitrium; nec hocce deſtituta fuerint, niſi mutua in electum judicium compromiſſione, iſtud vendiderint: & judicibus jam electis, alios, ſ. de cauſa inter ipſos convenire non potuerit, ſ. res ipſa ac tempus, alios, alias atque alias obcauſas, poſtulaverit, ſuperaddere licuerit: ſicuti in modo producto exemplo, plures quam tres invitatos videmus, quos tamen Rabbini ut plurimum לפרסומי, :מילתא *ad teſtimonium cauſæ*, tum interfuiſſe memorant. Licuiſſe autem utrique parti, ſuum ſibi deligere judicem (qui duo a partibus electi judices, invicem, (neſciis partibus ut *addit. R. Ob. Mebart.*) eligebant deinde tertiæ) Licuiſſe utrique, ab alterutra electum, ſ. ob propinquitatem, ſ. aliam ob cauſam ſuſpectum, rejicere, expreſſis oſtendit *Miſchna Sanhedr. c.* III. §. I. דיני ממונות בשלשה׃ זה בורר לה אחד זה בורר לה אחר ושניהן בוררין להן עוד אחד זה פוסל דיינו של זה וזה פוסל דיינו של זה׃ i. e. *judicia pecuniaria* (quibus addimus mulctatitia) *penes tres; hæc pars eligit ſibi unum* (judicem) *iſta alterum, & duo hi eligunt ſibi tertium, hæc rejicit judicem iſtius, & iſta judicem hujus*, pro rerum autem diverſitate ſuperiora dicaſteria, nonnunquam ordinaſſe quoſdam, qui iſtas tractarent: ſcil. talibus in cauſis, quæ non privatum, ſed publicum concernebant commodum, patet, quod Gemara Sanh. ad locum Miſchn. cit. de anni intercalatoribus: אין מעברין את השנה אלא במזומנין לו׃ i. e. *non intercalatur annus, niſi ab his, qui ad hoc negotium conſtituti fuerint*: ſcil. a Synedrio magno. *Vid. Coch. not. ad Maſſ. Sanh. c.* I. §. II. *not.* 9. *p.* 6. *de compromiſſione adiſis, Maſſ. Sanh. c.* III. §. 2. *Coch. ad l. c.* Quæ altiora ſpectabant cauſarum genera, trium non acquieſcebant arbitrio, ſed viginti inſuper requirebant, ex quibus viginti trium ſur-

ſurgeret magis ordinarius conſeſſus. Hinc *R. Meir S. apud Jom. Tobb. ad Maſſ. Sanb. cap.* I. §. I. אם יהיו צרכין לריני בפשות יוסיפו על הג' עשרים i. e. *ſi neceſſitas poſtulet, ut tractent judicia capitalia, addunt ad tres viginti.* Quod tamen inique fieri ſcil. שמא יצא לעג על הג' הרואשנים שאינם ממחין או שהם פסולים: *ne forte ſuſpicio ac rumor cadat in iſtos tres, quod non ſint ordinati, aut forſan omnino rejectanei*, frivole contendunt ibi. Hic reſpectu ſupremi illius dicaſterii, ipſis dicebatur סנהדרי קטנה *Synedrium minus:* quod non tam præter pecuniarias ac bona fortunæ, omnes cauſas, (exceptis tamen iis, quas ad conſeſſum Sanhedrin maximum relatas, mox trademus) decernebat, quam capitales tractabat & θανατηφόρυς, haſque præcipue & primario, ut exponit *Thalmud. Sanb. c.* I. §. IV. ſcil. diſpiciebat, de homine occidendo: jumento ſpurco concubito ſubacto. Lev. XX. 16. bove cornupeta Exod. XXI. 16. Leone, lupo, vipera, & Panthera, quæ hominem vel morſu, vel veneno interfecerat: quibus nonnulli addunt המוצא שם רע: Diffamatorem (v. g. qui dicat: לא מצאתי לבתך בתולים Deut. XXII. 14. 19. אם אמת היה הדבר וזנתה תחתיו וסקלוה ודיני נפשות בעשרים ושלש: *quod, ſi forte veritas rei ſubſit, filiaque inveniatur rea, & lapidare illam oporteat*, capitalia tantum a tribus & viginti ventilentur. *Vid. Maſſ. S. c.* I. §. I. *Ob. Meb. ad l. c. Petr. Cun. de Rep. Hebr. L.* I. *c.* XIII. *p. m.* 106. *Buxt. Lex. Thalm. p.* 1513. & de bove cornupeta. *Bava Kama, cap.* IV. §. 4. *& L'Empereur ad l. c. not.* 6. 7. *p.* 78. §. 5. *n.* 2. *& c. p.* 80. 81. *& ſs.* de Panthera. *Bav. Kam. c.* I. §. 4. *& L' Empereur not.* 7. *p.* 21. Sicut autem duplex iſtud, & ut videtur propter duas tribus, *Juda & Benjamin*, poſt ſeceſſionem aliarum, Hieroſolymis, (licet impari dignitate illud, quod in porta atrii ſedebat ſibi vindicabat majorem, præ illo, quod ſedebat in porta montis) geminum fuit, ac in quibuſvis tribubus, locis quibuſvis ac urbibus majoribus, quæ CXX. (*ut ſupra Poſ.* III. *demonſtravimus*) ex civibus eruditioribus, & ſpectabilioribus utcunque comprehendebant, tale aliquod conſtitutum erat: ita horum poteſtas ac autoritas, tota a Synedrio Hieroſolymitano magno, cujus imperio & arbitrio ſubeſſe tenebantur, dependebat; nec ita abſolute de cauſa capitali ſ. homine occidendo ſtatuere, licebat, multo minus ſententiam capitalem ab ipſis latam, exſequi, quin iſta, a Synedrio magno iterum examinata, hæc vero, confirmata fuerit ac approbata, cujus rei manifeſtum argumentum habemus in *Maſſ. Sanb. c.* X. *Sive juxta Exemplar Prag.* XI. §. 4. אין ממיתין אותו לא בבית דין שבעירו ולא בבית דין שביבנה אלא מעלין אותו לבית דין הגרול שבירושלים: i. e. *non occiditur; ſ. ſententia ipſi condemnatoria non fertur, neque a Senatu civitatis ſuæ, neque a Senatu qui Jafne reſidet, ſed mittunt ipſum Hieroſolymam, ibidemque ſummo Synedrio ſiſtunt*, ad quæ verba R. Obad. Mebart. שאלו לבית דין שבלשכת הגזית ואמרו לו וחזר לעירו ושהא שם ימים רבים עד שגלתה סנהדרי גדולה ליבנה ואכ' (הורה) כבתחלה אין מסיתין אותו ביבנה א"עפ שסנהדרין גדולה שם כיון שסנהררי גדולה אינה יושבת במקמם בלוכת הנזית: i. e. *mittunt ipſum in Synedrium, quod eſt in* לשכת הגזית, *qui poſtquam examinavere illum, redit in urbem ſuam, manetque ibi per aliquot dies: ex eo autem quo Synedrium eo migravit; licet pro more cauſas ventilaverint, non tamen occidebant ipſum Jabne; licet Synedriales magni ibi fuerint, quia tum temporis Synedrium non ſedebat Hieroſolymis* בלשכת הגזית *ſ. in camera dolata*, luculentius paulo Jom. Tobh. אבל דנין אותו שבאין לשאול מהיורו & mox בבד שבעירו: וחוזר לעירו' ואם הורו לעשות כבתחלה נירון כשאר מזמתים: i. e. *non occiditur, ſ. ſententia deciſoria ipſi fertur, in judicio quod eſt in civitate ſua, aſt judicatur quidem ibidem, & cauſa ipſius ventilatur tantum, non vero conſummatur, adeunt autem* (conſilium magnum) *ad explorandum, quid hac in cauſa ipſi ſtatuant, & tunc demum revertuntur cum reo, quod ſi ordinaverint, ut agant juxta illorum concluſum, judicatur ipſe ac occiditur, ſicut malefici reliqui*, huic ſuffragatur iſtud quod legitur *in Maſſechebth Sotab. cap.* 9. §. I. id quod etiam docet *Raſchi ad Deut.* XXI. *v.* I. 2. Senatores urbis, ne de illo quidem, qui in terminis ejuſdem civitatis occiſus repertus fuerit, abſentibus Synedrialibus judicare potuiſſe ימצא חלל בארמה ויצאו זקניך ושפטיך. שלשה מסנר' הגדול שבירושלים היו יוצאין: i. e. *quod ſi occiſus quidam reperiatur in terra, egrediantur ſeniores tui & judices Tui:* i. e. *tres de Synedrio magno ſimul egrediantur.* Addimus tertium: judicia capitalia non niſi in Sanctuario, ac quidem in לשכת הגזית ſolum fieri potuiſſe, h. eſt, conſumari. Quapropter Synedrio ex iſto loco ſublato, capitalia evanuiſſe unanimiter conqueruntur, id quod ad XL. annum, ante totalem urbis ruinam referunt *in Schabbaſ. fol.* 15. *Abboda Saraſ.* 8. *&c. Vid. Buxt. Lex Thal. l. c.*

Supremus ille, ac unicus in Judæa Senatus, LXXI. capiebat ſeniores, nobiles,

les, ac rara doctrinæ & eruditionis nota eminentes omnes, licet quidam unum ſuperaddant, tres *Corn. Bertr. L.* I. *de Polit. Jud. c.* VI. *p.* 35. quidam vero dicto numero, detrahant, ut *Rabb. Judas in Maſſ. cap.* I. §. I. Hi paſſim nomen tantum ſeptuaginta audiunt: ſeu rotunde & a numero judicum, præſide excluſo, ſeptuagenario: ſ. præcipue a numero, qui primus a Moſe, primo hujus conſilii capite, collectus & conſtitutus legitur, *Num.* XI. 16. *ſs.* & juxta *Euſebium apud Corn. a Lap. ad loc. Num. c.* eo tempore quo magnum illud Græcorum judicium *Areopagum* natum eſt. Libet enim hujus conſilii originem cum clariſſimorum virorum judicio, ſecuriori ſcripturæ fundamento, tutos, potius ad Moſen referre, quam unico, eidemque lubrico & carioſo *Gemaræ* loco, fidem exponentes, *Matthiæ* eam *Chaſmonæorum* illi tribuere Antiſtiti. Summum interim hoc apud ipſos erat conſilium, a quo provocare ulterius licebat nemini. Cujus auctoritas, ut ſumma erat, atque inviolabilis: ita etiam ejus poteſtas, extra Palæſtinæ fines ſeſe extendebat quam maxime, docente *Maſſ. Maccoth. c.* I. §. י׳. כנהדרין נוהגת בארץ ובחוצה לארץ. *Synedrium obtinet in terra ſancta & extra eam.* Officium hujus erat, cognoſcere de rebus apprime magnis, ac ad religionem & rempublicam pertinentibus. Utpote, de controverſiis legalibus: ſene rebelle: Pſeudoprophetis: apoſtatis excommunicandis: adultera ſuſpecta. *Num.* V. *v.* 19. homine occiſo in confinibus reperto: *Deut.* XXI. 2. Sacerdotum vitio *Petr. Cun. b. c.* de rege: Pontifice maximo: bello arbitrario: fœderibus: legatis: vectigalibus: ædificiis publicis: magiſtratibus &c. *Maſſ. Sanb. c.* I. §. ה׳. אין דנין לא את השבט ולא את נביא השקר ולא את כ״ג אלא בב״ר של ע״א ואין מוציאין למלחמות הרשות אלא על פי ב״ד של ע״א אין מוסיפין על העיר ועל עזרות אלא בב״ר של ע״א אין עושים סנהר סנהדרין לשפטים אלא על פי ב״ר של ע״א אין עושין עיר הנרחה אלא בב״ר של ע״א אין עושין עיר הנרחה בספר ולא שלש עיר יהנרחרה אבל עושין אחרת או שתים: *Hinc hujus conſeſſus Senatores per omnem Judæam ibant*, conventus populi luſtrabant, in oppidis magiſtratus condebant, cumque Cabala quædam myſteriorumve doctrina, jam inde a tempore Moſis tradita per manus eſſet, hujus omnis poteſtas, autoritaſque penes illos fuit: ſtatuta de rebus ſacris condebant, modos quibus exponerentur comminiſcebantur, quin & neceſſitate urgente, in ipſas leges divinas diſpenſabant; eaque puniebant ſeverius, quæ merito tanto rigore caruiſſent, modo ut reliqua majori impoſterum vitentur cautione. Horrendum illud eſt, quod Synedrii quidam princeps Aſcalone ſtatuit, quod *narrat Miſchna Sanb. c.* VI. §. ר. חכמים אומרים האיש נתלה ואין האישה נתלית אמר להן ר׳ אליעזר הלא שמעון בן שתח תלה נשים באסקלון אמרו לו שמונים נשים תלה ואין דנין שתים ביום אחר: i. e. *ſtatuerunt ſapientes, marem ſuſpendi, non vero mulierem, quibus objecit R. Elieſer: nonne Simeon ben Schætach ſuſpendit mulieres? Cui reſponderunt: omnino octoginta mulieres ſuſpendit una vice, cum tamen uno in die, ne bini quidem interficiantur.* Vid. Petr. Cun. Lib. I. de Rep. Ebr. c. XII. p. 100. & de hoc procedendi modo Coch. not. ad I. Miſchn. c. n. d. 8. 500. Heinr. Hott. Theſ. Phil. L. II. Sect. II. e III. p. 554.

Cæterum hi quidem præcipue, ac ordinarii Judæorum conventus ac conſeſſus, primis illis temporibus, cum immutata adhuc Palæſtina, purus Hebræi idiomatis obtinebat Genius, veniſſe videntur (ſummus præſertim ille Hieroſolymitanus,) vocabulo עדה *Vid. quæ ſupr. ex R. S. J. & Ab. Eſr. Poſ.* VI. Relicto patrio cœlo, ac paulatim licet recuperato, extera tum ipſum infeſtante gente, paulatim quoque mutata, ſacri hujus conſilii Etyma ſunt: dictaque fuere סנהדרין קטנה: atque alterum quidem, alterum, גדולה: peregrino plane vocabulo ac exotico, ut taceam, jam ſtatim poſt ipſam captivitatem Babylonicam, iſtius mutatum nomen, vocatumque קהלה גדול: quomodo accipi videtur apud *Nehem.* V. 7. Inſulſum plane eſt, ac ridiculum, procaces Judæorum verpulos, ſeu ex hæreditario quodam in exteras linguas, (Græcam præſertim,) odio, ſcil. craſſa quadam ignorantia, nodum in ſcirpo quærere, hujuſque dictionis vim ac Etymologiam, patriæ vindicare linguæ, ac ex Hæbræorum petere penu. Ceu refert *Jom. Tobb. ad Maſſ. Sanbedr. c.* I. §. I. cujus de hac voce opinionem, præmiſſa tamen ſua, ac probabiliori forſan, his verbis recenſet. ולשון סנהדרין ארמית נמצא פעמים רבות בתרגום ירושלמי ובתרגום כתובים ולדעת הרב בפי׳ משנה יא פ׳ בתרא דסוטה לשון עברי הוא והוא שם מורכב שונה הדרת פנים ושין מתחלף ב׳ ססך: i. e. *Vox Sanbedrin eſt vox Aramæa, reperiturque ſæpius in Thargum Jeruſchalmi, & Targum eorum librorum, qui nobis* כתובים *vocantur. Juxta opinionem* הרב, *in explicatione ad Miſchnam* XI. *caput ultimum Maſſeceth Sotah. h. e. c.* 9. *vox hæc Hebræa eſt, dictaque, quod Sanbedrin, ita* שונאי הדרת פנים *ſ.* ut

Ma-

Magnus Buxtorff ex Bartenora ad l. c. שונאי הרורנות qui oderint munera, Lex Thalm. p. 1513. oderit προσωποληψίαν : ש *cum sinistro puncto*, *mutato in Samech*. Nos anilibus hisce somniis ne minimum quidem moti, hujus naturæ vocis originem Græcæ tribuimus : seu ipsa ex Chaldaicæ linguæ, quæ non pauca jam dum Græcanica adoptaverat vocabula, qua in captivitate & postea usi, diuturna consuetudine, pomæriis, ad Judæorum transierit castra : (*id quod R. Jom. Tobh.* I. *c. cum Wissio Dial. Sacr. p. m.* 321. *placet*.) s. ex ipso Græcæ linguæ sinu, ac fœcunditate desumta, ac demum Hebræa donata fuerit civitate ; utpote quæ ipsis non ignota, sed jam inde ab Alexandri M. *tempore*, usque ad *Adrianum* Imperatorem, (quo ipso imperium tenente, cum per præsidem Judææ *Turannium*, *al. Titinnium Rufum*, & ducem *Julium Severum*, quinquaginta octoginta millia Judæorum, exceptis iis, qui innumeris plagis aliis interierant, ingenti clade trucidati essent, ab ipsoque vectigal, ut liceret libros Mosis & Prophetarum Hebraice in Synagogis legere, imperatum esset, ab ipsis decreto cautum fuit : maledictum, qui filium suum Græcorum lingua, relligione, & disciplinis erudiret, & quotannis, die VIII. men-Thebheth, Solenne jejunium ordinatum, in memoriam rei omnium molestissimæ, nimirum *versæ in Græcam linguam legis*. *Rein. variar. lect. Lib.* I. *c.* XXV. *p.* 112. admodum familiaris fuerat, & tanta ista apud ipsos polluerat dignitate, ut libros ipsorum, h. est, ut suggerit *Jom. Tobh. in Tos. ad loc. citand.* תורה, נביאים, וכותבים non nisi *Græca* scribere, jam ante constitutum fuisse, ingenue fateatur *R. Simeon* Pauli Apostoli præceptoris *Gamalielis* filius: אין בין ספרים לתפילין ומזוזות אלא שהספרים נכתבין בכל לשון ותפילין ומזוזות אינן נכתבות אלא אסורית ר״ש כ״ג אומ׳ אף בספרים לא התירו שיכתבו אלא יוונית: i. e. *inter libros Biblicos*, *preces*, & *schedas postium*, *de quibus Exod.* XXI. 6. *differentia alias adeo magna non intercedit*, *nisi quod libri Biblici scribi soleant omni lingua*, *preces vero* & *scheda postium*, *nonnisi lingua Assyriaca*. *R. Simeon ben Gamaliel dicit: etiam hoc in libris Biblicis*, *traditum enim est*, *quod hi non scribantur*, *nisi lingua Græca*. Addit *R. Obad. Mebart.* rationem, cur iste mos invaluerit, jam vero desierit: & in suam rem male trahit iste verba illa, quæ leguntur *Gen.* IX. 27. quæ quidem verius ad vocationem Gentium ad salutem æternam, restringuntur, verba ejus hæc sunt : וטעמא דשרו סופרים ביוונית יותר משאר לשונות דאמר קרא יפת אלהים ליפת וישכון באהלו שם כלומר הלשון היפה שבכול בני יפת ישכון באהלי שם ואין לך לשון יפה בכל בני יפת כלשון יוני והלכה כרבן שמעון בן גמליאל מיהו בזמן הזה בבד אבד אותו לשון יוני ונשתבש לפיכך אין כותבין ספרים בזמן הזה בכתב הקדש ולשון הקדש: *ratio est*, *inquit*, *quod scribæ linguam Græcam magis calluerint*, *quam cæteras alias omnes* : *scriptum enim est:* dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem; *quasi dicat*, *lingua ista*, *quæ erit omnium pulcherrima*, *inter omnes posteros Japhet*, *habitabit in tabernaculis* Sem; *jam autem*, *nulla lingua inter Japheti posteros*, *pulchrior est Græca*: *atque hæc juxta verba Rabban Simeonis filii Gamalielis*. *Hoc autem tempore*, *cum ipsa interierit ferme*, & *valde corrupta sit*, *libri Biblici non amplius in ista exarantur*, *sed in lingua sancta tantum*, & *scriptura sancta*. Ex his forsan quid de N. T. Græco Stylo dicendum veniat, liquere potest. Verum ut quæ modo diximus, planius constent: dicta consilia סנהדרין, ex Græcorum voce συνέδριον, (qua ipsa hi, & *Æschyli Areopagum*, & celeberrimum illud vetustissimumque *Amphictionicum Pausaniæ* denotabant.) traducta est : sicut ex illorum μυστήριον מסטורין, ἄτριον אטרין μεθόριον מתרין : ex Latino Salarium סלרין, *calamarium* קלמרין. Nos eorum opinione, qui id nominis, locis judiciorum imponunt, & ita appellata, autumant ipsa dicasteria, minus contenti, Græcum sequuti Genium, diximus *consessus*, *consilia*, *collegia* h. e. in abstracto, ipsos judices ac assessores ordinarios, in tales consessus, consilia, ac collegia, pariter congregatos, vel congregandos. Idem notare Hebræorum, עדה, h. e. non locum, sed ipsos cœtus, collegia atque conventus, eosque certo loco ac tempore ordinarios significare, supra indicavimus. Quod reliqui etiam orientales interpretes *Chaldæus* modo כנסתא modo סיתא, *Syrus* ܟܢܘܫܬܐ vel ܟܢܘܫܐ *Arabs* per المحفل *Æthiops* per ማኅበር፡ sive formam absoluta ማኅበር፡ (quod descendit a radice ኅበረ፡, quæ proprie *consociavit significat*, *congregavit*, *mutuas operas conjunxit*, *mutuas operas conduxit*, significat,) h. e. talibus vocibus, quæ cum istis apprime conveniant, reddidere. Sicut videre licet in illo Psal. LXXXII. 1. אלהים נצב בערת-אל & aliis locis. Pari modo invenio veteres olim *Latinos*, quæ *Græce* dixissent Synedria τῶν Θεῶν, Synodos, consessus, consilia, collegia, & quod

quod maxime antiquum, CONSENTIA vocasse, per quæ ea, non locum Synodorum, consessuum &c. sed ipsos potius συνέδρους Θεοὺς, quos ipsi CONSENTES vocabant, s. etiam παρέδρους NOVEMSILES ac NOVEMSIDES, qui ipsis erant morales ob merita virtutum συνεδρίῳ τῶν Θεῶν adjuncti connotasse. *Vid. Clar. Salm. not. in Ælium Spart. p. m.* 83. Hoc ipsum pronuntiat ex Judæis *Mebartenura ad cap.* IX. §. י״א. *Massec. Sotah.* הדיינים נקראים סנהדרין שהדרה פנים שונאים. i. e. *Judices vocantur Sanhedrin, quod in judicio nullum personarum respectum observant*; & vir Doctissimus juxta & πολυμαθέυτατος *Johann. Drus. Quæst. & Resp. L.* II. *quæst.* LXII. *Sanhedrin*; inquit, *vocem Græco Hebraicam, video a nonnullis interpretibus accipi pro judiciis, cum designet potius ipsos judices. Nam eo vocabulo sic utitur auctor Hierosolymit. Exod.* XV. *& Ruth.* IV. *v.* 2. *Elias Thesbitæ: Sanhedrin vocantur* LXX. *senes curiæ magnæ, quæ est Hierosolymis, esse autem Sanhedrin, quos Josephus* συνέδρους *vocat, ita credo ut nihil magis, in N. T. vocantur etiam* πρεσβύτεροι *Matth.* XVI. 21. *Huc facit Targ. Psal.* CVII. *nam pro eo, quod in Hebræo est in consessu senum. Thargum illud: apud Sanhedriu, sapientes, diserte pro senioribus interpretando posuit*. Hactenus *Drusius* magnus ille in Scholis Hebræorum arbiter, & horum similia habet *animadversionibus Lib.* II. *c.* XXXVII. *p. m.* 36. Nec illis adstipulamur quoque, qui vocem συναγωγὴν eandem cum συνεδρίῳ, vel Synonymam existimant. Hæc enim sicut proprie judices ordinarios, ac consessum ipsorum ordinarium significare, modo diximus: ita illa quemcunque populi confluxum, ac quamvis multitudinem, sive sacram, sive profanam denotare, erudite demonstrat *Dan. Heins. Exerc. Sacr. p.* 87. immo ad ipsa sæpe loca trahi, ac ædificia, in quæ conveniant, vel discendi, vel docendi causa, non tantum nostra, verum etiam Eusebii olim, abunde loquitur ætas, ita namque ille: *l. n. p. m.* 225. εἰς ἱεροὺς ἀφικούμενοι τόπους, οἱ καλοῦνται συναγωγαὶ, καθ' ἡλικίας ἐν τάξεσιν ὑπὸ πρεσβυτέροις νέοι καθέζονται, μετὰ κόσμου τοῦ προσήκοντος, ἔχοντες ἀκροατικῶς. Hæc Hebræis sua lingua vocarentur בתי כנסות: quarum olim Hierosolymis, sub templo secundo, numero quadringenta & octoginta fuisse referunt in *Echa Rabb.* ר' פנחס בשם ר' הושעיה אומר ארבע מאות ושמונים בתי כנסיות היו בירושל' חוץ מביתה המקדש מנין מלאתי בגמטריא הכי הוי וכל אחת ואחת היה לה בירה ספר למקרא וביר תלמוד למשנה וכולן עלה אספסיאנוס והחרבן: *Dicit Rabbi Pinchas in nomine R. Hosehaja: quadringenta & octoginta domus congregationum, vel ut Alting. Gymnasia, fuere Hierosolymis, excepto sanctuario, id quod computant, ex eo, quod dicitur: Jes.* I. 21. מלאתי *plena* (judicii:) *quod per Gematriam, eundem numerum conficit.* (superante tamen unitate.) *unaquæque vero illarum singularem quemdam continebat locum, pro lege legenda & Bibliis, & talem aliquem qui studiis inserviret, ac ipsorum institutioni, quas tamen omnes sustulit Vespasianus & combussit eas.*

Itaque minimæ in Judæa causæ coram tribus ventilari poterant, leviores coram XXIII. gravissimæ coram summo tantum, quod diximus, Synedrio. Unicum adhuc observandum: horum judiciorum personas, licet omnes eadem ratione constitutas, eodem ritu vocatas, ac in singula judicia receptas, non tamen dignitate semper, ordine, ac prioritate, fuisse æquales. In summo illo præsertim Synedrio, ubi, quo unusquisque alium antecedebat sapientia, ac eruditione, eo sublimiori præ cæteris gaudebat autoritate & honore. Summus enim qui inter omnes illos eminebat, dicebatur נשיא, *Princeps.* s. ut *Epiphanius* interpretari videtur, *Patriarcha. Vid. H. Hott. Hist. Eccl. P.* I. *c.* IV. *Sect.* III. *p.* 210. vel alio nomine, maxime a tempore *Raf. Huna*, ראש הישיבה (*vid. Heinr. Hott. cap.* I. *pag.* 211.) *caput Synedrii* item: מופלא של בית דין: de quibus postremis *uterque Moses.* הגדול שבכלם שופטים יושב נקרא נשיא ומופלא: i. e. *summus qui inter omnes judices sedet dicitur Nasi sive Maphla vid. etiam R. Men. ben Israel not. ad Mass. Horaj. c.* I. §. ד. Quapropter etiam sublimiori præ cæteris hic pollebat autoritate, utpote, qui vicem Mosis sustinere credebatur, quam maxime, והוא הבעל הדרשה ומלמד התורה ברבים: *& publice interpretandæ legis potestatem habebat. Vid. Mass. Sanh. cap.* IV. §. 3. quem excipiebat iste, quem vocabant, אב בית דין *Patrem Senatus, Epiphanio, apud Hott. l. c. Apostolus.* שגדול בריינין שהדינין פוסקין על פיו: *cujus ore scilicet decidebantur lites.* Hunc denique sequebatur. Tertius κατ' ἐξοχὴν dictus, החכם, *sapiens* שננושאים ונותנין עמו *cum quo de agendis rebus præcipue communicabatur*, quibus deinde reliqui, pro sua doctrina ac eruditione, succedebant ordine: id quod infra, permittente summo Nomine, pluribus demonstraturi sumus.

POSITIO VIII.

שוטרים Judicum ministri, ex Levitis *illi delecti erant*. Tertulliano *Angeli exsecutionis, eorum officium*. *vox* ܕܚܫܐ *שוטרי הרכם: diversi ab istis quos* שוטרים *absolute diximus*.

SIcut autem hi in unum collecti judices, unicum quasi repræsentabant corpus: ita quoque sua adjuncta habebant membra, ac partes ministrantes, requirebantur enim non tantum duo סופרים seu *scribæ*, qui tam verba partium, quam vota judicum notabant. Verum etiam certi quidam ministri, ac apparitores, qui ipsis ministrabant & si quid facto opus esset, juxta ipsorum mandatum exsequebantur. Hi ipsis dicebantur שוטרים, quos etiam Pharaonis seculo exstitisse, ex *Exod*. V. 15. apparet: & quantum ex scripturis dignoscere possumus, ut plurimum oriundi erant, ex *familia Levi*. II. *Paral*. XIX. *cap*. I. *Nehem*. VIII. 7. quod & ipsum asserit, liber Hebræus, qui inscribitur ספרי, quando inquit: שוטרים אלו הלוים Scilicet *Levitæ* olim, ut quibus nulla permissa erat hæreditas cum reliquis tribubus, tam sacro, quam profano negotio, ordinarii habebantur ministri, ac suo quodam sibi jure, legum omnium, & rerum humanarum divinarumque scientiam vindicabant. *Adi. Fag. Targ. Deut*. I. 15. *Petr. Cun. L*. II. *de Rep. Hebr. cap*. IX. *p.m*. 217. Quales vero hi fuerint, id nobis definiunt Rabbinorum monumenta: שוטרים גוליירים חובטין במקלות השופטין לכל מי שאינו שומע: i. e. *Schoterim sunt staperii, s. præfecti carcerum* (videtur enim Rabbinorum *hoc* גולייר, idem esse, quod Gallicum, *Geolier*.) *ferientes baculo, ad nutum judicum, omnes, qui proterve obedire negligunt*. Paraphrastes *Chaldæus* ubique ferme transtulit per vocem סרכיא, cujus Thema Lexici Chaldaici autor, exponit חפש h. e. *apprebendit*. *R*. vero, *Elias* in *Thesbite suo*, קשר *vinxit, ligavit*, ut שוטרים non incommode latine dicas, apprehensores, vinctores, lictores: & profecto *Chaldaici* סרכיא, cum nostro *Germanico*: Scherge non male convenire, ipse sonus ingerit, *Syro placuit* ܕܚܫܐ *Exactor, Arabi*; مستخرج *minister, Aquilæ & Theodotioni Prov*. VI. 7. ἐκβιάστα *coactor, compulsor*: scil. quod horum officium sit ἐκβιάζειν h. e. ἀνύειν, (ut erudite exponit *Heinsius*) *perficere, conficere, ad effectum producere magistratuum jussa*. *Vid. Full. Misc. Sacr. L*. III. *c*. 19. *p*. 377. *Munst. ad cap*. I. 16. *Deut*. In N. T. venire videntur sub nomine ὑπηρέτων: *Matth*. V. 25. πρακτόρων Luc. XII. 58. & βασανιστῶν *Matth*. XVIII. 34. qui *Tertulliano angeli exsecutionis*. *Dan. Heins. Exc. S. p*. 86. Cæterum, quod horum fuerit officium, ex ipso nomine jam explicato, facile augurari possumus, & quodammodo liquet, ex *Deut*. XX. 5. *Job*. I. to. II. *Reg*. VII. 2. 17. & II. *Paral*. XVI. II. cujus ultimi loci vocabulum בשער *Gemara Sanhedr. c*. XI. *jux. Coch. Exc*. I. apposite explicat על פסקי שער i. e. *in negotio fori & mensurarum, quibus hi, ut inspectores præpositi erant*, paucis rem totam, præ cæteris explicat, רשי *Perusch super Deut. c*. XVII. שוטרים הם אשר בידם הכח והמשלה להוציא לאור משפט השופטים ובזולתם אין לשופטים שום כח ושום ממשלה על בעלי הריב כלל אלא להורות את הדין בלבד ואחרי הורתם את הדין אז השוטרים הם שבידם הכח והממשלה להכות ולרדות את החייב לקבל עליו את הדין ופי אחר מצותן אחר הוראתם כי הם אין להן כח לצוותן רק להורות: i. e. השוטרים *isti sunt, quibus facultas concessa erat, juxta ac potestas, sententiam ac mandatum judicum exsequi, absque his judices nullam omnino habebant potestatem in partes litigantes: sed ventilabant tantum causam, & pronuntiabant sententiam, juxta quam deinde* השוטרים *licitum erat, percutere ac cogere, eum, qui reus deprehensus fuerit, ad satisfaciendum pœnæ a judicibus dicatæ, juxta decretum illorum, hi enim non poterant mandare & præcipere aliquid, sed mandata tantum exsequi*. Hic subjungit אף כאן נקראו שוטרים כופוי הממשלה שיש להם על אותם שמתחייבו בב׳ר להכותם ולרדותם עד שיקבלו איליהם את הדין וכן על שאר העם לתקן השערים המדות שלהם ע״פ הדיינים: i. e. *Proptereaque dicti sunt* שוטרים, *ob potestatem, quam habebant super illos, qui in judicio condemnati fuerant, percutiendo eos ac cogendo, donec pœnam dederint, eodem modo etiam super reliquum populum, rectificando fora, & mensuras, quæ ipsi concreditæ erant; juxta mandatum judicum Si R. Mesnass. b. Israel vox* ܕܚܫܐ ea notione venit, qua diximus subiisse mentem Syri interpretis, hos, quos modo שוטרים s. apparitores vocavimus, etiam in ventilandis, & erogandis decimis, occupatos fuisse, dixerim ex *Mass. Peah. cap*. I. §. ד. כהן ולוי שלקחו את הגורן המעשרות שלהם עד שימרחו המקדש ופודה חייב במעשרות עד שימרח הניזבר: i. e. *Sacerdos & Levita, qui colligunt frumenta nondum triturata, reservant decimas, quæ ipsis invi-*

cem

cem debentur , *donec ventilaverint*, *quod vero consecratum aut certo modo redemtum fuerit*, *ejus decimæ deberi censentur*, *usque dum ventilaverit haggesbar* , h. e. ut explicat *R. Menasse ben Isr.* נכאי , *exactor* s. ut Ferrarius Lex. *præfectus ararii*, immo , si istud : ipsis quoque Eleemosynis præfecti , vide ex supra dictis de cxx., qui in civitate Synedrio digna , requirebantur, ex *Jarchide Pos.* III. Patere vero hinc arbitror , quid horum שוטרים præcipuum fuerit officium nempe, ut verbo me expediam : *pravorum obsistere petulantiæ* , *ac divæ Astrææ* . Sacra vindicare jura . Patet , quæ inter judices, & istos differentia : scilicet , illorum erat mandare & præcipere : horum obedire , & mandata exsequi, ita ut hoc, eosdem cum illis fuisse , dicere , plane absonum sit. Id quod iterum inculcat Raschi c. I. dum sua etiam ætate hanc quoque quæstionem motam, subinnuit: verbis ferme a superioribus non multum alienis: ופרשי השופש ממונה על השו השוטר שהשוטר עשוי לנגוש ולנוף מי שיצוה השופט לכוף : i. e. Judex major est præfecto, quia hic ea tantum facit ac exsequitur, quæ ipsi exsequenda mandat judex . Diversi vero ab his, & alii plane erant illi, qui vocabantur שוטרים הרבים , s. ut , cum א prosthetico loquuntur, *Gemaristæ*, אשוטרי הרבים: qui sicut proprie erant דייני ממונות, & nonnunquam , ut videtur , ad דיני קנסות adigebantur, & ad Synedria minora, ita non raræ erant apud ipsos dignitatis homines , non infimæ prosapiæ: ut qui Sacerdoti filia collocare poterant *Kid. c.* IV. §. ה. & cum, ut dictum est, judices erant, sua non destituti fuere reverentia, autoritate & eminentia; quam ego istis coactoribus & lictoribus, non tribuerim. Tales שוטרים, ac præfectos , istos fuisse existimo, quos Moses, ex viris sapientibus & peritis lectos, *Deut.* I. suo tempore , quo nec tribunalium arrogantior ordo, nec ipsarum dignitatum ambitiosior collatio , ad eos , ad quos posterioribus seculis pertigisse diximus, ascenderant gradus , singulari *Dei* decreto, in numerum LXX. s. Synedrium magnum allegit, quique ut exponit R. Sal. J. נתמני עליהם שוטרים בעבידת פרך מרחמים עליהם ומוכים על ירם : *anterioribus temporibus præfecti fuerant* , *in urgendis Pharaonis operibus* , *ac simul misericordes & correctione severi* , *judicia inter suos exercuerant*. Atque hoc forsan modo שוטרים eosdem cum שופטים pronunciaveris, quod alias, si ita *absolute* protuleris , contra omnem rationem dixeris.

POSITIO IX.

Reus quis esse potuerit ? Rex *&* Sacerdos Summus. *Prophetæ Vaticinium pro testimonio non admittebatur*. *Propria it. turpitudinis confessio* . *Certus in testibus delectus* .

TRes ut plurimum in omni judicio requiri personas, *judicem* nimirum *actorem* & *reum* , ex Jurisconsultorum Schola , supra retulimus , de judicibus , eorumque personis , qualitate , vocatione, ordinatione, ordine, & qui ipsis adjungebantur, ministris, nunc egimus: restat, ut brevissimis, quoad ejus fieri poterit , de reliquis , h. est. *actore* & *reo* , nostram explicemus mentem. *Actor*, qui in Judæorum Curia non צעק audiebat , quilibet esse poterat , qui injuriam sibi factam, animadvertebat, vel illatam existimabat . De cujus conditione ac jure , cum in Judæorum monumentis . digni quod referamus, inveniamus nihil, statim transimus ad *Reum*, ipsorum lingua passive dictus , נצעק , per quem h. l. non intelligimus eum , qui ratione facti tantum reus esse potest, שרינם מסור לשמים, *cujus judicium* ut ipsi loquuntur , *cœlo* i. e. *Deo* committitur , neque illum etiam , qui in judicio constitutus , ab ipso declaratur talis , sed illum proprie , qui ab actore talis præsumi, adeoque ab ipso coram judice accusari potest, hujus vices subite non poterant קטון וקטנה minorennes, quales apud ipsos censebantur , *qui numerum tredecim annorum & diei unius*, sive quod *apud femellas* , *undecim annorum & diei unius* nondum excesserant , aut quod aliter efferunt : לא משיבין שתי שערות ועד שיקיפין זקן התחתון: *Vid. Job. Coch. not. ad Mass. S. cap.* VII. §. 4. *n.* 9. *p.* 58. *& Mischam ipsam cap.* VIII. §. א. de his enim , licet crimen quoddam commiserint, ante ætatem adultiorem supplicium sumere non licebat : sicut de *puella vitiata tres annos nata* refert *in Kidd. Maim. apud Coch. c.* I. *p.* 60. Cæterum perstringebat hoc jus in antiqua Hebræorum gente, non tantum plebejos ac inferioris ordinis cives, vel cum his simul totas civitates, ac tribus totas , verum ad ipsos magnates penetrabat etiam , ac regum quoque pulsabat palatia . Hi si quidem in jus vocari poterant , verum non coram alio judicio , quam Synedrio magno , id quod , ut erudite exponit Schickard, *de Jur. Reg. cap.* II. *Theor.* VII. *p.* 56. ita non mediocriter impingit , vir alias incomparabilis , *Isaac. Caus. Exerc.* XIII. *ad Annal.*

nal. Baronii dum regem Hebræorum, nec unquam in judicio, de jure comparuiſſe; omnibus viribus adſtruere, ſatagit, idque unico tantum motus loco *ex Maſs. Sanh. c.* II. §. 2. המלך לא דן ולא דנין אותו: quem tamen, non niſi de *regibus tranſgreſſoribus & Samaritanis*, velle ipſam intelligi, ipſa clamat *Gemara ad l. c.* מלך לא דן ודנין אותו וכ' אומ' ר' יוסף לא שנו אלא מלך ישראל אבל מלכי בית דוד דן ודנין אותו: i. e. *Rex neque judicat, neque judicatur &c. id juxta Rab. Joſeph intelligendum non eſt, niſi de regibus illis, qui decem tribubus Iſraelis a tribu Juda ſejunctis, præfuere. Reges vero domus David & judicant, & judicantur.* Interim reges etiam in jus vocatos, ipſoſque coram Synedrio magno comparuiſſe, patet ex eo, quod refert *Gemara c.* I. de *Jannæo Rege*, (ſub quo legum peritos, qui alias חכמים nuncupari ſolebant, cognomen פרושים ſ. *ſanctorum* adeptos eſſe, notat *Coch. ad l. c. n. 2. p. 169.*) verba ipſius hæc ſunt: עבדיה דינאי מלכא קטל נפשא אמר להו שמעון בן שטח לחכמים תנו עיניכם בו ונדוננו שלחו ליה עבדך קטל נפשא שדריה להו שלחו ליה תא אנת נמי להכא והעיד בבעליו אמרה תורה יבא בעל השור ויעמוד על שורו אתא ויתב אמר ליה שמעון בן שטח ינאי המלך עמוד על רגליו ויעידו בך ולא לפנינו אתה עומד אלא לפני מי שאמר והיה העולם אתה עומד שנא' ועמדו שני אנשים אשר להם הריב וגו' אמר ליה לא כשתאמר אתה אלא כמה שיאמרו חביריך נפנה לימינו כפשו פניהם בקרקע נפנה לשמאלו כפשו פניהם בקרקע אמר להן שמעון בן שטח בעלי מחשבות אתם יבא בעל מחשבות ויפרע מכם מידבא גבריאל לוח בטן בקרקע ומתו באותה שעה: i. e. *Servus regis Jannai occiderat quempiam, dixit R. Simeon filius Schætach ad Sapientes: animadvertite in ipſum, & de ipſo judicate. Mittunt ad ipſum, ipſique nuntiant: Servus tuus homicidium commiſit: mittit ipſum: ſecunda vice ei denuo mandant: Tu te ipſum huc ſiſtas, ac teſtimonium perhibeas: dicit enim Lex de Dominis. Exod.* XXI. 29. *veniat Dominus bovis, & conteſtetur de bove, venit & aſſedit: Dixit ad ipſum R. Simeon ben Schætach: Rex Jannai: ſurge in pedes tuos, & tunc de ipſo teſtimonium dicitur neque enim coram nobis ſurgis, ſed coram iſto, qui dixit, & factus eſt mundus, dictum enim eſt: ſtabunt ambo, quorum cauſſa eſt, ante Dominum &c. Tum ille, non ex eo quod Tu dixiſti, ſed quod dicent collegæ Tuæ, circumſpiciente illo, dextrorſum & ſiniſtrorſum, vidit omnium oculos in terram defixos, quibus R. Simeon: vos meditabundi futurum eſt ut cogitabundus aliquis vos incurvet: quo facto: confeſtim Gabriel illos humi proſtravit, omneſque morti tradidit*: huic *Joſephus* aliud addit *de Herode*: quem vid. *Antiquit. L.* XIV. *cap.* XVII.

Nec melior conditio *ſummi ſacerdotis fuit*. *Maſſ. Sanh. c.* II. §. 2. hic quippe, non tantum cædi, verum etiam occidi prorſus potuit, ſi mortem meritus fuerit, h. v. non niſi a Synedrio mano, illud autem etiam a tribus, adſtipulante *M. Jom. Tobb. Toſ. ad l. c.* כל שאר דינין חוץ מדיני נפשות דן ודנין אותו כהדיוט בשלש' ולא כג' אלא בכ"ד ש'ל ע"א בדיני נפשות: i. e. *omnia reliqua judicia exceptis capitalibus judicat ipſe, & rurſus ab ipſis judicatur, etiam ab idiotis, ſi bi in confeſſum triumvirorum allecti fuerint, in capitalibus vero, a nemine niſi a Synedrio magno, ſententiam exſpectat*. Hunc ipſum rigorem, tribus & civitates, quæ vel totæ, vel maximam in partem ad idololatriam defecerint, a judicio illo ſupremo ſuſtinere tenebantur. *Maſſ. Sanh. cap.* I. §. V. *ſ. ult. quem vid. ſupr. Poſ.* VI. Immo, neque a brutis iſte abhorrebat etiam, ſi illa hominem occidiſſe demonſtrari poterat: verum non eatenus, ac ſi in bruta jus cadere ſtatuerent, ſed tantum, ut facti atrocitas ſeveriori quodam motu, ſpectantium perſtringere poſſet animos, cui ferme non abſimilem rationem adducit, *Miſchna Sanh. c.* III. §. 4.

Explicatis demum iis quæ de ordinariis judiciorum perſonis proferenda duximus, reſtat, ut antequam rivos claudamus, nonnulla de teſtibus addamus. Quorum interventus adeo erat neceſſarius, ut ſine illis controverſia decidi potuerit nulla. *Deut.* XIX. 15. *Matth.* XVIII. *v.* 16. 2. *Cor.* XII. I. nedum aliquis dari morti. *Num.* XXXV. 30. *Deut.* XVII. 6. *Hebr.* X. 28. Propria turpitudinis allegatio, cui *Joh. Coch. not. ad Maſſ. Sanh. cap.* VI. §. 2. *n.* 5. *p.* 49. addit prophetæ vaticinium) pro teſtimonio non admittebatur: *Hal. Sanh. cap.* XVIII. אין מתיתין ולא מלקין המודה בעבירה שמא נפטרו דעתו ובדבר זה שמא מן העלמין מידי נפש הוה המחפנים למות: i. e. *non interficiunt, ne verberant quidem, qui ultro confitetur tranſgreſſionem, ne forte ſoluti ſint ſenſus ejus, & præcipue, Melancholicus quiſpiam ſi ſit, occaſionem moriendi excogit*. Sicut autem teſtimonium proprium, in propria cauſa non habebatur pro legitimo: ita non quivis, pro teſte veniebat idoneo. Quoſdam n. arcta nimis arcebat ſanguinis propinquitas: quoſdam autem, cum exigua lucri ſpes, in vita ipſos tranſverſum agebat, ac ab ho-

ne-

nestis moribus & studiis, detinebat otiosos, dum nihil non lucri causa, vel libidinis, facturi videbantur, ipsa excludebat civilitas ac justitiæ amor. de illis, cum hujus rei tractatio proprie ad processum judiciorum pertinere videatur, inquit hac nostra prima dissertatione, præcipue de personis judiciorum, quatenus personis, agamus cum Deo Dissertatione secunda. Hoc Maimonides duabus comprehendit regulis: I. Qui dignum fustigatione crimen admiserint. II. Quicunque per nefas pecuniam ceperint. Speciatim hi enumerantur in *Mischna. S.* 1. *c.* §. המשוחק בקוביא ומלוים ברבית ומפריחי יונים וסוחרי שביעית: *Aloatores, fœneratores, qui columbas volare docent* (h. e. qui *columbas ilices alunt*) *& nundinatores fructuum anni septimi. Utpote qui ad usum tantum, non ad quæstum concessi erant.* Addit *Gemara* המסנים וגזלנין, *eos, qui depensa pecunia rem non venalem invito Domino auferunt, Publicanum itidem & pastores:* quibus junge: mulieres, servos, Mamseros sive allophylos, de his. *J. Tobb. Tos. ad Mass. Kidd. cap.* IV. §. de illis vero *Josephus. Antiq. lib.* IV. *c. ult.* γυναικῶν μὴ ἔστω Μαρτυρία διὰ κουφότητα καὶ θράσος τοῦ γένους αὐτῶν. Μαρτυρώτωσαν δὲ μὴ δὲ δοῦλοι, διὰ τὴν τῆς ψυχῆς ἀγένειαν, ubi, ubi, quæ de servis, tantum de servis natura, & illis quos χείρους κατὰ φύσιν αὐτῶν, dicit *Aristoteles* 1. *Pol.* IV. pronunciare videtur Josephus. Reliqui, licet proselyti etiam, omnes, Rex itidem & sacerdos summus testimonio suo optime veritati subvenire poterant: immo tenebantur.





JOHANNIS NICOLAI TRACTATUS DE SYNEDRIO ÆGYPTIORUM,

Illorumque Legibus insignioribus.

PROLOGUS.

CUM Ægyptii viderent, nullam Rempublicam sine legibus diu salvam & incolumem stare posse. Certum enim est remotis his illam facile ruinam pessimam habituram. Leges quippe sunt vinculum, quo Imperantes & obedientes, superiores & inferiores arctissime conjunguntur, ut Respublica firmo talo stare possit. Hinc salubres leges sanxerunt Reges Ægyptiorum, per quas Jus dicebant & crimina supplicio afficiebant; unde non dubitandum quin alii populi horum vestigia presserint. Nam de Græcis legimus, quod ab Ægyptiis leges suas, & ab his Romani suas hauserint, quarum utilitatem adhuc ex Jure nostro perspicimus. Ut igitur benevolus Lector has in succum & sanguinem convertere possit, nobiscum constituimus, Tractatulum de Synedrio Ægyptiaco illiusque Legibus conscribere, & collationem Legum Ægyptiacarum cum legibus civilibus instituere, quo quilibet facile cognoscere queat, quo nitantur fundamento. Nemo enim erit, qui hoc negaverit, quod collationes legum magnum in Jure proferant usum. Accipe igitur Benevole Lector hanc Legum collationem serena fronte, & si gratum hunc laborem cognoverimus, promittimus, inposterum publicæ luci dare collationem Legum Mosaicarum in Institutiones Justiniani, in Codicem, in Decalogum, &c. Precibus ergo flagitamus, ut his utatur B. L. donec illæ Lucubrationes lucem publicam viderint. Vale in Domino & favore illustra tuo hunc laborem.

CAPUT PRIMUM.

De Synedrii Ægyptiaci existentia.

I. QUemadmodum nulla fere gens reperta, nec hodie reperitur, quæ non varios habeat Magistratus, superiores & inferiores, in hunc finem constitutos & ordinatos, ut lites dirimant exortas, jura dicant, & omnem moveant lapidem, ut Respublica in tranquillo & beato statu conservetur; non est, ut ambigamus; An Ægyptii,

ptii, qui inter antiquissimos terræ populos numerantur, etiam *Synedrium* quoddam, seu summum *Tribunal* habuerint? quærimus. De Hebræis constat, & extra omnem dubitationis aleam positum, quod diversa & quidem tria habuerint *Synedria*, de quibus doct. Angl. *Johannes Seldenus* eruditum opus *de Synedriis Hebræorum* edidit, quem B. Lector evolvere velit, & statim rei veritatem reperiet. Legi etiam possunt de his D. *Quensted. Antiquit.* Bibl. B. *Carpzov. annot. ad Guilielmi Schickardi* משפט המלך *jus regium*, *edit. Lips.* aliique plurimi Scriptores, quorum gravissima nomina satis nota. Græci sane sua quoque habuerunt *Synedria*, inter quæ *Amphictyonicum*, & *Areopagiticum*, aliaque, de quibus erudite disseruit *Johannes Meurs. in tract. de Areopag.* Confer. *Carol. Sigon. de Republ. Atheniensi*. Quid prohiberet asserere, quod etiam Ægyptii populi sapientissimi *Synedrium* habuerint, ubi jus dictum & controversiæ decisæ? Impossibile etiam fuisset, tantam populorum multitudinem, sine Magistratibus gubernare. Et licet regem habuerint; attamen probabile non videtur, illum solum jus dixisse. Onus enim intolerabile fuisset, quod humeris imparsuis.

II. Cum igitur universa Ægypti terra juxta *Strabonem* antiquitus in triginta Nomos seu præfecturas divisa fuerit, necesse etiam fuit singulo Præfectum aut Ephorum adhungere; nam omnes hi Nomi in triginta Deorum & Geniorum, quos *Ephoros* aut *Decanos* in Deorum Republ. appellat *Trismegistus*, distinguebantur. Confer. *Hugo Robinson in Annal. Mundi fol. m.* 122. *lib.* 2. *edit. Londin.* qui quidem XL. Νόμους τοῦ Νόμου accuratius inspiciamus, quod Græce a *Ptolomæis* ita dictum, quod nihil aliud, quam *Jurisdictionem* significet. Hinc NOMUS est locus JURI DICUNDO CAUSISQUE TRACTANDIS OPORTUNUS, quem antiqui ⲠⲒϮⲀⲈⲚⲒⲢ i. e. Præfecturam seu Curiam, Arabes ليوان i. e. prætorium vocant.

III. Ex his satis elucet, quod quilibet NOMUS certam curiam vel prætorium habuerit, ubi convenerint Senatores deliberandi vel judicandi causa. Jure meritoque hos possemus appellare νομοφύλακες *legum custodes*, qui non solum literas, sed etiam facta hominum observarent ad legesque revocarent. Vid. *Lexic. Jurid. ex Brisson. Hotman. Prate. Cujac.* aliisque auctoribus collectum *pag. m.* 660. Quid enim aliud curia antiquitus erat, quam forum judiciale? uti probat *Marcell. Donat. in dilucidat. in Flav. Vopisc. pag. m.* 1049. Ita quoque apud Ægyptios factum non dubitamus. Tempore enim *Sesostris* totam *Ægyptum* in tres partes divisam legimus, in inferiorem, mediam, superiorem; quarum unaquæque in *Decem* iterum *Curias* sive præfecturas dirimebatur teste *Abenephio*, suusque singulis erat Præfectus, qui in ordines inferiores imperium habebat. Complexa autem est Regio ordines tres, Ordinem nempe *Pastorum*, *Agricolarum* & *Opificum*.

IV. Horum hominum multitudo in quovis NOMO reperiebatur magna, quæ aliter regi non poterat, quam per Magistratum ibi ordinatum & constitutum. Hinc negari non potest, in singulis *Nomis Curias* vel *Præfecturas* fuisse institutas, in quibus certæ personæ Magistratus munere functæ jus dixerint & unicuique suum tribuerint. *Thebis* autem & *Heliopoli* certa *delubra* fuisse ajunt, ut in his iterum quicquid vago cultu tota complecteretur *Ægyptus* componeretur. Horum meminit *Strabo lib.* XVII. ubi de Labyrintho agit, qui cum fuse de hoc dixisset, denique in hæc erumpit verba: In fine hujus ædificii, quod plus stadio occupat, est sepultura, quædam pyramis quadrangula, cujus quodlibet latus quatuor fere jugerum & altitudo par. Sepulti nomen est *Imandes* (verius Simandes) dicunt, tot aulas ibi factas esse, quot PRÆFECTURÆ, solitosque eo convenire, atque epulum quoddam sacris viris ac mulieribus fiebat sacrificii gratia Deo reddendi, & JURIS DICUNDI de rebus maximis; quævis autem præfectura in suam aulam procedebat. Eadem fere refert *Abenephius* de عين شمس *Ainschems*, i. e. *Heliopoli*, cujus verba ex versione *Athanasii Kircheri* sequentia sunt: Est autem in عين شمس *Ainschems*, h. e. Heliopoli fabrica, cui tot domus perhibentur esse, quot CURIÆ antiquitus in Ægypto censebantur, & unaquæque ex iis habebat Telesman & idolum, quod colebant pro salute terræ, in qua erat *Curia*.

V. Colligi facile ex his dictis potest, quod quilibet Nomus peculiarem Curiam habuerit, in qua Idolum & oraculum repositum, quod Sacerdotes consuluerint, si controversia decidenda occurreret; quippe in *Nomo* I. *Racoti Mercurius sub Ibidis figura* cultus teste *Kirchero fol. m.* 15. *Oedip. Ægypt. Syntag.* I. Nomo secundo Phtenutho *Curia* vel delubrum erat, in

quo

quo *Serapis*, quem maximum Deorum Ægyptii, teste Diodoro, Apulejo & Ammiano Marcellino appellabant, sacra faciebant, insomniaque captabant. Ita in reliquis *Nomis* factum esse ostendit fuse *Kircher.* l. c. Observandum autem quod in his Nomis Sacerdotes Magistratuum officium gesserint, & in inferioribus & superioribus Synedriis vel Curiis Judices fuerint. His leges suas tradidisse dicitur *Mercurius*. Vid. *Kircher. Syntag.* 2. *cap.* 1. *fol. m.* 115. ubi pluribus de his & illorum Adjutoribus disserit. Ex quibus omnibus satis patet, Ægyptios Synedria seu Curias habuisse.

CAPUT II.

De Synedrii Magni Ægyptiorum Personis.

I. JUdicia Ægyptiorum non casu fiebant, sed ratione; existimabant enim rite facta plurimum vitæ humanæ prodesse. Nam punire nocentes, auxilium ferre oppressis, optimam ad prohibenda mala facinora viam putabant; pœnam vero delicti, aut pecunia, aut gratia tolli, confusionem vitæ communis fore existimabant. Quamobrem e civitatibus clarioribus *Heliopoli*, *Memphi* & *Thebis* viros optimos eligebant, quos judiciis præficerent; qui Judicum consessus, neque Athenarum Areopagitis, nec Lacedæmoniorum Senatui, longo tempore postea institutis, cedere videbatur. Videantur *Athanas. Kircher. in Oedip. Ægypt. Syntag.* 2. *de politic. Ægypt. cap.* 11. *fol. m.* 120. *edit. Rom. Hugo Robinson. in Annal. Mundi edit. Londin. lib.* 2. *fol. m.* 123. Confirmat hoc testimonio suo *Diodor. Sicul. lib.* 1. *pag.* 48. b. his verbis: *Ex nobilissimis civitatibus viros optimos judiciis præfecerunt Ægyptii. Nam ex Heliopoli & Thebis & Memphi Celenos judices elegerunt.* Clarius *Ælianus histor. variar. lib.* XIV. *cap.* XXXIV. explicat, quinam ipsi viri optimi fuerint, quando ita literis tradit: Δικασαὶ δὲ τὸ ἀρχαῖον παρ᾽ Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν, i. e. *Judices apud Ægyptios iidem quondam fuerunt, qui & Sacerdotes.*

II. Ex jam allatis testimoniis quilibet facile intelliget, quod personæ in Synedrium Ægyptiacum cooptatæ fuerint Sacerdotes, penes quos maxima fuerit auctoritas. Aderant enim hi gravibus semper in rebus consilio atque opere Regibus, tum astrorum peritia, tum vero sacrificiis futura prædicentes. Hi post Reges secundum honoris dignitatisque gradum vel locum tenebant; quare Regibus semper adjungebantur, ut horum ministrorum die noctuque adstantium conspectu Rex nihil turpe committeret. Vid. *Petr. Gregor. Tholosan. prælud. optim. Jurisconsulti lib.* 2. *cap.* XXVI. *pag. m.* 229. *edit. Lugd.* 1583. Priusquam autem ulterius progrediamur, ex *Diodori* verbis, loca prius examinabimus, unde desumti vel accersiti fuerint Judices Sacerdotes? Non diu hic disquirendum & inquirendum; cum ipse Auctor referat, ex nobilissimis civitatibus *Heliopoli*, *Thebis* & *Memphi*. Merito autem hic quæritur, cur tantum ex his tribus civitatibus apud Ægyptios Judices electi? Et si accuratius rem examinamus, nulla alia ratio dari potest, quam quod hæ urbes bonarum artium & profundioris doctrinæ sedes fuerint. Quod igitur ad *Heliopolim* attinet, illa *civitas Solis* dicta est, quæ ex primariis totius Ægypti urbibus fuit, religione & cultu Deorum celebris. Quidam hanc cum *Memphi* seu *Mesra* confundunt, id quod ab *Athanas. Kirchero fol. m.* 29. *Oedip. Ægypt. Syntag.* 1. *c.* IV. decisum est. Ab Arabibus vocatur عين شمس *Oculus Solis*, uti *Geograph. Nubian.* recensente *Kirchero* testatur. Ab Hebræis autem dicitur *On*. Ita Rasse in Micra Haggedola in XXX. Ezech. און מדינת מצרים נקרא בלעז בית שמש או עין שמש: i. e. On civitas Ægypti dicitur in lingua barbara Bethsames vel Ainsames, i. e. domus vel oculus Solis. Cum autem hæc civitas *Osiridi*, qui Sol putatur, dedicata, arbitramur, quod in illa educati fuerint, qui Osiridem imitarentur. Nam ille a primis annis fingitur avidus audiendi, gradior factus flagrasse desiderio eruditionis. Quid aliud his significatur, quam quod in urbe hac studia maxime floruerint, ubi studiosi in omni disciplina eruditi fuerint, ut aliquando Reipublicæ maximo commodo esse possent.

III. Hoc autem probamus ex illo, quod scientiis & disciplinis ab omni antiquitate Ægyptii dediti fuerint, maxime post tempora *Abrahami*, qui ex Chaldæis primus eos docuit Astronomiam, auctor est *Joseph*, *Antiq. lib.* 1. *cap.* 9. Hodie sane ubique suas habere Scholas, nullum esse NOMUM, ubi non Academiam & aliquando plures reperias. Quod de veteribus Ægyptiis tradidit *Diodor. Sicul. lib.* 1. *cap.* 3. Non solum Professores habere publicos in Scholis & Academiis, sed & erudiri singulari cura a Sacerdotibus. Vid. celeb. *Braun. in Select. Exercit.* IV. *pag. m.* 725. Si igitur in quovis Nomo Academiam habuerint, sequi-

ſequitur quod potiſſimum ſtudia in nobiliſſimis Urbibus culta fuerint. Requirebatur etenim ab Ægyptiorum Sacerdotibus, ut docti eſſent & periti, potiſſimum in his, quæ ad religionem eorum pertinebant, ideo & leges callere debebant, ut notat *Livius* & *Cicero de legib. ad Attic. lib.* 4. *epiſt.* Et Sacerdotes *Heliopolitani* Philoſophiæ & Aſtrologiæ erant peritiſſimi, teſte *Strabone lib.* 17. *Geograph.* Et apud *Ægyptios* Sacerdotes tantum ex Philoſophis eligebantur. Confer. *Tholoſani Præludia optim. Juriſconſult. pag. m.* 228. *lib.* 2. *cap.* xxv. Sic etiam de duabus aliis celeberrimis civitatibus ſentiendum, e quibus Judices accerſebantur Sacerdotes.

IV. Viſis locis ad qualitates harum perſonarum progredimur, quibus præditæ eſſe debebant, ſi ad hoc munus eligi vellent. Indicat hoc *Siculus* quando ita diſſerit: *Viros optimos judiciis præfecerunt Ægyptii*. Vocat illos *optimos*, quod vocabulum omnes Judicum qualitates in ſe comprehendit, ut ſcil. prudentes & virtuoſi eſſe debeant. *Prudentes*, alias non poterunt Reipublicæ naviculum regere. Quis enim navim mihi dirigat ſine ferro, quod affricuit Siderites? Sic nemo Rempubl. ſine mente, quam afflavit illa Diva. Hinc *Plato* vere ait *in Menon. ſub fin. temp.* ἡ φρόνησις μόνον ἡγεῖται τοῦ ὀρθῶς πράττειν, & alter Sophus *Ariſtotel. lib.* 6. οὐχ οἷόν τε ἀγαθὸν εἶναι κυρίως ἄνευ φρονήσεως. Quare ulterius inquit: φρόνησις ἐστιν ἕξις ἀληθὴς μετὰ λόγου πρακτικὴ περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ ϗ καλά. Vel ſecundum *Lipſium Pol.* 1. *cap.* 7. Prudentia eſt intellectus & delectus rerum, quæ publice privatimque fugiendæ aut appetendæ. Intellectum dixi, quia hic eſt, qui videt omnia, ideoque ὄμμα τῆς ψυχῆς a *Jamblicho* apud *Stobæum ſermo* 3. jure dectus. Dilectum addidimus, quia eadem, quæ ſeligit, & recto judicio, honeſta e deterioribus, utilia a noxiis diſcernit. Itaque judicare vel conſulere nihil aliud eſt, quam quid agendum vel fugiendum ſit, inquirere ac ratiocinari, is bene conſulit, quod eſt prudentiæ munus. Ergo primum quod ad optimos pertinet requiſitum eſt prudentia. Eligebant igitur optimos Sacerdotes Judices, qui ſingulari prudentia præditi erant.

V. Cum autem prudentia non ſine virtute, nec virtus ſine prudentia eſſe queat, ideoque viro optimo virtutem adjungimus. Sine virtute enim prudentia (inquit Lipſius) calliditas eſt & malitia, & quidlibet potius, quam prudentia. Quicquid enim non temere agimus, id eligimus. Eſt enim electio appetitio cum ratione; atque ut electio bona ſit, neceſſe eſt, rationem rectam eſſe & appetitum bonum: quorum illam Prudentia perficit, hunc virtus. Videatur D. *Schaller*, *in diſſert. politic. de Conſiliar.* Qui nunc prudentia & virtute carent, optimi non poſſunt ſalutari; nec illi qui prudentia ſola præditi; ſed qui ſimul morum gravitate vitæque continentia. Eligebantur in Judices ergo ab Ægyptiis *optimi*, quorum veſtigia preſſit *Alexander Severus* teſte *Herodian.* vi. i. *pag.* 253. quos ita deſcribit: *Quippe cum primum ſedecim ordinis Senatorii viros, ætatis gravitate vitæque ſanctimonia præcellentes, aſſeſſores Principis delegerunt*, &c. Illuſtratur locus ex *Lampridio in vita Alexandr. p.* 137. his verbis: *Amicos ſanctos & venerabiles habuit, non furaces, non factioſos, non callidos, non ad malitiam vel malum conſentientes, non bonorum inimicos, non libidinoſos, non crudeles, non circumventores, non irriſores, non qui illum ſicut fatuum circumducerent; ſed ſanctos, venerabiles, continentes, religioſos, amantes Principis ſui*, &c. Hi itaque, qui his virtutibus præditi optimi dicuntur; quare hinc conjici poteſt, quibus virtutibus Sacerdotes Judices ornati fuerint, quæ ab omnibus Judicibus hodienum requiruntur. Ex his jam ſatis patet, quod perſonæ in *Synedrium Magnum Ægyptiacum* receptæ Sacerdotes probatæ fidei & inculpatæ vitæ graviſſimiſque moribus fuerint. Quas qualitates de Judicibus Hebræorum etiam requiſivit Deus ipſe *Exod.* xviii. 21. Evolvantur hic *Selden. de Synedr. Hebræor. lib.* 1. *cap.* 14. *pag. m.* 380. *ſeqq. Herman. Conring. Diſſert. de Republ. Hebr. Sigon.* & *Cunæ. de Republ. Hebræor. Henric. Ainſvvorth. Com.* in h. l.

CAPUT III.

De diverſis Sacerdotum Ægyptiorum ordinibus.

I. Sacerdotes ergo a Mercurio in Judices inſtitutos fuiſſe extra omnem dubitationis aleam ponimus, cum hiſtoriarum teſtimonia id ſatis confirment. Factum autem hoc eſſe non ſine rationibus, quia humanæ voluntatis in legibus ſervandis caducitatem probe noverat, & ut ſuarum legum conditarum perpetuos ſucceſſores haberet, ſacerdotum hominum ſagaciſſimorum, ingenio, ſapientia & peritia rerum præcellentium, quibus ſolis ad regni ſucceſſionem aditus foret, inſtituit *Collegium*; quibus artium,

tium, *legumque* a ſe *conditarum* normam tradidit, eoſque juramento adegit, ne præter ordinis ſui homines, eandem ulli alteri communicarent; præterea ſacrificiorum rituumque in Numinibus qua colendis, qua placandis præſcriptas leges, iiſdem veluti optimam hæreditatem reliquit, & quia ſoli Sacerdotes tantæ moli inſufficientes putabantur, iis varios veluti Coadjutorum regni ordines ſubſtituit.

II. Primi inter hos erant *Cantores*, qui dubia ex legum Mercurii Digeſtis circa Deorum hymnos & laudes exorta ſolverent, rationes vitæ regiæ ad ſupremarum mentium ideas diſpoſitas edocerent. Et hi forte erant, qui ſemper Regem comitabantur, de quibus *Diodorus Sicul. l.* 1. ſed nobiliorum ſacerdotum filii, tum ultra viginti annos nati, tum doctrina præ cæteris eruditi. Et ritum hunc canendi leges forſitan Græci ab Ægyptiis hauſerunt, qui cantilenæ hujus genus per NOMON explicant. *Ariſtotel. Sect.* 19. *Probl.* 28. de hoc ritu ita diſſerit: Διὰ τί νόμοι καλοῦνται, οὓς ᾄδουσιν; ἢ ὅτι πρὶν ἐπίςασθαι γράμματα ᾖδον τοὺς νόμους, ὅπως μὴ ἐπιλάθωνται, ὥσπερ ἐν Ἀγαθύρσοις ἔτι εἰώθασι, καὶ τῶν ὑςέρων οὖν ᾠδῶν τὰς πρώτας, τὸ αὐτὸ ἐκάλεσαν ὑπὲρ τὰς πρώτας, i. e. *Cur leges pleræque cantilenæ appellantur? An quod homines priuſquam literas ſcirent, leges cantabant, ne eas oblivioni mandarent; quod etiam noſtra ætate Agathyrſis in more eſt. Ergo primas quoque poſteriorum cantilenarum eodem appellaverunt nomine, quo nomine ſuperiores vocabantur*. Confer. *Franciſc. Rous in Archæologia Attic. lib.* 3. *cap.* 1. *pag. m.* 95. *edit. Oxonienſ.* Ut igitur Reges Ægyptiorum & alii leges memoriæ firmiter inprimerent, conſtituti fuerunt Sacerdotes *Cantores*.

III. Secundi ordinis erant *Horoſcopi*, quorum Symbolum erant *horologium* & *palma*, quos quatuor *Mercurii* de Aſtrologia libros alto pectore imbibiſſe oportebat; eorumque officium erat, temporum exactam diſtributionem in Deorum cultu peragendam obſervare, legum traditarum certis anni temporibus, dierumque ſolenniis populo prælegere, feſtorum ſtativas ſolennitates juxta Solis & Lunæ ſiderumque curſum diſpoſitas perpetuo & conſtanti tenore conſervare. Tertii ordinis erant *Hierogrammatiſtæ*, i. e. Scribæ ſacrorum. Obſervandum autem, apud Ægyptios triplicem literarum viam & rationem eſſe, indicante *Clemente Alexandrino l.* v. *Strom.* unam ἐπιςολογραφικὴν, alteram ἱερογλυφικὴν, tertiam ἱερατικὴν *Sacerdotalem*, qua utebantur ἱερογραμματεῖς ſive Scribæ ſacrorum, quos hic inprimis conſiderabimus. De his *Suidas*: Οὗτοι παρ' Αἰγυπτίοις ἦσαν δεινοὶ, καὶ περὶ τῶν μελλόντων τὴν ἀλήθειαν εἰπεῖν. Καὶ τούτων τὶς ἀναγγέλλει τῷ βασιλεῖ, τεχθήσεσθαι τινα, κατὰ ἐκεῖνον τὸν καιρὸν, τοῖς Ἰσραηλίταις, ὃς ταπεινώσει μὲν τὴν Αἰγυπτίων ἡγεμονίαν, αὐξήσει δὲ τοὺς Ἰσραηλίτας, τραφεὶς ἀρετῇ δὲ πάντας ὑπερβαλεῖ, καὶ δόξαν ἀείμνηςον κτήσεται. Περὶ Μωυσέως λέγων, i. e. *Hi apud Ægyptios erant valde periti prædicendi veritatem de rebus futuris. Horum autem quidam Regi prædixit, quendam illo tempore genitum iri apud Iſraelitas, qui educatus Ægyptiorum quidem principatum eſſet depreſſurus, Iſraelitas vero aucturus, & omnes virtute ſuperaturus, & gloriam immortalem conſecuturus: de Moſe loquens*. Quæ quidem *Suidas* ex *Joſepho*, *lib.* 2. *Archæol. cap.* v. hauſiſſe videtur: addit *Joſephus*, Regem hoc vaticinio territum infantes aqua mergi juſſiſſe. Pergit *Suidas*: Εὐήνης Αἰγυπτίων βασιλεὺς δίκαιος πάνυ, ἕπεται δὲ τῷ τρόπῳ τοῦ ἀνδρὸς τούτου ἄλλα μὲν ἐκ θεοῦ ἀγαθά. Καὶ μέντοι καὶ ἱερογραμματέα ᾄδουσιν οἱ Αἰγύπτιοι κατὰ αὐτὸν γενέσθαι θεοφιλῆ τε καὶ ἐς πολλὰ λυσιτελῆ, ὄνομα αὐτῷ Ἰαχίμ. Ὃν φασι περιάπτων καὶ ἐπαοιδῶν ἔμπειρον γενέσθαι. *Evenes fuit Ægyptiorum Rex juſtiſſimus, cujus viri mores & virtutem cum alia divinitus data bona conſecuta ſunt: tum etiam illud, quod Ægyptiaci libri canant, fuiſſe illius tempore ſacrum ſcribam, virum Deo charum, & ad multa utilem, cui nomen erat Jachim: quem amuletorum & incantationum peritum fuiſſe tradunt*.

IV. Ægyptiorum Sacerdotes & ſapientes autem Magiæ deditos fuiſſe ex ſacris Literis Exod. VII. manifeſtum eſt. Celebrantur præcipue duo *Moſis* coætanei *Janes* & *Jambres*, quorum etiam *Paulus* 2. *Tim.* III. 8. meminit, & Talmud Babylonic. & *Apulejus in Apolog.* 2. ſecundum antiquam diviſionem. Vid. *Trogil. Arnkiel. pag.* 322. *Numenius* etiam & *Artapanus* apud *Euſebium lib.* 9. *Præpar. Evangel. cap.* III. & IV. Mercurium Triſmegiſtum Saturni Scribam fuiſſe, idem *Euſeb. lib.* 1. *Præpar. Evangel. cap.* VII. affirmat hunc autem *Mercurium* Ægyptium ipſum Moſem fuiſſe judicat *Huetius demonſtr. Evangel. propoſ.* IV. *cap.* 4. §. 5. Hi etiam γραμματεῖς ἱεροὶ καὶ προφῆται ſacram navem adornant, qua Apidem, ex loco ubi ad tempus nutritus eſt, Memphim transferunt, teſte *Æliano lib.* 11. *de animal. c.* 10. Inter Regis Miniſtros apud *Diodor. Sicul. lib.* 1. *cap.* 70. comparet a ſacris libellis Sacerdos, qui poſt ſacrificium conſulta quædam & facta clariſſimorum virorum e Commentariis ſacris prælegit, & *cap.* XCI. circa

circa cadaverum ſepulturam primus Scriba, depoſito humi corpore, circum illa ſiniſtrum latus, quantum inde reſecandum ſit, circumſcribit. In ſacrorum pompa, apud *Clementem Alexandrinum lib. 6.* poſt *Cantorem* & *Horoſcopum* tertio loco procedit ἱερογραμματεὺς pennas in capite geſtans, habens in manibus librum, regulam in qua atramentum ſcriptorium & calamus ad ſcribendum. Hunc ſcire oportet hieroglyphica, Coſmographiam, Geographiam, ordinem Solis, Lunæ & quinque planetarum, Chorographiam Ægypti, ac deſcriptionem Nili, ac omnis ſacri apparatus, locorumque ſacrorum cum ſua dimenſione, & quicquid in ſacris utile. Confer. *Athanaſ. Kicher. Oedip. Ægypt. Syntag. 2. fol. m. 115. cap. 1.* & *Obeliſc. Pamphil.* ubi fuſe. Sic & in *Iſidis* pompa, quam *Apulejus lib. 11. Metamorph.* deſcribit, γραμματεὺς cœtu paſtophororum velut in concionem vocato, de libro, de literis fauſta vota præfatur: *Principi magno, Senatuique & Equiti, totique Romano populo, nauticis, navibus*, &c.

V. Quarti ordinis erant *Stoliſtæ*, qui juſtitiæ cubitu & calice ad libandum inſtructi, conſuetis Comitiis & conciliabulis aderant, quorum officium erat, ea omnia, quæ ad ſacras diſciplinas & inſtituta pertinebant, & ea inviolabili rigore ſervanda, & illibato vigore cuſtodienda ſollicitare, & ſi quæ a primo rigore defeciſſent, ſummo ſtudio, cura & ſollicitudine inſtaurare; præterea ſacrificia opportuno tempore peragere, ſacra μοσχοσφραγιστικά, i. e. quæ Apides, ſeu Vitulos ſacros qua conſignandos, qua mactandos concernebant, diſponere. Horum meminit *Clemens Alexandrin. lib.* VI. *Strom.* Sequitur, qui dicitur στολιστής, i. e. ornator, qui juſtitiæ cubitum & ad libandum habet calicem. Is ſcit omnia, quæ dicuntur παιδευτικά, i. e. ad diſciplinam & inſtitutionem pertinentia. Hi ſacerdotes ſine dubio dicti ſunt *Stoliſtæ* ab amictu, quod longis ſtolis induti inceſſerint, quale genus veſtium ſacerdotibus plerumque commune fuit, uti *Saubertus de ſacrif.* & celeberrim. *Braun. de veſtit. ſacerdot. Hebr. fuſe demonſtrant*. Videatur quoque *Trogil. Arnkiel.* Dun den Cymbziſchen Heydenthumb *pag. m.* 275.

VI. Quinti ordinis erant *Prophetæ*, quorum ſymbolum erat *hydria* in manu geſtata, atque horum officium erat, de rerum in Comitiis agitatarum eventibus judicare, ſiniſtros eventus a proſperis per auguria cæteraſque divinationum ſpecies diſcernere. Horum meminit *Clemens Alexandrin. l. c.* his verbis: Poſt omnes exit Propheta, qui aperte in ſinu geſtat hydriam, quem ſequuntur, qui emiſſos panes portant; is, ut qui ſit ſacrorum præfectus, ediſcit libros ſacerdotales, continent autem de legibus & diis & univerſa ſacerdotum diſciplina. Propheta etiam apud Ægyptios præeſt diſtributioni vectigalium. Atqui hi ſunt ordines ſacerdotalis dignitatis, quorum autoritate, conſilio & prudentia, totius Monarchiæ Ægyptiacæ moles veluti fundamento inſiſtebat.

CAPUT IV.

De Judicum Synedrii Ægyptiaci numero, & hujus Principe.

I. Viſis ſacerdotum Ægyptiorum ordinibus, ex quibus Judices in Synedrium recipiebantur; ordo requirit, ut paucis etiam de numero illius verba faciamus. Ante Paſtorum incurſionem, in capitalibus cujuſque Regni urbibus, *Memphi* olim, *Heliopoli* atque *Thebis*, Præfecturas juridicas conſtitutas fuiſſe veriſimile eſt. Jam vero poſt expulſos Paſtores, cum Ægyptus omnis unius imperio ſubjecta fuit, unum fuit totius Ægypti Tribunal, ſervata nihilominus Privilegii veteris ratione. Judices enim tam ex *Memphi*, atque *Heliopoli* quam *Thebis* ad magnum Thebanorum Conſiſtorium electi ſunt, teſte *Diodoro Siculo lib.* 1. *pag.* 48. Confer. *Athanaſ. Kircher. Oedip. Ægyptiac. Syntag. 2. fol. m. 120. edit. Rom. Hugo Robinſon. in Annal. Mund. lib. 2. fol. m. 123. edit. Londin.* Et quidem ex ſingula harum *Decem*, ita ut numerus Judicum Synedrii hujus *triginta* fuerit, qui omnes controverſias dirimerent, & ſuum cuique tribuerent.

II. Si ergo aliorum populorum mores Hebræorum & Græcorum conſuetudinem perpendamus; certe illi certum numerum in Synedriis ſuis habuerunt. Ad Hebræos quod attinet, illi tria habuerunt tribunalia, quorum maximum Hieroſolymis erat conſtans LXXI. membris. Vide *Johan. Selden. tr. de Synedriis Hebræor. B. Carpzov. erudit. annot. ad Schickardi* משפט המלך *Joh. Henric. Othon. Lexic. Rabbino-Philolog. p. 628. annot. ad Carol. Sigon. de Republ. Hebr.* alioſque. Deinde etiam *Synedrium* XXIII. virorum erat. Vid. *D. Quenſted. Antiquit. Bibl.* & denique Synedrium *trium virorum*, quod minimum erat. Ita apud Græcos varia fuerunt *Synedria*, de quibus egimus in tract. de Synedr. Græcorum. Inprimis celeberrima erant *Areopagiticum* & *Amphictyonium*, in quibus certus aſſeſ-

ſeſſorum numerus conſpiciebatur. Cætera jam ſilentio præterimus. Evolvere tamen poteſt B. Lector *Sigonii libellum de Republ. Athen. edit. Vonet.* 1565. Joh. *Meurſ. lib. de Areopagit.* Ita Ægyptiorum Synedrium Magnum *Triginta Judicum* erat, teſte *Diodoro Siculo l. c.*

III. Numerum hunc confirmat ſæpe citatus Diodor. Sicul. lib. 1. pag. 48. his verbis: *Congreſſi* xxx. *hi viri*. Confer. *Hugo Robinſon. l. c.* & *Joh. Marsham. in Canon. Chron. pag. m.* 316. edit. *Lipſ.* Cur autem xxx. tantum electi fuerint & non plures ex his civitatibus, merito quæritur? Quidam putant factum hoc eſſe ob libros *Mercurii*, in quibus tota politicæ doctrina & Philoſophiæ Ægyptiacæ exſtaret. Hi numero XLII. erant, quorum XXXVI. dictorum quinque ordinum virorum, potiſſimum x. quibus univerſa ſacerdotalis doctrinæ ratio, uti & hieroglyphicorum arcana ſcientia continebatur, mente tenere obligabantur; ut obortis in Regno difficultatibus diſſidiiſque, quomodo ſecundum traditas leges mature iis occurrendum, prompta mente diſpicerent. Tenebantur hi Sacerdotes ut x. libros accuratiſſime memoriæ impreſſos haberent; & ſi conjecturare licet; Ex quavis nobiliſſima urbe *Mempbi*, *Heliopoli* & *Thebis decem* accerſebantur, quorum unuſquiſque unum tantum librum edidiciſſet, & ex illo expedite reſponſa dare poſſet; ita etiam de duabus reliquis ſentiendum. Ne itaque fallerent, nec falli poſſent, ex quavis decem elegerunt, qui ſimul collecti numerum xxx. explebant, ita ut tres ex uno eodemque libro bene ſentire & judicia ferre poſſent. Verum vix his calculum addere poſſumus album, cum conjectura tantum nitantur. Probabilior illorum ſententia, qui ſtatuunt, xxx. Judices electos eſſe ad numerum NOMORUM Ægypti, in quos univerſa Ægyptus teſte *Strabone* diviſa fuerit, ut ita hi xxx. totius Ægypti ſtatum repræſentarent. Imo uti cap. 1. oſtendimus in quavis harum trium nobiliſſimarum civitatum delubra fuiſſe, ubi quilibet NOMOS curiam propriam habuerit.



IV. Ex his igitur curiis judices eligebantur, qui Synedrium xxx. virorum efficiebant. Hi ſummum caput ſibi conſtituebant, ſeu Præſidem doctrina & gravitate morum conſpicuum, alios ætate ſuperantem. De hoc *Diodor. lib.* 1. ita ſcribit: *Congreſſi hi* xxx. *viri unum ex ſe ipſis, qui optimus, ſummum Judicem conſtituunt, in cujus locum urbs alium Judicem conſtituit*. Hinc patet, Præſidem quendam ſeu caput in hoc Synedrio fuiſſe, uti etiam in aliis Synedriis apud varios populos. Hebræi in Synedrio ſummum caput ſeu Pontificem habuiſſe ex illorum ſcriptis elucet. Confer *Selden. de Synedriis Hebr.* Druidæ præſidem habebant, uti Cæſar meminit. *Olaus Magnus lib.* 3. *c.* 8. hujus in populo ſuo mentionem facit. Apud Pruſſos & Vandalos vocabatur CRIVE, reliqui autem, qui ſub illius imperio erant, SIGONOTÆ dicebantur: vid. *Dysburg. p.* 3. *Chron. Pruſſ. c.* 5. *Waiſel. in Chron. Pruſſ. fol.* 21. Germani quoque tale ſummum caput agnoſcebant referente *Cluver. pag.* 211. Romanis hunc morem uſitatum fuiſſe *Feneſtell. lib.* 1. *de Sacerdot. Rom. c.* 8. *Pomp. Lætus lib.* 2. *de ſacerdot. Rom. cap.* 9. Ita etiam *Ægyptiis*, teſte *Herodot. lib.* 2. *n.* 46. *pag.* 113.

V. Non autem putandum ac ſi Ægyptiis tantum hæc conſuetudo uſitata fuerit, quod Judices Sacerdotes fuerint, cum & aliis populis hæc frequens. Ut igitur probemus hanc opinionem, ex *Æliano* teſtimonium afferemus, qui ita *Hiſt. Var. lib.* XIV. *cap.* XXXIV. Δικαςαὶ δὲ τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν. ἦν δὲ τέτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, ϗ ἐδίκαζεν ἅπαντας. Ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρω-

θρώπων καὶ ἀφειδέστατον, &c. *Judices apud Ægyptios iidem quondam fuerunt, qui & Sacerdotes. In his Princeps erat maximus natu, & in omnes statuendi jus habebat. Eum omnium hominum esse justissimum & sincerissimum oportebat.* Apud Romanos olim Pontifices suum habuisse collegium & judicia exercuisse, non tantum in rebus sacris, & civilibus, nimis est notum, quam ut probatione egeat. Videatur *Guther. de jure Pontif. lib.* 1. *c.* XXIV. & XXXIII. & *lib.* 2. *cap.* I. II. & *seqq.* Imo Virgines Vestales judicia exercuisse constat ex Gutherio, quem vide.

CAPUT V.

De horum Judicum vestitu & victu, & quidem summi Judicis.

I. CUM ergo hi Judices apud Ægyptios Sacerdotes fuerint, facile de vestitu & victu constabit, de quibus in hoc capite acturi sumus. Quod autem Judices certum vestimenti genus habuerint in causa capitis testimoniis probabimus. Prætores apud Romanos Prætextam non mutabant, nisi in causa capitis, uti ex *Valer. Maxim. lib.* IX. patet, qui sic de C. Licinio scribit: Consimili impetu mortis *C. Licinius Macer vir Prætorius repetundarum reus, dum sententiæ dicerentur, in Mœnianum conscendit, siquidem cum Marcum Ciceronem, qui id judicium cogebat, prætextam ponentem vidisset*, &c. Posita autem prætexta induebant *Pullam*, quæ in funere frequens. Apud Græcos *Nemei* certaminis *Judices pullatos* sedisse compertum est, quod ii ludi funebres essent. Apud Romanos tamen Prætores in Megalensibus, quorum Judices erant, prætextati sedebant. Dubitationem *Seneca* tollit in 1. *de Ira cap.* XVI. cujus hæc sunt: *Itaque etsi perversa induenda Magistratui vestis, & convocanda classico concio est, procedam in tribunal non furens, nec infestus, sed vultu legis.* Quem locum *Muretus* sic explicat: *Prætextati incedebant magistratus; sed cum civem quempiam capitis damnaturi erant, ponebant prætextam, eamque perversam induebant: id est, partem illius floridiorem, ac nitidiorem introrsus ad se vertebant, mœroris significandi gratia.* Confer. *Martin. de Roa Singular. lib.* 3. *pag. m.* 272.

II. Quare ita censemus Magistratus ac Judices in ea veste semper judicasse, in qua forum & urbem inire vulgo solebant: si Reges essent, in veste cultuque regio: si Prætores, si Judices in prætexta, aut alia quapiam usitata, non apud Romanos solum, sed etiam apud Hebræos. Sic extra omnem dubitationis aleam ponimus apud Ægyptios Judices certum quoddam vestimenti genus habuisse, cum jus dicerent. Facile autem conjicere possumus ex vestibus Ægyptiacis Sacerdotibus communibus, quæ lineæ erant, uti ex *Herodoto* probavit celebr. *Braun. de vestit. Sacerdot. lib.* 1. *cap.* VI. *pag. m.* 103. *edit. noviss.* Hunc morem plurimi populi retinuerunt, uti Trogil Arnkiel in libello Cymbrische Heyden. Religionem pluribus testimoniis illustrat, quando ita pag. m. 273. differit: Die heilige Priester-Kleider sind bey den Heyden lange weisse rocke gewesen / von Kostlichen Lemwad / mit einem gurtel umbgeben: *Joseph. Laurent. l.* 3. *Polymath. Synop.* 5. Vestes albas gestarunt Gothici Sacerdotes, *Ola. Magn. lib.* 3. *cap.* 8. Germanorum Sacerdotes, Alex. ab Alex. lib. 4. c. 17. Gallorum, *Plin. lib.* XVI. *cap.* 44. Ægyptiorum, *Herod. lib.* 2. *n.* 45. *p.* 113. Syrorum, *Ross. p.* 2. *de relig. Mund. q.* 3. *cap.* 13. *Ursin. vol.* 2. *Analector. Sacr. lib.* 2. *num.* 26. Persarum, *Diogen. Laert. Præf. de vit. Philosoph. p.* 5. *Curt. lib.* 3. *cap.* 13. Græcorum, *Ross. l. d. P.* 4. *q.* 19. *p.* 187. Romanorum, *Fenestell. lib.* 1. *de Sacerdot. Rom. cap.* V.

III. Quod Sacerdotes Ægyptiorum linteis vestibus amicti fuerint *Apulej. lib. Metam.* testatur XI. Antistites Sacrorum candido linteamine vestiti erant. Confer. *celeb. Anton. van Dale in lib. de antiquit. ex marmor. edit. Amstel.* 1702. *pag. m.* 168. *seq.* de Sacerdotibus *Isidis* seu magnæ Matris Deum differentem. Inter quos tamen summum Sacerdotem aliter amictum fuisse ex *Luciano* probat *pag. m.* 169. inquiens: Summus autem Sacerdos quotannis alius surrogatur: qui solus purpuream vestem gerit, & aurea tiara redimitur. Unde facile colligere possumus Judices Sacerdotes in Synedrio Ægyptiaco candidis amictos fuisse vestibus; Judicem vero summum seu Præsidem ornamentis quibusdam præditum fuisse. Ille enim de collo, ex aurea catena dependens gestabat ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων SIGNUM E PRETIOSIS LAPILLIS, cui nomen VERITAS. Audiamus *Ælian. lib.* XIV. *cap.* XXXIV. ita scribentem: Apud Ægyptios olim Judices Sacerdotes erant: qui natu maximus, eorum princeps erat, & in omnes jus dicebat; Εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα Ἀλήθεια, i. e. Gerebat de collo imaginem ex Sapphiro, & imago illa vocabatur VERITAS. Ex quo *Athanasius Kircher. in Oedip. Ægyptiac. Syntagm.* 2. *fol. m.* 120. *Tom.* 1. *edit.*

Rom. cap. 2. ita recenſet: Is (Judex ſummus) auream catenam ſuæ dignitatis ſignum, variis ornatum lapillis a collo ſuſpenſum, quod Veritatem dicebant, geſtabat. Confer. *Hugo Rabinſon. in Annal. Mundi lib.* 2. *fol. m.* 123. *edit. Londin.*

IV. Idem videtur intellexiſſe *Diod. Sicul. lib.* I. *cap.* III. ubi de Judicibus Ægyptiorum diſſerit: Ἐφόροι, inquit, δὲ ἀρχιδικαστὴς περὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον ἀλήθειαν. *Geſtabat judex ſummus in collo ex aurea catena pendens e lapillis pretioſis ſimulachrum, cui veritas nomen*. Ex utroque Auctore colligendum eſt, ſimulacrum hoc VERITATIS ex Sapphiro præcipue confectum, aliis pretioſis lapidibus ornatum fuiſſe. Tribunalis, ſeu Synedrii Ægyptiaci imago ex Oſimandis ſepulchro exhibetur, quod ex variis probatis Scriptoribus deſcriptum nobis exhibet Angl. *Eques Johannes Marſham. in Can. Chronolog. Secul.* XV. *pag. m.* 429. *edit. Lipſ.* ita diſſerens: In ultimo pariete duæ ſunt ſtatuæ ſedentes, ex integro ſaxo XXVII. cubitorum; juxta quas ex periſtylio tres ſunt introitus, in domum columnis ſubſtructam, inſtar Odei, cujus ſingula latera duorum plethrorum: in ea multæ ſunt ſtatuæ ligneæ litigatorum, reſpicientium Judices. Illi, in uno parietum ſculpti, ſunt numero XXX. & in medio SUMMUS JUDEX, habens VERITATEM ex collo pendentem, & oculos clauſos, & libros plurimos ſibi adjacentes. Ex quibus clare cognoſcitur, quod Judex ſummus præ aliis Judicibus catena & ſimulacro Veritatis fuerit præditus.

V. Notandum autem quod ſimulacrum hoc dictum ſit Ἀλήθεια VERITAS LXX. Interpretes Ægyptiaco Ἀλήθεια vocabulo Hebræorum *Thummim* exprimunt, innuentes, Moſen, illo Sacerdotis ſummi ornamento, Ægyptios imitatum fuiſſe, ut citatus Angl. *Johannes Marſham. pag. m.* 316. aſſerit. Cui adſtipulatur Angl. *Johann. Spencerus in tract. de Legib. Hebr. ritualib. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* IV. *diſſert.* VII. *pag. m.* 388. 389. *edit. Hagæ-Com.* 1686. qui multis argumentis probare conatur, hoc Pontificis Ægyptiaci ſimulacrum idem eſſe ac apud Hebræos Pontificis *Urim* & *Thummim*. Quo reſpexerunt quidam doctiſſimi Interpretes, qui אורים ותומים Urim & Thummim per δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν doctrinam & veritatem reddiderunt, ita *Vulgatus* & *Hieronymus* expoſuerunt, & *Chryſoſtom. Orat.* IV. *contra Judæos*, δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν explicat. Hoc ſenſu optime cum pectorali ſummi Sacerdotis Hebræorum conveniret illa torques, quam habebat circa collum Sacerdos Aegyptiorum, cujus imago aut lapides pretioſi, aut etiam Sapphirina imago dicitur Ἀλήθεια VERITAS, uti annotavimus paulo ante. Verum antequam ad refutationem opinionis falſiſſimæ *Spenceri* & Marshamii progrediamur, ſententiam clar. *Martini Mauritii* in medium producemus, quam in *libr. de ſortitione Veter. Hebræor. pag. m.* 237. *ſeqq. edit. Baſil.* adduxit, quæ ſequentibus verbis ita exprimitur.

VI. Tradunt rerum antiquarum ſcriptores Diodor. Sicul. & Aelianus, *Judices* Aegyptiorum antiquitus geſſiſſe in pectore de collo pendentem bullam quandam ex pretioſis gemmis confectam, quam vocabant *imaginem Veritatis* ſeu *Veritatem*; eamque pro tribunali ſedentes partibus litigantibus applicaſſe, atque ſic veritatem ſeu juſtitiam fuiſſe manifeſtam. Ejuſmodi Judex erat *Moſes* quoque, in omni Aegyptiorum ſapientia educatus: ergo & ipſe hujuſmodi imaginem ex avito inſtituto geſtavit in pectore, tunc inprimis ea uſus, quando inter partes litigantes jus erat ei dicendum: tum enim accedebant illum, ut & alii, qui conſilium in rebus gravibus a Deo petebant, *Exod.* XVIII. 15. erat autem tunc temporis apud Aegyptios alioſque Orientales conſuetum, ut qui Judex erat, eſſet ſimul Sacerdos. Poſtea vero quam *Iſraelitæ* ex *Aegypto* erant liberati, Deus plurimos ritus priſcos immutavit, proprium & ſibi acceptum cultum inſtaurans: tum & hoc factum, ut duo officia, judiciale & Sacerdotale in duos diſtinguerentur ordines, inque duas diſtribuerentur perſonas, *Moſen* & *Aaronem*; quorum ille retinebat officium forenſe, hic fungeretur ſacro; quapropter huic etiam inſignia ſummi Sacerdotii fuerunt permiſſa. *Exod.* XXVIII. 30. *Intra pectorale immittas Urim & Thummim, ut ſint ſuper corde Aaronis*, q. d. in poſtremum *Urim* & *Thummim* in *Aaronis* & cujuſvis ſuccedentis Pontificis pectorale geſtentur, quæ hactenus in tuo, Moſe, pectore fuerunt. Ubi obſervandum, quod *Exod.* XXVIII. dicitur: Et indas in pectorale *Urim* & *Thummim*, *Levit.* VIII. 8. dici ita: Et induit *Moſes Aaroni* pectorale, & in pectorale indidit *Urim* & *Thummim*: erat enim pectorale duplicatum, *Exod.* XXVIII. 16.

VII. Moſes ergo *Urim* & *Thummim*, oraculi divini inſtrumentum, de ſuo pectore tranſplantavit in pectus *Aaronis*. Divinum vero hoc oraculum reſponſa dabat externo ſplendore gemmarum, quem

& in-

& interius antiquum *Urim* & *Thummim* & exterius pectorale novum Aaronicum virtute divina fundebat: erant enim hæ gemmæ pectorales quasi novum *Urim* & *Thummim*, aut cum veteri *Mosaico* coalitum in unum, ut tam gemmæ veteris *Urim* & *Thummim*, quam gemmæ Aaronici pectoralis collucescerent ad aperiendam veritatem: a quo splendore simul & munere ejus vocatur *Urim* & *Thummim*, i. e. lucentia & recta, q. d. si lucent, recta quoque sunt, quomodo sæpe in S. Scriptura conjungitur *Lux* & *Veritas*; conf. *Psalm.* XLIII. 3. Si causa aliqua inter partes controversa & judicio humano imperscrutabilis ad oraculum hoc deferebatur, splendore vel emisso vel denegato, bonitatem vel malitiam causæ denotabat. Confer. 1. *Sam.* XXVIII. 6. Sic in reddendis oraculis splendor Urim & Thummim certissimum erat & gratiæ divinæ & dati responsi indicium. Denique concludit his verbis: Quæ sententia quanquam a nemine hactenus, quantum novi, quoad substantiam τ̃ *Urim* & *Thummim* sit asserta, quia tamen & ipsi S. Historiæ, & veterum Judicum Aegyptiorum ritibus sit conformis, ita mentem meam occupavit, ut vix credam quicquam solidi contra eam posse efformari. Huc usque *Mauritius*.

VIII. Hanc quidem Cl. *Mauritii* sententiam defendit doctissimus filius sub præsidio plur. *Reverendi Maji Fautoris nostri æstumatissimi Giss.* 1696. cujus argumenta etiam proferemus. Inscribitur Disputatio illa de *imagine Veritatis fatidica* & *Juridica*, ubi §. 1. significat, quid per imaginem veritatis fatidicam intellectum velit, seipsum simul explicat, quod maxime quidem Hebræorum Urim & Thummim indicetur; sed simul quoque id oraculi divini instrumentum, quod ipsum hoc Aaronicum præcessit & ab Auctoribus vulgo *Imago Veritatis* vel *Veritas* nuncupari consueverit. Et paucis lineolis interjectis dicit: Revera enim Hebræorum *Urim* & *Thummim* nihil aliud erat usu suo, quam imago veritatis, qua Deus veritatem causarum inter litigantes partes & certitudinem futurorum eventuum arcanarumque rerum, pondus habentium, notitiam, gratiose populo suo manifestabat. §. IV. hoc theorema ponit: Cultus Israeliticus & ante & post Exitum ex Aegypto plurima habuit communia cum cultu Aegyptiorum. Hoc theorema probare conatur, quia multa Aegyptii a Patriarchis habuissent; uno asserit, quod cultus Israeliticus in deserto restauratus multa communia habuerit & retinuerit ex cultu Aegyptiaco; ubi tamen *Spenceri* sententiam rejicit tanquam duram; attamen in sequentibus verbis defendit, quod plurima in restauratione cultus *Mosaici* retenta, quæ Aegyptii vel Israelitæ in Aegypto commorantes observassent, uti *Spencerus* de legibus Hebr. probasset, hac tamen limitatione addita, quod necesse non sit dicere, Deum ex Idololatrico cultu in suum verum transtulisse; dari enim tertium, nimirum, Deum ea quæ Ægyptii ex Veteris seu Patriarchalis Ecclesiæ institutis bona adhuc habuerunt, & retinuisse, & nova lege restituisse, Idololatricis ceremoniis exterminatis.

IX. Verum ut ad hæc pace viri docti respondeamus, haud calculum album addimus assertioni *Imaginem fatidicam Ægyptiorum* fuisse *Urim & Thummim*, & longe præcessisse *Aaronis Urim & Thummim*; quod veritati consentaneum non videtur. Nam *Urim & Thummim* non a ירה *docere &* אמן *verum est*, derivantur; sed ab אור & תם *luce & perfecto*. Optime ergo *Luther*. Licht und recht reddidit. Audiamus ea quæ *Excell. & acutissimus Hillerus Profess. O. L. in hac Alma famigeratissimus Fautor noster æstumatissimus in suo tract. de Gemmis duodecim in Pectorali Pontificis Hebræorum pag. m. 60. edit. Tubing.* 1698. adduxit: Splendor gemmarum vocatur אש esch vel אשתא eschtha Chaldaico effatu, vel אורים *Urim*, quæ dictiones *ignem* denotant, hinc & ipsum pectorale propter gemmas suas dictum Urim vetummim, ignes & perfectiones, id est, natura & artificio perfecti ignes. Cadit igitur sententia ex etymo allata, qua putat תמים veritatem significare. Nec firmo stat talo §. 2. quo hoc theorema conspicitur, ubi statuit, Ægyptios præ cæteris Orbis populis laudem scientiarum habuisse, quam multis verbis probare vult; cui adjungit §. 3. ubi hoc theorema extat, quod Aegyptii sapientiam celebratam habuerint a sanctis Patriarchis. Hæc sane si accuratius examinaverimus, plane contrarium cum celeberrimis viris, *Braunio*, *VVormio*, aliisque statuimus, quorum testimonia paulo post publice dabimus. Quæritur itaque, quænam illa sapientia Ægyptiorum fuerit, quam jactitent profani Scriptores? Ad quam respondemus, Astrologicam scientiam fuisse, ab Aegyptiis cultam, uti tradunt historicorum plurimi, & ipse Athanasius Kircher, in Oedip. Aegyptiaco hanc ipsis maxima laude tribuit.

X. Sed quam infantes verba sunt doctissimi *Wormii pag. m.* 94. *lib.* 1. *antiq. cor-*

corrupt. in cælestium motuum observatione fuerint Aegyptii Chaldæique fere omnes, nemo in his sacris mediocriter versatus ignorare potest. Hanc ignorantiam itaque sequentibus verbis ita probat: En quam motuum cælestium periti, stellarum in Occidentem motum non deprehenderant, ideo octavam sphæram primum mobile opinabantur, Solem cæterasque planetas iu excentricis moveri nesciebant. Hinc ab uno æquinoctio ad alterum spatium æquale definiebant, idque non ex speciali observatione, sed ex solstitiorum computatione. Vid. *Johann. Morin. in epist. ad Vendelin.* Hanc Aegyptiorum inscitiam considerans vetustissimus Orphicorum auctor, non potuit non quin eos præ Abrahamo contemneret, quem solum fere Astrologum vocare dignatus est, & quidem apud *Clement. Alexandrin. Strom. lib. 2. & Euseb. lib. 3. Præparat. Evangel.* hisce verbis:

> Οὐ γάρ κεν τις ἴδοι θνητῶν μερόπων κραίνοντα
> Εἰ μὴ μουνογενής τις ἀπόῤῥωξ φύλου ἄνωθεν
> Χαλδαίων, ἴδρις γὰρ ἔην ἄστροιο πορείης
> Καὶ σφαίρης, κίνημ' ἀμφὶ χθόνα ὡς περιτέλλει
> Κυκλοτερὲς, ἐν ἴσῳ τε μετὰ σφέτερον κνώδακα.
> *Nemo illum novit mortalia cuncta regentem*
> *Unicus ille nisi Chaldæo sanguine cretus*
> *Norat enim solis qua se astrum lege rotaret*
> *Et circum terram magnus se volveret orbis*
> *Æqualisque teresque intus sita circumplectens.*

Nullum autem alium his significari asserit prælaudatus *Wormius*, quam *Abrahamum*, id quod variis testimoniis *pag.* 95. illustrat. Hinc constat, Ægyptios non tanta scientia præditos fuisse, ut vulgo putatur.

XI. Quod ad theorema secundum §. 3. adductum attinet, ubi asseritur, quod Ægyptii a Patriarchis scientiam hauserint, id quod iterum probabile videtur. Aut enim ab Abrahamo didicerunt, aut ab alio. Jam autem constat, ante Abrahamum nullum ejusmodi institutum viguisse in Ægypto. Ergo sibi ipsi contradicit, quod ab Ægyptiis hauserint Hebræi. Ita etiam cadit tertium theorema affirmans: Cultum Israeliticum ante & post exitum ex Ægypto plurima communia habuisse cum cultu Ægyptiorum, quod negamus cum celeberrimo *Braunio*, qui in *Select. Sacr. lib. v. Exercitat.* 1. *pag. m.* 580. 581. in hæc erumpit verba: *Turpissime itaque delirant hodie non minus, quam simplicius olim, quicunque affirmant, Hebræos & Circumcisionem, & Pascha, & Templa, & Sacerdotia, & Sacrificia, & Sacerdotes, & Vestes albas lineas, & Pectorale, Urim & Thummim, & Gemmas, & Tintinnabula, & Arcam & Cherubim, omnesque ritus, & religionem, & leges didicisse ab Ægyptiorum ritibus, sistris, vestibus xilinis albis, lapide Sapphiro,* ἀληθείᾳ, *ex eorum cista, & Teraphim, & imagunculis, aliisque superstitionis & Idololatriæ instrumentis atque ritibus; Cum certissimum sit, ipsos Ægyptios suorum pleraque per Cacozeliam ab Hebræis habuisse, & religionem, & ritus, & leges quamvis corruptissime, omnibusque etiam sanctissimis rebus in superstitionem versis.* Et quamvis Ægyptiorum sapientia apud reliquos populos maxime fuerit decantata, ut etiam *Stephan. Act.* VII. dixerit: *Mosen* edoctum fuisse in omnibus scientiis *Ægyptiorum*, inde tamen probari non potest, Priscos Hebræos sapientiam didicisse ab *Aegyptiis*. Nam & ipsi Hebræi tempore Mosis, Aegyptii dicti sunt; & *Aegyptii* sapientiam, quam profitebantur & quam docuerunt, ab *Abrahamo* illiusque nepotibus didicerant.

XII. Ita & alia, quæ in dicta Dissertatione continentur, recensere possemus, si prolixi esse vellemus. Hoc tamen intactum linquere non possumus, quod §. VI. cum *Spencero* unum inflet cornu, qui *Aeliani* & *Diodori* testimonia infallibilia æstimat, cujus vestigia duo docti viri presserunt, arbitrantes *Aeliani* & *Diodori* autoritatem tantam esse, ut ulteriori probatione opus non habeant. Verum quam labili fundamento nitantur hi cum Spencero pluribus ad oculum demonstrarunt victiri doctissimi, inter quos referendi sunt plur. Reverend. Vir. D. *Johann. Frideric. Mayer. S. R. M. Sueciæ Consiliar. in Dissert. Theolog. Kilon. habita* 1700. *de* Λόγῳ, *pag. m.* 28. 29. ubi hæc leguntur verba, quæ huc adscribere non pigebit: Nemo divino huic oraculo majorem intulit injuriam, quam *D. Johannes Spencerus*, & paucis interjectis scribit: in quo illi adstipulatur *Johannes Marsham. in Canon. Chron.* Hunc errorem data opera refutarunt *Hermann. Witsius de Ægyptiorum sacrorum cum Hebraic. collatione. Christian. Worm. lib. 1. de corrupt. antiquit. Hebr. apud Tacit. & Martial. vestigiis. Salomon Tillius in Atrio Gentium. Johannes vander Wayen in Var.*

Sa-

Sacris, & ſpeciatim de Urim & Thummim ſententiam *Philipp. Ribeudealdus Cabilonenſis* peculiari Tractatu, qui Aegyptiorum ἀλήθειαν ex profeſſo rejecit, quod cum Hebræorum Urim & Thummim convenientiam habuerit. Vid. Excell. *Otho Profeſſor Marpurgenſ. Amicus noſter colendus in Diſſ. de Urim & Thummim*; quare benevolum lectorem ad illos remittimus. Imo apud alios moris quoque fuit, quod Sacerdotes fœminæ de collo imagines ſuſpenſas habuerint, uti ex effigie ex *Sponio* retulit *celebr. Anton. van Dale in antiquit. pag. m.* 142. *edit. Amſtel.* cujus rei imaginem hoc loco damus.



XIII. Ad victum quod attinet, ille dabatur a Regibus Judicibus, ita tamen ut ſummo Judici opulentior daretur quam aliis. Vid. *Athanſ. Kircher. Oedip. Ægypt. fol.* 120. *Syntag.* 2. qui hæc ex *Diodoro Siculo* retulit. Confer. Hugo *Robinſon. in Annal. Mund.* loco ſupra citato. Verum hic non diu hærebimus, ſed ad alia magis neceſſaria nos conferemus.

CAPUT VI.

De modo agendi in hoc Synedrio.

I. CŒptis Judiciis ac ſigno veritatis a Principe Judicum propoſito, omnibuſque legibus, quæ octo libris continebantur, in medio eorum conſtitutis, *diſceptationes* incipiebant. Vid. *Ælian. Var.* XIV. *c.* 34. Sciendum autem eſt, quid per τὸ agere intellectum velimus, tunc reſpondemus, quod agere actionem apud Ulpian. *l. non ſolum* 39. §. 1. eſt in judicio proponere. Judicium vero definitur ab Ariſtotele diſceptatio de juſto & injuſto. In diſceptatione de juſto & injuſto neceſſe eſt tres eſſe perſonas: duas, quæ inter ſe diſceptent, & tertiam, cujus beneficio diſceptatio finem conſequatur, nimirum ut in lucem producatur veritas. Hinc judicium, quatenus ſumitur pro eo quod ſimile eſt conventioni ſeu contractui, poteſt definiri ſocietas diſceptiva de eo quod juſtum vel injuſtum eſt, quæ conſtat ex tribus perſonis, actore conquerente de injuſto, *reo*, qui actori reſpondet, & judice lites diri- mente & quid juſtum vel injuſtum ſit pronunciante.

II. *Actor* is eſt, qui querelam in Judicio proponit. Ut vero hic admittatur, & ut bene diſceptationem ſuam informet, inſtructus eſſe debet actione aliqua. Eſt autem hic actio jus ſeu facultas jure competens perſequendi in Judicio, quod ſibi debetur. Et omnis actio fundata eſt in Syllogiſmo, cujus medium concludendi eſt damnum illatum. Concluſio vero continet modum illud damnum corrigendi. Corrigere autem eſt ei qui plus habet detrahere, & addere ei qui damnum perpeſſus eſt. Ex his patet, nemini actionem competere, niſi læſionem aliquam allegare poſſit. Læſio autem in eo poſita eſt, quod cum quis habeat jus, deſtituatur exercitio. Ita quoque in Synedrio coram Judicibus hoc modo actio inſtituebatur, ut duæ perſonæ coram Judice litigarent, quarum una *actor*, altera *reus* erat. Verum modus agendi hic erat.

III. Mos erat accuſatorem ea, in quibus alium accuſabat, modumque patratæ injuriæ aut damni facti, quanti eam æſtimaret, ſcribere, *Reo* tempus dabatur reſcribendi ad ſingula, quibus aut ſe id non feciſſe, aut recte feciſſe vel purgando aut injuriam, vel damnum minoris æſtimando proteſtabatur. Scribere igitur hic erat in judicio provocare. Unde in rem ſcriptæ actiones exceptioneſque appellantur, quæ generaliter in rem proponuntur & adverſus poſſeſſorem dantur, quanquam ex certæ perſonæ facto oriantur. Si igitur quis injuria ab altero affectus vel damnum ipſi illatum erat, tunc ſcribere vel æſtimare poterat damnum vel injuriam & lædentem accuſare. Damnum autem eſt omne malum, quod quis præter voluntatem patitur & pecunia æſtimari poteſt. Nam quod pecunia æſtimari nequit, nec in correctionem venire poteſt: nihil enim habemus, quod damnum vel lucrum æſtimare poſſit præter pecuniam, utpote quæ eſt communis

nis mensura omnium rerum, quæ in commutationem veniunt. Hinc si *bona inæstimabilia*, veluti *pudicitia*, *vita*, *valetudo & integritas membrorum liberi hominis* amissa sint, correctio fieri nequit; sed tunc vitiositas potius puniri solet.

IV. Accusatione hoc modo facta, *reo* rescribere permissum erat ad singula vel *exceptione*, vel *negatione*, vel *diminutione*. Cum enim intentio *actoris* sit nihil aliud, quam conclusio Syllogismi, in quo fundatam actionem esse tradit, contineatque conclusio illa modum corrigendi, quem *actor* vult a *judice* adhibendum esse, quo injustum, quod se putat perpessum esse, corrigatur. Vocamus hanc inintentionem *postulationem*, quia solebat apud *Romanos Actor*, comparente in judicio *Reo*, suam actionem prius edere, ac deinde desiderium suum exponere, vel alterius desiderio contradicere. Hic *Reo* iu Synedrio Ægyptiaco tempus dabatur ad singula scriptis respondere vel excipiendo, vel negando, vel factum minoris pretii æstimando, vel seipsum purgando. Hoc facto rursus *accusatori Reoque* invicem locus erat. Ita his auditis litigatoribus, cum judices de controversia quæsivissent, princeps *signo veritatis* in partem veriorem verso, sententiam ferebat. Bene modum agendi in Synedrio hoc expressit Anglus *Hugo Robinsonius* in *Annal. Mundi lib. 2. fol. m.* 123. *edit. Londin.* his verbis: *Actor & crimen, & facti modum & damni æstimationem scripto exhibebat. REUS criminationibus libello scriptam opponebat defensionem. Vel enim negabat, vel non concedebat peccatum, vel minori pœna dignum excusabat. Bis uterque auditus est, data respondendi mora. Tum collatis judicum sententiis, alteri litigantium Veritatis tradebatur, Victoriæ jam, signum. Scriptis Ægyptii nudam rei veritatem citius expediri posse, quam orationibus putabant & voce viva. Causidicorum enim artibus, multum juri caliginis offundi, judicibus ipsis fucum fieri aliquando & fraudem.*

CAPUT VII.

De Lege & pœna perjurii.

I. HIS ita prælibatis, haud elienum ab instituto judicamus, si antiquas Ægyptiorum leges, de quibus in hoc Synedrio actum, in medium proferamus, quo cognoscamus, quam convenientiam cum aliis legibus habeant. Inter has sit prima ex *Diodoro Sicul. lib.* I. *cap.* VI.

PERJURI MORTE MULTANTUR:

Ratio additur, quia *pietatem* in Deos violabant, & *fidem*, maximum societatis humanæ vinculum. Duplici ergo scelere tenebantur in Deum & in homines. Ut igitur clarius res pateat, videbimus, quam sancta apud Ægyptios juramenta fuerint. Sane *Ægyptiis*, referente *Grotio lib. 2. de jur. Belli & Pac. p. m.* 247. *ex Diodoro*, Jusjurandum μεγίϛη παρ' ἀνθρώποις πίϛις, *maxima fides hominibus inter se*; quare omnem moverunt lapidem, ut juramentum stricte servarent. Hinc magnum apud *Ægyptios* & solenne juramentum erat per *Osirin*, qui maximus illorum habebatur Deus, uti variis in locis ostendit *Selden. de diis Syris. Confer. Elias Sched. de Diis German. pag. m.* 94. *Marsham. Canon. Chron. pag. m.* 32. *edit. Lips. Herman. Witsi. in Ægypt. pag.* 65. Hunc magnis honoribus afficiebant, & nefas esse ducebant JURAMENTUM per OSIRIN factum violabile futurum, quare Scholiastes Lycophronis, ὁ μέγας ὅρκος τοῖς Αἰγυπτίοις ἐτύγχανε μὰ τ' Ὄσιριν. Vid. *Tract. nostr. de jurament. pag.* 12. Cum Ægyptii quoque Reges suos ut Deos colerent, per vitam Regum jurabant, quod in Ægypto magnum fuisse jurisjurandum asserit Henricus *Ainsvvorthius Comment. in Genes. fol. m.* 148. *edit. Londin.* his verbis: *And so svveare by the Kingslife vvas a great Oath in Ægypt.*

II. Jusjurandum itaque dictum velut *Jovis jurandum*, uti ex libello de Deo Socratis observavit *Apulejus*, ex quo excellent. *Andreas Adam Hochstetter. Fautor noster æstumatissimus in Dissert. de Juramentis* recenset: prodiit *Tubingæ* 1702. Confer. huc *Johann. Henric. Meibom. illustrat. ad Hippocratis jusjurandum edit. Lugd. Batav.* 1643. *cap.* 2. *pag. m.* 15. qui *Cicer. lib.* 3. *de Offic. Turneb. Adversar. lib.* VI. *cap.* XVII. *Lips. lib.* I. *Elector. cap.* 18. adducit. Græci Ὅρκον dicunt. Vid. *Francisc. Rous Archæolog. Attic. lib. 6. cap.* IV. *edit. Oxon.* Ὅρκον quidem *Eustathius* refert veteres censuisse dictum ἀπὸ τοῦ ὅρου seu *limite*, quod ὁρίζωσίν τι ὁμολογητικῶς ὀμνύοντες, *determinent aliquid qui definitive jurant*. Ipse vero ἀπὸ τοῦ ἕργειν, quod est *cogere*, derivat, aut quia is, qui jurat, καθείργνυταί πως οἷς ὁμολογεῖ, *coercetur quasi aut compellitur ad ea præstanda, quæ jurando adfirmat*. Alii ἀπὸ τοῦ ἀρκεῖν deducunt, i. e. *sufficere*, quod litibus finiendis sufficiat, maximumque sit earum expediendarum remedium, ut Gajus JC. vocat L. I. D. de jurejurando, & sit πάσης ἀπ-

ἀντιλογίας πέρας ἐς βεβαίωσιν, finis omnis controverſiæ ad certitudinem, ut cum *Paulo* ex *Epiſt.* ad Hebr. c. VI. loquamus. Sive ἀπὸ τοῦ ἀρκεῖν, quod eſt βοηθεῖν *juvare*, ut notat Auctor Etymolog. ὥσπερ γὰρ βοηθήματι αὐτῷ χρῶνται οἱ ἀδικούμενοι: pro remedio eo utuntur, qui injurioſi ſunt in alios. *Guilielm. Stuck. lib. de ſacrif. Gentil. fol.* 91. ὅρκον dici putat, quaſi *Orcum*, quod jurisjurandi violatores ad *Orcum* ſint detrudendi.

III. Quoniam autem in juramentis res cum Deo eſt, & nullum vinculum ad adſtringendam fidem jurejurando inter mortales arctius habetur, vix ulla unquam gens extitit, quæ non ſingulari cum reverentia ad jurandum acceſſerit; hinc *Ariſtoteles* naturam juramenti deſcribens lib. *Rhetor. ad Alexand. cap.* XVIII. in hæc prorumpit verba: Ὅρκον εἶναι μετὰ θείας παραλήψεως φάσιν ἀναπόδεικτον, *Jusjurandum eſſe cum veneratione divina aſſertionem, quæ demonſtratione non indigeat*. Paulo aliter eam effert, & quaſi explicat *Clemens Alexandrinus Strom. lib.* VII. & juramentum ait eſſe ὁμολογίαν καθοριστικὴν μετὰ προσπαραλήψεως θείας, *adſertionem definitivam cum divina veneratione*. Nec aliud vult illa *Ciceronis* definitio, quæ habetur *lib.* III. *Offic.* quod ſit *affirmatio religioſa Deo adhibito teſte*. Unde *Philo lib. de Decalog.* jusjurandum vocat teſtimonium Dei de rebus dubiis. Ea cauſa etiam *Paulus* JC. jusjurandum *religionem* dixit, *Lib.* 24. *D. de juram.* Idque ut *Lactant. lib.* IV. *cap.* XXIV. voluit, quod jurejurando mens jurantis ligetur & religetur: ſeu potius, quod juramentum jurantem religione obſtringat, h. e. conſcientiæ ſcrupulum moveat, ob Numinis conteſtationem adhibitam.

IV. Cum ergo juramentum ſit res religioſa, graviter hi peccant, qui *perjurium* committunt. Nam pietatem in Deos violant & fidem maximum humanæ ſocietatis vinculum frangunt; quare jure meritoque *Ægyptii* PERJUROS morte dignos judicarunt. Non ſolum autem Ægyptii, ſed etiam alii populi, quorum teſtimonia in medium proferemus. *Maimonides in lib. de juramentis cap.* XII. hæc refert: Tametſi vani vel falſi juramenti reus, flagellationis pœnam luat, & qui de depoſito vel teſtimonio pejeravit, ſacrificium offerat; non tamen iis omnimode juramenti talis iniquitas condonatur, q. d. *Non dimittet Deus impunitum*, *Exod.* XX. 7. Ad quæ verba & ſequentia Cl. *Joh. Frederic. Mieg. Theol. quondam Doctor & Profeſſor Heidelberg. in annotat.* ita commentatur: Merentur hic apponi, quæ de vani falſique juramenti gravitate duo inſignes Commentatores, *R. Bechai* & *Aben-Ezra* ad *Exod.* annotarunt. Prioris verba hæc ſunt: Fundamentum prohibiti juramenti vani & falſi, quod ipſam fundamentalem veritatem ſubvertat, ſitque fidei abnegatio; ſive enim Pentateuchus a jurante manu teneatur, ſive non, habetur, ac ſi abnegaret legem & eum, qui dedit ipſam, Deum benedictum; Ejus enim verba æquipollent hiſce; Quam certe Deus eſt veritas; tam certe ſunt vera verba mea; quæ ſi adeo falſa ſint, eſt ac ſi Deum falſitatis redargueret. Poſterior autem ita: Mos obtinet hodieque inter *Ægyptios*, ut qui per vitam Regis juravit, nec ſervat juramentum, MORTE AFFICIATUR, nec vitæ gratiam vel tanto auri pondere, quantus eſt ipſe, redimere queat; ſiquidem Regem publice ſprevit: Quod ſi fiat propter Regem terrenum, cujus principium vanitas, regnum vanitas, finis vanitas, quanto infinities æquius eſt, in juramenti divini Numinis Venerationem obſervari.

V. Videmus etiam quod *Saul Jonathanem* filium ſuum hoc ipſo nomine morte afficere voluerit, quod non obſervaſſet juramentum, 1. *Sam.* XIV. 27. Et tamen *Jonathan* non proterve, ſed ex ignorantia id fecerat; Unde addiſcimus, PERJURUM MORTIS reum eſſe, æque ac eos, qui capitali ſupplicio in foro afficiuntur: quandoquidem & Scriptura illud peccato adulterii æquat, utpote de quo æque ac hodie dicitur: לא ינקה *Proverb.* VI. Ideo & Deus propter violatum a *Saule* juramentum Gibeonitis præſtitum famem in terram immiſit. Summa in Decalogo nullum eſt præceptum, quod promiſſionem annexam habeat, præter illud de honorandis parentibus; nullum quod comminationem, præter illud de Idololatria & juramento falſo. Græci ſi hominem peſſima nota exprimere vellent, vocabant eum ἐπίορκον, qui *perjurus* eſt. Vid. *Franciſc. Rous in Archæolog. Attic. lib.* VI. *cap.* VII. *pag. m.* 288. *edit. Oxon.* Peſſimum igitur æſtimabant Græci *perjurum* & graviſſima pœna dignum, nam perjurio ipſos Deos ſibi infeſtos facere aſſerit *Ælian. Var. lib.* XIV. *cap.* 2. *pag.* 719. *edit. Argentor.* Plato de Legib. lib. XI. talem fert legem: *Nemo Diis invocatis mendacium dicat aut decipiat, aut adulterare verbo, vel re quicquam audeat, niſi Deo velit odio eſſe. Cui quidem odio eſt, qui falſo jurans, Deos parvi pendit*. Et paucis interjectis: *Quicunque in foro aliquid adulterat, mentitur certe & decipit, Diiſque* ad-

advocatis adversus rerum venalium Curatores eorumque jura pejerat. Qua certe in re nec homines veretur, nec Deos colit, addito sanctissimo monito: *Æquum profecto est nomina Deorum non facile inquinare, nec ea huc atque illuc devolvere: sed omnia, quæ ad Deos pertinent, pure casteque servare.*

VI. Atque hinc ista jurisjurandi religio, quo, ut *Cicero de Offic.* 1. de popularibus suis loquens, ait, *nullum vinculum ad adstringendam fidem Majores nostri arctius esse voluerunt*. Merito enim impium videbatur, violare, quod Deo teste promiseris, ejusque nominis sanctitate ad alios decipiendos abuti. Ideoque non postremam eam Deorum curam judicabant, inspicere, quæ cuique in servandis juramentis religio, aut negligendis impietas, suamque in istos iram atrocissimis pœnis effundere, qui, dum jurejurando sese obstringerent, Deos non testes minus, ac si fallerent, vindices invocaverant. Inde Jupiter *juramentorum Præses* ab *Euripide in Medea Act.* 1. & *jurisjurandi Inspector* a *Sophocle* 1. *Trach. v.* 1195. appellatur. Hinc *Horcius Jupiter* dictus & apud Sophoclem l. c. Ἐπώμοτος seu ὅρκου ἐγγυτὴς seu sponsor dicitur, uti explicat *Suidas*, aut τοῦ ὅρκου ἔφορος, ut habet Scholiastes *Thucydidis Hist. lib.* 1. Videturque idem fuisse, quem *Romani* vocabant Δία πίστιον & DIVUM FIDIUM, cui easdem partes resignabant. Erat olim *Jovis Horcii* signum in Olympiæ curia, specie maxime formidanda, utraque manu fulmen tenens, ante cujus pedes tabula visebatur ænea, cum incisis elegis, quibus a *perjurio* deterrebantur homines, ut auctor est *Pausan. in Eliac.* Confer. *Francisc. Rous in Archæolog. Attic. lib.* VI. *cap.* VII. *pag. m.* 289. *edit. Oxon.*

VII. Jurisjurandi contemtam religionem Deum ultorem habere censuit Alexander Imperator *l.* 2. *c. de reb. credit. & jurejur.* Quo respiciens *Pindarus Olymp. Od.* 2.

> ---- ---- παρὰ μὲν τιμίοις
> Θεῶν οἵτινες ἔχαι-
> ρον εὐορκίαις,
> Ἄδακρυν νέμονται
> Αἰῶνα· τοὶ δὲ ἀπροσόρα-
> τον ὀκχέοντι πόνον.
> ---- ---- *apud honoratos*
> *Deos illi qui gaude-*
> *bant fidelitate in jurejurando*
> *Illacbrymabili fruuntur*
> *Ævo: alii autem visu horren-*
> *dum tolerant cruciatum.*

Imo perjurium tantum crimen judicarunt, ut crediderint pœnam in posteros quoque transmitti. Vid. *Hugo Grot. de jure B. & P. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 1. Pariter Jovem Horcium *perjuria* vindicare, veteres putarunt, quanquam horum vindictam *Hesiodus* ἐν Ἔργοις *Erynnibus* transscribat, easque ὅρκου τιννυμένας, seu PERJURII vindices vocet: quæ *Homero* etiam *Illiad.* T. sunt:

> ---- ---- αἵθ' ὑπὸ γαῖαν
> Ἀνθρώπους τίννυνται, ὅ τις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.
> ---- ---- *quæ tellure sub ima*
> *Castigant meritis hominum perjuria pœnis.*

Imo refert Anglus *Francisc. Rous in Archæolog. Attic. lib.* VI. *cap.* VII. *pag. m.* 289. quod quidam fontes prope aliquod templum fuerint, qui *Perjurium* vindicassent. Verba ejus hæc sunt: *I have read that in a Temple at Palice a City in Cicily, there vvere certain Cratenes or fonts, out ofvvhich there rose sometimes flames, and sometimes hot boyling vvater: and that thither people used to resort from other places, for deciding of Controversies by taking an oath. For if any one svvore false near those fonts, he vvas presently strucken blind, or lame, or dead in the place.*

VIII. Cum ergo Jusjurandum ad religionem pertineat; itaque Deus non vult ut quisquam perjuraret in nomine suo, *Levit.* XIX. 12. *Matth.* V. Lex *Platonis* est *de Legib.* 12. ut paucissimis jurare liceat. Est & apud *Ciceronem* illa: *Perjurii* pœna divina, exitium: humana dedecus esto, 2. *de Legib.* Ac tametsi leges civitatis esse contemptæ videantur: tamen quod jurisjurandi contemtio Deum ultorem habeat, ideoque nec periculum corporis, nec majestatis pœnam inducat: qui in Deum peccant, etiam Principum legibus puniendi sunt, *lib.* 1. *Codic. tit.* 1. Fundamenta & rationes hujus sunt istæ, quia I. jusjurandum est affirmatio religiosa, neque ullum vinculum est ad distinguendam fidem hoc arctius, uti ex *Cicerone* adduximus. II. Qui falsum jurat, ipsum Deum contemnit: contemtus autem Numinis divini puniendus, *Plato* 1. *de Legib.* III. Improbus & impudens talis merito judicatur: quia coram se majoribus mentitur, *Plato* ibidem. IV. Talis enim fidem inter homines tollit: quia maximum vinculum societatis humanæ jusjurandum, *Diodor. lib.* 1. *c.* 6. Ideoque Ægyptii capite perjuros mulctarunt. Censores quoque Romæ de nulla re ma-

gis

gis & severius, quam de jurejurando judicare sunt soliti, *Alexander ab Alexand. lib.* III. *cap.* 13.

IX. Extra omnem dubitationis aleam hinc ponimus, quod *Perjurium* militet contra omne jus *divinum & humanum*. Contra *divinum*, cum Lex Exod. xx. & Levit. XIX. expresse perjurium prohibeat. Contra jus humanum, decreta decretalia & Leges, uti argumentis plurimis probat *Pepin. in tract. de destruct. Niniv. pag. m.* 139. 140. Quare etiam a Magistratu tanquam atrox blasphemia puniri deberet. An autem hodie Perjurii sufficiens sit pœna juxta leges nostras, qua infames redduntur, uti *Jodoc. Damhouder. in praxi criminal. pag. m.* 109. *edit. Antverp.* 1562. vult, & Leges XII. *Tabular.* jubent, valde dubitatur, cum nulla sit proportio inter crimen & pœnam; & Deus apud *Zachar. cap.* v. aliam pœnam in Perjuros statuat, nempe *excisionem*, quæ vel a Deo ipso fit, vel per Magistratum. Modestinus eandem pœnam esse respondit, quæ *Stellionatus*, L. *vit. ff. de crim. stell.* Si itaque *perjurium* est *blasphemia*, sequitur quod morte puniendum. Nam si lædere Majestatem terrestrem, morte puniatur; quid de læsione Numinis divini dicendum erit? Longe gravius est æternam, quam temporalem lædere Majestatem. Sed qui contra temporalem Majestatem delinquit, punitur. Ergo multo fortius isti puniendi sunt & gravius, quia majora delicta majoribus pœnis sunt punienda. Asserimus hinc Perjuros non tantum infamia, sed & morte puniendos esse, uti Deus sæpe hoc jus in perjuros exercuit: vid. *Richter. Axiomat. Oeconom.* CI. *pag. m.* 252. seqq. ubi plurima exempla de pœna a Deo contra perjuros immissa legi possunt. Verum hæc hoc loco sufficiant.

LEX SECUNDA.

SI QUIS IN VIA HOMINEM VEL INTERFICI CERNERET VEL PULSARI, NEQUE SUBVENIRET AUXILIO, SI POSSET, MORTE DAMNANDUS ERAT. SIN AUXILIARI NON POTERAT, PRODERE LATRONES JUBEBAT LEX, ET ACCUSATIONE PERSEQUI.

Vid. Hugon. Robinson. in Annal. M. fol. 123.

I. Hæc lex agit de obligatione hominis erga alium, qua tenetur in omnibus vitæ necessitatibus illi succurrere. Nam homo homini ea tantum causa, si nulla alia esset, quod homo sit, prodesse tenetur, uti probat & ostendit *Petr. Gregor. Tholosan. in prælud. Optim. Jurisconsulti lib.* 2. *cap.* XIX. *n.* 5. *edit. Lugdun.* 1583. Verba itaque legis neminem excludunt, sed omnes obligatos esse asserunt, mandantque ut omnes, qui cernerent quendam a Latronibus interfici vel pulsari in via, ipsi auxilio venire deberent. Si enim ex mente JCtorum illud *necare* quoque dicitur, cum quis proximo in necessitate alimoniam denegat, *Paul. l. necare ff. de agn. & alend. lib.* Certe & hoc *necare* erit, cum quis alteri in discrimine vitæ non succurrit, cum possit, & occidi patitur, cum vitam conservare posset. Consentiunt huic legi tam Rabbinorum testimonia quam aliorum Scriptorum, quæ huc adducere non pigebit.

II. R. Maimonides in הלכות רוצח cap. I. ita literis prodit: *Qui proximum suum persequitur ad eum occidendum, etiamsi persecutor sit parvulus, omnibus injunctum est liberare eum e manu persecutoris, quocunque possunt modo* אפילו בנפשו של רודף *etiam cum jactura vitæ persecutoris*. Præceptum petunt ex *Deut.* XXV. 12. Sermo ibi est *de muliere, quæ dum conatur maritum e manu percussoris eripere, manu sua apprehenderit pudenda ejus*, & additur; Tunc abscindes manum illius, non parcet oculus tuus. Quod explicant, ideo juberi manum hujus mulieris abscindi, quod inde periculum vitæ immineat viro illi quem sic prehenderit. Hinc generalem regulam exstruunt, *Opem ferendam illi, cujus vitæ vis infertur, etiam ad cædem usque vim inferentis*. Vid. dissert. cl. *Johannis Buxtorff. de homicid. edit. Basil.* 1663. Quod autem addatur, manum illius abscindendam esse, rationem dat *Henric. Ainsvvorth. Comment. in h. l. fol. m.* 116. quia immodesto modo hoc fecerit, alias quoad prius juste se fecisse asserit inquiens: *It vvas lavvfull for her to doe, and a fruit of her love*.

III. Aliud hujus fundamentum petunt ex illo לא תעמוד על דם רעך Non stabis ad sanguinem (h. e. cædem) proximi tui, Levit. XIX. 16. Hoc est; Non stabis otiosus, sed opem ei feres, quacunque ratione potes. Hoc præceptum transgredi volunt eum, qui a morte aliquem liberare potest, & id non facit. Hinc concludunt etiam; Si quis videat proximum suum in aqua submergentem, aut a latronibus, vel a feris bestiis impetitum, vel alio in periculo vitæ constitutum, illum vi hujus præcepti teneri ipsum liberare. Sic volunt peccare, qui testimonio suo proximum a morte liberare

rare poteſt, & id non facit. Habentur hæc in *Talmud. Sanhedrin. cap.* VIII. Ita quoque hæc verba explicat *Henric. Ainsvvorth. Comment. in Levit. cap.* XIX. *fol. m.* 113. *edit. Londin. Not ſtand againſt the blood, that is, not ſtand and ſee thy neighbors blood ſpilt, and thou vvithdravv thy helpe from him either by vvord or deed.* Huic adſtipulatur Paulus Fagius in annot. ad Paraphr. *Chaldaic.* his verbis, *Ne ſtes contra ſanguinem proximi*, quibus verbis innuitur, quod quis non debeat deſerere proximum ſuum, quem videt in mortis periculo conſtitutum, vel a latronibus petitum, unde tamen illum eximere poſſet. Nam ut Hebræi dicunt: *Quicunque liberare poteſt* (proximum ſuum) *aliquo membrorum ſuorum & non facit, perinde eſt ac ſi ſanguinem fundat & mortis reus eſt.* En convenientiam cum Lege hac Ægyptiorum.

IV. Audiamus verba *Maimonidis tom.* IV. *tr. de homicid. c.* 1. *ſect.* 6. 7. 13. 14. quæ Anglice recenſuit prælaudatus *Ainsvvorth.* fol. 113. edit. Londin. Quæ hæc eadem affirmant, quæ jam diximus: *He that purſueth his nieghbour to kill him, all Iſrael are commanded to deliver the purſued from the hand of the purſuer, yea though it be by the life of purſuer. As if he hath been vvarned to leave off, and yet he purſueth him, &c. he may be killed. And if thy can deliver him vvith the loſſe of ſome of the purſuer's limmes, as by ſtriking off his eye, let them doe it. VVho ſo can deliver him, by boreaving the purſuer of a limme, and doth not, but killeth the purſuer: that man ſheddeth blood, and is guiltie of death; hovv be it, the Magiſtrates may not put him to death. VVhoſe can deliver and doth not, transgreſſet this lavv, Thou ſhalt not ſtand againſt thy neighbours blood. And ſo he that ſeeth his neighbour ſinking in the ſea, or theeves, and can deliver him, either by him ſelfe, or by hiring of others to deliver him, and doth not breaketh this Lavv.* Ex his & præcedentibus teſtimoniis ſatis conſtat obligatos fuiſſe Iſraelitas liberare a latronibus invaſos, & ſi non feciſſent, mortis reos fuiſſe, qui id, quod potuiſſent prohibere, permiſiſſent.

V. Addunt quoque Rabbini, Deum velle, ut mundus hic inhabitetur, & habitatio ejus conſervetur eripiendo debilem e manu fortioris; eum, qui injuſtam vim patitur, indeſinenter Deum invocare ut ſalutem ſibi afferat. Deum autem requirere, curam ſuſcipere ejus, qui perſecutionem ab alio patitur, ſicut *Salomon* inquit Eccl. III. 15. *Deus requirit, curam habere perſecutionem patientis.* Hæc omnia vero ita aſſerunt; I. Ut velint neminem teneri ſeipſum periculo vitæ propter alium exponere. II. Eo uſque non progrediendum, donec videat, nullam aliam viam eſſe proximum e manu perſecutoris eripiendi; quamdiu quis poſſit cædem prohibere alia ratione, veluti mutilatione membrorum, vulneratione, vel alia læſione, tamdiu eſſe abſtinendum: aut ſi aliter fecerit, homicidii reum eſſe. In his quoad aſſertionem quæſtionis primæ, nihil exiſtimamus eſſe abſurdi; quoad ſecundam, dubitamus utrum adducta loca ſingula ad ejus confirmationem ſint ſatis ſolida & idonea. Quatenus ſalus proximi innocentis intenditur, ut is ſervetur a vi injuſta, eatenus licet omnem ipſi poſſibilem opem ferre; an vero uſque ad cædem devenire adhuc in medio relinquimus: periculoſum eſt in hujuſmodi caſibus modum ſervare.

VI. Aliorum Scriptorum teſtimonia recenſere jam Ordo poſtulat, quæ omnia teſtantur, hominem ad id obligatum eſſe, ut alteri in neceſſitate & periculo ſuccurrat. *Cicero lib.* III. *Offic.* ita diſſerit: Pro omnibus generibus, ſi fieri poſſit, conſervandis, aut juvandis, maximos labores moleſtiaſque ſuſcipere, &c. *Ovid. de Pont. lib.* 2. *Regia, crede mihi, res eſt, ſuccurrere lapſis.* Et rurſum *epiſt.* 9. *Conveniens homini eſt hominem ſervare voluptas. Diogen. Laert. in Solon.* tradit: *Humanitatis* ſcil. dicente etiam *Lactantio div. Inſtit.* VI. 11. officium eſt, neceſſitati hominis ac periculo ſubvenire; adeoque ut idem iterum, *qui ſuccurrere perituro poteſt, ſi non ſuccurrit, occidit.* Quid enim, quæ *Tertulliani verba ſunt adverſus Marcion. lib.* 1. *p.* 159. *tam malignum, quam nolle prodeſſe cum poſſis, quam injuriam ſinere?* Hæc omnia cum Lege Ægyptiorum ſatis conveniunt.

VII. Quæ in Lege hac Ægyptiorum extant, etiam apud nos obtinent. Nam lege Cornelia ille homicidii reus tenetur, qui cum poſſet opem ferre periclitanti, non tulit, adeoque in cauſa eſt, ut ab alio occidatur, *l. culpa* 50. *l.* 180. *D. de reg. jur. arg. l.* 3. *D. de juſtit. & jur. l.* 1. §. 28. *D. ad Sc. Silanian. c. qui non facit. de regul. jur. in* 6. *Althuſ.* 1. *dicajol.* 119. *&* 228. *n.* 5. Additur in lege: Si auxiliari non poſſet tenetur Latrones accuſare inſtar vindicis ſanguinis apud Hebræos illoſque perſequi. Licebat enim ipſi vindici ſanguinis, quis ille etiam ſit, homicidam ad tribunal trahere & ad jus dicendum revocare, ſi ad aſylum profugiſſet. Vid. cl. *Joach. Chriſto-*

ſto-

ſtophor. Stoer de vindice ſanguinis Diſſert.

LEX TERTIA.
CALUMNIOSI ACCUSATORES STATUTAM FALSO A SE DELATIS PŒNAM SUBIBANT.

I. Statutam pœnam calumniatorum *Ægyptiorum* nobis oſtendit *Diodor. Sicul. lib.* 2. *c.* 3. qui *mortis ſupplicio* illos afficiebant. Ut igitur hæc lex & illius gravitas eo melius intelligatur, ratum eſſe ducimus ut omnia vocabula bene examinentur, quo proportio pœnæ dignoſcatur. Calumnioſi itaque accuſatores vel calumniatores ſunt, qui ſcientes prudenteſque per fraudem litem aut controverſiam faciunt alteri, ut vexent eum, vel ut ei aliquid extorqueant. Vid. *Lexicon Juridic. ex Briſſonio* aliiſque conſcriptum *pag. m.* 168. Nomen habet calumniator a *calumnia*, quæ pro accuſatione accipi videtur in *Arcadii & Honorii* conſtitutione, *l. ſancimus C. de pœn.* ſed quæ calumnioſe inſtituta eſt, ut ibid. *Accurſius* docuit. Calumniari apud Scriptores claſſicos eſt, falſum crimen ſcienter intendere: vel per fraudem & rationem doloſam, vincendi gratia alium litibus vexare, *Cicer. pro Sex. Roſc.* 33. & *Calumniator* eſt, qui per fraudem & fruſtrationem alium vexat litibus, aut qui malitioſe aliquid interpretatur, *Cicer. pro Cluent.* 131. Hebræis *calumnia* ſeu falſa accuſatio dicitur עשק deſcendens a radice עשק quod ſignificat opprimere per vim & fraudem, vid. *Buxtorff. Lexic. Rabbino-Talmud. fol. m.* 1679. Græce διαβολὴ, συκοφαντία, ἐπήρεια, *a falſe accuſation.* Et ita Calumnia eſt callida quædam fallendi ratio cum malevolentia conjuncta. Vid. *Thom. de S. Quercu Lexic. Etymolog. edit. Londin.*

II. Peſſimum hoc eſſe crimen oſtendit *Richter. in Axiomatib. Œconom. axiom.* CXLII. *pag. m.* 302. ex *Strigel. in* 2. *Sam.* 16. hiſce verbis: Calumniator tribus perſonis eadem opera nocet. Nam delatum injuria afficit, & auditores veritate privat: & conſcientiam ſuam atrociter ſauciat. Omnis calumniator ſcribit *Philip. in Cordial. Abraham. Bucholceri pag.* 20. eſt ſimul injuſtus & crudelis; Unde merito Calumnia eſt malum ſæviſſimum, in quo duo ſunt, qui injuriam inferunt: & unus qui injuria afficitur, qui injuriam patitur. Nam qui calumniatur, injuriam facit ei, quem calumniatur abſentem. Qui perſuaſus aſſentitur calumniis, eidem injuriam facit abſenti, quod aſſentitur calumniæ re non explorata. Confer. *Peucer. in lect. Chron. d.* 8. *Mart.* 1572. Quare *Bernhardus* non male dixit: Detractor & auditor detractoris, uterque habent Diabolum: iſte in lingua: hic vero in aure. Ex his patet, quam horrendum crimen calumnia ſit, & quam deteſtandi ſint calumniatores. In hujus teſtimonium afferemus *Sigfried Sacci* verba *in Poſtill. pag.* 365. *d.* Die Alten haben geſagt ein verleumbder ſey ein dreyfacher Moerder. Denn er begehe dreyerley todtſchlaege mit einem ſtreiche. Erſtlich mordet er ſich ſelbſt / durch wiſſentliche lugen und todtſunde. Zum andern er mordet den / dem er ſeinen Namen abſtielet. Zum dritten mordet er die / ſo ihm zuhoeren und ſeine verleumbdung glauben.

III. Cum igitur calumniatores & calumnioſos accuſatores Ægyptii tanti criminis reos putarint; itaque ſupplicium mortis in ipſos ſtatuerunt, quod etiam alii fecerunt. *Plaut. in Pſeudol. Act.* 1. *ſc.* 5. *v.* 12. Homines qui geſtant, quique auſcultant crimina, ſi meo arbitratu liceat, omnes pendeant, geſtores linguis, auditores auribus. Apud *Romanos* quidem ita graſſabatur calumnia, ut ſumma vi cogerentur Imperatores extinguere. Illo tempore incredibilem in morem invaluerat calumnia, nam Sycophantæ improbis Imperatoribus ſubſerviebant, hominesque deferebant, donec prudentiores Reges exoſi iſto calumniandi more delatores graviter punirent. Sic I. de *Tito* ſcribit *Svetonius in ejus vita cap.* 8. Inter adverſa temporum delatores mandatoreſque erant ex licentia veteri. Hos aſſidue in foro flagellis cæſos, ac noviſſime traductos per Amphitheatri arenam; partim ſubjici in ſervos, ac venire imperavit, partim in aſperrimas Inſulas avehi. Utque etiam ſimilia quandoque auſuros perpetuo coerceret, vetuit inter cætera, de eadem re pluribus legibus agi. II. *Domitianus* Imperator alias minus laudabilis in hac parte laudabiliter ſe geſſit, ut *Svetonius* in *ejus vita cap.* 9. oſtendit: Fiſcales calumnias magna calumniantium pœna repreſſit: ferebaturque vox ejus: Princeps, qui delatores non caſtigat, irritat. III. Ab *Herodiano lib.* 2. *cap.* 18. laudatur *Pertinax*, quod delatores urbe exegerit, & ubi invenirentur puniri imperaverit. Cavens ne cui vanis criminibus periculum conflaretur. IV. Idem *lib.* V. *c.* 2. de *Macrino* ſcribit: Delatores & ſervi omnes, quicunque Dominos detulerant, patibulo ſuffixi, totaque urbs & Romanum Imperium ſceleratis hominibus purgatum, partim ſupplicio affectis, partim exilio mulctatis.

IV. Quod autem Calumnia & Calumnia-

niatores vel falsi accusatores multa ac magna mala patrent, testimoniis probabimus certis Scriptorum. *Lucianus* calumniam sic describit: Calumnia, inquit, est accusatio, quæ reo absente & ignorante facta, & altera tantum parte audita contradicente nemine creditur. *Herodot. lib. 7. c.* 10. Calumnia importunissima res est, in qua duo sunt, qui injuriam faciunt, unus, cui injuria fit. Qui enim detrahit, injurius est, quod non præsentem accusat: item qui huic credit injurius est, quod prius credit, quam rem compertam habeat: & illi, cui absenti detrahitur fit injuria, quod ab altero insimulatur, ut malus ab altero putatur. Exemplo nobis sunt viri magni, qui a falsis accusatoribus delati, occisi fuerunt. De *Boethio* viro omni eruditionis laude claro legitur quod a calumniatoribus apud Regem *Theodoricum* falso delatus supplicium passus. *Apellas* depinxit egregie calumniam, sed qua occasione hoc fecerit narrat *Lucianus*. Apelles insimulabatur conjurationis, quæ in urbe *Tyro* auctore *Theodoto* facta erat: cum tamen nec urbem, nec Auctorem unquam vidisset. Sed *Antiphilus Apellis* gratiæ & artis æmulus ita eum calumniabatur & pro certo testabatur, se vidisse *Apellem* cum hoc *Theodoto* crebros agitare sermones, multaque in aurem insusurrasse. Quæ res suspicionem clandestini consilii manifeste arguit. *Ptolomæus* cum alias satis animi compos esset, hac tamen assentatione Tyrannica fractus, adeo excanduit, ut statim in *Apellem* vellet animadvertere, nec prius considerare, an reus hoc vitio posset urbem ad seditionem & occultam molitionem adducere & persuadere. Apelles quoque hanc suspicionem luisset capite, nisi quidam ex conjuratis, qui captivi tenebantur, graviter tulisset illam calumniam. Libera confessione testatur *Apellem* innocentissimum esse, & quicquid delatum esset Regi, dolum esse *Antiphili* sincero huic homini insidiantis. Quare *Ptolomæus* animo collecto hanc mutavit sententiam, decem talenta donavit *Apelli*, eique *Antiphilum* calumniatorem dedit in servitutem. Quidam addunt, Regem Calumniatori manifestum quoque doli ac fraudis suæ signum in fronte exuri jussisse, quod duplici CC. notabatur, denotatque: CAVE CALUMNIATOREM. Facile igitur plura exempla adducere possemus de *Aristobulo* & *Alexandro Hyrcani* filiis, de *Demetrio* & *Perseo Philippi* filiis & aliis, qui falsorum accusatorum fraudibus necati fuerunt.

V. Quis igitur non conclusionem hanc eliciet, quod hi falsi accusatores more & lege *Ægyptiorum* morte plectendi essent ob rationes sequentes, I. Quia optimus quisque vir res suas sic cupit instituere, ut sui memoriam magna cum laude ad posteros transmittat, *Plato in Epist. epist.* 2. II. Sine honestæ vitæ laude deinde vir esse perfectus nequit. *Idem* 12. *de Leg.* III. Existimatio præclara secundus est ventus iis, qui ad Rempubl. & officia honoraria tendunt, *Plutarch.* in *præcept. gerend. Reipubl.* Non mediocriter etiam telum. IV. Ad res gerendas, *Cicer. in libell. de Amicit.* V. Opus in Republ. est mutua civium benevolentia, quæ calumniis & delationibus dissolvitur, *Aristotel. polit. 6. cap.* 5. Quandoquidem ex mutuis imprecationibus & leviculis calumniis inter cives odia & inimicitiæ gravissimæ oriuntur, *Plat.* 11. *de leg.* VI. A cæteris maleficis, adhibitis custodibus res familiaris servari potest: & qui noctu domi manet, nihil mali patitur. At a calumniatorum metu nemo liber vivit, *Demosthen. in orat. contr. Theocritum.* VII. Vitium hoc facit, ut Magistratus falsum credat & sequatur sæpe, *Herodot. lib.* 7. Bonum oriatur judicium de improbis: improbi contra videantur viri boni, *Isocrat. in orat. de permutat.* VIII. Et ut vulnus nullum ita solerter curatur, quin cicatrices maneant, nec macula in charta aut veste sic scalpello tollitur, ut vestigia quædam non deprehendantur, ita semper aliquid hæret. Nec de nihilo esse putatur, quod dicitur: Calumniare audacter, semper aliquid hæret. Itaque merito cum *Aristotel. lib. 6. Polit. cap.* 1. capitis pœnam statuimus, & non nudam infamiam, uti *Instit.* 4. *tit.* 18. *Digest. lib.* 48. *tit.* 16. *&* *Cod. lib.* 9. *tit.* 46. Laudatur hinc *Alexander Severus*, qui *Thurinum* quendam calumniatorem fumo necari curavit, præcone clamante: FUMO PUNITUR, FUMUM QUI VENDIDIT. *Lamprid.*

VI. Non negamus quidem, quosdam hanc Ægyptiorum legem ad jus talionis referre, uti *Athanas. Kircher. in Oedip. Ægypt. Tom.* 1. *Syntag.* 11. *fol. m.* 121. ita disserens: *Falso quempiam accusans, si postmodum ad Judicium delatus esset, TALIONIS pœnam calumniatoribus statutam subibat.* Quod cum explicatione nostra non pugnat, nec Legi adversatur. Nam qui falso accusabat alterum, ut famam illius læderet, & notam inureret, jure talionis puniebatur. Si autem de vita ageretur, ut falsus & calumniosus accusator intenderet, ut vita privare vellet, iterum reperta causa falsa jus talionis exercebatur in illum. *Talio enim est justi-*

ſtitia commutativa, *qua damnum alii inferens*, *eodem*, *ſeu ſpecifice*, *ſeu analogice a Judice vel ad inſtantiam læſi*, *vel ex officio punitur*, *ad coercendas injurias*, *& limites certos humanis affectibus in vindictam pronis ponendos*. Deducitur autem *Talio* a *Tale*, ea ſcil. ſignificatione, quod tale quiſque pati, quale fecerit, & talem reſpicere debeat pœnam, qualem delicto ſuo meritus, a paritate & ſimilitudine delicti & pœna facti admiſſi & retorti. Hinc *Iſidorus* Talionem ita deſcribit: Talio eſt ſimilitudo vindictæ, ut taliter quiſque patiatur, qualiter fecit. Conſentit hic *Excell. Johan. Andr. Daz. LL. OO. Profeſſor celeberrim.* in *exquiſita ſua diſſertat. Jen. habit. de Jure Talionis ad mentem Gentilium*, *Judæorum ac Chriſtianorum*, in qua fere omnia illa, quæ ad hanc requiruntur materiam, reperire licet.

VII. Recte autem in calumnioſos accuſatores jus Talionis exerceri jubet jus naturæ, cujus propoſitio firmiſſima: Nemini inferendam eſſe injuriam; Jam autem falſus accuſator proximo maximam injuriam infert, tum & famam & vitam lædere intendit. Neceſſe igitur erit, ut inter injuriam paſſum & inferentem æqualitas quædam fiat, ad quod, ut alter, quod alteri fecit, idem patiatur, requiritur. Honori & famæ innocentis nequaquam eſt detrahendum, aſt verum candide fatendum, neminemque fallendum eſſe jus naturæ poſtulat. Falſiloquium autem prohibet, quia hoc violatur illud; Hinc facile demonſtratur, quod jus alterius non ſit violandum. Ergo nec honori & famæ innocentis eſt detrahendum, uti pluribus egregie demonſtravit B. *Henricus Uffelmann. Præceptor quondam in Alma Helmſtadienſ. fideliſs. in Tr. de jure*, *quo homo homini in ſermone obligatur*, *edit. Helmſt. 1676.* Jam autem detractio, qua proximi innocentis fama vehementer & malitioſe læditur, graviſſimum & turpiſſimum crimen eſt, quod calumnia vocatur, quæ interdum ad injuſtam & falſam accuſationem refertur, Ergo merito pœna graviſſima dignum. Unde *Thomas q.* LXVIII. *art.* III. ait: *Accuſatorum temeritas tribus modis detegitur*, *aut enim calumniantur*, *aut prævaricantur*, *aut tergiverſantur. In accuſatione duplici ratione contingit eſſe peccatum: Uno modo ex eo*, *quod aliquis injuſte agit contra eum*, *qui accuſatur*, *crimina falſa ei imponendo*, *quod eſt calumniari*. *Alio modo ex parte Reipubl. cujus bonum principaliter intenditur in accuſatione*, *dum aliquis impedit malitioſe punitionem peccati*. *Quod iterum dupliciter contingit*, *uno modo fraudem in accuſatione adhibendo*, *& hoc pertinet ad prævaricationem*. *Alio modo totaliter ab accuſatione deſiſtendo*, *quod eſt tergiverſari*. Huc uſque *Thomas*.

VIII. Quod turpiſſimum crimen cum id homicidio æquiparetur a doctis, hinc etiam talem pœnam meretur. Audiamus in hanc rem erudite diſſerentem prælaudatum *Uffelmannum pag.* 168. his verbis: Et vero non ſine cauſa obtrectator virulentus appellatur homicida, calumniis enim & improperiis tanquam acutis & alte penetrantibus mucronibus, qua clam, qua palam, directe & oblique innocentes ſauciat, neque quicquam intentatum relinquit, quo vel brevem vel miſeram reddat ipſorum vitam. Quare & eandem merentur pœnam. *Prævaricatores*, *calumniatores*, *tergiverſatores e* S.C. *Turpiliano plectuntur l.* 1. *ff. ad S. C. Turpil.* Sunt autem calumniatores qui falſa crimina intendunt. Calumniantes ad vindictam expoſcit ſimilitudo ſupplicii, Impp. *Honor. & Theodoſ. l. ult. de calumniat.* Prævaricatores, qui vera crimina abſcondunt colludentes cum adverſariis. Tergiverſatores, qui ab accuſatione deſiſtunt, d. l. 1. Pœna conſtituta quinque libr. auri, vel extra ordinem pro qualitate admiſſi plectuntur, *l.* 3. *ff. eo.*

IX. Cum lege hac Ægyptiorum, *Calumnioſi accuſatores ſtatutam falſo a ſe delatis pœnam ſubibant*, optime convenit lex Hebræorum *Deut. cap.* XIX. *Si ſteterit teſtis mendax contra hominem*, *accuſans eum prævaricationis*, *ſtabunt ambo*, *quorum cauſa eſt ante dominum*, *&c. Cumque diligentiſſime perſcrutantes invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium: reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitavit*. Hic clariſſimis verbis convenientia harum legum perſpicitur; nam a lege divina condemnatur ad pœnam illius delicti, quod delator imputabat ſuo proximo. Audiamus *R. Maimonid. in Tr. de teſtimon. cap.* XVIII. *ſect.* 1. 2. 3. cujus verba Anglice recitavit *Henric. Ainſvvorth. Comment. in Deut.* XIX. *fol. m.* 78. *edit. Londin. The Hebrevves call the falſe vvitneſſe* זומם *Zomem*, *the thinker*, *or preſumer*, *and ſay*, *vvho ſo vvitneſſeth falſly*, *this man is called* עד זומם *the falſe vvitneſſe*; *and it is commanded to doe unto him as he vvould have done by this teſtimony unto his neighbour. If they have teſtified falſly of a tranſgreſſion for vvhich men are guilty of ſtoning to death*, *they are all to be ſtoned; if of burning*, *they are to be burnt; and ſo for other deaths. And*

if they testifie of crimes vvorthy beating, every one of them is to be beaten, &c. i. e. Hebræi vocant testem falsum זומם Zomem falso & præsumptuose excogitantem, & dicunt, qui ita falsum testimonium perhibet, vocatur עד זומם falsus testis, & mandatur ei reddere, sicuti fratri suo falso hoc testimonio facere cogitavit. Si itaque testimonium exhibuerunt de transgressione quadam, ob quam homo reus lapidationis judicatur, & falsa reperta re omnes lapidantur; si combustione dignus, omnes comburuntur, & sic de aliis dicendum.

X. Ut igitur sciamus quod sit זומם brevibus dicemus, זומם dicitur a זמם quod significat, cogitare, excogitare, studio, data opera aliquid præsumere & animo moliri, sive sit bonum sive malum: sæpius autem in malum sumitur Hebr. Et apud *Talmudicos* עד זומם est testis falso excogitans, fingens, mendaciterque asserens scelus in aliquem. Veluti si quis dicat, Testor quod Ruben Simeonem eo die Venetiis interfecerit. Ruben se defendens inquit: At ego probabo, te eo die mihi adfuisse Romæ, quomodo ergo Simeonem eo die Venetiis interfecerim? Unde apparet, te in me mentiri & falsum scelus excogitare. Si hujusmodi עד זומם Testis mendax de mendacio convincatur, antequam plectatur is contra quem mendax testimonium excogitavit, tum ea pœna afficitur, qua pars adversa affici debuisset, juxta illud: Facietis ei כאשר זמם sicut cogitavit facere fratri suo. Ita falsi accusatores *Susannæ* subjacuerunt supplicio lapidationis, quod inique machinabantur in innocentem matronam, *Daniel.* XIII. *Haman* suspensus est e ligno, quod mendacibus imposturis præparaverat *Mardochæo*, *Esth.* VII.

XI. Simili modo ex decreto legis Corneliæ, qui falsum deponit contra proximum, & procurat ipsum ad mortem tradere, capitali sententia plectendus est, §. 3. *Instit. de publ. Judic.* & ita videri potest *l.* 1. §. *ff. ad l. Cornel. de Sicar.* Ita *Honorius* & *Theodosius l. ult. C. de Calumn.* Quisquis crimen intendit, non impunitam noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii. Videatur *Constantin. L'Empereur in not. ad* בבא קמא *edit. Lugd. Bat.* 1637. *pag.* 152. Ita veteri jure Romano in calumniatores lata erat lex Remnia (cujus etiam *Cicero in pro Rosc. Amer.* meminit) ut qui crimen intenderet, quod probare non posset, pœnam ferret illam, quam reus convictus sustinere debuisset. Hanc legem severe exercuit *Marc. Anton. Philosoph.* de quo *Capitolinus*. Tria alias apud *Romanos* in calumniantes erant pœnarum genera, corporalis, pecuniaria, & infamiæ nota: vid. *tit. de calumniat. Instit. de pœn. temere litig.* & *JCti ff. ad SC. Turpilian.*

LEX QUARTA.
NECESSE ERAT PROFITERI OMNES APUD MAGISTRATUM ET NOMINA SUA ET QUA ARTE VIVERENT. SI QUIS AUT MENTIRI COMPREHENSUS EST, AUT MALIS ARTIBUS QUÆSTUM AGERE, IN MORTIS POENAM INCIDEBAT.

I. Hanc legem expressam legimus apud *Herodot. lib.* 2. *in Euterpe circa finem*, qui inquit: *Amasis quoque exstitit, qui legem hanc apud Ægyptios condidit, ut singulis annis apud Provinciarum Præsides Ægyptii omnes demonstrarent; unde quilibet viveret: & qui aut hoc non faceret, aut non demonstraret se legitime vivere, is morte afficeretur*. *Athanasius Kircher. in Oedip. Ægyptiac. Syntagm.* 2. *fol. m.* 121. *edit. Rom.* legem hanc sequentibus verbis exprimit: Cogebantur Ægyptii omnes scripta nomina sua ad Præsides, & simul quo exercitio quisque viveret, deferre, qua in re, si quis mentiretur, aut si injusto viveret quæstu, in mortis incidebat pœnam. In hac lege sane nobis ob oculos ponitur idea felicis Reipublicæ, quæ Magistratibus præscribit, quomodo se in munere suo gerere debeant, ut scilicet rationem accuratam civium habeant, ne vel luxuria bona consumant, vel illicito more quæstum faciant, unde habeant quo vivant. Optandum igitur esset, ut hac in re Christiani Magistratus morem hunc imitarentur, tunc forsitan feliciores essent in imperio. Accuratius itaque examinabimus hanc legem, & videbimus primo de Auctore & constitutore legis hujus, & deinceps ad alia accingemus.

II. Quod ad Auctorem hujus legis attinet, vocatur ille *Amasis*, qui regnasse dicitur tempore illo, quo *Jacob* sæviente fame descendit in *Ægyptum* ad filium suum *Josephum*, uti ex *Manethone* apud *Eusebium* recenset *Athanas. Kircher. in Oedip. Ægypt. Syntag.* 1. *fol. m.* 93. *cap.* X. *edit. Rom. Eduard. Simson. in Chronic. Cathol.* A. M. 2247. & *Jacob.* CVII. vixisse *Amasim* ex *Capello* affirmat. Alii autem volunt Amasim Cyri tempore vitam egisse, uti refert Anglus *Eques Johann. Marsham. in Canon. Chron. pag. m.* 432. *edit. Lips.* Amasis, inquit, ut antea,

tea, ita post *Cyri* tempora regnabat in *Ægypto*. Verum hanc controversiam dirimere non est hujus loci; illud tamen observandum quod Rex fuerit, qui hanc laudabilem legem promulgaverit, uti confirmat ex *Herodoto* citatus *Marshamius pag. m. 633.* his verbis: Hic legem tulit, unumquemque Ægyptiorum quotannis apud Nomarcham demonstrare unde vivat, qui id non fecerit, aut qui justam vivendi rationem non demonstraverit, hunc morte mulctandum. Conferatur huc quoque *Nicolai LLoydii Dictionar. Geograph. pag. m. 85. edit. Genev.*

III. Cur autem hanc legem promulgaverit, facile potest conjecturari, quia cognitum habebat, quod cives nihil agendo, male agere discant, & omnes machinationes excogitent, quæ ad detrimentum Reipubl. tendant. Hinc omnibus Magistratibus ideam præscribit eo spectare, ut accuratam civium suorum rationem habeant, vitæ genus observent, & omnes otiosos vel pravis artibus quæstum quærentes exstirpent, ne incommodum Reipublicæ universæ accrescat. Hanc legem, ut inculpatam, ad alios translatam populos ex historiis constat. De *Græcis* certissimum est, quod hanc legem tenacissime servaverint; sed quis illius primus Legislator fuerit, controvertitur. *Herodot.* dixit, hanc τῆς Ἀργίας legem de otiosis morte plectendis ex Ægypto a Solone advectam esse, & ex illo *Diodor. Sicul. lib.* I. His se opponit *Marshamius* & ex aliis Scriptoribus probat *pag. m.* 640. quod *Solon* non promulgaverit, sed *Draco*. Nam *Solonem* leges *Atheniensibus* præscripsisse antequam in Ægypto regnasset *Amasis*, asserit. Verba itaque ejus huc adducere non pigebit. Draco statuit, mortem otii esse pœnam: quamvis nec de pœna ista satis convenit. *Pollux. lib.* 8. *cap.* VI. *pag.* 386. Τῆς δὲ ἀργίας ἐπὶ μὲν Δράκοντος ἀτιμία ἦν τὸ τίμημα, ἐπὶ δὲ Σόλωνος, εἰ τρὶς τις ἁλῴη, ἠτιμοῦτο, *Juxta Draconem, otii pœna erat imfamia: juxta Solonem, tertio reus otii infamiæ erat. Lysias* apud *Diogen. Laert. Solon.* ἐν τῷ κατὰ Νικίου dicit, *Draconem* legem scripsisse: Ὁ ἀργὸς ὑπεύθυνος ἔστω παντὶ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι, *Otiosi nomen deferre cuivis licet. Solon* itaque non legis auctor fuit; sed τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἔταξεν ἐπισκοπεῖν ὅθεν ἕκαστος ἔχει τὰ ἐπιτήδεια, καὶ τοὺς ἀργοὺς κολάζειν. *Areopagitis negotium dedit, ut viderent, unde quisque viveret, & in otiosos animadverterent.* Vid. *Plutarch. Sol. p.* 90. & ibid. *pag.* 96. *Sed & Theophrastus tradidit, non Solonem, sed Pisistratum,* τὸν τῆς ἀργίας νόμον *legem de Otiosis tulisse; qua & agrum cultiorem & urbem infrequentiorem redderet.*

IV. In his *Marshamii* verbis monendum esse putamus, quod ex *Polluce* probare conatus fuerit, pœnam *a Dracone* latam in otiosos fuisse infamiam, quod vix probabile, & lapsus memoriæ videtur, cum is capitale id pronuntiaverit, uti ex *Plutarcho* apparet: Μία γὰρ ὀλίγου δεῖν, ἅπασιν ὥριστο τοῖς ἁμαρτάνουσι ζημία. ὥστε καὶ ἀργίας ἁλόντας ἀποθνήσκειν. *Una enim fere cunctis delinquentibus pœna mortis constituta: ut & otii convicti capitis supplicio afficerentur.* Quod ad *Pisistratum* attinet, quem *Theophrastus* hujus legis autorem statuit, vix veritati conveniens videtur. Nam quod otiosos ad laborem impulerit, testatur *Ælian. lib.* IX. *Var. cap.* XXV. quando ita scribit: *Pisistratus cum in regnum esset evectus accersi jubebat eos, qui in foro deambulando atque otiando tempus tererent: & interrogavit, num quæ causa esset ipsis in foro mœsto vultu oberrandi, simulque dicebat: Si tibi boves aratores mortui sunt, de meo cape rursus alios, atque ad labores te confer. Si egenus & inops es seminum, de meo dentur tibi: veritus, ne horum otium insidias aliquas pareret.* Ex his verbis satis elucet, cur Pisistratus ex otiosis strenuos habere voluerit, quia decimarum avidus hoc subsidio plures sibi parare poterat. Ex his conditionibus Pisistratus civibus suis boves & semina dedit, ut decimas ferret ab agricolis. Et simul operibus rusticis districti, & in diversa sparsi, minus virium & otii haberent ad res novandas. Hinc Dio Prusæus testante *Kuhnio in not. ad Ælian.* Pisistrato jubente & imperante populus in urbem non venit, sed ruri agros colebat & Atticam ante nudam & sine arbore, oleis consitam fecit, eodem jubente.

V. Alii tamen sunt, qui asserunt, legem hanc *Solonem* ab *Ægyptiis* transtulisse ad *Athenienses*, uti ex *Plutarch. Sympos.* recenset *Nicol. LLoydius in Dictionar. Geograph. pag. m.* 85. *edit. Genev.* cui adstipulatur *Joh. Philipp. Pfeiffer. in antiq. Græc. lib.* 2. *cap.* 67. *edit. Regiomont. pag. m.* 453. Calculum album adjicit clar. *Joh. Meursius in Themid. Attic. edit. Traject. ad Rhen.* 1685. *lib.* 2. *cap.* XVIII. *pag. m.* 107. Hanc quoque a Solone indictam pœnam tradunt alii & acceptam ab *Amaside Ægyptio* legem. Hancque suam sententiam confirmat testimonio *Herodoti lib.* 2. ex quo hæc lex desumta & *Diodori Siculi lib.* I. quorum Scriptorum verba ipsa audire jam lubet. Νόμον τε Αἰγυπτίοισι τὸν δε Ἄμασις ἐστὶ ὁ καταστήσας, ἀποδεικνύναι ἔτεος ἑκάστου τῷ νο-

νομάρχῃ πάντα τινὰ Αἰγυπτίων, ὅθεν βιοῦται μηδὲ ποιεῦντα ταῦτα, μηδὲ ἀποφαίνοντα δικαίην ζόην, ἰθύνεσθαι θανάτῳ. Σόλων δὲ ὁ Ἀθηναῖος, λαβὼν ἐξ Αἰγύπτου τοῦτον τὸν νόμον, Ἀθηναίοισι ἔθετο. τῷ ἐκεῖνοι ἐς αἰεὶ χρέωνται, ἐόντι ἀμώμῳ νόμῳ. i. e. *Legemque hanc qui Ægyptiis constituit Amasis est; ut demonstret unusquisque annis singulis apud Præsidem ejus loci, unde vivat: qui non fecerit, neque vitæ rationem demonstrare justam possit, is ut morte puniretur. Solon vero Atheniensis cum hanc legem ex Ægypto accepisset, Atheniensibus promulgavit: qua perpetuo illi utuntur, tanquam plane inculpata.* Hæc Herodotus. Testimonium *Diodori Siculi lib.* I. hoc est: *Insuper* (Latina tantum recensebimus) *injunctum erat Ægyptiis omnibus, ut nomina apud Præfectos profiterentur, indicantes simul, quo proventu, & vitæ genere, victum sibi unusquisque compararet: ac mentitus, vel injustum agitans quæstum, mortis pœnam incurrebat. Quam legem Solon, ad Ægypti imitationem, Athenas transtulisse fertur.* Non solum autem Athenis hæc lex viguit; sed etiam lex *Sardoa* erat teste *Æliano lib. 4. cap.* I. *Var. pag. m.* 253. *edit. Argentorat.* Apud quos hæc lex fuit: Ἀργίας ἦσαν δίκαι, καὶ τὸν εἰκῇ ζῶντα ἔδει κελεύεσθαι, καὶ διδόναι τὰς εὐθύνας, ἀποδεικνύντα ὅθεν ζῇ: *Pœnas ignaviæ & socordiæ constituebant: & qui otiose viveret, eum rationem reddere oportebat, & unde viveret ostendere.*

VI. Quanti Græci hanc legem æstimarint, ex sequentibus patebit. Sanctissimo etenim Synedrio Areopagitico concredebatur teste Isocrate in Areopagitica scribente: Οὕτω γὰρ οἱ πρόγονοι ἡμῶν περὶ τὴν σωφροσύνην ἐσπούδαζον, ὥστε τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἐπέστησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐκοσμίας: Majores enim nostri tantam modestiæ rationem habuerunt, ut Senatum Areopagiticum censuræ morum præfecerint. Clarius hoc exprimit *Valer. Max. lib.* II. *c.* VI. his verbis: *Est & ejusdem Urbis sanctissimum concilium Areopagus, ubi, quid quisque ageret, aut quonam quæstu sustentaretur, diligentissime inquiri solebat: ut homines honestatem, vitæ rationem memores reddendam esse, sequerentur.* Ut autem hoc eo accuratius cognosceret Areopagus, quosdam mittebat, qui teste *Suida* Episcopi dicti & ad res sociorum inspiciendas mittebantur: qui etiam φύλακες i. e. custodes fuerunt appellati; quos Lacedæmonii ἁρμοστὰς nominarunt. Qui si quosdam viderent, quod prodigaliter & non de suis reditibus viverent, accusabant eos, & hi ab Areopago in judicium vocabantur, uti *Athenæ. lib.* IV. refert: *Quod vero prodigos, quique non ex reditibus suis viverent, Areopagitæ in jus vocaverint & punierint, referunt Phanodemus & Philochorus aliique plures.* Exemplum quoque addit de *Demetrio* quodam uno e posteris *Demetrii Phalerei*, quod in judicium vocatus, quia luxuriose vitam agebat. Qui autem nulla bona possidebant, & tamen honestam & lautam vitam agebant iterum vocabantur, ut rationem redderent vitæ, uti *Cleanthes*, *Menedemus* & *Asclepiades* novi Philosophi facere coacti fuerunt. Hi enim in judicium vocati, interrogabantur, qui fieri posset, cum toto die operam Philosophiæ navarent, ac nihil penitus possiderent, eorum corpora nihilominus tam bene se haberent, ac tam robusta essent? Cæterum ajunt Philosophos jussisse adduci molitorem quendam, & alium hortulanum, victus sui optimos testes, qui dicerent, uti apud se singulis noctibus aqua nunc haurienda, nunc volutatione rotæ atque pistrini, pro opera duas drachmas lucrifacerent. Itaque magnopere admiratos Areopagitas non solum Cleanthem, Menedemum & Asclepiadem innoxios dimisisse, sed & ducentarum drachmarum munere donavisse. Vid. *P. Ærodii libr. 2. decretorum, rerumve apud diversos populos ab omni antiquitate judicatarum, edit. Francof.* 1580. *pag. m.* 177. ad *tit.* I. de furtis, ubi hæc addit: *Homines ita ab alieno facile abstinebunt, si artis suæ & industriæ rationem reddant.* Conferatur huc *Johann. Meursii Areopagus pag. 69. 70. edit. Lugd. Batav.* 1624.

VII. Narratur & apud *Corinthios* hunc morem fuisse, ut si quem cernerent splendidius obsonari: hunc interrogarent, unde ille sumtus ei competeret, quidve ageret: quod si huic vitæ generi sumtus suppeterent, frui sinebant; sin autem sumtus facultates excederent, jubebant imposterum moderatius uti: ni pareret, mulctam imponebant, quod si nihil cum haberet, attamen ita splendide & opipare viveret, necandum carnifici tribuebant. De his *Diphilus* apud *Athen. lib.* VI. *Erasmo* interprete:

Hoc lege cautum est hic apud Corinthios
Si quempiam opsonare semper splendide
Videmus, hunc rogamus, unde vivat? &
Quid faciat operis? Si facultates habet,
Ut reditus solvere harum expensas queat,

Per-

Perpetimur illum frui bonis suis.
Sin forte sumtus superat ea, quæ possidet,
Prohibemus huic ne faciat hoc in posterum.
Ni pareat, jam plectitur mulcta gravi
Si sumtuose vivit is, qui nihil habet,
Tradunt eum tortoribus, Proh Hercules.

Quam esset optandum, ut inter Christianos hujusmodi institutum consuetudoque vigeret, multo profecto meliore felicioreque in loco res publicæ atque privatæ essent, nec tot calamitatibus atque naufragiis obnoxiæ.

VIII. Non solum autem Juventuti præfectos dabant *Athenienses*, qui nimirum morum rationem haberent, uti *Æschines Philosoph.* in *Axiocho*; sed etiam viris, senibus & omnis denique ordinis hominibus. Hoc est illud quod *Valerius Maximus* antea dixit. Idem innuit *Joannes Salisberiens. Polycrat: lib.* I. *c.* 3. Insignis quoque locus *Isocratis in Areopagitic.* quem huc adscribere Latinis verbis non pigebit: *Hæc*, inquit, (Areopagitæ) *cogitantes, non spectabant, qui immodestos punirent, sed qua ratione cives adduci possent, ut ne quid vellent pœna dignum admittere. Hoc enim ad se pertinere existimabant; suppliciis insligendis invigilare, hostium esse. Curabant igitur cum omnes cives, tum vero adolescentes inprimis. Videbant enim, eam ætatem turbulentissimis affectibus agitari, & plurimis redundare cupiditatibus: maximeque necessarium esse, ita illam institui, ut honestis studiis, & temperatis voluptate laboribus gauderet. Eos enim, qui liberaliter educati, & magnitudini animorum assuefacti essent, in solis illis rebus perseveraturos. Universis porro easdem exercitationes præscribere, in tanta rei familiaris inæqualitate, non potuerunt: sed ut singulorum facultates ferebant, ita singulis præcipiebant. Nam tenuiores ad agriculturam & negotiationes deducebant: non ignari, & inopiæ causam esse pigritiam, & ad facinus inopia plerosque impelli. Quare fonte malorum sublato, etiam cætera delicta, quæ inde velut ebullirent, censebant posse præcaveri. Locupletes autem, animum ad rem equestrem, ad gymnasia, ad venationes & philosophiam adjungere cogebant. Hoc enim eam vim habere perspiciebant, ut alii virtutibus excellerent; alii flagitiis plurimis abstinerent. Neque contenti solas leges tulisse, de cætero negligentes erant; sed civitate in vicos, agro in populos distributo, uniuscujusque vitam spectabat, & immodestos in Senatum ducebant, isque alios monebat, aliis minitabatur, alios, ut par erat, puniebat.*

IX. Quod igitur hodie in Rebuspubl. tot tantaque crimina committantur causa est hujus legis abrogatio, quia fere nullus eo respicit Magistratus, quales subditos habeat, quo vitæ genere vivant; sed sæpe otiosi & quæstum facientes magni æstimantur. Hinc furta, & lenocinia, aliaque crimina pessima oriuntur, quæ Rempublicam evertunt. Cum otium itaque sit causa omnis mali; merito hodie Magistratus in otiosos inquirere deberet, ipsosque interrogare qua arte vitam agerent. Exsecrandum & intolerabile illud genus hominum est, quod nulli subjectum Magistratui, hinc inde illicitis artibus quæstum facit, aut Diaboli suggestionibus imperitum, superstitiosum & impium vulgus decipit; nam qui nil bene agit, illum neque utilem ad quicquam esse.

X. Non solum autem otium morte puniebatur, sed etiam qui injustum quæstum faciebat, in hunc etiam pœna constituta erat. Injustum quæstum faciunt Lusores, vel ludicram artem exercentes. Vid. *Lexic. juridic. ex Brissonio aliisque collectum, pag.m.* 835. Confer. *Meurs. in Themid. Attic. lib.* 2. *c.* VI. & *cap.* XX. Sed de hac lege hæc sufficiant. Plura tamen qui legere cupit de iis, qui quæstus causa ludicra exercent & illorum pœnis, evolvat *Petri Fabri Semestr. lib.* 2. *pag. m.* 161. *seqq.* ubi plurima lectu digna reperiet.

LEX QUINTA.
QUI MORTEM INTULIT VEL SERVO SPONTE, MORTE LUEBAT HOMICIDIUM. SCELERA ENIM CONSILIO FACTORUM NON CONDITIONE HOMINUM ÆSTIMANDA CREDEBANT.

Vid. *leges & consuetud. Francisc. Robortell. lib.* XV. *edit. Bonon. Diodor. Sicul. lib.* I. *c.* 77.

I. Hæc Ægyptiorum lex optime convenit cum Hebræorum lege *Exod. cap.* XXI. 20. Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit, reus homicidii, ut explicat Cornel. a Lapid. ac consequenter pœnæ mortis. Ita etiam hanc legem expositam volunt Rabbini, uti Cl. *Hottinger. lib. de Jure Hebr. leg.* XLVII. *pag. m.* 60. *ex Maimonide* recenset: *Quod jubeamur*, inquit, *occidere transgressores quorundam præceptorum legis, gladio. Atque hoc supplicium vocatur a Rabbinis nostris occisio, quæ mors facilis est.*

eſt. Unus autem eorum, qui hoc ſupplicio tollendi ſunt, eſt qui ſervum ſuum percuſſerit, etſi Cananæus fuerit, ſi ſub manu ejus moriatur, ſicut dicitur; Vindicando vindicator, *Exod.* XXI. i. e. *occidatur occiſione gladii*. Vid. *Baba Kam. Maim. Hil. Sanhedr. c.* 14. *Ratio hujus præcepti eſt, quod ita Deus Benedictus de medio populi ſui ſancti eradicare voluerit malitiam cordis & magnam illam crudelitatem. Mandavit propterea, ut omnis, quem forte iracundia effervescens ita vicerit, ut lethali ictu ſervum ſuum, quem domi ſuæ alit, percutiat, neque ſit, qui eum liberet, occidatur*. Similiter *Maimonid. in juribus homicidii cap.* 2. aſſerit: Qui percuſſerit ſervum ſuum cultro, gladio, lapide, aut pugno, vel alio modo, ut lethale vulnus ei impegiſſe æſtimetur, is, licet ſervus poſt annum demum mortuus fuerit, tanquam homicida occidendus eſt. Confer. *Henric. Ainsvvorthii comment. in Exod.* XXI. *fol. m.* 83. *edit. Londin.* qui eadem confirmat. Promulgabat hanc legem Deus non ſine ratione, quia intorabilis coram oculis Dei & hominum eſt illa crudelitas, quam interdum exercent Domini erga pauperes ſervos, nihil conſiderando, quod ſint homines, in hoc æquales Dominis, qui eos tractant inſtar canum, impie percutiunt, & ex Dominis mutati in carnifices violenter occidunt.

II. Et licet Hebræi diſtinctionem quandam inter ſervum Hebræum & Cananæum fingere velint, quod de priori hæc lex ſit intelligenda, non poſteriori. Verum non videmus, quid impediat, quominus hæc verba legis de ſervis in genere intelligantur: qui quidem in aliis rebus pares non ſunt, in hoc tamen quod ſint homines; imo *Maimonides* in verbis præcedentibus nullum diſcrimen inter ipſos agnoſcat; quare neceſſe eſt, ut ille, qui occidat ſervum, homicida ſit, & ſic quoque pœnæ reus. Agnovit hoc Jobus, qui benigniſſimum ſe erga ſervos ſuos exhibebat, conſiderans, omnibus hominibus eandem eſſe originem & unam naturam, ita ut dives æque ac pauper, Princeps ac ſervus ex eodem luto formentur: vid. *Job. cap.* XXXI. 15. *Act.* x. 26. XIV. 14. Huic adſtipulantur ſaniores Gentiles. *Macrobius lib.* I. *Saturnal. cap.* II. An forte, inquit, ſervos in hominum numero eſſe non pateris? unde in ſervos tantum & tam immane faſtidium, quaſi non ex iiſdem tibi & conſtent & alantur alimentis, eundemque ſpiritum ab eodem principio carpant? Vis tu cogitare eos, quos jus tuum vocas, iiſdem ſeminibus ortos, eodem frui cœlo, æque vivere, æque mori? Servi ſunt, imo conſervi. Similes conceptus expreſſit *Seneca epiſt.* 47. Libenter ex his, qui ad te veniunt, cognovi, familiariter te cum ſervis tuis vivere. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet, ſervi ſunt? imo homines. Servi ſunt? imo contubernales. Servi ſunt? imo humiles amici. Servi ſunt? imo conſervi. Et paulo poſt; Vis tu cogitare iſtum, quem ſervum vocas, ex iiſdem ſeminibus ortum, eodem frui cælo, æque ſpirare, æque vivere, æque mori.

III. Hoc conſiderantes *Ægyptii* legem promulgarunt hanc, teſte *Diodoro Siculo lib.* I. *c.* LVII. Qui ſponte liberum hominem aut etiam ſervum necaſſet, ei leges apud Ægyptios capitis ſupplicium irrogabant; utpote quæ non fortunæ conditione, ſed factorum conſiliis a ſceleribus inhiberi cunctos vellent, & hac erga ſervos cura homines condocefacerent, ingenuos multo minus injuriis afficiendos. Hic ſane ſervi inter homines referuntur, ſecus ac leges civiles volunt, quæ ſervum quatrupedi comparatum jubent, cum quo liberum eſſet agere, quod velimus, *l.* I. §. *igitur D. hic Arg. l.* 21. *Cod. Mandat.* Ita etiam *Grotius de jure belli & pacis lib.* 3. *cap.* VII. *pag. m.* 491. diſſerit: Nulla perpeſſio eſt, quæ non illis imponatur, &c. & paucis interjectis lineis dicit: Apud omnes fere gentes (ait Cajus l. I. D. de his qui ſui ſunt juris) animadvertere poſſumus, Dominis in ſervos vitæ neciſque poteſtatem fuiſſe, & *Florus cap.* 20. *l.* 3. referente *Doctiſ. Gronovio*, ſervos in omnia obnoxios dicit. Hinc atrociſſimæ pœnæ, inprimis ſupplicium mortis, imponebantur, uti pluribus oſtendunt *Faber in Semeſtr. lib.* 2. & *Lexici auctor ex Briſſonio aliiſque collecti, pag. m.* 930.

IV. Hoc jure quidem olim Romani in ſervos uſi ſunt, qui ſæpe ob leviſſimas cauſas, de quo videas *Tacit.* XIV. *Annal.* & *Lipſ.* 2. *Saturnal. tum Dion. Caſſ. hiſtor. lib.* 54. qui referunt *Vedium Pollionem* civem Romanum murenas in piſcinis habuiſſe, eaſque ſervorum carne aluiſſe, imo puerum caſu vas criſtallinum frangentem ei ſupplicio addixiſſe. Ex quo ſponte fluit, damnandam & damnatam eſſe Romanorum, quibus nulla omnino inter ſervos & quatrupedes differentia, (auctore *Cajo in l.* 2. *ff.* ad *L. Aquil.*) inhumanam in ſervos ſævitiam, coercendamque eſſe omnium, qui alios in poteſtate habent, violentiam. Vid. *Conrad. Friedlieb. JCt. Diatrib. jur. univerſ. de honeſtat. & modeſt. edit.* Ham-

Hamburg. 1679. *pag. m.* 82. Nec firmo ſtat talo *Hugon. Grotii* ſententia, qui ex *Cujacio* probare vult, jure gentium fere omnium hanc legem introductam eſſe, quod veritati non convenit. Ut enim patria poteſtas rigida dicitur Juris civilis, quod nullæ gentes talem per omnia in liberos habeant poteſtatem, qualem habent *cives Romani*: Ita Dominica erit Romanorum propria, quod nulli populi tale per omnia in ſervos jus exerceant, quale *Romani* in ſua mancipia. Conferantur hiſtoriæ nationum & manifeſtum erit, non adeo duram apud eas conditionem fuiſſe ſervorum, aut ſi in nonnullis cum Romana duritie ſit conferenda, id accidit propterea, quod ab iis nonnulla ſervorum jura hauſerint, eaque in civitatem receperint. Vid. *Athen. Deipnoſ. lib.* VI. *c.* VII. Nec fidem adhibemus *Triboniano* aſſerenti apud omnes plerumque Gentes Dominis in ſervos vitæ neciſque fuiſſe poteſtatem.

V. Certum etenim eſt apud Iſraelitas, populum moratiorem, poteſtatem Dominicam fuiſſe temperatiorem. *Exod.* XXI. 20. nequicquam obſtante loco *Gen.* XVI. 6. perperam a *Pacio* in notis allegato. Ubi ne gry quidem de vitæ neciſque in mancipia poteſtate, verum de expellenda ancilla e familia, cujus malos mores ferre non poterat Sarai mater-familias. Quinimo nulla ratio naturalis, nulla ſuperveniens ratiocinatio, nulla humana neceſſitas Dominis vitæ neciſque jus in ſervos conceſſit, ut hunc effectum juris gentium non eſſe facile liceat animadvertere. Neque enim quod crudelitas hujus aut illius populi introduxit pravo more, conſuetudine prava, ſtatim Juris Gentium eſſe cenſebitur, *Arg. l.* 39. *D. de Legibus*. Ita enim vix quicquam adeo nefarium excogitari poſſet, quin Juri Gentium adſcriberetur: cum grandia vitia, etiam ſcelera multa foverint nonnullæ Gentes, quæ omnia velamento Juris Gentium excuſari poſſent. Vid. *Paul. ad Rom.* I. *Cæſar. de Bell. Gall. Tacit. de morib. German. Thucydid. de Græc. popul. ubi illorum mores deſcribuntur. Althuſ. dicajol. l.* I. *c.* 27.

VI. Sunt tamen aliqui, qui probare conantur jus vitæ neciſque in ſervos ex *Levitic. c.* XXVII. 28. 29. *Omne devotum, quod devovebitur* מן האדם *ex hominibus, non redimetur, morte afficietur.* Hanc legem quidam ita intelligunt, quaſi ea permittatur & concedatur jus non ſolum in pecudes & jumenta, ſed & homines devovere, & ita devotos, internecioni dare & occidere; nempe eos, qui alicujus juri & poteſtati ſunt ſubjecti, veluti ſunt *Servi & Ancillæ*. Eliciunt hoc ex eo, quod *verſ.* 29. dicatur: Omne devotum quod devotum fuerit מן האדם, quod illi reddunt *ex hominibus, non redimetur, morte afficietur.* Rationem hujus juris reddunt hanc, ut ſervi tanto magis in officio erga Dominos contineantur debita obedientia & veneratione; cum videlicet audirent, tantam vitæ & necis ipſos habere poteſtatem, ut ſi ipſi luberet, ab uno oris ipſorum verbulo, vita & mors ipſorum dependeret. Verum alii tum ex *Chriſtianis*, tum ex *Hebræis*, aliter verba hujus legis exponunt, & verba illa מן האדם non ex homine, ſed ab homine reddunt, ut referatur ad devoventem & rem devotam ſeu ſubjectum patiens, præſupponendo, id tale eſſe debere, quod jure internecioni devoveri liceat ac debeat. Sic *Vulgat*. Ita plures alii. Hebræi etiam diverſimode explicant, quamvis unanimiter hominis devotionem excipiant, per quam ſc. morti, nullo ſuo merito, addiceretur & afficiendus ſit. R. *Salomon* exponit de eo, qui ad mortem a Judice condemnatus, ad ſupplicium educitur, ne ille a quoquam, oblato λύτρῳ, redimatur, ſed morte deſtinata afficiatur. Sic alii de quovis ſupplicium capitale promerito ſecundum legem. Ad tale quid reſpexiſſe videtur Interpres *Arabs*, qui verſum 29. ita reddit; *Et omnis perditus, qui meretur interire ex hominibus, ne redimatur, ſed occaſione occidatur.*

VII. Rabbi *Moſes Nachmanides*, *R. Bechai*, *R. Levi Ben Gerſon*, *R. Iſaac Abarbanel* eximii ſcriptores, propius videntur ſcopum attigiſſe. Illorum ſententia huc redit, *Duo eſſe* τȣ̃ *Cherem* ſeu Anathematis Deo devoti genera; Unum, quod Deo ceu donum ſacrum abſolute devovebatur, ita ut nec vendi, nec redimi, nec ulla ratione ad Dominum redire poſſet. Tale Anathema conſtabat ex *Perſonis*, vel ex *rebus*, devoventis poteſtati & juri ſubjectis. Perſonæ, veluti erant *Servi & Ancillæ*, pretio ab illis emti ex populis Cananæis. Hi tradebantur, veluti ad cædenda ligna, hauriendam aquam & ſimilia miniſteria. Res, veluti pecudes & jumenta; Agri item & fundi, qui Deo conſecrabantur, & Sacerdotum & Levitarum bonis accedebant ad conſervationem Templi, Altaris & aliarum rerum ſacrarum, ad ſuſtentationem ipſorum commodiorem, & omnium eorum qui Deo in Eccleſia vel Scholis ſerviebant, in uſum pauperum, redemtionem captivorum, &c. Horum uſus & diſpenſatio ad ſolos Sacerdotes per-

pertinebat, & omnibus aliis interdictus erat: quia sunt קדש קדשים Sanctitas Sanctitatum Domini: inferenda in thesaurum Jehovæ, *Jos.* VI. 19. Hinc vocamus חרם Anathema, quia res amissæ & perditæ erant Dominis suis, & omnibus aliis, præterquam Sacerdotibus, quibus solis consecrata erant. Unde Deus ad *Aaronem* dicit; כל חרם omnis res per Cherem consecrata in Israel, tua erit, *Num.* XVIII. 14. Et de hac Anathematis specie volunt aliqui versum 18. loqui. Altera τȣ Cherem species fuit de Hominibus, Animantibus item & pecudibus, vel ex mandato speciali Dei, vel ex voto, vel ex Regis aut Synedrii sententia, perdendis, exscindendis & internecioni dandis. Per homines autem intelligendi non sunt *Servi & Ancillæ*; sed hostes tum Dei, tum populi. Vid. *Deut.* VII. 2. *Num.* XXI. 2. *Jos.* VI. 17. 21. 1. *Sam.* XV. 3. & de hac voti specie volunt agere *vers.* 29. Atque hæc ipsorum sententia nobis quoque videtur verissima, neque ulterius lex illa *vers.* 29. extendenda vel ad *Servos* vel *Ancillas*. Nam ex hac devovendi immolandive libertate magna invecta fuisset licentia, multisque modis imminuta Interdicti de homicidio amplitudo, nec ulla liberorum & servorum vitam innocentia tueri potuisset, adeoque ultroneum homicidium permissum.

VIII. Firmo igitur stat talo, asserere, quod Domini non habuerint jus vitæ & necis in servos, licet distinctione aliqua decidere rem velit B. *Osiander in annot. ad Hug. Grot. libr. pag. m.* 793. 794. inquiens: Quod concernit jus vitæ & necis Dominorum in servos, id ipsum dupliciter intelligi potest, aut supposita Republica & ordine civitatis vigentibusque judiciis, aut præscindendo a tali statu. Priori modo jus vitæ & necis Domini non habent in servos: Posteriori autem modo non videtur absurdum dicere, Dominos habere jus vitæ ac necis in servos, adeo ut si v. g. Dominus esset in Insula & in familia sua aleret servos, posset occidere vel per se, vel per alios. Verum negamus hoc partim ex Scriptura, partim aliis rationibus. Constat enim *Genes.* XVI. 6. quod Abraham familiam numerosam alens Hagarem ancillam immorigeram non occiderit, sed expulerit, quod tamen, hac hypothesi posita, facere potuisset, cum recta ratio ipsi dictaret, neminem lædendum vel occidendum propria autoritate. Vir bonus ad injuriam vindicandam non est proclivis. Cogitat enim. I. Homines malos ignorantia boni & mali laborare, caligantibus itaque æquior est. II. Nos ejusdem sanguinis esse participes, ut *Lactant. lib.* VI. *Instit. c.* X. testatur. III. Eadem anima ceu portiuncula divina præditos. IV. Neminem nisi a se ipso lædi, de qua re vide *Max. Tyrium ingeniose disserentem Diss.* 2. V. Homines ad mutuas operas natos esse, *Senec. l.* 1. *c.* 8. *de Ira*. Hinc rigidissima hæc Dominorum in servos potestas omni Juri adversatur. Repugnat *communi naturæ legi, & Juri divino*. Communi naturæ legi, dicimus, adversatur, quod inter homines natura aliqualem fecerit societatem, nec aliter velit, quam hominem ab homine beneficio affici, *l.* 3. *D. de just. & jur.* Conf. *Macrob. lib.* 1. *Saturn. cap.* 2. Si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunæ, tam tu illum liberum videre potes, quam ille te servum. Adversabatur etiam divinis præceptis, quæ nos in servos æquos esse jubent, abutique vetant potestate nobis de jure tributa, *Exod.* XXI. 26. *Levvit.* XXV. 38. *Deut.* XV. 12. 2. *Reg.* VI. 22. *Ephes. ult. v.* 6. *Coloss.* IV. 1. 1. *Petr.* 2. 18.

IX. Si nunc neque Domini neque alii privati homines jus vitæ ac necis in Servos habuerint, lex *Ægyptiorum* firma & immota manet, jubens, quod *omnis qui servum occiderit, morte afficiendus sit*, quia æque est homicidium, quod omni jure prohibetur. Cum autem duplex sit homicidium, voluntarium & involuntarium; ita etiam pœnæ variant. In nostra hac lege agitur de homicidio servorum sponte peracto, quod pœna capitis plectendum, nullo respectu habito ad personas, uti exstat in Ægyptiorum lege: *Scelera enim consilio factorum non conditione hominum æstimanda credebant*. Quibus verbis significare voluerunt, nullam exceptionem hic esse fingendam; an homicidium perpetratum sit in persona libera, vel etiam servo? morte dignum judicabant. Ita statuunt quoque leges divinæ. Nam *Levit.* XXIV. 22. expressa lex exstat: *Æquum judicium* (in homicidio) *sit inter vos, sive peregrinus sive civis peccaverit*. & vers. 21. *qui percusserit hominem, punietur*. Anglus *Henric. Ainsvvorth. Comment. in h. l. fol. m.* 151. *edit. Londin.* exponit: *that one manner of lavv, and punishment shall be*. & vers. 21. *Smiteth a man, that is killeth him as vers.* 17. *Shall dye, shall be put to dye the death. And. Targ. Jonath. Shall be killed vvith the svvord*. Hic nullus excipitur sive pauper, sive dives, sive liber, sive servus fuerit, qui hoc crimen commiserit.

X. Decretis Mosaicis respondent profana,

ſana. Marcianus *ff. ad l. Corn. de Sicar. l.* 1. §. 1. Qui hominem occiderit, punitur, non habita differentia cujus conditionis hominem interemerit. Vid. D. *Carpzov. Criminal. p.* 1. *q.* 2. *fol. m.* 9. *ſeqq.* Quod voluntarius homicida pœna capitali plecti debeat, omnibus legibus & decretis Principum comprobatum & in praxim deductum eſt. Imo ipſemet etiam infernus videtur huic ſententiæ ſubſcripſiſſe, quando Oraculum Apollinis Delphici, ut refert *Ælian. l.* 3. *Var. Hiſt. c.* XLIII. Legatis *Sybaritarum*, qui in templo occiderant innocentem quendam Citharœdum reſpondit:

Cede meis menſis, manibus nam ſanguis adhærens.
Diſtillanſque recens, prohibet tibi limina templi.
Non tibi fata canam, magnæ Junonis ad aram
Muſarum innocuum ſtraviſti cæde miniſtrum.
Non immortales hoc Dii patientur inultum.
Si quis enim prudens ſcelerata e mente profectum
Committat facinus, gravis hunc prope pœna ſequetur.
Non erorabit, neque ſi genus ad Jove ſummo
Duceret: ipſe ſuo collo, colliſque nepotum,
Hoc luet, & generi cumulatim damna ferentur.

Conſentiunt leges ab Imperatoribus latæ *Inſtit. lib.* 1. *tit.* 8. De his qui ſui vel alieni juris ſunt, §. 2. *Qui ſine cauſa*: qui proprium ſervum ſine cauſa, & quidem dolo malo occidit, perinde tenetur, ac ſi alienum dolo malo occidiſſet. Conferatur huc celeb. *Paul. Voet. Comment. in h. l. pag. m.* 148. 149. ubi tam ex civilibus, quam *Moſaicis* legibus rem deciſam reperiet Lector. Imo volunt Hebræi, non licere Magiſtratui λύτρον accipere, ſed ex rigore homicidium punire. Vid. *Maimon. de homicid.* Ratio hujus redditur in *Sepher hachinnuch*. *Si liceret Dominis terreſtribus λύτρον accipere ab homicida, quilibet potentia vel opibus valens proximum, contra quem ira excanduit, occideret, & pretium ejus ſolveret; ſicque homicidia forent frequentiſſima & mundus deſolaretur.* Ad hanc pœnam etiam referunt illos, qui homicidium non ſuis manibus quidem, ſed per alios ſubornatos & conductos, commiſerunt. Vid. *Maim. c.* 2. §. 2.

LEX SESTA.

AT CÆDES LIBERORUM PARENTIBUS NON ERAT CAPITALIS. SED IN CÆSI CADAVERIS COMPLEXU TRES DIES NOCTESQUE, ADHIBITA CUSTODIA, DETINEBANTUR. EOS ENIM VITA PRIVARI NATORUM CAUSA, QUI DEDISSENT VITAM, NON SATIS ÆQUUM VIDEBATUR, SED DOLORE POTIUS AFFLIGI ET PŒNITENTIA.

I. Hæc lex Ægyptiorum apud *Diodorum Siculum lib.* 1. *cap.* 77. reperitur, quam integram exhibere jucundum erit: Κατὰ τῶν γονέων τῶν ἀποκτεινάντων τὰ τέκνα θάνατον μὲν οὐχ ὥρισαν, ἡμέρας δὲ τρεῖς καὶ νύκτας ἴσας συνεχῶς ἦν ἀναγκαῖον, περιειληφότας τὸν νεκρὸν. ὑπομένειν φυλακῆν παρεδρευούσης δημοσίας: *Parentes, qui liberos occidiſſent, capite plecti noluerunt, ſed hi triduo continuo in complexu defuncti ſub publica cuſtodia permanere cogebantur.* Rationem hujus juris addit non abſurdam ita differens: Οὐ γὰρ δίκαιον ὑπελήφθη τὸ βίου στερίσκειν τοὺς τὸν βίον τοῖς παισὶ δεδωκότας, νεθετήσει δὲ μᾶλλον λύπην ἐχούσῃ καὶ μεταμελείᾳ ἀποτρέπειν τῶν τοιούτων ἐγχειρημάτων. i. e. *Nam injuſtum putarunt vitam iis adimere, qui vitæ liberorum fuiſſent autores, ſed triſti admonitione ac pœnitentia dehortari maluerunt ab ejuſmodi conatibus.* Magna apud omnes populos parentum poteſtas fuit, ut liberi reverentiam erga parentes haberent & timorem; interim tamen a plurimis poteſtas illa non ita rigide peracta fuit, ut jus vitæ neciſque exercuerint, quod tamen apud Romanos & Græcos olim in uſu fuit.

II. Hebræum populum conſiderantes, quærimus, an Parentes jus vitæ & necis habuerint in liberos? Ad quam quæſtionem reſpondemus negando. Licet enim apud quaſdam Gentes receptum fuerit hoc jus in liberos exercere; attamen Lege divina nuſpiam ipſis conceſſum legimus, ſed potius ademtum, quæ jubet filium caſtigare, non occidere, nec vult quenquam occidi, niſi cognita prius per Judices & Magiſtratum cauſa, & ſententia condemnationis lata. Ergo jure Hebræorum rigida illa patria poteſtas non obtinuit, ſic ut parens in filium jus vitæ neciſque (contra quam inſulſe ſtatuit *Bodin.*) non habuerit. Jubet enim lex divina, ut parens filium declinantem & rebellem ad judicem adducat, ut ſibi id non licere ſciat, quod ad officium ſpe-

ſpectabat Magiſtratus, *Deut.* XXI. *v.* 18. *Ameſ. caſ. conſc. lib.* 5. *cap.* 26. Id quod illo *Salomonis Prov.* XXI. confirmatur, ubi expreſſe prohibitum, ne ultra diſciplinam & caſtigationem pater procedat. Conf. G. *Donaldſon. Scoto-Britanni Abredonenſ. JCt. Synopſ. Oeconom. edit. Pariſ. pag.* 352. Nec quicquam obſtant exempla *Abrahami*, filium Deo offerre volentis, vel *Jephthæ Gileaditæ*, filiam devoventis. Quin illud erat peculiari Dei juſſu incœptum, hoc facti, non juris, adeoque in exemplum non trahendum. *Acacius Enenck. Baro. de privil. Parent. & liber. l.* 1. *c.* 1. *n.* 4. 5. *Arumnæ. diſcurſ. publ. part.* 1. *diſcurſ. fin. th.* 4. Uno tantum in caſu parens filium impune poterat occidere, ſcil. ſi fuiſſet Idololatra, quod illa gens admodum prona eſſet in Idololatriam. Hinc jure Hebræorum, Pater filium ex propoſito occidens, eadem pœna tenetur, qua alius homicida, uti docet *Maimonid.* הלכות רוצח *cap.* 1. §. 1. his verbis: *Si pater filium occiderit, qui habet quoque filium, tunc huic filio competit jus vindicis ſanguinis, ut poſſit Avum ſuum occidere, ſi non habeat filium, jus illud fratrum nullus habet, ſed Domus Judicii, ſeu Magiſtratus morte eum afficit.*

III. Et licet apud Græcos *Solon* parentibus jus vitæ ac necis in liberos dederit, ut metu pœnæ honorare diſcerent parentes; attamen vix rectæ rationi conveniens, nam quomodo is iterum id deſtruere tendet, ad quod primario intendit, & prima inter Græcos a Triptolemo data lex ſit: *Animalia non lædere*. Si igitur animalia non ſunt lædenda, multo minus liberi. Objiciunt & dicunt, quod ob pravitatem naturæ hæc lex a Solone introducta, cum alias liberos ad obedientiam cogere non potuiſſent; & hinc teſte *Sexto Empirico Pyrrh. Hypolyp. lib.* III. *cap.* XXIV. natam legem: Καὶ ὁ Σόλων Ἀθηναῖος τὸν περὶ τῶν ἀκρίτων νόμον ἔθετο, καθ' ὃν φονεύειν ἑκάστῳ τὸν ἑαυτοῦ παῖδα ἐπέτρεψε. *Quin etiam Solon Athenienſis legem de indemnatis poſuit, per quam unicuique filium ſuum interficere permiſit.* Hermogenes, de invent. l. 1. cap. 1. Ἐνώπιόν τις τῆς μητρὸς ἀπέκτεινε τὸν υἱὸν, κατὰ τὸν τῶν ἀκρίτων νόμον: *Occidit quis filium* coram *matre, juxta legem de indemnatis.* Curius Fortunatianus Reth. l. 1. Lege quemadmodum ſit abſoluta qualitas? Indemnatos liberos liceat occidere. Tres filios lege indemnatorum occidit: reus eſt uxori male tractationis. Hic enim ſe dicit lege feciſſe. Ac de matre quoque eſt locus Sopatri in diviſ. Quæſt. Ἐξεῖναι καὶ μητράσιν ἀκρίτους ἀναιρεῖν τοὺς παῖδας. *Licere etiam matribus liberos indemnatos occidere.* Ita quoque Romani parentes olim jus abſolutum habebant, liberos verberandi, coercendi, ruſticis in operibus habendi, tractandi crudeliter, vendendi, exponendi ubivis locorum ac denique occidendi.

IV. Unde quis concludere poſſet, eundem etiam morem Ægyptios habuiſſe, cum extaret in lege noſtra: *at cædes liberorum parentibus non erat capitalis.* Sed quare? non aliam ob cauſam, quam ex patria poteſtate hoc factum aſſerit *Petr. Gregor. Tholoſan. in prælud. optim. Juriſconſult. lib.* V. *cap.* 7. *pag. m.* 540. *edit. Lugd.* 1583. ita diſſerens: Hæc autem poteſtas magna erat jure Romanorum & tanta, ut filium pater pro jure ſuo occidere poſſet. Item *Dionyſ. Halicarnaſſ. lib.* 2. *Antiquit. Rom.* omne jus & vitæ & necis Legislatores antiquos parentibus conceſſiſſe in liberos ſcribit. Sic apud Ægyptios nulla pœna patribus filios occidentibus conſtituta erat alia, quam quod tribus diebus ac noctibus circa cadaver interemti aſſiſterent: nec juſtum putabant ob interfectum filium vita privari eum, qui ejus vitæ autor fuiſſet, ſed dolore & pœnitentia facti affligendum. Hanc ſufficientem pœnam putabant; nam ut ait *Euripides in Supplicib. act.* 5. *verſ.* 128. Τί γὰρ ἂν μεῖζον, τοῦ δ' ἐπὶ θνατοῖς πάθος ἐξεύροις, ἢ τέκνα θανόντ' ἐσιδέσθαι; i. e. Quod cruciabilius malum aliud inveneris, quam filium mortuum conſpicere? Confer. Cl. *Chriſtian. Rohrenſee Diſſ. Moral. de pœna innocent. edit. Witteberg.* 1680. §. XVIII. Sic legimus *Cardianos*, ut ſupplicio acerrimo afficerent *Miltocythem* Thracem, amicum Athenienſium, proditum Charidemo cum filio, primum filium ante patris oculos in navi jugulaſſe & e navi in pelagus projeciſſe, ut ſcribit *Demoſthen. contr. Ariſtocrat.* Fertur etiam, *Strateſicleam Spartiatam* mulierem cum filio captam, tortores rogaſſe, ut prior filio necaretur; ſed ut crudelius vexaretur non obtinuiſſe, *Plutarcho* teſte. Et apud *Virgilium Priamus* increpat *Neoptolemum*, non de cæde filii, ſed quod ante patris occidiſſet oculos, ut animadvertit *Sextus Victor lib.* 1. *Var. lect. cap.* 8.

V. Ut ut etiam doctiſſimus *Puſendorff. lib.* 6. *cap.* 2. *pag. m.* 920. 921. *de jur. N. & Gent. edit. Francof. ad Mœn.* 1694. ſtatuat, quod pater jus vitæ & necis in filium habuerit, id quod exemplis & teſtimoniis quibuſdam probat, quæ tamen tanti ponderis non ſunt, ut calculum his adjiciamus album. Aut enim hæc poteſtas occidendi liberos eſt Juris Naturæ,

ræ, vel Juris Gentium. Non Juris Naturæ, quia injustum & inhonestum imo turpissimum est in sua sævire viscera. Non Juris Gentium, quia non ab omnibus Gentibus fuit receptum, licet quidam hoc velint, uti sentire videtur *Pufendorffius* l. c. cui adstipulatur *Petr. Gregor. Tholosan. in præludiis optimi Jurisconsulti lib.* v. *cap.* VII. *pag. m.* 541. *edit. Lugd.* 1583. qui ita literis tradit: *Deinde etiam eadem facultas priscis Israelitis concessa videtur atque aliis adjacentibus nationibus*. Sed unde probabit hoc *Tholosanus*? Si priscis Israelitis hæc potestas fuit, utique Patriarchæ eandem exercuerunt. Jam autem constat ex Scriptura sacra, quod etiam atrocissima crimina a patribus impunita manserint in filios. Ergo vix probabit, quod facultas occidendi liberos priscis Israelitis concessa; alias necesse fuisset, ut Adam occideret Cainum ob fratricidium, & alii Patriarchæ in filios immorigeros animadverterent & illorum vitia morte punirent, quod autem nullibi in Scriptura legitur. Ut autem *Tholosanus* stabiliat suam sententiam, pergit hoc modo: *Et Abraham sacrificasset procul dubio filium suum Isaacum, nisi divinitus prohibitus fuisset*, Gen. cap. XXII. *nec ausum tam libere fuisse filium devovere morti diceres, nisi alioquin aliquo modo tunc permissa in filios omnimoda parentibus potestate*.

VI. Ex quibus verbis hoc axioma eliciendum, quod parens occidere possit filium, & filius parere teneatur, quemadmodum Isaac, quam obedientiam extollunt *Joseph. lib.* 2. *Antiq. cap.* XIV. *Chrysost. Hom.* XLVIII. Verum probet nobis Tholosanus, quod Abraham hoc ex jure patriæ potestatis fecerit; quod nunquam probabit. Sed specialis amborum virtutis ratio mandati divini intercessit, cui tanquam sublimiori & pater & filius se merito subjecerunt. At sine eo si fuisset, nec *Abrahamus* sine parricidii nota mansurus, nec Isaacus exuperantiam obsequii, sed obedientiam cæcam præstiturus fuisset. Conf. pluribus de hac materia disserentem celebr. *Johannem Christophor. Becmannum in Dissert. de exuperant. obsequii, edit. Francof. ad Oder.* 1679. *pag. m.* 33. *seq.* Pergit *Tholosanus* & probare conatur opinionem, testimonio Jephthæ, quod filiam immolaverit, quod iterum falsum deprehendimus, uti *Schedius de Diis German. & Saubertus de sacrificiis*, imo & alii ad oculum demonstrarunt. Denique *Gallos* producit, quibus jus hoc frequens, autoritatem quoque *Cæsaris lib.* 6. *de bello Gall.* in medium profert, id quod etiam *Doct. Pufendorff.* facit. Viri, inquit de Gallorum agens moribus, in uxores, sicut in liberos vitæ necisque potestatem habent. Quibus verbis improba & a vero aliena docetur eorum opinio, qui illud jus necis & potestatis proprium ducunt Romanorum, forsan a Justiniano persuasi, atque adeo corrigenda glossa in §. jus autem Romanorum. Verum hæc iterum cum veritate non convenire pluribus probavit autoritatibus celeb. *Paul. Voet. in Comment. ad Instit. pag. m.* 158. *lib.* I. *tit.* 9.

VII. Miramur sane verba *Pufendorffii* inquientis *pag. m.* 921. *lib.* VI. *c.* 2. Nihil tamen ad rem facit, quod vulgo afferunt ex *l.* 5. *D. ad L. Pompej. de parricid.* quod patria potestas in pietate non in atrocitate consistat. Sed cur non ad rem faciat? cum *honestas* moraliter cogat, ut talis est coactio juxta *Grot. de jur. Bell. & Pac. lib.* 2. *cap.* II. §. I. Veteres Romanos patribus solum certum potestatis correctoriæ modum præscribere, non quidem in atrocitate consistentem, qui ad jus occidendi liberos promiscue extenditur, id quod viguit non tantum *Neronis*, *Augusti*, *Ciceronis* & *Claudii*, ævo, verum etiam tempore *Papiniani* ac *Constantini*. Vid. *Valer. Max. lib.* v. *cap.* VIII. *Senec. de Clement. l.* I. *cap.* XIV. *& Sveton. in Claudio cap.* XVI. *Halicarnass. lib.* XII. sed clementiam magis, quam sævitiem spirantem: Nunquam enim crediderim *lege* XII. *Tabular.* datam esse patribus licentiam indicta causa & privata autoritate in filios ad necem usque animadvertere, contrarium enim manifeste liquet e *lib.* 3. *C. de patr. potest. & l.* 5. *ad L. Pompej. de parricid. lib. unic. Cod. de Emendat. propinq.* aut per eam adigi parentem, ut in nocentem filium capitalem sententiam ferat, cum non absque meditatissimo judicio & juris ordine vita hominis sit extinguenda, adeoque non tantæ parentum multitudini committenda, quorum plerique nec leges sciunt, nec causæ merita expendere valent, *Soto de jure & justitia lib.* v. *q.* 2. quinpotius credo Legem Regiam & Decemviralem hoc ad terrorem magis liberorum, eosque in officio rectius continendos ita constituisse, quam ut effrenis sæpe licentia parentibus invehendi in liberos concederetur, *Rittershus. in Comment. ad L.* XII. *Tabul. class.* 3. *p.* I. *cap.* I. Est igitur nullum aliud e constitutione Imp. jus coercendi parentibus datum, quam quod permisit filios quicquam gravius audentes judici castigandos offerre dicturo ex ipsorum præscripto sententiam, *lib.* 3. *C. de patr. potest.*

poteſt. Nec enim paternæ caſtigationis poteſtas immenſa, vel acerba, ſed finita & moderata eſſe debet, quam ſi egrediatur parens *inboneſte* imo *tyrannice* agit, imo filio, ſi admodum violenter egerit, jus reſiſtendi hoc ipſo concedit *arg. l.* 45. §. 4. *ff. ad L. Aquil.* præſertim ſi nullus detur fugæ locus, qui ſi pateat, honeſtius erit filio, fuga ſe ſubducere. Quare hallucinantur valde, imo peccant ſtatuentes, quod ſi parens filium ingratum, aut ſceleris capitalis reum adhuc hodie privatim mactet, ut domeſtico potius exemplo, quam publico pereat, hujus indignationem vel minime, vel plane nulla pœna coercendam, ſiquidem nullus tam juſtæ indignationis prætextus afferri poteſt, qui patrem ab interemtione excuſet, quando ne juſtiſſima quidem parentis exacerbatio ob adulterium filii cum noverca hunc a pœna liberabat, ſed referente *Marciano in lib.* 5. *ff. ad L. Pompej. de parricid.* deportationem in Inſulam huic merebatur. Manet igitur verum, parentibus nullum jus vitæ & necis in liberos conceſſum, quamvis *Bodinus lib.* I. *de Republ.* IV. *n.* 22. cum aliis hoc velit. Confer. *Paul. Voet. pag. m.* 160.

VIII. Facile itaque ex his elucet quid ſentiendum ſit de lege Ægyptiorum, quæ ſtatuit, cædem liberorum parentibus non capitalem eſſe. Aſſerimus itaque patrem occidentem filium homicidii reum eſſe; Ergo & ejus pœnæ. Confirmatur hoc ex verbis Maimonidis paulo ante allatis §. 2. Si pater filium occiderit, Domus Judicii ſeu Magiſtratus eum morte afficit. Quare pœna capitalis merito ſtatuitur in ipſum. Rationem addit Deus talem: כי בצלם אלהים עשה את האדם quia ad imaginem Dei fecit hominem. Deus qui creavit hominem ad imaginem ſuam, ſolus in eum dominium habet. Quomodo dominaretur ejus vitæ homo, qui Deo quoad imaginem geſtatam ſimilis eſt? An non hoc eſſet dominari ipſi Deo? Cui vero dominari homo non poteſt, quomodo poteſtatem eum occidendi ſibi ſumet? Falſum quoque eſt hoc, quod in lege addatur hæc ratio: *quia non æquum putatur, quod propter cædem liberorum parentibus vita eripiatur*, qui dediſſent vitam; cum Deus ſolus ſit, qui vitam homini largiatur, *Geneſ.* 11.7. Poſtquam enim primi corporis humani maſſa ad ultimam diſpoſitionem perfecte deducta & organis a bonitate divina ex terra inſtructa erat, Creator inſpiravit ſpiraculum vitæ. Bene Anglus reddit *inſpired or blevv.* ad quæ verba erudite commentatur Henric. Ainsvvorth. Comment. in *Geneſ.* 11. *fol. m.* 10. *edit. Londin. This ſhevveth mans ſpirit not to be of the earth as his body, but of nothing, but inſufflation of God: and ſo differing from the ſpirit of beaſts, as Salomon obſerveth, Eccleſ.* III. 21. Ex his verbis ſatis conſtat, parentes ſpiritum ſeu vitam liberis non dare, ſed Deum, id quod clarius ex *cap.* XII. 7. *Eccleſ.* conſtat, quando ibi ita: *Revertatur pulvis in terram, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

IX. Conveniunt hic Rabbini & profani Scriptores. Quod ad Rabbinos attinet, audiamns *Maimonid. in Miſn. in Jeſudei hatora cap.* 4. *ſ.* 9. cujus verba Anglice recitat *Ainsvvorth. Comment. in h. l. fol. m.* 10. *edit. Londin. The of the ſoule* (of man) *is not compounded of the elements, &c. but is of the Lord from heaven. Therefore vvhen the materiall body, vvhich is compounded of the elements, is ſeparated and the breath periſheth, becauſe it is not found but vvith the body, and is needfull for the body in all the actions thereof, this* (eſſentiall) *forme is not deſtroyed, &c. but continueth for ever, even for ever and ever.* Eadem Gentiles aſſerunt. *Plutarchus in Conſolat. ad Apollonium* refert illud Epicarmi dictum;

> *Concretus eſt, ac diſcretus, & rurſus abiit unde venerat:*
> *Terra quidem in terram, ſpiritus ad ſupera.*

Simili modo alius Poeta, citatus a Lorino in hunc locum:

> *Terris profecta, rurſus in terra eunt;*
> *Quæ germinant ab ætheris celſo ſitu*
> *Rurſum poli petunt ſitum ſoluta; nec*
> *Quicquam periit, ut editum ſemel fuit.*

Maria Ægyptia moriens dixit: Sepeli, Abba Zozime miſeræ Mariæ corpuſculum: *Redde terræ, quod ſuum eſt, & pulveri adjice pulverem. Plutarchus in vita Romuli* adducit hos verſus *Pindari:*

> *Omnium corpus tenetur morte pallida,*
> *Mens reſtans, æternitatis effigiem tenet.*

Et ſubjungit: Ea enim i. e. anima ex Diis eſt ſola, inde ejus ortus eodem eſt & reditus, non quidem comitante corpore, verum ubi plane a corpore explicata ſit & ſejuncta. Simili modo *Lucret.*

Ce-

Cedit enim retro de terra, quod fuit ante
In terra, sed quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cæli fugientia templa receptat.

Plato in Cratyl. Anima cum in corpore est, causa ipsi est, ut vivat, respirandi vim ei præbens; simul autem ut respiratio desinit, corpus interit & homo moritur. Cum igitur vitæ causa Deus, qui creavit animam; ita ex ipso jure creationis ad imaginem suam cum Deo subsit soli homo, nemo in ejus vitam nisi solus Deus jus habet.

X. Porro si vitam hominis consideramus, cum nulla alia mundi re quoad precium comparari potest. Jam nulla esset juris proportio inter pœnam & delictum, si nullam aliam pater occidens filium pateretur, quam triduum assidere & aspicere filium occisum. Parvi enim æstimaret hanc pœnam pater immitis, quem etiam naturalis amor ab homicidio retrahere non potuisset. Hinc Hebræorum doctores plane impossibile putant, ejusmodi casum dari, uti bene monet cl. *Buxtorffius in dissertat. de homicidio edit. Basil. 1663.* hanc quæstionem movens. Si pater filium castigare volens, præter suam mentem & intentionem lethaliter eum percutiat, ut moriatur, quid faciendum reliquis filiis? Illi, respondet, debent ejus facti ultionem Deo & Magistratui committere, neque ipsimet contra eum, vel facto, vel actione instituta insurgere. Hinc & Hebræi scribunt, non competere filiis hoc in casu jus vindicum sanguinis contra parentem, quod aliis propinquis est concessum, *Num.* XXXV. 19. Maimonid. in הלכות ממרים cap. V. §. 15. R. Bechai ad *Exod.* XXI. scribit, de hoc casu nullam specialem legem esse latam inter varias de homicidiis leges, *quia res sit insolita & contra naturam, ut tam crudelis reperiatur pater, qui velit filium suum occidere.* Hinc recte *Diodor. Sicul. lib.* IV. scribit: *Nullum patrem de liberis sua sponte supplicium sumere, nisi magnitudine delicti superent naturalem parentum erga prolem suam amorem.* Jam autem parentum amorem alia omnia superare testis est Scriptura. Testes etiam sunt profani Scriptores, quorum testimonia adducere supervacaneum judicamus, cum experientia ipsa testis sit. Ergo probabile, vix dari casum.

XI. Si tamen, dari ejusmodi casum, ut apud *Romanos*, *Græcos & Ægyptios* sæpius factum conjicimus ex legibus datis; attamen vix calculum adjicimus illorum sententiæ statuentium, homicidium hoc non capitale esse, vel levissimam mereri pœnam, quod sapientiores Gentiles etiam negarunt. Non necesse judicamus recurrere ad distinctionem, quam quidam faciunt inter patrem extra civitatem constitutum & intra civitatem; Priori licuisse, posteriori non, asserentes. Quis negabit quod Patriarchæ non extra civitatem vixerint, & quilibet pater instar regis fuerit? non autem legimus, quod unquam hoc jus exercuerint, etiam in servos, multo minus in liberos: Recte ergo sentit & judicat cl. *Johann. Henric. Heidegger. Exercit.* I. §. 30. *histor. Patriarch. pag. m.* 36. Sanctos Patriarchas non egisse more barbararum gentium, sed potius naturæ & rationis præscripto obtemperasse, & asserit, impune non potuisse occidere servos, multo minus liberos, quia nemo hominem occidere posset, nisi is capital commisisset. Deinde ne quidem reos videntur Domini privati afficere supplicio potuisse; quia dominium privatum subjectum fuit & inclusum publico. Nam lex illa inscripta hominum cordibus, & post diluvium lata, de non effundendo hominis sanguine, liberi & servi conditionem non distinguit. Quod si Dominus impune injuriam facere potest servo, & pater filio, non arguit ea agendi impunitas jus agendi. Nec quia apud multos olim populos advertere possumus, Dominis in servos & patribus in filios vitæ & necis potestatem fuisse, sequitur id vel jure naturæ iis permissum esse, quia rursum aliud est agendi impunitas, aliud jus; vel Patriarchas sibi idem licere credidisse. Apud eas ipsas gentes, apud quas impunita fuit quævis major Dominorum erga servos, & patrum erga liberos sævitia, sapientiores & meliores sibi moderationis legem dixisse reperimus.

XII. Quare etiam sapientiores Gentiles in contrarium leges contra patres tulerunt, ut sævitiam hanc injustam esse ostenderent. *Plato lib.* XXXIV. *dialog.* IX. *de legib.* hanc posuit legem. *Si pater*, inquit, *aut mater (accidit quamvis raro) per iram verberibus, vel alio modo filium vel filiam interficiat, perinde ac cæteri homicidæ purgentur, & triennium exules ac post ipsam restitutionem, maritus ab uxore, uxorque a marito, separentur: nec simul amplius liberis procreandis operam dent, neuterque horum simul cum illo habitet cujus filium vel fratrem occidit, nec una cum eo sacris communicet.* Et ita ætas prudentior in parente, carnificis detestata est officium. Atque certe ferina & ul-

& ultra ferarum inhumanitatem illa erat licentia.

XIII. Cum nemo etiam ſuam carnem odio habeat, ſi mentis ſit compos: & naturali amore parentes in filiorum injuriis, magis quam in propriis torqueantur, ut notat *Paulus Juriſconſult. in l.* 8. *quod metus cauſa li.* 4. *P. t.* 2. & *Juſtinian. in §. fin. de noxalib. action. lib.* 4. *Inſtit. jur. civil. tit.* 8. explicat & *Virgil. lib.* VIII. *Æneid. verſ.* 574. dum *Evandrum* ita loquentem inducit pro filio ad Deos ſuos:

Et patrias audite preces; ſi numina veſtra
Incolumem Pallanta mihi, ſi fata reſervant;
Si viſurus eum vivo, & venturus in unum:
Vitam oro: patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum caſum Fortuna minaris,
Nunc o nunc liceat crudelem abrumpeee vitam;
Dum curæ ambiguæ, dum ſpes incerta futuri,
Dum te, chare puer, mea ſola & ſera voluptas,
Complexu teneo, gravior ne nuncius aures
Vulneret.

Confer huc *Cornelii Schrevelii annot. ad Virgil. edit. Lugdun. Batav.* 1669. *pag. m.* 757. Ita *Thyeſtes* in morte filiorum & *Theſeus* in morte *Hippolyti* a *Seneca* introducuntur anxie ſibi optantes mortem. Mater *Euryali* tragico ſucceſſu examati apud *Virgil. lib.* IX. *Æneid.* v. 493. ita conquerens introducitur:

Figite me, ſi qua eſt pietas, in me omnia tela
Conjicite, o Rutuli, me primum abſumite ferro:
Aut tu magne Pater divum miſerere. tuoque
Inviſum hoc detrude caput ſub Tartara telo.

Maximus Tyrius quoque, cum *ſermon.* 36. diſputaret, cur Homerus Jovem Deorum hominumque patrem dixiſſet, adjecit, hoc factum, quod nomen patris omnium antiquiſſimum eſt, ex his quæ amicitiam deſignant. Et *Ariſtoteles lib.* 2. *Magn. Mor. cap.* 12. parentum amorem primum erga filium gradum amicitiæ obtinere ait, tanquam actionem & finem ſui: neque fieri poſſe filium ei in amore reſpondere, in eo eximia prærogativa data parentibus, in nunquam compenſanda a filiis gratitudine: neque enim natus poteſt genitorem ſuum viciſſim gignere. Dedit & parentum naturæ hoc Deus, ut eſſet partim mortalis, & partim immortalis: mortalis propter corpus corruptibile; immortalis, quod referat Deum creatorem omnium, ut docte annotat *Philo Judæus lib. de Decalog.* & *Rabbi Aben-Ezra in Perush gnaſeret debarim* i. e. in explicatione præceptorum in Principio. Et quia Deus nihil odit eorum quæ facit, pater imitatus patrem omnium non poteſt niſi præter naturam, filium odiſſe, ſic enim patres, ut Dei vicarios honorandos juſſit *Plato* 4. *Dialog. de legibus.*

XV. Non igitur impunita debet eſſe parentum præter naturam crudelitas, cum nullus affectus reperiri poſſit, qui vincat paternum, ut ait *Juſtinian. in l. cum furioſi l.* 7. *ver. quis enim de curatores furioſi li. C. n.* 7. Unde ſæpe optant filios ſe feliciores eſſe, quod teſtatur *Theodoretus* his verbis: *Quod nemo, qui paternam habet dilectionem, æmulatione proſequitur filios: & quod eſt proprium patrum, velle videre filios ſe clariores.* Hunc paternum affectum parentum cordibus congenitum, quod deſiderent filios promoveri ad omnia felicitatis incrementa, ita ut etiam ipſos parentes ſuperent, obſervavit *Claudian. in* 4. *Conſul. Honorii:*

Aſpice, completur votum, jam natus adæquat
Te mrritis, &, quod magis eſt optabile, vincit.

Hunc natura propter ſui conſervationem ad ferociſſima uſque animalia extendit, teſte Poeta *Papiano* ita canente:

---- ---- aſpera Tigris
Fœtibus abreptis Scythico deſerta ſub antro
Accubat, & tepidi lambit veſtigia ſaxi,
Et Lea, quam ſævo fœtum preſſere cubili
Venantes Numidæ, natos erecta ſuperſtat
Mente ſub inceta torvum ac miſerabile frendens,
Illa quidem turbare globos & frangere morſu
Tela queat: ſed prolis amor, crudelia vincit

Pe-

Pectora, & in media catulos circumspicit ira.

Et mirum certe quod refert *Orus Apollo de literis hieroglyph. Chenalopecem*, quam anserum speciebus annumerat *Aristoteles lib.* I. *de histor. animal. c.* XI. aucupibus se offerre capiendam præ nimio pullorum amore, ut interim his evadendi det tempus. Aliaque fere animalia, cum fœtus alunt, ferociores harum causa esse, nemo est qui nesciat, & fortius homines etiam, pro his ira facile excandescunt. Nam ut scribit *Apollon. Rhodius lib.* IV. *Argonaut. vers.* 1089. Λίην γὰρ δύσζηλοι ἐᾶσ' ἐπὶ παισὶ τοκῆες, i. e. *Valde enim acerbi sunt propter suos liberos parentes.*

XVI. Addunt aliqui & bene, amorem in filios & posteros maxime augeri, quod in his sit parentum successionis unica spes. Interroga, inquit *Maximus Tyrius sermon.* XX. patrem, cur filium alat, & respondebit, ob successionis amorem, propter quem tam accurate illum conservat. Quando & ex illa procreatione videatur genus humanum renovari & immortale permanere artificioso quodam modo, qui tanto præstat, quanto magis legitimus est. Quod & scriptum reliquit *Justinianus in* §. I. *de nupt. in Novell. collat.* 4. *tit.* I. Sic in omnibus & plantis & animalibus inest quædam conservatio speciei, naturali quodam amore arcte constricta, præstantius tamen in homine, quod nobiliori materia & forma constet. Ex his & aliis rationibus facile concludere possumus, quod durum admodum sit, occidere filium. Et si hoc fiat, necesse est, ut pater luat pœnam.

LEX SEPTIMA.

PARRICIDIS EXQUISITAM PŒNAM IRROGARUNT. NAM ARTICULATIM PRÆACUTIS CALAMIS CÆSOS IN ARDENTIUM SPINARUM ACERVO CREMARI VIVOS VOLUERUNT, MAXIMUM INTER MORTALES JUDICANTES SCELUS, EI MORTEM INFERRE, A QUO VITAM QUIS ACCEPISSET.

I. Hæc Lex apud *Diodorum Siculum lib.* I. *cap.* LXXVII. legitur, ex quo etiam recensent *Athanas. Kircherus in Oedip. Ægypt. Syntag.* II. *fol. m.* 121. *edit. Rom. & Hugo Robinson. in Annal. Mundi, edit. Londin.* quam uberius jam explicare constituimus. Et I. Quod ad nomen *parricidæ* attinet, *parricida* est; qui I. occidit patrem. II. Parentem, patrem aut matrem. III. Propinquum. IV. Eum, qui loco parentis est. *Scaliger de caus. Ling. Lat. c.* 34. T. mutatur in R. si a patre non a parente sit parricida. *Priscian. lib.* I. Parricida vel a pari componitur, vel, ut alii dicunt, a patre. Quibusdam tamen a parente videtur esse compositum; & pro parenticida, per syncopen & commutationem: Sed euphoniæ causa videtur dici, pro patricida, ut Græcis est πατροκτόνος, πατραλοίας.

II. Ut autem eo melius res pateat, vim vocis parricidæ prius enucleabimus. Antiquissimis temporibus *Parricidarum* nomine apud Romanos insigniti fuerunt, qui hominem qualem qualem e medio sustulissent. Fidem huic rei *Festus* facit, in vocibus *Parici quæstores*. Parricida non utique is qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcunque hominem. Confirmat idem vetustæ legis fragmentum sub rege *Numa* latæ, quod hoc modo citat: *Si quis hominem liberum dolo sciens morte duit, Parricida esto*. Attamen deinde extensum id verbi fuisse ad capitalia quævis & graviora crimina, patet ex *Cicerone* 2. *de LL. Sacrum Sacrove commendatum qui clepserit, repseritve, parricida esto*. Atque hinc appellati fuerunt *Quæstores Paricidii*, qui a populo ea gratia constituti erant, ut rebus capitalibus præessent, teste *Pomponio l.* 2. §. XXXII. *D. de O. J.* Amplius hæc quoque vox denotat *cædem* personarum venerabilium & excelsiore loco positarum. Quo sensu legimus apud Ciceron. Ver. V. *Facinus est vinciri civem Romanum; scelus verberari; Parricidium, necari*. Denique succedit angustior & propria hujus vocis significatio: Dictus enim *Parricida* contracte fuit quasi *Parenticida*, designaturque is, qui Patris vel Matris, aut cujusquam ejus affectionis qui Parentum nomine cognoscitur, fata præparaverit, §. VI. *Instit. Publ. jud.* Quæ strictior interpretatio valet heic loci, dum reus arguebatur *occidisse suum patrem*.

III. Hisce breviter expositis, consequens nunc est, ut, cum hic agatur de *manifesti parricidii reo*, videamus quomodo crimen istud vere committatur. Et generaliter dicendum est, tunc demum censeri Parricidium esse commissum ubi *Dolus malus* adfuerit. *Dolum* autem accipere debemus, προαίρησιν πονηράν, ut Græci loqui amant, fraudulentum consilium & malignum necandi propositum. Requiritur θυμὸς εἰς ἔργον διατείνων, *Animus facto intentus*, ait valde ἐμφατικῶς *Plutarch. L. Quintii vita*. Quamvis enim auctore *Tacito An.* IV. *C. Nos vulgi sit fortuita ad culpam trahere*; longe secus tamen artis nostræ conditores sentiunt, ut-

utpote qui certam animi propositionem & verum delinquendi affectum desiderant. Vix nos continemus, quin huc transferamus perelegantem *Phædri* fabulam LXXXIV. quæ sic habet:

Calvi momordit musca nudatum caput:
Quam opprimere captans alapam sibi duxit gravem.
Tunc illa irridens: punctum volucris parvulæ
Voluisti morte ulcisci, quid facies tibi
Injuriæ eam quæ dederis contumeliam?
Respondit: Mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem lædendi scio:
Sed te contempti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare vel majore incommodo.
Hoc argumentum veniam mage dari docet,
Qui casu peccat, quam qui consilio est nocens,
Illum esse quavis pœna dignum judico.

IV. More Jurisconsultorum loqui *Phædrum* manifestum est, & quidem venuste, tamque concinne, ut ferme ovum ovo similius esse non possit. Nonne & omnes doctissimi Juris Doctores ex æquitate Juris civilis statuunt, quod illi aliquam excusationem mereantur, qui non destinato consilio neque data opera, sed per imprudentiam & casum fortuitum peccarint? Illustrat hanc notabilem doctrinam probatissimus Auctor *Diodor. Sicul. Bibliothec. lib.* XIII. in hæc verba scribens: Εἰ τὰς ἐξ ἐπιβολῆς ἀδικήσαντας δίκαιον ἐςὶ τιμωρεῖσθαι, τὰς ἀκεσίως ἁμαρτάνοντας προσῆκον ἂν συγγνώμως ἀξιᾶν. i. e. *Si consulto peccantes punire fas habeatur, invitos delinquentes venia dignos haberi par est*. His pulchre consentit Thucydides lib. III. Ξύγγνωμον εἶναι τὸ ἀκέσιον dicens: *Veniam mereri quicquid contra voluntatem fit*. Quicunque ergo meditatæ mentis proposito parricidium suscepit atque peregit, non incommode dici potest, hunc pro Parricida damnandum esse, modo sit doli capax: cujus expertes sunt *infantes* ac *furiosi*, dum illos innocentia consilii tuetur, hos fati infelicitas excusat, ait *Modestin. l.* XII. *ff. ad legem Cornel. de Sicariis*.

V. His Jurisconsultorum effatis accedunt testimonia sacræ Scripturæ & Rabbinorum. Loca Scripturæ sacræ sunt *Num.* XXXV. II. *Deut.* XIX. I. in quibus omnibus notanter additur vocabulum *per errorem*, *ignorantiam*, *contra voluntatem*. Bene quoque *Anglus Ainsvvorth.* Comment. in h. l. addit: *ignorantly*, *unadvised*, *unavvares*, *unvvillingly*, *vvithout knovvledge*, fol. m. 203. Confer. *Francisc. Ranguello Leg. Polit. ex sacræ jurisprudent. fontib. haust. pag. m.* 181. *edit. Francof.* Generis quoque homicidii, quod Hebræi vocant בלא כונה tres faciunt Magistri in *Mischn. & Gemar. tit. Maccoth*, *cap.* 2. *Maimonid. Halach. Rotzach. cap.* VI. *Mikotzi præcept. affirm.* 75. species. Prima est, quando בשגגה *ex errore* & *ignorantia* simplici atque infortunio, nec tamen sine culpa levi ex negligentia aliqua, qualem prudentiores fugerent, contracta, omnino interea nolens, quis hominem occidat, juxta illud in lege sacra *Exod.* XXI. 3. *Num.* XXXV. *Deut.* XIX. Cui speciei accedit etiam homicidium quidem per se alias voluntarium, sed ex ignorantia seu errore hujusmodi facti, velut ex jure commissum. Quemadmodum ubi vindex sanguinis homicidam ex hujusmodi errore, non sponte, e civitate Refugii egressum occiderat seu casu, sed qui קרוב לאונס ad injuriam seu violentiam prope accedens, seu eam quadamtenus imitans interea casus esset, qui nequaquam in rebus humanis evenire ut plurimum soleret; unde nec culpa ne levis quidem homicidæ tribuenda. Exemplum *secundæ speciei* habent in eo, qui, dum scalam adscendit forte delabens in quempiam, casu hoc mortem ei infert. *Tertia* autem homicidii involuntarii species est, *ubi qui alium* occidit ex errore quidem aut ignorantia, quæ tamen prope accedit ad id quod spontaneum est seu voluntarium. Ex. gr. ubi quis alterum occidere volens, alterum jactu aliterve perimit. Ex his tribus homicidii involuntarii speciebus nulla est, quæ morte ex sententia forensi ordinaria sive in Hebræo sive alio puniretur. Nam in universum pronunciant, homicidam nullum *qui non sponte* scelus patraret sic foro puniendum. Confer. cl. *Selden. lib.* IV. *cap.* 2. *pag. m.* 486. 487. *de jure Natur. & Gent. juxta Disciplin. Hebr. edit. Francof.*

VI. Ita etiam Rabbini omnem dolum ab homicida involuntario abesse volunt, unde recte Abarbanel: *Si quis superbe egerit cum proximo suo, ita ut eum occidat non manu sua, sed malo astu & dolo, non tutabitur eum ullus locus*. Non omnibus ergo homicidis casualibus promiscue hoc beneficium concedebatur ad asyla

aſyla confugere, ſed pro qualitate eorum diverſimodo diſpenſabatur. V. g. *Filius*, qui per errorem occidit patrem, relegatur in exilium, in urbes refugii: ſic ſi pater filium, extra illud tempus, quo eum docet, vel literas, vel opificium: at ſi inter docendum caſtigare nempe eum volens, occidat præter ſuam intentionem, liber eſt ab exilio. Idem judicant de Præceptore, diſcipulum ſimili ratione occidente. Vide *Selden. pag. m.* 487. *lib.* IV. *cap.* 2. qui ex Maimonide locum recenſuit. Qui *per imprudentiam* præter ſuam intentionem aliquem occidit, veluti explodens ſclopetum, lapidem emittens vel ex alto dejiciens, ei nullus locus dabatur in urbibus Refugii, & quamvis ab ordinaria pœna domus Judicii immunis eſſet, poterat tamen a Vindice ſanguinis impune occidi. *Maimonid. in* הלכות רוצח *cap.* VI. Ratio, quia parum abeſt hæc cædes a voluntaria. Talis enim primo circumſpicere debuiſſet, poſtea demum jacere. Itaque hic caſus, juxta illos, non pertinet ad homicidium caſuale, cui ſecuritas & refugium indulgebatur.

VII. Excipitur etiam, ſi in ſimili caſu occidens fuerit occiſi inimicus; quia Scriptura addit in hoc caſu Num. XXXV. 23. *Si non fuerit illi inimicus*. Suſpectus enim eſt talis de *dolo & malitia*; Ergo non capax privilegii civitatum Refugii. Qui autem aliquid in altum trahit, & fune rupto decidendo hominem opprimat & occidat, aut qui per ſcalam aſcendens caſu decidit ſuper hominem, liber eſt a pœna exilii, quia quaſi coactus facit. Qui vero demittens dolium in cellam, vel aliquid aliud deorſum volvens, vel per ſcalam deſcendens, & hominem decidendo occidit, is in exilium ad civitatem Refugii mittitur, quia dicitur *Num.* XXXV. 23. Et cadere fecerit ſuper ipſum, mortuuſque fuerit. Debuiſſet enim diligentius ſibi cavere & omnibus providere: Lanius manum cum ſecuri retrorſum elevans & antrorſum reflectens ad ictum faciendum, ſi quem, retro ſe elevando manum, percutiat, extra culpam eſt, & immunis ab exilio, ſi autem, manum antrorſum ad ictum demittendo, exilio mulctatur. Has & plures alias exceptiones recenſet cl. *Johannes Buxtorff.* ex *Rabbinor.* ſcriptis *Diſſert. de homicidio*, *edit. Baſil.* 1663. Hinc recte concludimus homicidium vel parricidium in foro civili aliquo modo excuſari poſſe, qui non deſtinato conſilio fecerit. Verum an omnes caſus fortuiti ſint excuſandi, ex præcedentibus Rabbinorum exceptionibus facile conjecturare licet.

VIII. Diximus etiam in præcedentibus *infantes* & furioſos expertes eſſe, ubi intelligendi ſunt impuberes; ſed qui pubertati proxime accedunt vix procedit, quia id ætatis ſe delinquere intelligit, nec minus dolum capere poteſt, *arg. l.* XIV. *de Sc. Silan.* §. *pen. Inſtit. de Obligat. e del. l.* 23. *d. Furt.* Sed in ea re modum adhibere oportet, ut facilius præſumatur haud innoxium impuberis factum, ſiquidem egerit ſine magna machinatione, vel alias præcoci malitia & immodica audacia ſe non imparem tanto flagitio oſtenderit, de quo *Apulej. Apolog.* In iis ſane quæ facinoris atrocitatem habent, difficilius eſt excuſare pueritiam *doli mali* capacem; At in mediocri & leviore delicto, humanius eſt veniam culpæ dare, eoque referendum Euripideum in Supplic.

> *Peccavit. Adoleſcentulis id ineſt vitii;*
> *Gratiam itaque delicti facere oportet.*

Confer. *Homer. Il.* Ψ. qui verius, & *Byblius apud Ovid. Metam.* IX. Niſi licentiæ ſcelus addatur. Nam tunc impune non fert, qui ætatis lubrico ſe cum excuſatione peccaſſe ratus eſt: quomodo puerum propter ablatam e corona Dianæ laminam auream Attici judices ſacrilegii damnarunt. Vid. *Ælian. Var. Hiſt. lib.* V. *cap.* 16.

IX. Recte ergo infantes & furioſos Juriſconſulti a pœna parricidii excipiunt, qui rationis uſu carent. Actiones enim eorum, qui continuo uſu rationis carent, non poſſunt dici humanæ, & ſic nec pœnam merentur, *l. infans ff. ad lib. Cornel. de Sicar. l.* 9. §. 2. *ibi ſane ſi per furorem ff. ad L.* Cornel. *de* Parricid. *l.* 14. *de Offic. Præſid.* Carpzov. *in pract. Crim. p.* 3. *q.* 145. ſicut & illæ actiones, quæ fiunt ex ignorantia inevitabili ſeu antecedente, quia hæc ignorantia non eſt ullo modo volita, ac proinde, quod ex illa ſequitur, non cenſetur volitum ſeu voluntarium, ſed involuntarium. Contra imputari poteſt actus homicidii, non tantum qui ex prævia ſcientia & plena & deliberata intentione fit. *Carpzov. pract. Crim. part.* 1. *q.* 7. verum etiam, qui fit ex indirecta intentione. *Thom.* 1. 2. *q.* 76. Carpzov. in pract. Crim. *p.* 1. *num.* 31. *& ſeqq.* Covarruv. *in Clem.* 5. *Conſtit. de homicid. ſecund. part. relect. in pr. num.* 2. imo qui fit ex vehementiori affectu, quo animus fuit concuſſus. Iſtum enim homo in ordinem redigere poterat, *Puſendorff. de Element. Juriſprud. lib.* 2. *axiom.* 1. §. 7.

§. 7. *Constit. Carol.* V. *art.* 137. *Num.* 35. *verf.* 21. *Gen. cap.* IV. 6. *Carpzov. in pract. Crim. p.* 1. *q.* 6. *& part.* 33. *q.* 147. *num.* 55. *& seqq.* Idem statuendum in casu, quando quis volens occidere Titium ex errore occidit *Sejum*, *l. eum qui nocentem* §. *Si in Istria ff. de injur. l. scientiam* 45. §. 4. *ff. ad L. Aquil. l. si quis servo* 20. *in fin. C. de furt. l.* 7. *c. ad L. Cornel. de Sicar. Jacob Thoming. Decis.* 38. *Carpz. d. p.* 1. *q.* 5. *Anton. Matth. de crimin. tit. de Sicar. pag.* 541. Ex his facile conjecturari potest, quid sit homicidium proprie casuale, in quo hæc duo concurrere debent. I. Ut quis operam det rei licitæ. II. Ut eam, quam debet, adhibeat diligentiam, quibus conditionibus positis, de casu fortuito nemo tenetur. Qui autem contra fecerit ex culpa tenetur, *Carpz. pract. Crim. par.* 1. *quæst.* 27. *n.* 11. *& seqq.*

X. Quid nunc censendum sit de parricidio proprie dicto, facile patet, ubi vix ullum scelus flagitiosum magis atque indignum reperiri potest, quapropter *Euripides* ἔργον ἀνοσιώτατον, & *Diodorus Siculus Maximum inter homines scelus* appellare non dubitant. Hoc amplius, tanti maleficii crimen esse Parricidium existimat *Valer. Max.* ut pari vindicta Parentum ac Deorum violatio expianda sit. Gravissime in dirum hoc & atrox facinus invehitur *Cicero pro Sex Rosc. Amer.* Portentum atque monstrum certissimum est, inquit, esse aliquem humana specie & figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut propter quos hanc suavissimam lucem adspexerit, eos indignissime luce privarit: cum etiam feras inter sese partus atque educatio, & natura ipsa conciliet. Hoc pessimum crimen execratur *Jason* apud *Euripidem*, acerrimoque convitio *Medeam* increpat fœdissimi parricidii ream:

> *O nimium exosa mulier, Diis invisa*
> *Mihique, atque omni mortalium generi,*
> *Quæ tuos partus jugulare gladio, meque*
> *Privatum liberis ire perditum sustines:*
> *His vero perpetratis solem adspicis*
> *Ac terram, facinus impiissimum ausa?*

Nec longe post affirmat, illam esse

> Λέαιναν ὐ γυναῖκα, τῆς Τυρσηνίδος
> Σκύλλης ἔχȣσαν ἀγριωτέραν φύσιν.
> *Leænam, haud mulierum, natura*
> *Tyrrhena Scylla sæviori præditam.*

XI. Hoc tantum facinus, tam immane, tam acerbum penitus ferme ignotum fuit apud *Persas*, qui in animum inducere nequiverunt, ut quendam eo sceleris progressurum crederent, quemadmodum illud tradidit *Herodot. in Clio*, cujus verba Græca Latine versa recensemus: *Neminem*, inquit, *unquam occidisse patrem suum ajunt, vel matrem. Sed quotquot hujusmodi extiterunt exempla, hæc adhibita omni cura apparuisse, facta quod sint a subdititiis vel adulterinis liberis suis verum necari parentem.* Hinc *Solon* Atheniensium Legislator nullam omnino pœnam in Parricidas constituit, quod neminem tam nefarium esse putaret, qui tantum crimen committeret. Vid. *Laert. in Solon. Melchior. Junii quæst. polit. q.* 96. *pag. m.* 244. Is, cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondisse fertur, διὰ τὸ ἀπελπίσαι, *quia neminem id facturum sperabat.* Seneca lib. 1. de clement- affirmat quoque, summa prudentia præditos viros noluisse de parricidio pœnam constituere, ne vindicando ostenderent, tale quid fieri posse. Ita *Romulus* lege supplicium contra Parricidas decernere noluit, quia sperabat tale non futurum, quod tamen fefellit, nam sexcentis post Urbem conditam annis *L. Ostius* patrem e medio sustulit, uti *Plutarch. in vit. Romuli* testis est.

XII. Attamen, cum nihil adeo sanctum sit, quod non aliquando violet audacia, necesse fuit quæsitissimis afficere pœnis audaces & scelestos homines, quos non pudet paternum & maternum sanguinem effundere. Hinc *Ægyptii* justam & rationabilem causam habuerunt, quod horrendum & atrox crimen singulari pœna voluerint plecti. Memorabilis de illorum instituto locus apud *Diodorum Siculum* invenitur, quem iterum recensemus: Κατὰ τῶν τέκνων γονεῖς φονευσάντων τιμωρίαν ἐξηλλαγμένην ἔθηκαν, *Contra liberos parricidii reos exquisita pœna fuerunt usi.* Qua in re consistebat illa? Ἔδει τὸς καταδικασθέντας ἐπὶ τύτοις, καλάμοις ὀξέσι δακτυλιαῖα μέρη τῦ σώματος κατατμηθέντας, ἐπ' ἀκάνθαις κατακαίεσθαι ζῶντας, μέγιστον τῶν ἐν ἀνθρώποις ἀδικημάτων κρίνοντες, τὸ βιαίως τὸ ζῆν ἀφαιρεῖσθαι τῶν τὴν ζωὴν αὐτοῖς δεδωκότων. *Oportebat hujus criminis damnatos pennis acutis digitalibus corporis partibus præcisis vepribus comburi vivos, maximum inter homines crimen judicantes, vi spoliare vita, vitæ ipsorum auctores.* Placuit itaque Ægyptiis singulare exemplum in parricidas edere, quo sceleratorum hominum audaciam eo melius opprimerent.

XIII. Supplicium certe acerbissimum in parricidas statuebatur apud Ægyptios; membra siquidem acutis pennis digitalibus pungebantur, quod maximum dolorem inferebat, & ita quodlibet membrum cruciatum patiebatur; id quod convenientiam habere videtur cum illo *Modestini l.* IX. *ff. de Lege Pompeja de Parricidis. More Majorum pœna parricidii hæc instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberetur.* En convenientiam! hic *virgæ sanguineæ*, illic *stimuli acutissimi* adhibebantur ad augendam torturam; quid autem fuerint virgæ sanguineæ pluribus ostendit *Marcell. Donat. in dilucidat. ad Liv. pag. m.* 3. Convenit & alterum, quo dicitur, quod *parricidæ vepribus combusti vivi*, ubi *Basilici* ad *l.* I. *d. Lege Pompe. de Parricid.* simplici pœnæ mentione defunguntur, ὁ φονεύων πατέρα ἢ μητέρα πυρὶ παραδίδοται, i. e. *Qui patrem aut matrem occidit, igni necatur*, liquet hoc ex Pauli fragmento l. v. Sent. Tit. XXIV. *hodie tamen*, inquit, *vivi exuruntur*. Ita etiam Ægyptii statuebant non quidem lignis, sed vepribus acutis inutilibus terræ ponderibus, de quibus legimus Gen. III. 18. quod post maledictionem terra spinas proferre debeat. Quibus significatur, quod parricidæ sint maledictio terræ, de quibus nil boni sperandum.

XIV. Ob criminis atrocitatem quoque Romanorum leges acerbissimam pœnam excogitarunt, nempe ut culeo insuatur Parricida cum cane, gallo gallinaceo & vipera & simia, deinde in mare profundum culeus jactetur. Verissime dixit *Modestinus*, eam pœnam fuisse institutam *more majorum* i. e. lege vetusta & a majoribus in civitate Romana jam antiquitus recepta. Etenim Lege Civili publicitus cautum fuit, Parricidii reos in culeum debere vivos insui, atque ita in mare dejici. Fidem hujus rei certam & exploratam facit *Valer. Maxim. lib.* I. I. 13. Locum itaque ipsum adscribemus: *Tarquinius Rex M. Tullium Duumvirum, quod librum secreta civilium sacrorum continentem, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abjici jussit; Idque supplicii genus multo post Parricidis Lege irrogatum est.* Primus hanc pœnam sustinuit, qui omnem sui nominis apud Romanos memoriam inexpiabili detestatione persudit, *Publicius Malleolus*. Hunc enim matre interempta, culeo insutum in mare præcipitatum esse, docet *Livii* epitom. *lib.* LXVIII. Hujus auctoritatem confirmat Cicero *pro Rosc. Amer.* Et bono publico talis introducta lex fuit, ut magnitudo pœnæ deterreat a summo periculosoque scelere malos ac proruptæ audaciæ homines.

XV. Quam ob causam hoc factum quærimus? Receptum hoc ea gratia fuisse monstrabit *Justinianus*, ut omnium elementorum usu vivus incipiat carere Parricida, eique cælum superstiti & terra mortuo auferatur. *Quid enim est tam commune quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de cælo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur, ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant*, uti elegantissime Cicero ratiocinatur ibidem. Alludens eo canit *Ovidius Metam.* VIII. I.

> *Di te summoveant, o sæcli infamia nostri.*
> *Orbe suo; tellusque tibi pontusque negetur.*

Melchior Junius in quæst. politic. pag. m. 245. rationes addit, cur *parricidæ* culeo insuantur additis Cane, & Gallo Gallinaceo, & Vipera & Simia, quando ita scribit: *Canis* vero additus parricidæ, quia ferox & immundum animal: huic non dissimilis parricida: *Vipera*, quia parentibus inimica. Vid. *Petr. Gregor. Tholosan. præludia optim. Jurisconsulti lib.* 5. *c.* 7. *n.* 26. *pag. m.* 549. *edit. Lugd. Bat.* 1583. *Simia*, quia fœtus suos strangulat, & præter formam humanam humani nihil habet: Gallus Gallinaceus, quia viperæ maxime infestus, ideoque pugna ibi atrocior exoritur, pœna magis exasperatur. *Culeo* insuerunt Romani *Parricidas*, & sic nudos in flumen dejicere noluerunt, ne cum delati essent in mare, ipsum polluerent. Vid. Doctis. *Pfanner. Theol. Gent. cap.* XIV. *pag. m.* 348. *Plato quoque lib.* IX. *de Legib.* scribit: Si quis filius in tantam iræ insanæ intemperiem inciderit, ut parentis sui sanguine manus impias commaculare audeat, extremis suppliciis subjectus erit. Et si fieri posset, justissimum esset, multis mortis generibus parricidam necari.

XVI. Si igitur parricidium supplicio maximo puniatur, quid dicendum erit de filio, qui patrem patriæ proditorem occiderit, & quæritur an impune hoc facere possit? quod affirmat *Marcellus in l.* 35. *ff. de rel. & sumpt. fun.* Sapientes enim censuerunt patriam omnibus necessitudinibus esse anteferendam. *Cic. de Offic.* inquit: *Omnium societatum nulla est gratior, nulla charior, quam ea, quæ cum Rep. est, unicunque chari sunt paren-*

parentes, *chari liberi*, *propinqui familiares*, *sed omnes omnium charitates patria una complexa est*. Valer. Max. lib. 5. c. VI. idem testatur. Ex quibus hoc consentaneum elicitur: salutem patriæ præferri debere saluti parentis, & si aut patri aut patriæ sit pereundum, patri potius, cum ad illam delendam veniret, quam patriæ pereundum esse, imprimis cum parentes ipsi hostili furore correpti, venerando parentum nomine excidant. His rationibus responsum *Marcelli* stabiliri posse videtur. Verum non desunt rationes, quibus illud impugnatur, sunt enim Deo proximi parentes & velut in terris Dii quidam, quorum ministerio Deus usus est, ut nos in pulcherrimum templum suum introducat. Ergo honori Dei secundus est honor, qui parentibus debetur, & merito cætera inter homines officia antecedit. Et sane, si parentes Deorum simulachra sunt, Diis autem nemo nisi vecors & impius resistit, qui parentibus salva pietate resistere poterimus? Nullo civitatis instituto reverentia parentibus debita deleri & exstingui potest. Pluribus de hac quæstione egit *Bernhard. Schultz.* in dissert. *non occides*, edit. *Rintel.* 1670. *pag. m.* 44. 45. Quid de Parricidis mulieribus partum in utero necantibus sentiendum, legi potest *Carpzov. in pract. crim.* & *prælaud. Schultz. pag. m.* 15. *diss. citat.* Omni ergo opera laborarunt Ægyptii, ut crimen hoc nefandum acerbissimis pœnis coerceatur, quia crudelissimum facinus putarunt, vi spoliare vita, vitæ ipsorum Auctores.

LEX OCTAVA.

MULIERUM MORTI DESTINATARUM, SI PRÆGNANTES ESSENT, PARTUS EXPECTABATUR, EXISTIMANTES PENITUS INIQUUM ESSE, EUM, QUI NIHIL COMMISISSET, UNA CUM FACINOROSO POENAM PATI, AUT DUOS PLECTI, CUM UNUS DELIQUISSET.

Diodor. Sicul. Biblioth. lib. I. LXX. VII.

I. Hanc Legem Ægyptiorum nobis ob oculos sistit prælaudatus Scriptor, quam etiam retulerunt ex illo *Athanas. Kircher. in Oedip. Ægypt. Syntag.* 2. *de Politic. Ægypt. fol. m.* 121. *edit. Rom.* & *Hugo Robinson. in Annal. Mundi*. Et hoc institutum *Romani* videntur hausisse a veteri instituto *Græcorum* & *Ægyptiorum*, qui ejusdem constitutionis exemplo & eximia humanitate Lex Romana jussit fœminæ prægnantis differre supplicium, usque dum peperisset. Auctor est *Ulpian. l.* 18. *ff. de Stat. hom.* solitum esse mulierem, quæ prægnans ultimo supplicio damnata est, servari, dum partum edat. *Diodori Siculi* verba Græca ita sonant: Τῶν γυναικῶν τῶν καταδικασθεισῶν θανάτῳ τὰς ἐγκύους μὴ θανατοῦσθαι, πρὶν ἂν τέκωσι: *Gravidas mulieres condemnatas morte non affici, priusquam pepererint*. Confirmat id ipsum *Johan. Meurs. in Themid. Attic. lib.* 2. *cap.* IX. *pag. m.* 82. ex *Anonym. Probl. Rhetor.* XXV. his verbis: Τὴν ἐπὶ θανάτῳ καταδικασθεῖσαν, ἔγκυον οὖσαν, μὴ ἀναιρεῖν, ἕως τέκῃ: *Eam, quæ capitis damnata est, ne liceat supplicio afficere, quoad pepererit*. Addatur quoque testimonium *Plutarchi de sera numinis vindicta*: Τὸν δὲ ἐν Αἰγύπτῳ νόμον οὐκ εἰκότως ἡμῖν ἀπογράψασθαι δοκοῦσιν ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων, ὃς κελεύει τὴν ἔγκυον ἂν ἁλῷ θανάτου, μέχρι τέκῃ, φυλάττειν: Nonne Græci recte videntur descripsisse Legem *Ægyptiam*, quæ jubet prægnantem capitis damnatam, donec pariat, servari. Hoc Ægyptiorum statutum etiam apud Græcos receptum demonstrat *Ælian. lib.* V. *cap.* 18. quod in Areopago obtinuerit. Ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴ, inquit, ἐπεί τινα φαρμακίδα συνέλαβον, καὶ ἔμελλον θανατώσειν: οὐ πρῶτον αὐτὴν ἀπέκτειναν, πρὶν ἢ ἀπεκύησεν. *Senatus Areopagiticus captam quandam veneficam morte non mulctavit, nisi partu levatam*. Gonfer. *Meurs. de Areopag.*

II. Cum igitur hoc istitutum ab Ægyptiis ad Græcos, & a Græcis ad Romanos derivatum sit, merito inquiritur in ejus causam. Existimamus partim id receptum fuisse ex juris naturalis dictamine, quod jubet conservare prolem in augmentum Reipublicæ, Vid. *Junii quæst. Politic. de matrimon. pag. m.* 5. 6. partim etiam id receptum pari ratione, qua subnixa est Legis Regiæ sententiæ, insigni scil. cura, ne prolis speratæ jacturam temere faciat Respubl. Partui enim in hoc favetur, ut in lucemproducatur, quia non tantum parenti, cujus esse dicitur, verum etiam Reipubl. nascitur, ait pulchre *Ulpian. l.* 1. §. 15. *ff. de Vent. in pos. mit.* In qua sententia fuit etiam prudentissimus *Lycurgus*, teste *Plutarcho* in ejus vita: Οὐκ ἰδίους ἡγεῖτο τῶν πατέρων τοὺς παῖδας, ἀλλὰ κοινοὺς τῆς πόλεως ὁ Λυκοῦργος. *Liberos non parentum proprios sed totius civitatis communes arbitrabatur Lycurgus*. Partim etiam novæ rationi dandus locus, quam elegantissime reddunt *Diodorus Siculus* & *Ælianus*, quorum verba jam adducere lubet.

III. Verba *Diodori* pulcherrima in hanc rem & notatu dignissima hæc sunt: Ἡγούμενοις παντελῶς ἄδικον εἶναι τὸ μηδὲν ἀδικήσαν τῷ ἀδικήσαντι τὴν αὐτῆς μετέχειν τι-

μω-

μωρίας, καὶ παρανομήματος ἑνὸς γενομένου, παρὰ δυοῖν λαμβάνειν τὸ πρόστιμον. *Arbitrati ſunt injuſtiſſimum, ut quod peccati expers eſt pœnæ fiat conſors cum peccante, & cum unum ſit delictum, a duobus exigi pœnam.* Πρὸς δὲ τούτοις, κατὰ προαίρεσιν πονηρὰν ἐκτελεσθέντος τοῦ ἀδικήματος, τὸ μηδεμίαν πως σύνεσιν ἔχον, ὑπὸ τὴν ὁμοίαν ἄγειν κόλασιν. *Præterea, cum maleficium ſit admiſſum dolo malo, iniquum erat eidem pœnæ ſubjici, quod omni caret intellectu:* Τὸ δὲ πάντων μέγιστον, ὅτι τῆς κυούσαις ἰδίᾳ τῆς αἰτίας ἐπενενηνεγμένης, οὐδαμῶς προσήκει τὸ κοινὸν πατρὸς καὶ μητρὸς τέκνον ἀναιρεῖσθαι. ἐπίσης γὰρ ἄν τις φαύλους διαλάβοι κριτὰς τόν τε τὸν ἔνοχον τῷ φόνῳ σώζοντας, καὶ τοὺς μηδὲν ὅλως ἀδικήσαντας ἀναιροῦντας. *Quod vero maximum eſt, cum prægnans ſola ſit criminis rea, non oportet e medio tolli infantem patris matriſque communem. Nam perinde mali forent judices qui cædis reum tuerentur, ac interficerent eos qui nihil deliquiſſent.* Certe hic acutiſſimus Scriptor ex intima Philoſophia & Juriſprudentia ratiocinatur, ut nihil ſupra. Paulo brevius diſſerit *Ælianus* in eandem pœne ſummam: Τὸ ἀναίτιον οὖν βρέφος ἀναλύοντες τῆς καταδίκης αἰτίαν μόνην ἐδικαίωσαν τῷ θανάτῳ. *Innocentem infantem condemnatione liberantes* (Areopagitæ) *ſolam delicti ream morte mulctarunt.*

IV. Cum ergo infantes in utero ſint innocentes; & innocentia ſit qualitas moralis, hominem a delicto vacuum ſiſtens, cur pœnæ ſubjacere deberent. Nunc autem conſtat, quod pœna ſemper referatur ad culpam tanquam conſequens ad ſuum antecedens; Jam patet, in innocente culpam non reperiri, Ergo nec pœnam locum habere poſſe, conf. *Excell. Hochſtetter. Profeſſ. hujus Academ. celeber. diſp. de pœnit. Petr. Fabr. Semeſtr. lib.* 2. *pag.* 108. 109. Turpiter idcirco ſe dedit Imperator *Caligula*, qui ne prægnantibus quidem pepercit, quin duriter immiſericorditerque illas crudeli ſupplicio traderet una cum fœtibus in utero conceptis, ut notat *Dio lib.* 57. Hic contra jus naturæ egit, quod *innocentem non eſſe lædendum dictitat*. Vid. *Robert. Scharock. de Offic. ſecundum jus naturæ cap.* III. *num.* I. Id etiam recte obſervatum eſt *Grotio* II. *de Jur. B. & P. cap.* XXI. *n.* 12. qui inquit: *Obligationem ad pœnam ex merito oriri: meritum autem perſonale eſt, quippe ex voluntate ortum habens, qua nihil magis nobis eſt proprium: unde* αὐτεξούσιον *vocatur*. Unde patet, neminem, niſi pro ſuo peccato, pœnam luere poſſe, vel debere. Quemadmodum enim culpa, ſeu delictum delinquentis perſonam non egreditur, ita nec reſpondens eidem ſupplicium. Quod nec JCtis Romanis aliter viſum, ceu patet ex *l.* 22. *C. de pœnis.* Sancimus, ibi eſſe pœnam, ubi & noxia eſt. Quis igitur noxiam tribueret infantibus in utero adhuc latentibus? Ergo nec pœna ipſis contingere poteſt. Et *l.* 26. *D. de pœn.* Unuſquiſque ex ſuo admiſſo ſorti ſubjicitur; nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur. Hinc & *prægnanti* differtur pœna, donec pepererit. Nam partus non pœnæ, ſed Reipubl. naſcitur, & calamitas matris ei non nocet, qui in ventre eſt; qui quia non exiſtit, delinquere non poteſt, cum non entis nulla quoque ſint accidentia.

V. Succedant in partes noſtras *effata divina*, in quibus punitio innocentis injuſtitiæ poſtulatur Exod. XXIII. 7. *Innocentem & juſtum non occides*. Deuter. XXIV. 16. *Non interficientur patres pro filiis, neque filii interficientur pro patribus: quiſque pro peccato ſuo morietur* (Confer. huc Angli *Henrici Ainsvvorth. annotat. in h. l. fol. m.* 109. *edit. Londin.*) Quod totidem verbis reperitur 2. *Reg.* XIV. 6. 2. *Paral.* XXV. 4. Sic *Job.* IV. 7. Eliphaz ad Jobum: Recordare obſecro, inquit, quis fuerit innocens, qui perierit: & utinam recti ſuccisi fuerint. Sapientiſſimi Regum *Salomonis* effato, qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum, *Proverb.* XVII. 15. Maxime autem illuſtris eſt locus *Ezechiel.* XVIII. ubi Deus exprobrantibus ipſi Iſraelitis, quaſi innocentes poſteros ob majorum peccata puniat, hac parabola in proverbium verſa: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt: reſpondet, interpoſito juramento: Anima, quæ peccaverit ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, neque pater portabit iniquitatem filii juſtitia juſti ſuper eum erit. Id quod eodem fere modo repetitur *Jerem.* XXXI. 10. & 30. De quibus locis Theologi pluribus agunt, in quorum caſtra Lectores remittimus.

VI. Confirmant hoc etiam profanorum teſtimonia, qui aſſerunt, haud fas eſſe, nec æquum liberis obſtare parentum culpam, & non dubio querendam eorum ſortem, qui ſine crimine fiant miſeri. *Ferretne*, inquit *Cicero*, *ulla civitas latorem iſtiuſmodi legis, ut condemnetur filius aut nepos, ſi pater aut avus deliquiſſent?* De Romanis *Dionyſius Halicarn. lib.* VIII. Τὸ ἔθος τοῦτο, Ῥωμαίοις ἐπιχώριον γέγονεν, ἀφεῖσθαι τῆς τιμωρίας ἁπάσης τοὺς παῖδας, ὧν ἂν οἱ πατέρες ἀδικήσωσι. *Mos ille Romanis proprius ab omni pœna*

libe-

liberos eximere, quorum patres deliquerint. Sullæ nimiam hac de causa sævitiam execratur in ejus vita *Plutarchus:* Ο῾ δὲ πάντων ἀδικώτατον ἔδοξε, τῶν προγεγραμμένων ἠτίμωσε καὶ υἱοὺς καὶ υἱωνοὺς, καὶ τὰ χρήματα πάντων ἐδήμευσε: *Quod maxime injustum videbatur, proscriptorum liberos atque nepotes infamia notavit, omniumque bona publicavit.* Chorus apud *Euripidem* profundo luctu miseratus fatum ac infortunium, quod propter matrem filium Andromachæ premobat, his utitur verbis:

> Δύστανε γύναι, τλήμων δὲ σὺ παῖ,
> Μητρὸς λεχέων ὃς ὑπερθνήσκεις,
> Οὐδὲν μετέχων,
> Οὐδὲ αἴτιος ὤν.
> *Mulier infelix, & miserando puer,*
> *Qui propter maternum occumbis thalamum,*
> *Nullius delicti culpæve reus.*

Ipsa vero Andromache barbarum & inhumanum scelus istud pronunciat, Troad. vers. 757.

> Ω῏ βάρβαρ᾽ ἐξευρόντες Ε῞λληνες κακά,
> Τί τόνδε παῖδα κτείνετ᾽ οὐδὲν αἴτιον.
> *O barbara Græci excogitantes mala,*
> *Quid puerum hunc immerentem occiditis?*

Suamque lamentabili stylo deplorat fortem, paritura scil. filium victimam libidinis & crudelitatis Græcæ.

VII. Quam graviter hoc rigidum nefas indignetur *Seneca* sub persona Medeæ, constat ex his:

> *Supplex recedens illud extremum precor,*
> *Ne culpa natos matris insontes trahat.*

Et *Jason* apud eundem:

> *Jam parce nato: si quod est crimen, meum est,*
> *Me dede morti; noxium macta caput.*

Hinc Agamemnon justissime queritur apud *Euripidem Iphig. in Aul.*

> Εἶτ᾽ ἐγὼ δίκην δώσω, ὁ μὴ σφαλείς;
> *Mene peccati expertem pœnas dare fas est?*

Propemodum similis querela mulierum apud *Appianum lib. 4. Civ. bell.* Cur pœnam sentimus, quæ nihil delinquimus? Eandemque severitatem gravi vituperio prosequitur *Arnobius lib.* VII. *adverʃ. Gent.* cujus verba merentur, ut huc scribantur: Sic enim Rusticus cunctabatur in re jussa, quid infelices ejus commeruerunt liberi, ut in eos ira & indignatio verteretur, offensasque alterius luminis sui spoliatione pensarent? Et quisquam est hominum, qui fuisse illum Deum credat, tam injustum, tam impium, nec mortalium saltem constituta servantem, apud quos nefas habetur magnum, alterum pro altero plecti, & aliena delicta aliorum cervicibus vindicari?

VIII. Ut igitur Poetarum testimonia sicco silentii pede transeamus, Jus Civile naturalis æquitatis viva vox est, eamque præcise subsequitur, utpote quo noxa caput sequitur, nullumque patris delictum innocenti filio pœnæ est, ut bene tradidit *Ulpianus l. 2. §. pen. ff. de Decur.* Quam egregie Callistratus *l. 26. ff. de Pœn. Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest. Namque unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur.* Quænam est causa, inquit iterum *Arnobius* eodem *lib.* VII. *ut alienum crimen meo luatur sanguine, & in nefas extraneum mea vita & innocentia perducatur?* Innocua Tellus queritur ob Phaethontis temeritatem ab *Ovidio* expositam, *Metam. 2. Fab. 1.*

> *Sed tamen exitium fac me meruisse; quid undæ,*
> *Quid meruit frater? cur illi tradita sorte*
> *Æquora decrescunt, & ab æthere longius absunt?*

Quemadmodum nunc secundum ea, quæ diximus peccata imputantur pœnæque delictorum inferuntur suis auctoribus, nec adeo matris delinquentis calamitas nocere debet, ei, qui in ventre est, necessaria prorsus fuit hæc LEGUM ÆGYPTIACARUM, Græcarum & Romanarum humanissima cautio de supplicio mulieris gravidæ differendo, donec partus jam maturus fuerit protractus in dias luminis auras. Eandem rationem agnoscit, & laudat in hac eadem hypothesi *Grotius lib. 2. de Jur. Bell. & Pac. cap.* XXI. §. XIV. *in fine.*

IX. Ex his allatis colligi potest sanctimonia legum Romanarum, quæ vetant, prægnantem fœminam capitali supplicio affici, fœtu nondum in lucem edito, *l. 3. ff. de pœn. l. 8. de stat. hom.* ne innocens partus cum nocente matre extinguatur & pereat, *Jul. Clarus in pract. §. ult. q. 97. n. 5.* Ex hac ratione post par-

partum editum mulier ad pœnam corporalem damnata, non nisi exactis sex septimanis ad supplicium trahitur, quo temporis spatio elapso, vires illam recuperasse verisimile est, ut hanc pœnam sine periculo mortis sustinere queat, *Petr. Theodor. in colleg. crim. Disp.* 10. *th.* 5. *Lit. F.* Licet enim puerpera dicatur sana *l.* 14. *ff. de ædil. edict.* attamen quia facile fieri potest, ut partus recens editus ob nutrimenti & lactis materni corruptionem periret, non immerito fustigatio per illud tempus differri, ac postea ita attemperari debet, ne per eam alimenta infanti detrahantur, uti de his fuse egit *D. Carpzov. in pract. crim. p.* 3. *q.* 137. *n.* 21. *& seqq.*

LEX NONA.

ORDINUM DESERTORIBUS, AUT IMPERATORUM JUSSA NON EXEQUENTIBUS, NON MORTIS SED INFAMIÆ EXTREMÆ POENAM DECERNIT LEX.

I. Hanc Legem nobis exhibet *Diodorus Siculus Biblioth. Hist. lib.* I. LXX. VIII. vide quoque *Athanas. Kircher. in Oedip. Ægypt. Syntag.* II. *fol. m.* 121. *edit. Rom. Robinson. in Annal. Mundi, edit. Londin.* quæ agit de re militari & militum pœnis. Ante oculos ergo nobis ponit I. *Ordinum desertores*, qui misso illo fugam capiebant. Cum igitur multum intersit, quod acies bene instructa sit; & contra multum detrimenti eveniat, si ordo disturbetur per desertores; hinc sequitur quod ob damnum illatum pœna sint afficiendi. Quia nunc acies, ut *Livius ait Deca.* I. *lib.* IX. distinctior, & ex pluribus partibus constans, non solum facilis est partienti, quacunque opus sit, facilisque jungenti: sed & firmam spondet contra inordinatos victoriam, etiamsi forent leones. Quemadmodum enim Polybio teste lib. 10. in ædificiis, ubi recto & uno vinculo comprehenduntur ædes, id quod consutum est, magis durat: sic & in Exercitu, ubi viritim & secundum manipulos cuncta diligenter procurantur, universus Exercitus firmus constituitur: & vere, secundum Xenophontem in Oeconomicis, ut nihil vel ad usum commodius, vel ad speciem pulchrius est ORDINE: ita ordinatus Exercitus amicis aspectu est jucundissimus, hostibus molestissimus. Non immerito igitur idem *Xenophon lib.* 8. *Pædiæ Cyrum* suum commendat, quod apta collocatione tribus militares distribuerit: Nam quanto magis subita sunt (inquit) in rebus bellicis temporum momenta: tanto plus ab iis delinquitur, qui tardius in iis se gerunt: per illos vero, qui mature adsunt, ea fieri videbat, quæ bellicis in rebus quantivis precii sunt. Hinc & *Nestor* apud *Homerum Iliad.* β. debellandi cum Trojanis modum enarraturus, εὐταξίαν suadet *Agamemnoni*: ut delectu habito aciem instruat, & in *Ordines* certos segreget per nationes, tribus & classes. Quod & *Onosander* monet de *re milit. c.* 25. Est Imperatoris prudentis sic ordines collocare, ut fratres cum fratribus, amici cum amicis conjungantur.

II. Ubi enim periclitantes a proximis diliguntur, ibi necesse est, amantes pro illis depugnare audacius, siquidem pudor quoque & metus infamiæ prohibet, bene de se meritum deserere, neque gratiam ei referre. Omnino itaque juxta *Vegetium lib.* III. *Cap.* XIV. Acies si sapienter disponitur, plurimum juvat: sin imperite, quamvis optimi bellatores, mala tamen dispositione franguntur: periculumque de hostibus semper gravissimum sustinet divisus & inordinatus exercitus, ut idem loquitur *lib.* I. *cap.* 9. ORDINESQUE in prælio non servatos magnum cladis & internecionis exercitus esse causam, apud *Herodotum lib.* IX. satis superque testatur *Persarum* clades in pugna Platæensi. Nihil ergo magis prodesse constat in pugna, idem adstruit *Veget. lib.* I. *cap.* 26. quam ut assiduo exercitio milites in acie disposito servent ordines: necubi contra, quam expedit, aut conglobent agmen, aut laxent. Nam ut constipati perdunt spacia pugnandi, & sibi invicem impedimento sunt: ita rariores atque interlucentes, aditum perrumpendi hostibus præstant. Ex quibus liquet, in quacunque re (ut ex Xenophontis Oeconomicis scribit *Jovianus Pontan. lib.* I. *hist.*) præsertim vero militari, nihil ORDINE ipso potius ac majus esse. Quod ipsum militi sæpissime inculcare præcipit *Onosander c.* 28. Nihil esse melius; quam SERVARE ORDINES: nec quicquam periculosius, quam SOLVERE.

III. Qui nunc Ordinem deserebant, digni pœna erant; Turpe enim est stationem & ordinem in bello relinquere, & clypeum & arma abjicere, & fugere, & qui hoc faciebat infamis habebatur. Expresse *Lysias Orat.* I. Κατὰ Θεομνήστου innuit, τὸν τὰ ὅπλα ἀποβεβληκότα ἄτιμον εἶναι, h. e. *infamia notatum esse, qui arma abjecit*. Et Aristotel. l. v. Ethic. c. III. Προστάττει δὲ νόμος καὶ τὰ τοῦ ἀνδρείου ἔργα ποιεῖν, οἷον μὴ λιπεῖν τὴν τάξιν, μηδὲ φεύγειν, μηδὲ ῥίπτειν τὰ ὅπλα. Id est, *Lex au-*

autem viri fortis muneribus fungi jubet, *ut locum in ordine tenere*, *non fugere*, *non arma abjicere*. Item *in* 2. *Rhetor. c.* 6. dicit: Αἰσχρὰ ἐστιν ὅσα ἀπὸ κακίας ἔργα ἐστὶν, οἷον ἀποβάλλειν ἀσπίδα, ἢ φεύγειν: *Turpia sunt & flagitiosa omnia*, *quæ oriuntur ex nequitia*, *velut arma abjicere*, *& fugere*. Ac inprimis hoc erat turpe atque infame, abjicere clypeum. Qui enim clypeum abjecerat, eo testabatur se esse ab hoste victum, 2. *Sam.* 1. 21. Unde colligimus etiam apud Judæos summæ infamiæ fuisse, si quis clypeum in campo reliquisset. Vid. *Florileg. Zimmerman. pag.m.* 237. Hinc *Ulysses Odyss.* ξ (14.) 10. de se ipso dicit, quod non fuerit ἀποφώλιος, *obscurus*, οὐδὲ φυγοπτόλεμος, *neque pugnæ desertor. Chabrias Atheniensis* cum fortissime pugnaret in navi, & in rostro percussa cum cœpisset sidere, maluit in ea fortiter cum armis occumbere, quam omisso clypeo ad proximas naves enatare salvus, teste *Æmil. Prob. in ejus vit.* Quo pertinet illud *Platonis Dialog.* 5. *de Republ. Arbitror eum*, *qui in acie ordinem deseruit*, *vel arma abjecit*, *vel tale quid propter timiditatem commisit*, *ad opificum ordinem vel agricolarum esse transmittendum*, i. e. pro ignominioso habendum talem, quod ad capessendam virtutem neutiquam est idoneus, ac sordidis & infamis notæ artibus exercetur, quæ in civitate non magni fiunt. Cujusmodi homines etiam *Aristoteles*, propter ignominiosum vitæ genus, & numero civium exesse jubet, 3. *Politic. c.* V. *&* VII. *c.* IX. Hinc procul dubio apud *Germ. SCHELM*, quasi qui abjecit scutum & galeam Schild und Helm.

IV. Huc etiam refert Lex illos, qui Imperatorum jussa non executi fuissent. Certe suo Duci tam stricte obedire tenebatur miles, ut nihil præter ejus sententiam agere liceret impune. *Justiniani* Lex militaris XXVII. legi meretur: Ἐὰν τις ἐν πολέμῳ πρᾶγμα ἀπαγορευόμενον αὐτῷ παρὰ γνώμην τοῦ δικαίου ἄρχοντος ποιήσῃ ἢ τὰ ἐνταλθέντα αὐτῷ παρ᾽ αὐτοῦ μὴ πληρώσῃ, ἐσχάτως τιμωρεῖται, εἰ καὶ καλῶς τὸ πρᾶγμα διώκησεν. i. e. *Qui in bello rem sibi prohibitam coutra sententiam proprii ducis fecerit*, *aut ab ipso mandata non adimpleverit*, *extremo supplicio afficitur*, *licet res bene cesserit*. Cujus strictæ disciplinæ exempla in Romana historia atque alibi non deesse constat. Brasidas olim apud *Thucydidem lib.* V. in milite tria requirebat: VELLE, VERERI, DUCIBUS OBEDIRE. Quæ si observentur, exercitus est quasi in cantu harmonia. Vid. Vid. *Augustin. lib.* 2. *cap.* XXI. *de Civit. Dei*. Conf. *Eli. Reusner. Bell. edit. Jen.* 1661. *pag. m.* 197. Unde hodienum severe in istos animadvertitur in bello, qui mandata Imperatorum non exequuntur, & præprimis ultimo supplicio afficiuntur.

V. Verum hanc severissimam pœnam abesse volebant Ægyptii ab ordinum Desertoribus & Imperatorum mandata non exequentibus. *Non mortis*, *sed infamiæ extremæ pœnam decernebant*. Sed qualis fuerit reperimus apud *Diodor. Siculum*: Προσέταξε τοὺς τοιούτους ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐφ᾽ ἡμέρας τρεῖς καθῆσθαι ἐν ἐσθῆσι γυναικείαις. Statuit Lex: HOS TRES IN FORO DIES SEDERE IN VESTIBUS MULIEBRIBUS. Subjungit etiam *Diodorus*: *humaniorem etiam eam legem esse aliis*, *quæ mortem inferunt*; *sed occulta vi pene validiorem esse*, *cum metu tantæ infamiæ viros absterreret*, *quibus mors optatior*. Turpissimum profecto fuit existimatum, non apud Romanos tantum, sed & in Græcia, & apud alias quoque licet barbaras nationes antiquitus, si homines *muliebre vestimentum* assumerent. Quocirca *Licii*, cum iis luctus inciderat, *muliebrem vestem* induebant, ut deformitate cultus commoniti, maturius stultum projicere mœrorem vellent: idque *Valer. Maxim. lib.* 2. *c.* 1. & *Plutarch.* ἐν τῷ παραμυθικῷ πρὸς Ἀπολλώνιον memoriæ prodiderunt. Nec movemur illis *Julii Pollucis lib.* VII. Ὀνομαστικῶν c. 2. verbis: Ὅτι οἱ βάρβαροι καὶ τῶν θηλυπρεπεστέραι τῶν ἐσθήτων ἔχαιρον, nam ex præcedentibus apparet, hæc eum dubitanter protulisse illis additis: Εἰ μὴ ἄρα. & Diogenes Laert. ex jure non scripto id esse docet alicubi *lib.* 3. *de vit. Philosoph. in Platone*, ne homines in forum, hoc est, in conspectum aliorum nudi aut vestibus muliebribus amicti prodeant.

VI. Priusquam autem ad pleniorem explicationem nos conferamus, examinabimus pœnarum militarium distinctiones. Quarum quædam sunt militum propriæ, quædam paganorum, quædam communes. Rursum quæ paganorum, eæ vel humiliorum, i. e. plebejorum; vel etiam honestiorum hominum personis infliguntur; sed de militaribus communibus hoc loco dicturi sumus. Pœnæ militum hujuscemodi sunt: (ait *Modestin. l.* 3. §. *pœnæ*. *D. de re milit.*) Castigatio, pecuniaria mulcta, munerum indictio, militiæ mutatio, gradus dejectio, ignominiosa missio. Hæc *Modestinus*, qui inter militum pœnas pecuniariam mulctam percensuit, non quod ea militum sit propria, sed quod ut paganis, ita militibus nonnunquam indicatur atque irrogetur. Nec mirum est pœnas quasdam communes

nes esse: cum & militum delicta sive admissa aut propria sint, aut cum cæteris communia: unde & persecutio aut propria, aut communis est, ut *Menander* scribit *l. 2. D. de re milit.* Proprium militare delictum idem esse ait d. l. 2. quod quis uti miles admittit in exercitu scil vel in castris, & hoc quidem castrense peccatum dicere cum *Vopisco* possumus: cujus hæc verba sunt in *Aureliano*. Militibus ita timori fuit, ut sub eo, posteaquam semel cum ingenti severitate castrensia peccata correxit, nemo peccaverit. Castrense sive militare delictum est, quod extra castra & in pace nullum aut perleve saltem esset: veluti *contumaciæ*, *segnitiæ* vel *desidiæ criminen*, (ut est apud *Menandrum l. omne delictum*, *in princip. D. de re milit.*) aut si miles artem ludicram fecisset; nam capite puniendum esse militem ex ea causa *Menander* idem apud *Macrum* auctor est *l. quædam delicta D. de pœn.* Ex quo apparet, militari delicto non semper propriam pœnam, sed plerumque communem injungi: ut & ex eo, quod miles, qui in bello arma amisit, capite punitur, humane militiam mutat, auctore *Modestino d. l. 3. §. miles*. Nam armorum amissio est militare & quidem grave, (ut Paulus docet) itaque flagitium militare, ut Imperatores loquuntur *l. & militibus C. de test. militis*, dici potest.

VII. Polybius quidem hoc ipsum non in delictis, quæ ἀδικήματα nominat, militaribus, sed in criminibus, quæ ἐγκλήματα vocantur, posuit: ut & alia quæpiam, veluti si quis *locum stasionemve deseruerit*. Hi apud Ægyptios non fustibus vel aliis pęnis afficiebantur, sed ignominia hac, ut vestibus muliebribus induti in foro sederent. Hos imitatus *Octavius August.* teste *Sveton. cap.* XXIV. *in Octav.* Octavius Augustus cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pavit, Centuriones statione deserta itidem ut manipulares capitali animadversione puniit: pro cætero delictorum genera VARIIS IGNOMINIIS affecit, ut stare per totum diem juberet ante Prætorium interdum tunicatos discinctosque, nonnunquam cum decempedis vel etiam cespitem portantes. Hæc ex antiquo more *Octavius*. *Lucius Calphurnius Piso* Consul cum in *Sicilia* bellum adversus fugitivos gereret, & *Titius* equitum præfectus, fugitivorum multitudine hostium circumventus, arma ipsis tradidisset, his præfectum ignominiæ generibus affici jussit, eum toga laciniis abscissis amictum, discinctaque tunica indutum, nudis pedibus a mane noctem usque ad principia per omne tempus militiæ adesse: interdixit etiam ei convictum hominum usumque balneorum, &c. ut est apud *Valerium lib. 2. cap. 2.* Lucullus quoque ad *Mitridatem* & *Tigranem* debellandos missus, hanc *ignominiæ* labem *ignavis* & *meticulosis*, &, ut *Cæsaris* verbum usurpemus, *fugitivis militibus* suis aspersit, ut eos in aliorum commilitonum conspectu juberet *tunicatos* & *discinctos* fossam ad duodecim pedum altitudinem fodere. Idque *Plutarchus* idem memoriæ prodidit *in Lucull. vit.* Erat hæc quasi quædam pœna, *ignominia* quidem certe haud levis, præsertim militibus, obire cogi vilia potius quædam ministeria, quam militaria. Milites igitur *Mariani* apud *Plutarchum in vit. Mar.* de illo queruntur, cum a *Teutonibus* ad bellum (pugnam) provocatus esset, quod ipsis liturgis ad fossas excavandas, exhauriendum cœnum & flumina divertenda perpetuo uteretur: ad dimicandum vero in aciem exire adversus hostes non sineret, sed tanquam FOEMINAS sub janitorum custodia contineret. Plura de his militum pęnis vide apud *Marcell. Donat. in dilucidat. ad Sveton. pag. m.* 310. 311.

VIII. Cum hac Ægyptiorum lege aliquo modo convenire videtur Lex *Spartanorum*, qui ignavos in bello varie notabant, teste *Plutarcho in Agesil.* dum ita memoriæ prodit: *Non enim solum arcentur omni Magistratu aut imperio, sed & dare alicui horum uxorem, aut ab eo accipere infame est. Percutit autem & cædit eos, si quis vult, obviorum: at illi ferunt, squallidi & humiles, palliaque gestant colore aliquo tincta & inscripta. Partem etiam barbæ, quæ est ad labrum superius, sive mustaca radunt; partem vero alunt.* Quam ignominiosa hæc fuerint clare patet, cum non solum ab omni munere publico removerentur; sed & matrimonium contrahere non possent, imo versicolores vestes instar impudicarum fœminarum gestarent. Ita etiam hoc elucet ex eo, quod partem aliquam barbæ radi cogerentur, quæ ignominia gravissima, ut pater ex Scriptura Sacra *2. Sam.* x. 4. ubi *Hanon* legatis Davidis partem barbæ deradi curavit in ignominiam & contumeliosæ servitutis indicium. Conf. *Marcell. Donat. dilucid. in Sveton. pag. m. 699.*

IX. His & aliis ignominiis ad meliorem frugem trahere volebant Ægyptii Desertores & jussa non exequentes, qui si postmodum virtute vitam emendassent, & recta facerent, ad priorem statum redibant. Sæpe enim ejusmodi homines ignominia affecti ad meliorem frugem

gem reducti ſunt, uti experientia & hiſtoriarum monumenta ſatis teſtantur. Unicum exemplum in medium proferre lubet *Themiſtoclis*, quem infamia ad virtutem impulit, ut vitia cum virtutibus cummutaret. Et hæc de hac lege ſufficiant.

LEX DECIMA
HIS QUI SECRETA HOSTIBUS REVELASSENT, LINGUAM LEX JUBEBAT ABSCINDI.

I. Hanc legem Ægyptiorum nobis ſubminiſtrat Diodor. Siculus l. c. cui addantur *Robinſon. Annal.* & *Kircher. in Oedip. Ægypt. fol.* 121. quam etiam illuſtrare propoſuimus. Conſtat autem quod in bello & etiam in Republ. conſilia ſint occultanda, ne illorum propalatione nocumentum oriatur. Magnum etenim ad victoriam adfert momentum, quando ſecretorum cognitionem habet. Hinc multum confert occultare ſua conſilia, facta, & ſtratagemata, uti notat *Frontin. lib.* I. *c.* I. Pauci enim ſunt, quibus fidere tutum eſt: multi vero ſunt, quibus confringere teſſeram libido eſt: ut ne fidei quidem ipſi in bello fidem habere expediat. Quam in ſententiam & *Onoſander lib. de Optim Imp*· c. de conſiliis non evulgandis ſcribit: Stulti inconſideratique eſſe temere in vulgus conſilium promere, & multitudini arcanum intempeſtive committere. Improbi enim, & qui de Republica male ſentiunt, ejuſmodi obſervant occaſiones: quas nacti ad hoſtes confeſtim transfugiunt, eum nuncium allaturi, unde ſibi honores & præmia conſequi poſſe rentur. Nec fuit unquam ullus exercitus, de quo pleraſque ob cauſas tum liberi tum ſervi in hoſtes haud commigrent: ubi præſertim arcanum aliquod atque ſerium tractari ſentiunt: vel conſerendi manum, & præliandi tempus adventare animadvertunt. Nulla igitur conſilia, teſte *Vegetio lib.* 3. *cap.* XXVI. meliora ſunt, quam quæ ignoraverit adverſarius, antequam facias.

II. Quam malum & nefandum crimen proditio ſit, & quam male audiant proditores ex ſequentibus teſtimoniis patebit. Proditores urbium, ſcribit *L. Danæus in Aphoriſm. polit. pag.* 141. ſæpe ne ipſi quidem per proditionem evadunt, ſed ab hoſte trucidantur. *Camerar. Autor celeb. Centur.* 2. *Oper. ſucciſ. cap.* 60. *pag.* 363. de proditione ita loquitur: Conſtat proditionem eſſe tale vitium, quod licet primo aſpectu iis, quibus utilitas aut emolumentum inde acquiritur, arrideat, iique ſe remuneraturos proditores promittant: tamen eos interno odio proſequuntur, ut tales homines indignos præmio aut honore exiſtiment, eorumque ſcelus deteſtentur, non raro autem acerbe quoque puniant. Et *cap.* 61. *pag.* 372. Conſtat ex hiſtoriis, eos qui vel proditione, vel alio ſcelere, poſtpoſita ſalute patriæ & Principum ſuorum facinora aggreſſi ſunt, majori ſupplicio puniri non potuiſſe: quam ut una cum ipſorum infami morte etiam memoria plane obliteraretur. Quam ſæpe hoc factum ex probatis hiſtoriis probat *Georg. Richter. in Axiomat. Oecon. Axiom.* XXCV. *pag. m.* 212. 213. *ſeqq.*

III. Unde factum ut etiam leges civiles proditores acerbiſſimis pœnis affici jubeant. Apud veteres Romanos *transfugæ* atque proditores variis ſuppliciis ſubdebantur. Q. *Fabius Maximus*, cujus alioqui manſuetiſſimum ingenium fuit; transfugarum DESTRAS præcidit, ut *Julius Frontin. lib.* IV. *ſtratagem. cap.* I. narrat, & *Valer. Maxim.* his verbis, *lib.* 2. *cap.* 2. ubi de *Q. Fabio*. Omnium, inquit, qui ex præſidiis Romanorum ad hoſtes transfugerant, captique erant, MANUS ABSCIDIT, ut trunca præ ſe brachia geſtantes, metum defectionis reliquis injicerent. Idemque a Romanis, juſſu Claudii Flacci, ad Capuam fuiſſe factum *Appianus* tradit in illo loco: Ῥωμαῖοι δὲ (inquit in *Annibalica*) τῇ μὲν πόλει φρουρὰν ἐπέστησαν, καὶ ὅσους εὗρον αὐτομολοῦντας, χεῖρας αὐτῶν ἀπέτεμον. Uxeloduno etiam expugnato, cum neceſſitate coacti oppidani ſe tradidiſſent, Cæſar, qui ſuam lenitatem cognitam omnibus ſciret, neque vereretur ne quid crudelitate naturæ videretur aſperius feciſſe, &c. Itaque omnibus qui arma tulerant, manus præcidit vitamque conceſſit: quo teſtatior eſſet pœna improborum, ut ab *Hirtio* vel *Oppio* relatum eſt *lib.* 8. *Commentar. Cæſar. de bell. Gallic.*

IV. Porro in transfugas durius aliquando animadverſum a Romanis legimus, quippe vivi comburebantur, aut furca ſuſpendebantur. Si miles, prius exauctorabatur: vid. *Fabri Semeſtr. lib. pag. m.* 92. Et *Africanus* quidem ſuperior devicta Carthagine, cum omnes, qui ex Romanorum exercitibus ad Pœnos tranſierant, in ſuam poteſtatem redegiſſet, gravius Romanos quam Latinos profugas puniiſſe traditur: Hos enim i. e. Romanos tanquam Patriæ fugitivos crucibus affixit, illos autem tanquam perfidos ſocios ſecuri percuſſit. Poſterior autem *Africanus*, everſo Punico imperio, exterarum gentium transfugas in edendis populo ſpectaculis feris beſtiis objecit. *L.*

Pau-

Paulus Perseo Rege superato, ejusdem generis & culpæ homines Elephantis proterendos substravit: quæ nobis exempla *Valer. lib. 2. cap. 2.* suppeditavit. Cæterum Romani milites transfugæ ita plerumque apud veteres præsertim Romæ plectebantur, ut verberati aut securi percuterentur, aut de saxo Tarpejo dejicerentur, *Liv. lib. 3. decad. 3.* vid. Fabr. Semestr. lib. pag. m. *93.* Ex his satis elucet gravitas pœnæ in proditores & profugos apud Romanos.

V. Ad Græcos quod attinet, apud illos, sacrilegos & proditores eadem lex puniebat & eodem quoque modo: *exilio* nempe & sepultura extra patriam, ac bonorum omnium publicatione: vid. *Xenophont. Histor. Græc. lib. 1.* Si in potestate erant, MORTIS POENA afficiebantur. Hinc Hermogenes capiendus de Partit. Sect. IV. de Sacrilego quod morti sit dandus. De proditore vero *Lycurgus in Leocratem*: *Nam quis*, inquit, *videns proditorem morte punitum, patriam in periculis deseret?* Nec fas fuit eos sepelire, uti ex pluribus scriptoribus probat Johann. *Meurs. lib. 2. Them. Attic.* Quin post mortem etiam si quis proditor deprehensus foret, ossa lex effodere jubebat: &, quod vivo eventurum omnino erat, mortuo quoque accidebat, ac projecta extra patriam *Atticam. Lycurg. Orat. in Leocrat.* vid. *pag. 63. Meurs.*

VI. Plura genera pœnarum Proditorum adducere possemus, si opus esset, modo *Ægyptios* ut adducamus apud quos hæc lex posita erat, ut Proditoribus *linguam abscinderent*, ne imposterum ejusmodi crimen committere & Reipubl. damnum inferre possent. Putabant enim æquum esse, ut illud membrum, quo crimen commisisset ille, pœna afficeretur, & quidem tali, ne hoc ulterius uti posset. Quam gravis autem fuerit hæc pœna, omnibus conjectu facile est, & factum ob hanc causam, ut aliis terrorem incutiant, quo sibi ab hoc crimine diligentissime caverent.

LEX UNDECIMA.

QUI MONETAM CIRCUMCIDERET, AUT ADULTERINAM CUDERET, AUT PONDUS, AUT SIGNA MUTARET, AUT FALSAS SYNGRAPHAS ADFERRET, AMBÆ AMPUTABANTUR MANUS, UTQUÆ CORPORIS PARS PECCASSET, PER UNIVERSAM VITAM LUERET PŒNAM. CÆTERI QUOQUE MONITI ALIORUM CALAMITATE A SIMILI SCELERE ABSTINERENT.

I. Ita hanc legem recenset *Athanasius Kircherus in Oedip. Ægypt. Syntag. 2. fol. m. 121. edit. Rom.* quam *Diodorus Siculus lib. 1. pag. m. 68. edit. Hanov. 1611.* ita refert: *Illis qui monetam adulterarent, aut nova substituerent pondera, aut sigilla transculperent: Scribis etiam, qui tabulas falsas concinnarent: aut syngraphas ementitas obtruderent; Lex utramque manum præcidi jussit, ut qua quis corporis parte in legem peccasset, hac ad finem usque irreparabili cum damno & ipse culpam lueret, & alios pœna hac commonefactos ab id generis facinore deterreret.* Ex his adductis verbis perspicimus, quod hæc lex de variis agat, nempe de monetarum falsariis, ponderum, sigillorum transculptoribus, Scribis falsas tabellas concinnantibus; quare de singulis agere constituimus.

II. Quod ad monetarum falsarios attinet, observandum, quod monetam veteres incorruptam conservare voluerint; Hinc monetam ut Deam coluerunt, imo, ut *Arnobius lib. 3. contr. Gentes* refert, velut *Numen Maximum*. Extant quoque nummi longe plurimi, in quibus MONETA DEA stans erecta, manu sinistra cornu Amaltheæ, dextra vero bilancem tenens, fere in habitum æquitatis figuratur: vid. *celeberr. Christophor. Wagenseil. Patron. nostr. magn. de re monetali veter. Rom. dissert. pag. m. 8. edit. Altorff. 1691.* Cæterum DEÆ MONETÆ in tertia urbis regione a L. Furio Camillo Dictatore, devictis Auruncis, templum fuit conditum in area montis Capitolini, ubi quondam M. Manlii domus fuerat. Docet omnem rem *Ovidio 6. Fast.*

> *Arce quoque in summa Junoni templa Monetæ*
> *Ex voto memorant facta, Camille, tuo.*
> *Ante domus Manli fuerat, qui Gallica quondam*
> *A Capitolino reppulit arma Jove.*

III. Cum igitur Moneta sancta haberetur; itaque nefas esse duxerunt, ut injuria ipsi inferatur; Hinc eos gravissima pœna dignos judicabant, qui monetam adulterabant. Romanos ex probo argento nummos seu pecuniam per initia cudisse, ex *Plinio* constat l. XXXIII. c. 3. ubi tradit etiam, quod *Livius Drusus* in Tribunatu plebis octavam partem æris argento miscuit primus, inde cœpit argenti puritas corrumpi. Et eodem libro inquit: *Miscuit denario Triumvir Antonius ferrum, miscuit æri falsæ monetæ,* *cum*

cum sit justum 84. *libris signari*. Vid. celeb. Wagenseil. diss. de re monetali ver. Rom. pag. m. 45. Quo loco docet *Budæus lib.* 3. *de Asse* legendum *miscentur æra*, & recte. Libripendens seu magister probandi nummos vocatur Jurisperitis *Zygostates l. ultima C. de ponder. lib.* 11. *l.* 2. *eod. tit. in C. Theodo.* Inde Zygostasii munus *in l.* 1. *de frument. Urb. Alexand. in C. Theod. & in C. Justiniani*. Cum ergo apud Romanos serius ars probandi monetam cœperit, quæritur: utrum etiam post *Marium Gratidianum* fuerint in Romana veteri Republ. constituti examinatores monetarum, quod incertum videtur. Seculo quarto fuisse per singulas civitates constitutos ponderatores auri, constat quidem ex *Juliani Augusti l.* 2. *Cod. de ponderatoribus & auri illatione*, hisce verbis: *Quotiens de qualitate solidorum orta fuerit dubitatio, placet quem sermo Græcus Zygostatam appellat, per singulas civitates constitutum, qui pro sua fide atque industria neque fallat neque fallatur, contentionem dirimere*. Utrum vero ille Zygostates fuerit etiam exacte peritus probandi latentia solidorum vitia, haud facile dixeris, inquit B. *Herman. Conringius in dissert. de re nummar. edit. Helmst.* 1662. §. 46. addit tamen, per tamen est verisimile. Cum autem multi adulterantes monetam, uti ex *Dione* & aliis constat, reperirentur. Quare oportuit, ut publicæ utilitati consuleretur & lege animadverteretur in eos, qui nummos adulterinos cuderent vel expenderent.

IV. Unde tradit *Plinius* legem latam a *Mario Gratidiano*, ut ludus, i. e. Schola Romæ institueretur probandi numismatis, ut ægre fallere possent adulteratores nummi. Igitur ars facta denarios probandi tam jucunda lege plebi, ut *Mario Gratidiano* vicatim totas statuas dicaverit, mirumque, in hac artium sola vitia discuntur, & falsum denarii spectatur exemplar, pluribus veris denariis adulterinus emitur. Ita in Imperio nostro Germanico ejusmodi personæ constitutæ sunt, quæ accuratam nummorum probationem sciant, ne adulterini intrudantur. Optandum igitur esset, ut melior haberetur cura in Republica ne tot falsarii monetarum reperirentur. Hoc etenim crimen enorme & exosum esse ostendit D. *Carpzov. in pract. crim. p.* 1. *q.* 42. *n.* 13. Hinc quoque meretur acerbissimam pœnam, quæ varia apud veteres fuit. Lege *Cornelia* cavetur, eum, qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos conflaverit, *falsi crimine* teneri, ex *Ulpian. in l. Corn. l.* 9. *ad l. Corn. de fals. mon.* Tenetur & l. Julia *peculatus* qui in aurum argenti ærisve publici quid indiderit vel immiscuerit, & ut quid cudatur, immisceatur, fecerit sciens, dolo malo, quo id pejus fiat. Adulteratur materia tincturis, quæ imitantur veri metalli colorem, minuitur ratione.

V. *Constantinus* Cæsar eos, qui nummos falsa fusione formaverint, flammarum exustionibus vult mancipari, eorumque bona fisco Cæsareo addici ex *lib.* 1. *&* 2. *de fals. mon.* C. Quam & *Mediolani*, *Veronæ* obtinere ex *Jacobo Menoch. de arbitr. judic. quæst. lib.* 2. *cent.* 4. *cas.* 316. *n.* 14. probat *D. Carpzov. in pract. crim. p.* 1. *q.* 42. *n.* 15. *fol. m.* 261. qui n. 16. rationes addit, ob quas falsa moneta dici possit, quæ evolvantur. Extant porro præclaræ in hanc rem Constitutiones Cæsareæ etiam in Codice Justinianæo *Tit. de falsa moneta*. Severissima est *Constantini Maximi*, simul vero & Reipubl. omni utilissima, præsertim si vitium nonnihil inoleverit. Recitabimus ex lege 2. quædam ejus verba, quo ad illud exemplum prudens Legislator possit Reipublicæ suæ eo promtius consulere: Si quis nummos falsa fusione formaverit, universas ejus facultates fisco nostro præcipimus addici. *In monetis enim tantummodo nostris cudendæ pecuniæ studium frequentari volumus: cujus obnoxii, majestatis crimen committunt: & præmio accusatoribus proposito, quicunque solidorum adulter poterit reperiri, vel a quocunque fuerit publicatus, illico omni dilatione summota, FLAMMARUM EXUSTIONIBUS mancipetur*. Ex his elici posse videtur, quod pœnam hanc ignis Imperator non simpliciter omnibus monetæ adulteratoribus dictaverit, sed tantum aureorum seu solidorum. *Augustus* sane in *Codice Theodos. l.* 1. *tit.* 21. *lib.* 9. aliis falsariis longe mitiores pœnas decernit. Verba sunt: *Quicunque adulterina fecerit numismata, pœnam pro discretione sexus & conditionis suæ diversitate, sustineat: hoc est, ut si decurio, vel decurionis sit filius, exterminatus genitali solo ad quamcunque in longinquo positam civitatem, sub perpetui exilii conditione, mittatur, ac super facultatibus ejus ad nostram scientiam referatur. Si plebejus, ut rebus amissis perpetuæ damnationi dedatur: si servilis conditionis, ultimo supplicio subjugetur*. Valent. Theodosius & Arcad. falsæ monetæ reos majestatis crimine & pœna teneri statuerunt, *l. falsæ monetæ*, 8. *de fals. monet. eod. tit.* Jubent etiam Cæsares Valent. Val. & Gratian. *l. solitæ*, *lib.* 7. eodem, quicquid ex auro homi-

minum privatorum in monetis publicis inveniretur figuratum, largitionibus vindicari Imperatoriis.

VI. Simpliciter tamen omnis monetæ adulteratoribus in Germania Ordinatione criminali Caroli V. art. 3. pœna ignis dicta est. Welche falsche müntze machen / zeichen etc. Die sollen nach gewohnheit auch satzung der rechte mit dem feuer vom leben zum todte gestraffet werden. Eadem pœna afficiuntur in Saxonia adulterantes materiam monetæ: vid. *Carpzov. practic. crim. p.* 1. *q.* 42. *n.* 24. 25. 26. 27. *fol. m.* 262. In Hispania, ceu legere est *Partiar. l.* 7. *t.* 7. *l.* 9. In Gallia adulteratores in universum in aqua cum oleo fervente sive bulliente suffocantur, quod ex *Julio Claro* notat *D. Gothofred. ad l.* 2. *cod. de fals. monet.* Apud Suecos, qui moneta adulterina alios deceperunt, ita sunt puniti, ut monetam illi colliquarent, & in eam falsarios vivos immitterent: vel in sublimiori trabe circumligatos per totum corpus moneta undique splendente his gulam frangerent. *Olaus lib.* 6. *cap.* 13.

VII. Non solum autem *Romani* Legislatores, sed & alii falsam monetam detestati sunt. Sic *Demosthenes* contra *Timocr.* ait, *Solonem* statuisse, non minus severe a Judicibus summis esse plectendum, qui leges corrupisset, & adulterinas induxisset, quam qui numismata adulterasset. Idem circa finem Orationis *in Leptinem* inquit: *Miror eos, qui monetam adulterant, apud vos capite mulctari, Athenienses, illis vero, qui totam civitatem adulterinam & infidam reddunt, dicendi fieri potestatem. Laert. in vit. Diogen.* scribit: *Diogenes Cynicus cognominatus festimensarii filius Synopæus fuit, ambo cum deprehensi fuissent de civili moneta æs adulterasse, exilio damnati sunt.* Græci tamen plerumque illis, qui monetam publicam adulterassent, pœnam mortis statuebant. *Demosthen. in Orat. in Leptinem:* Τοῖς μὲν τὸ νόμισμα διαφθείρουσι, θάνατος παρ' ὑμῖν ἐστιν ἡ ζημία. Qui monetam quidem adulterant, mortis pœna apud vos afficiuntur. Nihil apud illos de comburendis adulterantibus monetam dicitur, sed tantum morte plectuntur, qui hoc crimen committunt.

VIII. Mitius tamen multo alibi in fallarios istos animadversum est: Apud *Ægyptios* enim, juxta legem nostram adductam, falsæ monetæ convictis non nisi manus præcidebantur. Eadem plane pœna placuit post *Justinianum* plerisque Cæsarum *Constantinopolitanorum*; ceu legere est ex *Harmenopuli Prochito leg. l.* 6. *tit.* 14. §. 1. & apud *Michaelem Attaliotam in Synopsi Juris tit.* 86. Imo & in ipsis Basilicis *l.* 60. *tit.* 60. & Eclogia *Basilicor.* 44. *tit.* 60. *cap.* 1. Placuit enim *Ludovico Pio Francorum Augusto, Regi*; quod legitur apud *Ansegisum l.* 4. *capitular. tit.* 33. In *Africam* quoque transiisse hoc genus pęnæ, liquet ex eo, quod in *descriptione Fessæ l.* 3. memorat *Leo Africanus* de *Fessanis Alchymistis:* Scopum eorum fere esse solere, adulterinam cudere monetam; quare horum maximam partem *Fessæ* manu truncata reperiri. Lex *Longobardorum* a *Rotario* Rege lata huic fere similis *lib. de legib.* 1. *Longobard. tit. de iis, qui fals. monet. fec. l.* 1. & 2. Si quis aurum sine jussione Regis figuraverit, aut monetam confinxerit, manus ei incidatur. Vid. *Petr. Fabr. Semestr. lib.* 3. *p. m.* 297.

De Monetarum circumcisoribus.

IX. Hactenus vidimus adulterantes monetas illorumque pœnas, nunc pedem movemus ad illarum circumcisores, qui apud Romanos capite plectebantur, quia etiam hoc crimen gravem meretur animadversionem. Quod hoc scelus Romanis capitale fuerit, liquet ex *l.* 8. *ff. de lege Cornelia de fals. monet.* Severa quoque Lex est Constantini Maximi *in Cod. Theodos. l. un.* §. *quod ille tit.* 22. *lib.* 9. *Qui mensuram circuli exteriorir adraserit, ut ponderis minuat quantitatem, vel figuratum solidum adultera imitatione in vendendo subjecerit, capite puniri debet, aut flammis tradi, vel alia pœna mortifera.* Confer. *Marcell. Donat. dilucidat. in Flav. Vopisc. pag. m.* 1044. Sed legibus *Wisigothorum* mitius plectuntur. Constitutum scil. fuit *lib.* VII. *tit.* 6. l. 2. ut, si servus circumcidisset, rasisset, &c. ei dextra manus amputaretur; si ingenuus, dives mediam bonorum partem fisco deberet, si sine bonis, in servitutem a Rege daretur ei, cui elegerit Rex. Constantinopolitanis Imperatoribus post *Justinianum* etiam hic placuit manus amputatio, ceu videre est *Basilic. l.* 60. *tit.* 41. *c.* 8. & *Michaelis Attaliotæ Synops. Jur. tit.* 72. & fortassis hæc pœna huic sceleri sufficiebat tum puniendo, cum cavendo.

De pondera & sigilla mutantibus.

X. Cum vero hæc verba duplicem involvant sensum; merito disquiritur an de ponderibus monetarum in specie; an vero de quibusvis ponderibus in genere sint intelligenda? Nihil itaque prohiberet, ut hanc legem de omnibus ponderibus intelligamus. Nam ponderum mutationes

ab

ab ipſo Deo in Scriptura ſacra ſeveriſſime prohibentur. Evolvamus illam & quidem caput XIX. *Levit.* 36. v. Trutinæ juſtæ, PONDERA JUSTA ſint vobis, & *Deut.* XXV. 15. Pondus integrum & juſtum eſto tibi. Anglus reddit: *a perfect ſtone and a juſt shalt thou have.* Pondera juſta ex mente Rabbinor. referente *Cl. Hottinger. in Jur. Hebræor. lege* CCXXIII. *pag. m.* 333. ſunt, quæ exquiſite juſtificata ſunt, ut omnis remotio rapinæ & fraudis a filiis hominum abſit; quare non faciunt pondera ex ſtanno vel plumbo, aut reliquis metallis, quia rubiginem contrahunt & deficiunt, ſed parant e lapide, vitro, &c. vid. *Maimon. tract. de furt. cap.* VIII. *ſect.* 4. Conf. Angl. *Henric. Ainsvvorth. Comment. in Levit.* XIX. *fol. m.* 120. abominatio Deo eſt hoc crimen. In hoc ipſum facinus invehuntur etiam ſeculares. *Modeſtin. ff. ad l. Cornel. de Falſar. l. penult.* ita determinat: *Si venditor menſuras corruperit, dolove malo fraudem fecerit, quanti ea res eſt, ejus dupli condemnatur; Decretoque* D. Hadriani *præceptum eſt, in inſulam eos relegari, qui pondera aut menſuras falſaſſent.* Si igitur gravis pœna a Deo & Magiſtratu in illos conſtituta, qui pondera communia falſant, quanto gravius erit ſcelus & gravior pœna, ſi monetæ pondera minuantur, de quibus cl. *Pfeiffer. in antiq. Græc. lib.* 2. *cap.* XLVIII. *pag. m.* 334. 335. In hos *Ægyptii* ſtatuebant hanc pœnam, ut ambæ manus abſcindantur.

XI. Eadem pœna ab ipſis afficiebantur *Sigillorum tranſculptores* & falſas Syngraphas proferentes. Antiquos eodem modo, quo & noſtrates in ſignandis claudendiſque literis & inſtrumentis & aliis, uſos fuiſſe SIGILLIS conſtat ex hiſtoriarum monumentis. Unde ſignum & ſignatum pro *Sigillo* & *Sigillato* Latinis accipitur, quod probat *Cicer. in Catil.* inquiens: *Tum oſtendi Lentulo tabulas, & quæſivi, cognoſceretque ſignum.* Et ad Brut. *Literæ omnes integris ſigni Prætoribus traduntur.* Quare SIGILLUM dictum a *Sigillo*, h. e. parva ſtatua, qualemque in ſigillis obſignandis literis dicatis obſervamus, uti ex Jure obſervavit *Marcell. Donat. in dilucid. ad Sveton. pag. m.* 452. Non ergo ſimplex & nuda ſigillum nota erat, ſed ornamentis & ſymbolis ornatum. *Romani* & alii populi, inter quos etiam *Ægyptios* referimus, ſoliti erant, notas & ſymbola quædam imprimere annulis, quæ quidem *Ulpianus* χαρακτῆρα h. e. formam inſculptamque ſigni imaginem vocat in *l. ad teſtium* 22. §. *ſignum ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Juſtinianus ſculptura *Inſtit. de teſtam. ordinand.* Sic Plinius ſcribit *lib.* X. *epiſt.* 78. ſe uſum fuiſſe quadriga in annulo, memoriæque prodidit *Capitolinus* in *Clodio Albino*, *Commodum* ſignaſſe literas ſuas ſigno *Amazonio*, & quæ alia fuerunt ſymbola. Vid. *Franciſ. Juretus in not. ad Symmach. lib.* 2. *cap.* 12. *Rittershuſ. ad Plin. lib.* 10. *epiſt.* 75. *Kirchman.* de annul. præprimis *Matth. Zimmermanni Florileg. Philolog.* pag. m. 120. ubi fuſe de varia apud Antiquos & multiplicis in annulis Principum & virorum illuſtrium cælatura in annulis ſignatoriis agit.

XII. Cum igitur Reges & Principes annuli ſignatorii maximam curam haberent, & nulli traderent, niſi Regi & Principi amiciſſimo, uti probari hoc poteſt ex more Ægyptiorum, quem Rex Ægypti obſervabat, qui *Joſepho* annulum tradidit, Geneſ. XLI. Ecce, inquit, conſtitui te ſuper univerſam terram Ægypti. Tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus, &c. *Joſeph. lib.* 2. *Antiq. Jud. c.* 41. Teſtantur hoc quoque alia exempla, quæ videnda apud *Kirchmann.* Imo *adeo*, inquit *Fortunat. Licet. in libro raro de annulis Antiquor. c.* XV. magni habebatur Regium cuſtodire annulum, ut ab antiquiſſimo tempore id cenſeretur poſt Principem in publica gubernatione præſtare cæteris. Sic & a priſcis Francorum Regibus non tradebatur niſi viris, qui gratia apud ipſos pollerent, quique probatæ fidei eſſent, & participes arcanorum. *Aimon. lib.* I. *c.* 13. De hoc ritu evolvatur *Curt. de Alexandro lib.* X. *c.* VII. *Sveton. in Tiber. cap.* 73. *Valer. Maxim. lib.* III. *c.* 5. Cur autem hoc fecerint, ratio eſt, ut fraudes & pericula, quas ſibi annulo ſignatorio parare poſſent, vitarent. Videatur *Tit. Liv. Decad.* 3. *lib.* VII. de *Marcelli* annulo, quem Hannibal acceperat, e quo multa damna deinde orta. Legatur etiam *Curt. lib.* VII. *c.* 3.

XIII. Sæpe etiam accidit, ut ab illis, qui ſigilla tranſculpunt, magnum damnum alicui inferatur. Signare enim his & obſignare literas poſſunt falſis & adulterinis ſigillis, quibus multoties legentes fallunt & fefellerunt. Refert *Paulus Æmilius lib.* VII. hæc verba: Emiſſi clam ex urbe nonnulli, pari atque ille erat calliditate, cum paulo longius proceſſiſſent, SUBORDINARUNT quoſdam alios non minori audacia aſtuque, qui lugentium habitu ex Suevia cum literis, quas ipſi conſcripſerant, adulterinoque ANNULO ſignarant, venire ſe dicerent, ſimulatiſque cum lacrymis falſo nunciarent, quod CONRADUS OBIISSET.

Falſis

Falsis literis & falsis sigillis utuntur falsarii mendicantes, qui pœna falsi tenentur, cum illis qui SIGLLA aliave SIGNA ADULTERINA faciunt, uti apparet ex verbis artic. 122. *Ordin. Crimin. Carol.* Der falsche siegel machet.

XIV. His annumerantur *Scribæ*, qui literas falsas scribunt & syngraphas. Hi speciem falsi in scriptis publicis & privatis, quod variis modis accidit, veluti scripta falsa componendo, minutando, in mundum redigendo, item Instrumenta, Registra, Rationes, Acta, Libellos, Contestationes, Cautiones, Chirographa, Epistolas scienter & dolo malo in fraudem alterius lædendo, corrumpendo, mutando, abjiciendo, demendo, adendo, delendo, abolendo, false subscribendo, falsa sigilla appendendo, aut dolose aliorum chirographa efficte imitando. Hi cum reliquis præcedentibus eadem pœna afficiebantur apud Ægyptios, qui crimen falsi sive in moneta & nummis, sive in scripturis judicialibus gestis & instrumentis, sive in ponderibus & mensuris admissum; & alius cujuscunque generis, præcisione utriusque manus vindicabant; idque ideo, ut quibus quisque corporis partibus adversus leges commisisset, iis coercitus ac punitus, perpetuam incommoditatem experiretur, suique supplicii exemplo alios admonitos a similibus delictis perpetrandis averteret. Has Ægyptias leges probavit haut dubie India; in qua falsos testes olim extremis digitis, quibus falsum testimonium scripto consignatum esset, decurtari solitos, e Megasthene apud Strabonem addiscimus. Ægyptiorum enim & Persarum moribus receptum, ut propter falsum decurtationes membrorum fierent. Conf. *Petr. Fabr. Semestr. lib.* 3. *p. m.* 286. Vid. *lib.* 6. *Basilic.* tit. 41. *de falsariis fol.* 242. Falsario igitur præcidi solitæ manus, vel ideo quod ipsarum quodam quasi ministerio atque instrumento, delictum admissum foret, vel præcipue id hominis membrum plecti pœnasque pendere debuerit, vel ea propter ut non ulterius tale admitterent quippiam. Hodie autem ejusmodi homines arbitrariis pœnis mulctantur, de quibus videndus *D. Carpzov. in pract. Crimin. p.* 2. *q.* 93. *fol.* 373. *seq.*

LEX DUODECIMA.
QUI MULIEREM LIBERAM VIOLASSET, EI VIRILIA EXSECABANTUR, QUIA UNO CRIMINE TRIA HAUD PARVA SCELERA COMPLEXUS ESSET.

I. Ita hanc legem recensuit *Athanasius Kircherus in Oedipo Ægypt. Syntagm.* 2. *fol.* 121. *edit. Rom.* cui adjungatur *Hugo Robinson. in Annal. Mundi*. Verum *Diodorus Siculus Bibliothec. hist. lib.* 1. *pag. m.* 69. his verbis retulit: *De sexu muliebri acerbas habebant leges, nam qui vim ingenuæ attulisset, huic genitalia præcidi jubebant: unius enim facinoris enormitate tria maxima flagitia, injuriam, corruptelam, liberorum confusionem perpetrari judicabant*. Per mulierem liberam intelligit Lex *Virginem*, quæ adhuc a matrimonio libera & sine viro est. Hæc si a quodam violaretur, tunc magnam pœnam ipsi infligebant. In Jure crimen hoc *Stuprum* vocatur, quod cum omni muliere libera committitur, quæ neque uxoris, neque concubinæ loco habetur *l.* 3. *D. de concubin. l. stuprum* 34. *D. de adulter.* Proprie autem *stuprum est virginum illicita defloratio*. Vid. Carpzov. *p.* 2. *q.* 68.

II. Crimen hoc a variis gentibus variis pœnis punitum legimus, ita ut quædam harum acerbius, quædam mitius hoc vindicarent. Apud Hebræos stupri pœna olim fuit VIVICOMBURIUM, uti cl. *Selden. de Synedr. Hebræor. lib.* 1. *cap.* 2. *pag. m.* 9. *asserit* ita scribens: Et *stupri* pœnam *Vivicomburii*, quam irrogaturus erat Juda *Thamaræ*, ajunt Magistrorum aliqui (Simeon Ben Jochai in Gem. Babyl. ad tit. Abotazar. c. 2. fol. 36. Scheph. Juchas. fol. 8. a) iique pervetusti, in posteros manasse a בית דינו של שם *Præfectura juridica Semill.* Testatur hoc etiam *libr.* VII. *c.* 5. *de jure Natur. & Gent. juxta Discipl. Hebr. pag. m.* 851. Necessario, inquit, ideo sequitur ex Jure Civili sive a *Juda* Principe, sive aliter superinducto, coitum sive ejusmodi innuptæ ante interdictum fuisse; adeoque pœnam adjectam, UT FŒMINA QUÆLIBET ILLICITI COITUS REA COMBURERETUR. Vid. R. *Bechai in Biur Beresith. fol.* 51. *col.* 2. Nec desunt alii Hebræorum, qui nolint ultimum supplicium combustione factum, sed volunt, intelligi hic quod frons inureretur לסימן שהיא זונה: *signo*, quo eam scortum esse indicaretur. Has pœnas Hebræorum contra stupratores acerbissimas putamus, & fere omnium populorum pœnas superant. Nam quid crudelius, quam *vivicomburium*?

III. Ab Hebræis ad Græcos nos conferimus, & pœnas in stuprum constitutas videbimus. Marcellin. in Hermogenem, Νόμος, τὸν βιασάμενον κόρην Ἀθήνησι, χιλίας διδόναι. *Lex est, qui virginem Athenis violaverit, uti MILLE DRACHMAS solvat*. Et iisdem fere verbis *Sopater, in divis. Quæst.* Νόμος, τὸν βιασάμενον κόρην, δι-

διδόναι χιλίας: *Lex est, ut qui virginem violaverit DRACHMIS MILLE luat*. Hinc intelligenda illa Syriani in Hermogenem. Νόμος, τὸν ἐξιόντα στρατηγὸν εἰς πόλεμον ἔχοι θυγατέρα, παρατίθεσθαι τῷ συστρατηγῷ τὴν θυγατέρα. Λαβὼν ἐκεῖνος ἐβιάσατο. Ἐπανελθὼν ὁ στρατηγὸς, κρίνει αὐτὸν δημοσίων ἀδικημάτων, ὁ δὲ, ὡς βιασάμενος τὰς χιλίας διδόναι. *Lex erat, ut Dux exercitus ad bellum exiturus, si filiam haberet, eam apud collegam deponeret, ille, acceptam violavit. Dux reversus agit contra eum de publica injuria, ille vero, veluti qui violasset, DRACHMAS MILLE deberi contendit*. Qui in panegyri virginem aliquam violasset, DRACHMAS DECIES MILLE dabat. *Sopater* in Divis. quæst. Ὁ νόμος δίδοσθαι κελεύει τὰς μυρίας, ἐὰν βιάσηται κόρην ἐν πανηγύρει: *Lex jubet dare DECIES MILLE DRACHMAS, si quis virginem in panegyri violaverit*. Ita intelligendus *Sulpitius Victor in Institut. Orat.* Qui virginem vitiaverit, det decem millia. Ea summa faciebat centum minas.

IV. Et licet pecuniaria pœna affecti fuissent Stupratores, quæ satis magna; attamen etiam isti, qui virginem violassent, capite plectebantur. Ita Auctor proble. *Ret. cap.* XVII. in corpore libero mortem statuit: in servili talenta centum. Νόμος κελεύοντος, τὸν μὲν ἐλευθέραν βιασάμενον, ἀποθνήσκειν· τὸν δὲ δούλην, ἑκατὸν διδόναι τάλαντα. *Lege jubente, qui liberam violaret, ut capite plecteretur: qui servam, ut centum talentis mulctaretur*. Ita etiam alia lex *capitis* pœnam statuebat. *Hermogenes, Partit. Sect.* IV. Ἡ βιασθεῖσα, ἢ γάμον, ἢ θάνατον αἱρείσθω τοῦ βιασαμένου. *Violata, aut nuptias, aut mortem ejus, qui vim intulit, eligat*. Marcellinus ad eum locum. Violavit aliquis duas virgines, eodem tempore. Cum lex esset, ut ejus, qui vim intulisset, matrimonium, aut mortem, optaret; illa quidem, nuptias eligit; ista, mortem. Postmodum autem cum multi delinquerent, sola mortis pœna constituta fuit. Nam lex erat hæc: *Quæ violata* est, aut *ejus, qui vim intulit, nuptias sine dote, aut mortem eligat*. Multis nihilominus vim inferentibus, fert quis legem, ut sublato sine dote matrimonio, CAPITE, qui violassent, punirentur. Elucet hinc quod ii, qui virginem violassent, apud Græcos mortem pati coacti fuerint.

V. Et licet etiam de Jure Civili stupri pœna capitalis & ultimum supplicium mereatur juxta *l.* 1. §. *qui puero* 2. *in med. ff. de extraordin. crim.* Quem tamen textum *Bartol.* ibid. restringit ad eum solummodo casum, ubi aliqua violentia intervenerit. Vid. *Carpzov. pract. crim. part.* 2. *q.* 68. *fol. m.* 141. Nihilominus tamen mitior pœna apud ipsos usitata, & asseritur, quod pœna stupri de Jure Civili non capitalis sit, sed in stupratoribus honestis publicationem dimidiæ partis bonorum; in vilioris vero & humilioris conditionis hominibus, corporis coercitionem, puta fustigationem cum relegatione. Vid. cit. *Carpzov.* Mitius adhuc est jus divinum, quod stupratorem mulierem stupratam *dotare* & *ducere* jubet, uti idem eodem loco asserit. Verum vix calculum addere possumus verbis celeberrimi alias viri, quibus affirmat *stupratorem stupratam dotare & ducere* debere, cum hæc Rabbinorum scriptis contrarientur. Nam *Henric. Ainsvvorth. in Comment. ad Exod. cap.* XXII. *ex Maimon. Naarah betul. cap.* 1. *sect.* 3. refert, quod si noluerit ducere, *they compelled him not, but he gave the mulct, and vvent his vvay. If he married her, then he paid not this mulct.* non compulerint ipsum, sed mulctam dabat, & abibat. Si duceret eam, *tunc mulctam non solvebat*. Deinde hæ leges a celeb. *Carpzov.* adductæ non de una eademque stuprata agunt. Nam una loquitur de virgine ad concubitum bonis verbis pellecta; altera de virgine vi ad stuprum coacta; de qua egit cl. *Hottinger. in jure Hebr. leg.* LVII. *pag. m.* 67. Priorem poterat dotare & in matrimonium ducere; sed si nollet, mulctam dabat: posteriorem non poterat dimittere. Conf. *Selden. de Uxor. Hebraic. lib.* I. *c.* XVI.

VI. Missis his ad legem Ægyptiorum progredimur, quæ severam pęnam in *Stupratores* statuit: *Qui mulierem liberam violasset, illi virilia exsecabantur*. Putabant enim hi, æquum esse, ut id membrum pęnæ subjiciatur, per quod aliquis facinus aut flagitium patrarit, quod apud exteras gentes in multis delictis observatum legimus; ut sacrilego, impio in parentem, quem verberandi causa esset ausus attingere, manus præciderentur. Vid. *Cujac. lib.* 7. *Observat. cap.* 16. ut falsario nervi digitorum inciderentur, *Senec. declam.* 8. *lib.* 2. *& declam.* 4. *lib.* 9. Adulterius ac męchis raptoribus certe fęminarum apud Ægyptios membrum abscinderent, atque, ut *Horatii* verbis utamur, *cauda salax ferro demeretur*. *Ægyptiis* & *Persis* mutilationem pęnariam membrorum corporis humani usitatam fuisse atque amputationem e *Seneca lib.* 3. de Ira, cap. xx. ubi de naribus toti populo recisis a Rege Persarum, *Diodoro Siculo*, *Tacito lib.* 12. *Curtio lib.* v. *Theodoret. lib.* v. *histor. Eccles. c.* 39.

c. 39. & aliis discimus. Et quamvis nulla talis pœna membrorum apmutationis legibus Romanis prodita, sed de servis & iis ad barbaros transeuntibus; postea tamen ea parte corporis humani patrari cœpit. Huc allusisse *Auson epigr.* XVII. reperimus; sic fere canentem:

At tu, qui dominus, peccantia membra coerce;
Injustum falsos excruciare reos:
Aut inscribe istam, quæ non vult scribere dextram,
Aut profugos ferri pondere necte pedes.

Eundem morem de plectendo membro Martialis observat, quando ita:

Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho?
Nil hac peccatum rst parte, marite, tibi.
Stulte, quid egisti? nihil hic tua perdidit uxor,
Cum sit salva sibi ---- Deiphobi.

Belle vero Poeta: Mœchus enim deprehensus vasa illa, quæ honeste nominari nequeunt, soliti mariti abscindere ulciscendæ injuriæ gratia, plura qui de hac pœna legere vult, evolvat *Petr. Fabr. Semestr. lib.* III. Invaluit etiam apud Septentrionales populos illa stupri pœna, ut nares aurcsque præciderentur. Magis ignominiosa erat pœna, quam Ostrogothi adulteris imponebant: nam autores *Olao Magno lib.* XIV. fœmina virilibus masculi fune aut loro ligatis ipsum trahere per medium forum & extra urbem cogebatur. Rationes adduntur; quia uno crimine tria haud parva scelera complexus esset, quæ ex *Diodoro Siculo* §. I. adduximus, & quæ hodienum in Jure Civili adducuntur. Vid. dissertat. *Berhardi* Schultzen Prof. Rinthel. non mechaber. in qua hæc dilucidantur.

LEX DECIMA TERTIA.

IN ADULTERIO SPONTANEO DEPREHENSUS VIRGIS CÆDEBATUR AD MILLE PLAGAS, MULIER NASO MUTILABATUR, QUO DEDECORE VULTUS MACULATUS, EA MULTARETUR PARTE, QUA MAXIME FACIES EXORNANTUR.

I. Hanc legem de adulterio spontaneo ita recenset *Athan. Kircherus in Œdip. Ægypt. Syntag.* 2. *fol. m.* 121. Hanc legem hausit ex *Diodoro Siculo*, qui pag. m. 69. hanc ita recenset: *Si persuasu adulterium esset commissum, viro mille plagæ fustium, mulieri narium detruncatio irrogabatur: nam mulieri ad vetitas libidines sese exornanti, præcipua venustatis lenocinia adimenda censebant.* Quantum autem in oculis Dei grave sit adulterium vel ex duobus locis Scripturæ colligi potest: unus ex mundi *Genesi cap.* 20. ubi in mortis discrimen venit Abimelech cum omni domo sua, eo quod uxorem *Abrahami* detinuisset, quamvis eam non cognovisset. Ipse enim Deus mentem suam declarat ob hanc rem dicens: *Tu es vir mortis*, Angl. reddit, *Thou art a dead man*, hoc est, uti bene Anglus Henricus *Ainsvvorth. comment. in h. l. fol. m.* m. 78. explicat: *thou shalt surely dye:* & indicare vult, quod ob hoc crimen morte dignus sit. Alter locus ex libro *Numer.* v. *v.* 19. dum fuit datum sacrificium a Deo, ad exploranda occulta adulteria per aquam Zelotypiæ. Vide *celeber. Wagenseil. in hunc locum erudite commentantem. Confer. Acoluth. de aquis amaris, Henric. Ainsvvorth. Comment. in h. l. fol.* 39. 31. Fuit & hoc crimen Ethnicis communi ferme consensu visum improbissimum: cum propter prolis incertitudinem, tum etiam propter individuæ conjunctionis schisma. Ea de causa & apud omnes fere prohibitum & punitum. Sicuti etiam probrum natura visum est adulterium, *Ulpian. in l. probrum l.* 42. *de verbo. significat. lib.* 50. *P. tit.* 16. & probrum esse docet docte *Philo Judæus lib. de decalog.* 24. *lib. de decalog.* 24. *lib. de special. legib.* Propterea *Aristoteles lib.* VII. *politic. cap.* 16. ipsum prohibet, punirique jubet.

II. Quamvis autem punitum fuerit *levius* alicubi, alibi autem durius, semper tamen aliquo modo in optima politia vindicatum reperimus. Quare operæ pretium esse duximus, ut pœnas has populorum recenseamus. Et quidem quod ad Hebræos attinet, illi ex mandato Dei severe in hoc crimen animadverterunt. Mandatum Dei de adulterio extat Levit. xx. 10. *Vir qui adulteravit cum uxore alicujus omnino morte plectitor adulter ipse & adultera.* Ita etiam *Deut.* XXII. 22. Et licet genus mortis non addatur; attamen ultimo supplicio afficiebantur vel *lapidibus*, vel *strangulatione*, uti eleganter sæpe citatus *Ainsvvorthius comment. in Levit.* xx. *fol. m.* 122. explicat. Ita quoque Pharisæi apud *Johannem cap.* VIII. 4. 5. ad Christum adulteram adducentes, dicunt: Hæc mulier deprehensa est in ipso facto, cum mœcharetur. In Lege vero Moses præcepit, ut tales lapidentur;

tur; ſed *Levit.* XXII. 22. nihil de pœna exprimitur, & ubi lex nihil exprimebat, accipiebatur mitiſſima, i.e. *Strangulatio*, quam & ſpeciatim in Adulteræ ſupplicio agnoſcunt Hebræorum Magiſtri, uti ex *Maimonid. in Sanhedr. cap.* XV. *ſect.* 13. refert *Ainsvvorthius fol. m.* 123. qui ita: *Hovvbeit the latter Pharisees ſay the adulterers death vvas STRANGLING.* Vid. cl. Hottinger. Jus Hebr. leg. XXXV. pag. m. 49. ubi hæc refert: *In Sanhedrin explicatur, adulterum (i. e. maritum) cum alterius conjuge congredientem utrumque ſuſpendi.* Et hæc pœna erat inter mitiores, Lapidatio autem inter atrociores, de qua *annot. ad Sigon. de Republ. Hebr.* evolvendæ. Quo igitur jure hoc graviore ſupplicio affectæ adulteræ? Ajunt quidam, cum *Levit.* XX. initio & fine capitis mentio fiat Lapidationis, etiam in medio poſita eodem trahenda. Sed eodem capite quædam incendio puniuntur: itaque hæc ratio non procedit. Alii dicunt, cum Deuteronomio ſequentibus verbis ſponſæ corruptæ imponatur pœna Lapidationis, ex pari aut majori ratione debere eam & Adulteræ aptari. Sed objici poteſt, in ſponſam gravius animadverſum, quia in cuſtodia mariti non erat, ſicut & gravius punitur furtum de paſcuo, quam de ovili.

III. Accedimus Hebræis tradentibus, ubi mortis pœna Lege exprimitur, non item mortis genus, ibi a Synedrio pro ratione temporum genera poenarum definita, ut graviores exigerentur ubi occurrendum erat gliſenti exemplo. Quare cum crebra fuiſſent adulteria ante exilium Babylonicum, ubi in exilio Judæis conceſſum fuit in ſuos jus puniendi, etiam morte, lapidatæ ſunt adulteræ, quod docemur *Ezech.* XVI. 40. collato *commate* 38. ad quæ loca etiam *Kimchius* notavit, nonnullis temporibus lapidatas adulteras. Et eo factum, ut qui de *Suſanna* hiſtoriam ſcripſit, falſo adulterii inſimulatores lege talionis lapidatos dixerit. Similiter & *Hyrcani* ſequentibuſque temporibus in Judæa putem *lapidatas adulteras* ob criminis frequentiam. Vid. *Grot. ad Johan. c.* 8. Cognoſcimus hinc adulterium apud Hebræos morte dignum ſemper fuiſſe; ita ut etiam poena in quibuſdam acerbior fuerit, uti refert *Maimon. in Iſur-biah, cap.* 3. inquiens: *Si filia fuerit Sacerdotis, illa comburitur, huic vero gula frangitur.*

IV. Apud Græcos adulterium variis modis fuit punitum, mox morte, mox pecunia, mox alia re, uti jam teſtimoniis probabimus. Primus itaque autor vindicandi adulterii apud Athenienſes *Draco* memoratur; ante Draconis enim tempora non licebat, uti *Libanius* indicat, *Tom.* I. *Declam.* XXXIII. cujus verba Græca Latine recitabimus: *Et cum animo reputans comperiebam, eum, qui leges civitati condiderat, partim quædam pulcre diviſiſſe, & virtutes, quatenus oportuit, honoraſſe; partim cum iis, qui cætera quidem deliquiſſent, non recte egiſſe; adulteris vero iſtis, minime, quod æquum erat, intuliſſe.* Quod autem *Draco* primus autor adulterii vindicandi *Pauſanias in Bœotic.* refert his verbis: *Primum vero hunc Hyettum de adulterio pœnas ſumſiſſe conſtat, ac poſtea Draco cum Athenienſibus dediſſet ſanctiones ſuas, ex legibus ejus, quas in magiſtratu ſcripſit, conſtitit, tum quarum rerum aliarum impunitas foret, tum & de adultero pœnas ſumi libere poſſe.*

V. Poſt hunc *Solon* etiam capitis damnavit, uti Plutarchus in ejus vita aſſerit: Μοιχὸν ἀνελεῖν τῷ λαβόντι δέδωκε: *Adulterum interficere deprehendenti permiſit.* Lex ejus apud Lyſiam ita ſonat: Ἔαν τις μοιχὸν λάβῃ ἐν ἔργῳ, ἄρθρα ἐν ἄρθροις ἔχοντα, ὅτι ἂν βούληται χρῆσθαι. h. e. *Si quis adulterum in ipſa turpitudine deprehenderit, de eo quicquid libuerit, ſtatuito.* Syrianus in Comment. *Adulterum quiſpiam juxta legem de adulteris interfecit.* Et *Sopater*: Νόμος, τὸν μοιχὸν τεθνάναι. *Lex eſt, adulterum occidi.* Itaque conceſſa erat cædes, ſed qui nollet interficere, pecunia mulctare poterat, uti Autor Problem. Rhetor. cap. XX. Νόμος, τὸν μοιχὸν χρήματα διδόναι, ἢ παραυτίκα ἀποθνήσκειν: *Lex eſt, adulterum pecuniam dare, aut ſtatim mori.* Et videre eſt apud *Lyſiam in Orat. de cæde adulteri Eratoſthenis:* cujus Græca Latine reddita a cl. *Meurſio* ita ſonant: Et ille fatebatur quidem injuriam, ac ſupplicabat, ne ſe interficerem, ſed pecuniam exigerem: ego vero inquiebam, non me occiſurum ipſum, verum civitatis legem, quam tranſgreſſus, voluptate inferiorem exiſtimaſſet, ac flagitium iſtiuſmodi in uxorem, liberoſque etiam meos, admittere maluiſſet, quam obedientem legibus ſe præbere. Hoc etiam confirmat *Hermogenes de Invent. lib.* II. *c.* I. Τοὺς μοιχοὺς χρήματα ἀποτιννῦναι (ὁ νόμος κελεύει) Adulteros pecuniam pendere (lex jubet.) Et hæc poena non tantum in uxoribus violatis, verum etiam in concubinis, conſtituta eſt, uti *Lyſias* refert *in eadem Prat.*

VI. Nec occidere duntaxat, aut pecunia mulctare; ſed & excæcare licuit. Autor Problem. Rhet. cap. LVIII. Νό-

μος

μος ἐκέλευε τὸν Μοιχὸν καταλαμβανόμενον τυφλοῦσθαι ἀκρίτως. Lex jubebat adulterum deprehensum excæcare indemnatum. Asserit & hoc *Curius Fortunianus Ret. Schol. lib.* I. Adulteros deprehensos licet excæcare. De oculis ob libidinis perpetrationem erutis, cui non illa *Zaleuci* Legislatoris Locrensium nota Lex, atque adeo justitiæ conjuncta in filium pietas memorabilis, qui enim jusserat, ut adultero deprehenso, vel (sicut ipse malim ab interprete redditum) adulterii convicto uterque oculus evelleretur, cum evenisset ut adulterii reus teneretur filius: nolens quod semel sancitum a se fuerat, irritum fieri pater, pro altero filii oculo ipse suum veluti vicarium & pœna succedaneum tradidit; ne utique prorsus excæcaretur juvenis. Qua de re *Ælian. lib. var. histor. cap.* XXIV. Quin & *stigma* inurere permittebatur, uti *Hermogenes*, part. Stat. Sect. XIII. scribit: Stigma adultero inurere licet. Similiter *Syrianus*: Νόμου ὄντος, τὸν μοιχὸν στίζειν, cum lex sit, mœchum stigmate notare. Marcellinus: Lex est, adulterum stigmate notare. Vid. plur. cl. *Johann. Meurs. Them. Attic. lib.* I. *pag. m.* II.

VII. Aliquando etiam ridicule adulterium puniebatur, nisi mores & temporum distinguantur occasiones. Apud *Cumæos* quippe mulieres in adulterio deprehensæ, in forum deduci solitæ, ut ibi lapidi insidentes, ab omnibus conspici & despici posseni: demum asino impositæ, per omnem urbem vectabantur, rursusque ad lapidem deducebantur, ut refert *Plutarch. in Probl.* & Alciatus *lib.* 2. *parergon. jur. cap.* 47. In *Cathalania Hispaniæ* & aliis multis locis, vir per uxoris adulterium infectus, solvit Domino temporali XL. solidos. *Parisiis*, imponebatur asino, facie ab auribus asini aversa, & sic per totam civitatem, asinum trahente uxore, ducebatur, præcone clamante, eum, qui idem crimen admisisset, similiter punitum iri, teste *Guilielmo de monte Laduno*. Et Zabarel. *Clementin. cum ex communic. de senten.* Et Guilielm. Benedict. *in repetitio. c. Raymunt. in* 2. *parte in verb. cuidam Petro tradiderant numero* 62. jus canonum adulteram privat dote & parafernalibus, quæ adjudicat marito. Apud Græcos adulteri pauperis poena erat παρατιλμὸς & ῥαφανίδωσις. Erat autem παρατιλμὸς, quando deprehensus adulter prehenderetur, eique nates calido cinere depilarentur: ῥαφανίδωσις vero, quando raphani prægrandes in podicem ipsi immitterentur. Cujus utpote ridiculæ poenæ meminit *Aristophan. in Plato & Nubibus*. Aliquando etiam vice raphanorum *mugiles* per posticum impingebantur, *Catullo* teste. Conf. *Jovel. Satyr.* X.

> ---- *necat hic ferro, secat ille cruentis*
> *Verberibus, quosdam mœchos & mugilis intrat.*

VIII. Apud Germanos adulterii pœna præsens & maritis permissa erat, quo factum est, ut terror certissimi supplicii cunctas a flagitio deterreret detineretque. *Tacitus de morib. German.* de Germanis hæc refert: *Paucissima*, inquit, *in tam numerosa gente adulteria, quorum pœna præsens & maritis permissa. Accisam crinibus, nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit: publicatæ enim pudicitiæ nulla venia; non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit.* Ergo pœna adulterii maritis permissa, qui arbitrio suo scelus uxoris & perfidiam vindicabant: quæ potestas posteris quoque temporibus maritis concessa fuit. Lex Longobardica *lib.* I. *Tit.* XXXIII. *leg.* II. Si quis cum uxore sua liberum aut servum fornicantem invenerit, potestatem habeat, eos ambos occidendi; & si eos occiderit, non requirantur. Similiter Lex *Frothonis Daniæ* Regis apud *Saxon. Grammat. lib.* V. Adulteros a veris conjugibus corporum parte spoliandos constituit, quo minus continentia flagitiis elideretur. Sed apud Germanos antiquissimos poena adulterii duplex erat, ut Tacitus scribit: primum enim accisis crinibus nudatam domo expellebant: inde per omnem vicum verbere agebant. Consentit his lex postera *Liutprandi* Regis Longobardorum in foeminas violentas: *Publicus, in quo loco factum fuerit, comprehendat ipsas mulieres, & faciat eas DECALUARE ET FUSTARE per vicos vicinantes ipsius loci*. Paulo aliam & magis sævam adulterii poenam tribuit priscis *Saxonibus Bonifacius* Archiepiscopus in epistola ad *Ethelbelaum Anglorum* Regem: *In antiqua*, inquit, *Saxonia, ubi nulla est Christi cognitio, si virgo in paterna domo, vel maritata sub conjuge sit adulterata, manu propria strangulatam cremant, & super fossam sepultæ corruptorem suspendunt: aut cingulo tenus vestibus abscissis flagellant eam castæ matronæ & cultellis pungunt, & de villa in villam sic missæ occurrunt novæ flagellatrices, donec interimant*. Cujus moris vestigia apud *Westphalos*, nobilissimam *Saxonum* partem, sua adhuc ætate extitisse scribit *Werner. Rolesink de situ & moribus Westphal. lib.* I. *cap.* VII. ubi scribit: *Si in-*

ferioris status sive puella, sive famula, in stuprum aut adulterium corruisset, secreto eam virgis & quidem acerrime flagellabant, conviciis placentisque ex putredinibus ovorum factis eos reficiente, sic eas in amaritudinem adduxerana, ut aut mori solatium foret; aut post primum partum nullas deinceps proles gigneret.

IX. Hi etiam populi Adulterium severissime puniverunt. Athenienses jubebant adulteros ab equis trahi ac rapi per plateas, donec dilaniati ac mortui jacerent, ut scribit *Suidas*, interdum ipsos interficiebat ascia vel gladio, ut notat *Heliodor. lib.* I. *Ætiop. Parthi* nulla delicta gravius adulteriis vindicant, ut ait *Justin. in Trogo lib.* 41. De Julio Cæsare & de Augusto narrat Svetonius in ipsorum vita; Libertos ob adulterium capite damnarunt. Constantinus lege sancivit, ut contaminans lectum conjugalem, elueret hanc maculam sanguine & ultimo supplicio. Exemplum hujus sententiæ affert *Ammian. lib.* 28. Adulteræ *Ægyptiacæ* a *Sesostre* Rege concremantur, uti refert *Diodor. Sicul. lib.* I. *cap.* LIX. Nolumus autem prolixiores esse in recensendis pœnis adulterorum adulterarumque apud Romanos, Græcos, Barbaros usitatis; sed Lectores remittimus ad viros doctissimos sequentes, qui diligenter has collegerunt. *Andr. Tiraquell. in legib. connub.* 13. *num.* 6. 7. & 8. 23. *Boer. decis.* 297. 298. & 338. *Cujac. lib.* 20. *Observ. ad Novell. Just. Barnab. Brisson. ad l. Jul. de adulteriis, Jul. Clar. Sentent. lib.* 5. §. *adulterium, vers.* 7. *post Didac. Covar. ad.* 4. *Decret.* 2. *part. cap.* 7. *num.* 16. & 17. *Bod. cap.* 3. *lib.* I. *de Republ. & qui alii sunt, quorum catalogum recenset Petr. Faber lib.* 3. *Semestr.*

X. Quidam porro populi fuerunt, qui Adulterium *ignominia* coercere voluerunt; unde lex *Gortynæ* civitatis Græciæ, ut adulter comprehensus & criminis convictus, LANA coronaretur: qua coronatione argueretur ejus mollities & mulierositas, addita mulcta quinquaginta staterum, summa infamia & privatione administrationis Reipubl. ut scribit *Ælian. lib.* 12. Et hoc loco etiam *Ægyptii* adulterium lege corrigere voluerunt; quare adulterum ad MILLE PLAGAS CÆDEBANT, ET MULIER NASO MUTILABATUR. In hac lege sane pœna viri gravior videtur, quam mulieris, & cum his convenit Jus Justinianeum Civile, ubi adulteri gladio plectuntur; adulteræ autem virgis cæsæ & tonsæ in monasterium detruduntur. At quænam diversitatis hujus ratio sit, & quare mulieres adulteræ mitius puniantur, quas tamen leges Mosaicæ æque mortis supplicio puniri jubent, *Levit.* XX. 10. *Deut.* XXII. 21. *Daniel.* XIII. *Ezech.* XVI. 38. expeditum non est. Nam *Constantini*, *Theodosii*, *Valentiniani* & aliorum *Justiniano* vetustiorum Principum temporibus ultimo gladii supplicio adulteræ puniebantur. Sane sub *Theodosio* & *Valentiniano Impp.* præstituta omnibus nuptiarum sacrilegis gladii pœna est, etiam fœminis, eamque adulterii pœnam tum fuisse usurpatam cognoscimus ex eo quod ab *Ammiano Marcellino lib.* 28. scriptum legamus: *Tunc Cethegus Senator adulterii reus delatus cervice periit abscissa.* Et aliquanto post, *Nec minus fœminæ quoque calamitatum participes fuere similium: nam ex hoc quoque sexu peremtæ sunt Originis altæ complures adulteriorum flagitiis obnoxiæ vel stuprorum; inter quas notiores fuere Claritas & Flaviana.*

XI. Rationes plures adduxit D. *Carpzov. in pract. crim. part.* 2. *q.* 53. *n.* 11. 12. *seqq. fol. m.* 20. 21. inter quas etiam retulit hanc Ægyptiorum legem, ubi adulter virgis ad centum plagas cædebatur, vel virilia amputabantur, mulieri adulteræ autem nasus abscindebatur, quod plerumque ab illis fieri solebat, qui adulterium leve peccatum existimarunt. Tandemque concludit: Quicquid sit, licet fortasse veram rationem mitigationis pœnæ ad ulterii quoad fœminas assequi non valeamus, certum tamen est, in crimine adulterii de jure communi uxores adulteras non pœna mortis, sed mitiori supplicio afficiendas esse, quod scire nobis sufficiat. Attamen aliquam rationem subesse putamus. Nam constat, virum perfectioris ingenii atque ad fallendum & seducendum aptiorem muliere; hinc non negamus majori pœna dignum esse.

XII. Cum autem adulterium in uxore gravius habitum, quam in marito, uti innuit *Euripides in Electr. act.* IV. *v.* 286. ubi *Clytæmnestra* de adulterio ita loquitur:

> *Stultæ igitur mulieres, non aliter dico.*
> *Quando enim pravo animi vir peccat impetu.*
> *Domesticum fastidiens torum, mulier virum imitatur.*
> *Et alium sibi creans amicum quem amet:*
> *Demum nobis probrum eminet:*
> *Horum autem autores viri non male audiunt.*

Unde fuerunt aliqui, qui mulierem adulteram

teram gravius peccare, quam virum adulterum exiſtiment, utpote quia ſobolem alterius viro ſupponat: tum quia ſubdita viro ſit, nihilque ſit mulieribus tam proprium, quam pudor: aliis tamen diverſum ſentientibus, tum quia vir a muliere debitum ſubducat, & in alio vaſe diſſeminet. Tum etiam quod conſtantioris debeat eſſe naturæ, mulieribus natura exiſtentibus mollioribus & fragilioribus. Quorum tamen opiniones, in eo quod & vir & mulier peccet uterque, ampleƈtamur, cætera contemnimus. Nam quod pertinet ad torum, utrumque & virum & uxorem pares cenſemus, quia quicquid in caſtitate matrimoniali præcipitur viris, hæc conſequenter redundant in fœminas & contra. Quemadmodum enim vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed uxor: ita nec uxor, ſed vir poteſtatem habet ſui, 1. *Cor.* VII. & ideo utrumque puniendum graviter exiſtimamus, cum leges etiam id jubeant, & pari pœna jure divino adulter cum adultera necaretur.

XIII. Nulla nos cogit neceſſitas, ut a Scripturæ Sacræ præceptis diſcedamus, & adulteras mitiori pœna pleƈtendas ſtatuamus, quam adulteros. Melius hac in re Leo Philoſophus ſtatuit, quamvis etiam mitigari velit poenam adulterii, quando ita *Novell.* 32. ſtatuit: At vero nos fere ad benigniora trahimur, quam illi conſtituerunt pœnam, ut nempe naſus deteſtandis illis ambobus abſcindatur, hanc & nos ſtatuimus, atque hæc quidem nefarii illius ſceleris eſto poena. Verum an truncatio naſi ſufficies adulterii ſit poena, merito dubitamus. Sed ad legem Ægyptiorum, qua viri adulteri fuſtibus vel virgis cædebantur, quæ infamia ſatis magna erat, & ipſa morte crudelior. Quid enim viro acerbius contingere poteſt, quam tot ſuſtinere plagas? Et quid turpius mulieribus, quam amputatis naſis incedere? Et licet nares etiam viris abſcinderentur adulteris, attamen interdum ſolis uxoribus, quæ id in ſe probri admiſiſſent, ut quæ pars corporis ad formæ elegantiam ſummopere neceſſaria videretur, ea, quoniam intemperantiæ ſubſerviiſſet legibus prohibitæ, adimeretur: vel ad ipſam deformitatem, quam poenæ loco eſſe Juriſperiti non ignorant. Confer. *Petr. Fabr. Semeſtr. lib.* 3. *pag. m.* 292.

LEX DECIMA QUARTA.
SI QUIS PECUNIIS MUTUO ACCEPTIS ABSQUE SYNGRAPHO SE DEBERE NEGET INTERPOSITO JURAMENTO A DEBITO ABSOLVATUR.

Diodor. Sicul. lib. 1. *Bibliothec.*

I. Leges has de commerciis a Bocchoride latas aſſerunt Scriptores. Vid. *Athanaſ. Kircher. in Oedip. Ægypt. Syntagm.* 2. *fol. m.* 122. *edit. Rom. Robinſon. in annal. Mund. edit. Londin.* Legiſlator hujus legis vocatur *Bocchoris*, Saites, Ægyptiorum Rex, qui anno Mundi 3237. regnaſſe dicitur. Vid. *Eduard. Simſon. Chron. Cathol. part.* 3. *fol. m.* 42. *edit. Oxon.* De hoc *Diodor. Sicul. lib.* 1. *Bibliothec.* hæc refert: *Regnum ſuſcepit Bocchoris, corpore exili & deſpeƈto, ſed ingenio & prudentia ante ſe regibus præcellens.* Plutarchus in vit. Demetr. judicium Bocchoris commemorat. Celebratur Bocchoris, tum ob prudentiam, tum ob juſtitiam, ita ut cognomen τȣ̃ Σοφȣ̃ meruerit. *Diodor. lib.* 1. Legiſlator erat prudens & ſolers. Ille fertur, Conſtituta de regio munere & de exaƈto Contraƈtuum modo præſcripſiſſe. In judiciis adeo perſpicax fuit, ut multa ejus Decreta propter excellentiam ad noſtra uſque (Diodori) tempora memorentur. Inter quæ etiam hoc ediƈtum; quod Diodorus ita recenſet: Προςάττȣσι τȣ̀ς μὲν ἀσύγγραφα δανεισαμένȣς, ἂν μὴ φάσκȣσιν ὀφείλειν, ὀμόσαντας ἀπολύεσθαι τȣ̃ δανείȣ, i. e. *Mandatur, ut ſi quis, pecuniis mutuo acceptis abſque Syngrapho, ſe debere neget, interpoſito juramento, abſolvatur a debito.* Quam legem uberius declarare volumus.

II. In hac lege examinanda vox δανεισαμένȣς, mutuo dantes. *Theophilus* & cæteri omnes Græci Juris interpretes, MUTUUM Latinorum per δάνειον reddunt. Et reƈte id quidem. Quod ſine uſura mutuum datur ita proprie dicendum. Qui enim putant δανείζειν eſſe fœnore dare, falſi ſunt. Nihil quippe eſt aliud, quam mutuum dare, & quidem ſine uſuris. Id enim olim mutuum quod ſine uſura dabatur. Imo δανείζειν eſt ſimpliciter dare, largiri egenti, commodare. Nec aliter ea voce uſi ſunt LXX. Interpretes, quam pro ſimplici abſque uſuris mutui datione, ut Exod. XXII. *Si mutuum dederis fratri tuo egeno, qui apud te eſt, non impones ipſi uſuram.* Ἐὰν δὲ ἀργύριον ἐκδανείσῃς τῷ ἀδελφῷ τῷ πενιχρῷ τῷ παρὰ σοι, ȣ̓κ ἔσῃ αὐτὸν κατεπείγων, ȣ̓κ ἐπιθήσεις αὐτῷ τόκον. Ergo ἐκδανείζειν eſt mutuum ſine uſura dare. Autor libr. Siracid.

cid. hoc verbum ita ſemper accipit de mutui datione citra uſuras ; ut c. XXIX. Ita etiam *Luc. cap.* VI. accipitur, Confer. *Chriſtophor. Binder. libell. de uſur. edit. Tubing.* 1616. qui mutui tres modos recenſet, quorum primus eſt, ut gratis abſque ſpe emergentis lucri ſublevemus proximi neceſſitatem operibus miſericordiæ. Secundus eſt, ut detur mutuum, ſic tamen ut proximus teneatur, conſtituto termino, loco & tempore ſatisfacere, tantumque reddere, quantum accepit. Tertius modus in mutuo eſt, ut ſi debitor non ſit ſolvendo, non evertas ejus ſubſtantiam.

III. Cum igitur inter mutuo dantem & mutuo accipientem pactum eſſet, ut pecunia mutuo data redderetur, & facile fieri poſſet, ut Debitor Creditori pecuniam negaret; hinc ſub teſtibus pecunia credebatur mutua aut chirographo aut ſyngrapha, & ita cavebatur de reddenda pecunia. Probabile eſt veteres non aliter pecuniam credidiſſe, quam pluribus teſtibus præſentibus, aut ſub cautione chirographæ vel ſyngraphæ. Si ſcripto caveretur, non opus erat teſtibus, niſi qui ſyngrapham ſubſcriptione ſua firmaret. Differebant autem ſyngraphæ a chirographis vel eo diſcrimine, quod non ſicut in chirographis debitor ipſe fatebatur ſe accepiſſe pecuniam, ſed exponebatur in ea, quid inter utrumque conveniſſet de ſorte aliiſque debiti conditionibus, item de pignoribus & hypothecis, ſub quibus pecunia eſſet credita, eo plane modo, quo narratio hiſtorica narrari ſolet. Unde & συγγραφὴ nuncupata, quo nomine Græcis vocabatur hiſtoriæ conſcriptio. Hinc συγγραφεῖς hiſtoriarum ſcriptores. Ita igitur formabatur : LUCIUS TITIUS MUTUO DEDIT CAJO SEJO DECEM MILLIA NUMMUM NUMERATA DE DOMO, VEL DATA EX SCRIPTURA MENSÆ, SUB USURIS CENTESIMIS, EA CONDITIONE, UT POST NAVIGATIONEM PERACTAM, QUAM CAJUS SEJUS IN AFRICAM DESTINAT, UBI NAVIS SALVA IN PORTUM REDIERIT, EA SUMMA SIBI CUM USURIS DE QUIBUS CONVENIT RESTITUATUR, SUSCEPTO IN SE PERICULO TOTIUS NAVIGATIONIS. QUOD ITA FIERI PROMISIT CAJUS SEJUS. Neutrius manu ſcripta, ſed utriuſque manu ſignata, utrique contrahentium ſervanda dabatur ſyngrapha. Et inde fortaſſe dicta ſyngrapha ſcriptura inter duos, quæ & duobus ſervanda daretur.

IV. Quatuor autem modis pecunia mutuo danda ante *Juſtinianum* in creditum ibat, deque ea reddenda creditori cavebatur : Per *ſtipulationem* ſine ſcriptura, per tabulas nomine facto, per chirographi cautionem, & per SYNGRAPHAM. Quos quatuor modos his verbis *Seneca lib.* 3. *de Benefic.* comprehendit. *Sed neceſſaria optimis prætulerunt, & cogere fidem quam ſpectare malunt. Adhibentur ab utraque parte teſtes : ille per tabulas plurium nomina interpoſitis parariis facit : ille non eſt interrogatione contentus, niſi reum ſua manu tenuit.* Teſtes adhibiti tantum in *ſyngraphis* qui ſignarent. Paulo infra idem : *O turpem humano generi fraudis ac nequitiæ publicæ confeſſionem! Annulis noſtris plus quam animis creditur. In quid iſti viri ornati adhibiti ſunt? In quid imprimunt ſigna? nempe ne ille nuget accepiſſe ſe quod accepit. Hos incorruptos viros & vindices veritatis exiſtimas? At his ipſis ſtatim non aliter pecuniæ committentur.* Signatores lib. II. vocavit : *Quidam nolunt nomina ſecum fieri, nec interponi pararios, nec ſignatores advocari, nec chirographum dare.*

V. Teſtes iſti ſignaturi non adhibebantur chirographo, ut ex hoc loco conſtat & ex *leg. unic. Cod. Theodoſ.* ſi certum petatur de chirographis. Privata enim ſcriptura manu debitoris facta, quæ teſtium ſubſcriptione non firmari ſolebat ante Juſtiniani conſtitutionem. Sed nec tabulis, per quas nomina fiebant, Signatores adhiberi ſoliti, quibus tabulis fides habebatur ſine teſtibus.

VI. Reſtat ut ad ſolas *Syngraphas* advocati fuerint. Quod verum eſt. Cautiones & *Syngraphas* alio loco ſimul commemoravit idem *Seneca lib.* 2. *de Benef.* ubi cautiones pro chirographis accipi demonſtrat cl. *Claud. Salmaſ. in lib. de Uſur. edit. Lugd. Batav. pag. m.* 146. Qua forma concipi ſolerent *Syngraphæ* §. 3. docuimus. Hæ ſubſcribebantur tribus teſtibus, ut ex *Syngrapha Androclis* de pecunia trajectitia videre eſt apud Demoſthen. in ea πρὸς τ̀ Λακρίτȣ παραγραφὴν. Hæ Syngraphæ tabellionis etiam manu conſcribi ſolitæ, utrique parti ſervandæ dabantur, uti paulo ante dictum. *Obligationes* eas vulgo vocitamus, quia debitorem obligant, & actio ex his in eum datur, ſtatimque ad ſolvendum compellitur, vel pignoribus captis, quod non licet in ſimplici chirographo. Nam prius ſcripturam ſuam in judicio agnoſcere debet aut inficiari. Si agnoſcat, ad ſolutionem compelletur. Si inficiabitur, & probet creditor, condemnabitur ; ſi non probet, liberabitur. In chirographo locum etiam habuit exceptio non numera-

tæ pecuniæ, ut passim videre est in Cod. Tit. *de non numerata pecunia*, quod tamen in *Syngrapha* potius debuit, ex ejus definitione quam Asconius attulit. Cum enim chirographo accepta tantum pecunia caveretur, numeratam etiam oportuit. Atque ita olim, postea, ut videtur, æque chirographis non numerata caveri cœpit, ut *Syngraphis*. Non tamen hoc inde explicandum.

VII. Quemadmodum enim *Apocha*, quæ chirographo respondet, nulla erat, nisi probaretur solutio facta per numerationem, ita chirographum, si probaretur non facta numeratio, nihil valebat. Quippe quod non consisteret, nisi numerata pecunia esset. Nam hoc de essentia chirographi, ut in eo tantum, quæ gesta sunt, ut ait *Asconius*, scribi soleant. Si igitur in eo scribatur pecunia numerata, quæ non numerata sit, vitiosum instrumentum & nullum. At in *Syngrapha* aliud fuit. Etiam in hac contra fidem veritatis pactio interposita obligabat debitorem, & quamvis non numerata pecunia pro numerata tamen ut haberetur, inter contrahentes convenerat, cui conventioni standum erat. Vid. plur. different. *Jacob. Ravardi Comment. de divers. reg. jur. pag. m. 94. 95. edit. Antverp.* 1568. *Johan. Coras. Miscell. jur. lib.* 1. *cap.* 18. *pagin.* 61. *edit. Colon. Agripp.* 1581. Testes in ea subsignabant tres, & utrique parti servanda tradebatur.

VIII. Has Syngraphas non solum dedisse eos qui commercia inter se habebant, sed etiam alios, imo amatores constat. Hujus scitum & elegans syngraphi inter adolescentem amicam, & lenam conscripti exemplum a *Barnaba Brisson. lib.* VI. *de formul. pag. m.* 557. quod plurimas leges continet. Ejus ipsa verba, quæ ita incipiunt,

DIABOLUS NICLAUCI FILIUS CLERETÆ
LENÆ DEDIT DONO ARGENTI VIGINTI MINAS.

citato loco legenda. Si quis igitur aliquid mutuo dedisset, vel mutuo accepisset, tunc semper syngraphæ tradebantur, ut utraque pars falli non posset. Hinc recte *Bocchoris* statuit, quod, *si quis pecuniis mutuo acceptis absque syngrapho se debere negaret, juramento res decidatur, quo præstito a debito absolvatur*. Voluit enim prudens Legislator hac lege indicare, ut syngraphæ dentur, ne alter, qui pecuniam absque syngrapho mutuo accepit, ansam habeat negandi illam. Ut autem lis & controversia inter has personas dirimatur, sanxit, ut pars negans se juramento purgaret, quo facto, absolvebatur a debito, & rationes addit *Diodorus* loco citato, quod nullus tam maledicti animi esset, qui juramentum ob hanc rem falsum deponere velit; itaque addit: primum ideo ut jurisjurandi religionem magnifacientes Deum revereantur: cum enim manifestum sit, quod sæpius dejerans fidei jacturam faciat, unusquisque, ne hoc emolumento privetur, maximopere cavebit, ne ad juramentum deveniatur. Hinc *Metellus* Romanus maluit urbe ingratæ cedere & exul a Patria vivere, quam pejerando Deorum vindictam, omnium bonorum indignationem & ipsius veritatis censuram incurrere, sapienter admodum censens peccare pravorum esse ingeniorum, recte facere sine periculo vulgarium, at egregios animos a justo honestoque nullis aut præmiis aut minis dimoveri. Vid. *Appian. de bell. civ. l.* 1. *Grot. de J. B. & P. l.* 2. *cap.* 13. §. 3. *Supplem. Liv. Freinsh. l.* 69. *cap.* 14. Deinde & hoc animum Legislator *Boccheris* induxit, si fidem in vitæ integritate totam constituat, cunctos ad morum probitatem invitatum iri, ne tanquam fide indigni infamentur. Iniquum præterea judicabant, quibus citra juramentum fides habita esset, his de eodem contractu juratis fidem denegari.

LEX DECIMA QUINTA.
AT PER INTERVENTUM SYNGRAPHÆ FOENERANTES, ULTRA DUPLUM PER USURAM AUGERE SORTEM VETABAT.

Diodor. lib. 1. Bibliothec.

I. Aliam legem præscripsit prudens Legislator Bocchoris injustis foeneratoribus, qui summa injuria usuram extorquebant a debitoribus, quando ita edicit: Τὺς δὲ μετὰ συγγραφῆς δανείσαντας ἐκώλυε διὰ τῦ τόκυ τὸ κεφάλαιον, πλεῖον ποιεῖν ἢ διπλάσιον. i. e. *At per interventum syngraphæ fœnerantes, ultra duplum per usuram augere sortem vetabat*. Qui igitur pecuniam dabant ad interesse, foenus quærebant, & usuras. Mutuum duplicis generis est. Anum, quod proprie mutuum vocatur, quod sine usuris datur, quale Araboes vocant عوض a commutatione. Et inde verbum عوض *mutuum dare*. Alterum cum usuris, quod est *fœnus* Arabibus قرض Et verbum أقرض *fœnerari* ab arrosione vel detractione & abrasione. Prius illud δάνειον ἄτοκον Græcis

cis dicitur; alterum δάνειον ἐπίτοκον vel ἔντοκον. Hoc loco non prius, sed posterius intelligitur, quippe τόκοι mercedes sunt, quas aliquis solvit pro usu pecuniæ, quam ab alio accepit utendam mutuo. At autem sciamus quid foenus sit, hanc damus definitionem: *Fœnus est mutui datio cum usurarum stipulatione legitimarum pro creditæ rei qualitate & contrahentium conditione*.

II. Hinc gratuitum opponitur fœnori apud *Svet. in Jul. Cæsar. Omnibus gratuito, aut levi fœnore obstrictis*. Et passim in Jure *pecunia fœnebris* dicitur, & opponi solet *gratuitæ pecuniæ*. Mentio fit *fœnebris leg.* IX *D. de usuris*: *gratuitæ* multis locis, ut leg. VIII. D. in quibus causis & alibi. Vetabat autem lex ut *fœnerantes ultra duplum per usuram augerent sortem*. Origo autem prima usurarum & causa fuisse videtur, ut qui pecuniam accepisset mutuam, nisi intra certum tem pusredderet, pro moræ pretio usuras ejus penderet. Hujusmodi mutuæ pecuniæ stipulationes sub pœna usurarum, nisi ad diem sors solveretur, conceptæ, ita frequentes in Jure occurrunt, ut nihil frequentius sit. Hinc genus usurarum pœnalium a quibusdam legulejis inventum. Sed etsi non in stipulatum expresse ita deductæ sint, tacita tamen omnis usura, moræ solutionis pœna est. Usuræ enim, ut dixit *Paulus*, in libro singulari de usura leg. XVII. D. eodem, non propter lucrum petentium, sed propter moram solventium infliguntur. Atque inde certe *fœnus* ex Græco φοῖνος, quod idem est ac ποινή, dictum videri, præter alias rationes, maxime debet. Sed & ποινὴ etiam pro mercede, quo sensu etiam usura est poena, i. e. merces pro usu.

III. Priusquam autem ad alia progrediamur, usuræ nomina Hebraica, Arabica & Græca examinabimus. Arabes usuræ quoddam genus vocant نسيئة quæ ex mora solutionis pretii debetur pro re vendita, a verbo نسا & انسا quod est, non præsenti pecunia vendere, sed tempore dato ad solvendum, & pacto interusurio medii temporis, Hebræis נשה quod *oblivisci* inter alia significat. Quorum enim obliti sumus, & in longum protrahuntur tempus, nec præsentia se nostræ memoriæ sistunt. Ita ergo iidem Arabes in jure suo distinguunt نقد & نسيئة *Nesia* & *Nood*. Hoc posterius enim repræsentatum in venditione pretium denotat, prius illud dilatam ejus solutionem, sed usura constituta. Quam usuram ideo discernunt a فضل, quæ proprie est usura ex mutui causa. Græcis Latinisque non licet esse tam disertis: nam illi nullum habent vocabulum præter τόκον, quo utitur etiam Legislator *Bocchoris*; isti quoque nullum præter *usuram*. Sic appellant *Latini* quicquid accessionis vice debetur ex quacunque causa.

IV. De Græca voce τόκος nunc videndum. Græci, ut notum est, usuram τόκον appellant, quæ proprie γένεσιν & generationem significat, sive partum. Quod igitur nummus nummum parit, ut pater sibi similes liberos, inde usura τόκος, vel potius a multiplicatione: nam & generatio multiplicatio est. Hinc & Chaldæis usura רביהא. Arabes ab eadem causa & origine ربا & Hebræi similiter הרבית. vid. *Christoph. Binder. libell. de usuris pag. m.* 13. *edit. Tubing.* 1616. LXX. Interpret. πλεονασμὸν verterunt, atque usuram vocarunt, ut in *Levit.* XXV. Καὶ ἐπὶ πλεονασμῷ ὀ δώσεις, pro ἐπὶ τόκῳ. Et alibi passim, ubi in Hebræos est הרבית, Latini quoque accessionem pro *usura* dicunt. Ut *leg.* XII. *Cod. de usuris*: Frumenti vel hordei mutuo dati accessio etiam ex nudo pacto præstanda est. Et sane quid aliud est usura, quam crescentis in dies singulos pecuniæ accessio? ut dicitur in *lege* XVIII. *Cod. Theod.* de lustrali conlatione. Quo sensu & alibi in Jure aliquoties occurrit nomen accessionis. Alii vocant *incrementum*, ut *Isidor.* qui usuram incrementum esse definit, ut Arabes فضل i. e. accessionem, excessum & additamentum. In eodem tamen Ezechiel πλεονασμὸς & τόκος distinguuntur: Τόκον καὶ πλεονασμὸν οὐκ ἔλαβε, ubi πλεονασμὸς in Hebræo est תרבית *Tarbith*; τόκος vero est נשך *Neschech*. Similiter & in Levitico cap. XXV. & XXXVI. Οὐ λήψη παρ' αὐτοῦ τόκον οὐδὲ πλεονασμὸν, legitur quidem in Græco nunc, οὐδὲ ἐπὶ πλήθει, sed in Hebræo est תרבית. Et paulo post πλεονασμὸν reddit, quod in Hebræo est מרבית *Marbith*, quod est ab eadem origine.

V. Ex quibus patet πλεονασμὸν & τόκον esse synonyma, ut & Hebræis תרבית & נשך Quod si junctim ponuntur, non recte inde colligitur, invicem differre, quæ diverso respectu eadem sunt. Nam תרבית usura est quantum ad creditorem, quia ad sortem ei accedit, & opes ejus amplificat: נשך *Neschech* autem quantum attinet ad debitorem; & ita dicta est usura ex parte debitoris, quia veluti quodam

dam morſu deterat atque oblimet ejus facultates. Vid. *Chriſtophor. Binder. libell. de uſuris pag. m.* 13. *edit. Tubing.* 1616. Qua igitur incrementum eſt pecuniæ creditoris uſura, תרבית nomen habet; qua detrimentum eſt debitoris appellatur נשך *Neſchech*, ut ἀπȣσία hoc quod abſcedit & abeſt a ſumma; ita e contrario παρȣσία pro facultatibus & copia vel abundantia Græcis ponitur, uti videre eſt apud *Harpocrationem*, qui idem eſſe dicit, quod περιȣσίαν, & interpretatur τὴν αὐτίαν, πλȣ̃τον, ȣ̓σίαν. Ita *Demoſthenes*, ita *Dinarchus* ea voce uſi ſunt. Etiam Menander in his verſibus:

---- ---- ἔχοιτες ἀπαθῆ βίον
Παρȣσίαν τε χρημάτων.

נשך *Neſchech* plane eſt ἀπȣσία, תרבית *Tarbit* παρȣσία. Arabes quoque uſuram قرض *Kertz* vocant a morſu. Nam verbum قرض eſt arrodere & detrahere ab Hebræo קרץ quod ſuccidere & amputare ſignificat, & Chaldæi pro calumniari & criminari uſurpatur, quo faciunt ſcil. alienæ famæ adroſores, qui detrahere & detrectare iis dicuntur quorum famam imminuunt. Qua in ſignificatione & carpere & mordere Latinis accipitur, ut apud *Terentium* & *Horatium*. Uſura autem mordet debitorem, dum ſenſim facultates ejus adrodit. Quantum quippe addit fœneratori, tantum demit ac detrahit debitori, metaphora ſumta a flumine, qui ſenſim abradit ripam alteram, ac diminuit, alterique per alluvionem addit.

IV. Onkelos in loco illo Levitic. נשך Neſchech vertit חבוליא quo nomine uſuram vocant Chaldæi, a verbo חבל quod eſt *deſtruere*, *perdere*, atque etiam *incidere* & excidere. Unde מחבל cui ademti ſunt teſtes, caſtratus. Contrario ſenſu iidem uſuram etiam appellant רבירה *Ribitha*, ab augendo & adjiciendo. Atque ita item *Onkelos* reddidit, quod in Hebræo eſt תרבית, *Saadias Gaon* in ſua paraphaſi Arabic. ربا *Riba* vertit, quod eſt proprie augmentum & incrementum. At illud נשך, quod a morſu ac per morſum diminutione derivatum eſt, Arabice dixit عينة quod uſuram quidem Arabibus notat, ut & ربا *Riba*, non illam tamen adcreſcentem, quæ creditorem reſpicit, ſed decreſcentem, quæ ſpectat debitorem. Nam عينة *defluxum* denotat, a verbo عان inde عينة & عين uſura, qua pecunia defluit debitori ut creditori adfluat. Hinc verbum عين *fœnerare*. Sed & عين التاجر h. e. fœnerare emptorem, de eo dicunt, qui mercem emtori dedit certo ad pretium ſolvendum ſtatuto tempore, a quo mercem eandem poſtmodum recipit pretio minore, quam quanti vendidit. In quo eſt detrimentum & ἀπȣσία emtoris, ut Græci vocant, quod eſt proprie عينة. Sed & arbores cum flores aut folia producunt عين dicuntur. Quæ omnia ab eadem origine. Joſephus Tavoſius interpres Perſa pro נשך Neſchech reddit سود quod eſt Perſice lucrum, uſura, idemque quod Arabicum قرض & pro תרבית سلف quæ vox eſt Arabica idem cum عينة ac pro uſura etiam ſumitur. Alter interpres Arabs, quem cl. *Erpenius* edidit, pro נשך *Neſchech* Hebræo poſuit رشاء Certe Chaldæis רשא *fœnerari* & δανείζειν ſignificat, & רשו uſuram. Id verbi tamen iiſdem Syris Chaldæiſque pro carpere, accuſare ponitur, ut & קרץ, unde etiam קרץ pro uſura Arabibus.

Alias رشوة Arabibus munus eſt merces, quæ datur pro opera præſtita.

VII. Videndum nunc an & Græci ſimiliter Interpretes æque bene reddiderint, vertendo τόκον καὶ πλεονασμόν. Non ſane videtur; Etenim τόκος reapſe idem quod πλεονασμὸς, quatenus fœtura res multiplicantur & augentur. Et Ariſtophanes in Nebul. τόκον ita deſcribit:

---- ---- τȣ̃το δὲ ἐσθ' ὁ τόκος τί θηρίον;
Τί δὲ ἄλλο γ', ἢ κατὰ μῆνα καὶ καθ' ἡμέραν
Πλέον πλέν τἀργύριον αἰὲ γίνεται,
Υπορρέοντος τȣ̃ χρόνȣ.
---- ---- *Et iſta uſura qualis bellua eſt?*
An alia, quam in menſes dieſque ſingulos
Subinde major facta cum pecunia
Majorque, ſuevit tempore ipſo increſcere?

Per illa πλέον πλέον τἀργύριον αἰὲ γίνεται plane πλεονασμὸν deſignavit; At id τόκος eſt. Ergo proprie hoc תרבית non נשך quod

quod abradendi, arrodendique, ac proinde diminuendi ac deterendi habet significationem, non addendi aut multiplicandi. Non igitur recte expresserunt vim utriusque nominis Hebraici, quod diverso respectu & ratione eandem rem designat. Sed in causa fuit Græcæ linguæ hac in parte inopia, qui vocem non habuerunt, qua illud נשך *Neschech* exprimerent, quam τόκον, quæ usura quidem est, sed non ea quæ debitorem pauperat, verum quæ fœneratorem ditat. At illud תרבית *Tarbit* non aliter ad verbum reddere potuerunt quam per πλεονασμόν, qui reapse idem cum nomine τόκος, qua ἀργύριον ἀεὶ πλέον πλέον γίνεται. In lege hac usurpat quoque Legislator τόκον, quæ ex pecunia credita cum damno debitoris novum pariens fœtum, multiplicatum eum reddit creditori.

VIII. Ex his jam dictis satis elucet, qualem usuram prohibeat Legislator, nempe mordentem & ultra duplum se extendentem. Non autem æstimandum ac si usuræ tantum essent in pecunia, uti quidam putant, sed de aliis quibusvis rebus quæ augmentum addere possunt. Trahitur eadem vox generali significatione nonnunquam ad omnes contractus, circa quos iniquitas committitur, ut sit idem *Usura*, quod iniquum, cum justitia pugnans; ut qui rem locat, & præter morem receptum pecuniam, seu mercedem exigit: qui vendit adulterinas merces, scoriam pro argento, vinum mixtum aqua, Esai. I. 22. quisquilias frumenti, seu paleas, imminuens mensuram, & augens siclum, & supponens stateras dolosas, Amos. VIII. 5. 6. 7. in permutationis, emtionis, venditionis contractu, item pignoribus, si quis alterum quovis modo decipiat vel defraudet: hi omnes vulgo USURARII dicuntur, quæ tamen locutio impropria est.

IX. Proprie loquendo contractum mutui non egreditur *usura*, ac *mutuando* unice fit, si videlicet aliquid sorti accedat, vel ex pacto illicito, vel intentione corrupta, solum mutui officium respiciente, vel utroque, ex parte Creditoris, qui non mutuasset, nisi spes lucri intercessisset. Spe enim & expectatione committitur *vitium usurarium*. Nam res, in qua *Usura* committitur, est *mutuum*, de quo lucrum gignitur. Est igitur usura lucrum illicitum supra sortem, per pactum ex mutuo debitum vel exactum, aut etiam ex intentione speratum: unde sequitur vel gravamen manifestum, vel morsus clandestinus proximi, per quem sensim & lente in bonis suis tabescit, donec tota ipsius substantia convertatur in debitum, ut *Chrysostom. in cap.* V. *Matth.* loquitur. Inde colligitur, etsi alias ex conventione contractus legem accipiant, & quis licite accipere possit, quod voluntarie datur: usuram tamen modo descriptam, ratione pacti & contractus de sui natura illicitam, quam contrahentes facere licitam nunquam possunt: Pugnat enim cum justitia, quæ suum cuique tribuit. Vid. *Christoph. Binder. libell. de usur. pag. m.* 17. In hoc sensu conveniunt Patres, Scholastici & Jureconsulti, quorum omnium sententia est, in *contractu mutui* esse illicitam usuram. Patres unanimi quasi voto pronunciant, usuram esse quamcunque superabundantiam, sorti accedentem, uti videre est apud *Hieronym. in Ezech. & Augustin. in Psalm.* XXXVI. Hostiensis in Summa sua usuram sic describit: Usura est, quodcunque solutioni rei mutuatæ accedit, ipsius rei usus gratia, pactione interposita, vel hac intentione habita in contractu, vel exactione habita post contractum. Thomas secunda secundæ quæst. 78. quicquid ultra justum pretium exigitur, est pretium quasi mutui, quod pertinet ad rationem usuræ. Unde Jurisconsulti definiunt usuram, quod sit lucrum ex mutuo debitum, vel exactum pacto. Verum hæ generalitates illicitam usuram non satis declarant. Ad agnoscendum ergo virus *Usuræ* in mutuo, traditur communis regula a Doctoribus. Tum enim sapit usuram mutuum, quando is, qui res suas exponit, nulla habita ratione facultatum *proximi*, *fratris*, *pauperis*, *viduæ*, *pupilli*, quas suas facere unice studet, ob solam mutuationem, sine alia justa causa LUCRUM quærit: cum potius charitatis lege, necessitate proximi permoveri deberet. Nec moderationem adhibet, sed ex alterius necessitate summum sperat LUCRUM. Hinc *usura* vere & proprie censetur, quando in mutuo non agitur hoc, ut sublevetur inopia proximi, nec curatur quomodo illi qui accipit cedat, sed tantum quæritur LUCRUM & COMMODUM MUTUANTIS, & sequitur gravamen manifestum & eversio bonorum proximi vel morsus clandestinus. B. *Brentius quondam in hac Academia Profess. celeb.* non male definit *Levit.* XXV. Usuram esse ubi præter sortem aliquid solvitur propter mutuationem.

X. Hæc usura in sacra Scriptura acriter damnatur, utpote res pugnans cum fide, charitate & timore Dei. *Levitic.* XXV. 35. 36. Non accipies usuras a fratre tuo נשך ותרבית neschech & tarbit, τόκον καὶ πλεονασμόν. Ubi enim Helleni-

stæ

ſtæ proprie נשך τόκον reddant, non inde ſequitur תרבית aliud eſſe genus ab uſura diverſum. In Deut. cap. XXIII. נשך tam de uſura pecuniæ, quam de uſura cibariorum dicitur: vide cl. *Salmaſium de uſuris pag. m.* 612. 613. 614. 615. ſeqq. Damnat etiam uſuram *Pſalm.* XV. I. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? qui pecuniam ſuam non dedit בנשך *ad merſum*. Ergo qui pecuniam ſuam dant ad uſuram, & tanquam ſerpentes mordent ſubſtantiam proximi, non habitabunt in monte Dei. *Ezech.* XVIII. 13. Vir qui genuerit filium nebulonem, qui dederit ad uſuram & augmentum acceperit, moriendo morietur. *Ezech.* XXII. 12. Uſuram & ſuperabundantiam accepiſti, meique oblita es: ſed nemo niſi incredulus Domini Dei benefactoris ſui obliviſcitur. *Luc.* VI. 34. 35. Mutuum dantes nihil inde ſperantes, & eritis filii Altiſſimi. Ergo *Uſurarii* non ſunt filii Altiſſimi, ſed membra Diaboli, *Pſalm.* 91. I. Beatus qui proſpicit egeno in die quo malum ei ingruit: ſed hoc non agunt *uſurarii*. Ergo maledicti ſunt. Confer. *Henric. Salmuth. ad Panciroll. part.* I. *pag. m.* 58.

XI. Audiamus Hebræorum ſententias de uſuris, quas doct. Anglus *Henric. Ainſvvorth. Commentar. in Exod.* XXII. *fol. m.* 88. *edit. Lond.* retulit ex *Maimon. tract. de creditor. & debitor. cap.* 4. 5. 6. quando verba Hebraica Anglicano idiomate ita profert: *And vvhy is the name of it called* נשך *bitting uſurie? becauſe it* (נשך) *bitteth; for it nippeth thy neighbour, and eateth his fleſh. As it is unlavvfull to lend, ſo it is unlavvfull to borrovv upon uſurie, for it is vvritten* (in Deut. XXIII. 19.) *thou ſhalt not cauſe to bite, (that is, to lend upon bitting uſurie) by tradition vve have beene taught, that this is an admonition to the borrovver, &c. Likevviſe it is unlavvfull to have ought to doe betvveene the borrovver and the lender upon uſurie: and vvhoſoever is either ſuretie or ſcribe, or vvitneſſe betvvene them, he tranſgreſſeth againſt this prohibition. Yee ſhall not lay upon him bitting uſurie* (Exod. XXII. 25.) *this is an admonition to the vvitneſſes alſo and to the ſurety and to the ſcribe. He that lends upon uſurie tranſgreſſeth againſt ſix prohibitions. Thou ſhalt not be to him as an exacting creditor.* Exod. XXII. 25. *Thou ſhalt not give him thy mony upon uſurie.* Levit. XXV. 37. *Thou ſhalt not give him thy victuals for increaſe.* Levit. XXV. 37. *Thou ſhalt not take uſurie of him or increaſe.* Levitic. XXV. 36. *Yee ſhall not lay uſurie upon him.* Exod. XXII. 25. *And thou ſhalt not put a ſtumbling bloke before the blinde.* Levit. XIX. 14. *And the borrovver tranſgreſſeth againſt tvvo; Thou ſhalt not cauſe to lend upon bitting uſurie.* Deut. XXIII. 19. *And thou ſhalt not lay a ſtumbling blocke before the blinde.* Lev. XIX. 14. *The ſuretie, vvitneſſes, and ſuch like tranſgreſſe againſt this; yee ſhall not lay uſurie upon him. VVhoſoever borrovveth or lendeth upon uſurie, are like unto them that deny the name of the God of Iſrael, and deny the comming out of Egypt; as it is vvritten: Thou ſhalt not give him thy money upon uſuris,* &c. *I am the Lord your God,* &c. Levit. XXV. 37. 38. *It is unlavvfull to take uſurie before or after. As one intending to borrovv of a man ſends him a gift to the end that he may lend unto him: this is uſurie afore hand. Or he hath borrovved of a man, and paid him againe, and ſends him a gift for his money vvhich he had of him for nought: this is after uſurie. VVho ſo borrovveth of his neighbour, and vvas not vont in former time to ſalute him firſt, it is unlavvfull for him to ſalute him firſt (& I need not ſay to praiſe him) for it is vvritten, Uſurie of any vvord (or thing)* Deut. XXIII. 19. *Though they be but vvords, they are unlavvfull. Likevviſe, it is unlavvfull for the borrovver to learne his lender to reade,* &c. *all the vvhile his money is in his hand, if he vvere not vvont to doe it before, as it is ſaid, Uſurie of any thing. It is unlavvfull to let out money to hire, as they doe other things,* &c. *He that lendeth to his neighbour, and conditioneth vvith him to dvvell in his courtyard for nought untill he pay him vvhat he hath borrovved; or that hireth a thing of him for leſſe then it is vvorth till he pay him,* &c. *this is uſurie ---- A bill for uſurie, the principall may be required by it, but not the intereſt.*

XII. Ex his *Maimonidis* verbis conſtat, quomodo ſe creditor habere debeat, nempe ut nullam mordentem uſuram capiat, alias ſi contra ageret, peccaret. Et hi potius qui duplum poſtularent. Hoc reſpexit Lex *Ægyptiorum*, *quæ vetat duplum pro uſura augere ſortem*. Hæc enim eſt damnoſa utilitas & pernicioſa inæqualitas, contra rationem, ordinem charitatis, ſecundum quam homo proximo indigenti ſubvenire debet, & quoties mutuationis officium exercetur ea intentione, non ut ſublevetur inopia proximi, ſed ut pecunia multiplicetur, peccatum eſt. Quod ſi nominatim id lucrum in mu-

mutuo prohibitum eſt, quod in fraudem cedit proximi, quod mordet, quod trucidat pauperem, ut Auguſtinus ad Macedonium loquitur: ergo lucrum ſine proximi incommodo, imo cum ejus commodo paratum, aut requiſitum, iniquum nullo modo erit. Non enim abſolute omnem retributionem prohibet, ſed *duplum*. Si debitor creditori aliquid ſolvat retributionis loco ſine peccato recipi poſſe ſtatuitur, modo intentio mala lucri ex officio mutuationis abſit. Nullam enim maculam oblatio ſuſcipienti ingerit, quæ non exigentis illicita immodica pactione proceſſit: quin imo ob charitatem principaliter mutuanti, ſecundario debitor naturaliter ad *ἀντίδωρον* obligatus videtur. Charitas namque reciproca eſt.

XIII. Si enim naturaliter obligatus eſt ob officium mutui & lucrum acquiſitum ſalva conſcientia intervenire poteſt ſtipulatio de retribuendo, non honorarii tantum loco, ſed etiam ob temporarium uſum pecuniæ alteri conceſſæ: ita tamen ut modice fiat, non per morſum, illæſis charitatis limitibus, abſque deſtructione ſubſtantiæ proximi: modum autem ſtatuunt leges politicæ. Denn wer hat beſſere macht/ ſein eigen geld zu nieſſen/ dann der/ dem es eigenthumblich zuſtehet. So Kan er nun die nieſſung deſſen pro æquabili compenſatione einem andern bergoennen. In mutuo igitur ex meo tuum fit, non ſimpliciter, ſed cum conditione compenſationis lucri ceſſantis, & damni emergentis, quam charitas requirit. Et hoc officio Chriſtiano non eſt contrarium, alium juvare, ut te ſerves indemnem. Quod ſi autem debitor pecunia mutuato lucraretur, nihilque refunderet Creditori, non faceret, quod charitatis eſſet: cum natura quemque gratum animum ad *ἀντίδωσιν* trahat. Et hac ratione uſuræ ſunt congrua & æqualis compenſatio temporarii uſus alienæ pecuniæ. Nullum hic lucrum ſupra ſortem exactum, proprie, ſed æſtimatio uſus ſortis conſumtæ, cum damno creditoris.

XIV. Non accuſandi ſunt Legumlatores iniquitatis, ob conceſſionem moderati lucri; ſed modum tolerabilem, æquum & charitati convenientem, quo uterque ſibi obſtringitur, & mutuo dans, & mutuo accipiens, per leges definivere: quibus uſuræ compenſatoriæ, interuſurii medii temporis, vel damni emergentis, moderatæ, & ad legitimum, atque æquabilem modum reductæ fuere: pariter ut fit in venditione, ubi non ſimpliciter verum eſt, licere cuivis ſuam rem vendere quanti voluerit. Nam ſi excedat pretium, dimidiam partem juſti, venditio lege civili reſcinditur. Quod igitur leges civiles ſecundum rectam rationem ſtatuunt, eo pii bona conſcientia uti poſſunt. Debet Legiſlator, tanquam communis Reipubl. parens, non ſolum crimina prohibere, ſed etiam in commerciis iniqua lucra & damna arcere, & in his ita moderari rationem contractuum, ut primum æquabile, deinde probabile ſit commercium. Ideo dicit Imperator *C. l. 9. tit.* 32. *de uſuris*. Super uſurarum vero quantitatem generalem ſanctionem facere, neceſſarium duximus, veterem duram & graviſſimam earum molem ad mediocritatem deducentes.

XV. Non ergo *Ægyptii* omnem rejecerunt uſuram, ſed illam tantum quæ *duplum* augeret, injuſtum enim putabant lucrum hoc mordens, cui legi Ægyptiorum adſtipulatur *jus municipale VVirtembergicum*, quod omnem acceſſionem in mutuo ultra ſortem, ſive pecuniariam, ſive frumentariam, ſub comminatione pœnæ prohibet, & creditorem ſua ſorte contentum eſſe prudenter ordinat, occaſionem ſtatuto dedit abuſus: Weil mehrmahls bey den leyhungen wucherliche/ und von rechts-wegen verbotene Contract/ gefaehrlicher und betruglicher weiſe furgenommen werden: ut verba ibidem habent: Alten Landrechts part. 2. pag. 183. Daſs der Entlehner dem leyher eine gute Summa gelts/ oder gelts werth/ mehr wider zu bezahlen verſchreiben muſs/ dann ihme geliehen worden: Landts-Ordnung pag. 118. Facit enim immoderata habendi cupiditas, ob quam damnum non cenſetur cum mala fama lucrum, & *αἰσχροκερδῶν ἐπιθυμίαι καὶ κακοτεχνίαι πολλαί*, quia lucrum ex mutuo moderari nequeunt, præſertim in contractibus remotis arbitris factis, ut id fiat illicitum, quod alias charitate temperatum licitum foret. Quare damnanda & execranda eſt ſimpliciter omnis uſura, quæ eſt MORSUS, ſuperabundantia ſeu multiplicatio ad opprimendum, gravamen ſeu onus, quo tandem ſuccumbendum eſt proximo. Plura qui de uſuris prohibitis legere cupit evolvat cl. *Salmaſ. tract. de Uſur. Henric. Salmuth. not. ad Panciroll. Chriſtoph. Binder. Abbat. quondam Adelberg. libell. de uſuris*; & quilibet convenientiam hujus Ægyptiorum legis cum aliis facile videbit.

LEX DECIMA SEXTA. DE OBÆRATORUM FACULTATIBUS DUNTAXAT USURAS EXIGERE; SED CORPUS NULLO MODO IN NEXUM DUCERE CONCEDEBAT.

Diodor. Sicul. Biblioth. hiſt. lib. I. LXX. 9.

I. Hanc

I. Hanc legem recenſent quoque *Athanaſ. Kircher in Oedip. Ægypt.* & *Anglus Robinſon. in Annal. Mundi*. Quam Græcis verbis refert *Angl. Nobil. Joh. Marsham. Secul.* XVI. *in Canon. Chron. pag. m.* 483. *edit. Francofurt.* Τῶν δὲ ὀφειλόντων τὴν ἔκπραξιν τῶν δανείων ἐκ τῆς οὐσίας μόνον ἐποιήσατο, τὸ δὲ σῶμα κατὰ οὐδένα τρόπον εἴασεν ὑπάρχειν ἀγώγιμον i. e. *de obæratorum facultatibus duntaxat uſuras exigere, ſed corpus nullo modo in nexum ducere concedebat*. Et rationes addit *Diodorus Siculus* his verbis: bona illorum arbitratus eſſe, qui vel labore comparaſſent, vel per donationem a poſſeſſore legitimo accepiſſent, ſed corpora civitatibus deberi, quibus ad congrua belli paciſque munia utantur. Abſurdum enim eſſe, militem, qui pro patria ſeſe periculis objiciat, propter fœnus a creditore, ſi ita contigerit, in nervum abduci, & ob privatorum avaritiam communem omnium ſalutem in diſcrimen venire. Hanc legem *Solon* Athenis invexiſſe videtur, qua cives univerſos ab ære alieno, in corporis nexum credito, liberavit. Et quidem non immerito culparunt Legislatores Græcos, quod vetuerint, ob fœnus pignori capere arma, aratrum, aliaque operi faciundo neceſſaria; ſed eos, qui illis uti debebant, nectendos permiſerit.

II. Mitior hæc lex Ægyptiorum fuit, quam *Leges civiles*, quæ debitorem exuunt omnibus bonis, ſi ſolvendo non velit eſſe, nec curant ejus paupertatem: & ſi vel modicum de ſorte, aut uſuris in debito perſeveret, diſtractio rei obligatæ non poteſt impediri, C. *libr.* 8. *tit.* 38. Cum in contrarium leges Hebræorum ſtatuant, quæ volunt שלא נתבע חוב מעני שאין לו מה לפרעו: *Ne exigamus debitum a paupere, qui non eſt ſolvendo*; vel plenius: Quod prohibeamur exigere debitum a mutuo accipiente, eo tempore, quo conſtat nobis, illum, propter inopiam, non eſſe ſolvendo parem, ſicut dicitur: Non eris ei tanquam uſurarius, Exod. cap. XXII. 25. vid *clar. Hottinger. jus Hebr. leg.* LXXIII. *pag. m.* 91. Bene Henricus Ainsvvorthius in Comment. ad Exod. fol. m. 88. edit. Londin. *Thou ſhalt not be to him as an exacting creditor, as a lender that is urgent to have his ovvne againe, or to have a pavvne for the ſame, ſo the vvord is ſundry times uſed in this ſenſe* 2. Regum IV. I. Pſalm. CIX. II. Nehem. V. 7. IO. II. *So the Lavv elſevvhere forbiddeth exacting ob debts upon our poore brethern.* i. e. *Ne exigens & rigidus creditor ſis; quemadmodum creditor, qui urget, ut iterum ſuum habeat, vel pignus* (*ob pecuniam creditam ita vox in ſpecie uſurpatur hoc ſenſu* 2. Reg. IV. *ita lex prolibet exactionem debitorum a fratre paupere*. His ita recitatis ex Maimonide de creditor. & debitor. cap. I. ſect. 2. refert Anglice: *vvhoſe ſo exacteth* (payment) *of a poore man, and knovveth that he hath not ought to pay him vvith, he transgreſſeth againſt this probibition*. Similiter Deut. XV. 2. 3. expreſſum habetur præceptum, ubi videndæ annotationes *Ainsvvorthii fol. m.* 57. *edit. Londin.* Ex quibus ſatis elucet, quod Judæi non rigide debeant exigere a pauperibus fratribus debitum. Verum obſtare his videtur locus 2. Reg. IV. I. ubi expreſſe legimus, quod vidua Prophetica dixerit: Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi. Qui ſane morem illum antiquum indicat, quo in Judæa ſolebant alienari filii, ac in ſervitutem vendi ad diſſolvenda debita, ab ipſorum progenitoribus contracta. Huc reflectunt Oracula Eſaiæ cap. L. I. *Quis eſt creditor meus, cui vendidi vos?* Cui ex creditoribus meis, q. d. Non habeo creditores, non habeo oppreſſores, quorum pecuniis indigeam, quibus, cum non ſim ſolvendo, oporteat pignus dare, aut filios meos in ſervos tradere immerentes & ſervitute indignos. Vid. *Forer. in h. l.* Ita *Matth.* XVIII. 24. hæc extant: Cum autem non haberet (debitor) unde redderet, juſſit eum Dominus ejus venundari & uxorem ejus & filios & omnia quæ habebat. Verum hi duo textus nobis ob oculos ponunt non creditores, quales juxta Scripturam eſſe debent, ſed *uſurarios*, quorum ſigna ſunt I. Quod ex profeſſo pecuniam ſuam elocent, nec unquam, aut rariſſime miſero opem ferant. II. Quod nocenti morſu evertant bona proximi. III. Quod veniente termino ſolutionis importune urgeant debitorem, irruendo in eum. IV. Quod non velint alium ſolutionis terminum expectare quem offert debitor. V. Quod ſoleant ultra conſtitutum legibus extorquere.

III. Volunt quidem leges civiles, quod debitor ad extremum denarium excuti poſſit, *Gloſſ. ultim. in leg. pen. de ceſſ. bon.* Angel. *in* §. *ultimo n.* II. *Inſtit. de act.* Brun. *tract. de ceſſ. bon. q.* 3. *per leg. pen. C. qui bon. ced. poſſ.* pro quo in textu in *Novell.* 135. verſ. ad quotidiani victus & amictus corporis inopiam atque adeo uſque ad intimam excutiatur interulam, ut ait *Bald. l. ult. C. qui bon. ced.* & alii. Et ſi plane non ſolvendo eſt debitor, *luat corpore*. Sane triplici modo in hac parte *debitores* a veteri-

teribus tractati memorantur. *Primus* erat, ut lapidi insiderent remotis femoralibus, qui per podicem bona turpiter egessisset, Zas. *in l. ult.* 1. *ex ista ff. de cess. bon.* Alciat *l.* 2. *parerg. c.* 47. Guid. Papa *q.* 344. Johan. Ferrar. Montan. *in jud. praexercit. l.* 3. *c.* 3. *Secundus modus* erat XII. Tabularum, per quas licitum erat debitores in partes secare, Covarruv. *l.* 2. *resol. c.* 1. *n.* 1. *Johann. Oldendorp. comment. in* XII. *Tab. fol. m.* 64. Operæ pretium erit totam legem proferre, quam *Sextus Cæcilius* apud *Agellium lib.* XX. *cap.* I. item *Agell. lib.* XV. *cap.* XIV. *lib.* XVI. *cap.* X. Quintilian. *lib.* III. *cap.* XVIII. Varro *lib.* I. *de vit. pop. Rom. apud Non. in Proletar. Cicero in Topic.* recensent. Apud Agell. hæc leguntur: *Confessi æris ac debiti judicatis triginta dies sunt dati, conquirendæ pecuniæ causa quam dessolverent*. Eosque dies Decemviri justos appellaverunt, quoddam velut Justitium, id est, juris inter eos quasi interstitionem quandam & cessationem, quibus diebus nihil cum his agi jure posset. Post deinde nisi solverent ad Prætorem vocabantur, & ab eo quibus erant judicati, addicebantur. Nervo quoque aut compedibus vincrebantur. Sic enim sunt verba legis: ÆRIS CONFESSI REBUSQUE JURE JUDICATIS TRIGINTA DIES JUSTI SUNTO, POST DEINDE MANUS INJECTIO ESTO, IN JUS DUCITO, NI JUDICATUM FACIT AUT QUIPSENDO EO IN JURE VIM DUCIT, SECUM DUCITO, VINCITO AUT NERVO AUT COMPEDIBUS QUINDECIM PONDO NE MINORE, AUT SI VOLET, MAJORE VINCITO, SI VOLET, SUO VIVITO.

IV. Hujus legis fragmenta singulas partes consideranda essent, ut omnia clariora evaderent, ni hoc fecissent clarissimi & doctissimi viri *Paulus Merula de legib. Rom. pag. m.* 2. *Oldendorp. ad leges duodecim Tabul. fol. m.* 64. ex quibus tamen quædam in pleniorem verborum sensum excerpemus. ÆRIS CONFESSI, i. e. debiti confessi. Confessus æris hic dicitur, qui propria sua confessione debitorem se creditori suo agnoscit; huic triginta dies, i. e. mensem concedebant, ut procurare posset, quo debitum solvat. Postea autem alterum tantum cœpit esse. Nam ex Constitutionibus: *Judicati faciendi vel solvendi tempus est duorum mensium*, l. 11. C. Theodos. de usur. rei judic. Hodie quatuor est mensium, *l.* 11. *C. de usur rei judic.* Curia Hollandiæ tempus fere observat a Decemviris in duodecim Tabulis præscriptum. Solutione non facta manus injiciebantur, qui mos adhuc in Hollandia locum habet. Si enim reus condemnatus nihil habet in bonis, unde judicatum solvat, apprehendi solet a Creditore, inque publicam custodiam condi, quemadmodum *Paul. Merula* docuit *in prax. Tit. de exsecution.* XI. *cap.* I. §. II. Solutione nondum facta lex vult, ut Debitor tribus nundinis ad Prætorem in judicium producatur & tandem capite plectatur; aut trans Tiberim peregre venum eat. In arbitrio enim Creditoris erat, Debitorem vel necare, vel in servitutem vendere. Mitius autem erat debitorem vendere, quam necare, id quod per dissectionem fiebat. Causam tam atrocis supplicii, in debitores fallentes fidem constituti, reddit Agellius lib. XX. c. I. his verbis: *Nihil profecto immitius, nihil immanius, nisi (ut re ipsa apparet) eo consilio tanta immanitas pœnæ denunciata est, ne ad eam unquam perveniretur. Addici namque nunc & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt Dissectum enim antiquitus neminem equidem neque legi, neque audivi, quoniam sævitia ista pœna contemni non quita est*. Quintilian. lib. III. *Sunt quædam laudabilia natura, sed jure concessa, ut in duodecim tabulis corpus inter Creditores dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit*. Sic Tertullianus in Apologet. *Judicatos*, inquit, *in partes secari Creditoribus leges erant, consensu tamen publico crudelitas postea erasa est, & in pudoris notam capitis pœna conversa est, bonorum adhibita proscriptione*. Vid. *Oldendorp. in leg.* XII. *Tabul.* Periculum enim imminebat Creditoribus ex sectione. Secandum enim erat debitoris corpus in justas portiones pro quantitate æris, quod singulis debebatur. Videatur Cl. *Claud. Salmas. libr. de usur. pag. m.* 544. 545. *seq.*

V. *Tertius medus* erat *addictio in servitutem*. Antiquam hanc consuetudinem nobis repræsentat Sacer Codex, quod Debitor, qui non solvendo esset, carceri mancipatus vel in *servitutem* raptus, vel venditus fuerit, ex quo leg. XII. Tabul. originem hausisse extra omnem dubitationis aleam ponimus. Incarceratio indicatur Matth. v. 25. 26. *Esto amicus adversario tuo cito, ne te tradat judici, & in custodiam conjiciaris; amen dico tibi, non exibis illinc usque dum reddideris ultimum quadrantem*. Et cap. XVIII. v. 30. Ut hic non minus suspecta sit fides Commentatoris in Maimonidem de Mutuo c. 2. quam contradictoria sententiæ istius, quando scribit: זה פשוט שלא מצינו

מצינו בשום מקום׳ חיוב גוף מהמות ממון ולא שבועה שאין לו: *Hoc est simpliciter certum, non reperire nos ullibi obligationem corporis pro pecunia neque juramentum, quod nihil habeat.* Raptos in *servitutem* debitores docet exemplum 2. Reg. IV. 1. adductum. Propter debita igitur in servitutem rapi poterant non solum debitor ipse, verum etiam ejus hæredes sive liberi, & Creditor operam eorum servilem in solutum accipiebat. Denique *venditionem* probat parabola Matth. XVIII. 25. Atque hic venditioni patrocinatur *Maimonides*, quamvis perperam restringat ad ea solum debita, quæ vectigalium nomine solvenda; *de servis, cap.* 1. מלך שגזר שכל מי שלא יתן המס הקצוב על כל איש ואיש ישתעבד לזה שנתן המס על ידו הרי זה מותר להשתמש בו יותר מדאי: *Rex si decretum fecit, ut quisquis non dependerit tributum, unicuique impositum, in servitutem detur illi, per cujus manum tributum fuit solutum, tunc huic licitum est, illius ministerio uti, etiam durius, quam alias:* juxta illud in Bava Metzia cap. V. fol. 73. 2. *qui dant pecuniam pro tributo aliorum, hos servire faciunt vehementer*: ubi Regem statuisse referunt: *qui non persolverit vectigal capitationis in servitutem addicatur illi, qui istud persolverit.*

VI. Verum quemadmodum nimia hæc acerbitas prohibita fuit in legibus civilibus, ita etiam in legibus Hebræorum posterioribus. Prohibita enim est in Recess. Imper de Anno 1527. c. 17. etiam in casu convenrionis. Coler. *de process. executionis part.* 1. *c.* 8. *num.* 60. *usque* 81. Daniel Moll. *ad constitut. Saxon.* 43. *n.* 4. *p.* 4. Et nominatim eo rigore, qui in XII. *Tab.* sancitus est, Romani nunquam usi sunt, uti testatur Covarruv. *l.* 2. *resolut. c.* 1. *n.* 1. Quintil. *instit. Orat.* 8. *c.* 8. Heig. *q. juris. p.* 1. *q.* 35. *n.* 26. Gilken *de præsumt. p.* 3. *c.* 6. *n.*42. Quod servi facti aut carcerum nexui obstricti propter debitum, id etiam sublatum est a Constantino *l. nemo.* 2. *C. de exact. tribut.* Parormit. *par.* 2. *de pignor. l. liber homo* 13. *ff. ad L. Aquil. l. ob æs alienum* 12. C. *de act.* Similiter Leges Hebræorum posteriores id non indulgent. *Maimodes* de mutuum dante & accipiente cap. 1. כשיתבע המלוה הלואתו אעפי שהוא עשיר והלוה דחוק וטרוד במזונות אין מרחמין בדין אלא גובין לו חובו עד פרוטה אחרונה: i. e. *Si exegerit creditor mutuum etsi dives sit, debitor contra pressus inopia & assidue occupatus in alimentis parandis, non exercent misericordiam erga ipsum in Judicio, sed exigunt ab ipso debitum suum usque ad ultimum* λύτρον. Sed cap. 2. *Si nihil quicquam reperiatur, quod debitoris sit, abibit debitor quo volet: non autem vinciunt eum, nec dicunt ipsi, affer probationem, quod pauper sis; neque adjurant eum, quomodo judicant gentes; sed dicit Judex scil. creditori, si noris isti esse aliquas facultates, isti, inquam, qui tibi debendi reus est, abi & occupa eas.* Addit autem, a posterioribus Doctoribus, ob multiplicem debitorum fraudem conceptam fuisse gravissimam jurisjurandi formulam, qua *Debitor* in Judicio profiteatur, sibi nihil superesse præter ea quæ debitori relinquenda statuerunt; nihil abscidisse, neque aliis asservandum dedisse; promittat insuper, quicquid ulla ratione postea acquisiverit, non se conversurum esse in alimenta aut vestimenta uxoris aut liberorum, nedum per donationem alienaturum, sed subducto solum menstruo suo victu & annuo suo amictu, reliquum omne suis creditoribus bona fide traditurum, donec omne suum æs alienum dispunxerit.

VII. Ut autem apud Ægyptios Legislator *Bocchoris* avaritiam fœneratorum coerceret, qui etiam corpora debitorum in nexum ducere conentur, Legem hanc promulgavit, ut *de obæratorum facultatibus duntaxat usuras exigerent, sed corpus nullo modo in nexum ducerent.* Rationes §. 1. adduximus. A quo deinde *Solon* accepit, & *Athenis* invexit; Seisachthiæ nomine ab ipso vocitatam, qua cives universos ab ære alieno, in corporis nexu credito, liberavit. Quantas usuras apud Græcos fœneratores postularint, ex istis *Aristophanis in Nebulis* constat, quod scil. menstrua usura usitata. Singulis enim mensibus anni νεομηνία, una drachma, nummus argenteus Atticus, de centum drachmis dabatur. Vid. plur. *Pfeiffer. antiquit. Græc. lib.* 2. *cap.* XXXVIII. *pag. m.* 303. qui igitur solvere non poterat, addictus creditori fuit, ut serviret, aut peregre venundaretur. Vid. *Cl. Claud. Salmas. de usur. pag. m.* 565. Unde factum, ut urbs plane in lubrico versaretur. Totus enim populus sive plebs ἦν ὑπόχρεος, h. e. ære alieno opprimebatur a divitibus, ut scribit *Plutarchus in Solon. p.* Athenis, inquit, jam quidem obtinebat Democratia; *verum tanta erat pauperum inæqualitas cum divitibus, ut urbs prorsus in lubrico versaretur. Plebs enim tota ære alieno a divitibus oppressa, aut illis arabant, sextantem fructuum pensitantes* (unde ἑκτημόριοι καὶ θῆτες, *sextantuli & capite censi vocabantur*) *aut nexu corporis versuram facientes, creditoribus addicti, partim ibi serviebant, partim peregrinis venundabantur: multi etiam liberos*

beros

beros ſuos vendere (neque lex vetabat) aut urbem deſerere , propter fœneratorum crudelitatem , compellebantur. Quapropter pars maxima *Solonem* oravit, ut Rempnblicam capeſſeret & controverſias componeret . Hoc facto tanto temperamento inter plebem Senatumque egit , ut ab utriſque parem gratiam traheret . Primo animadvertens Athenienſium civitatem uſuris exhauriri & plurimos redactos eſſe ad inopiam , multos etiam coactos vendere filios & filias , moderatus eſt uſuras , ſanxitque , *ne quiſquam* propter æs alienum in ſervitutem traderetur. Lex hæc eſt : Ε'πὶ τοῖς σώμασι μηδένα δανέζειν , i. e. PECUNIAM MUTUAM NE DANTO SUB NEXU CORPORIS , in ſervitutem adducendi , quæ optime cum Lege *Bocchoris* convenit, & eadem eſt .

VIII. Deinde ut huic malo prudenter occurreret , Σεισάχθειαν inſtituit , *oneris excuſſionem. He,* (inquit *Anglus Franciſc. Rous in Archæolog. Attic. lib.* 3. *c.* 1. *pag. m.* 96.) *therefore cut off all uſe as ſome vvite , or elſe leſſened the burthen ofit , making it more moderate by this Lavv* Σεισάχθεια, *ſo called from* Σέιειν, *to ſhake off , and* ἄχθος *an heavy vveiht* . Χρεωκοπία , ſeu æris alieni reſciſſio , benigno & blando vocabulo σεισάχθεια fuit appellata. Heraclides de Politiis: Σόλων νομοθέτης Α'θηναίων χρεῶν ἀποκοπὴν ἐποίησε , τὴν Σεισάχθειαν λεγομένην , i. e. Solon Athenienſiam Legislaror , novarum Tabularum Auctor exſtitit, & Sifachthean , hoc eſt æris deciſionem introduxit . Η' σεισάχθεια , ut ait *Laertius* , ἦν λύτρωσις σωμάτων τε καὶ κτημάτων , *erat corporum poſſeſſionumque redemtio* . Dicunt *autem non æris alieni remiſſione , ſed uſurarum moderatione , pauperes allevatos eſſe* : Eadem lege & menſurarum modum auxit & Monetæ pretium . Quippe *Minam* fecit C. drachmarum , quæ antea erat LXXV. Et hoc modo cum obærati redderent ſummam numero quidem æqualem , ſed valore minorem , ipſi multum lucri faciebant, at creditores nihil lædebantur: Accipiebant a debitoribus drachmas eodem quidem numero, qui in ſyngraphia ferebatur, eademque puritate atque æſtimatione , ſed non eodem pondere . Vid. *Marsham. Can. Chron. Eduard Simſon. Chron. Cathol. part.* 3. *fol.* 101. *Franciſ. Rous Archæol. Attic. lib.* 3. *edit. Oxon. cl. Claud. Salmaſ. lib. de uſuris* , *Pfeiffer antiquit. Græc. lib.* 2. *c.* XXXVII.

LEX DECIMA SEPTIMA.

QUI FURTIS OPERAM DARE VOLUNT , NOMINA APUD FURUM PRINCIPEM PROFITENTUR ET E VESTIGIO FURTUM EX PACTO AD EUM REFERUNT , QUI RES SUAS AMISERUNT CONSIMILITER UNUMQUODLIBET AMISSORUM LITERIS CONSIGNATUM EXHIBENT, LOCUMQUE AC DIEM ET HORAM , QUIBUS JACTURAM FECERINT , ADSCRIBUNT , HOC MODO CUNCTIS FACILE REPERTIS FRAUDATUS , TAXATIONE RERUM FACTA , QUADRANTEM HORUM PERSOLVIT , ET TUM SUA RECUPERAT.

Diodor. Sicul. lib. 1. Biblioth. Hiſtor.

I. Quamvis furtum referatur a nonnullis ſcil. *Ariſtotele lib.* 2. *Nicom. c.* VI. & utroque *Grotio*, *Hugo. quidem lib.* 1. *de Jure Belli & Pacis cap.* 1. §. 10. 11. *Guil. vero de princip. juris natur. cap.* 3. §. 10. inter illas actiones , quarum vel ſola nomina implicatam pravitatem demonſtrant , quæque ob intrinſecam turpitudinem ſuam nullo tempore & caſu indifferentiæ cancellis includi poſſint . Nam furtum naturali jure prohibitum dixit Paulus JCtus *in l.* 1. *ff. de furt.* Natura turpe *Ulpian. l.* 42. *ff. de V. S.* ibique Wiſſenbach : Deo diſplicere , *Euripides* his in Helen. verſibus :

> *Namque odit ipſe vim Deus , nec divites*
> *Nos eſſe rapto , ſed probe partis cupit .*
> *Spernenda , ſi non jure veniat , copia eſt,*
> *Communis æther hominibus , tellus quoque,*
> *In qua ampliare cuique ſic fas eſt domum,*
> *Ut ab alienis rebus ac vi temperet .*

Attamen alii reperiuntur, qui hanc ipſam vocem in largiori ſignificatu adhibere volunt , ut denotet quamcunque ablationem rei , quam alter poſſidet , quæ in ſe nec bona moraliter, nec mala eſſet , bonitatis tamen aut malitiæ capax pro varietate circumſtantiarum . Præprimis hoc fieri videmus ab illis , qui furta apud *Lacedæmonios* ac *Ægyptios* pro perfecte licitis habent, eaque omni morali malitia deſtituta eſſe aſſerunt .

II. Hujus aſſerti defenſorem offendimus

mus *Johannem Selden. de Jure Naturæ & Gentium lib.* VI. *capit.* 2. *pag. m.* 703. qui ſurreptionem apud *Lacones* & *Ægyptios* ob Legem revera furtum non fuiſſe autumat, licet externam quodammodo furti ſpeciem repræſentaret! Verba ejus hæc ſunt: Quid ſane dicendum de *Lacedæmoniis* & *Ægyptiis*, apud quos furta quædam licita fuiſſe traditur. Nimirum quandam rerum juxta eorum, quibus Legum ferendarum poteſtas, placita, ſurreptionem licitam eſſe palam eſt, ſed in eo, quod licitam eam eſſe voluere, plane dominio rerum apud ſuos temperamentum tantum adjecere, unde velut in communionem quandam eo uſque redigeretur. Adeo ut ex ſingulari jure Domini id juſte apud ipſos fieret, non interea alibi, quod furti ſpeciem quadantenus imitaretur, furtum autem omnino non eſſet. De quo, quatenus crimen eſt, ſine modorum ac temperamentorum, quæ dominio adjici ſolent, velut Lydio hic lapide fruſtra nimis ſæpe decernuntur, qui de caſibus conſcientiæ ſolicitius diſquirunt. Huc uſque *Seldenus*.

III. Ab eadem opinione non aliena ſunt, quæ apud *Robertum Scharrockium de Offic. ſecundum jus Naturæ cap.* 3. *n.* 3. *p. m.* 166. reperiuntur. *Ægyptii Ægyptiorum*, *Spartiatæ Spartiatarum* res rapuiſſe dicuntur: at neque *Ægyptios*, neque *Spartiatas* poſſe furti accuſare, ſunt qui ſentiunt. Solus ille *fur* audit, *qui invito Domino res alienas occupat:* Spartæ vero & Ægypti Dominos invitos concludi, iniquum videtur, cum Legi conſenſiſſe credantur, qua auctrice hæc, qui fures improprie audiunt, auſi ſunt facinora. Lex enim erat, ut in rebus ſurreptis hac conditione jus haberent raptores, ſi morem in Actibus ejuſmodi exercendis ratum & ſtatutum obſervarent. Et alibi *cap.* XIV. *n.* 4. *pag. m.* 558. Licentia apud *Spartiatas* data, imo apud *Ægyptios*, ut res ab innocente vicino ſurreptæ, ſi modo leges de furto facto obſerventur, lucro furum adeoque innocentium damno cederent. Non igitur queri de injuria poſſunt, quibus amiſſæ res, cum ex communi hoc contractu fiat. Licet autem ab allegatis Auctoribus *furta* Ægyptiorum & Lacedæmoniorum conjungantur; attamen ut exiſtimamus, nemo nobis vitio dabit, ſi ſepoſitis iis, quæ de juſtitia Laconici furti diſquiri poſſent, ea ſolum, quæ ſpecioſe ſatis juſtam furti apud Ægyptios licentiam defendunt, excutiamus.

IV. Ut vero eo facilius in pleniorem hujus controverſiæ cognitionem pervenire liceat, recitanda eſt iterum Lex ipſa Ægyptiorum, quæ furta concernebat. Eam proponit *Diodorus Siculus lib.* 1. *pag. m.* 72. *edit. Hanov. Ann.* 1604. ex verſione Latina *Laurentii Rhodomanni* in his verbis: De furibus Lex quædam Ægyptiis eſt perquam ſingularis: qui furtis operam dare volunt, nomina apud *furum* Principem profitentur, & e veſtigio furtum ex pacto ad eum referunt. Mentionem hujus licentiæ facit etiam *Gellius lib.* XI. *Noct. Attic. cap.* XVIII. his verbis: Id etiam memini legere me in libro *Ariſtonis* J&ti haudquaquam viri indocti, apud veteres Ægyptios (quod genus hominum conſtat & in artibus reperiendis ſolertes extitiſſe & in cognitione rerum indaganda ſagaces) furta omnia (ſcilicet non manifeſta) fuiſſe licita & impunita. Quod autem dicatur illa ad Principem furum allata, ibi recentiores nonnulli hoc de Sacerdotum Principe produnt, ut *P. Gregor. Tholoſan. in Syntagm. Jur. Univerſ. lib.* XXXVII. *cap.* 1. *num.* 4. *Andr. Tiraquell. in not. ad Alexandr. ab Alexandr. Gen. dier. lib.* VI. *cap.* 10. *fol.* 890. *Athanaſ. Kircher. in Oedip. Ægypt. Tom.* 1. *Syntagm.* II. *cap.* 2. *fol. m.* 122. Forte ut conjicimus in quodam veteri Codice pro πρὸς τ̀ ἀρχιφῶρα occurrit πρὸς τ̀ ἀρχιερέα. Qui nunc res ſuas amiſerunt, conſimiliter unumquodlibet amiſſorum literis conſignatum exhibent, locumque ac diem & horam, quibus jacturam fecerint, adſcribunt. Hoc modo cunctis facile repertis, fraudatus, taxatione rerum facta QUADRANTEM horum perſolvit, & tum ſua recuperat. Cum enim fieri non poſſit, ut omnes a furto abſtineant, viam Legiſlator invenit, quo tota res ſublata præter exiguum redemtionis pretium ſervaretur.

V. Præſuppoſita hac Lege inculpabilem in furto hoc licentiam tueri conatur *Johannes Seldenus* ratione ſumta a plenitudine juris, quod Magiſtratui in bona Subditorum ſuorum competeret. Potuiſſent enim Legiſlatores, ob poteſtatem Principi in res privatorum jure debitam, ita adjecto quodam temperamento conſtringere vulgare Dominium in ſua Republica, (quod doct. *Samuel Pufendorf. in Elem. Juriſprud. Univerſ. lib.* 1. *defin.* 5. §. ita deſcribit. *Vulgare Dominium dicitur illud, quo privati bona ſua poſſident, circa quæ plenam diſponendi facultatem habent, quatenus a poteſtate eminenti ea reſtringatur*) ut ea res, quæ prima facie propria cujuſdam civis appareret, nihilominus tamen ejus eſſe deſineret, fieretque alterius, qui lege præſcriptum in occupando modum probe obſervaſſet. Et ſane primo intuitu ſatis plau-

plausibilis *Seldeni* hæc videri potest sententia. Id enim omnino certum est, jus quoddam in possessiones privatas competere Potestati civili, vigore cujus ea ex causa rationabili, quæ utilitatem in publicam privatamque rem redundantem respicit, declarare potest, non manere amplius subdito circa res suas id juris quod antea fuit. Solent hanc Majestaticam potestatem insignire nonnulli, uti *Johan. Frideric. Horn. de civit. lib.* 2. *cap.* IV. *Heinric. Hahnius ad Wesenbec. tit. de Usucap. & usurpat. n.* 9. *fol.* 336. *& ad leg. Falcid. n.* 1. *fol.* 224. generali Eminentis Dominii nomine, & pro ejusdem effectibus omnia indistincte exempla, quæ ad summi imperii jus in bona civium pertinent, venditare. Sed rectius *doctiss. Pufendorf. de jure Natur. & Gent. lib.* VIII. *cap.* V. §. 3. *pag. m.* 1146. nonnulla tantum exempla ad exercitium Dominii eminentis refert. Huic præivit Cl. *Johan. Henric. Boecler.* in Commentar. ad Grot. lib. 1. pag. 90. ubi docet, quædam a civibus exigi posse non jure Dominii eminentis, sed alio summi Imperii nomine, quod ad Tributa & exactiones merito reducitur. Et pag. 93. scribit, summam civilem potestatem etiam extra usum eminentis Dominii circa bona & possessiones privatorum, salva proprietate singulis Dominis semel constituta, & onera quædam imponere & leges ponere posse. Notanter dicitur a Pufendorfio *exercitium Dominii eminentis*, cui loquendi modo auctoritatem fecit *Grotius* annotante *Boecler. l. c. pag. m.* 85. *&* 134. & in *Notitia S. R. Imper. lib.* XVIII. *cap.* 1. quem secutus Cl. *Becman. in meditat. Polit. disp.* XXI. §. 2. Sunt tamen nonnulli, qui cum B. *Dn. Casparo Zieglero in not. ad Grot. pag. m.* 46. 125. 244. 375. 489. *&* 589. & *Dn. Johanne a Felde in annot. ad Grot. pag.* 349. pro mero figmento habent Dominium eminens & ab ambitioso hoc vocabulo, ne Princeps in Tyrannum degeneret, sedulo adstinendum monent.

VI. Certos quoque casus recenset *Bernhard.* Schultz *Profess. Rinthel. in dissert. Non furtum facies, edit. Rinthel.* 1671. *pag. m.* 49. *seq.* ubi eminens dominium bona subditorum auferre, qui ibi videndi. Addit tamen una cum aliis, quod non existimandum sit, potestati civili *absolute* & simpliciter assignari jus eripiendi Civibus suas possessiones, adjudicandique vel sibi vel aliis, prout libuerit, quod certe tyrannicum est, quorsum respexit משפט המלך jus regium 1. Samuel. VIII. vid. annot. *B. Carpzov. ad Guil. Schickardum. Bernhard.* Schultz *l. c. pag.* 62. 63. sed tum demum, quoties communi Reipubl. bono expedit: *vid. cit. disp. pag.* 58. Si enim præcedente nulla probabili causa dominium alicui suum auferret, id non jus esset, sed mera injuria. Sed objici hic posset. Si Princeps potestatem habet privandi subditos dominio suarum rerum, illudque transferendi in alios, frustraneum & mutabile erit præceptum juris Naturæ, quod invito Domino sua auferre prohibet. Factum tamen hoc esse delictum contra immutabile Naturæ jus non nisi insanus ac demens affirmare negabit ab Israelitis, aurea & argentea vasa ab Ægyptiis auferentibus vid. *B. Joh. Adam. Osiandr. in typo legis natur. Th.* LIII. *pag.* 211. Add. *Calixt.* verba a *Boecler. citat. in Comment. ad Grot. lib.* 1. *cap.* 1. *pag. m.* 157. Jam quæ de Deo supremo rerum Domino quoad ejusmodi actus, qui relaxationem quandam non veram, sed saltem apparentem Juris Naturalis præ se ferunt, enunciantur, ea quoque ad vicarios Dei in his terris cum proportione (vid. *Guil. Grot. lib.* 1. *cap.* 1. *& cap.* 13. §. 8. *&* 9.) quadam & cautela applicari possunt.

VII. Hoc concesso, quod interveniens voluntas & arbitrium Superioris id efficere possent, ut res invito Domino ablata non sit furtiva, sequitur *primo: Furtum* non esse intrinsece malum ac turpe, sed per se indifferens, atque solum ideo peccatum, qui voluntate Dei prohibitum. Erroneam hanc opinionem fovent Caramuel, Tvvissus, Rhætorfortis, Zydlovius, Maccovius citat. Dn. *M. Johann. Cyprian. in disput. de indifferentism. Moral.* §. 12. *Johann. Zydlovii verba ex Vindic. Quæst. difficil. cap.* IX. *&* X. *pag.* 124. adducit *B. Joh. Ad. Osiander. l. c. th. L. p.* 189. *Secundo*: Etiamsi furtum lege naturæ interdicatur, quid tamen nostrum sit aut alienum, id non eadem, sed civili demum lege determinari. Ita sentit *Hobbes. de Cive c.* 6. §. 16. *pag.* 109. *cap.* 14. §. 10. *pag.* 239. *& cap.* 17. §. 10. *p.* 335. Verum enim vero inconcinna atque inepta hæc est illatio: Objectum Reale alicujus actionis, consideratum absolute sine certis circumstantiis, neque bonum neque malum est moraliter. Ergo etiam ipsa Actio per se indifferens est, & tantummodo extrinsece vel bona vel mala. Nam actio moralis mente quidem sine respectu ad certas circumstantias cogitari, nequaquam tamen realiter, sicut ejus objectum, ab iisdem separari potest. Licet igitur & Deus & Magistratus variare possint objectum Actionis jure Naturæ vetitæ, attamen ipsam

ipſam Actionem a jure Naturæ prohibitam, manentibus iiſdem circumſtantiis, ne Deus quidem bonam reddere poteſt: cum in his Actionibus independens Moralitatis norma ſit Juſtitia ac Sanctitas Dei, uti in Actionibus juri divino poſitivo adverſantibus eſt Dei voluntas.

VIII. Ex his ſua ſponte fluit, quid malum ſit intrinſece, quidve extrinſece. Scilicet intrinſece & eſſentialiter malum eſt illud, quod in ſe & ſua natura ita malum eſt, quoniam deflectit a Juſtitia & Sanctitate divina. Extrinſece & accidentaliter malum dicitur id, quod in ſe & ſua natura indifferens eſt, & per voluntatem Legiſlatoris malum efficitur. Quicquid ergo legi Naturæ contrariatur, ut h. l. furtum, id intrinſecus malum eſt, & eſſentiali pravitate liberam Dei voluntatem in ſigno, ut loquuntur, rationis, i. e. in conceptu noſtro antevertit, ita quidem, ut turpitudo iſta intrinſeca cognoſci poſſit ex honeſtatis regula, quæ nobis implantata eſt, & ad Juſtitiam & Sanctitatem Dei ſe conformat, licet de voluntate divina per Legem poſitivam declarata non conſtaret. Aliter res ſe habet cum illis Actionibus quæ a jure poſitivo deviant, hæ enim moralem malitiam per latam demum prohibitivam legem extrinſecus accipiunt, uti ex matrimonio cum ſorore contracto & aliis patet. Manifeſtum, uti putamus, ex dictis evadit, ab indifferentia objecti ad indifferentiam ipſius Actionis nullam eſſe conſequentiam.

IX. An autem argumenta, quæ hactenus pro ſtabilienda & probanda Seldeni opinione, ſufficiant, nunc videbimus? Certe tanti ponderis non ſunt, ut publicum mereantur applauſum, & ad confirmandam in *Furto Ægyptiaco* perfectam licentiam ſufficiant. Dicitur autem perfecte licitum quod rectum eſt & ſalvis officiorum Regulis fieri poteſt. Vid. *Grot. de J. B. & P. lib.* 3. *cap.* 4. §. 2. & *cap.* x. §. 1. *n.* 3. *Samuel. Pufendorf. de J. N. & G. lib.* 1. *c.* VII. §. 2. Huic opponitur imperfecte licitum, quod legi quidem Naturali aut Divinæ adverſatur, in foro tamen humano impunitatem a pœna, aut libertatem ab impedimento, aut utrumque habet. Quamvis autem hæc omnia in theſi concedantur *Seldeno*, quod Magiſtratus vel in pœnam vel ob aliam probabilem cauſam Dominio rerum ſuarum privare poſſet ſubditum, attamen in hypotheſi, quoad *Furtum Ægyptiacum*, deficiet Applicatio. Nimirum in hoc furto caute a ſe invicem diſcernendi ſunt duo Actus diſtinctiſſimi: Prior conſpicitur in ablatione rei alienæ, poſterior in retentione quadrantis ex re furtiva. Per legem publicam nulla furi licentia tribuebatur ad eripiendam alteri rem; Si deprehenderetur priuſquam ad furum Præſidem vel Principem perveniret, nulli dubitamus, quin Dominus totam rem ſibi vindicare, furemque verberibus ac plagis digne coercere potuerit. Ita etiam Lex a *Lycurgo* lata ſtatuebat. Nam apud *Lacedæmonios* Lex ipſam quoque ablationem licitam pronunciabat, ſi modo clam peracta, illoſque tantum qui in furto deprehenderentur, judicabat dignos pœna, quæ conſiſtebat in verberibus, mulcta & fame. Conf. *Iſocrat. in Panathenaic. fol.* 407. *edit. Wolff. Xenoph. de expedit. Cyr. lib.* 10. *fol.* 335. & *de Republ. Lac. fol.* 677.

X. Quæ unquam gens ejuſmodi legem edixit, ut publicam licentiam furibus tribueret ad eripienda alterius bona? Antiquiſſimas leges Noachidis ſi conſideremus, ab ipſo Deo datas, uti Hebræi commemorant *Gem. Bab. ad Tit. Sanhedr. c.* VII. *Maim. Hal. Melach. c.* IX. & hoc interdictum reperitur. Vid. *Hugo. de Roy de eo quod juſtum lib.* 1. *Joh. Selden. de Jur. Nat. & Gent. lib.* VI. *c.* 1. 2. Imo etiam Philoſophi teſtantur, ut *Ariſtotel. l.* 2. *Ethic. c.* VI. Contra naturam eſſe ait Cicero de *Offic.* 3. ex hominis incommodo ſuum augere commodum. Et alibi, illud natura non patitur, ut alienis ſpoliis noſtras facultates, opes augeamus. Arnold. Vinn. ad §. 1. *Inſtit. de Furt. n.* 6. Et profecto ſocietas mortalium, ad quam geniti ſunt homines, conſtare non poteſt, niſi poſſeſſiones cujuſque tutæ ſint; Quare qui privato aliquid eripit & ſubripit, lædit ſimul Rempubl. ejus vinculum diſſolvendo; & fur hoc faciens hoc facit & turpe quid committit. Hinc merito explodenda *Pyrrhonis* ſententia, qui teſte *Diogen. Laert. in Pyrrhon.* tradit: nihil natura turpe eſſe, ſed lege, opinione & inſtituto hominum. Et in vita Ariſtippi hoc refert dogma Cyrenaicorum: Nihil eſſe natura juſtum ſive malum ſive turpe, ſed lege & more. Contra quos fuſe diſputat *Cicero lib.* 1. *de LL.* Conf. *Selden. de jur. Nat. & Gent. lib.* 1. *c.* VIII. & *Hugo Grot. in proleg. de J. B. & P.* Unde ſaniores populi furtum turpe, injuſtum & pœna dignum judicarunt ex hoc fundamento.

XI. Nec procedit alterum in lege Ægyptiorum, quod ſi furtum jam eo loci delatum fuerit, quo deſtinabatur, Furi manifeſto relinquebatur quarta furtivæ rei pars conſentiente priſtino Domino. Pugnat hæc lex cum jure naturali, quo omnes obligantur, ut res noſtras, quæ in pot-

poteſtate habent, in noſtram iterum veniant. Si itaque Princeps furum bona proximo detracta in poteſtate habuit, cur non reſtituit ex obligatione juris naturalis, ſed lucrum quoddam quæſivit retenta ſcil. quarta parte? Qui enim rem furtivam in cuſtodiam ſciens recipit, ut furi ſervet, tenetur Domino reſtitutionem: vid. *Bernhard. Schultz diſſert. citat. pag. 92.* Si enim inventa res reſtitui debuit Domino, ut præmium inventionis petere non poſſit inventor, cur etiam non res furto ablata? Quare graviter hoc loco peccaret Princeps furum, ſi ſciens rem furtivam detineret, niſi quarta pars relinqueretur. Non itaque videmus quomodo hæc lex excuſari poſſit a *Seldeno*.

XII. Devenimus nunc ad argumentum Roberti Scharockii, qui plenam ac proprie dictam licentiam *furti Ægyptiaci* ex lege eorum poſitiva conatur evincere: in eo ſaltem a Seldeno diverſus, quod pro fundamento ponat non poteſtatem Magiſtratus, ſed potius populi in legem conſenſum. Quoniam enim ab initio *Ægyptii* ſine omni conditione fortunas vitaſque ſuas commiſiſſent, non fidei, ſed veluntati Regis, ejuſque Legislativam potentiam conſenſu ſuo confirmaſſent, inde poſtea, licet aliquod damnum ſenſiſſent, de injuria conqueri non poſſe, utpote quæ volenti non facta. Præſuppoſita ergo hujus Legis juſtitia, quæ ex conſenſu eſſet, negat eum, qui in ſurripiendis rebus morem præſcriptum obſervaſſet, proprie *Furem* appellari poſſe, eo quod res invitis Dominis eſſe ſurreptas abſonum foret dicere. Verum quam erronea hæc ſit ſententia cl. *Rivinus* in diſſert. ad h. loc. Diodor. ſatis refutavit, quando Scharrockii ſuppoſitionem ex Demoſthene & Ariſtotele ita explicat: Verba Demoſthenis & Ariſtotelis non ſunt accipienda de Monarchico ſtatu, qualis apud *Ægyptios* erat, ſed ſtatu populari, ubi leges communi Civitatis ſuffragio feruntur. Deinde, inquit, conſenſus ſubditorum in Regis imperium, cujus pars eſt Legislatoria poteſtas, id quidem operatur, ut injuſtas Leges ferenti reſiſtere non poſſint, cum ipſis ſola obſequii gloria ſit relicta. Exinde tamen nondum conficitur, ejuſmodi Leges, quibus vis infertur ſubditis, eſſe juſtas, cum injuſte agat Rex, ſi perſonas, res & jura & actiones non moderetur eo ordine, quo ad Felicitatem publicam pervenire licet.

XIII. Accedit, Legem apud Ægyptios, uti jam dictum, dediſſe quidem furi non manifeſto immunitatem a pœna publica, furi tamen manifeſto nequaquam libertatem ab impedimento: cum ſine dubio Dominus potuerit furi in ipſo delicto deprehenſo reſiſtere & rem ſibi ſuam ſervare. Quod ſi vero furtum eſſet patratum, & ad Principem furum deportatum, tunc priſtinus Dominus rei ex duobus malis non moralibus eligens id, quod minus erat, ne totam rem amitteret, in retentionem quadrantis conſentiebat, qui tamen conſenſus, utpote ſubſequens, vix furem tutum in conſcientia præſtabat. Et hæc ſunt, quæ de legibus Ægyptiorum inſignioribus in medium proferre voluimus. Tu, Benevole Lector, ſi quid illius, quod omnibus hominibus commune eſt, paſſi fuerimus, id benigne interpretare.



JOH.



JOH. BENED. MICHAELIS
TRACTATIO
DE JUDICIIS
Pœnisque capitalibus in Sacra Scriptura commemoratis.

I. CUM de judiciis & pœnis capitalibus in Scriptura sacra commemoratis, ac Hebræorum inprimis, tractationem ingredimur, argumentum ad disserendum delegisse videmur, quod non solum nostris disputantium conveniret studiis, sed etiam sua se commendaret tum jucunditate tum utilitate. Verum est quidem, nos civilibus Hebræorum legibus in republica nostra non teneri; unde existimari posset, parum aut nihil ad nos attinere, quidquid est hujus tractationis: sed aliter ut sentiamus, movet nos utique attentior rei consideratio. Etenim si vel antiquitatem spectes, Hebræorum leges omnium aliarum gentium instituta & jura superant; adeo ut Græci legislatores, Lycurgi, Dracones, Solones, Zaleuci, & quæ sunt alia vetustiora nomina, si quidem cum Mose comparentur, novi sint, & heri demum aut nudius tertius nati videantur: prout *Flavius Josephus* gemino *adversus Apionem* libro copiose, strictim vero ex eo *Petr. Cunæus*, Jureconsultus humanissimus, *lib.* 1. *de Rep. Hebr. cap.* 1. demonstrarunt. Quodsi aliarum gentium antiquarum leges prudentissimis quibusque Jureconsultis dignæ sunt visæ, quas eruerent, & illustrationis caussa cum nostris conferrent, existimare igitur non debemus, solos esse Hebræos, quorum jura nullam mereantur attentionem, nullamque spondeant utilitatem: inprimis cum Deum ipsum, sapientissimum legislatorem, habeant autorem, indeque divinitatis laude, quam ethnici nonnulli falso institutis suis obtendisse leguntur, vere conspicuæ fuerint. Immo Moses Deut. IV. 6. Israelitis de Lege a se lata loquens, *Ipsa*, inquit, *sapientia vestra erit, atque prudentia, coram populis; utpote qui, audientes omnia statuta hæc, utique, inquient, populus sapiens atque prudens est gens magna hæc*. (1) Etsi vero nullam vel exiguam Hebræorum leges utilitatem adferrent ad civilis juris prudentiam, (quod quidem nemo sanus dixerit); tamen hoc nomine nobis merito commendabiles esse deberent, quod partem illæ constituunt pandectarum sacrarum, harumque intelligentia accuratior passim ab illis pendet, adeo ut loca sat multa V. & N. Testamenti nobis obscura mansura essent, si prisca Hebræorum institu-

ta,

ta, & in his nominatim supplicia Hebræorum aliorumque Orientalium capitalia, minus cognita & perspecta haberemus.

II. Capitales pœnas, quæ ipsis quidem scriptoribus sacris *judicia mortis* Deut. XIX. *6.* cap. XXI. 22. Ier. XXXI. n. 17. Hebræorum vero magistris דיני נפשות *judicia animarum*, vel מיתות *mortes*, (2) adpellantur, generatim in duas licebit distribuere classes, ut aliæ quidem fuerint primariæ, Hebræis domesticæ, & usitatiores, aliæ vero secundariæ aut minus usitatæ, & barbaricæ. De illis ex instituto agunt Hebræorum magistri in *Talmudis Babylonici* tractatu, qui *Sanhedrin Synedrium* inscribitur, quemque, versione Latina & adnotationibus illustratum, *Joan. Coccejus* Amstelodami Anno CIϽϽCXXIX. seorsim edidit; maximeque *Moses Maimonides* in præclarissimo Antiquitatum Juriumque Hebraicorum thesauro, quem היד החזקה seu *Manum validam* inscripsit, Tomo IV. in *Hilchoth Sanhedrin* cap. XII. -- XV. Ex Christianis de eodem argumento exposuerunt *Adr. Relandus Antiquit. sacr.* P. II. cap. VIII. §. 5. strictim, paulo vero plenius *Thom. Godvvinus Mos. & Aaron.* lib. V. cap. VI. VII. junctis ad eum notis *Joan. Henric. Reizii;* itemque *Joan. Seldenus de Synedriis Hebræorum*, & plenissime Celeberrimus *Christ. Stockius* V. dissertationibus, quas Jenæ Ann. CIϽIϽCCII. & sequenti evulgavit. (3) In præsenti non de primariis solum illis Hebræorum, sed etiam de reliquis in Scriptura S. commemoratis pœnis capitalibus, pariter sic commentabimur, ut quæ tum sacræ litteræ, tum Judæorum magistri perhibent, velut in fasciculum congesta exponamus; dispecturi de pœnarum capitalium generibus, modis, caussis, judicibus, executoribus, executionis loco, & fine. Faxit Deus, feliciter & cum fructu!

III. Ex Rabbinorum mente quatuor tantum capitalium suppliciorum genera in foris Hebræorum obtinuerunt. Sic enim habent in modo laudato Tr. Talmudico *Sanhedrin cap.* VII. ineunte: ארבע מיתות נמסרו לבית דין סקילה שריפה הרג וחנק: *Quatuor supplicia capitalia tradita sunt Senatui, lapidatio, ustio, interemtio & strangulatio.* (4) Eodemque modo *Maimonides* in *Hilchoth Sanhedrin cap.* XIV. nisi quod pro *interemtionis* voce, nimis generali atque ambigua, qua Talmudistæ utebantur, magis determinate posuit הריגה בסייף *interemtionem quæ fit gladio*. Vox הרג enim, quam Talmudistæ adhibent, quum alias *interemtionem* notet quamlibet, *coll. Ps.* LXXVIII. 31. 34. & vero *Deut.* XIII. 10. de ipsa *lapidationis* pœna usu veniat, coll. ibidem v. 11. Rabbinis contra per antonomasiam loco citato *pœnam gladii* designat. Mirum est vero, *Paraphrasten Chaldæum* ad *Ruth. l.* 17. quum cetera traditionem magistrorum sequatur, in quarto supplicii capitalis genere constituendo eam deserere. Sic enim ibi Noomin loquentem inducit: *Sunt penes nos quatuor supplicia capitalia, quibus rei subjecti sunt*, רגימת אבנא ויקידת נורא וקטילת סייפא וצליבת קיסא: *jactus lapidum, vivicomburium, pœna gladii, & suspendium a ligno.* Quæ dissensio ostendit, circa quartam pœnam capitis doctores Judæorum jam olim diversas tenuisse sententias, ac adeo *strangulationem*, quam Talmudistæ quarto collocant numero, non extra omnem dubitationis aleam esse. Omnino de *lapidatione* & *vivicomburio* res certa & explorata est, eas in pœnarum numero apud Hebræos fuisse. *Lapidatio* quippe tum imperata a Deo est *Lev.* XX. 27. *c.* XXIV. *6. Deut.* XXII. 23. 24. tum confirmata exemplis, v. g. *Lev.* XXIV. 23. *Num.* XV. 36. *Combustio* item divinitus præcepta est *Lev.* XX. 15. *cap.* XXI. *9. Gladii* vero *pœnam*, & multo magis *strangulationem*, cujus nullibi in sacris litteris diserta mentio fit, quomodo Judæorum doctores ex lege civili Mosaica per certas observationes & regulas eliciant, id deinceps, ubi de singulis suppliciorum caussis, hoc est, de criminibus capitalibus, agendi locus erit, tempestive explicabimus.

IV. Notandum est autem, supplicia ista quatuor, prout a Talmudistis loco superius allegato ordinata sunt, ita ab eis vel graviora vel leviora esse habita; ita quidem, ut primum fuerit omnium gravissimum, ultimum vero mitissimum. Hinc *Maimonides* in *Sanhedrin* c. XIV. §. 4. *Lapidatis*, inquit, *gravior est vivicomburio, vivicomburium gravius pœna gladii, gravior strangulatione*. Gravitatem autem hanc suppliciorum æstimant ex gravitate criminum, in quæ statuta sunt singula. Nam quia *lapidatio in blasphemum & idololatram statuta est* (*uti Coccejus* in Notis ad *Sanhedrin* c. VII. *monet*) *crimina omnium maxima: merito igitur hæc maxima pœna censetur.* (5) Unde pro circumstantiis crimen vel aggravantibus vel allevantibus, judices in exasperanda vel moderanda pœna hunc ordinem quasi normam ac regulam sequi jubent. Attamen nec gravitas pœnarum uno eodemque modo ab Judæorum doctoribus æstimata est. Etenim Talmudistæ, licet in *Sanhedrin* c. VII. ordinem modo commemoratum sequantur, tamen ibidem addunt, seriem suppliciorum, pro gravitate

tate sua vel levitate, ex mente *R. Simeonis* hanc esse: *Vivicomburium*, *lapidatio*, *strangulatio*, *&* *pœna gladii*.

V. Quis singularum ex his infligendis pœnis modus fuerit, ex magistrorum mente edisserendum est nobis, ita tamen, ut nostram, ubi opus erit, subjungamus epicrisin ac declarationem. *Lapidationis* igitur, quæ pœnarum prima est habita, hic fuit modus: *Locus lapidationis* (intelligunt *Catastam*, ein Chavot. oder Gerüste / in qua statuuntur, qui suppliciis adficiendi sunt) *altus erat geminam hominis longitudinem*. *Testium alter inde reum detrudebat*, *ut in lumbos caderet*. *Si conversus in pectus esset*, *in lumbos convertebatur*. *Hoc casu mortuus si esset*, *satisfactum legi*: *sin minus*, *alter lapidem sublatum in pectus immittebat*. *Si hoc ictu moreretur*, *satis factum*: *sin minus*, *a toto Israele lapidibus cædebatur*. *Quemadmodum dicitur Deut. XVII. 7. Manus testium primo in illum sit*, *&* *manus totius populi deinceps*. Ita habetur in *Sanhedrin* c. VI. §. 4. quod copiosius explicat *Maimonides* in *Hilchoth Sanhedrin* c. XV. §. 1. Sed, quod contra notamus, modus hic lapidationis nititur ψευδερμηνείᾳ, seu falsa interpretatione verborum illorum, quæ Exod. XIX. 13. præcepto lapidationis subjunguntur. או ירה יירה quæ cum verti debuissent, *aut telis conficietur*, a Talmudistis eorumque sequacibus ex alia Verbi Hebraici significatione, sed huic loco parum conveniente, ita sunt explicata, *aut dejiciendo dejicietur*, seu, quod idem est, *deturbando deturbabitur*. Unde *R. Sal. Isaacides* in Comment. ad verba illa notat: *Sensus est*, *dejicietur deorsum in terram*; *sicut dicitur* Exod. XV. 4. ירה בים *dejecit in mare*. *Hinc fit*, *ut lapidandi dejiciantur deorsum ex loco lapidationis*, *qui fuit altus geminam hominis longitudinem* Clarius vero idem R. *Sal.* Comm. ad *Sanhedrin* cap. VI. f. 45. a. locum istum ex mente Talmudistarum ad confictum ab eis modum supplicii adplicat, *Undenam constat*, inquiens, *reum deturbandum esse? Ex eo*, *quod dicitur*, *dejiciendo*. *Unde vero constat*, *lapidandum eum esse? Ex eo*, *quod dicitur*, *lapidando*. *Unde item*, *lapidandum & deturbandum esse? Ex eo*, *quod dicitur*, *lapidando lapidabitur*, *aut dejiciendo dejicietur*. *Unde constat*, *satisfactum esse de illo*, *si ex deturbatione moriatur? Exinde*, *quod dicitur*, *aut dejiciendo dejicietur*. Adparet, modum hunc supplicii in allegato loco Exod. XIX. 3. magis arte quæsitum, quam sponte inventum esse. (6) Enim vero, si verba Mosis sententiæ Talmudicorum doctorum patrocinari existimanda essent, debuissent sic ordinari, *dejiciendo dejicietur*, *aut lapidando lapidabitur*, non vero, uti textus ibi habet, inverso membrorum ordine, *lapidando lapidabitur*, *aut dejiciendo dejicietur*. Falsitas commenti patescit quoque ex verbis loco citato mox consequentibus, *sive jumentum fuerit*, *sive homo*, *non vivet*: quæ præmisso cædis generi utrumque, & jumentum & hominem, subjiciunt. Quis enim credat, Mosen in cædendo jumento, quod limites transgressum, proprius ad montem Sinai accessisset, tantum voluisse præscribere adparatum, ut prius constitueretur in catasta, ex catasta vero deinceps in terram præcipitaretur, præcipitatumque, si supervixisset, lapidibus sive ab alterutro teste, sive a toto cœtu, obrueretur? Quod si credibile de jumento non est, ergo nec de homine, cujus in transgressione limitum montis Sinai par erat cum jumento ratio, ut, si proprius accessisset, vel lapidibus configeretur, quod est יסקל; vel sagittis, quod est יירה. De sagittarum jaculatione, non de lapidandorum deturbatione in terram, verbum illud יירה intelligi debere, id ipsæ loquuntur circumstantiæ illius loci Mosaici, quæ cerimonias morasque refugiebant, promtum & instantissimum requirentes transgressoris supplicium: & nos infra ulterius id demonstrabimus, ubi de pœna telorum dicemus. (7) Suspectam quoque nobis traditionem Talmudicam, de lapidandorum dejectione, faciunt lapidationum tum in V. tum in N. Testamento occurrentia exempla, in quibus ne umbra quidem illius ritus, quem impugnamus, occurrit. (8)

V. Prius autem, quam ad reliqua pergamus supplicia, juvabit unam adhuc alteramve de *lapidatione* superaddere observationem. Primo enim *lapidatio* Hebræis quidem indifferenter, modo רגימה, modo סקילה adpellatur; at Jos. VII. 25. in historia Achanis, qui propter violatam anathematis religionem illud supplici passus est, diversis istis Verbis diversi lapidationis actus designari videntur: *Lapidaverunt* (וירגמו) *eum omnes Israelitæ lapidibus*; *deinde combusserunt eos igne*, *&* *lapidaverunt* (ויסקלו) *eos* denuo *lapidibus*. (9) Nempe prior *lapidatio* רגימה, fiebat in vivis, posterior vero סקילה, in mortuis eorumque cineribus; prior ante, posterior post combustionem; prior ad interficiendum damnatos, posterior vero ad contumelandum obruendumque lapidibus interfectorum ossa & cineres: unde quod sequitur ibidem v. 26. *Erexerunt super eum acervum lapidum*, posteriorem

lapi-

lapidationis actum ulterius illustrat. Deinde, licet lapidatio Judaicum fuerit supplicium, tamen & apud gentes usitatam fuisse, docet 10. *Meursius* Comment. in Lycophronem p. 178. ad vocem δημόλευστος. (10)

Sequitur שריפה, poenarum capitalium altera: quam, si Doctorum Judaicorum placita spectes, *Vivicomburium*; sin vero Codicis sacri rationem simul habere volueris, generaliori nomine *Combustionem* adpellare licebit. Est enim, ubi poena ustionis a mortuis quoque sumta est, ut ab Achane illo, cujus paulo ante mentionem injecimus §. v. qui quum igni ipse cum suis adjudicatus esset *Jos.* VII. 15. tamen flammis ante datus non est, quam lapidibus periisset *vers.* 25. plane ut *Dan.* VII. 11. (ubi ad hanc poenam respicitur) quarta illa bestia prius interficitur, deinde vero datur incendio ignis. Igitur, quod *Joan. Clericus* ad posterius hocce comma notavit, ibi combustio non ad augendum dolorem, sed ad supplicii speciem ampliandam, ut fit, adhibita est. Quod vero ad *Vivicomburium*, ejus modus ex Rabbinorum mente, secundum *Sanhedrin cap.* VII. §. 2. & *Maimonidem* in *Hilchoth Sanhedrin cap.* XV. §. 3. ita habuit; *Damnatus fimo immergitur usque ad genua. Tum linteum durum molli involvitur. Id collo ejus circumdatur, atque in diversa hinc inde a duobus trahitur, eo usque, donec os hiscat. Quo facto, plumbum stannumve candefactum ori ejus illiquatur, quod in viscera ejus descendens, intestina ustulet. Enimvero si moriatur in manibus illorum, non censetur in illo peractum praeceptum ustionis. Ergo aperiunt os ejus forcipe, ipso inuito, & metallum candens ori illiquant*. Adparet igitur, modum ustionis ex Rabbinorum praecepto, alium longe esse ab eo, qui apud nos viget, ubi non viscera infuso metallo liquefacto ustulantur, sed corpora damnatorum rogo imposita cremantur. Admodum vero est credibile, modum illum ustionis esse commentitium, a Rabbinis potius excogitatum, quam vel legibus Dei scriptis, vel exemplis in Scriptura sacra obviis nixum. Objecit quidem *R. Eleasar filius Sadoki, exemplum exstare, ubi filia quaedam sacerdotis, cum scortata esset, aggestis circumquaque fascibus cremiorum sit combusta:* sed illi responsum, *Factum id esse, quod Senatus ejus temporis rudis statutorum fuerit*. Quod enim *Joan. Coccejus* ad *l. c. p.* 58. adnotavit, caussati sunt, judices illius temporis Sadducaeorum haeresi infectos fuisse, שאין להם קרא אלא כמשמען: *quibus nihil sit authenticum, nisi Scriptura κατὰ ῥητὸν accepta*. (11) Age autem, videamus, quibus artificiis traditionarii Judaei modum hunc vivicomburii a se confictum ex ipsa Scriptura sacra firmare nitantur. Ajunt in *Gemara* ad *Sanhedrin* cap. VII. §. 1. *Unde modus ustionis confirmatur? Ex poena coetus Corachi: ubi erat animae exustio, corpore integro. Talem igitur urendi poenam in noxios statutam a lege intelligimus*. Sed quod magistri de Corachi coetu asserunt, itidem ab eis sumitur potius, quam probatur: quum *Num.* XVI. 35. Moses de illorum morte nihil ultra dixerit, quam, *ignem a Deo erumpentem* sive *ambussisse*, sive *combussisse* (utrumque enim, quanquam hoc magis, illud vero minus, significare potest verbum Hebraicum ותאכל) Quamobrem *R. Eleasar* in eadem *Gemara* potius ad exemplum filiorum Aaronis, nempe Nadabi & Abihui, provocans, *Quid his*, inquit, *evenit? Igne exanimati sunt, corpore integro*. Vide de illis *Lev.* X. 2. 5. ubi eos Levitae, igne a Deo enectos, cetera vero illaesos, in tunicis suis jacentes, ex sanctuario sustulerunt. Sed nec haec quidem historia rem conficit. Recte enim Cel. *Christ. Stockius* Dissert. 1. de *Poenis Hebraeor. Capital.* p. 11. monuit, minus apte ad vivicomburium, per magistratus infligendum, exempla trahi hominum, qui igne a Domino emisso perierint.

Cum de poena ignis agimus, in memoriam simul ducimur tum barbarorum quorundam suppliciorum, quae illam genus suum agnoscunt, tum locorum quorundam Scripturae sacrae, in quibus ad eam respicitur. Quod ad prius momentum attinet, eo referimus immane crudelitatis exemplum, quo Moabitarum Rex filium primogenitum regis Idumaeorum, qui ei in regno olim successurus erat, captum, instar holocausti super muris urbis Charescheth immolavit, 2. *Reg.* III. 27. hoc est, ossa ejus ad instar calcis concremavit, uti id explicat *Amosus cap.* II. 1. Item projectionem sociorum Danielis in candentem fornacem, a Nebucadnetsare Babylonio imperatam, & ab hujus ministris, quanquam sine piorum confessorum noxa, perfectam, *Dan.* III. 6. 11. 15. 19. *seqq.* Porro falsos Judaeorum exulum prophetas, Sedekiam atque Achabum, quos rex Babyloniae igne torruit, *Jer.* XXIX. 22. Huc & refertur a nonnullis, quod David Ammonitas, ad comprimendam immanem illorum adversus se ferociam, per *fornacem traduxit laterariam* 2. Sam. XII. 31. quam phrasin eodem intelligunt modo atque hanc, *traducere per ignem*, id est, igne concre-

cremare, in cultu Molochico. Adde sævum illud supplicium, quo Judæi quidam, tempore tribulationis Epiphanicæ, ob servatam Sabbati religionem, in spelunca συνεφλογίσθησαν, *concremati sunt*, 2. Macc. VI. 11. Et τὸν τηγανισμόν, seu *frictionem in fervente sartagine*, qua Antiochus Epiphanes in Judæos, constantes patrii cultus professores, lingua prius membrisque mutilatos, desæviit, *ibid. cap.* VII. 3. *seqq.* Quod vero ad alterum momentum, spectat huc, quod *Matth.* V. 22. legitur: *Quisquis dixerit* fratri suo, *Stulte*, ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός, *reus erit geennæ ignis*, seu, qui projiciatur *in geennam ignis;* hoc est, coram Deo & judicio ejus perinde est, ac si quis in foro humano igni & flammis addicendus sit. Spectat huc item, quod ultimum illud supplicium, damnatis a Deo irrogandum, vocatur γέεννα τοῦ πυρός, *geenna ignis*, seu *igne ardens*, & τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, *ignis æternus*, paratus Diabolo & angelis ejus, *Matth.* XVIII. 8. 9. *c.* XXV. 41. & quod bestia æque ac Pseudopropheta, vivi projecti sunt in lacum ignis, ardentem igne, *Apocal.* XIX. 20. Confer illud Esa. LXVI. 24. *Ignis eorum non exstinguetur:* & quæ *Joan. Henr. Reizius* in Notis ad *Godvvini Mos. & Aaron.* lib. V. cap. IV. §. 3. monuit.

VIII. Transimus ad tertiam pœnarum, quæ Talmudistis הרג *cædes* seu *interfectio* absolute, clarius vero & magis definite *Maimonidi* הריגה בסייף *interfectio, quæ fit gladio*, adpellatur. Talmudicæ illi similis esse Synecdoche videtur, quum *Matth.* XXI. 35. ἀποκτένειν *interficere*, lapidationi contradistinguitur, eam probabiliter capitis designans pœnam, quam Apostolus *Hebr.* XI. 37. φόνον μαχαίρας *cædem gladii*, nos vero *pœnam gladii* nominamus. Hujus modum brevissime describit *Maimonides* in *Hilchoth Sanhedrin* cap. XV. §. 4. his verbis: *Amputant caput rei gladio, ea ratione, ut reges facere solent.* Plenius edisserunt Talmudistæ in *Sanhedrin* cap. VII. §. 3. *Caput rei gladio amputant, quomodo jussu regio fieri adsolet. Dixit quidem R. Judas, Indecorum hoc esse: potius caput impositum trunco securi præcidendum: sed responsum est ei, turpius hoc genere mortis nullum esse.*

IX. Quarta tandem pœnarum capitalium est חנק *strangulatio*, non talis, qualis est apud nos, ubi damnatis laqueo gula in patibulo frangitur; sed qualis hodienum apud Turcos obtinet. Modum ejus Talmudistæ ac *Maimonides*, locis aliquoties allegatis, ita definiunt: *Damnatus fimo usque ad genua immergitur. Tum collo ejus circumdatum linteum durum, molli involutum, hinc inde diversi trahunt, donec exspiraverit.* Hinc Paraphrastes Pseudo-Jonathan *Levit.* XX. 10. supplicium hoc vocat *suffocationem, quæ fit linteo duro in medio mollioris.* Strangulationis pœna nullibi locorum in sacro Codice V. T. expresse commemoratur; multoque minus ritus ille præparatorius, immersio damnati in fimum ad genua usque, qui proin commentum redolet Rabbinicum, non minus quam in combustionis supplicio. Legitur quidem Ahitophel *strangulatus esse*, 2. *Sam.* XVII. 23. & Jobus præoptavit strangulari, quam vivere *Job.* VII. 15. sed prior ille locus de strangulatione voluntaria, quæ fit laqueo seu suspendio; posterior de suffocatione, seu interclusione spiritus, qualis ex morbo vel mœrore accidere potest, intelligendus esse videtur. Interim licuit omnino Judæorum magistratibus, ubi lex Mosaica capitale quidem supplicium decerneret, nec tamen genus supplicii determinaret, strangulationis pœnam rei dictitare.

X. Ceterum ante quam ad exponenda reliqua suppliciorum genera, in sacris litteris commemorata, progrediatur, juvabit, crimina illa explicare, quæ cardinalibus capitis pœnis, hactenus descriptis, ex lege Mosaica subjacuerunt. Ac generatim quidem crimen capitale Hebræis vocatur *Peccatum mortis Deut.* XXII. 26. vel *Peccatum judicii mortis cap.* XXI. 22. vel denique *Peccatum ad moriendum cap.* XVIII. 22. Quam locutionem Johannes imitatus est, quando 1. *Epist.* V. 16. 17. distinguit inter ἁμαρτίαν πρὸς θάνατον, & ἁμαρτίαν μὴ vel οὐ πρὸς θάνατον. Rei ipsi, seu peccatores, qui capitis supplicium meruerunt, Hebræis audiunt *viri* vel *filii mortis* 1. *Sam.* XX. 31. *c.* XXVI. 16. 2. *Sam.* XIX. 29. plane ut is, qui plagas meruit, *filius percussionis* adpellatur *Deut.* XXV. 2. Ac denique capitis pœnam subire, ore Hebræo effertur, *mori* vel *interfici in peccato suo*, *Deut.* XXIV. 16. 2. *Reg.* XIV. 6. Quam judicialem formulam imitatus est Christus, quum Judæis semel iterumque dixit: *In peccato vestro*, vel *In peccatis vestris moriemini*, Joh. VIII. 21. 24.

XI. Ut autem ad rem ipsam adgrediamur, in constituendis singulorum criminum capitalium pœnis Lex Mosaica vel certi quid decernit; ut, quum *lapidationem* vel *combustionem* his illisve facinorosis expresse adjudicat: vel indefinite loquitur, his vel illis generalioribus formulis utens, ומת *is morietur*, מות ימות *moriendo morietur*, מות יומת *moriendo occidetur;* quæ mortem quidem, non vero genus mortis designant. Quid heic igitur judi-

judici Hebræo agendum existimaverimus, in tali casu aliquid arbitrio judicis dari, ut liberum ei sit, pœnam pro circumstantiis criminum vel allevare, vel graviorem dictitare. At Hebræorum doctores definiunt quæ Mosaicæ leges indeterminata reliquerunt, idque beneficio quarundam regularum juris, quas non tam per rationabilem interpretationem ex lege scripta eliciunt, quam majorum suorum orali traditioni transcribunt. Hinc *Aben Ezra* Comment. ad *Levit.* XX. 9. scribit: *Opus habemus traditione patrum nostrorum in definiendis suppliciorum capitalium generibus, quoniam non possumus ea debita ratione definire* (להוציאם לאמיתם) *ex Scriptura*. Et *Maimonides* in *Hilchoth Sanhedrin cap.* XIV. §. I. *Lapidatio quidem & combustio*, inquit, *in Lege ipsa expressæ sunt: sed orali contra traditione a Mose accepimus, ubicunque in Lege dicitur*, Morietur, *vel* Morte plectetur, *absolute, id intelligi debere de pœna strangulationis; gladii vero pœnæ subjacere homicidam ac incolas urbis in idololatriam inductæ*. (12) Hisce consona tradit *R. Sal. Isaacides* Comment. ad *Levit.* XX. 10. ubi ad v. 9. aliam simul regulam præscribit, *Lapidationis pœnam intelligi, ubicunque de damnato dicitur*, *Sanguis ejus in ipso*, vel *Sanguis eorum in ipsis erit*; firmans regulam ex *Levit.* XX. 27. ubi de pythone & hariolo dicitur, *Lapidibus obruent eos, sanguines eorum in ipsis erunt*.

XII. Videamus, an & quatenus hæc magistrorum traditio in ratione fundata sit? Regulæ primæ, *Supplicium capitale, in sacris litteris ipsis non definitur, strangulatio est*, *Coccejo* ad *Sanchedrin cap.* VII. non absurda videtur ratio esse a Rabbinis adducta, *quod ubicunque capitale supplicium non definitur, non liceat tibi ad gravius trahere, sed ad levius*. Verum adhuc sub judice lis est, utrum *strangulatio*, an *pœna gladii*, gravius supplicium sit; certe Judæorum aliqui ipsi de pœnarum vel gravitate vel levitate dissentiunt, uti ostendimus supra, §. IV. Præterea si allegata ratio decidendi omni modo valeret, dispiciendum igitur fuisset, annon alia forte suppeterent supplicia capitalia strangulatione mitiora, verbi gratia, venarum incisio, potus venenatus, & quæ sunt alia hujus generis. Valeret forte magistrorum decisio, si quidem demonstrari posset, strangulationem jam inde a Mose per omnia retro tempora non solum in usu, sed etiam pro mitissimo habitam fuisse supplicio: verum hoc adeo incertum est, ut, fatentibus ipsis Rabbinis, strangulationis pœna ne nomine quidem in sacris literis commemoretur. Denique falsitas regulæ adparet ex *Exod.* XXXI. 14. & *cap.* XXXV. 2. ubi de violatore Sabbati dicitur, *moriendo mori fiat*. Quodsi vera ac certa esse regula Rabbinica, debuisset igitur, casu exsistente; pœna strangulationis in transgressorem illius legis statui. Sed ecce! quum Israelita quispiam die Sabbati collegisset ligna, reponitur in custodia, sub ratione, *quoniam non erat diserte explicatum, quid fieri deberet ei*, hoc est, quo genere mortis perimi deberet, *Num.* XV. 34. Et subsequens declaratio authentica, non *strangulationem*, sed *lapidationem* imperat. Claudicat quoque regula illa in adplicatione ad legem de adulteris, in qua tum adultero tum adulteræ hæc pœna dictatur, *Moriendo mori fiet*, vel *Morientur ambo Exod.* XX. 10. & *Deut.* XXII. 22. Quæritur enim heic, qua morte? Num strangulatione? Ita quidem regula & hypothesis fert Rabbinorum, sed nos lapidationem potius, quam strangulationem, in hoc crimine valere evincimus. Primo enim ex *Deut.* XXII. 23. 24. liquet, ad adulterium a *desponsa* admissum, pœna lapidationis piandum fuisse. Quodsi ergo adulteris *nuptis* strangulatio tantum decernenda esset, sequeretur inde hoc non leve incommodum, quasi minor foret culpa adulterii post matrimonium jam consummatum, quam ante nuptias, post facta demum sponsalia: quia sic gravior pœna in adulteram modo desponsam, quam in nuptam decerneretur; licet illa esset uxor tantum in fieri, & cingenda adhuc, illa vero jam in statu, & cincta. Deinde, quum *Ezech.* XVI. 38. Deus Hierosolymæ, *Judicabo te*, inquit, *judiciis* (id est, suppliciis) *adulterarum & fundentium sanguinem*; id ibidem v. 40. cum respectu ad diversa hæcce crimina sic explicatur: *Obruent te lapidibus*, quæ est pœna adulterarum, *& dissecabunt te gladio*, quæ est poena fundentium sanguinem, seu homicidarum. Tum vero *Joh.* VIII. 5. Scribæ & Pharisæi, adducta muliere quæ in adulterio deprehensa esset, *In lege*, inquiunt, *præcepit Moses, tales lapidari*. Claudicat & alibi regula, ut cum Exod. XXI. 12. de homicida, & v. 17. de plagiario, absolute dicitur, *moriendo mori fiet*; cum tamen Rabbini huic quidem lapidationis, illi vero gladii poenam dictitent. Denique Pseudoprophetam, aut qui nomine Deastri cujus vaticinatur, magistri ex hypothesi sua damnant ad strangulationem; quia *Deut.* XIII. 6. de eo dicitur, יומת *morte perimetur*: sed Zacharias, ad Mo-

Mosaicam legem respiciens, eum gladio contra subjicit, *Confodient eum*, inquiens, *ob vaticinationem ipsius*, *Zach.* XIII. 3. (13) Unde manifestissime consit, formulas illas, *morietur*, *mori fiet*, seu *perimetur*, uti in se generales sunt, sic & in Mosaicis legibus supplicium quodvis capitale significare posse, si vel maxime nil ultra eis sit additum.

XIII. Regula altera, *Homicida & incolæ urbis in idololatriam inductæ*, *subjacent pœnæ gladii*, non traditione sola nititur, sed suis suffulta esse videtur rationibus. Dicitur enim de homicida: *Sanguis ejus per hominem effundetur*, *Gen.* IX. 6. ad quod exsequendum gladio saltem vix quidquam est aptius atque commodius. De urbe ad idololatriam prolapsa, expresse præcipitur *Deut.* XIII. 16. *Percutiendo percuties incolas urbis illius acie gladii*. Adeo ut mirum sit, Rabbinos poenam hujus criminis a traditione potius, quam Lege scripta, repetere. Sed nimirum hoc inde est, quod & de homicida Lex absolute loquitur, *Morte perimetur* *Exod.* XXI. 12. *De altari meo auferes eum ad moriendum* v. 14. quæ verba sec. regulam primam Rabbinorum potius strangulationem, quam poenam gladii, inferunt; ac adeo ab illa regula per aliam traditionem & regulam excipienda fuerunt. Tertia regula, *Lapidationis pœna est*, *ubicunque de damnato dicitur*, *Sanguis ejus in ipso erit*, vitio & ipsa laborare videtur. Nam quæ consequentia est: De pythone atque hariolo dicitur *Levit.* XX. 27. *Lapidibus obruent eos*, cum subjuncta formula, *Sanguines illorum in ipsis erunt*; ergo ubicunque posterior hæc exstat formula, ibi, licet genus mortis non definitum sit, lapidatio tamen intelligitur? Atqui hæc formula generatim dicit, sua perire culpa quisquis pereat; seu caussam mortis non in judice, aut alio quocunque, sed in reo ipso quærendam esse: ac adeo quadrat tam reliquis suppliciis capitalibus, quam lapidationi. Nec abnuit *Aben Ezra* in Comment. ad *Lev.* XX. 9. saltem *de strangulandis æque ac lapidandis dici*, *sanguinem eorum super ipsis esse*.

XIV. Nunc, ubi hæc hactenus monuimus, crimina singula ad suas revocabimus poenas, idque ex Rabbinorum potissimum mente, nempe Talmudicorum in *Sanhedrin cap.* XII. seqq. & *Maimonidis* in *Hilchoth Sanhedrin cap.* XV. §. 10. *seqq.* Igitur *Lapidationi* subjacuerunt: 1. *Qui rem habuit cum matre*, id quod Rabbini per consequentiam videntur elicere ex sequentis criminis poena; 2. *cum noverca*, Levit. XX. 11. 3. *cum nuru*, ibid. v. 12. 4. *cum puella desponsata*, Deut. XXII. 21. 23. 24. 5. *cum mare*, Lev. XX. 13. 6. *cum jumento*, ibid. v. 15. 7. *mulier admittens jumentum*, ibid. v. 16. 8. *blasphemus*, Lev. XXIV. 14. sqq. 9. *idololatra*, nempe quia idololatra Deum blasphemare, ac adeo crimine, quod modo præcessit, se obstringere censetur, coll. quæ §. XVIII. dicemus; 10. *quisquis dederit de semine suo Molocho*, Levit. XX. 2. 11. *Python*, ibid. v. 17. 12. *Hariolus*, ibid. 13. *Seductor*, Deut. XIII. 7. seqq. 14. *Impulsor ad apostasiam*, ibid. v. 6. 15. *Magus*, Exod. XXII. 17. 16. *Profanator Sabbati*, Num. XV. 35. 17. *Maledicens patri aut matri*. Levit. XX. 9. 18. *Filius refractarius & rebellis*, Deut. XXI. 21. Et hæ quidem lapidandorum sunt classes, ex mente Talmudistarum, de jure. Sed & injuste ac de facto lapidationem ab Judæis passi sunt aliqui ex sanctis Dei servis atque Prophetis, sub obtentu, quod *blasphemi* aut *seductores* fuissent, *Matth.* XXI. 35. *cap.* XXIII. 37. *Luc.* XIII. 34. In his nominatim Zacharias Jojadæ filius, 2. *Par.* XXIV. 21. ac Stephanus protomartyr. N. T. *Act.* VII. 58. 59. Quin & Christo ipsi lapidatio ab improbis Judæis, quanquam irrito conatu, intentata est, *Joh.* VIII. 58. 59. *cap.* XI. 33. haud aliter, acsi criminum illorum enarratorum uno aut pluribus se polluisset. Ceterum de *maledicente patri aut matri*, quod erat crimen decimum septimum lapidationem merens, dicitur *Ex.* XXI. 17. *moriendo mori fiet*, absolute. Et tamen, cum ex hypothesi Rabbinica crimen hoc lapidationi subjaceat, novo id documento est, phrasin hanc, *mori*, vel *moriendo perimi*, absolute positam, non præcise *strangulationem* dicere, uti quidem Talmudistarum ferebat regula, superius (§. 12.) a nobis confutata.

XV. Porro *combustionem* passi sunt: 1. *filia sacerdotis*, *quæ scortata erat*, Lev. XXI. 9. 2. *quisquis rem habuit cum filia sua*, aut 3. *cum nepte ex filia*, Lev. XVIII. 10. 4. *cum nepte ex filio*, ibid. 5. *cum privigna*, Lev. XX. 14. 6. *cum filia privignæ*, 7. *cum filia privigni*, 8. *cum socru*, ibid. & Lev. XX. 14. 9. *cum matre socrus*, 10. *cum matre soceri*. Quod tamen ad *filiam sacerdotis*, Rabbini non cælibem intelligunt, sed vel ductam a marito, vel desponsatam: forte, quod Genes. XXXVIII. 24. Judas de Thamara, cui matrimonium cum Sela filio suo promiserat, *Educite eam*, inquit, *ut comburatur*; quam ea de caussa & filiam faciunt sacerdotis & quidem Semi, nulla tamen idonea ratione, uti ostensum est in Dissert. sub meo moderamine ventila-

ta, *de ſtudio partium a SS. litterarum interpretatione removendo*, p. 22. ubi & *R. Meir* laudatus eſt, de judicio illo adverſus Thamaram pronunciato ita ſcribens: *Sic mos fuit illorum, quando vidua quædam leviro obligata erat*. Flammis quoque adſcriptus eſt Achan cum ſuis, ob violatam devoti religionem, Joſ. VII. 15. ubi tamen combuſtio prius exſecutioni data non eſt, quam prævia demum lapidatione, ibid. v. 25.

XVI. *Pœnam Gladii* ſuſtinuerunt duæ tantum facinoroſorum claſſes, 1. *Homicida*, 2. *Incolæ urbis ad apoſtaſiam inductæ*: id quod ſupra §. XIII. jam declaravimus. Reſtat igitur *Strangulationis* ſupplicium: quod luerunt, 1. *Concumbens cum alterius uxore*, Deut. XXII. 22. 2. *qui patrem matremve pulſavit*, Exod. XXI. 15. 3. *plagiarius*, ſeu *qui hominem furatus fuit ex Iſraele*, ibid. v. 16. 4. *Vir edicto ſenatus obnitens*, Deut. XVII. 11. 12. 5. *Propheta falſus*, cap. XVIII. 20. & 6. *qui vaticinatur in nomine Deaſtri alicujus*, ibid. Quæ de adultero & adultera, ex lege ſcripta lapidandis potius, quam ex Judaica traditione ſtrangulandis, jam ſupra (§. XII.) contra Rabbinos monuimus, ea heic ad primam ſtrangulandorum claſſem, ſi volupe ſit, repetantur. Addere hic liceat nobis, ex hypotheſi Rabbinica ſimplicem *idololatram* graviſſimo *lapidationis*, at *prophetam*, *qui vaticinatur in nomine Deaſtrorum*, mitiſſimo ſubjacere *ſtrangulationis* ſupplicio; ac adeo ſeductum ſeverius, ſeductorem vero lenius puniri. Quod ut eſt abſonum, ita ex regula illa juris, a Rabbinis perperam adſumta, quam §. 12. confutavimus, profluxit. Pari modo ex adſumta hac regula id abſurdi ſequitur, ut qui *parentibus maledicit*, ac adeo verbis tantum in eos injurius eſt, *lapidationi*; aſt qui *parentes verberat*, & realibus injuriis lædit, non niſi *ſtrangulationi* ſit obnoxius. Porro in *Pſeudoprophetam*, aut *Prophetam idololatricum*, Talmudiſtæ pœnam ſtrangulationis pronunciant: at *Pſeudo Jonathan*, quamvis ceteroquin Talmudiſtarum placitis ſit addictiſſimus, tamen de utroque dicit Deut. XVIII. 20. *interficietur gladio*. Adeo ſibi non conſtat gens traditionaria.

XVII. Poſt pœnas Hebræorum capitales quatuor ordinarias, & veluti cardinales, earumque cauſſas, hactenus expoſitas, ſequitur nunc, ut de ſecundariis partim & minus uſitatis, partim vero barbaris ſuppliciis, in Scriptura ſacra commemoratis, itidem aliquid adjiciamus. Ubi ante omnia occurrit pœna *ſuſpendii*, ſeu *ſuffixionis in ligno*. Hanc ſcriptores ſacri Vet. Teſtamenti exprimunt verbis חלה, *tollere*, hoc eſt, *ſuſpendere*, חקע *adfigere*, ſive *ſuffigere*, יקע ſive הוקיע, quod uti ſono, ita ſignificatione cum præcedente convenit. De hoc videatur *Num.* XXV. 4. 2. *Sam.* XXI. 6. 9. 13. de illo 1. *Sam.* XXXI. 10. 1. *Par.* X. 10. de iſto *Deut.* XXI. 23. Eadem pœna Hebræorum magiſtris vocatur זקיפה *ſublatio*, & צליבה *ſuffixio*; Græcis vero Novi Teſtamenti ſcriptoribus ὕψωσις *exaltatio*, quæ τὴν ϛαύρωσιν, ſeu *ſuffixionem in cruce*, ſub ſe comprehendit. Conf. *Joh.* III. 14. *cap.* VIII. 28. *cap.* XII. 32. ubi Salvator noſter dicit, ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, *ſi exaltatus fuero de terra*, quod Evangeliſta v. 33. dictum ab eo eſſe interpretatur ad ſignificandum, *quali morte* (nempe crucifixionis) *eſſet moriturus*. Quin & adpellatur κρεμᾷν *ſuſpendere*, ſive abſolute, ſive cum addito ἐπὶ ξύλου, *a ligno*, *Luc.* XXIII. 39. Act. V. 30. *cap.* X. 39. Et quod magis eſt, verba illa Legis *Deut.* XXI. 23. *Maledictus ſit quisquis pendet a ligno*, ab Apoſtolo ad ſuffixionem Chriſti in cruce diſerte referuntur *Gal.* III. 13.

XVIII. Quid ſentiendum igitur de *pœna ſuſpendii*, ac inprimis de *ſuffixione in cruce*? Fuitne Hebræis uſu recepta, nec ne? Fuit utique ſed non eo, ut apud alias gentes, modo. Nam primo apud Hebræos ſuſpendium paſſi ſunt, non vivi, ſed quovis alio ſupplicii genere, ac nominatim lapidatione, jam interemti; idque ſpectaculi cauſſa, & ad ampliandum intuentibus terrorem. Unde quod *Num.* XXV. 4. ſecundum veritatem Hebraicam eſt *ſuſpende eos*, id LXX. Interpretes reddiderunt, παραδειγμάτισον αὐτοὺς, id eſt, *fac, ut* aliis *exemplo* & ſpectaculo *ſint*. Plane ut 1. *Sam.* XXXI. 8. ſeqq. Philiſtæi cadavera Saulis & filiorum ejus, poſtquam in prælio cecidiſſent, a muro urbis Scythopolis ſpectaculi cauſſa ſuſpenderunt. Igitur ſuſpendium prævia morte apud Hebræos ita ſe habuit, uti combuſtio Achanis poſt ejus lapidationem *Joſ.* VII. 25. (14) Deinde vero ſuſpenſorum cadavera non relinquebantur in patibulo, ſed ante occaſum ſolis detracta de ligno, humabantur. Huc ſpectat locus *Deut.* XXI. 22. 23. *Si quis reus fuerit criminis capitalis, indeque mortem luerit, & ſuſpenderis eum a ligno*; (En igitur, quod mors præcedere, ſuſpendium vero ſequi debuerit:) *ne pernoctare ſinas cadaver ejus in ligno*; *ſed ſepeliendo ſepelias ipſum eodem die*, cetera. Ex quibus verbis ſimul colligi poteſt, liberum fuiſſe magiſtratibus, ſuſpendium a ligno exercere in quorumvis facinoroſorum cadaveribus: quemadmodum & 2. *Sam.* IV. 12.

12. legimus, parricidas Isbosethi, jussu Davidis, (gladio probabiliter) interemtos, interemtorum vero cadavera, præsectis prius manibus pedibusque, Hebrone juxta piscinam suspensa fuisse. (15) Et vero hac in re secessionem facimus a Talmudistis in *Sanhedrin cap.* VI. §. 4. qui, quum R. Eleasar adseruisset, omnes in universum lapidatos suspendi, contradixerunt: *Non suspenditur, nisi blasphemus & idololatra*. Rationem, cur duobus tantum his facinorosorum generibus suspendii pœna adstringenda sit, exponit *Maimonides* in *Hilchoth Sanhedrin cap.* XV. §. 6. estque desumta ex verbis, locum illum paulo ante adductum immediate subsequentibus, *Quoniam maledictio Dei est suspensus*, *Deut.* XXI. 23. Atqui, inquiunt, *maledictio Dei*, seu qui maledicit Deo, *blasphemus* est. Sed & de idololatra (sic illi porro subsumunt) dicitur, *Dominum ille blasphemat*, *Num.* XV. 30. At enim vero, locus hic postremum allegatus non de idololatra agit, (uti quidem *R. Samuel fil. Meir* in Comm. eum explicat), sed generatim de peccatore proæretico, opposite ad eum, qui peccat per errorem, coll. v. 27. eamque ob caussam parum quadrat ad id, quod quærunt Talmudistæ. Sed & in superiore illo Deuteronomii loco perperam *maledictio Dei* ab Judæis capitur pro eo, *qui maledicit Deo*; cum potius notet *maledictum a Deo*, hoc est, Deo invisum & exsecrabilem: sicut *abominatio Dei cap.* VII. 25. dicitur, *non qui Deum abominatur*, sed *quem*, vel *quod abominatur Deus*.

XIX. Est quidem, ubi pœna suspendii apud Hebræos a viventibus quoque sumta esse videtur; nimirum *Num.* XXV. 4. ubi postquam Israelitæ ad scortationem & idololatriam a filiabus Moabiticis inducti fuissent, Deus ad Mosen. *Accipe*, inquit, *omnes primores populi, & suspende eos Domino coram sole*. Sed quod l. c. vulgo vertitur *accipe*, quasi Moses juberetur principes ad supplicium rapere, reddendum est potius *assume*, ut intelligatur Moses principes illos in societatem adsciscere debere in instituendo contra facinorosos judicio; plane ut sumsit interpres Arabs, qui vertit, *sume tecum*, & *Onkelos*, qui sic reddidit, *assume omnes principes populi, & judica, occideque*, cetera: quo pacto illud, *suspende eos*, non ad principes refertur, qui cum Mose judicaturi erant, sed ad facinorosos. v. 1. 2. 3. descriptos. Hoc vero mandatum quomodo exsequutioni dedit Moses? Id dicit ibidem v. 5. sequens comma: *Dixit Moses ad judices Israelis*, (hi vero iidem sunt, qui v. 4. *principes* vocabantur:) *Occidite quisque viros suos, adsociatos Baali Peoro*. Inde igitur porro probabile fit, reos illos a magistratibus prius capitali supplicio adficiendos, & tum demum, ubi hoc factum, suspendendos, atque ita publico spectaculo ceteris in exemplum proponendos fuisse: quemadmodum *Jos.* VII. 15. reus anathematis jubetur quidem *igne comburi*; sed combustioni præmissa est lapidatio v. 25. Adeo ut hoc quidem exemplum reliquæ Hebræorum praxi nequidquam fuerit contrarium.

XX. Aliud exemplum videmus objici nobis posse, nempe illud septem filiorum & nepotum Sauli regis, a quibus, propter injuriam Gibeonitis ab Saulo illatam, pœna suspendii sumta est, primo sine ulla mentione prævii cujusdam supplicii, secundo ita, ut suspensi manserint inde a principio messis triticeæ, usque dum imber de cælo super illos effusus esset, 2. *Sam.* XXI. 6. *seqq.* Sed respondemus: Argumentum a silentio prævii supplicii non satis tutum est. Deinde urgere possemus, casum illum prorsus fuisse extraordinarium, ut ratione ipsius actus suspendii in viventes statuti, ita ratione durationis mansionisque suspensorum in patibulis. Sed quod maxime considerandum, in exemplo illo non Israelitæ, sed Gibeonitæ suspendii pœnam a reis sumserunt, *coll. v. 6. 9.* Ab alienigenis vero ad Israelitas argumentari non licet. Sic *Esr.* VI. 11. Persarum rex Darius decernit, ut si quis edicto regio refragaturus esset, *lignum de domo ejus erueretur, isque suspensus* (זְקִיף *exaltatus*) *adfigeretur ei*. Sic item Romani, quum rerum in Judæa potiti essent, *crucifixione* (uti ex historia passionis Dominicæ liquet) in damnatos usi sunt quidem: & hæc tamen pœna, non domestica Judæis, sed adventitia, & cum Romanorum demum dominio in Judæam illata fuit. (16) Unde si Judæorum Synedri Jesum Christum, salvatorem nostrum, suis ipsorum institutis ac legibus, quasi vel blasphemum, vel seductorem, judicare, consultum duxissent, lapidibus eum obruturi fuissent, coll. supra §. XIV. Atqui certo consilio & certis rationibus inducti, maluerunt eum quasi rebellem ac seditiosum hominem, qui Cæsari tributa dari prohibuisset, ad præsidis Romani judicium delatum, capitis accusare, *Luc.* XXIII. 2. Ac adeo Christus supplicium capitale subiit, non Judæis proprium domesticumque, sed exoticum, peregrinum, Romanum. Quod autem Pontifices ac Synedri Jesum non ipsi judi-

dicaverint, sed Pilato crucifigendum tradiderint, ejus rei rationem Cel. *Stockius Dissert.* I. *de pœnis* p. 22. hanc reddit idoneam: *Motus plebis*, inquit, *timebant, quos interfecto Christo adversus se fieri credebant. Hos ergo evitaturi, eum Pilato tanquam seditionis reum crucifigendum tradebant*, Luc. XXIII. 2. coll. Matth. XXVII. 63. Qua in re consilium & providentiam Dei, nutu omnia hominum gubernantis, & ad exsequendum decretum suum sapientissime dirigentis, observavit Evangelista *Joh.* XVIII. 31. 32. nempe, *ut impleretur verbum Jesu, quod dixerat, significans, quali morte defuncturus esset.*

XXI. Ad pœnas capitales minus solemnes, & extraordinarias, pertinet mortifera *telorum jaculatio* in delinquentes, quam vocabulo nostri sæculi, & nobis vernaculo, Arquebustrung adpellare potueris. Et vero hæc nobis est, quæ *Exod.* XIX. 13. his verbis, ירה יירה, hoc est, secundum LXX. interpretes Græcos, *βολίδι κατατοξευθήσεται*, secundum Latinum vulgatum, *confodietur jaculis*, sec. Arabem, *jaciantur in eum tela*, sec. Chaldæum, Syrum & Samaritanum, *aut jaculando perimetur*, & elegantissime secundum vernaculam Luth. versionem, oder (er soll) mit Geschoß erschossen werden / designatur. Erat illa ad tempus tantummodo instituta, quum populus Israeliticus, excipiendæ legis caussa, ad radices montis Sinai staret, & septis quibusdam seu limitibus a contingendo ipso monte arceretur, quos limites quisquis transilire ausurus esset, eum Israelitæ, reliqui *videntes, vel lapidibus e loco stationis suæ perimere illico, vel, si jam procul abesset, telis conficere debebant*, ut recte ad h. l. notavit *Aben Ezra*. Et poscebant omnino circumstantiæ instans hujusmodi & præsentissimum supplicium: quia reliquis Israelitis non licebat, transgressorem persequi, retractumque pœna adficere ordinaria. Sic enim & ipsi limites constitutos excessissent, & irreverentiæ erga sanctissimum Numen rei futuri fuissent. Quamvis autem Talmudici doctores illud ירה יירה intellexerint, *dejiciendo dejicietur*, & cum superiore, *lapidando lapidabitur*, unum idemque supplicii genus, quod vero actibus tantummodo diversum esset, constituere putaverint; tamen hunc errorem jam supra confutavimus §. V. Certe quod verba hæc aliud a lapidatione supplicium denotent, particula disjunctiva interposita docet, *lapidando lapidabitur*, aut *telis perimendo perimetur*. Quod vero illa non dicant actum aliquem præcedaneum in supplicio lapidationis sumendo, uti quidem Talmudistarum fert opinio, id ipse orationis ordo docet, quo *lapidatio* præcedit, יירה vero, hoc est, *telorum jactus*, demum sequitur. Ceterum ירה *jaculationem telorum* designare, non solum cum telorum expressa adjicitur mentio, v. g. 1. *Sam.* XX. 20. 36. 37. 2. *Reg.* XIX. 32. sed etiam cum Verbum illud absolute ponitur, v. g. 1. *Sam.* XXXI. 3. 2. *Sam.* XI. 24. *cap.* XX. 4. 1. *Par.* X. 3. 2. *Par.* XXXV. 23. id ex locis modo adductis in confesso est, & manifestum.

XXII. Eodem pertinet *πρίσις*, seu *Dissectio quæ fit serra*, dirum & immane supplicii genus, quo tamen (ut complurium ex Judæis, & christianæ antiquitatis constans est traditio) Manasses, Judaicorum Regum improbissimus, in excellentissimum Prophetarum Esaiam crudelissime abusus est. Testimonia tum Rabbinorum, tum Ecclesiasticorum scriptorum, hanc in rem collecta, tum in Ven. D. I. H. *Michaelis Præf. in Jesaiam* §. V. tum apud *Joh. Casp. Svicerum* in *Thes. Eccles.* sub voce *πρίω*, videri possunt. Quoquo autem modo se res habeat de martyrio isto Esaiæ, si non ille, certe alii ex prophetis, aut piis confessoribus Dei, tempore Veter. Testamenti serræ ab improbis tyrannis subjecti sunt. Hoc enim diserte dicit Apostolus *Hebr.* XI. 37. *ἐπρίσθησαν serrati sunt*. Non inusitatum autem Orientalibus hoc supplicium fuisse, colligimus ex 2. *Sam.* XII. 31. & 1. *Par.* XX. 3. ubi David Ammonitas, nefarie & insolentissime adversum se insurgentes, *serrasse* legitur. Aliter quidem utrumque locum explicare conatus est *Joh. Andr. Danzius* Dissert. de *mitigata Davidis in devictos Ammonitas crudelitate*; verba sic reddens: *Et posuit ad serram*, sc. trahendam, pro secandis lignis, & *in ferri fodinis*, ad fodiendum parandumque ferrum, *atque ad scalpra ferrea*, secandorum lapidum, *postquam transire fecisset eos una cum rege suo* in exilium. Sed sunt, quæ assensum nostrum, huic novæ explicationi præbendum, adhuc suspendunt; quæ tamen brevitatis caussa exponere nobis nunc non licet. (17) Potius ad alia hujus generis dira supplicia enarranda pergimus.

XXIII. In horum numero est הידום, seu *διχοτομία*, *Dissectio*, cujus tum *Dan.* II. 5. *cap.* III. 29. tum *Matth.* XXIV. 51. & *Luc.* XII. 46. fit mentio. Illic Nebucadnetsar Babylonius partim Chaldæis, *Nisi indicaveritis mihi*, inquit, *somnium, & interpretationem ejus*, הדמין תתעבדון *frusta fietis*, seu *in frusta concidemini*, hoc est, secundum interpretem Syrum, *membratim concidemini*; partim vero edicit, ut, si quis blasphemiam contra

tra

tra Deum Sadrachi, Mesachi & Abednegonis dicturus esset, הדמין יתעבד *is in frusta conficiatur*. Heic vero de improbo servo dicitur, *Veniet Dominus illius die, quo non exspectat, & hora, qua non novit*, καὶ διχοτομήσει αὐτὸν *& dissecabit eum*, puta, membratim. Hæc enim, nisi fallimur, differentia est hujus supplicii ab illo, quod superiore §. XXII. modo explicavimus, quod dissectio illic serra, heic cultro; illic in duas, hic vero in plures partes & membratim facta est. Nam verbum illud הרם, quo supplicium hoc nominatur, in Chaldaica paraphrasi 1. *Reg.* XVIII. 33. de *dissectione* victimarum in frusta adhibetur: pariterque διχοτομεῖν apud LXX. Interpretes in victimarum negotio respondet Hebræo נתח quod est *dissecare*, sive *membratim concidere*, *Exod.* XXIX. 17. Et נתחים itemque בתרים, quæ *partes*, seu *membra*, dissectarum victimarum denotant, exprimuntur per διχοτομήματα, ibidem, & *Lev.* I. 8. *Gen.* XV. 11. Ut adeo si formam & modum sumendi hujus supplicii quadantenus cognoscere cupis, ad victimarum dissectionem, veluti ad exemplar & typum, ablegandus sis. Aliquam cum hoc supplicio analogiam habet, quod David percussores Isbosethi, quanquam prius interfectos, manibus pedibusque mutilari jussit 2. *Samar.* IV., 12. (18)

XXIV. *Dissectioni per serram*, & *concisioni membrorum*, adfinis est בקיעת ההרות ἀναῤῥήξις, sive διαῤῥήξις, *Discissio gravidarum*, bellicum, idque immane supplicium, cujus mentio fit 2. *Reg.* VIII. 12. ubi Elisæus Hazaeli Syro, *Gravidas Israelitarum*, inquit, *discindes*; & *capit.* XV. 16. ubi Menahem, Israeliticus rex, capta urbe Thiphsach, *omnes gravidas ejus discidisse* legitur. Idem supplicium Samariæ denunciatur inferendum, eo quod Deo suo immorigera exstitisset, *Hos.* XIV. 1. Et quoniam Syri sine caussa in miseros Israelitas immani hoc supplicio sævierant, graviter id eis exprobatur, *Amos* I. 13. Sævitia videlicet est illa, qua (ut vernacula fert loquutio) des Kindes in Mutter-Leibe nicht verschonet wird.

XXV. Porro huc refertur ריטוש העוללים *Allisio*, inprimis *infantum*, sive ad solum, sive ad saxum, sive ad angulos parietum. Græci ἐδαφισμὸν vocant, vel ἔῤῥασιν, vel denique ῥῆξιν. Commemoratur illa in propheticis comminationibus 2. *Reg.* VIII. 12. *Esa.* XIII. 16. 18. *Hos.* X. 14. *cap.* XIV. 1. *Nah.* III. 10. quibus adde imprecationem illam adversus Babylonem *Ps.* CXXXVII. 9. *Beatus, qui adprehenderit*, ונפץ *& alliserit infantes tuos ad saxum!* nempe ut par pari referatur tibi, & eandem crudelitatem, qua tu sæviisti contra alios, vicissim talionis jure experiaris. Documento igitur sunt hæc supplicia, quousque progrediatur tum impietas hominum, quæ tanta subinde est, ut vix aliter quam horrendis his coerceri possit carnificinis; tum immanitas, quæ in bello seipsam nonnunquam superat.

XXVI. Eodem loco habetur שמיטה, κατακρημνισμὸς, *præcipitatio ex alto*: supplicium, quod Judæi, regnante Amatsia, Idumæis irrogarunt, *coll.* 2. *Par.* XXV. 12. *Decies mille* Idumæos *vivos ceperunt Judæi, quos in cacumen petræ adductos, inde præcipitaverunt, ita ut omnes rumperentur*. Idem supplicium Jehu in improbam Jesabel statuit, *dicens* aulicis ex regia prospectantibus, *Dejicite eam*, qui *& dejecerunt eam*, adeo ut *pars aliqua sanguinis respergeretur ad murum & equos*, 2. *Reg.* IX. 33. Sic divino ardens zelo David, de impiis persecutoribus, *Dejiciantur*, inquit, *per latera petræ! Psal.* CXLI. 6. Contra in furorem improbum acti Nazarethani, Jesum duxerunt usque ad supercilium montis illius, cui ipsorum urbs inædificata erat, εἰς τὸ κατακρημνίσαι αὐτὸν, *ut præcipitem darent illum*, *Luc.* IV. 29. Et tyrannico Antiochi jussu, Ethnici duas mulieres Judæas, quod filios circumcidissent suos, revinctis ad ubera illarum infantibus, publice circumductas, de muro tandem ἐκρήμνισαν, *præcipitarunt*, 2. *Macc.* VI. 10. Hanc pœnam non Judæis solum, sed Græcis quoque & Romanis receptam fuisse, ostendit *Suicerus* in *Thes. Eccles. Tom.* 1. *p.* 408. Quo pertinet, quod Æsopum Delphenses ὦσαν κατὰ κρημνοῦ, *de rupe præcipitem egerunt*, teste *Suida* in Ἔωσεν; & quod apud *Livium Dec.* I. *lib.* IV. *damnatum* Manlium Capitolinum *tribuni de saxo Tarpejo dejecerunt*.

XXVII. Novum, sed non minus dirum supplicii genus fuit ὁ καταποντισμὸς. *Submersio*. (19) Vestigium ejus exstat in decreto illo Pharaonis, quo Ægyptios omnes in Hebræorum infantes armavit, præcipiens eis; *Omnem filium nasciturum Hebræis, in Nilum projicietis*, *Exod.* I. 22. Ejus vero immanitatis tum Pharao tum Ægyptii justam persolverunt pœnam; utpote aquis aglosi maris, sive sinus Arabici, vicissim suffocati, *Exod.* XIV. 27. 28. ut vel hoc ipso exemplo confirmaretur, quod dicit proverbium, *Per quod quis peccat, per id punitur & idem*. Supplicium hoc olim a Græcorum more alienum, in Oriente contra frequens fuit. Nam apud *Curtium lib.* X. *cap.* IV. cum quidam ex Macedonibus ad Alexandrum ita loquutus fuisset, *Quo usque animo tuo*

etiam

etiam per supplicia, & quidem Externi moris, *obsequeris?* rex *rursus mergi in amnem, sicut vincti erant*, jussisse legitur. Ad illud igitur supplicium respectum fuit, cum in Veteri, tum in N. Testamento. Nam *Jer.* LI. 63. 64. legitur Propheta Serajæ, Babylonem ituro, injunxisse, ut, si libellum vaticiniorum contra Babylonem, sibi ab Jeremia traditum, illic legisset, *alligato lapide eum in Euphratem præcipitans*, hæc verba diceret: *Ita mergetur Babylon, nec resurget!* Et Salvator noster *Matth.* XVIII. 6. *Qui scandalizaverit unum*, inquit, *de pupillis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatnr in profundum maris*. Ad quem locum *Hieronymus: Secundum ritum provinciæ loquitur, quo majorum criminum ista apud veteres Judæos pœna fuerit, ut in profundum, ligato saxo, mergerentur*. Rectius tamen forte dicturus, *apud veteres Syros*, vel *in Oriente*. Quia nusquam videmus, apud Judæos nominatim hoc supplicium in usu fuisse. Videantur ad eundem locum *Joh. Clericus* in *Adnotatt. ad Hammond*, & *Joh. Christ. Wolfius* in *Curis philol. & crit.*

XXVIII. Locum quoque heic invenit *Projectio* damnatorum *in leonum foveam*, ita ut *bestiarii*, sive θηριόβρωτοι, *a bestiis devorati* fierent. In usu fuit apud Persas Medosque; uti videre est ex historia Danielis, *cap.* VI. 8. 17. 23. 25. quem cum iniqui cavillatores huic supplicio doloso, sed irrito conatu destinavissent, illo quidem per miraculum salvo, ipsi id supplicii (uti meruerant) cum suo suorumque exitio subjerunt. Convenit cum illo supplicio, quo Romani utentes, sceleratos in caveis theatrorum bestiis objiciebant. Ad quem ritum Paulus respiciens, 1. *Cor.* XV. 32. tropo inde sumto, *Si secundum hominem*, inquit, ἐθηριομάχησα; *cum bestiis depugnavi*. 20. Tandem huc refertur ὁ Τυμπανισμὸς, id est, *Fustigatio*, seu *Verberatio* usque ad mortem, Apostolo commemorata *Hebr.* XI. 35. ubi, confessores veri cultus tempore Maccabæorum (uti videtur) respiciens, de illis dicit, ἐτυμπανίσθησαν, hoc est, ut *Œcumenius* explicat, διὰ ῥοπάλων ἀπέθανον, *per fustes mortui sunt*, seu *fustibus ad mortem usque cæsi sunt:* a Nomine τύμπανον, quod & *fustem* notat, dictum ἀπὸ τοῦ τύπτειν, a *verberando*, & ipsum quoque *fustigationis supplicium*, suppliciique locum, 2. *Macc.* VI. 19. 28. ubi, quid sit τύμπανον & τυμπανίζεσθαι, ex v. 30. liquet: Μέλλων δὲ ταῖς πληγαῖς τελευτᾷν, *Verberibus autem moriturus* pius confessor, *ingemiscens dicebat: Domino, sanctam habenti scientiam, manifestum est, quod, licet a morte liberari queam*, (plane ut Apostolus l. c. de his, qui ἐτυμπανίσθησαν, dicit: *Non admittentes*, licet oblatam, *liberationem*) *tamen duros perferam in corpore dolores*, μαστιγούμενος, *verberibus cæsus*. Plura de hoc supplicio dabit *Suicerus* in Thes. Eccl. sub τυμπανίζω. (21)

XXIX. De capitalium suppliciorum numero, generibus, modis caussisque vidimus hactenus. Sequitur nunc, ut dispiciamus, ad quem judicem caussæ capitales in Republica Hebræorum pertinuerint. Talmudistæ in Cod. *Sanhedrin* c. 1. §. 4. *Capitalia judicia*, inquiunt, *a viginti tribus exercentur. At* (sic addunt ibidem §. 5.) *integra tribus, pseudopropheta, & sacerdos magnus, non nisi a* LXXI. *judicum consessu judicantur* Paullo post: *In nullam urbem sententia universalis apostasiæ fertur, nisi a* LXXI. *judicum collegio*. Adparet, capitales pœnas, ex illorum mente, partim a minoribus Synedriis, partim a Synedrio magno pronunciatas fuisse. Et vero iidem §. 6. de duobus hisce Collegiis sic habent: *Synedrium magnm constitit* LXXI. *viris; minus vero tantum* XXIII. Quem numerum quomodo ex dictis Scripturæ S. ibidem extorqueant, id explicare nihil ad nos jam attinet. His igitur duobus collegiis (ut supra vidimus §. 3.) tribuunt potestatem irrogandi IV. *supplicia, lapidationem, ustionem, interemtionem quæ fit gladio, & strangulationem:* cum (quod mirum est) Regi e contrario non nisi *pœnam gladii* concedant. Sic enim ex illorum doctrina *Maimonides* in *Hilchoth Sanhedrin* c. XIV. *Unumquodque horum suppliciorum, ut præceptum adfirmativum incumbit Senatui, ad occidendum eo quisquis illud meruit: at Regi non est potestas infligendi aliud ullum, quam gladii solum*. Utut vero fortasse hæc praxis fuerit ultimorum temporum stantis Reip. Judaicæ; tamen sub Josua, Judicibus & Regibus nulla vel Synedrii magni, quod in Republica perpetuum esse deberet, vel potestatis regiæ circa puniendos sceleratos, in hunc modum restrictæ & coarctatæ, clara ex sacris literis cernimus vestigia, vide *Joh. Clerici* Dissert. de *Synedrio* LXXII. *virorum*, ejus *Commentario in libros Historicus V. T.* subjunctam. Tantum scimus, debuisse ab Israelitis magistratus in singulis constitui urbibus, ad cognoscendas & judicandas caussas quascunque, *Deut.* XVI. 18. *Judices & scribas constitues tibi in omnibus portis tuis, quas tibi Dominus Deus tuus daturus est secundum tribus tuas; & judicabunt*

bunt populum judicio justo. Scimus item, in difficilioribus ac dubiis caussi recurrendum fuisse magistratibus ad collegium sacerdotum, in loco sanctuarii residentium, vel ad Judicem quoquo tempore futurum, *Deut.* XVII. 8. *seqq. Si quid intricatius fuerit, quam ut solvendo par sis, in judicio cædis, aut litis, aut plagæ, de quo caussa dicta sit in portis tuis, tum surgens adscendes ad locum illum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Ibi vero adibis sacerdotes Levitas, aut Judicem qui erit tempore illo: eosque interrogabis, atque indicabunt tibi, quid sit jus*, cet. Denique scimus, Regum quam maxime fuisse, magistratus judicesque constituere. Quod nisi fuisset, non id arrogaturus sibi fuisset pius rex Josaphatus, teste historia sacra 1. *Par.* XIX. 5. (ad exemplum Davidis, coll. 1. *Part.* XXVI. 29. 32.) *constituit judices in terra, in omnibus urbibus Judææ munitis, oppidatim. Sed &* (sic ibidem v. 8. porro dicitur) *Hierosolymæ quoque constituit aliquos ex Levitis, sacerdotibus, & principibus familiarum Israelis, ad judicium Domini, & ad disceptandas lites*. Atque his pius rex v. 10. *In omni*, inquit, *lite, quæ ad vos delata fuerit a fratribus vestris, habitantibus in oppidis suis*, de discrimine *inter cædem & cædem*, cet. *commonefacietis eos*.

XXX. Alia vero hic quæstio incidit, num penes Judæorum Synedrium tempore crucifixionis Christi adhuc fuerit jus vitæ & necis, sive potestas infligendi pœnas capitales? Negant aliqui; alii vero adfirmant. (22) Qui negant, gemino hoc nituntur fundamento: primo, quod Judæi ipsi *Jon.* XVIII. 31. Pilato, *Nobis*, inquiunt, *non licet occidere quemquam*; deinde, quod Talmudistarum est traditio, XL. *annis ante excidium Templi posterioris ablata esse judicia capitalia ab Israele*, coll. *Schickardo de jure reg. Hebr. cap.* IV. Theor. XIV. & ad eum *Carpzovio* not. (p) pag. 252. seq. (23) Qui vero adfirmant, ad prius argumentum respondent, orationem Judæorum non absolute capiendam esse, sed cum aliquo temperamento & restrictione; nempe non licere sibi quemquam occidere, qui crimen læsæ majestatis commiserit; ut qui prohibeat Cæsari tributa dari, ac regiam adfectet dignitatem. Hoc enim nomine Judæi Jesum criminati sunt *Luc.* XXIII. 2. ut quasi rebellem ac seditiosum reipublicæ turbatorem præsidi Romano ad supplicium crucis traderent, coll. *Joh.* XVIII. 33. (24) Ad alterum reponunt, traditionem illam Talmudicam non esse usque quaque admittendam; quum si illam Reipublicæ conversionem innueret, qua Judæa, in provinciæ formam redacta, a Romanis cœpit gubernari præsidibus, non XL. sed LXI. anni ante excidium templi facta dicenda esset, uti *Jos. Scaliger Animadvers.* in Chronol. Eusebii. f. 182. a observavit. Ajunt contra, Judæis, exceptii tantum caussis, quæ ad statum publicum attinebant, ceterum suis vivere legibus a Romanis permissum fuisse, ut in rebus ad religionem ac legem maxime spectantibus, facinorosos capite plectere possent. Id ipsum innuere Pilatum, quum *Jos.* XVIII. 31. Judæis dicit: *Sumite ipsum vos, & secundum legem vestram judicate*; & cap. XIX. 6. *Sumite ipsum vos, & crucifigite*. In quibus verbis ironia neutiquam sit necessaria. Ajunt, idem probari ab exemplis: ut, quum Stephanum protomartyrem, quasi blasphemum, in judicium vocarunt, ac productis contra eum quanquam falsis testibus, capitis damnaverunt, indeque ad supplicii locum eductum, lapidibus obruerunt, testibus (ut lex Mosaica requirebat) primum saxum in eum conjicientibus, *Act.* VI. 12. seqq. *cap.* VII. 58. seqq. Item quum, Tertullo oratore verba faciente, Præsidi Romano de Paulo dicunt: *Qui templum tentavit profanare, quem & prehendimus, & secundum legem nostram voluimus judicare* Act. XXIV. 6. Ac denique Paulus fatetur, se in pristina infidelitate *multos sanctorum carceribus conclusisse; potestate a Pontificibus accepta, & quum illi interficerentur, suffragium tulisse*, cap. XXVI. 10. Quæ perpendentes, non possumus, quin illorum accedamus sententiæ, qui capitalium suppliciorum jus eo tempore quidem imminutum, sed non penitus ablatum fuisse existimant. (25.)

XXXI. Supplicia capitalia a damnatis exigere, priscis temporibus res neutiquam fuit ignominiosa atque infamis. Ad irrogandum illa nullo fuit opus carnifice, professo saltem, & qui spartam hanc solus, nec sine labe, administrasset: ut potius honestissimi quique hanc provinciam cepisse in sacris literis legantur. (26) Non dicemus quidem, magistratus ipsos suis manibus supplicia a damnatis sumsisse: quia, licet e. g. Pharao, rex Ægypti, Pincernam suum patibulo suffixisse legatur *Gen.* XL. 22. & Moses jussus sit, capite sontes plectere, *Num.* XXV. 4. Pilatus item sumsisse dicatur Jesum, & flagris cæcidisse, *Jon.* XIX. 1. tamen id procul dubio interpretandum est ex notissimo canone: *Quod quis per alium facit, ipse fecisse videtur*. Attamen non nisi honestæ personæ in Scriptura sacra leguntur, in irrogandis suppliciis, carni-

ficum loco fuisse. Nempe si capitalis sententia regalibus auspiciis exsequenda esset, milites & in his honoratissimi quique, isti muneri præfuerunt. Sic David, pœnam exacturus ab Amalekita illo, Sauli, ac Rechabo & Baana, Isbosethi percussoribus, utitur ad id opera הנערים *iuvenum*, 2. Sam. I. 15. c. IV. 12. id est, *militum*, de quibus nomen illud synecdochice dicitur *c.* II. 14. 21. *cap.* XVIII. 15. Sed nec Benajæ, qui Crethæis atque Plethæis, hoc est, prætoriano militi Davidis ac Salomonis, præfuit, 2. *Sam.* XX. 23. turpe est habitum, Salomoni manum commodare suam in cædendis Adonia, Joabo, Simejo, 1. *Reg.* II. 25. 34. 46. Quin præcipuorum militum, quos prætorianos Romani adpellare solebant, hoc veluti proprium munus fuisse videtur, Regibus a custodiendis plectendisque morte facinorosis esse: unde & טבחים *trucidatores*, seu *mactatores*, forte adpellati sunt. Sic Potiphar, ex magnatibus Pharaoni, fuit *præfectus* טבחים, idemque custos captivorum, *Gen.* XXXIX. 1. 20. *cap.* XL. 3. ubi, quod in Hebræo est *præfectus satellitum*, seu *mactatorum*, paraphrastes Chaldæus, Latina utens voce, reddidit, רב ספוקלטוריא *præfectus spiculatorum*, sive ut alii scribere malunt, *speculatorum*. Talem igitur σπεκουλάτωρα, seu *speculatorem*, misit quoque Herodes ad decollandum Johannem Baptistam, *Marc.* VI. 27. 28. Ceterum si quis reus jussu & auspiciis Synedrii interficiendus esset, *eum* (ut *Maimonides in Hilchoth Sanhedrin.* cap. XIII. §. 1. habet) *testes ipsius occiderunt quocunque mortis genere, ad quod damnatus erat. Homicidam vero, quem testes ipsius non occiderunt, interficere debuerunt per manum hominis cujuscunque.* De seductoribus, itemque seductis ad idololatriam, expressa est constitutio divina, *manum testium primum adversus eos esse debere, ad interficiendum eos, deinde vero manum totius populi*, Deut. XIII. 10. cap. XVII. 7. Quod de manu testium sancivit Lex, id traditionarii Judæi eo superstitiose extendunt, ut, *si quis reus non potuerit vinciri usque ad diem supplicii promeriti, testes peracto judicio, eum, quocunque possunt, supplicio perimant: nec vero liceat reliquo populo prius ipsum interficere. Proinde, si manus testium* a resistente *succisa fuerit*, damnatus *liber est: sin vero testes jam ante manibus fuerint mutili, tum demum occiditur manu aliorum.* Sic habetur apud *Maimonidem* l. c. Cap. XIV. §. 8.

XXXII. Locus irrogandi supplicii fuit olim, quum Israelitæ in eremo sub tentoriis adhuc agerent, *extra castra*; v. g. cum ille blasphemus, & ille Sabbati profanator, lapidibus obruendi essent, *Lev.* XXIV. 14. & 23. *Num.* XV. 35. postea vero quam Cananæam ingressi essent, *extra urbem*; ut in judicio illo adversus Nabothum instituto 1. *Reg.* XXI. 13. (27) Unde quod Apostolus *Hebr.* XIII. 12. cum respectu ad sacrificia quædam, quæ extra castra fuerint combusta, monet, *etiam Jesum extra portam passum esse;* id & ad hunc locum suo modo transferre licet, cum subjuncta ibidem paræneſi v. 13. *Exeamus igitur ad eum extra castra, probrum ejus ferentes.* (28) Excipitur tamen casus puellæ desponsæ, virginem mentitæ, cum vitiata esset. Hæc enim, quod scortando labem adspersisset paternis ædibus, *ad ostium domus patris sui* educta, lapidari jussa est *Deut.* XXII. 21. Excipitur item, si quando reges, velut ex plenitudine potestatis, ab hac regula discessionem fecerunt, uti David & Salomo in exemplis modo adlatis §. XXXI. Inprimis vero excipitur casus ille prorsus extraordinarius Joabi, qui, quum altaris cornua tenens, ad summum Dei judicium provocare visus esset, nec exire domo Dei vellet, jussu Salomonis, qui de justitia sententiæ a se latæ certus, judicium illud Dei nequaquam formidabat, apud ipsum altare est interemtus, 2. *Reg.* II. 28. seqq. Hoc exemplum forte imitari, sed perperam, præsumsit rex Joasus, qui, quasi & ipse judicium Dei haud metuendum haberet, Zachariam Jojadæ filium in atrio Templi lapidibus obrui jussit, 2. *Par.* XXIV. 21.

XXXIII. Restat, ut de suppliciorum capitalium fine paucula adjiciamus. Sunt autem illa eo comparata, primo, ut justitiæ Dei satis quodammodo fiat, & ira Numinis, quam atrociora crimina toti Reipublicæ attractura essent, averruncetur, deinde, ut malum, uti pœnæ, ita & culpæ eliminetur; & justitiæ vindicativæ exemplis alii a similibus facinoribus deterreantur. Hinc v. g. *Num.* XXXV. 33. cum de homicidii pœna esset actum, hæc subjunguntur verba: *Non expiabitur terræ culpa sanguinis in ea fusi, nisi sanguine fundentis eum*, vicissim fuso. Hinc & toties totiesque, ubi populus Israeliticus capitis pœnam de sontibus sumere jubetur, notabiles hæ subjiciuntur formulæ: *Et exterminabis* (ובערת) *malum*, vel *sanguinem temere effusum*, *e medio tui*, vel *e medio Israelis*. Ubi Verbum illud Hebraicum, quod nos *exterminabis*, reddidimus, pro subjecto argumento admodum emphaticum est. Quippe cum proprie sit, *conflagrare facies*,

cies, vel *everres*, *ut materia ignis fiat*, malum exterminandum, ſive ut ſterquilinium, quiſquilias, ſordes, repræſentat, quæ ſcopis everruntur, flammis (v. g. in valle filii Hinnom juxta Hieroſolymam) abſumenda; quo reſpectu de familia improborum regum, Jeroboami atque Baeſæ, dicit Deus 1. *Rag.* XIV. 10. & cap. XVI. 3. ובערתי *& everram poſt* (id eſt, veluti ſcopis ad everrendum proſequar) *domum Jeroboami* (vel *Baeſæ*,) *ſicut qui everrit ſtercus*, *donec conſumtum fuerit*: ſive conſiderari illud jubet ut ſupellectilem, quæ peſtilentialem hauſit aerem, igne cremandam, ne ex contagione latius ſerpat malum, & ſanam quoque trahat partem. Eodem fine frequens eſt in legibus Moſaicis, capitali pœna ſancitis, formula: *Audient*, vel *videbunt omnes* reliqui *Iſraelitæ*, *atque timebunt*, *nec ultra facient ſecundum rem malam hanc*: v. g. Deut. XIII. 12. cap. XVII. 13. cap. XIX. 20. cap. XXI. 21. Quod ſupereſt, quum, tractatione hac de judiciis & pœnis capitalibus jam abſoluta, liqueat, quam tremenda ſint ſupplicia corporis, a magiſtratibus juſſu divino maleficis inferenda; meminerimus igitur illius, quod Chriſtus dixit Matth. x. 28. *Magis timete Eum*, *qui & animam & corpus poteſt perdere in geenna!*

N O T Æ.

(1) Conferri meretur *Chriſt. Thomaſius* de *Prudentia legislat* c. 7. 8. 9. & in *Cautelis circa præcognita jurisprudent. Eccleſiaſt.* c. 6. §. 10. 15.

(2) Vide e. g. ſeq. §. III. Hinc & Apoc. XXI. 4. ὁ θάνατος *mors* notat violenta ſupplicia teſtibus veritatis ſub imperio beſtiæ illius apocalypticæ irrogata.

(3) De poſterioribus itidem egit *Goduvinus* lib. V. cap. IX. quod de *ſuppliciis ab aliis nationibus adſcitis* inſcripſit, referens eo 1. *crucem*, 2. *ſerra diſſectionem*, 3. *damnationem ad beſtias*, 4. τροχὸν *rotam*, 5. καταποντισμὸν *ſubmerſionem in mare*, & 6. τυμπανισμὸν *fuſtuarium*. Eum tum quod ad has, tum quod ad illas, ulterius illuſtravit Ven. D. *Jo. Gottlob Carpzovius* in *Adparatu hiſtorico-critico antiquitatum S. Codicis & gentis Hebrææ*, Lipſ. 1748. 4. Adde B. *Jo. Chriſtoph. Wolfium* in *Curis crit. & philol.* ad Hebr. XI. 36. ubi autores, qui de ſuppliciis in S. S. memoratis commentati ſunt, laudavit.

(4) Confer *Adr. Relandum* in *Diſſertatt. miſcell.* Parte II. p. 55. ſeq.

(5) Sed omnino fundamento deſtituitur hæc pœnarum æſtimatio ex atrocitate criminum. Pœnæ enim potius vel ex doloribus, quos excitant, vel ex communi, quam de earum vel honeſtate vel infamia habemus, opinione æſtimandæ videntur. Sapientiſſimi enim legislatores pœnas criminibus ſtatuunt pro ratione damni, quod ex iiſdem in univerſam rempublicam redundat. Sic quamvis atrocius videatur, ſi quis famam alterius famoſo libello læſerit, quam ſi bonis ejus, divitiis præſertim, modicum damnum intulerit, tamen quoniam poſteriori delicto majus univerſæ reipublicæ damnum infertur, hoc ſuſpendio, illud vero mitius, id eſt, arbitrariis pœnis coercetur.

Ceterum quod ad *ſtrangulationem* attinet, quæ mitiſſimum ſupplicii genus videbatur Judæorum magiſtris, id ex orientalium populorum moribus derivandum videtur. His enim honeſtiſſimum ſupplicii genus ſtrangulatio. Sic hodieque apud Turcas ſatrapæ aliique honeſtiores funiculo ſerico ſuffocari ſolent.

(6) Confer. *Frid. Sigſ. Ring.* diſp. de *Lapidatione Hebræorum*, Francof. 1716.

(7) Confirmant ſenſum hunc LXX. Græci, interpretum qui exſtant omnium vetuſtiſſimi, vertentes: Ἐν γὰρ λίθοις λιθοβοληθήσεται, ἢ βολίσι κατατοξευθήσεται· ipſeque Apoſtolus Hebr. XII. 20. Κἂν θηρίον θίγῃ τοῦ ὄρους, λιθοβοληθήσεται, ἢ βολίσι κατατοξευθήσεται; ubi tamen ultimum comma in multis & codicibus & verſionibus deeſt.

(8) Vide Levit. XXIV. 14. Joſ. VII. 25. 1. Reg. XXI. 10. 13. 2. Par. XXIV. 21. Act. VII. 58. ſeqq.

(9) Datur & lapidatio non capitalis, ſeu quæ mortem non infert lapidatis: ut quum Dominus noſter Jeſus lapidibus impetitus fuit Joh. VIII. 59. cap. x. 31. itemque Paulus 2. Corinth. XI. 25. Vid. *Jac. Guſſetium Comment. linguæ Hebr.* p. 777.

(10) Neque olim Germanis penitus incognitum fuit hoc ſupplicii genus. In *Vita Lugderi* apud *Leibnit. Rer. Brunſv. T. I. p. 97.* memoratur quidam, *qui ob furtum caballorum Wittekindi Ducis Saxonum huic morti adjudicatus eſt*, *ut in campo ad ſtipitem ligatus*, *jactatis in eum ſudibus acutis & lapidibus necaretur*.

(11) Obiter hic nota, Sadducæos in infligendis pœnis ſeveriores fuiſſe Phariſæis. Qua de re adi *Fl. Joſephum* in *Antiquitatt. Jud.* l. XIII. c. x. §. 6. et l. XX. c. IX. §. 1.

(12) Sed ſublеſtæ fidei eſſe hanc, ad quam Judæorum magiſtri provocant, traditionem oralem, quaſi a Moſe acceptam, liquet ex analogo, quem circa lapidandos fingebant, ritu ex Exod. XIX. 13. ירה יירה *jaciendo jacietur*, exſculpto, quaſi illic de lapidandorum dejectione de cataſta ageretur, cum potius de telorum jaculatione locus exponendus ſit, uti jam ſupra §. V. a nobis oſtenſum eſt, & infra §. XXI. ulterius oſtendetur.

(13) Sic de illo, qui quid ſobolis ſuæ Molocho dediſſet, dicitur Levit. XX. 2. מות יומת *moriendo mori fiet*: & tamen ſubjicitur ſtatim, עם הארץ ירגמהו באבן *populus terræ lapidabunt eum lapidibus*.

(14) Quid vero dicendum de Joſ. VIII. 29. *Regem Aiæ* (quem Joſeas ibid. v. 23. vivum cepiſſe dicitur) הלה על העץ *ſuſpendit a ligno?* Reſpondeo: Probabile eſt admodum, etiam heic cædem præceſſiſſe, utut compendii cauſſa ſcriptor ſacer narrando prætermiſerit illam. Colligimus id ex analogo exemplo quinque regum Amoræorum apud Maccedam captorum, de quibus expreſſe legitur Joſ. x. 26. *Percuſſit eos Joſuas*, *& interfecit*, *ſuſpenditque a quinque lignis*.

(15) Conf. *Theod. Daſſovii* Diſs. *de ſuſpendio hominis lapidibus obruti*, Witteb. 1694. Pari modo ſe res habuit de ſuſpendii pœna apud Ægyptios, ut videre licet ex Gen. XL. 19. ubi dicitur, 1. ישא פרעה את ראשך מעליך *tollet Pharao caput tuum a te*, quod capitis amputationem, 2. ותלה אתך על עץ *& ſuſpendet te a ligno*, quod ſuſpendium, & 3. ואכל העוף את בשרך מעליך *& vorabit avis carnem tuam a te*, quod ſuſpendii illius conſequens notat.

(16) Contrarium quidem evincere conatus fuit *Georg. Moebius* in diſs. Lipſiæ olim habita, *de crucis ſupplicio*, *quo Chriſtus Jeſus fuit adfectus*, *apud veteres Hebræos non inuſitato*: ſed quo ſucceſſu, id ex modo dictis, ut ſpero, intelligetur.

(17) Danziana ſententia non placet: quia 1. aliter præfixum ב ſumit in במגרה, *ad ſerram*, quam in ובחריצי הברזל *& in ferri fodinis*, quod ei ſtatim adjicitur; cum tamen utrumque in eadem orationis ſerie pendeat a Verbo וישם *& poſuit*: 2. facit hyſteroſin in ultimo orationis membro, והעביר וגו, quod proin vertit, non *& tranſire fecit*, ſed *poſtquam tranſire feciſſet* cet. quali tamen figura lubenter, quoad licet, ſuperſedemus: 3. negligit puncta vocalia, & conſonantes in margine, quæ nomine τοῦ *Keri* veniunt, ac adeo, ſi non textum ipſum, prout nobis a Synagoga Judaica eſt traditus, ſaltem teſti-

monium & conſenſum antiquitatis Judaicæ deſerit : 4. ipſum quoque Cthib, cui ſoli inhæret, legit quidem במלכן, ſed per antiſtœchon pro במלכם *una cum rege ſuo* explicat per anomaliam, cum regulæ potuiſſet ac debuiſſet inſiſtere : 5. Verbum העביר vertit *tranſire feciſſet*, ſupplens *in exilium*, vel *ad novas ſedes*, cujus tamen ſupplementi ſimile exemplum fruſtra quæſivit Gen. XLVII. 21. utpote ubi Verbum illud non abſolute poſitum eſt, ſed cum adjecto termino tum a quo, tum ad quem, לערים מקצה גבול מצרים ועד קצהו, cujus contra in noſtro, de quo quæritur, loco (2. Sam. XII. 31.) nullum adparet veſtigium: *6.* Verbum וישר, *& ſerra diſſecuit*, quod in parallelo 1. Par. XX. 3. exſtat, itidem per antiſtœchon, ſed non neceſſarium, commutat in ויסר *& recedere fecit* : & 7. tum heic, tum illic, Præfixo ב, quod ante nomina inſtrumentorum, ut ſunt מגרה *ſerra*, חריצי הברזל *tribulæ ferreæ*, מגזרות הברזל *ſecures ferreæ*, ipſum quoque inſtrumenta ſignificare præſumi debebat, heterogeneam ſignificationem *ad* tribuit. E contrario recepta firmatur ſententia : 1. ex conſenſu tum veterum tum recentiorum interpretum reliquorum omnium ; 2. ex analogia ſupplicii ab Idumæis ſumti, qui, licet minus quam Ammonitæ deliquiſſent, tamen ſic puniti ſunt, ut omnes, qui reperirentur, illorum mares percuſſi exſcinderentur. 1. Reg. XI. 15. *16.* & ab exemplo ſeveritatis ſtatuto in Moabitis, quos *menſus eſt fune, coæquans terræ*, menſus eſt autem duos funes ad occidendum, & unum ad vivificandum, 2. Sam. VIII. 2. Nec obſtat explicationi præfixum nominibus, quæ ſuppliciorum inſtrumenta notant, ב, utpote quod non *in* ſolum, ſed etiam *ſub* valet, v. g. Joſ. II. *6. occuluit eos* בפשתי *ſub calamis ligni*, Eſa. XXXIV. 15. *& colliget* ova בצלו *ſub umbram ſuam*. Licebit ceterum ſuppliciis hactenus enumeratis addere, ex locis modo adductis, tum השמה בחריצי הברזל *poſitionem ſub tribulis ferreis*, tum השמה במגזרות הברזל *poſitionem ſub ſecuribus ferreis*. Ceterum extat & *Jo. Chriſt. Nimptſchii* diſs. de *Ammonitis a Davide abſque crudelitate ſub jugum miſſis*, quam tamen videre, & ex rationibus, quas ſecutus illius auctor eſt, expendere, nondum nobis contigit.

(18) Item, quod *Muhammedes* Coran. c. XX. 74. & XXVI. 49. Pharaonem Magis Ægyptiis ſic loquentem inducit : ايديكم وارجلكم من خلاف *Abſcindam manus veſtras & pedes veſtros alterne*, i. e. uti *Marraccius* illic explicat, *manum dexteram & pedem ſiniſtrum cujuslibet*.

(19) De qua & legi poterit *Chriſt. Stockii* κατακοντισμὸς, *occaſione Matth.* XVIII. *6. delineatus*, Jenæ a. 1704. itemque *C. Græfii* diſs. de κατακοντισμῷ, num Judaicum fuerit ſupplicium? Lipſ. *1662.*

(20) *Thom. Godwinus* in ſuo *Moſe & Aarone* lib. V. c. IX. §. VIII. proprio ſenſu locum capit: rectius vero, ut puto, *Jo. Henr. Reizius* ad illum, improprio de certaminibus illis, quæ geſſit Apoſtolus cum hominibus beſtiarum inſtar immanibus, quales tum Judæi furentes, tum Demetrius ſociique Act. XIX. 23. ſqq. Cette probabile vix eſt, Lucam, diligentiſſimum actorum Pauli ſcriptorem, tam notabile momentum prætermiſſurum fuiſſe.

(21) *Godwinus* l. c. ſuppliciis his a me explicatis addit אופן *Rotam*, ex Prov. XX. *26.* ita tamen, ut putet, verba iſta non plus importare, quam hoc, quod quemadmodum rota circumagitur, ita a prudenti rege malitia improborum revolvatur in caput illorum. Tu vide contra, ſi placet, quæ in *Adnotatt. uberioribus* ad l. c. ſcripſi.

(22) Negantibus aliquot abhinc annis acceſſit *Ikenius* diſſert. de *Jure vitæ & necis tempore mortis Servatoris apud Judæos non amplius ſuperſtite*, Bremæ a. 1740.

(23) Loca Talmudicorum doctorum vide apud *Scheidium*, ſive hujus editorem *Meuſchenium* in *N. T. ex Talm.* illuſtrato p. 156. ſq.

(24) *Godwinus* lib. V. c. VII. *Quædam*, inquit, *maleficia arietabant legem Romanam, ut furtum, cædes, rapina, cet. Hæc judicandi facultas ipſis erepta erat. Alia autem maleficia erant contra legem Moſis, ut blaſphematio cet. quæ judicare ipſis licebat.*

(25) Vide & *Jo. Chiſtoph. Wolfium* in Curis philol. & crit. ad Joann. XVIII. 31. ubi plures diverſarum de hoc argumento ſententiarum auctores laudat, iiſque ſuum adjicit calculum, qui quæſtionem, quanquam aliqua ſub reſtrictione, adfirmant.

(26) Vide *Jo. Dunte* in eleganti diſs. de *Executionis pœnarum capitalium honeſtate*, ſub præſidio Excell. *Jo. Sam. Frid. Bohmeri* defenſa Halæ a. 1738. p. 7--15.

(27) *Maimonides* in *Hilchoth Sanhedrin* cap. XII. de facinoroſo capitale ſupplicium merito : מקום שהורגין בו בית דין היה חוץ לבית דין ורחוק מבית דין שנ׳ הוצא את המקלל אל מחוץ למחנה : *Locus, ubi judices interficiebant, erat extra locum judicii, & procul a domo judicii: ſicut ſcriptum eſt Levit.* XXIV. 14. *Educ maledicentem extra caſtra.*

(28) Cauſſa forte fuit, ut ne publica loca, a populo in urbibus frequentanda, interfectorum ſanguine & cadaveribus, ex rituali lege Moſaica polluerentur, ac adeo & ipſos, qui ea frequentabant, polluerent.

FRID.

FRID. WILHELMI BIERLING

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

DE

VETERUM HEBRÆORUM

Circa vitulam decollandam ritibus.

ابتدي بعون الله الذي خلق السموات والارض

PRÆFAMEN.

ANtiquos populi Judaici ritus, quorum in ſacris paginis fit mentio, ex Talmudis atque Rabbinorum voluminibus, ulterius explicare, lucemque iis affundere, multi Eruditionis laude celeberrimi Viri dudum aggreſſi ſunt. Unde & commune præjudicium, ac ſi Rabbinorum ſcripta puerilibus tantum repleta eſſent fabulis, apud quamplurimos evanuit. Videbant enim eorum explicationes, circa Divini Numinis, quibus ipſi olim populum Iſraeliticum peculiarem ſibi reddere placuit, inſtituta, non tantas, quam equidem mente ſibi conceperant, continere ineptias. Nam etſi omnia Rabbinorum effata pro oraculis venditare omnino haud foret congruum; ita & ſingulas ipſorum opiniones, quæque ſacro Textui non repugnant, quin imo eundem potius illuſtrant, rejicere ac pro nugis habere, nimis ſane erga hos Scriptores videtur injurium. Unde ſub finem elapſi, ac per totum fere jam vergentis ſeculi curſum ſtudia Rabbinica, ac Virorum eruditorum circa eadem occupationes ſemper magis magiſque creſcere inceperunt, donec tandem ad hunc, in quo ea conſpicere nunc poſſumus, pervenere apicem. Nec hoc immerito. Si enim Viri Docti, ut antiquitates Græcas & Romanas ex iſtarum nationum Scriptoribus nobis explanarent, nec operi nec labori perpetcerunt, egregiamque inde ac ſuo quidem merito reportarunt laudem; cur non & ſacras Summi Numinis leges, rituſque olim circa eaſdem obſervatas, ex iis Autoribus, ad quos eorum notitia per Majores ſuos tranſlata eſt, haurire ac diſtinctius noſcere licebit? Hinc ſpero, quin imo confido, nemo mihi vitio vertet, quod præ aliis Thema ejuſmodi Philologicum publice defendendum ſelegerim. Etſi enim tanta animum meum nunquam invaſerit arrogantia, ac ſi paria ſummis, & quorum eruditionem veneror, Philologis, in hoc ſtudiorum genere mihi, qui prima tantum ejus limina ſalutavi, præſtare liceat; hoc tamen eruditiores, quique omnes Talmudis receſſus rimari poſſunt, mihi concedent, ut pro ingenii modulo, aliquale ſaltem virium, etſi tenuiſſimarum, periculum faciam. Placuit præ cæteris materia, de *Vitula in caſu homicidii*, *cujus Autor ignorabatur*, *decollanda*, occaſionem præbente loco *Deuter.* XXI. *v.* I. *ſeqq.* Diſtribui totam Diſſertationis ſeriem in tria Capita, quorum *primum* antecedens decollationis, menſurationem nempe diſtantiæ cadaveris a circumjacentibus urbibus, ſiſtet; *ſecundum* de ipſa decollatione aget, *tertium* denique ejuſdem conſequentia, lotionem nempe manuum, precumque recitationem, commonſtrabit. Summum in hoc ſtudio Virum, quemque hoc tempore, merito inter fulcra Philologiæ ſacræ numerare poſſumus, *Celeberrimum Wagenſeilium*, nec non haud imparis meriti ac eruditionis *Seldenum* quædam mihi ſuggeſſiſſe fateor; reliqua ex Rabbinorum fontibus, aliunde enim haud licet, *Maimonidis* præcipue & *Abarbenelis* hauſi. Uberius ac eruditius de hac diſſerere potuiſſem materia, ſi Talmudis adyta interiora, Gemaram ſigno, conceſſum fuiſſet ſcrutari; aſt profiteor imbecillitatem meam, dum in hocce ſtylo intricatiori non ſatis verſato, librorumque præterea apparatu deſtituto, ea quæ quidem voluiſſem, effectum reddere mihi haud licuit. Relinquo hoc negotium eruditioribus, quibus tam felicibus eſſe contigit, ut ad ſummum hujus literaturæ culmen ſe perveniſſe putent, eoſque rogo, cogitent, Juvenis hæc eaque prima in hoc ſtudiorum genere eſſe conamina, meque non eruditionis Philologicæ oſtentandæ, ſed ingenii tantum ac virium experienda-

darum causa, hæc qualiacunque suscepisse.

ויהוה עוזרני יאזרני חיל ויחנני
לשון למודים אמן:

CAPUT PRIMUM.

De antecedenti Decollationis, seu mensuratione distantiæ cadaveris occisi a circumjacentibus urbibus.

SUMMARIA.

I. *Terminorum explicatio.*
II. *Connexio textus nostri cum antecedentibus.*
III. *Causa efficiens mensurationis, principalis & instrumentalis.*
IV. *Terminus mensurationis a quo, & cautelæ circa cadaver adhibendæ.*
V. *Terminus ad quem, ac quædam de urbibus circumjacentibus observationes.*

I. NON multum de explicatione terminorum laborabimus, cum quid עגלה quid ערף significent, in vulgus fere notum sit. Ne tamen officii nostri partes hic destituisse videamur, paucis horum verborum usum ostendemus, eumque toti Dissertationi, quia terminis non statim ab initio explicatis cætera quoque non satis intelligi putantur, præmittemus.

Radix עגל, unde עגלה descendit, apud Hebræos in usu non est. עגלה autem, cujus masculinum est עגל juxta plurimorum Rabbinorum mentem vitulam ad summum duorum annorum significat. Unde עגלה משלשה quod *Gen.* XV. 9. & עגלת שלשיה quod *Es.* XV. 5. legitur, non de vitula trium annorum juxta illos explicare licet, (1) cum tunc non amplius vitula, sed vacca potius appellanda veniat.

Quod alteram radicem ערף attinet, ea *decollare* notat, ac ab ערף quod *cervicem* significat, descendit, quasi decervicare (*verba sunt Buxt. in Lex. min.*) dicas, decollatione enim cervix præscinditur. Occurrit & *Exod.* XIII. *v.* 13. ubi *Elias Levita in notis ad Kimchii* שרשים (2) dissentit, quod ordinariam *decollationis* significationem isto loco habeat, sed potius e Chaldaismo transsumtam *cognitionis* vim (quæ & in Arabica radice عرف obtinet) induere judicat, quod tamen durum videtur. *Hos.* X. *v.* 2. itidem hæc vox occurrit, ubi juxta *Radack in* שרשים *destruere* notat. Nonnunquam per *stillare* interpretandum venit, quod ex locis *Deut.* XXXII. 2. & XXXIII. 28. elucescit. Plura non congerimus, ne enodationi terminorum nimis inhærere videamur.

II. Præmissa sic toti materiæ terminorum explicatione, ipsam nunc rem aggredimur, ac quam hoc capite explicandam nobis sumsimus mensurationem, consideramus, paucis tamen antequam de hac plenius agamus, connexionem textus nostri *Deut.* XXI. I. *seqq.* cum antecedentibus juxta mentem *Abarbenelis* tradituri.

Sic autem ille *Comm. in Pentat. pag.* CCCLXXVI. *col.* 2. ratiocinatur: אחרי שהזהיר בלמוד הדברים המתיחסים למלכים ולשופטים בעניני המלחמות צוה בפרשה הזאת ולמד דין עגלה ערופה שהיה מתיחס לכהני' ללוים ולשופטים אשר בבית דין הגדול ולשופטי' הראשונים אשר בשערים. ובזה האופן היו כל המצוות אשר באו בסדר הזה כוללות כפי מה שזכרתי. ורבי אברהם כתב שכאשר זכר מלחמ' עם האויב זכר דין האדם עם חברו בריבו עמו ויהרגהו וימצא חלל באדמה. והנה המצוה הזאת כבר באה בכלל בדבור לא תרצח ובפרשת מסעי הזהיר מאד עליו באמרו ולא תקחו כופר בנפש רוצח וגם לא תחניפו את הארץ אשר אתם בה כי הדם הוא יחניף את הארץ ולארץ לא יכיפר לדם אשר שופך בה כי אם בדם שופכו. האמנם כשימצא חלל באדמה ולא נודע מי הכהו אם היה בשגגה לחייבו גלות או במזיד לחייבו מיתה הנה הוצרך מרעה לפרש כאן מה יהיה סמנו: Quæ latine sic reddimus: *Posteaquam certiores nos reddidit Moses de doctrina illarum rerum, quæ spectant ad Reges ac Judices in bellis gerendis; ulterius injungit in hac sectione ac edocet ritum vitulæ decollandæ, qui pertinebat ad Sacerdotes & Levitas, Judicesque Synedrii magni, nec non ad Judices primarios, qui in portis considebant. Ac hac ratione omnia, quæ hac sectione comprehenduntur, præcepta generalia sunt,* (dum ad Reges ac Judices, non vero ad personas privatas spectant) *prout jam supra commemoravi. R. Abraham vero scribit: Quod postquam meminerit Scriptura belli adversus inimicum, subjungat exemplum hominis cum socio suo, dum cum ipso rixatur, eumque interimit, mortuusque in agro deprehenditur. Generaliter autem hæc lex jam injuncta est in præcepto de non occidendo. Et in sectione* מסעי בני ישראל *Num. cap.* XXXV. *vers.* 31. *serio admonet his verbis:* ne accipiatis expiationem pro anima homicidæ. *Ac ulterius v.* 33. *pergit:* neque prophanetis terram in qua degitis, sanguis enim prophanat terram, nec mundari potest terra a sanguine, qui profusus est in ea, nisi per sanguinem

nem profuſoris. *At cum invenitur confoſſus in terra, neque notum eſt, quis eum percuſſerit*, (*ſive id factum ſit per errorem, adeoque iſtiuſmodi homicida exilii foret reus, ſive voluntario, ut adeo occiſor capitis pœnam incurreret*) *hunc caſum, quidve in eo agendum ſit, Magiſter noſter Moſes h. l. debuit explicare.*

Subjungere adhuc juvat verba *Chaskuni*, quia brevia quidem attamen non inelegantia ſunt: אחר שהזהיר המלחמה עם האויב׳ הזכיר אדם נלחם עם אחר: *Poſtquam commemoravit ſacer textus bellum adverſus inimicos, annectit deinde hominem pugnantem cum alio.*

III. Hucuſque verba *Abarbenelis* & *Chaskuni*. Nunc ipſam menſurationem ejuſque primo *cauſam efficientem* ex Rabbinorum mente deſcribemus.

Principalis erat Synedrium magnum (3) vel potius quinque ejus ad hoc officium deputati collegæ, utpote qui numerus juſtam judicii menſuram implebat, ac nomine בית דין שקול (4) veniebat. Sic ſcribit *Maimonides in Jad Chaſaka Part.* IV. *Hilc. Rozeach. cap.* IX. *num.* I. הרוג שנמצא נופל לארץ ולא נודע מי הכהו מניחין אתו במקומו. ויוצאין ה׳ זקנים מבית דין הגדול שבירושלם שנ׳ ויצאו זקניך ושפטיך ומודדין ממנו אל הערים שסביבות החלל: id eſt: *Cum occiſus in terra jacens reperitur, auctorque perpetratæ cædis ignotus eſt, tum cadaver occiſi in ſuo loco, prout jacet, relinquitur. Poſtmodum egrediuntur quinque Seniores de Synedrio magno Hieroſolymitano, prout textus habet:* Et egredientur Seniores tui & Judices tui, (utpote quæ verba conjunctim ſumta Rabbinis Synedrium magnum deſignant) *ac a cadavere occiſi ad urbes ipſum circumjacentes menſurationem inſtituunt.* Conſentiunt cum *Maimonide*, *Abarbenel*, *Ralbag*, *Raſchi*, *Miſrachi*, *R. Alſchech*, *R. Arama*, *Pſickta Sutarta*, *Jalkut*, omneſque, quos evolvere nobis licuit, Rabbini, præter unicum *Aben Eſram*, qui receptæ huic opinioni adverſatur, ac per זקניך ושופטיך Seniores ac Judices urbium proximarum intelligit, unde & illum *Celeberr. Seldenus Tr. de Synedr. lib.* 3. *cap.* 7. §. 2. *circa fin.* notavit.

Inſtrumentalem jam porro hujus menſurationis cauſam quod attinet, de hac mirum apud omnes quos evolvimus Hebræorum Doctores ſilentium, ut ideo nec nobis aliquid de ea decernere liceat. Fortaſſe, ſi conjecturis locum dare velimus, funiculo in certas menſuras, tunc temporis uſitatas, diviſo, aut alio quodam Geometrico inſtrumento hæc dimenſio peracta fuit. Sed uti ante monuimus, de hoc nihil certi nobis equidem conſtat.

IV. Nunc *terminus* hujus menſurationis *a quo* conſiderandus ſe nobis offert. *Generalis* erat cadaver occiſi, utpote a quo, non vero ab urbibus menſurare incipiebant, uti teſtatur *Pſickta Sutarta p.* LXXVIII. *col.* 3. ומדדו אל הערים ולא מן הערים אל החלל: Et menſurabunt ad urbes, (ſunt verba textus) *non vero ab urbibus ad occiſum*. Variæ autem circa ipſum cadaver ejuſque ſitum adhibendæ erant cautelæ, quarum ſi una forte in interfecto reperiretur, tota menſuratio totuſque ritus juxta Rabbinos negligendus erat. Leguntur illæ in *Miſch. Sota cap.* IX. *n.* 2. ac a magni nominis Viro *Wagenſeilio* illuſtratæ ſunt *l. c. p.* 896. *ſeqq.* Nos illas ex *Maimonidis Hilc. Rozeach. cap.* IX. *num.* II. recitabimus: נאמר כי ימצא חלל לא חנוק ולא מפרפר שאין זה נקרא חלל. באדמה לא טמון בגל. נופל לא תלוי באילן. בשדה לא צף על פני המים. לא נודע מי הכהו הא אם נודע לא היו עורפין: id eſt: *Extat in Scriptura:* cum invenietur cæſus, *non ſtrangulatus nec adhuc palpitans, hic enim occiſus vocari nequit;* in terra, *non occultatus ſub acervo;* jacens, *non ſuſpenſus ex arbore;* (5) in agro, *non natans ſuper aquis;* non notum eſt, quis ipſum interfecerit, *ecce enim hoc cognito non detruncabant juvencam.* Eadem offendere eſt in *Abarbanele* & *Pſickta Sutarta* itemque in *Paraph. Pſeudo-Jonathanis*, qui ſic fabulatur: ארום ישתכח קטילא בארעא דלא טמיע באוגרא בארעא דיי׳ אלהיכון יהיב לכון רמי ולא צלוב בקיסא בחקלא ולא טאיף על אנפי מייא לא אשתמודע מן קטליה: i. e. *Si invenitur cæſus in terra, iſque non occultatus ſub acervo, in terra quam Dominus Deus veſter dat vobis in poſſeſſionem, projectus, non ſuſpenſus in ligno, in agro, non natans ſuper aquis, nec notum eſt, quis occiderit eum.* His conditionibus adde & hanc, ſi cadaver in confiniis terræ ſanctæ, aut prope urbem, cujus incolarum plurima pars gentiles erant, reperiretur, tunc enim pariter non menſurabant, ut *Maimonides l. c. n.* 5. docet: נמצא סמוך לספר או לעיר שיש בה כותים אין מודדין כלי עיקר שהרי זה בחזקת שהרגוהו הכותים: *Si cæſus inveniebatur prope limites terræ Iſraeliticæ, aut prope urbem in qua erant gentiles, plane non menſurabant, probabile enim erat, quod per violentiam illum occiderint gentiles.* Poſſet porro cuipiam videri, tunc quoque menſurationem ceſſaſſe, cum cadaver prope portas urbis repertum ipſam præ aliis vicinam, adeoque omnem menſurationem ſupervacaneam

neam esse satis aperte commonstraret. Sed enimvero etiam in tali casu mensurationem nihilominus negligi non debuisse *Maimonides l. c. n.* 1. his verbis prodidit: אפילו נמצא כצד עיר זו שהדבר ידוע בודאי שהיא הקרובה מצוה למדוד: i. e. *Etsi cadaver prope urbem reperiatur, illamque proximam esse in confesso sit, tamen ex præcepto divino facienda est dimensio*. An vero non nimia sit hæc subtilitas, alii judicent. Hæc de termino generali.

De *speciali* disputant Rabbini, quibusdam umbilicum, aliis nares, (6) nonnullis jugulum asserentibus, uti in *Misch. t. c. n.* 4. videre licet. Plurimorum tamen sententia a naribus mensurationem incipiendam esse contendit, cujus rei rationem *Abarbenel loco sæpius citato* hanc reddit: ממה שאמר ומדדו אל הערים אשר סביבות החלל למדנו שהמדידה תהיה מהמקום אשר בו החיות יותר נרגש באדם שהוא החטם: Ex verbis Scripturæ: *Et metient ad urbes, quæ circa occisum jacent, discimus, quod mensuratio ab eo loco institui debeat, in quo vitalitas in homine maxime deprehenditur, isteque locus sunt nares*. (7) Unde quando caput a cadavere avulsum reperiebatur, non caput trunco admovendum erat, (uti R. Eliefer statuit) sed truncus capiti, ne sc. terminus a quo, nares nempe, e loco suo dimoverentur. Testem habemus iterum *Maimonidem l. c. cap.* IX. *n.* 9. qui sic loquitur: נמצא גופו במקום אחד וראשו במקום אחר מוליכין הגוף אצל הראש וקוברין אתו במקומו וכן כל מת מצוה מוליכין גופו אצל ראשו ונקבר במקומו: i. e. *Cum invenitur corpus occisi in uno loco, caputque ab eo semotum in alio, admovent truncum capiti, ac cadaver loco suo sepeliunt. Sicque cum omni occiso facere convenit, ut adducatur corpus ad caput, mortuusque illo loco terræ mandetur*. Dubium jam adhuc hoc moveri posset, cum plures occisi simul reperiantur, quis tunc terminus hujus mensurationis a quo constituendus foret? Sed & hoc nobis dissolvet *Maimonides*, verbis proxime allatis hæc subjiciens: נמצאו מתים רבים זה בצד זה מודדין מחוטמו של כל אחד ואחד מהן. ואם היתה עיר אחד קרובה לכולם מביאה עגלה אחת על כולן. נמצאו זה על גבי זה מודדין מן עליון כמות שהן מונחין: id est: *Cum plures occisi prope se invicem jacentes reperiuntur, mensuratio peragenda venit a naridus cujuscunque illorum. Sique tunc una urbs omnibus proxima fuerit, unam pro omnibus offert vitulam. Inventis pluribus cadaveribus, quorum unum alteri superimpositum est, dimensionem a supremo, prout jacent, instituunt*. Eadem fere e *Codice MS. Ez hachajim* adducentem vide *Celeb. Wagens. l. c. p.* 920.

V. Considerato sic mensurationis termino a quo, eoque tum generali tum speciali, explanandus nobis succedit *terminus ad quem*. Is vero erant urbes cadaver proxime circumjacentes (ad quas hoc fine mensurabant, ut ea, cui ob majorem præ reliquis propinquitatem vitula offerenda incumberet, dignosceretur) quod tam disertis Scripturæ verbis, quam Rabbinorum suffragio constat.

Nec vero ad omnes indiscriminatim urbes dimensio peragebatur, nec statim ea, quæ distantia loci proxima erat, vitulam offerebat, sed & hic variæ iterum juxta Rabbinorum placita exceptiones observabantur. Urbes, versus quas mensuratio plane omittebatur, erant minores illæ, Synedrio viginti triumvirali destitutæ, nec non Hierosolymæ, utpote, quæ inter alia, quibus juxta Talmudicorum mentem gaudebant, privilegia, hoc etiam possidebant, quod vitulam decollandam non offerrent. (8) Audiamus *Maimonidem loc. cit. num.* 4. & 5. אין מודדין אלא לעיר שיש בה בית דין של כג׳. ואין מודדין לירושלם שירושלים אין מביאה עגלה ערופה לפי שלא נתחלקה לשבטי׳ ונאמר באדמה אשר יי׳ אלהיך נותן לך לרשתה. נמצא קרוב לירושלם או לעיר שאין בה בית דין מניחין אותה ומודדין אל שאר העיירות הסמוכות לו: id est: *Non peragitur dimensio, nisi versus urbem, in qua est Synedrium minus viginti tribus Collegis constans. Hierosolymitana urbs pariter a mensuratione excipiebatur, utpote quæ vitulam non offerebat, quoniam non fuit distributa inter tribus. In textu autem expresse legitur*: in terra quam Dominus Deus tuus dat tibi ad eam possidendam. *Cum igitur occisus ejusmodi prope Hierosolymas aut urbem, quæ Synedrio minori destituta erat, reperiebatur, omittebant eam, mensurabantque ad reliquas urbes cadaver circumjacentes*.

Hic vero iterum aliquam cautelam, quæ circa urbem proximam observanda erat, Rabbini tradunt, quæ multitudinem incolarum concernit. Produxit hanc ex Maimonide *Eruditissimus Wagenseilius l. c. p.* 920. Nos eam ex *Abarbenele* afferemus: ומאשר אמר והיה העיר הקרובה אל החלל למדנו שהקרובה תהיה בערים נבחרת ראשנה ברבוי העם ואחר כך במקום. ולכן העיר הגדול׳ הרחוקה היא יותר קרובה לענין הזה מהעיר היותר קטנה שהיא יותר קרובה במקום. *Ex eo quod in textu legimus*: & erit urbs proxima apud occisum &c. *discimus, quod proxima ista urbs debeat selecta esse præ reliquis primo quoad multitudinem incolarum*,

&

& deinde demum quoad vicinitatem distantiæ. Ac hanc ob rationem urbs major, etsi remota, propinqua tamen in hoc negotio reputatur præ alia minori, etsi ea, quod loci intervallum attinet, minori a cadavere distantia semota sit.

Fieri autem poterat, ut in hac dimensione duæ urbes pari fere incolarum numero gaudentes, pari etiam ab occiso distantia remotæ reperirentur. Quæstio itaque nascitur, an tunc duæ etiam, an una tantum, offerendæ vitulæ. R. Eliesser binarium vitularum numerum affirmat, uti in *Misch. l. c. n.* 4. videre licet. Ast reliquorum Rabbinorum suffragia ipsius opinio haud fuit assecuta. Diserte enim id testatur R. Bartenora his verbis: ואין הלכה אלא שתיהן מביאות עגלה אחת בשותפות: *Decisio non est facta juxta sententiam R. Eliesseris, sed ambæ socialiter offerebant unam vitulam.* Pariter *Maimonides* reliquique Doctores ab ejus opinione discedunt. *Maimonidis* verba *l. c. num.* 8. hæc sunt: נמצא הנהרג מבוון בין שתי עיירות ואנשי זו כאנשי זו בשוה יביאו עגלה אחת בשותפות ויתנו ויאמרו אם זו היא הקרובה הרי היא שלהן ואלו יתנו להם חלקם מתנה ואם אלו הן הקרבי׳ הרי היא שלהן ואלו יתנו להם חלקם מתנהו: Quæ *Celeb. Wagenseilii* versione sic reddimus: *Si cadaver jaceat in centro duarum urbium, nec altera alteram incolarum multitudine superet, vitula unica socialis adducitur, atque his verbis fit pactio: Si hæc urbs vere est proxima,* (9) *hujus esto junix, alteriusque urbis cives suam portionem dono dant. Sed si ista vere est proxima, illius esto junix, atque hujus urbis cives suam portionem dono dant.*

CAPUT II.

De ipso Decollationis actu & ad eum pertinentibus.

SUMMARIA.

I. *De subjecto Decollationis, vitula nempe, & qualis ea esse debuerit.*
II. *De loco decollationis.*
III. *De causa efficiente decollationis.*

I. MEnsuratione sic a Collegis Synedrii magni ad hoc negotium deputatis peracta, mortuum suo loco sepeliebant, ipsique domum revertebantur, utpote quorum officium non aliud erat, quam dimensione sua urbem proximam explorare. Sic *Maimonides l. c. cap.* 9. *n.* 2. אחר שמודדין ונודעה העיר הקרובה קוברין את הנהרג במקומו. וחוזרין זקני ירושלם למקומן. ובית דין של אותה העיר מביאין עגלת בקר משל אנשי אותה העיר ומורידים אותה אל נחל ששוטף בחזקה וזהו איתן האמור בתורה: *Cum finita dimensione urbs proxima in notitiam pervenisset, sepeliebant occisum loco suo ubi jacebat, Senioresque Hierosolymitani domum revertebantur. Synedrium vero urbis proximæ afferebat vitulam de armento, ab hominibus istius civitatis acceptam, deducebatque illam ad fluvium fortiter inundantem, hoc enim per* איתן *in Scriptura expressum innuitur.*

Proximum itaque post mensurationem erat, ut vitula afferretur, de qua, utpote subjecto decollationis, quædam perlustranda veniunt. Requisita ejus erant, ut esset duorum tantum annorum, nec ullus labor eadem esset peractus. Quæ sic e *Maimonide* declarare juvat, *l. c. cap.* 10. *num.* 2. 3. 4. עגלה ערופה בת שתי שנים ופחות. אבל אם היתה בת שתי שנים ויום אחד פסולה. ואין המומין פוסלין אף על פי כן אם היתה טריפה פסולה כפרה נאמ׳ בה כקדשים: כל העבודות פוסלות את העגלה כמו שפוסלין בפרה אדומה שנאמר אשר לא עובד בה. ולמה נאמר עול אחר שנאמר אשר לא עובד בה שהוא כולל העול אם שאר העבודות. שהעול פוסל בין בשעת מלאכה בין שלא בשעת מלאכה. כיון שנמשכה בעול טפח נפסלה אעפ״ שלא חרש ולא עשה בה מלאכה. ושאר עבודות אין פוסלין אלא עד שעת מלאכה: כל מלאכה שהיא לצרכה כגון פירש טליתו עליה מפני הזבובים אינו פוסלה. וכל שהיא שלא לצרכה כגון שפירש טליתו עליה לנושאה פסולה וכן כל כיוצא בזה כמו שביארנו בהלכ׳ פרה אדומה: Hæc fere omnia jam explicavit *Celeb. VVagenseilius in Sot. p.* 906. Secuti itaque Viri summi ductum sic propemodum verbis ejus reddimus: *Vitula decollanda annorum duorum aut minus esse debet. Sed si nata esset biennium diemque unum, eam adhibere nefas est. Non autem omnia vitia inidoneam ipsam reddunt, attamen si insigniori aliqua macula laborat,* (v. g. si membro mutila, aut corpore ægra sit) *ad hunc ritum inidonea est, verba enim expiatoria super ea sicut super aliis rebus sacris pronunciantur,* (quod ex v. g. textus nostri constat) quas tamen insignioris ejus labis expertes esse decebat. *Cujusque generis labores in tantum eam vitiant, ut porro ad detruncationem apta esse nequeat, estque hactenus vitulæ junicisque rufæ par ratio.* (10) *Sic enim expresse Scriptura vitulam accipere jubet, qua nullus labor fuit peractus.* (At quærat quis:) *Eccur ibi-*

ibidem additur, quod nec jugum illa traxisse debet, cum ea res generali laboris voce æque ac cæteri omnes probibeantur? Nimirum, jugum quod ſubit vitula, id vitiat eandem, tam ſi laborem cum illo faciat, quam ſi citra eundem id paſſa ſit, modo enim palmi ſpatio vitula jugum trabat, etiamſi maxime nec araverit, nec alio labore functa ſit, tamen decollationi haud amplius inſervire poteſt. Cæterum labores reliqui non vitiant vitulam, niſi cum opus aliquod iiſdem peragitur. Excipe tamen opus, quod ipſius vitulæ cauſa factum, uti cum pallium ei inſternitur, ne muſcæ illam vexent, ex hac enim re nullum vitulæ vitium oritur. Quod vero extra hunc reſpectum eſt, uti cum quis pallium ſuum vitulæ geſtandum injicit, id vitium infert. De ſimilibus caſibus idem eſto judicium, prout jam explicavimus, cum ceremoniam vaccæ rufæ pertractaremus. Hucuſque *Maimonides.*

Vitula porro hac nec veſci, nec ullam ex ea utilitatem capere licebat, ſed poſt detruncationem ſtatim ſepeliebatur, niſi fortaſſis teſtes, (11) quorum autoritate vitula decollata erat, falſitatis arguerentur, aut homicida plane ante decollationem repeririretur. Docebimus hoc ejuſdem *Maimonidis* verbis, quæ *loc. cit. num. 6. ſeqq.* ſic ſonant: עגל' ערופה אסורה בהנאה ונקברת במקום עריפתה. ומשתרד לנחל תיאסר בהנאה. אעפ״ שעדין לא נערפה. ואם מתה או נשחטה אחר ירידתה הרי זו אסורה בהנאה ותקבר: נמצאו עידיה זוממין הרי זו מותרת בהנאה. כיצד כגון שאמר עד אחד אני ראיתי את ההורג ובאו שנים והכחישוהו ואמרו לו לא ראית והפרישו את העגלה והורידוה לנחל לערפה על פיהם ואחר כך הוזמו השנים הרי זו מותרת בהנאה: נמצא ההורג עד שלא תיערף העגלה תצא ותרעה בעדר. נמצא אחר שנערפה תקבר במקומה שעל הספק באה מתחילתה כפרה ספיקה והלכה לה. ואף על פי שנמצא הרוצח אחר עריפתה הרי זה יהרג שנאמר ואתה תבער הדם הנקי: id eſt: *Probibitum eſt ullam ex vitula decollata capere utilitatem, ſed potius in loco detruncationis ſepeliebatur.* (12) *Quamprimum ad vallem deducta fuit, frui ea minime licebat, etſi nondum eſſet decollata. Nec minus valebat hoc præceptum, ſi moreretur aut diſcerperetur poſt deductionem. Exceptionem tamen bæc lex patiebatur, ſi teſtes, quorum autoritate decollata erat, falſitatis poſtea arguerentur. Adducamus exemplum: v. g. Dicit teſtis unus, Ego vidi occiſorem, alii duo autem ipſum vidiſſe negant. Seniores urbis plurimorum verbis fidem adbibentes ſeligunt vitulam, eamque educunt ad vallem ut decollaretur. Si poſtmodum duos iſtos teſtes falſa dixiſſe conſtet, vitula frui licet. Cum reperiretur homicida ante decollationeme, vitula libere exibat ac inter armenta paſcebat. Sin inveniretur poſt peractam decollationem, loco ſuo humabatur. Nam principio in cauſa dubia oblata, eandem expiavit, & officio functa eſt.* (13) *Etſi autem ſicarius poſt decollationem demum reperirietur, nibilominus capitali ſupplicio erat afficiendus, prout ſcriptum eſt:* Tu autem removebis a te ſanguinem innocentem.

Non vero duas ſimul offerebant vitulas, unde *Maimonides cap. 10. n. 8.* אין עורפין שתי עגלות כאחד שאין עושין מצוות חבילות: *Non duæ ſimul detruncabantur juvencæ, quoniam præcepta catervatim peragi non ſolent.* Neceſſarium quoque erat vitulam hanc a proxima urbe offerri, nec detruncatio ejuſdem omitti debebat, quod ex modo *citati Autori* verbis *num.* 10. eluceſcit: אנשי עיר קרובה שנתאחרו ולא אביאו עגלה ערופה כופין אותן ומביאין ,ואפילו לאחר כמה שנים. שחייבי עגלה ערופה שעבר עליה יום הכיפורים חייבים להביא אחר יום הכפורים: Eadem fere cum e *Codice MS. Ezbachajim* afferat *Wagenſeil. l. c. p.* 920. ipſius fere verbis hæc vertimus: *Si incolæ urbis occiſo proximæ vitulam afferre negligant, vi ad ejus oblationem compellendi ſunt, etiamſi multi anni effluxerint, a quo bæc obligatio fuit contracta. Si ceremoniam decollandæ vitulæ cœptam ſolennis dies expiationis interrumpat, ea poſt finitam banc ſacram lucem peragenda eſt.*

II. Locus, ubi decollationis ceremonia peragebatur, *in genere* erat terra ſancta, utpote extra quam locum eam non habuiſſe *Maimonides* confirmat, *in ſpecie* Scriptura eum nobis definit per נחל איתן אשר לא יעבד בו ולא יזרע. Hic voces נחל & איתן præcipue advertendæ ſunt, utpote de quibus diverſæ occurrunt opiniones.

De נחל diſputant, an per *vallem*, an per *fluvium* potius reddendum ſit, cum utrumque in Scriptura ſignificet? Rabbinorum præcipui *de torrente* explicant, e quibus *Maimonidem*, *Abarbenelem* & *Chaskuni* adducit *Celeb. Wagenſeil. l. c. p.* 907. Favere dicunt huic explicationi, quod de lavandis manibus poſtea ſequitur, utpote quam ex hujus torrentis aquis fieri debuiſſe ſtatuunt. Sed de hoc *capite ſequenti* videbimus. Enimvero quibus *vallis* ſignificatio magis arridet, (e quibus *Wagenſeil l. c.* præter *recentiores*, LXX. *Interpretes*, *Joſephum* & *Vulgatum* adducit) illi verba textus: אשר לא עבד בו ולא יזרע pro ſe allegant, cum flumina nec arare, nec ſemen iis committere li-

liceat. Quæ tamen verba *Caskuni* ad ſolum torrenti adjacens applicare nititur. Sed obſtat vocula בו in textu reperta, quæ culturam & ſeminationem ad τὸ נחל non vero terram ei proximam reſtringit. Nos itaque textui ſacro inhærentes, qui ob rationes allatas aliam expoſitionem non patitur, נחל per *vallem* explicamus.

Nunc quid איתן notet, diſpiciendum eſt. Talmudiſtæ ac Rabbini plerique, qui נחל de *torrente* ſumſerunt, per *rapidum fortiterque* fluentem explicant. Illi vero qui נחל per *vallem* exponunt, in partes abeunt aliis per איתן *ſolum pingue ac fertile*, aliis *durum ac incultum* intelligentibus. Nos receptiorem vocis ſignificationem ſecuti per *aſperum* ſeu *durum & ſaxoſum* explicamus. Commodiſſima itaque vocum נחל איתן expoſitio videtur, quod notent *vallem aſperam ac incultam*, (14) quæ nec antea arata fuit, nec poſt decollationem arari aut coli debebat. Nec obſtant *futura* יעבד ac יזרע, quis enim illa pro præteritis in ſacro textu ſæpiſſime ſumi ignorat? Si quis tamen pro *præſentibus* eadem accipere velit, non multum reluctabimur, cum & præſens per futurum ſæpe innuatur, idemque noſtri textus maneat ſenſus. Vid. *Glaſs. Philol. Sacr. Lib.* 3. *Tract.* 3. *Can.* 49. Non licuiſſe autem hanc vallem poſt decollationem colere aut ferere his verbis teſtatur *Maimonides l. c. cap.* 10. *num.* 9. הנחל שנערפה בו העגלה אסור בזריעה ועבודה לעולם שנאמר אשר לא יעבד בו ולא יזרע. וכל העובד שם עבודה בגופה של קרקע כגון שחרש או חפר או זרע או נטע וכיוצא באלו הרי זה לוקה. ומותר לסרוק שם פשתן ולבקר שם אבנים שזה כמו שארג שם בגד או תפרו שאינה מלאכה בגופה הקרקע לכך נאמר לא יעבד ולא יזרע. מה זריעה בגופה של קרקע אף כל העבודה שנאסרה שם אינה אלא בגופה של קרקע: id eſt: *Vallem, in qua decollabatur vilula, nunquam ſerere ac colere licebat, prout legitur in textu*: quæ nec colitur nec ſeminatur. *Omnis igitur, qui ibi laborem circa ipſam tellurem peragit*, v. g. *qui arat, aut fodit, aut ſeminat ſeu plantat ibidem, vapulare debet. Permiſſum tamen eſt, linum ibi pectere, lapideſque colligere. Idem enim hoc eſt, ac ſi quis veſtem ibi texat, aut conſuat, ejuſmodi enim labor non ipſum fundum reſpicit, idcirco dicitur*: quæ nec colitur, nec ſeminatur. *Ubi peragitur autem ſeminatio? In ipſo ſolo. Sicut itaque hæc non niſi circa ipſum fundum telluris occupatur, ita etiam omnis labor quem ibi peragere illicitum erat, paris eſt generis.*

III. Vitula ſic ad vallem deducta Seniores eam detruncabant, quæ decollatio non a jugulo, ſed a cervice inſtituenda erat. Cui vero ſpeciatim e tot Senioribus decollationem hanc peragere incumbebat, nec Scriptura exprimit, nec Rabbini definiunt, unde & nos de cauſa efficiente principali nihil determinare poſſumus. Inſtrumentalem Rabbini per קופיץ exprimunt, quod per cultrum prægrandem diſſecandis carnibus ac confringendis oſſibus aptum, (Germ. ein Fleiſch-Beil) R. Salomon Jitzchaki (Jarchi vulgo appellatus) reddit, cujus verba adducta vid. in *VVulſer. Schekal. p.* 162. In quam ſententiam plurimi Rabbinorum conſentiunt.

IV. Finis ſacræ hujus ceremoniæ tradendus nobis reſtat. Is fuit expiatio latentis homicidii, ac ablatio reatus ſanguinis innocenter effuſi, quod tam ex recitatione precum expiatoriarum a Senioribus peracta, (quamvis illas aliter capiat *Abarbenel*, ut *cap. ſeq.* videbimus) quam e verſu textus noſtri 9. aperte patet. *Maimonides* in *More Nebuchim par.* 3. *cap.* 40. duplicem cauſam affert, *unam*, ut Magiſtratus populo diligentiam probet de vindicando homicidio; *alteram*, ut eadem ceremonia populus iucitatus de autore cædis colloquatur, ut is forte hac ratione innoteſcat. Verba ejus adduxit *Celeberr. VVagenſeil. in Sota pag.* 291. *Abarbenel* prolixior eſt, ac hiſce *Maimonidis* rationibus nondum contentus in cauſas porro ſpecialium hujus præcepti circumſtantiarum inquirit. Verba ejus ea tantum de cauſa afferemus, ut de Rabbinorum mente circa finem hujus ſacri ritus conſtet. Sic autem *Com. in Pentateuch. p.* CCCLXXVI. *col.* 3. & 4. diſſerit: והנה לפי דעתי טעם הרמבם הוא האמת ומסכים מכל צד אבל לפי שהרב המורה לא נתן טעם לפרטי המצוה אשתדל בהם אני בנתינתם כדי לאמרת דעתו ולהסיר מעליו תלונות הרמבן וספקותיו. וגם ספקות אחרים אשר לא העיר עליהם הרמבן כנגד הרב ואפשר שיסופקו נגדו. והם למה צוה בעגלה בקר. ולמה צוה שתהיה אשר לא עובד בה ולא משכה בעיל. ולמה צוה שביאוה אל נחל איתן. ולמה אסר הנאתו של נחל איתן שלא יעבד בו ולא יזרע. ולמה צוה שתערף העגל׳ מאחור: ואם היה כטעם הרב המורה היה די ביידוי דברים בלבד לפני הסנהדרין או שיביאו קרבן משור או עז ויתידו עליו. ומה צורך יהיה כפי דעתי בה׳ התנאים האלה אם היה הנרצה בו לפרסם הענין ולגלותו: אבל נעשה הענין לדעתי לאחד משני צדדי ההוראה או לשניהם יחד. הצד הראשון הוא שיורה זה המעשה כולו על מעשה הריצח ולזה באה העגלה לפי שישראל יכינה בשם הזה כמו שאמר אפרים עגלה מלומדה. וצוה שיביאוה העיר הקרוב׳ להורות שהחלל יצא ובא מאותה העיר כשנהרג. יצוה שתהיה אשר לא עובד

כה ואשר לא משכה בעול להורות ולרמוז שהחלל ההוא נהרג על לא חמס בכפיו כי היא לא עשה שתחייב הריגתו ולזה היתה העגלה בת שתי שנים ולא עוד בהיותה בשני הנערו׳ לרמוז על היות החלל נקי בלא חטא כלל . וצוה עוד שיביאוה אל נחל איתן ושתערף בנחל כי היה הנחל רמז והוראה על היורת העיר ההיא שהיתה מקום התור׳ והמשפט כי המים רומזים לתורה כמו שאמר הוי כל צמא לכו למים ואמרו רז״ל בע״א פ״ק אין מים אלא תורה. והיתה ההוראה שבתוך אותה העיר מקום הצדק והמשפט נהרג האדם ההוא שנתאר ונרמז בעגלה . וכמה שאמר מקום המשפט שמה הרשע. ולכן צוה שתהיה העגלה נערפת. כי הנה עריפת׳ מצד העורף ירמוז שהחלל ההוא נהרג בקשר גדול כי לא נהרג על פי בית דין או בפרסום כדרך האנשים שימיתום אויביהם פנים בפני׳ כי אם בסתר כמו שהעגלה לא נהרגה בצד פניה כי אם בצד ערפה . וצוה שהנחל איתן לא יעבד בו ולא יזרע עוד כדברי הרב המורה עצמו לפי שבעל השדה יחקור בהשתדלות גדול לדעת מי היה הרוצח כדי שלא תערף העגלה ולא יאסר שדהו לעולם: Et paucis interjectis pergit : ואמנם הצד השני מההערה והרמז בפועל הזה הוא שהיה מעיר ורומז על העונש הגדול אשר יבא אל העיר החיא בעון אותו החלל. ולפי שישראל בזמן ההוא היו עובדי אדמה או רועי צאן ובקר והצלחת שני המלאכות האלה תהיה באמצעות המים כשיבאו בעתם . לכן צוה שיושבי העיר הקרובה אל החלל שהיו יותר חשודים בהריגתו יביאו עגלת בקר אל נחל איתן כדי להעיר שהמקנה כולו ימות בחטא ההוא . ואמר אשר לא עובד בה להגיד כי המקנה ימות קודם שיגיע לגבול הגדול וצוה שתערף בנחל לרמוז כי מסברת המים בהעדרם או ברבוים המופלג׳ ימות המקנה כולו ואמר שהזקנים יערפוה לרמוז שבסבתם וחטאת׳ ברציחה הזאת ימות כל המקנה . וצוה שלא יעבד השדה ולא יזרע עוד לרמוז שגם עבירת האדמה תבטל ותחרב . ובאשר יעשו הפועל הזה שמגיד ומורה גורל העונש אשר ימשך אליהם מזה החטא הנה יפחדו האנשים כולם וישתדלו לחקור ולדעת מי הוא הרוצח כדי שיוסר דם הנקי מביניהם ויבא הדבר לפרסום ההריגה וידיעת׳ שהוא התכלית המכוון במצו׳ כמו שאמר הרב: id est : *Quod meam attinet sententiam* Maimonidis *opinio vera omnique ex parte congrua mihi videtur . At quia laudatus Autor rationes specialium hujus præcepti circumstantiarum non adjungit ; ego de illis solicitus ero , ejusque opinionem ulterius asserendo eam ab objectionibus* R. Nachmanidis , *aliisque dubiis ab hoc autore contra eum non adductis , quæ tamen eidem objici possent , vindicabo. Sunt autem illa: Quare nempe sacer textus præceperit , ut offerant vitulam de armento, qua nullus unquam labor peractus fuerit , quæque jugum non traxerit , deducantque eam ad fluvium rapidum* (ita enim juxta hujus Rabbini mentem verba נחל איתן reddere debemus) *ac quare omnem usum hujus loci interdixerit , ne colatur aut seminetur, cur denique vitulam a cervice decollari injunxerit? Nam juxta* R. Maimonidis *sententiam professio coram Synedrio aut oblatio bovis aut agni vel hirci , ac verborum expiatoriorum super eis recitatio sufficere poterat . Quid itaque secundum ejus opinionem memoratis quinque conditionibus opus erat , si totius instituti finis non alius fuit , quam manifestatio rei ac detectio homicidæ? Quod meam itaque opinionem attinet , videtur mihi ob unam ex duabus rationibus , aut ob ambas simul totum negotium peractum esse .* Prima *est , quod hac ceremonia nihil aliud adumbratum fuerit , quam factum homicidæ . Adducique jubet textus vitulam, quoniam populus Israeliticus hoc nomine insignitur , prout Hos.* x. v. 11. *legitur* : Ephraim est vitula docta: *Porro ejusdem adductio præcipitur urbi proximæ ad ostendendum , quod cæsus ex ea urbe exiverit , cum interfectus fuit . Injungit præterea , ut sit vitula laboris ac jugi expers , ad demonstrandum , quod occisus iste plane insons fuerit , nec delictum morte dignum patraverit . Ac eandem ob causam vitula duorum tantum annorum , nondumque ætate provecta adhibita fuit , ad comprobandum , quod occisus iste innoxius ac sine omni plane culpa fuerit . Mandat ulterius , ut vitula ad torrentem fortem deducatur ibique decolletur , quoniam torrens iste argumentum exhibuit , quod in urbe ista , quæ erat locus legis & judicii (lex enim aquæ assimilari solet , sicut* Esa. LV. 1. *legitur:* Heus omnes sitientes ite ad aquas, & Rabbini nostri *in Tractatu* Abodat Elilim cap. 1. *dicunt* : non sunt aquæ nisi lex,) *quod , inquam , intra terminos istius urbis, in loco judicii & justitiæ occisus fuerit homo ille , qui per vitulam indicabatur . Sicut legimus* Eccl. III. v. 16. in loco judicii ibi est iniquitas . *Ulterius præcipit ut vitula decolletur. Nam decollatio ejus a cervice peracta monstrat , quod interfectus iste occisus sit nefarie, non enim mandato Synedrii aut aperte , sicut alias homines adversus inimicum publico occumbunt prælio , sed per insidias & clanculum trucidatus fuit, sicut & vitula non a facie , sed a cervice decollabatur. Prohibet insuper , ne ager iste amplius colatur aut seminetur , quoniam juxta verba ipsius* Maimonidis *hanc ob causam possessor istius agri magna cura in id incumbet , ut autor perpetratæ cædis innotescat, neque decollatione vitulæ terra ipsius inutilis reddatur.*

Secunda *ratio hæc est , quod hoc ritu in-*

di-

dicetur pœna insignis ventura super illam urbem ob reatum occisi istius. Ac quoniam populus Israeliticus tunc temporis agriculturæ aut pecudum pasturæ operam ut plurimnm dabat, prosperque harum successus ab aquis recto tempore venientibus magna ex parte dependebat; idcirco præcipit, ut incolæ urbis cæso vicinæ (utpote in quos maxima cædis cadebat suspicio) afferrent vitulam de armento ad fluvium rapidum, ut indicaret, pecudes omnes ob hoc peccatum morituras. Pergit porro textus: qua nullum opus peractum, *ad ostendendum, pecus moriturum, antequam legitimam attingat ætatem, vitulamque in fluvio decollari jubet, ad monstrandum, quod per aquas, dum aut deficerent, aut nimia copia inundarent, pecus interiturum sit. Senioribus autem decollationem injungit, quoniam ob eorum in hac occasione peccatum pecoris jacturam populus patietur. Agrique istius culturam probibet, quoniam & hæc cessatura, agrique inculti mansuri erant. Cum itaque hunc ritum, qui magnitudinem pænæ ob hoc peccatum ipsis infligendæ exhibet, peragent; omnes timebunt, ac seduli erunt ad investigandum sicarium, quo sic hujus supplicio sanguis innocenter effusus ab iis removeatur. Et hoc modo res hæc publica fiet, & autor cædis in notitiam perveniet, utpote qui juxta* Maimonidem *est finis hoc præcepto intentus.*

Juvat adhuc audire *R. Bechai*, cujus verba adducit & ex *Zennarrenna* illustrat *Celeb. Wagens. l. c. p. 923.* quibus nos Latinam versionem subjiciemus. Sunt autem hæc: יש בענין עגלה ערופה התעוררות גדולה להודע מהות החלל בראותנו כי צוה הכתוב לכפרת הרציחה שלשה ענינים האחר עריפרת העגלה השני שיהיה המקום נחל איתן אשר לא יעבד בו ולא יזרע חשלישי וידוי דברים והוא שיאמרו הכהנים בני לוי ידינו לא שפכה את הדם הזה כפר לעמך ישראל. ומן הידוע לכל משכיל כי הרוצח לא שלט כי עם על פי פרוד החבור שהפריד מן חחלל הזה שלשה נפשות הנפש הבהמית והנפש הצומחת והנפש השכלית ודבר ידוע כי הנפש המסתלקת ממנו תחלה היא הנפש הבהמית ולכך צוה עגלת בקר שהיא הנפש הבהמירת כנגד מה שהפריד ממנו תחלה הנפש הבהמית ומה שצוה שיהיה המקו׳ אשר לא יעבד בו ולא יזרע הנה זה כנגד מה שהפריד ממנו הנפש הצומחת ומה שצוה בוידוי דברים לומר ידינו לא שפכה כפר לעמך ישראל כנגד מה שהפריד ממנו הנפש השכלית שהיא המדברת ועניז הפרשה מבאר ליהודים מהות החלל ועם המעשה הזה ונכפר להם הדם: id est: *Ritus iste de vitula decollanda multum ad pernoscendam qualitatem ac essentiam occisi conducit. Videmus enim Scripturam ad expiationem cædis tria præcepisse, detruncationem nempe vitulæ, utque locus decollationis sit vallis dura, quæ nec colitur nec seminatur, denique confessionem per preces factam, utque dicant Sacerdotes filii Levi,* manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, propitius esto populo tuo Israel. *Notum autem est omni intelligenti, quod homicida in nullam aliam rem, quam separationem conjunctionis, qua corpus cum anima unitur, dominium habeat, dum ab occisi istius corpore tres animas separavit, sensitivam nempe, vegetativam ac rationalem. Porro constat, animam sensitivam esse primam, quæ e corpore discedit. Et hac de ratione vitulam afferre præcepit, quæ anima sensitiva instructa est, quia nempe homicida primo ab eo sejunxit animam sensitivam. Quod ulterius attinet prohibitionem culturæ ac seminationis loci istius, hec fit in respectu ad separationem animæ vegetativæ ab occiso. Denique quod recitationem precum concernit, dum Seniores dicunt,* manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, propitius esto populo tuo Israel, *hæc ob sejunctionem animæ rationalis peracta fuit, utpote quæ loquela nos instruit. Ideoque hac sectione explicatur Judæis qualitas occisi, ut antea dixi, expiaturqua hoc ritu sanguis innocenter profusus.*

CAPUT III.

De Decollationis consequentibus, lotione manuum & recitatione precum.

SUMMARIA.

I. DEcollationis ceremonia hac ratione peracta proximum erat, ut Seniores urbis vicinæ omnes ac singuli manus suas lavarent. (15) Sic *Maimonides l. c. cap. 9. n. 3.* ובירת דין של אותה העיר עם כל זקניה אפילו הם מאה כולן רוחצין את ידיהן שם במקום עריפתה: *Synedrium autem omnesque urbis istius Seniores, etsi centum sint numero, manus suas ibidem in loco decollationis lavant:* Quæstio autem hic se offert: an a *Senioribus* tantum, an vero etiam a *Sacerdotibus* hæc lotio peracta fuerit? Pro priori

ri ſententia pugnant Rabbini, pro poſteriori quidam e noſtris Interpretibus. Si textum ipſum inſpicimus, vix appareт, quomodo Sacerdotibus lotio attribui queat. Sic enim habet verſus 5. & 6. וננשו הכהנים בני לוי כי בם בחר יהוה אלהיך לשרתו ולברך בשם יהיה ועל פיהם יהוה כל ריב וכל נגע: וכל זקני העיר ההיא הקרובים אל החלל ירחצו את ידיהם על העגלה הערופה בנחל: *Et appropinquabunt Sacerdotes filii Levi, illos enim elegit Dominus Deus tuus, ut ipſi ſerviant, ac per nomen ejus benedicant, imo ab ore eorum omnis lis & plaga dependet. Et omnes Seniores urbis iſtius proximi apud occiſum lavabunt manus ſuas ſuper vitula in valle decollata.* Hic expreſſe appropinquatio Sacerdotibus lotio vero Senioribus adſcribitur. Alias enim prius hemiſtichium verſus 6. ad 5. adhuc verſum referendum fuiſſet, poſteriorique; ejuſdem hemiſtichio integrum jam verſum conſtituenti præmittenda particula Vau, & hac ratione tam appropinquatio quam lotio Sacerdotibus ac Senioribus fuiſſet communis, quod e principio accentuationis facile patet.

II. Nunc de loco, unde aquam hujus lotionis hauſerint pauca delibabimus. *Rabbini*, qui נחל per fluvium interpretantur, eam hujus fluvii aquis peractam fuiſſe aſſerunt, idque ex verbis v. 6. ירחצו את ידיהם על העגלה הערופה בנחל: probare nituntur, quæ ſi vertunt: *lavabunt manus ſuas in fluvio ſuper vitula decollata.* Nos autem, qui נחל per vallem vertimus, huic ſententiæ adhærere non poſſumus, ſed potius lotionem aquis e proximo forte fonte hauſtis aut aliunde allatis factam fuiſſe conjicimus. Hoc tamen non plane negamus, fieri potuiſſe, ut fluvius proxime præterflueret; ac in hoc caſu ipſius aquis lotionem inſtitui potuiſſe non refragamur.

Quod vero verſum 6. attinet, ille pro Rabbinorum ſententia adſtruenda nihil confert, repugnat enim allatæ juxta eorum mentem interpretationi accentuatio. Nam maximus in ditione Silluki ſubdiſtinctivus voci ידיהם inſidens lotionem ad omnes in hoc verſu ſequentes voces, non vero ad ſolum נחל referendam eſſe monſtrat. Alias enim maxima diſtinctio hujus hemiſtichii apud vocem הערופה ponenda & accentuatio ſic inſtituenda fuiſſet: ירחצו את -- ידיהם על -- העגלה הערופה בנחל: quod facile patet. Verba itaque iſta hoc modo verti debent; *Et lavabunt manus ſuas ſuper vitula decollata in valle.* Inſtituebatur ergo, ut ex hoc textu colligere licet, lotio ſuper cadavere vitulæ.

III. De fine hujus lotionis paucis agendum. Is erat, ut innocentiam ſuam publice teſtarentur Seniores, ſimulque nec a ſe, nec per negligentiam ſuam homicidium hoc eſſe commiſſum, nec ſibi de autore cædis quicquam conſtare confirmarent, quod e verbis v. 7. facile colligitur. Unde *Maimonides*: כלומר שלא בא לידינו הנהרג הזה ופטרפוהו בלא מזונות ולא ראינוהו ופטרנוהו בלא לויה: *Hoc verbis v. 7. dicere volebant Seniores: Non venit ad nos iſte occiſus, & dimiſimus ipſum ſine viatico, neque vidimus eum & dimiſimus incomitatum.* (16)

IV. Lotionem ſubſequebatur precum, quæ *v.* 7. & 8. continentur, recitatio. De his quæſtio inſtituenda, An *v.* 7. & 8. ab iiſdem, an vero a diverſis perſonis recitati fuerint? *Rabbini* ſtatuunt, Seniores *verſum* 7. Sacerdotes autem *verſ.* 8. pronunciaſſe. Sufficiat audire Abarbenelem: ובית דין של אותה העיר וכל זקני העיר ואפילו שיהיו מאה רוחצין את ידיהן שם במקום עריפתה של עגלה ואומרים בלשון הקדש בתוך הנחל ידינו לא שפכה (17) את הדם הזה ועינינו לא ראו. והכהנים עונים בלשון הקדש גם כן כפר לעמך ישראל והק״ב מכפר להם שנאמ׳ ונכפר להם הדם: id eſt: *Synedrium iſtius civitatis proximæ omneſque ejuſdem Seniores, quamvis centum fuerint, lavant manus ſuas ibi in loco decollationis vitulæ, dicuntque lingua ſancta in media valle:* manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hanc, oculique noſtri non viderunt. *Sacerdotes autem reſpondent eadem lingua ſancta* propitius eſto populo tuo Iſrael. *Ac hoc modo Deus ipſis condonat, ſicut textus habet:* ac expiabitur ipſis ſanguis iſte. Verum enimvero hic cum Rabbinis conſentire non poſſumus, quoniam opinio ipſorum textui ſacro repugnat. Ex ejus enim cohærentia clarum evadit, verba *verſ.* 8. ab iiſdem perſonis pronunciari debuiſſe, a quibus verba *verſ.* 7. prolata fuere, quod tam apertum eſt, ut longa demonſtratione non egeat. Verba enim וענו ואמרו toti precum formulæ duobus his verſibus conſtanti, præmiſſa, non patiuntur, ut earum, quæ *verſ.* 7. continentur, recitatio aliis, quæ autem *verſ.* 8. comprehenduntur, iterum aliis adſcribatur perſonis.

Jam vero, ſi quæramus, quibus tandem precum prolatio, an Senioribus, an vero Sacerdotibus, an utriſque tribuenda ſit? nobis quidem eam a ſolis factam eſſe Senioribus videtur. Subjectum enim verbis וענו ואמרו aliud aſſignari nequit, quam verſu proximo præcedentia verba וכל זקני העיר ההיא, illud enim e remotiori aliquo verſu petere regulæ herme-

meneuticæ prohibent. Sin vero objicere alicui placeat: Sacerdotes ac Levitas hac ratione plane fuiſſe otioſos, dum nec manus laverint, nec preces ſimul recitarint; eidem reſponderemus, eorum officium nihil aliud fuiſſe, quam ut hanc ceremoniam præſentia ſua ſolenniorem redderent, ac omnia rite peragi obſervarent. Præcipuæ enim totius ritus circumſtantiæ judices urbis proximæ tangebant. Quoniam vero ſacra erat iſta ceremonia, eidem Sacerdotes quoque intereſſe conveniens erat. Quod autem linguam, qua precum formula fuit prolata, attinet, Rabbini non aliam adhiberi debuiſſe, quam Hebræam (18) ſtatuunt, quod ex *Abarbenelis* ante allatis verbis clarum evadit, nec aliorum Rabbinorum teſtimonia congerere neceſſarium videtur, cum ii, quos vidimus, omnes conſentiant.

V. Finis ac intentio harum precum non fuit alia, quam ut iis Deum exorent, ut propitius ſit populo ſuo, peccatumque hoc condonet, nec reatum ſanguinis innocenter effuſi ipſis imputet, ac homicidium in illis vindicet. Et eundem effectum (19) has preces quoque ſubſecutum eſſe, verba ונכפר להם, *& expiabitur ipſis*, teſtantur. *Abarbenel* vero hic mirum in modum textus verba torquet, dum negat iis innui, ut Deus hoc ab ignoto homicida commiſſum peccatum populo condonet, nec in eo vindicet, ſed potius iiſdem remiſſionem pro aliis ſimilibus peccatis exorari contendit. Cum enim in *Comment. in Pentat. p.* CCCLXXVII. *col.* 1. *Aben Ezræ* verba breviter adduxiſſet, ſententiam ſuam ſic ſubjungit: ולפי דעתי נראה לי לפרש הכתוב כך שאחרי שהם העידו שאין ביניהם הרוצח ושהם לא שפכו את הדם ושהם לא ידעו מי הוא ההורג וזהו ועינינו לא ראו ואמרו הכהנים כפר לעמך ישראל לא אל העון הזה כי אם אל יתר העוונות אשר כבר עשו דומים לזה כי לולא היו חוטאים בדבר הדומה לזה פעם אחרת לא תהיה קורה בגבולם ההריג׳ הזאת. ולפי שהם היו בלתי יודעים חטאם התפללו בערם הכהנים הלויים הם שיכפר להם הש״ו כיון שפדאם מיד צר ומעשה ידיו הם. ויתפללו עוד שלא יתן דם נקי בקרבם ר״ל שלא יענישם על הדם הנקי שנשפך בגבולם ברומה לזה והעידה התורה שבסבת החרטה והתפללות הזאת והיותם עצבים בדבר יכפר להם יתברך החטאות שכבר עשו דומים לזה. אבל הנכון אצלי הוא כי חטא העם ופשעם ראוי שייוחס למנהיגיהם יעץ וביען לא היישירו העם בשמירת דרכי התורה באופן שלא יהיה ביניהם שפיכות דמים וגם תהיה אשמה על מנהיגיהם לפי שלא הגיעו לרעת מי ההורג ולבערו כי זהו המוטל על שופטי העיר וזקניו וגם כי מיעוט המשפט ביניהם יביא אל שפיכות דמים. כי אם היה משפט בעיר קשה ומדוקדק כראוי לא יגבר יד הרוצח לבא להרוג נפש בגבול אותה העיר כי יפחד לבבו ממשפט אותה העיר ושופטיה שירדפו אחריו ויסיגוהו וירמסו לארץ חייו. הנה להיות זקני העיר ושופטיה חוטאים בזה מהצדדים האלה הוצרכו הכהנים הלויים להתפלל עליהם כפר לעמך ישראל לא שיתפללו על ההריגה הזאת עצמה ויבקשו כפרה עליה כי אם על החטאים והאשמה שייוחסו אליהם מהצדדים אשר זכרתי. ואמר עוד ואל תתן דם נקי בקרב עמך ישראל שיהיה רצון לפניו ית׳ שלא יקום עוד כדבר הזה ר״ל שלא יהרג עוד בגבולם איש בהיותו נקי כמו שנהרג זה. וזהו שאמר ואל תתן דם נקי בקרב עמך ישראל ר״ל שלא יהיה ולא יבא שבקרב הארץ ההיא ונבולה יתן דם נקי שיקרה שישפך דם שם וזו שנכפר להם שהדם ההוא יחשב להם למיעוט המשפט בארץ ועצלת המנהיגים ושאר הצדדי׳ אשר זכרתי. ואמנם אמרו עוד ואתה תבער׳ הדם הנקי מקרבך כי תעשה הישר בעיני יי פי׳ כי הם יבערו הדם הנקי מקרבם וימנעו הרציחות והפעולות המגונות כאלה כאשר יעשו הישר בעיני יי׳ לדקדק בהנהגת העם ומשפטיו. או יאמר שלא יחשבו שאחרי עריפת העגלה (אשר הכוונה בה לרעת המכה והרוצח כמו שזכר הרב) ולא יכלו לדעתו שלא יחושו עוד לעשות חקירות לדעת מי הוא ההורג אותו החלל. אבל צוה אשר יחקרו מתיד לבער הדם להכיר הרוצח ולהורגו ובזה יעשו הישר בעיני יי׳: id eſt: *Quod meam concernit ſententiam, videtur mihi textus ſic explicandus: Poſtquam Judices ac Seniores homicidam non inter ſe inveniri, neque ſe ſanguinem effudiſſe, ſibique occiſorem non eſſe notum,* (*quod per verba:* & oculi noſtri non viderunt, *innuitur*) *publice teſtati fuere; Sacerdotes deinde verba hæc protulerunt*: propitius eſto populo tuo Iſrael. *Non vero ea ſic capi debent, quaſi ob hoc ſcelus commiſſum recitata fuiſſent, ſed potius ob alia peccata, quæ huic ſimilia perpetrarunt. Si enim alio forte tempore non ſimile admiſiſſent delictum, non accidiſſet, ut intra ipſorum terminos ejuſmodi homicidium patraretur. Quoniam vero non omnium ſuorum criminum conſcii fuere, orabant pro iis Sacerdotes Levitæ, ut Deus ipſis ſit propitius, utpote qui ipſos e manibus hoſtium liberaſſet, opuſque manuum ejus eſſent. Porro precantur,* ne det ſanguinem innocentem in medio illorum, *id eſt, ne puniat eos ob ſanguinem innocentem intra terminos eorum effuſum, ſicut hic erat. Et propter hanc pœnitentiam ac orationem, & quia dolore ob hanc rem cruciabantur, Deum ipſis peccata, quæ huic æqualia commiſere condonaturum, Scriptura confirmat. Hoc quoque mihi probabile videtur, deli-*

cta

cta ac crimina a populo commiſſa Magiſtratui ejuſdem adſcribi debere , quoniam non recte gubernavit ſubditos ad cuſtodienda legis præcepta, ne inter eos ſanguis effunderetur. Præterea in eo peccavit Magiſtratus , dum in ſcientiam homicidæ non pervenire , adeoque ipſum non e medio tollere potuit , hoc enim incumbit Judicibus ac Senioribus civitatis alicujus . Hoc inſuper effuſionem ſanguinis cauſavit , quia negligenter nimis exercuerunt judicium . Si enim illud in urbe iſta ſeverum ac accuratum fuiſſet , nunquam invaluiſſet manus homicidæ ad occidendum intra terminos urbis iſtius hominem. Timuiſſet enim ſibi a Judicio ac Judicibus illis , eorumque perſecutio , & timor capitalis ſupplicii eum ab ejuſmodi facto abſterruiſſet . Quoniam itaque his ex partibus Seniores ac Judices deliquerunt neceſſe erat, ut Sacerdotes preces pro eis funderent ac dicerent : Propitius eſto populo tuo Iſrael. *Non quaſi ob hoc commiſſum homicidium orarent , ac remiſſionem pro eo expeterent , ſed potius pro aliis peccatis ac delictis , qui ipſis ex ante allatis rationibus attribui poterant . Pergit porro textus:* & ne des ſanguinem innocentem in medio populi tui Iſrael , *quorum verborum ſenſus eſt , velit Deus benigne concedere , ne amplius ejuſmodi factum contingat , nempe , ut occidatur intra terminos ipſorum homo innocens , ſicut iſte. Et hoc ipſum innuitur verbis*, ne des ſanguinem innocentem in medio populi tui Iſrael , *ne ſcilicet eveniat , ut in medio terræ aut intra ejus terminos det ſanguinem innocentem , dum effunditur ibidem ſanguis. Et hoc ipſum eſt , quod in textu ſequitur* , & expiabitur ipſis ſanguis, *ſanguis enim iſte eis imputatur ob paucitatem judicii & negligentiam Magiſtratus , ac ob reliquas, quarum memini , rationes. Quod autem porro extat :* Tu autem removebis ſanguinem innocentem e medio tui , cum facies rectum in oculis Domini , *eo innuitur , ipſos remoturos ſanguinem innocentem ac prohibituros , ne ejuſmodi homicidia ac turpia facta amplius committantur , cum facient rectum in oculis Domini per accuratam gubernationem populi ejuſque judiciorum. Aut explicari ſic etiam poteſt : ne cogitent , quaſi poſt decollationem vitulæ (cujus intentio eſt cognitio homicidæ , juxta mentem* Maimonidis *) ſi illum invenire non potuerint , nullam amplius impendere debeant curam , ut autorem cædis inveſtigent ; ſed potius præcipit ipſis ulteriorem ſcrutationem ad removendum ſanguinem , id eſt , ad cognoſcendum homicidam ipſumque puniendum. Et per hoc ipſum facient rectum in oculis Domini .*

VI. Hæc de themate noſtro jam ſufficiant, pluraque hac vice afferre non licuit. Promittimus , ſi Divina Gratia vitam vireſque ad hoc ſtudium ulterius excolendum concedet , fructus impoſterum poſt has primitias uberiores. Nihil jam reſtat , quam ut manum de tabula tollentes humillima erga Divinam Clementiam gratiarum actione concludamus , quam verbis initialibus *Ahmedis Arabſiadæ in hiſtoria Tamerlanis* peragemus :

الحمد لله الذي علي منوال ارادته وتدبيره تنسج مقاطع الامور ومن ينبوع قضايه الي لجج قدره تجري تيار الاعصار والدهور. Quæ Latine ſic ſonant :

Laus DEO , ad cujus voluntatis & gubernationis modum pertexuntur ſectiones rerum , & ex cujus decreti fonte ad abyſſos ejus potentiæ ſtuunt fluctus temporum & ſeculorum .

N O T Æ.

(1) De primo loco *Geneſ.* XV. *verſ. 9.* ita ſcribit *Kimchi in* שרשים *p.* CCXLI. עגלה משלשת פירוש שלש עגלות ואין לומר בת שלש שנים כי בת שלש שנים תקרא פרה : *Verba* עגלה משלשת *iſto loco tres notant vitulos, nec explicanda veniunt per vitulam trium annorum , ejuſmodi enim vitula vaccæ potius nomine inſignienda eſt* . Conſentiunt in hanc explicationem *Raſchi , Ralbag & Ramban* , diſſentit vero *R. Aben Eſra . Abarbenel* duplicem explicationem integri verſus ſuggerit , utramque allegoricam , eumque *in prima* illorum ad tres Patriarchas , (quos per animalia greſſilia denotari ſtatuit) Moſenque & Joſuam (qui per aves ipſi ſignantur) applicat , *in ſecunda* autem per quadrupedes beſtias Mirjam , Aharonem & Moſen , per volatiles vero Joſuam & Eleazarem intelligi vult , quam verbis ipſius adducere non pigeret , niſi nimis prolixa eſſet . Cui perluſtrare eam lubet , evolvat ejus *Commentarium in Legem* , *p.* LVI. *col.* 2. ubi *quæſtionibus* 12. 13. & 14. dubia pro more ſuo de hoc verſu movet , poſtmodum *p.* LIX. *col.* 3. eadem explicatione ſua diſſolvit.

De ſecundo *Ex.* XV. *v.* 5. ita *Raſchi in Comment. ad h. l.* (quem & *Buxt. in Lex. min. p.* 529. adducit) שהיא שלישית לבטן *quæ tertia eſt partu* , quæ utplurimum robuſtior eſſe ſolet . *Kimchi* vero ſibi ipſi hic contradicit, dum inquit : פירוש עגלה בת שלש שנים כי היא הטובה : i. e. *Verba* עגלת שלישיה *h. l. notant vitulam magnam trium annorum* (cum in loco antea adducto dixiſſet , tunc non amplius vitulam , quin potius vaccam eſſe) *quoniam ea ſolet eſſe optima* .

(2) *Kimchi in Schoraſchim pag.* CCCLXXVIII. hoc modo loquitur : והפועל ממנו וערפתו כלומ' שתכרת ערפו *Verbum exinde deſcendens* (ab ערף nempe) *eſt* ערף *cujus exemplum Exod.* XIII. *v.* 13. וערפתו *i. e. præſcindes cervicem ejus* . Diſſentit vero ab hac explicatione *R. Elias Levita in notis marginalibus* his verbis : אני אומר ויש מפרשים וערפתו לשון הכרה כלומ' שיעשה בו סימן להכירו שהוא בכר ואינו רוצ' לומ' שימיתנו כי הבהמ' מה חטאת' &c. id eſt : *Mea ſententia cum illorum coincidit , qui explicant* וערפתו *h. l. in ſignificatione cognitionis , quod nempe redemturus*

turus aſinum (de quo h. l. agitur) *ſignum aliquod in eo facere debeat, quo cognoſci poſſit illum eſſe primogenitum. Non vero occiſionem notat, quid enim beſtia hæc peccaſſet, ut occideretur?* Contradicentes vero *Elias* habet *Raſchium* & *Abarbanelem*, totumque fere reliquorum interpretum cœtum. *Aben Eſra* admodum ſarcaſtice diſſentit his verbis: יש אומרים תכתב על ערפו קדש והאומר כזה אומר אני שהוא חמור קשה ערף כי הנה כתוב הוא יערוף מזבחותם וערפו שם את העגלה בנחל שהפירוש לכרות הערף כאשר פירשו מעתיקי הורה כי כל בכור שלא תקרב לגבי המזבח או לא יפדה חייב מיתה id eſt: *Statuunt quidam, ſcribendam eſſe ſuper cervicem aſini ſanctitatis notam*, (vel ſic etiam juxta aliquorum ſententiam reddi poſſet: *ſcribendam eſſe ſuper cervicem ejus vocem* קדש). *Qui autem ejuſmodi ineptias loquitur, de eo ego pronuncio, ipſum eſſe aſinum duræ cervicis. Ecce enim legimus Hoſ.* x. 2. Ipſe ſuccindet altaria eorum, *&* *Deut.* XXI. *v.* 14. Et decollabunt ibi vitulam in valle, *ubi ſignificatio decollationis utrobique obtinet*, (in priori quidem loco metaphorice, in poſteriori proprie.) *ſicut & explicant Scripturæ interpretes. Omne enim primogenitum, quod non offerebatur ſuper altari, aut non redimebatur, mortis erat reum.*

(3) Differentiam Magiſtratuum ac Synedriorum Judaicorum qui cognoſcere cupit, adeat *Seldenum in tractatu modo citato, libro præprimis ſecundo*, ubi prolixe ac erudite hanc materiam pertractat. Brevius vero eam exhibet *Celeberr. Wagenſeil. in Sota p.* 15. & qui *Maimonidis* verba ex *Hilc. Sanhedrin* adducit & illuſtrat *Cl. Voiſinius in obſerv. ad Raym. Martini Pugion. fid. part. II. c. 2. p.* 267.

(4) Sic enim in *Miſchna Sota cap.* I. *n.* I. שלשה מבית דין הגדול שבירושלם היו יוצאין ר׳ יהודה אומר חמשה מוסיפין זקניך שנים ושפטיך שנים ואין בית דין שקול מוסיפין עליהן עוד אחד: Quæ Celeb. *Wagenſeilius* ſic vertit: *Tres e Senatu magno Hieroſolymit. egrediebantur, vel ut R. Judas* (cujus opinio communem aſſenſum meruit) *perhibet, quinque*, Q. S. E. Seniores tui, *quibus duo minimum innuuntur*. (Pari modo & illud) Judices tui, *ſaltem duos arguit. Cum vero judicium in æquilibritate non relinquatur, unus adhuc ſuperadditur*. Ad verba ואין בית דין שקול *R. Bartenora* ſic commentatur: אין בית דין עשוין אפשר לחלק שוה בשוה אלא שיהא הרוב לצד אחד לקיים אחרי רבים להטות: id eſt: *Non conſtitui ſolet judicium, in quo fieri poſſit, ut deciſiones partium ſint æquales, ſed ita adornandum eſt, ut ab una parte plura ſint ſuffragia, ut deinde ſecundum illam pluralitatem deciſio inſtitui queat.*

(5) *Celeb. Wagenſeil. in Sot. p.* 897. verba hæc ſunt: *Cauſam quare ob ſuſpenſum aut ſub acervo occultatum cadaver decollatio vitulæ locum non invenerit hanc Chaskuni allegat:* ואין דרך רוצח לשהות ולטמון ולהתלות מפני שירא לנפשו. *Quia non ſolet tantum temporis ſibi indulgere Sicarius, ut cadaver abſcondat, aut ſuſpendat, eo quod vitæ ſuæ metuit*. Non addit judicium ſuum de hac *Caskuni* ratione Vir Summus, nobis ſi noſtrum addere liceret, non multum ponderis eidem ineſſe diceremus.

(6) Pulchre de his diverſis Talmudicorum opinionibus diſſerit *Menaſſe ben Iſrael in Niſchmat Chajim part.* 2. *c.* 12. ſub finem. Ubi cum primo de principali ſede animæ in corpore egiſſet, tandem hæc ſubjungit verba: גם לענין הזה נוכל ליחס מחלקת רז״ל במסכת סוטה פ׳ עגלה ערופה משנה שלמה שם מאין היו מודדין ר׳ אליעזר אומ׳ מטבורו ר׳ עקיבא אומר מחוטמו ר׳ א׳ בן יעקוב אומ׳ ממקום שנעשה חלל מצוארו ונראה שסברת מי שאומר מראשו או מחוטמו נוטה לדעת גאלינוס גוזר ומקיים שהתחלת החיים הוא הראש וכמו שהביא ראיה מתחלואי קוף אחד שגדל אצלו והיה מתאונן והולך עד שמת ובקעו בטנו ונמצא לו מורסא בלבו ודעת מי שאומר מטבורו נוטה לדעת אבן סינא ארסטו והר״מבם אשר בפרקי הרפואה שלו הכה על קדקד ראש גלינוס באמרו כי אין התחלת החיים אלא בלב כאשר העיד שראה אווז אחד נחתך ראשו והלך יותר מס׳ פסיעות ואיה אם כן התהוות החיים במוח וכן גזר בתחלואי הלב שאפילו נקב מחט סרקית לא יסבול וכן העידו על איש אחד חייט שפעם אחד נכנס להוציא יין ומחטו בבגדו נגד לבו ויהי כאשר נכנע להוציא היין על גניתו והמחט נתקע בבשרו ופתאם בא אידו ומת כהרף עין ובדקו ומצאו שלא נכנס המחט כי אם כחוט השערה ומה שאמר ר׳ אליעזר מטבורו לא יאמן שכן עלה בדעתו שתחלת היצירה היה הטבור אבל כוונתו להורות כי בהיות הטבור קרוב ללב תחלת החיים באשר לא היו מבקעים את כרסו למדוד מן הלב היו מודדין מן המקום הקרוב אליו הגם שגם כן נוכל לפרש כי בהיות הטבור תחלת מה שנראה ביצירה למה שבו מקור המזון וסבת החיות לכן גזר עליו שממנו היו מודדין: Quæ ſic interpretamur: *Ad hanc materiam referre quoque licet diſceptationem Magiſtrorum in Maſſechet Sota, capite quod verbis* עגלה ערופה *incipit. Miſchna integra ibi ſic habet: Unde menſurandi initium fecerunt? R. Elieſer vult ab umbilico. R. Akiba ſtatuit a naribus. R. Elieſer filius Jacobi denique contendit, ab eo loco, ubi quis jugulatur, nempe a jugulo. Videtur itaque opinio ejus, qui aſſerit, a capite aut naribus initium menſurandi fieri, ad mentem Galeni inclinare, qui ſimiliter decernit, principium vitæ eſſe caput, illudque demonſtrare nititur e ſimiæ cujuſdam affectibus, quam educaverat, quæque ſemper mœſta triſtiſque inceſſerat, donec moreretur. Diſſecto deinde corpore ejus, puſtula in corde ejus reperta fuit.* (Hic legendum puto ובקעו אותו ונמצא מירסא בראשו alias enim non video, quomodo Galenus opinionem ſuam hac relatione probet, niſi fortaſſe Autor noſter mentem ejus non recte aſſecutus ſit.) *Sententia vero ſtatuentis ab umbilico menſurari, favet Aben Sinæ, Ariſtoteli ac Muimonidi, qui in capitibus ſuis de Medicina Galeno contradicit, dum inquit: Quod principium vitæ nullibi ſit, niſi in corde, perhibetque ſe vidiſſe anſerem, quæ diſciſſo capite nihilominus ultra ſexaginta adhuc paſſus ambularit, quomodo itaque nativa ſedes vitæ in cerebro poterit ſtatui? Sic diſſerit idem Autor de affectibus cordis, quod illud ne quidem foramen acus ſartoriæ ferre queat. Referturque de ſartore quodam, qui aliquando ad vinum afferendum egreſſus fuerat, acu ipſius veſti prope cor infixa. Cumque ſe ad vinum in vas ſuum recipiendum inclinaret, acus in carnem ipſius pervaſit, ſtatimque agone correptus eo momento exſpiravit. Eo poſtmodum diſſecto inventum eſt, acum non ulterius intraſſe, quam fili ſeu capilli latitudine. Quod autem R. Elieſer de umbilico aſſerit, non ſic accipiendum eſt, quaſi in mentem ipſi venerit, quod prinoipium vitæ ſit umbilicus, ſed intentio ejus eſt, oſtendere, quod quoniam umbilicus proximus eſt cordi, tanquam principio vitæ, corpus autem occiſi diſſecare non decebat, ut dimenſionis principium a corde inſtitueretur, quod ideo, inquam, potius menſurare debuerint a loro cordi proximo, umbilico nempe. Quin imo ſic etiam explicare ejus mentem licet, eam ob cauſam dimenſionem ab umbilico ipſum defendiſſe, quia umbilicus primum eſt, quod in formatione hominis apparet, in eo etenim fundamentum nutritioni vitæque cauſa, dum homo in utero formatur, conſiſtit.*

(7) Probant id Rabbini ex Gen. VII. 22.

(8) Qui reliquas quoque hujus urbis prærogativas noſſe cupit, adeat *Dn. Wagenſ. in Sot. p.* 900. ubi illas ex *Maimonide* affert, ac pro more ſuo eruditiſſime illuſtrat.

(9) Conditionis hujus rationem adductis verbis ſtatim ſubjungit *Maimonides:* לפי שאי אפשר לצמצם אפילו בידי אדם *Quoniam impoſſibile eſt, tam accurate menſurationem inſtitui, ut nec latitudine manus humanæ aberret*. Tam accurate tamen imo accuratius adhuc de jure eam peragi debuiſſe ex *Bartenora* liquet, cujus verba vide apud ſummum *Wagenſeil. loc. cit. pag.* 899. ubi ſimul illum pro merito ſatis acute perſtringit.

(10) Imparitatem tamen quandam offendere licet inter vaccam rufam & vitulam in *Peſickta Sutarta, P.* LXXVIII. *col.* 3. ubi hæc extant verba: אשר לא משכה בעול בפרה ארומה אשר לא עלה עליה עול אבל בעגלה ערופה עד שתמשך לא נפסלה וכמה תמשך בעול ותפסל כשיעור העיר לרחבו מיכך אמרו הכשר בפרה פסול בעגלה והפסול בפרה כשר בעגלה ערופה: *Textus noſter inquit*, quæ non traxit jugum. *At de vacca rufa num.* XIX. *dicitur*: ſuper quam non aſcendit jugum, (ex quibus verbis ſequitur, jugum vaccæ ſolummodo impoſitum ipſum vitiaſſe) *Aſt vitula non prius inidonea reddebatur, quam cum jugum traxiſſet. Quantum autem ſpatii requirebatur, ut hoc labore irrita fieret? Urbis præter propter latitudo. Maimonides* palmi tantum latitudinem concedit.) *Exinde dicunt, quæ de vacca rufa permiſſa ſunt, vitulam vitiant & contra*. Qui ritum de vacca rufa perfecte noſſe cupit, adeat *Diſſertationem inauguralem* de hac materia *a Magnifico Dn. D. Carpzovio, Patrono noſtro æternum venerando* conſcriptam, ubi plene

eam pertractatam reperiet. Unicum de ea *Muhammedis* commentum adducere juvat, quod *Surat.* 2. *v.* 67. 68. offendimus. Cum enim ibi Impoſtor longum colloquium inter Moſen ac populum Iſraeliticum de hac vacca recitaſſet, (quod adduxit, ac latine tranſtulit in *Erudita de* שופר *Diſſertatione ſub finem cap.* 1. *Dn. M. Zoega*, Vir in ſacratiori Philologia exquiſitus, (Fautor ac Præceptor noſter colendus) tandem in hæc erumpit verba: وان قتلتم نفسا فادداواتم فيها والله مخرج ما كنتم تكتمون. فقلنا اضربوه ببعضها كذلك نحيي الله الموتي ويريكم اياته لعلكم تعقلون.

Quæ ſic reddimus: *Et cum occidiſſetis quendam certaſtis inter vos invicem de eo, quis autor cædis eſſet. Deus vero in apricum producit quod occultatis. Tunc diximus ad vos: Verberate mortuum parte quadam hujus vaccæ* (per quam Muhammedani linguam intelligunt,) *& reviviſcet. Hoc modo vivificat Deus mortuos, & docet vos ſigna ſua, ut fortaſſe intelligatis.*

(11) Quinam teſtes ad hoc negotium idonei fuerint, *e Codice MS. Ez hachajim* docet Celeb. *Wagenſeil. l. c. p.* 917. Nos *Maimonidis* verba afferemus. Sic autem ille *loco citato cap.* 9. §. 12. *ſeqq.* אפילו ראה ההורג עד אחד אפילו עבד או אשה או פסול לעדות בעבירה לא היו עורפין לפיכך משרבו הרצחנין בגלוי בטלה עגל' ערופה עד אחד אומר ראיתי את ההורג ועד אחר הכחישו ואמר לו לא ראית היו עורפין במה דברים אמורים כשבאו שניהם כאחת אבל אם אמר אחד אני ראיתי את ההורג הרי זה נאמן כשנים לענין הזה ואם בא אחר כך עד אחד והכחישו ואמר לו לא ראית אין משגיחין על דברי האחרון ואין עורפין באו שנים אחר שהעיד האחד והכחישוהו ואמרו לו לא ראית הרי הן כשני עדיות המכחישות זו את זו ועורפין אשה אומרת ראיתי את ההורג ואשה אחרת מכחשת אותה ואומרת לא ראית היו עורפין בין שבאו שתיהן כאחת בין שבאו זו אחר זו שנים אומרים ראינו ואחד אומר להם לא ראיתם אין עורפין אחד אומר ראיתי ושנים אומרים לו לא ראית היו עורפין במה דברי' אמורים כשהיו שלשתן כשרים או פסולים אבל אם אמר עד אחד ראיתי ההורג ושתי נשים או שני פסולים אומרים לו לא ראית אין עורפין שתי נשים או שני פסולים אומרים ראינו ההורג ועד אחד מכחישם ואומר לא ראיתם עורפים שאפילו מאה נשים או מאה פסולים ועד אחד מכחיש את בולך הרי אלו כאיש אחד ועד אחד שלש נשים או שלשה פסולים אומרים ראינו ההורג וארבעה נשים או ארבעה פסולים אומרים לא ראיתם עורפין זה הכלל בפסילין אחר רוב המנין בכל מקום: id eſt: *Si teſtis tantum unus homicidam viderit, etſi ſervus ſit, aut fœmina, aut qui ob crimen aliquod ad teſtimonium perhibendum inidoneus eſt, non decollabatur vitula. Quamobrem cum homicidarum manifeſtorum numerus augeretur, decollatio vitulæ ceſſavit. Si teſtis unus ſe homicidam vidiſſe aſſerat, aliuſque mendacii eum arguat, decollabatur vitula. Quomodo hoc intelligendum? cum ambo ſimul teſtimonia edunt. At cum unus ſe ſicarium vidiſſe aſſeverat, ei in hoc negotio tanta fides adhibetur, ac ſi duo eſſent. Quod ſi itaque alius poſtea ſuperveniat, falſa ipſum dixiſſe affirmans, non attendunt ad verba hujus poſtremi nec vitulam detruncant. Sin vero duo alii teſtes, poſtquam unus teſtimonium de homicida ſibi viſo perhibuit, eidem contradicant, de hoc caſu perinde judicandum, ac ſi duo teſtes ſimul contraria teſtimonia referant, ac decollari debet vitula. Una muliere ſe occiſorem vidiſſe, alia autem eam mentiri perhibente, pari ratione decollatur vitula, ſive ſimul, ſive diverſo hæc teſtimonia proferant tempore. Si duo teſtes, ſe homicidam vidiſſe nuncient, unuſque ſe illis opponat, omittebatur decollatio. Sin autem vice verſa, uni qui ſe eum vidiſſe confirmat, duo contradicant, decollatio peragebatur. Quomodo hæc capienda veniunt? Si nempe tres iſti teſtes aut omnes genuini, aut omnes inidonei fuerint. At cum unus teſtis genuinus ſe vidiſſe perpetratæ cædis autorem dicat, idque duæ fœminæ aut duo inteſtabiles pernegent, tamen non decollabatur vitula. Si vero duo mulieres aut inteſtabiles ſe vidiſſe affirment, unuſque teſtis idoneus contrarium perhibeat, decollabatur. Quippe cum etiam centum inteſtabiles aut mulieres cum uno vero teſte concurrunt, id perinde, ac ſi unus uni contradicat, æſtimari debet. Denique ſi tres mulieres, totidemque inteſtabiles ſe homicidam vidiſſe nuncient eoſque quatuor ejuſdem generis falſa tradere confirment, decollari debet vitula. Hoc enim loco regulæ habendum, quod quoties cum meris inteſtabilibus res eſt, ſemper & ubique ſecundum majorem illorum numerum deciſio inſtitui debeat.* Decem autem omnino claſſes eorum, qui a perhibendo teſtimonio excluduntur, Hebræi ſtatuunt, ſuntque ſequentes: נשים עברים קטנים שוטים חרשים סומים רשעים בזויים קרובים והנוגע בעדות: id eſt: *fœminæ, ſervi, impuberes, amentes, ſurdi, cæci, impii, infames, propinqui, & qui ad dicendum teſtimonium paſſi ſunt ſe induci.* Vid. *Wagenſ. Sot. p.* 639.

(12) Lepidam de cadavere vitulæ fabellam affert *Bechai*, quam hic referre juvat: ושמעתי כי בנבלה גוף העגל' נעשה תולעת בדרך הטבע שהולך והורג הרוצח באשר הוא שם והנה זה מאצילות שר הנחל והיא מנפלאות סתרי הטבע: id eſt: *Audivi, quod e cadavere vitulæ naturaliter prodeat vermis, qui homicidam perſequutus, eumque ubicunque terrarum degeret, aſſecutus, eum interficiat. Hoc autem fit per planetæ vallem hanc gubernantis influxum, ac merito pro occulto naturæ miraculo habendum eſt.* Eadem *in Peſikta Sutarta* offendes.

(13) Ad hæc verba rectius intelligenda omnino faciunt, quæ Celeb. *Wagenſ. l. c. pag.* 915. *not.* 2. commentatur.

(14) Rationem ob quam hæc vallis inculta eſſe debuerit, ſic reddit *Raſchi ad h. l.* אמר ה"קבה תבא עגלה בת שנתה שלא עשתה פירות ותערף במקום שאינו עושה פירות לכפר על הריגתו של זה שלא הניחוהו לעשות פירות: *Præcepit Deus B. Veniat vitula annua, quæ fructus nullos edidit, & decolletur in loco infructuoſo, expietque cædem ejus cui ob illatam mortem non permiſſum fuit, ut ferat fructus.* Talmudiſtæ diſputant, an per fructus hic procreatio ſobolis, an vero fructus bonorum operum intelligantur, aſſeruntque poſterius, quoniam alias ſequeretur, ob Senem aut Eunuchum mortuos repertos decollationem locum non habuiſſe. Vid. *Wagenſ. loc. cit. pag.* 1019.

(15) Lotio manuum adhuc hodie apud Judæos uſitata quomodo peragatur, prolixe ac erudite docet *Vir Celeb. Eduard. Pocokius in notis miſcell. ad portam Moſis cap.* 9. *p. m.* 355. *ſeqq.* Quanti eam faciant ejuſque neceſſitatem monſtrat *Celeb. Wagenſ. in Sot. p.* 91. *ſeqq.* ac de ea apud Muhammedanos quoque uſitata verba quædam ex verſione Corani Gallica *du Ryer* producit. Nos ea Arabico idiomate e *Surat. IV. v.* 46. afferemus, noſtramque ſubjiciemus verſionem. يا ايها الذين امنوا لا تقربوا الصلوه وانتم سكاري حتي تعلموا ما تقولون ولا جنبا الا عابري سبيل حتي تغتسلوا وان كنتم مرضي او علي سفر او جا احد منكم من الغايط او لامستم النسا ولم تجدوا ما فتيمموا صعيدا طيبا فامسحوا بوجوهكم وايديكم لن الله كان عفوا غفورا ∴

O vos qui creditis, ne appropinquetis ad orationem cum eſtis ebrii, donec ſciatis, quid loquamini, neque cum eſtis polluti, niſi eum per viam tranſitis ſeu iter facitis) donec voſmet lavaſtis. Si vero eſtis ægroti, aut in itinere, aut ſi venit unus e vobis ab excremento alvi reddendo, aut ſi fœminam ſubegiſtis, nec invenitis aquam, tunc accipietis pulverem bonum, vel puriorem, eoque abſtergetis facies & manus veſtras. Utique vero Deus eſt condonans peccata ac propitius.

(16) Quæ de comitandis iter facientibus Gemara hic tradat, quæque ex ejus obſervatione commoda, ejuſ-

ejusdemque neglectu incommoda promanarint. Vid. ap. *Wagenseil. l. c. p.* 1020. *seqq.*

(17) De irregulari vocis ושפכה scriptione *vid. Wagens. l. c. p.* 911.

(18) Quæ præterea verba non alia quam lingua sancta proferre licuerit, docet *Mischna Sot. c.* 7. *n.* 2. quam Latinitate donatam vid. apud *Wagens. loc. cit. pag.* 658. Breviter ea referemus: Sunt autem: Verba de primitiis, *Deut.* XXVI. *v.* 5. *seqq.* it. ea cum Levir calceo exuitur, *ib. c.* XXV. *v.* 9. Benedictiones & execrationes, *ib. c.* XXVII. *v.* 15. *seqq.* Benedictio Sacerdotalis, *Num.* VI. 24. *seqq.* Benedictiones Pontificis in festo expiationis, *Lev. cap.* XVI. *cap.* XXIII. *v.* 27. *seqq.* & *Num.* XXIX. 7. *seqq.* Sectio Regia, *Deut.* XVII. *v.* 14. *seqq.* Sectio vitulæ decollandæ, *ib.* XXI. *v.* 7. 8. & denique verba Sacerdotis castrensis, *ib.* XX. *v.* 3. 4. quibus ex *Halichoth Olam Celeberr. Wagens.* addit juramentum in judicio præstitum & juramentum vulgare.

(19) Ridicule de precum harum effectu fabulatur *Bechai*, quem adducit *Wagenseil. l. c. p.* 923. Nos verbis ipsius Latinam versionem (quam *Vir Celeberrimus* omisit, solam Germanicam ex *Zennarenna* paraphrasin afferens) subjiciemus. Verba ejus hæc sunt: מהחלה היו זקני העיר רוחצין ידיהן על העגל' ואומרים ידינו לא שפכה והיו הכהנים אומרים כפר לעמך ישראל וכפר לשון גלוי הוא שיגלה להם הרוצח אם היו ישראל שבאותו הדור זכאין היתה העגלה הולכת עד בית הרוצה והורגים אותו עם זהו ונכפר להם הדם כלומר מתגלה להם הרוצח ואם לא היו זכאין והעגלה לא היתה הילכת מכין איתה בקופיץ מםול ערפה ועורפין איתה עם והכהנים אומרים כפר לשון כפרה ואז ה"קבה מכפר זהו ונכפר להם הדם. id est: *Initio lavabant Seniores urbis manus suas super vitula, ac dicebant:* manus nostræ non effunderunt. *Postea subjungebant Sacerdotes*, propitius esto populo tuo Israel. *Vox* כפר *vero manifestationem significat, ut scil. innotescat ipsis homicida. Si enim populus Israeliticus isto tempore justus fuit, tunc vitulæ ivit ad domum occisoris, quem merita deinde afficiebant pœna. Hoc sibi volunt verba:* & expiabitur ipsis sanguis, *i. e. manifestabitur ipsis homicida. Sin vero populus non erat justus, vitulaque non iret ad istam domum, tunc ipsam a cervice percutiebant securi, ac detruncabant. Postea Sacerdotes dicebant* כפר *in sensu expiationis, Deusque ipsis reddebatur propitius, & hoc intenditur verbis:* & expiabitur ipsis sanguis.

ÆGIDII STRAUCHII
DISSERTATIO
DE
FLAGELLANDI RITU
APUD HEBRÆOS.

בהנוא

FLagitium neutiquam censetur, tempori cedere. Semper *potius* sapientis est habitum, necessitati parere. Necesse enim est, servire eidem, & non amittere tempus, cum sit datum; *fatente ac admonente ita fere, & vere quidem*, Oratore e Romanis eloquentissimo, *ceteroquin* pagano, *sive si mavis*, ethnico, *in* epistolis, *tum ad* familiares *suos*, *tum suum ad* Atticum, *datis. Unde eo magis idem competet observandum Christianis in quovis negotio, quippe quos inprimis* Plinii Senioris *sententiam secum probe expendere decet*, perire omne tempus *arbitrantis*, quod studiis, *utilibus intellige*, (*imo addere liceat: sacris aut ad sacra accommodatis, minimum inde depromtis*) non impertiretur. *Mecum certe sic ego rem reputavi æque ac repetii, ut quas in* illustri hac Academia *hactenus consumseram, horas perdere plane noluerim: quin volui eas* exercitio *cuidam* publice *exerendo impendere. Quandoquidem vero*, Hebræorum *effato*, כל דבר חביב בזמנו Omnis res, quæ fit in tempore, grata atque dilecta *esse ducitur: duxi hic*, δοῦλος ego χαιροῦ, *haud adeo fore inconcinnum, si inclamatam illam apud veteres* præconis vocem *mihi itidem velut acclamatam dicerem, qua quasi admoneret, ut ante omnia* hoc, *quod tempus nunc flagitat*, agere *sustinerem*. Egi *itaque* hoc, & temporis *potissimum ratione habita*, elegi materiam *talem*, *qualem ferre videtur* Christiana *devotio*, *in eo jam tota*, *quo acerbissimam sed saluberrimam simul* DOMINI *nostri* Passionem, *juxta singulas* partes, *partim meditetur*, *partim interpretetur. Cujus auspicium cum pene consistat in* POENA FLAGELLANDI, JESU *immerenti immerito illata: constitui, sepositis paululum meditationibus aliis, hujus varie usitati ritus explicationem hac vice paulo intimius indagare, eamque pro ingenii viribus indagatam ulteriori eruditorum examini sistere. Quod quidem institutum ut undique cedat feliciter, velim adjuves conatum hunc Tua*, o flagellate pro no-

nobis JESU, *gratia*: *qua non tam cupidissime flagrans*, *quam firmissime fretus*, *jamjam*, *absque longiori ambage*, Thematis *mei aggredior* Thesin.

I. **F**Lagellandi ὀνομασίαν paulisper ab initio ponderabimus, quo res ipsa, voce hac contenta, melius postea possit perpendi, expendi accuratius. Vox ea, ut patet *Gerundii* hic formam nacta, significationem & *activam* & *passivam* subindicat atque; involvit. Verbum vero, *flagellare*, nomini, *flagellum*, suam debet originem, *Flagellum* autem cum *diminutivum* proprie sit, derivatur facile a primitivo suo vel nomine, *flagrum*: vel etiam, si placet, verbo, *flagrare*, eo quod corpus *flagellis* cæsum dolore cruciatuum quodammodo *flagret*, id est, ardeat. *Isidorus Hispalens. libr. Etymolog.* 5. *c.* 27. putat, *flagra*, *plagas*, atque; *flagella* ita dici, quia cum *flatu* & strepitu sonant in corpore. Interim *promiscue* a scriptoribus usurpata invenies duo hæc *flagri* & *flagelli* nomina, siquidem *utrumque*, sive primum, sive ortum, sine discrimine pro *instrumento* eo, quo quis, vel aliquid, *cæditur* positum subinde legimus. Sensu itaque primario *flagellare* idem est, ac *flagris* vel *flagellis cædere*. Improprie tamen & secundario significat rem *duriorem* aut *cariorem* reddere, ut v. g. *annonam flagellare*. Interdum, at rarius pro *increpare* itidem, seu *castigare* in genere, sumitur. Sed hisce de significationibus plura apud *Lexicographos* videri poterunt.

II. Nos hic loci acceptionem *potissimam* respicimus, puta nuncupatam ita *Flagellationem*: qua ipsa quidem vocula, sat alias hodieque vulgari, lubentes in *Dissertationis* nostræ *frontispicio* fuissemus usi, si modo vel apud unum *antiquorum* e probis autoribus Latinis copia ejus fuisset nobis concessa. Unde hac, nec fortassis contemnenda, ducimur conjectura, tum demum *Flagellationis* vocem vim in pronunciando obtinuisse suam, postquam inter Romano-Catholicos isti homines quodam religionis Zelo seipsos *flagellare* cœpissent. Atque; sub illa jam dum tempestate *Latinitatis* barbariem invaluisse, imo viguisse, quis est nostrum, qui ignorare queat vel debeat? saltem si impurum plerorumque *Scholasticorum* secum consideraverit stylum, dignum sæpius, qui si non *Prisciani* ipsius ferula, *Ciceroniano* ad minimum verberetur flagello.

III. A Latino, *Flagellum*, ortum est nomen in Græcia per se peregrinum, φραγέλλιον; sicut & a verbo, *Flagellare*, φραγελλόω: quæ duo *Grece* posita cum *Latinis* & pronunciatione & significatione non parum coincidunt. Vox est utraque; in N. T. ab Evangelistis ipsis usurpata. Cæteris alias *Græcis* dicitur *flagellare* μαστιγῦν, μαστίειν, & μαστίζειν. Is enim μάστιξ proprie *flagellum*, *flagellationem* μαστίγωσις denotat. *Hebræis* est illud שוש, *a* שוש, *circumire*, *circumagere*, hæc בקרת a בקר *bove*, ob lorum *bovinum*, quo sæpe fieri solebat cæsio. *Rabbini* vocant *flagellationem* מלקות a radice לקה id est, *vapulare*, *percuti*, *flagellari*. *Buxtorff. in Lexic. Hebr. Rabb. Talmudici* dicunt נגר, quod usurpatur apud *Syros* pro *flagellare*, & respondet Greco, ῥαβδίζειν. *Flagellationem* enunciant voce ניגרא, & *flagellatorem* מנגרנא Confer *Buxtorff.* in Lexico Talmud. p. 1293. Quid ac quomodo in idiomate *Germanico* hæ significent voces, notum est. Nempe Geisel/ Geisseln / Geißlung. *Latinis* vero flagelli *Synonymis* haud omnino incommode accensemus *lorum corrigiam*, *scuticam*, die Peitsche *virgam* item ac *ferulam*, die Ruthe. Quanquam enim, si accurate velimus loqui, non omnia hæc nomina tam *adæquate* cum *flagello* convenire fateamur, ut cum eo eadem *reapse* penitus sint: nihilominus talia ad flagrum *proxime* referri debent, tanquam *agnata* instrumenta, quibus itidem *plagæ* similes corpori infliguntur.

IV. Verbera certe *diversa*, esse quilibet animadvertit ac videt ne dicam, sentit. Etenim quod differentiam attinet inter *cæsionem* eam, quæ *flagris*, & quæ *virgis* perficitur, differunt non tantum, ceu constat, ratione *medii* & *modi*, sed & *gradibus*, quandoquidem posterior pro *mitiori*, pro *graviori* pœna prior habetur. Testis hujus rei non aspernandus *Consul Romanus*, qui: *Porcia Lex*, inquit, *virgas ab omnium civium corpore amovit; hic* (Labienus Tribunus plebis) *misericors* (per Antiphrasin) *flagella retulit*. *Romana* porro consuetudine & *virgis* & *flagellis* cæsi sunt homines: sed apud apud *Judæos* tantum mos obtinuisse videtur flagellandi *flragris*. De *fustuario* quoque, seu ut *Laurent. Valla El. lib.* 1. *cap.* 6. interpretatur, *fustigatione* hoc monendum, quod, si determinate sumuntur ritus flagellationis & fustigationis, variis a se invicem distinguantur modis: 1. respectu *organi*: altera namque *flagellis*, *fustibus* altera seu *baculis* peragi fuit solita. 2. *objecto*. *Non* enim *omnes fustibus* dedolabantur, sed ii duntaxat, qui *liberi* erant, quippe ob ultionem criminis, habentis infamiam, fustigati: *Servi* vero mala patrantes *flagris* ca-

castigabant. Unde *Macer. L. in servorum ff. de Pœn.* existimavit, *ex quibus causis liber homo fustibus cæditur, ex iisdem servum flagellis cædendom.* 3. differunt ratione *adjunctorum*, dum dolorem *acerbiorem* affert flagellatio, fustigatio *leviorem*: cum & *flagra* admoveantur *nudorum* corporum cuti, cujus incisæ *vibices* feruntur durius, quam quando *vestitis* ictus inferuntur *fustium*. Flagrorum etiam cæsione *sanguis* insimul utplurimum effunditur; *raro*, *nec* ita *facile*, fustium percussione. Quamobrem ipse *Accursius* pœnam flagellorum, *majorem* quam fustium arbitratur. Imo 5. peculiaris adhuc restat fustigationis ac flagellationis inter *Judæos* distinctio, ratione nimirum *causæ efficientis*. Illam namque a *Rabbinis* solis institutam fuisse tradunt: hanc e transverso ipsis ab ipso summo legislatore, DEO, primum dictatam novimus.

V. Veruntamen utut sit cum allatis hisce, tum nominalibus, tum realibus, differentiis; ipsa tamen *flagellationis* significatio *duplex* statuitur: *altera*, quæ fit *flagris* ac *flagellis* propriissime dictis, *altera*, quæ *virgis*. *Leusd. l. c.* §. 1. Ad eundem modum *Petr. Gregor. Tholosanus: Flagellorum*, scribit, *pœna est*, *cum quis & virgis*, *& flagris vel mastige*, *cæditur*. Sed & quæ *pœna* forensis ab antiquis *Romanis fustuario* luebatur, hodienum, apud *Germanos* præcipue, in eam penitus transiit, quæ exercetur *virgis*. Germ. der Staupenschlag / mit Ruthen aushauen: *re* nimirum in diversam mutata, manente solum fustigationis *nomine*. Retinent enim *JCti*, Juris *Justinianei* suis terminis diligentissime inhærentes, voculam adhuc *fustigationis*; etsi *usum* illius pœnæ pene sciverint abrogatum. Adeo verum est id, quod in proverbium ubique abiit, *verba valere sicuti nummos*. Nos, qui tot tamquam *varias* significationes vocula *flagellandi* subinnui innuimus, in seqq. etiam interdum, ubi commoda dabitur occasio, annectemus nostro *huic* ritui ritus hujusmodi *cognatos*, quales audiunt *castigationes*, *virgis fustibusve* fieri solitæ, idque genus aliæ.

VI. Ex explicatis his horum terminorum significatis apparet, ipsam (nam tantisper ita cum vulgo loqui liceat) *flagellationem*, quamvis *proprie* acceptam, capi tamen in *ordine* ad *inferiora* sua significata non aliter debere, nec posse, quam *analogice*, ita ut *primario* ac *per prius* tribuatur ei pœnarum ritui, qui *propriissime flagris* seu *loris*; per *posterius* demum & *secundario* isti, qui *virgis* sive *ferulis*, adeoque ex consequenti *fustibus* quoqve ac *baculis*, expediri consuevit. Quæ quidem *analogia* vocis non parva est causa, cur *una* accurrata *definitione* tota flagellationis *essentia* nequeat exprimi. Cui accedit, quod pro *varietate* variarum circumstantiarum, veluti *personarum*, *modorum*, *causarum*, *rerumque* similium, *variet* similiter mos *flagellandi*: quem proinde, etsi velimus, haud valemus *adæquata* quadam complecti descriptione. Descriptam itaque qui desiderat *flagellationem*, is ipse sibi ejus conceptum vel pro suo judicii acumine licite *efformet*, vel, si lubet, ex subsequenti nostro qualicunque discursu *colligat*, vel saltem a potiori nobiscum ita *describat*: Fragellatio *est ritus*, *quo diversæ corporis partes flagris aut virgis cæduntur atque læduntur*, *a variis populis diversimode*, *in pœnam potissimum*, *introductus ac exercitus*. In qua quidem descriptione *quatuor* causarum extant *genera*; sicuti quivis, si recte resolverit, facili ea negotio poterit deprehendere.

VII. Nobis ut in præsenti materia nec adeo *necessarium*, nec multum *utile* videtur, *explicitam* apponere flagellationis *definitionem*: ita nec *congruum*, appositæ *explicationem* latius proponere; præsertim quia nunc non tam in *Logicum* & *stricte* dictum *Philosophicum*, quam *Philologicum* ac *Historicum* cumprimis campum excurrere cupimus. Capimus igitur, dum progredimar, explicandi initium ab *existentia*: quam tamen *omnem* nemo, nisi contra *sensus* ac *experientiam* sentiens, negabit, imo, quisquis *præfracte* hanc inficiatur, meretur vel eam ob causam *hujuscemodi* verberibus *tamdiu* excipi, donec dolore *evictus* ingenue fateatur, *flagellandi*, quandam saltem, *existere* formam; ad normam videlicet eam, quam *Mendoza* edocet contra eum, qui *prima principia* pertinaciter negat, observandum, dum: *Si quis*, ait, *hæc negaverit*, *fuste* (vel flagello) *potius*, *quam ratione erit erudiendus*.

VIII. Enimvero concessa, ut est concedenda, *aliqua* flagellandi *existentia*, operæ porro pretium erit, ex *autoribus*, partim *sacris*, partim *profanis*, cætera probatis fideque dignis, ostendere, apud *quos* & *quomodo* ritus hic extiterit *olim*, ac adhuc *hodie* existat. Ubi causam flagellationis *efficientem*, tum *moralem*, tum *physicam*, inquisituri, eam in genere generali *gentium*, sive, si mavis, *hominum* nomine nuncupamus. *Diversi* siquidem diversæ *religionis* populi non modo *morem* hunc *instituerunt*, sed & institutum *imperando* non minus, quam *exercendo* probe *observarunt*: ceu ex variis posthac *literarum* monumentis monebimus. At-

que

que ut commodior nostra sit tractatio, dispescemus hæc *hominum* genera in *tres* præcipuas, *Judæorum*, *Gentilium*, *Christianorum*, sectas.

IX. Equidem *Judæos*, generatim ita vocatos, speciatim quod spectat, his hac de re ab altissimo DEO speciale quoddam dabatur mandatum, quod in *Veteris Fœderis* repetita lege legitur. Verba *fontis* Hebræi ita sonant: והיה אם־־בן הכות הרשע והפילו השפת והכהו לפניו כדי רשעתו במספר ארבעים יכנו לא יסיף פן־־יסיף להכתו על־־אלה מכה רבה ונקלה אחיך לעיניך: *Ariæ Montani* versio hæc est: *Et erit*, *si filius cædis* (id est, si fuerit cædendns) *impius*, *&* *prosternere faciet eum judex*, *&* *cedere faciet eum ad facies suas* (coram se), *secundum sufficientiam impietatis ejus*, *in numero*. *Quadragesies percutiet eum*: *non addet*; *ne forte addat*, *cædendo eum super hæc*, *percussionem multam*, *&* *vilescat frater tuus in oculis tuis*.

X. Ex qua *positiva* forensi divini Legislatoris *revelata* Lege *originem* ritus Judaici, quem attendunt in flagellando, quoad *præcipua* capita, rite colligimus. Nam quis non intelligit, causam ejus *principalissimam moralem* fuisse DEUM, utpote qui primus *immediate* pœnam hanc *Hebræis* ac *Judæis* delinquentibus sustinendam imposuit, & ut post hinc promulgaretur ac observaretur, *mediate* per *Mosen* (en causam *instrumentalem*) serio præcepit? Unde præcepti hujus justi *custodes* ac pro re nata *executores* esse debebant *judices*, (causam ecce principalem *moralem*) ad quorum & *imperium* & *permissionem* infligebatur impiis percussio talis ab *aliis* illis, qui ad eam peragendam (habes hic *physicam* causam) præ reliquis erant destinati.

XI. An vero verberatione hac in Lege *determinate* flagellatio fuerit indicata, *per se* quidem ac *seorsim* ex nudis vocibus הכות vel הכה non liquet: quandoquidem radix hæc in Hiphil usitata significat generatim: *percussit*, *cecidit*, *verberavit*; sive jam fiat *flagro*, sive *virgis*, seu *gladio* etiam, aut *alio* quovis *instrumento* lædente. Nihilominus non solum ex recto verborum *contextu*, sed & ipsius *textus* communi *interpretatione*, quin eadem apud *Judæos* hujus legis *observatione*, edocemur, eas hic *unice* intelligendas esse plagas, quæ sub *flagellationis* singulari denominatione comprehenduntur. Hinc factum, ut *subjectum* etiam, flagra *recipiens*, appellaretur בן־־מכות *filius verberum*: quippe appellatio hæc restringebatur ad illam solummodo *personam*, quæ *publice* flagellis verbera fuerat passa. Vid. *venerandum* Dn. Dilherrum, *Præceptorem & Patronum meum singularem*.

XII. *Flagellationem* ipsam quod concernit, illam apud Judæos *pœnæ* cujusdam *civilis*, quanquam *non capitalis*, locum obtinuisse, haud est obscurum. Ea enim castigabantur, qui supplicium *capitale* non *meruisse* videbantur; ut docent *Judæorum Sapientes* ad hunc ipsum *Deuteronomii* locum. Vide iterum *Excellent. Dn. Dilherrum*. Num autem hæc pœna *mere* fuerit *forensis*, an etiam *Ecclesiastica*, quærenti paucis respondemus, *proprie* ac *primario* nonnisi *civilem* fuisse, ob crimina quippe *civilia* a *civilibus* judicibus inflictam. Interim *quodammodo* certoque respectu *Ecclesiastica* quædam pœna itidem talis salutari potest, quatenus ab *Ecclesiasticis* quibusdam imponebatur, tanquam *peculiaris* peccatorum pœnitentia. Conf. *exquisitissimum Philolog. Leusden.* Sed de *posteriori* hac nonnihil deinde adducemus. Nunc de *priori* prius plurima dicenda.

XIII. Divino de flagellatione præcepto Viri בבי דינא *in domo judicii*, hoc est, *judices Judæi*, semper morigeros sese præbebant *in tantum*; non tamen *in totum*: nam & *addiderunt* aliquid legi, & eidem aliud *ademerunt*; quemadmodum id mox ostendemus. Inchoabimus rem ab *objecto*, sive *hominibus*, quos, veluti *reos*, dignos judicabant flagellis. *Flagris* videlicet adjudicabantur ab iis sine discrimine sequentes: Nempe qui *concubuerit* cum *sorore*; cum *amita*; cum *matertera*; cum *uxoris sorore*; cum *glore*; cum *uxore patrui*; cum *menstruata*; cum *vidua* item, si quis sit *sacerdos summus*; cum *repudiata*, cuique *calceus* est *traditus*, si sit *gregarius sacerdos*: cum *spuria* & *Nethinæa* (id est; Gibeonitarum) generis, si sit *Israelita*: cum *Israelitide*, si sit *spurius* vel *Nethinæus*. *Pollutus* porro, qui *sacrum comederit*, quique *in sacrarium immundus sese intulerit*: qui *obtulerit* aut *jugulaverit foris*: qui *fermentum in Paschate comederit*, *sumserit cibum*, *opusque die expiationis fecerit*: qui *oleum paraverit*, *confecerit suffimentum*, *oleoque se sacro unxerit*: qui *sacra leviora* & *decimas secundas ederit extra muros*: qui *agni paschalis puri os fregerit*: qui *abstulerit matrem super pullis*: qui *calvitiem in capite suo fecerit*: qui *capitis circumtonderit angulos*, *angulumque barbæ corruperit*: qui *se una secuerit cæsura ob defunctum*: qui *scripturam scripserit stigmatis*: *Nasiræus* (id est, qui certam Deo abstinentiam vovit) si *die toto se ingurgitaverit vino*: si *polluatur ob funus*

toto die: & *si qui sunt alii*; sicuti hi & hujus farinæ *plures* recensentur *rei* in *Maccoth*, quem corporis Talmudici *titulum* una cum *Sanhedrin* vertit Latine, & annotationibus auxit doctissimus *Joh. Coch.*; ex cujus etiam Tractatu tradita hæc mutuati sumus, secuti præeuntem *Leusdenium*. Addimus nunc e *Fl. Josephi* loco, ubi *Moses* leges divinas *repetens* introducitur, *eum* quoque, qui *reliquos vindemiarum fructus* cum *inquilinis* aut *peregrinis* non benigne *communicaverat*, nec non *istum*, qui *insontem* suam *desponsatam*, tanquam *vitiatam*, falso *detulerat*; *ambos* inquam, *hos* tum ob *avaritiam*, tum propter *temeritatem* ac *petulantiam*, scutica publica *plagas* sustinere debuisse.

XIV. Sed videtur sane in aliquos horum transgressorum aliquanto *mitius*, in alios contra *severius*, fuisse flagellatio statuta: quanquam, quo jure pœna illa omnibus & singulis sit illata, non opus arbitremur multis hic disquirere. Hoc saltem inde facile cognoscitur, Judæos in dictanda hac castigatione haudquaquam ex asse DEI *voluntati* satis fecisse, sed interdum pro *arbitrio* ac *lubitu* traditiones humanas instituisse, quibus nixi, vindictam de hoc reo *leniorem graviorem*, quam suadet *æquitas*, de altero sæpius sumebant.

XV. Verum ipsos intueamur *judices*, qui pro sua, qua pollebant, *potestate* potuerunt flagri pœnam puniendis imponere. Hi *tres* illi erant, in quavis *civitate*, si ad *centum* modo & *viginti* habuisset *incolas*, *Consistorium minus* constituentes. *Buxtorffio* enim notante, *Synedrium inferius* cognovit דיני ממונות *res pecuniarias*, *lites*, & similes *causas civiles*, quæ *mortis* non attigerunt *pœnam*. Hinc huic etiam flagitia, *flagellatione* sive מלקות compensanda, subjacuerunt. Is vero, qui ad mandatum judicii *triumviralis* coercere debebat reos, fuit unus, חזן הכנסת seu *minister cœtus judicialis* dictus: quo nomine nemo hic indigitatur alius, quam *lictor*, vel *carnifex*, cui competiit judicum latam hanc sententiam *flagellandi actu* exequi.

XVII. *Flagrum*, seu *instrumentum*, quo flagellabantur sontes, dicebatur רצועה עגל כפול: *lorum vitulinum duplex*, vel, ut *Coccejus* vertit, *lorum bubulum complicatum*. Constitit scilicet olim apud veteres, referente id ex ore *Rabbini* cujusdam *Buxtorffio*, *flagellum* quodlibet *tribus* peculiaribus *loris*; *binis* quidem *brevioribus*, ut attingerent tantum femora, *tertio* tamen tam *oblongo*, ut ventrem flagellantis pertingeret, imo totum hominem totumque flagellandi corpus circuiret. *Triplex* ergo, juxta *Buxtorffii* sententiam, lorum fuerit: an vero non *quadruplex*, dubitat ferme *Coccejus* ob opinionem *R. Solom.* Videri de eo meretur laudatus *Autor*, aut saltim audienda sunt ejus ipsissima *verba*, hunc in modum sonantia: *Perinde est, sive unum lorum tribus plicis aut flexuris, sive duo lora singula singulis plicis composita sint, (quemadmodum opinatur R. Sol.) ut quatuor lora efficiantur. Quo animadverso, labat, quod dicitur, singulos ictus triplices fuisse. Nam quadruplices forent.* Ita ille. Interim nos singulare hoc dubium hac vice relinquimus in medio, contenti sententia *communiori*, sed & fortassis probabiliori, certe ad rationem plagarum dandam magis *idonea*.

XVIII. Ad *Rabbinum* revertimur a *Buxtorffio* adductum: cui si qua adhibenda fides, credendum est *tria* illa *lora* fuisse *vitulina*. Malunt tamen omnes fere reliqui adstruere *lorum unicum bubulum*; cui & *duo* addita *asinina minora*, quæ *bisida* rursus in *binas* diffindebantur partes, ut quodvis seorsim *sursum* atque *deorsum* permoveri potuerit: non secus ac *cingula* & *stapedes* ab *equite* contrahi queunt atque laxari. Adhæc dependebat bubulum lorum a *ligno* quodam, quod vocatur ידית *manubrium*, idque *longitudine* gaudebat טפח h. e. *palmi*. *Foramen* illi erat inditum, unde *utrumque* brevius *ascendere* ac *descendere* posset: prout nimirum *conditio* requirebat *corporis* cædendi.

XIX. Quod si quis jam quærat, cur *loro* sint usi *bubulo* Judæi, responsum, quod dant, habent in proclivi. Nempe id esse factum ajunt ob *verba* statim in lege *subsequentia*, quibus prohibeatur: לא--תחסם שור בדושו *ne os obtures trituranti bovi*. Sensum igitur hujus præcepti volunt hunc elicere, quod, qui contra id fecerit, *sensurus* sit *pellem bovis* in *sua pelle*. Egregia scilicet ratio, quia Judæo placet. Rationem insuper, cur *asinina* addant lora, depromunt ex *Esajæ cap.* I. ubi per *Prophetam DEUS* ita loquitur: ידע שור קנהו וחמור אבוס בעליו ישראל לא ידע: *Agnoscit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem haud agnoscit*. Hinc hunc eruunt sensum, quasi diceretur: Veniat *asinus*, qui *agnoscit* præsepe sui Domini, & *vindictam* sumat ab eo, qui *non* agnoscit. Explicatio certe iterum lepida, ridicula applicatio.

XX. Sed tempus est, ut ipsum flagellandi *actum* actutum proponamus. Ejus *antecedentia* adhuc hæc fuerunt: *Ligabantur*

tur a lictore *ambæ* hominis flagellandi *manus* ad *columnam*, seu *lignum* infixum terræ, altitudinis *sesquicubiti*, ut inde reus ei incumberet *inclinatus*. *Detrahebantur* etiam misero sonti usque ad *pectus* vel *femora vestes*, imo *rumpebantur*: Parum enim intererat, sive *dilacerarentur* extra suturas, sive per easdem *dissuerentur* vestimenta. Minister vero, ad plagas dandas destinatus, stabat a nudi istius *tergo* in *lapide*, triplex illud descriptum antea lorum *manu* tenens, & tangere laborans inter *scapulas* ictibus jacentem.

XXI. Jacet ergo, secundum mandatum divinum, coram judicibus *prostratus* is, qui jamjam est flagellandus. Tum lorum una cum manubrio manu *utraque* attollit lictor, atque sic incipiendo *executionem* in se suscipit. *Una* tamen tantummodo utitur, quippe quod est convenientius, ad infligendas plagas. Has infligere afflicto studet *lente* & sensim cum sensu, adeo ut *numerari* possint; nec vero *leniter* aut *leviter*, sed pro *extremis* suis viribus, memor, ut inquiunt, ejus, quam jubebat Deus מכה רבה *plagæ vehementis*. Singula verbera *trifariam* feriunt ferentem. Lorum *longius* anteriorem *ventrem*, *umbilicum*, & *pectus*; *breviora* duo *dorsum* partemque *posteriorem* percutiunt. Has *uno* quovis ictu *triplicatas* plagas existimant Judæi in *textu* legis esse fundatas; quia *ter* dicitur, הכהו, *cædat ipsum*, יכנו, *verberet eum*, להכותו *si addiderit verberare eum*. Unde *unus* hujusmodi ictus pro *tribus* semper computatur; neque licet lictori *plures*, quam *tredecim* tales, flagellato incutere: quibus illatis *sat* pœnarum pertulit reus, etsi ter tredecim tantum importent *triginta novem*, adeoque *una* pauciorem, quam ipsa Lex divina ab initio præscripserat, plagam. Verum de *diminutione* horum verberum paulo post. Nos *concomitantia* & *consequentia* flagellationis ante considerabimus.

XXII. Dum indictam pœnam flagellis luit בן-מכות *impius* iste, *tres* ordinarii illi adstant *judices*, penes quos stabat *facultas* hominem ad flagra *condemnandi*. Ubi, postquam flagellari incepisset, cœpit insimul הקורא i. e. *præco*, seu *judicum primarius*, exclamare verba scripturæ, eaque acclamare *prostrato*, partim ut *pœnitentiam* in animo sontis excitet, partim ut ad *consolationem* hauriendam eundem incitet. Recitat autem aut prælegit *idiomate suo* legis sequentia dicta: *Deuter.* XXVIII. *v.* 58. 59. *Si non observaveris, ut omnia facias verba legis hujus: segregabit in te Dominus plagas tuas* מכותך *& in semen tuum* מכות גדלות, *plagas magnas & infallibiles*. Item *Deut.* XXIX. 9. *Custodietis itaque verba &c.* Tandem dictorum finem facturus addit dictum ex *Psalm.* 78. *v.* 38. *Ipse misericors & propitius peccatis &c.* *Judex* deinde *secundus singula* observat *numeratque* separatim *verbera*. *Tertius* denuo *ministrum* adhortatur ad *cædendum* voce הכהו *cæde eum*. Cæterum si *multi* adhuc supererant ictus, judicum *primus* sermonem pronunciando *producere* conabatur: si *pauci*, *deproperavit* loquendo; ut utrobique ita cum *fine* plagarum suam pariter *finiret* orationem.

XXIII. Finitis tot plagis, quot meritus esse videbatur reus, recuperabat is statim ab *exterminio* libertatem, nec *plane* interficiebatur; imo pro *ignominioso* homine non habebatur, sed ex mandato DEI potius in *fraternitatem* a Judæis recipiebatur. Testor *Maccoth*, ubi sic in versionem legimus: *Omnes rei* כריתות *exterminii seu excisionis ex hac vita, postquam vapularunt, ab exterminio liberi sunt, quia dicitur: Et* (quæ vox hic ob contextum exponenda est per, *ne*) *evilescat frater tuus coram oculis tuis*. *Postquam vapulavit*, האו כאחיך, *ille quasi* (vel: *sicut*) *frater tuus est*.

XXIV. Hi sunt *præcipui* mores, quos observasse leguntur Judæi *ante*, *in* & *post* flagellationem. Nitebantur autem in irroganda hac pœna inprimis *lege* ante allegata *divina*, secundum quam haud quaquam licitum erat ad summum ultra *quadraginta* dare verbera. Unde nomen flagellationi indiderunt, ut interdum eam dicerent מלקות ארבעים *supplicium quadraginta plagarum*. Mirum vero, quod ipsi illi, qui æquissimi alias datorum mandatorum *observatores*, acerrimique violatorum *vindices* videri, minimum sibi, volebant, nequaquam tamen *ex asse* satisfecerint eidem DEI præcepto, quod *certas*, quadraginta nimirum, infligendas inculcaverat plagas. Nam; ut ex præcedentibus notum est, ritum in flagellandi supplicio instituerunt ita, ut non prorsus numerum dictum voluerint verberando expleri, sed uno demto, verbera tantum *novem triginta* irrogari. Scilicet sapientissima Divina *sapientia* suis ab insipidis *filiis* injuste sic justificatur, imo *corrigitur*. Sed ita sæpe soliti sunt Judæi vel aliquid adjicere legi, vel ei aliquid detrahere.

XXV. Verum mittamus quærere, quo *jure* quave *injuria* sibi hac in parte legem DEI sumserint *mutandam*; quandoquidem id ad propositum nostrum parum quadrat. Potius peculiares *traditionis*

nis hujus Judaicæ *rationes* a *Rabbinis*, eorumque *discipulis*, excogitatas percipiamus. Aperuit *principem* illarum pridem Vir in literatura Rabbinica omnium princeps, *Joh. Buxtorffius*, qui ex versione libr. *Maccoth. in Mischna* & *Gemara* sequentem depromit, quod nempe Judæorum doctores in ea versati fuerint sententia, scripturam nec *plures* nec *pauciores* commendasse ac demandasse plagas, quam *infra* quadraginta *unam*: frustra aliud asserente unico R. *Jehuda*, qui communem *suorum* deserens opinionem, *literæ* scripturarum inhærendum, & *quadraginta* plagas plene infligendas esse docuerat. Ejus namque traditio אין הלכה, usu ac consuetudine *nec recepta* fuit *nec approbata*.

XXVI. De cætero vulgarem suam persuasionem inde Rabbini probant, quod scribatur in Lege: במספר ארבעים, *cum numero quadraginta*, non: ארבעים במספר, *quadraginta in numero*. *Posteriorem* enim phrasin inquiunt innuere *quadraginta* numero *pleno*; *priorem* loquendi modum significare numerum, qui *in causa* est, ut *post eum* statim numerentur *quadraginta*, seu, ut ex versione *Cocceji* in *Maccoth* extat, qui *proximus quadragenario*. Et hic non est alius, quam tricesimus nonus. Rem hanc involutam maxime evolvunt verba *R. Majemonis*, quæ in Latinum sermonem translata, non pudet ex *Buxtorffio* prælaudato & *Dn. Dilberro* huc adscribere: *Si* (Rabbi ait) *dixisset*: ארבעים במספר quadraginta numero, *æquum esset*, *ut intelligerentur quadraginta plene*: *quia vero præmittit* במספר, *vult dicere*, *ne verberetur plagis infinitis*, *sed numero certo & definito*, *prout possit ferre*, *sicut dicitur*: juxta improbitatem suam numero certo: *& quando postea statim subjicitur*: quadraginta cædet eum; *sensus est*: usque ad quadraginta. *Exclusive* intellige.

XXVII. Prægnans profecto & firma ratio, ob quam quadraginta in novem & triginta verbera sunt vertenda. Credat autem eam *Judæus* Apella; nos *Christiani* ei non credemus. Et qui possimus, vel debeamus? Si quidem Talmudici isti *confundunt* distinguenda, quando *distinctionem* duorum *versuum*, per pausam *Sophpasuck* notatam, prorsus non annotant, sed *duo* illa crassiora *puncta*, inter voces במספר & ארבעים posita, de industria negligunt, legentes conjunctim במספר ארבעים tanquam essent in statu *regiminis*, aut per juncturam *substantivorum* conjuncta nomina. Id quod esse falsissimum cuilibet, vel leviter inspicienti Hebraicum textum, ad oculum patet.

Raferri enim solet & debet vox במספר velut *ultima* hujus versiculi, ad vers. 2. ארבעים contra, utpote *prima* sequentis, 3. versus principium constituit, Committunt ergo Judæi hi *fallaces* fallaciam *compositionis*, composito accipientes sensu vocabula, quæ *diviso* erant intelligenda.

XXVIII. Hinc nos eo magis eos admiramur *interpretes* qui passi sibi sunt a *circumcisis* istis hic imponi, ut toti fuerint persuasi, persuasuri idem aliis, legem in *Deuteronomio* haud *aliter* esse explicandam, quam de *trigesimo nono*, non *quadragesimo*, plagarum numero. *Vir* sane *meritissimus b. m.* cujus tamen nomini parco, ne insultare videar, scribere non veretur, *juxta legem id esse factum*, *quod Judæi triginta novem verbera reis dederint*: nisi dixerimus forte, mentem Ejus cum nostra *eandem* fuisse, etsi verbis paulo fuerint *alia*. Aliud alias docent expressa *mandati* verba, quæ quadragesimi, non noni & tricesimi, verberis meminerunt. Unde quicquid sit cum *subtilitatibus* quibusdam quorundam *Rabbinorum*, veluti *R. Beccai*, *R. Abraham*, & *aliorum*, quorum meminit *Buxtorffius*; quicquid etiam habeat *Fl. Josephus*, cujus *locum* antea citavimus, ubi Mosen loquentem repræsentans, *bis* mentionem facit *quadraginta* plagarum minus *una*: quicquid, inquam, illi loquantur, certum tamen est, hanc *imminutionem* non ab ipsa *lege* descriptam, sed per *traditiones* Patrum Judaicorum fuisse circumscriptam. Indeque; nihilominus omnes & singuli, quotquot contrarium statuunt, Judæi *fallunt* atque; *falluntur* ipsi; statuente sic *Cl. Hilperto* in peculiari de *Flagellatione Judæorum* Disputatione: quam quanquam maximopere nunc exoptaverim perlustrare tamen ne videre quidem hactenus mihi contigit. Hausi interim hoc ex discursu *perquam Reverendi* Dn. Luc. Fr. Reinharti, *Præceptoris & Patroni mei summopere observandi*, cui magnam studiorum meorum partem post *Deum* acceptam refero, *in Excerpt. MS. super Epist. 2. Cor. XI. 24.*

XXIX. Hic vero ipse *Apostoli* locus meretur huc præ cæteris afferri, utpote ex quo mos flagellandi Judaicus *multum* illucescit: nam *v.* 24. Divus *Paulus* libere fatetur de seipso, *se a Judæis quinquies quadragenas* παρὰ μίαν ut exponitur communiter, *una minus* plagas *accepisse*. Acceperit itaque; Apostolus pius *quinquies* diversis vicibus *flagellationis*, quamvis haud meritam, pœnam sed ne semel quidem ultra ictus *novem & triginta*, ut ita, si in universum singula quæ Paulus ferre cogebatur, conferamus verbera,

 sum-

ſumma fuerit 194. plagarum. Quo ipſo pariter diſpaleſcit, tum temporis etiam plagis non pluribus, quam *triginta novem*, a Judæis exceptos eſſe, quos flagellis dignos judicarunt, homines: Niſi forſan velimus tranſire in ſententiam ſingularem *celeberrimi B. Eraſmi Schmidii*, ſentientis, neutiquam eo reſpexiſſe Paulum. Paulo igitur aliter reddidit παρὰ μίαν, ut non ſub intelligeret πληγὴν, ſed potius ἡμέραν, hoc nimirum ſenſu: *alternis diebus*. Germ. über den andern Tag/ ita ut *Judæi* Apoſtolum, *nulla* plane remiſſa plaga, ex affectu crudeliſſimo, plagis *quadraginta* quinquies *altero* quolibet *die* ceciderint, additturi *plura* verbera, *niſi* lege fuiſſent *prohibiti*. Ita explicat laudatiſſimus *Autor* hunc locum, & *ſine* alia addita *ratione* eos, qui deſiderant *autoritatem* ſignificationis talis παρὰ μίαν, remittit ad ipſa *Lexica*. Cæterum Ejuſdem *ſententiam*, quod ſciam, hactenus admodum *pauci* ſunt ſecuti. Sectantur potius *plurimi priorem*, quam & *nos* hoc in negotio ſubſequimur, melius eſſe rati, *veriſimiliorem* verborum adſtruere ſenſum, quam *minus probabilem*, imo valde adhuc *dubium* aſſumere.

XXX. Dubitamus vero amplius nulli, quin Judæi triginta modo novem inflixerint ictus, seducti præcipue traditionum *humanarum* aſſumento, certe vitioſo *Scripturæ* intellectu abducti: ceu ex *genuina* noſtra ſuperius allata loci Moſaici elucet *interpretatione*, cum *Talmudica* Rabbinorum *corruptione* accuratius collata. Hæc enim *primaria* eſt ratio, cur unam quandam imminutionem in flagellando ſervaverint Judæi. *Secundarias* remiſſionis hujus cauſas tum *Judæi*, tum *Chriſtiani*, proferunt alias. Movit aliquando, ut ipſe recenſet, *Buxtorffius* hanc *Rabbino* alicui quæſtionem, quamobrem *ſui* triginta *tantum* & novem infligerent plagas, cum tamen *expreſſe* in lege decretæ eſſent quadraginta. Sed reſponſi loco id retulit, *veteres* olim uti conſveviſſe *flagello*, quod *tribus* conſtiterit *loris*: Hoc triplici *ter* & *decies* ſontem fuiſſe percuſſum. Si igitur vel *ſemel* ulterius cædere perrexiſſent, *duos* ſupra *quadraginta* reo intuliſſent ictus: quod quidem facere a *Moſe* in *Lege* fuerat *vetitum*. Ratio non rejicienda, ſi modo fucus non ſubſit orationi; quippe quo ſæpius adverſus Chriſtianos utuntur Judæi.

XXXI. S. *Chryſtomus* ſubtractam eſſe *unam* plagam *priſca* lege arbitratus eſt ideo, *ne*, ſi reus plus, quam quadraginta, accepiſſet, *infamis* redderetur. At taxat tamen rationem hanc *Buxtorffius*, hunc in modum: *Vox*, inquiens, *Hebræa*, נקלה (id eſt, *vileſcit*,) *in textu legis id*, *ut mihi quidem videtur*, *non ſignificat*. Alii plerique, iique *noſtrates* etiam, exiſtimant, *in ſignificationem miſericordiæ*, *clementiæ* item aut *majoris humanitatis* exhibendæ cauſa, *unam* plagarum a Judæis *detractam* fuiſſe atque amotam. Vid. meritiſſ. Theolog. B. D. *Michaei*. *Walther*. & *Dn. Dilberrum*. Confer *Buxtorff*. l. c.

XXXII. Sed videtur *Leuſdenio* ſententia *de miſericordia* non habere ſpeciem veritatis, quoniam Judæi *crudeliſſime* ſeſe geſſerint erga *ſontes*. Hinc addit, propter eorundem *crudelitatem* cordiſque duritiem, DEUM in T. V. permiſiſſe *libellum repudii* atque *divortium*. Veruntamen, pace *Leuſdenii*, dicimus minime ſequi: Si Judæi in *hac* vel *illa* re v. g. *erga uxores*, ſeſe non manſuetos ac humanos exhibuerunt. E. in *nulla* alia. Conſequentia, inquam, non confeſtim valet ab *univerſale* ad *particulare*. Poterat namque; alia adfuiſſe ratio, cur ibi *ſeveriorem clementiorem* hic ſuum oſtenderint animum *judices* præſertim, qui in *publico* hoc judicandi officio idpropter erant conſtituti, ut *juſtitiam* adminiſtrarent & *æquitatem*. Unde non eſt præſumendum, omnem eos *humanitatem* erga reos exuiſſe, nec pro ratione delictorum delinquentibus aliquam ſaltem *gratiam* facere voluiſſe: utut interim in *privata* domos res cum licitis *uxorum* divortiis fuerit comparata.

XXXIII. De cætero rationes imminutionis hujus *potiſſimas* eleganter complectitur *Guilielmus Eſtius*, quando ita ſcribit: *Legimus Deut.* 25. *v.* 3. *præceptum fuiſſe Iſraelitis, ut in flagellando fratre, id eſt, Hebræo, quem dignum plagis comperiſſent, quadragenarium numerum plagarum non excederent. Judæi vero, ſive caventes, ne forte in ipſo verberandi impetu præfinitum tranſilirent numerum, ſive clementiæ & humanitatis cauſa, memorato numero ſtatuerunt unam plagam demendam eſſe: etiam ſi quis integrum numerum plagarum commeruiſſet. Quod quidem arbitror referendum ad Judaicas traditiones in DEI legem injurioſas: neque enim illis licebat numerum legis, in quo etiam myſterium continebatur, unitate demta mutare: ſiquidem quadrageſimus numerus afflictioni & pœnitentiæ conſecratus eſt.* Hæc *Eſtius*. Confer. *Excell. Dn. Reinhartum*, qui itidem in ſummam *breviſſimis* cauſas collegit *præcipuas*, ob quas Judæi numerum plagarum *imminuiſſe* videntur.

XXXIV. His probe obſervatis, pronum eſt nunc exponere, quid ſibi *proprie* voluerit DEI præceptum de plagis qua-

quadraginta inpigendis. Nempe non *æqualis* ibi præfigitur modus, quo omnes rei *pariter* verberari debeant: ſed interdicitur tantum, ne *ad ſummum* pro delicto *ultra* plagas quadraginta judices infligi jubeant. Prohibitum enim erat, ne *ſuperadderentur* plagæ, ex quibus reus *nimium* vulneraretur, & frater fieret *deformis*, vel inde *plane* moreretur. Unde *ſimpliciter* nequaquam opus fuit, ſemper Divinam legem *tam* obſervare *ſtricte*, ut Judæi nequiverint penitus ullas *auferre* vel *detrahere* plagas. Minuere ac remittere licebat, non augere, verbera: modo *ſuperſtitioſa* illa *unius* ictus aberat, de qua paulo ante egimus, remiſſio. Siquidem hanc a *Lege* non incluſam, excluſam potius fuiſſe, arbitramur.

XXXV. Abſque vano hoc reſpectu non eſt de nihilo, quod *Lyra* notavit. *Sapientes*, inquiens, *Judæorum ad prætendendum pietatem ordinaverunt, quod de illo numero aliquid dimitteretur plus vel minus, prout rationabiliter videretur ratione delicti, vel conditionis verberandi*. Nam, *Buxtorffio* ex *Bartenora* l. c. monente, quicunque cædi debebant in *domo judicii*, eos æſtimabant *prius* judices juxta facinus, & ad *certum* plagarum numerum condemnabant, ne *morerentur* propter eas, ſicuti ſcriptum eſt: לא יוסיף, *non ſuperaddet* iſtis: quo doceri dicebant, ſi neceſſe ſit plagas minuere, *minui* utique poſſe *interdum*, *nunquam* tamen *augeri*.

XXXVI. *Prudenter* certe hoc ab ipſis eſſe factum, quis neget? præſertim cum nec *omnes* ad plagas haſce duras *æqualiter* ferendas, *ex æquo* fuerint diſpoſiti. *Imprudentiores* tamen ac *ineptiores* fuiſſe videntur in eo, quod *ſpecialiores* quoſdam poſuerint caſus, ob quos putabant æquitatem quodammodo poſtulare, ut plagas *pauciores*, quam *triginta novem* conſuetas, inferrent. Equidem *primus* bene adhuc habebat ſeſe, eratque talis: *Si quis ad quadraginta ferendas idoneus ſit æſtimatus, & nonnibil cæſus videatur ceteras ſuſtinere non poſſe, dimittitur*. Sed *ſecundus* paulo eſt abſurdior: *Si quis addictus ictibus octodecim, hos in ſe & animo & corpore patienti receperit, atque tum apparuerit, plures potuiſſe eum recipere, liber a ſuſcipiendo reliquas relinquitur. Tertio, quiſquis commiſerit crimen, in quo duplex interdictum violatum eſt, ſi una æſtimatione damnatus ſit ad plagas, abit, acceptis iis, liber: ſi diverſa vero condemnatione, vapulat, cumque fuerit ſanatus, irrogantur ei ictus ceteri. Quartus*, qui omnium maxime eſt *ridiculus*, ita deſcribitur: *Si ſons inter flagellandum conſpurcaverit ſeſe, & mas quidem* (juxta *R. Jehudam*) *fimo, fœmina obſcœno quodam liquore*, veluti *lotio*; *liber uterque a reliquis pronunciatur plagis*. Vid. *Maccoth ex edit. Coccej*. Add. *Leuſd.*

XXXVII. Flagellandi igitur hunc hactenus recenſitum ritum Judæi procul dubio ſervarunt, *quamdiu*, *ubi*, & *quando* poteſtatem habebant judicandi. Ex *hiſtoriis* ſane *contrarium* nequit monſtrari. *Colligi* inde potius poteſt, ſub ſapientiſſimo adhuc Regum, *Salomone*, *flagellis* caſtigatos fuiſſe homines. Rex enim *Rehabeam* poſt obitum ſui *parentis* populo, jugum *levius* poſtulanti, reſpondit: *Pater meus cecidit vos flagellis* בשוטים, *ego autem vos* בעקרבים, *ſcorpionibus*, id eſt, *punctionibus ſpinarum*, ſive, ut *Vatablus* vertit, *flagris aculeatis*, cædam. Quæ quidem verba etſi ab interpretibus *communiter* inſtar *proverbii tropice* pro *afflictionibus* gravibus, gravioribuſque *oneribus*, capiantur: nihil tamen obſtare cernimus, quo minus in *propria* quoque ſignificatione ea poſſint capi; præſertim cum præeat nobis *Leuſden*. *Durius* enim utique fuit ſupplicium *ſcorpionibus*, paulo *mitius flagellis* verberari. Unde & *Cornel.* a *Lapide* de hoc *Roboami* reſponſo: *Vox*, ſcribit, *hæc dignior eſt carnifice, quam Rege*.

XXXVIII. Nec vero in *civili* tantum foro, ſed & in Choro *Eccleſiaſtico* flagellationem exercuiſſe Judæos, ex *Novi Fœderis* variis colligitur locis. Inprimis veritas ipſa, CHRISTUS, ſuis *prædixit* diſcipulis futuras haſce plagas: *In Synagogis*, dicens, μαστιγώσουσι *flagellabunt vos*. Quin & *Phariſæos*, prolemque *Judaicam*, is ita alloquitur: *Ecce mitto ad vos Prophetas & Sapientes & Scribas, & illorum nonnullos flagellabitis* (μαστιγώσετε) *in conciliabulis veſtris*. Triſte hoc vaticinium *ſufficienter* poſtea eſſe impletum in hinc inde *cæſis* Apoſtolis, ecquis ignorat? *Hieroſolymis* namque *omnes* hos ac *ſingulos* convocatos Phariſæi *in concilio ſacerdotum* ceciderunt, δείραντες. Ibidem *Paulum* etiam Judæi *percutiebant*, τύπτοντες; ceu concluditur ex *Act.* XXI. Imo quid multis? *S. Apoſtolus* ſui ipſius fidelis eſt *hiſtoricus*; etſi in *Actis Apoſtolicis* nihil tale de eo expreſſe reperiatur. Is a Judæis ἔλαβον πεντάκις τεσσαράκοντα παρὰ μίαν: *Accepi*, ait, *quinquies quadraginta una minus*. Verum de hoc ſatis antea. Flagellabantur autem *Apoſtoli*, *Apoſtolicæque*, vel a potiori *Chriſtianæ* doctrinæ confeſſores, in *Synagogis* utplurimum, ut innueretur, eos, quos peſſimi illi ſubjecerant *flagris*, non ob *flagitia* quædam *civilia*, ſed propter *doctrinam* ac con-

confessionem suam plagas ejuscemodi pati. Vid. *B. Gerhard.*

XXXIX. Quemadmodum autem, more modoque *iniquissimo*, in *Synagogis* Judaicis obnoxii flagris reddebantur Christi *discipuli* : ita, *æquissimo* contra jure & ex *Zelo* justissimo, ipse *Christus* ex stirpe *Judaica* secundum carnem oriundus, dum in exinanitionis statu inter *Judæos* versabatur, vindictam in *templo* exercuit; cujus hic meminisse non est incommodum. Inveniens enim ibi *Servator numularios* sedentes, istosque qui *boves* ac *oves* una cum *columbis* vendiderant, *ποιήσας φραγέλλιον ἐκ χοινίων flagellum ex funiculis fecit*, & eodem *omnes* ac *omnia* e *templo* ejecit projecitque. Equidem non exprimit *Evangelista*, unde *funiculos* hos, qui *proprie* e junco nexi dicuntur, Christus tum acceperit : probabile tamen est, flagellum illud ex *abjectis* iis ibidemque *jacentibus*, quibus mercatores eo oves bovesque adduxerant, simpliciter *contextum* fuisse. Sed *qualecunque* etiam fuerit hoc flagellum, *ineptissimum* interim est, apte sic *B. Chemnitio* sentiente, quin & consentiente *B. Erasm. Schmidio*, exinde fingere, quod *Christus*, instar *monachi Franciscani* vel *Dominicani*, fune *duplici* præcinctus, tunc *incesserit*. Nugæ hæ sunt omni penitus carentes *fundamento* : quas proinde recitasse satis est refutasse.

XL. Nos ab *extraordinaria* Christi ad *ordinariam* Judæorum flagellationem revertimur : quam ipsis fuisse in *judicio*, tum Politico, tum Ecclesiastico, consuetam, huc usque diximus. Dicimus nunc, eandem durasse pœnam usque ad *eam* tempestatem, sub qua sceptrum a Juda *prorsus* ablatum, & regimen illius cum urbe primaria *funditus* fuit eversum. Tamdiu enim aliqua adhuc *publice* puniendi penes Judæos steterat potestas : licet diu ante cogerentur גוים seu *incircumcisorum* subesse jugo, nec amplius facultate pollerent ullum *reum* afficiendi *morte*; ipsissmet vel testibus coram Romano Præside *Pilato* sic confitentibus, *sibi non licere quenquam interficere*. Nihilominus tamen *indulgebantur* ac *permittebantur* iis a *Romanis* exercitia *judiciorum* alia, maximam partem non, *capitalia*, qualibus annumerandum quoque venit supplicium *flagellationis*, quam, occasione data, secundum suam consuetudine restrictam ac moderatam legem, sontibus suis inferre poterant, plagis videlicet non ultra, sed inde quadraginta, illatis. Atque hanc potentiam competiisse Judæis adhuc *Fl. Josephi* tempore, aliqui ex illo *superius* allato *loco* conantur eruere, nec *frustra*, nec, ut videtur, *sine ratione*.

XLI. Enimvero postquam *Hierosolymæ* a *Tito* non tantum obsessæ, sed & mox deinceps una cum *templo* expugnatæ essent, Judæis *plurimis* oppressis *superstites* in *varias* dispergebantur regiones, in quibus *regimini* aliorum suas debebant cervices subjicere. *Subjecti* ita in *hodiernum* usque manserunt *diem*. Unde nequaquam licitum est iis judicia *publica*, multo minus judiciales *pœnas*, adeoque nec *flagellationem*, amplius instituere, aut instituta *tuto* exequi : sed ad *Romanum* præcipue olim, hodie ad *Christianum* vel *Turcicum*, Magistratum *causas*, ni crimen magnum incurrere velint, coguntur deferre.

XLII. Ne tamen nihil de suis retinerent ritibus, placuit pertinacibus istis *pœnam* flagellandi in *Ecclesiasticam* quandam transmutare *pœnitentiam*, quam *Buxtorffius* sequentibus fere enarrat verbis : *Unico ante festum expiationis die*, (qui est *nonus anni* novissime *inchoati*) *& quidem sub vesperam, alter alteri sua solet confiteri peccata. Confessio autem in hunc peragitur modum: Eunt semper bini in peculiarem quendam scholæ seu synagogæ locum. Tum alter se prosternit humi, obverso ad septentrionem vultu, ad meridiem tergo. Alter itaque loro scorteo vel cingulo triginta novem ictus illius infligit dorso. Is, qui flagellatur, confitetur interim, sibique ipsi ad singula verba pectus anxium plangendo tangit. Flagellator ex Psal.* LXXVIII. *orat :* והוא רחום יכפר עון ולא ישחית והרבה לחשיב אפו ולא-יעור כל -- חמתו: i. e. Ipse misericors condonavit iniquitatem, neque disperdidit : & multiplicavit, ut averteret iram suam, neque excitavit omnem iram suam. *Constat hic versiculus in lingua Hebraica tredecim tantum vocibus, terque repetitur a flagellante, qui ad voces quaslibet infert ictum: id quod novem & triginta conficitur plagis. Hic, qui flagellavit, postea humi itidem procumbit, & eodem modo excipitur a socio, quo ille hunc excepit. Atque sic ambo graves peccatorum suorum dant pœnas. Verum in hac flagellatione asini mutuum fricant, lacertisque suis parcunt. Ipsam flagellationem* מלקות *Malkus appellant ex Deuteronomio &c.* Et post paulo pergit : *Pœnam quadraginta plagarum minus una se quinquies a Judæis esse perpessum, inquit Apostolus Paulus : sed acerbius paulo, omni procul dubio, quam ipsi hodie se se invicem in Synagoga flagellant.* Hæc hactenus ille. Nempe *pœna* hac *Ecclesiastica* homines isti *impii* expiare petunt *peccata*, putant expiari. Verum en ludicram contritionem. Certe, nisi resipuerint melius, ad Calen-

lendas demum Græcas vera ſequetur remiſſio.

XLVII. Sed nondum ſufficit. Pœnas enim *ſpeciales* quaſdam *pœnitentiæ* vice, *Synagoga* Judaica imponit etiam iis, qui inter Judæos *graviter* deliquerunt. Scilicet tam *audax* eſt hoc genus hominum, ut, cum ſentiat, ſe omni regimine *pridem* deſtitutum; cum ſciat, nullam ſibi *amplius* in ullius vitam ac corpus competere poteſtatem; nihilo tamen minus, neglecto *Politico* Magiſtratu non vereatur ſontibus ſuis, ſub *Eccleſiaſticæ* pœnitentiæ prætextu, pœnas injungere ſubeundas. Utpote ſi quis cum *muliere menſtruata* rem habuerit, præter *jejunium quadraginta* dierum, *diebus* quoque *ſingulis bis* aut *ter flagellationem* cogitur experiri. Toties enim, juxta Judaica ſtatuta, *nudo* is *quotidie* plectitur tergo, & ad *triginta* uſque *novem* plagas loro *ſcorteo* vel *cingulo* excipitur. *Homicidam* præterea quamvis Judæi, per *tres* integros *annos* in *exilium* pulſum, *ubivis* locorum, ubi ipſi habitant, pacto *eodem*, *die* quolibet, *flagellis* mactant: qui hiſce ſubjectus altiſſima ſubinde debet exclamare voce: רוצח אני, *Homicida ſum ego*. Vid. *Buxtorff.*

XLIV. Enimvero ſat aliquando dictum de *flagellandi* moribus, quibus gens recutitorum in civili æque ac Eccleſiaſtico ſtatu fuit *olim*, & eſt *nunc*, addicta. Ex abundanti tantum addimus, *Rabbinos* in *hodiernum* uſque diem *diſcipulos* ſuos non *virgis* vel *ferulis*, ut apud nos *Chriſtianos* fieri ſolet, ſed *flagellis* caſtigare. *Reliqui* huc pertinentes ritus; ſi qui a nobis ſunt omiſſi, aliorum magis curioſæ operæ ſunto relicti: nobis, hos inveſtigantibus, plures *hac vice* perveſtigare non licuit.

XLV. Libet tandem, tanquam *corollarii* loco, aliquid de Judaica *fuſtigatione* adjicere, quam inter *Judæos*, extra tamen *terminos* terræ *Canaan*, uſuveniſſe annotat *Coccejus*. Conf. *Leuſden*. Plagæ hæ infligebantur *baculo*: nec verberum *certus* fuiſſe videtur *numerus*, ſed gravitati *culpæ* attemperabatur *pœna*. Tota nimirum res ex *judicum* pependit *arbitrio*: unde ad *necem* uſque reis id ſupplicium irrogari poterat, ſi modo *Magiſtris* ſive *Rabbinis* ita placuiſſet; quippe quorum *ſola* autoritate fuſtigatio fuerat introducta. In hanc pœnam inciderunt *contumaces*, qui *convicti* non volebant *fateri*; *præceptorum* item *affirmativorum tranſgreſſores*; ii porro, qui *aſpernabantur admonitionem teſtium*; quique *interdicta*, quæ proponebantur a *Scribis*, *violarant*. Idem Coccejus *Excerpt. Gemar. Sanhedrin*: ex *Aruch* poſt alia addit hæc: *Eodem* (fuſtigationis) *ſupplicio afficitur, qui ſtatutis Rabbinorum inobediens fuerit. Pœna hæc ob rebellionem illam* מכת מרדות percuſſio contumaciæ, *dicitur*.

XLVI. Dignus eſt, qui hic adhuc audiatur, *Buxtorffius*, in voce מרדותא ex *Baal Aruch* adducens ſequentia: Malkuth, *h. e. vapulatio, in lege præcepta, infligitur propter tranſgreſſionem præceptorum negativorum, cum certa menſura & præmonitione, & præterea requirit numerum tripertitum, ſicut dicitur:* Quadraginta plagis percutiet. *Sed qui tranſgreditur præceptum affirmativum, ut cum alicui dicitur:* fac tabernaculum, fac ramum palmæ; *& is non obtemperat, percutiunt eum, donec animam exhalet, ſine æſtimatione. Quare autem vocant hanc pœnam* מכת מרדות? *Eo, quod ejus reus* מרד *i. e. rebellavit, contra verba legis, & contra verba ſapientum*. Ecce ſapientiam *Rabbinorum* multo ſapientiorem ſapientia DEI. Scilicet. Sed *tantum* de Judaica *fuſtigatione*.

XLVII. Jam ad ultimum annecteremus *pœnam*, quæ fieri conſuevit *virgis*, dummodo hunc *ritum* apud Judæos *uſitatum* fuiſſe inveniſſemus. *Cajetanus* ſane, teſte *comment. in h. loc.* Eſtio, *ex* II. *Cor.* XI. 25. apparenter colligit, *Judæos non virgis, ſed inſtrumento alio flagellare ſolitos*. Hinc nos, qui de hoc apud illos ritu *ſolidi* nihil, nec *certi* quicquam, affirmare ac afferre poſſumus, ſilentio hic litantes, noſtrum de *Judaico flagellandi Ritu* diſcurſum terminamus.

JOH.

JOH. JACOBI SEYPPELII
DISSERTATIO
DE
FLAGELLANDI RITU
APUD ROMANOS.

B. J. F. A.

HActenus Judæorum *mores in flagellando dedimus considerandos. Ordinis nunc instituti exposcit ratio, ut post primam secundam ingrediamur classem, quam voce* gentilium *sumus complexi, omnes in genere subintelligendo gentes, quæ Deorum simulacra extra ac præter omnem Scripturæ revelationem more idololatrico coluerunt coluntque. Hos inter præ cæteris, quantumvis plurimis, in institutis eminuerunt olim, si scriptores præsertim percurramus, primum* Græci, *post* Romani, *his ab illis non pauca in Rempublicam suam transferentibus: quod vel ex sola* duodecim tabularum lege *sat patescit. Vid.* Liv. Histor. Rom. Johann. Cluver. Epitom. Histor. Andr. Dom. Floccum Florentin. *falso L.* Fenestellam *vocatum. Adde* Lipf. de Legg. Decemviralibus, quando scriptæ. *His omnino accensendus venit* Philologus accuratissimus Dn. Christoph. Arnoldus, *Præceptor meus ac Fautor honoratissimus*, in Syntagmatibus *sed MSS.* Ἀρχαιονομίας, *seu* de priscis Atheniensium legibus, *ubi consonantiam rituum Græcorum ac Romanorum elegantissime hinc inde demonstrat. Nostrum quod attinet propositum, apud* duos *hosce* populos *potissimum* flagellandi *hic, in historiis rite descriptus, emicat ritus: quanquam si ambos iterum conferamus inter seipsos, longe plura notatu inveniuntur digna, quatenus sub* Romanis, *quam quatenus sub* Græcis *viguerat* flagellatio. *Mihi sane scrutanti perscrutari paucissima contigit de hujusmodi* Græcorum *moribus: quæ tamen ipsa sparsim conquisita occasione, si vult* Deus, *alia una cum aliis afferam. Hac vice allubescit subsistere in unica* Romana *consuetudine, quam Græcæ hic præferimus, alioquin haud ignorantes, anteferendos esse* Romanis Græcos *eo quoque nomine, quod horum imperium longis temporum decempedis regni ac Reip. Romanæ præcesserit primordia; testantibus id variis variorum* Chronologorum *ac* Historicorum *libris*. Athenas enim, *regnante Servio Tullio, Regum Romanorum sexto, jam supra* septingentos *stetisse annos, ex* Ciceronis *Bruto refert* Sleidanus l. 1. de 4. summis Imperiis *ex editione ac cum continuatione Viri in his studiis consummatissimi* Dn. D. Strauchii, *Patroni mei maximi, p.* 59. *Add. annotat.* Francisci Schapern in libell. Sleidan. *edit. vet. Vid. celeber.* Rupert. observat. in Synopf. Besold. *Confer etiam adjectas* Tabb. Chronolog. ab Anno *M.* 2100. *usque ad Ann.* 3200. *ubi* Attici *regni &* Spartanorum *urbis initia invenies. Cæterum ad tractandam prius* flagellationem Romanam *nos imprimis etiam præsens incitavit tempestas, quippe intra quam omnium convenientissime de ineffabili* Dominica *passione, quantum pia recordatione possumus, loqui solemus, debemus certe. Atque, eo quidem referendas esse plagas* flagrorum, *quibus in innocentissimum* JESUM Romani *crudelissime sævierant, quis est verorum Christianorum, qui fere dubitet, nedum plane nesciat? Verum sine ulteriori transitione ad rem potius ipsam B. C. D. transeamus.*

THESIS I.

ROmanis non insolitam fuisse castigationem sive cæsionem *flagrorum* ex *Legibus*, *Historicis*, *Comicis*, & unde non? sat abunde constat. Sane ne a *Sacris* quidem *Scriptoribus* res hæc est intacta relicta: qui igitur a *secularibus* omnino esset prætermissa? Mittamus jam scriptorum *sigillatim* quævis adducere nomina locaque; cumprimis quia haud pauca in hac ipsa nostra *Dissertatione* passim posthac sumus adducturi. En *Leges*, ex *Callistrato* ac *Macro* collectas, quæ mentionem *flagellationis* faciunt. Sed sufficiat has *breviter* indicasse. Reliquarum to-

totam *messem* ii metant, penes quos *potior* est potestas in illas suam immittendi *falcem*: Nobis modo licitum esto, *aristam* unam alteramve, prout *materiæ* requisiverit conditio, carptim inde excerpere.

II. Nimirum inter *pœnas* a legibus legumque latoribus refertur *flagellatio*. Sed cum *duabus* potissimum de causis a *Romanis* non minus, quam cæteris *gentibus*, *pœnæ* delinquentibus imponerentur; vel in ipsorum delinquentium *emendationem*, Latinis eleganter *admonitionem* dictam; vel in *animadversionem*, superstitum ergo ac loco exempli maxime adhibitam: (Vid. de hac distinctione libell. *Dieterichii de antiquit. Rom. veter. nov.* cui adjecti varii ritus ex *Petro Sainct-Fleur*) hinc ob *ambas* rationes videntur sæpe homines pœnæ *flagrorum* fuisse expositi. Romani enim vel *leviter* peccantes *virgis* seu *flagellis* cædere solebant. *Alexand.* ab *Alex.* Quanquam respectu eo, quod non raro ad *necem* usque rei verberarentur, magis *animadversionis* pœna *pœna* hæc nominanda veniat: quicquid sit de appellatione *Columellæ*, flagellationem *flagrorum admonitionem* vocantis.

III. Verum quo *tempore* flagellatio exerceri cœperit apud Romanos, non adeo liquet; nec fortassis quisquam hujus natales certo ac exacte ex autoribus eliciet, licet diligens rituum sit fueritque, indagator. Equidem si hic quicquam *conjecturis* tribuendum, attribuimus talem huic pœnæ *originem*, ut illam sub *Tullo Hostilio*, *tertio* Romanorum *Rege*, *innotuisse primum* dicamus, quippe cujus mandato *Metium Suffetium* proditorem cesum *virgis*, ac propemodum laceratum fuisse, ex *Dionysio Halicarnass.* constat. Add. *ap. Liv. l.* 1. *hist. Rum. c.* 26. actionem ac orationem *Horatii*. Nihilominus tamen *flagellationem* propriissime dictam tum magis per Decemviros *usuvenisse* statuimus, postquam e *Græcia* a Romanis essent allata *Solonis* sancita & Romæ *Leges duodecim tabularum* promulgatæ. Quid? quod forsitan hæc Romanorum pœna aliquem inde si non *ingressum*, *progressum* saltem, sumserit, postea quam pœnam hanc a *Judæis* jamdum usurpari, ii vel ex aliis *inaudierint*, vel ipsi sæpius exerceri *viderint*, tum præsertim, cum paulatim magis atque magis *Judæi* eorumque *ditiones* in *Romanam* traherentur potestatem.

IV. Sed quid opus in tam *incerta* re multam facere *conjecturam?* Undecunque enim *primam* originem Romana habuerit flagellatio, eam tamen tantopere non juvat nosse, quantopere conducit indagare, quod ex historiarum libris *certius est*, & pro *certo* ibi ponitur. *Flagra* fuisse in *pœnam*, aut *castigationem*, præcipue illata, non est cur dubitemus. Dubium namque nobis omne tollet *objecti*, seu *subjecti* patientis, *primarii* consideratio accuratior, quam jam ingredimur. Etenim *servile* inprimis hoc erat *supplicium*, quod vilissimis etiam & abjectissimis irrogari *mancipiis* solebat. Confer *Leges*, quas allegat *JCtus. Georgius Ch. Waltherus* in *Postill. Harmonic. Theologo Jurid. Politico-Philolog.* Add. Clasen *Exercitat. sacr. ad Pass. Dom. l.* 2. *c.* 19. §. 1. *p.* 237. *Nomen* certe *flagrionum*, a *Vopisco* usurpatum, *servis* tam erat *proprium*, quam proprium maxime, dum *nominabantur* ita, quod *flagris* essent *subjecti*, iisque toties, quoties delinquerent, *digni* fierent.

V. Apud *Plautum* servus describitur *subiculum flagri*; quod idem est, ac *assidue flagro subjectus*; vel ut, *Gruterus* vult, quod *flagrum* eum *subigat*: quanquam alii cum *Meursio* malint legere *flagri sudiculum*; quod quidem *antiquis* erat *flagelli* genus, vapulantes *sudantes* faciens. *Sudor* autem ille non alius, nisi *sanguis* fuisse videtur. Hinc facete *Comicus* servum *subiculum* vocaverit *flagri*, tanquam ipse *flagellaret*, non *flagellaretur*. Apud eundem *Leonida Libanum*, servum servus ita salutat: *Salveto*, *Gymnasium flagri*; h. e. in quo flagello verbera exercentur. Apud *Terentium* senex *Demea* servum *Syrum* nominat *mastigiam:* que vox, ut ex origine *Græca*, ita *Latinis* significat *mancipium*, quod aut *flagris cæditur*, aut iisdem *dignum* censetur.

VI. Omnes scilicet per omnia in eo conspirant, ut pro *servorum* veluti *proprio* flagra habuerint ac habeant, non tantum quoad *nomina*, sed *rem* etiam ipsam. Unde merito huc revocari potest vetus illud: *Conveniunt rebus nomina sæpe suis*. Jam vero *triplices* præcipue fuerunt apud Romanos *servi:* quidam *originarii* ac *vernaculi*, qui, in servitute *nati*, per se multis legalibus *pœnis* subjacebant; alii *emtitii*, qui ab hostibus *capti* vel *emti*, jugo servitutis opprimebantur; reliqui *conductitii*, qui ob propriam spem *lucri* serviebant aliis. Sed uti in eorum *conditione* alias *nulla* datur *differentia:* ita nec *hic* aliqua data fuisse videtur; ut *omnes* adeo *servi*, tum qui *nascebantur* tales, tum qui *fiebant*, omnes, inquam, quandocunque contra dominorum fecerant mandata, *flagris* fuerint *excepti*. Hinc & *flagra*, *lora flagella*, *servilia* vocantur *verbera*, quippe quibus *servi* uni-

unice ferme affligebantur. Ita *Horatii* commentator, *Acron*, *lora* ac *virgas propriam servorum pœnam* fuisse ac mansisse asserit. *Loris* præterea ac *corrigiis coriaceis* plerumque; *captivi* verberabantur *servi*, ut *conditionis* suæ reminiscerentur, nempe quod *capti loris vincti* fuissent. *Vile* igitur & *servile* ducebatur ac dicebatur, loris affici.

VII. Non quidem plane negamus, *Romanos* itidem *cives* eorumque *liberos* ac *libertos*, per *intervallum* aliquod temporis *flagellis*, ubi meruissent, fuisse cæsos: siquidem in eos ipsos *primo* verberibus esse animadversum, recte colligitur ex *Porcia Lege*, cujus lator *Porcius* quidam *Tribunus plebis*, sed quod *Cato* ille *Censorius* negat TIRAQUELLUS. Lex igitur hæc in gratiam demum *civium Romanorum* data, ab horum corporibus *flgella* non minus, quam *virgas*, removebat. Meminit ejusdem verbis expressis *Cicero:* at eorum jamdum in præcedentis *Dissertationis* Th. IV. meminimus. Nunc adjungimus *Scriptorem historiæ Romanæ Principem* T. LIVIUM *l.* 10. *hist. ab urbe condit. prim. decad. edit. Grut. p.* 365. *Porcia Lex* (scribit ille) *sola pro tergo civium lata videtur; quod gravi pœna*, (exilii videlicet, aut confiscationis) *si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit* M. Valerius Cos. Ex quo apparet clare, ab illo usque; tempore, quod in annum *quadringentesimum* cum *dimidio V. C.* præter propter incidit, *nulli* ampius ne *Magistratui* quidem, *jus* concessisse, ut Romanorum *civium* quispiam, inprimis absque cognitione causæ, *flagellis* vel *virgis* posthac cæderetur. Vid. CORNEL. a LAPID. *comment. in Act. Apost. c. XVI. v.* 22. *seqq.*

VIII. Hoc ipso jure suo fretus *Apostolus*, cum *jamjam* in periculo *flagellorum* versaretur: *An hominem*, exclamat, *Romanum & indemnatum licet vobis μαςίζειν, flagellare?* Qua audita *civis Romani* voce, *Centurio Tribunum* adiit exemplo, qui ipse *metuit*, postquam rescisceret *Paulum Romanum* esse, quem ante impetraverit *loris vinciri*, & μάςιξιν ἀνετάζεσθαι, *flagris examinari*. *Examinaturi* itaque *protinus* abhinc discedere *jussi* sunt; jussuique obedientes *discesserunt*. Idem *Apostolus*, postquam una cum *comite* suo *Sila Philippis* mandato Magistratus *virgis* cæderetur, & post *multas* impositas plagas custodi carceris nocte media diceret: *Cæsos nos publice, indicta causa, quum simus Romani, conjecerunt in carcerem;* metum inde magnum urbis *Magistratui* incussit. Audientes enim, quod, quos verberassent, *Romani* essent, venerunt, & deprecati sunt hos, & eductos e carcere rogarunt, ut e *civitate* egrederentur. Quadrat etiam huc haud inconcinne, quod apud *Comicum* legitur. Nam cum præ ira *Æschinus* adolescens in lenonem *Sanionem* inveheretur hoc modo: *Si molestus pergis esse, jam intro arripiere, atque ibi usque ad necem operiere loris*, respondet per interrogationem alter: *Loris liber?* sub innuens nempe, *loris* atque *flagellis liberum* hominem non esse prosequendum.

IX. Exclusis ita semel a virgis Romanis *civibus*, semper postea eos, quos pro *servis* sontibus *Romani* habuerunt, manebant flagella *de jure*, eoque *dupliciter*, tum *publice*, tum *privatim Privata* hæc *servorum* flagellatio *Domino* competebat *cuilibet*. Etenim quanta egerint *severitate*, imo quanta crudelitate *sævierint*, in *servorum* suorum non *bona* solum, sed & *corpora*, scriptores *historiæ Romanæ* sat attestantur. Ast *lege Petronia*, quam latam fuisse A. V. C. DCCCXIII. ex *Hotomanno Arnisæus* refert, *Dominis* facultas est ademta *arbitrio* suo *servos* ad depugnandas bestias tradendi. Nihilominus tamen ea ipsa *remissio* tantummodo *secundum* quid fiat, non *simpliciter*.

X. Scilicet consulebatur servili *servorum* fortunæ ita quidem, ut *ab illorum tergis vis omnis amoveretur privata*, sed *usque ad virgas & lora*. Hinc *L. unic. C. de Emend. serv.* non prohibetur, sed tanquam licitum adhuc supponitur a *Constantino Imp. virgis aut loris a Domino servum affligi posse*; modo ne *immoderate* Dominus *jure* suo utendo, eodem abutatur. Ubi *Baldus: Dominus*, ait, *servum potest castigare, sed non dolo malo occidere*. Sic *A. Gellius* narrat de *Plutarcho*, quod *servo suo, nequam homini & contumaci, tunicam detrahi ob nescio quod delictum, cædique eum loro jusserit*. Hinc eleganter *Virgo* apud *Plautum: Herus si minatus est malum servo suo, ubi captum est flagrum, dum tunicas ponit, quanta afficitur miseria!* Similiter captivus *Tyndarus: Væ*, queritur, *illis virgis miseris, quæ hodie in tergo morientur meo*. Adhuc *Hegio* herus: *Colaphe*, clamat, *Cordalio, Corax, ite isthinc atque efferte lora*. *Lorarii* nimirum ii dicebantur *servi*, qui *Domini* jussu *conservum* suum vinciebant, cædebantque *loris*. Sed hæc *de castigatione servorum privata* dixisse sufficiant.

XI. Jam *publicam* flagellationis *pœnam* accuratius ponderabimus, quam Romani *servis*, aliisque *non Romanis*, si quos quorundam criminum *reos* in *judicio* deprehen-

hendissent, ut plurimum imposuerunt. Ubi pervenimus primo ad *Judices*, qui *jure* gaudebant eo, ut possent ac deberent suam de vere reis *flagellandis* sententiam *publice* pronunciare. Tales vero erant *Magistratuum* Romanorum *diversæ* species; quippe diversis *temporibus* nunc *hac*, nunc *illa* nunc *alia*, nunc *nulla*, potestate pollentes. Ab ipsis ergo *Regibus* ac *Imperatoribus*, tanquam *supremis* judicibus, *jus flagellandi* obtinuit *Præfectus urbis*, quippe penes quem, *Rege* vel *Imperatore* absentibus, *summa* rerum *Romæ* relinquebatur, adeo ut, cum imperium Romanum propagaretur, totius Italiæ *jurisdictio* ad *Præfectum urbis* sit delata. Omnia ergo crimina, quæ non tantum *intra urbem*, sed & *per totam* admittebantur *Italiam*, ut *Epistola Divi* Severi *ad Fabium Cilonem* cautum est, *Præfectura urbis* sibi vendicabat. *Cum* (sic *Imperator* literas inchoat) *urbem nostram fidei tuæ commiserimus &c.* Et post aliqua pergit: *Audiet servos*. Item: *Si quis servum suum in uxorem suam adulterium commisisse asserat, apud Præfectum urbis erit audiendus*. Vid. *Dom. Flocc. Florent.* qui ibidem ex professo agit de *urbis Præfecti* officio. *Ulpianus* sane, *ultimis* inprimis *temporibus*, procurationi *Præfecturæ urbis* has inter alias tribuit partes, ut *servorum de Dominis querelas*, vicissimque *horum in illos criminationes*, audiret; asserente *Hotomanno*: ceu enim adducit Joh. *Calvinus* in *Lex Juridic.* qui *notatu* digna *plurima* de hoc *officio* congessit.

XII. Præter hunc *Præfectum*, *Consulibus*, *Censoribus*, *Dictatoribus*, ac *Decemviris in litibus judicandis*, licuisse, si non *eodem*, *diversis* saltem *temporibus* reos etiam, *servos* præcipue *flagrorum* condemnare non est cur ambigamus; præprimis quia nihil ab *historica* fide alieni non dicere existimamus, *singulorum* modo *potestatem* quivis per se respexerit. *Maximam* autem *jus* dicendi facultatem, temporis successu, inter urbanos *urbanum* impetrasse *Prætorem*, ob differentiam postea *Præfectum urbis* dictum, jam ante declaravimus. Quis ergo flagris adjudicandi *potestatem* competiisse *eidem* ibit denegatum? *Prætorem* hunc, postquam *plurimæ* sub *ditionem* Romanam rediissent *provinciæ*, plures sequebantur *Prætores* alii, qui ob id, quod *rebus* præessent provincialibus, *Provinciales* dicebantur, alio nomine *Præsides* vocati, *majus* in *provinciis* habentes imperium *omnibus* post *Principem*. Hosce tanta polluisse ἐξουσία ut *flagellari* reos quoque juberent, vel unicum *Pontii Pilati* comprobat exemplum, *Præsidis* hujuscemodi personam munusque in terra *Judaica* sustinentis, ac *suo* mandato *Christum* innocentissimum *flagellis* subjicientis. Qua de re, post pauca, plura dicemus.

XIII. Erant præterea *Triumviri capitales*, qui eum in finem præcipue constituti ut *custodiam* haberent *carceris*. Hi *nequaquam* queunt excludi ab hac *flagra* exercendi *potestate*. *Cum* enim *animadverti oporteret*, *eorum id interventu fieri debebat*. Inprimis vero illi de *vilibus* & *abjectæ* tantum conditionis *hominibus*, utpote de *furibus* ac *nequam servis*, jus dixerunt. Vid. *Henr. BEBEL. de Magistr. & Sacerdot. Rom.* Conf. *Pomponium*. Adde *Lipsium*. Evolve & *Juridic. Lexic. Calvini p.* 920. Audiamus hac vice *Plautum*, apud quem noctu obambulans *Sosia*: *Quid*, ait, *faciam nunc*, *si* Tres Viri *me in carcerem compegerint? Inde cras e promtuaria cella depromar ad flagrum: Nec causam liceat dicere mihi, neque in hero quicquam auxilio fiet. Nec quisquam sit, quin me omnes esse dignum deputent: ita quasi incudem me miserum homines octo validi cædant*.

XIV. Ex quo ipso loco pariter elucet, *octo* fuisse *lictores*, seu *quæstionarios* qui jussa *Triumvirorum* horum flagris in *damnatis* exequebantur. Hinc & ab eodem *Plauto octo valentes*, *astuti audaces viri*, *virgatores* memorantur, item *octo validi lictores*. Quorum igitur *opera* servis aliisque reis *potissimum* infligebantur flagra, ii fuerunt *lictores*, etsi non semper *tot*, *quot* ad id peragendum a *Triumviris* constituebantur. Dicebantur tamen omnes hi publici servi in genere *lictores*, voce *a ligando* desumta, quod, quem *Consules* prehendi *ligarique* jussissent, præsto essent iidem ad *parendum* ac *prehendendum*. *Flocc.* Etenim *Magistratui* Romano a *lictoribus* fasces *præferebantur*, ex quibus hi ocyùs *virgas* betulæ arboris expedire, & *reos*, jubentibus iis, qui subserviebant, *percutere* poterant. Unde & *pronunciata* qualibet sententia, ac adjecta *judicis* voce: *I lictor*, *deliga ad palum*; *lictoribus* incumbebat reum *nudare*, *spoliare*, *virgasque* & *flagra* expedire.

XV. Nimirum ante quam verberarentur miseri, iis *vestes exuebantur* ac *detrahebantur a lictoribus*; quin imo interdum *Judæorum* more *discindebantur*. Exempla talium *nudatorum* collegit *Clasen* in *Exercit. sacr.* qui ipse evolvi potest. Adde *Act.* XVI. *v.* 22. ubi & *Pauli* ac *Silæ vestes* ante, quam *virgis* cædebantur, scissæ sunt. *Vestimenta Muciano detracta* prius, quam *Crassi* jussu *virgis* multum cæderetur, *Agellius* refert. l. I. noct.

noct. Att. cap. 13. p. 25. *Quousque* tamen *nudata* fuerint corpora non *expressum* in historiis extat. *Credibile* est, homines istos *maximam* partem fuisse *denudatos*. *Funibus* præterea flagri candidatos ad *palos* aut *columnas* alligabant: quod ipsum clare ex *Apostoli* historia deducitur, ubi *Tribunus* Paulum προέτεινε τοῖς ἱμᾶσιν, *adstrinxit loris*; nec non ex *Agellio*, a quo, verbis *Gracchi*, *palus destitutus fuisse in foro* ad cædendum *Marium* refertur: referente confirmationis loco *loca* hæc *duo Ph.* Carolo *in Gustu Philol. Sacr.* De *ligatione* flagellandorum ad *columnam* agit itidem *Lipsius*. Delicta *servorum* ad columnam *Mœniam*, jussu Triumvirorum, flagris fuisse a lictoribus octo punita, perhibet Cl. *Kipping.*

XVI. Quod si ipsa aspiciamus *organa*, *quibus* declarati rei *cædebantur*, varias flagellorum species fuisse deprehendimus. Aliæ enim erant *lenes*, velut *frondium*, *virgarum*, ac *ferularum*; aliæ solis *loris corrigiisque coriaceis* constiterunt; aliæ etiam *aculeis*, *funiculis* aliæ. Interdum *plumbei nodi* ac *scorpiones* flagellis addebantur. Atque hinc in *Jure* commemorantur *verbera* ac *ictus plumbatarum*; quamvis quidam legere malint: *plumbatorum*: Dicebantur etiam flagra aliqua *hamata* ac *venenata*. Vid. *Dionys. Gothofred. Lipsius l. 2. de Cruc. c. 2. flagris taxillatis Romanos etiam usos esse* annotat. Notat & ex *Eustathio*, flagra talia *talaria* dici, quod ex *insertis talis involutisque* sint *confecta*. *Idem* cum *Apulejo* scite denominat flagrum ejusmodi *pecuinis ossibus catenatum*. *Solebant* videlicet non raro Romani *aciculas*, *uncinulos*, & *aculeos ferreos scuticis innectere suis*, *quibus miserorum cutis ad costas usque & ossa lacerabatur*; ita summatim nos edocente *Theologo celeberrimo B. Gerhardo*.

XVII. Intelligimus inde, *flagellationem*, ritu *Romano* peractam, nequaquam *leve* ac *lene*, sed multo *gravius fustigatione*, quippe qua *milites civesque* facinorosi præcipue afficiebantur, (vid. *Phil. Carol. l. 2. antiquit. Rom. cap.* 8. *p.* 57. *lib.* 3. *cap.* 9. *p.* 85. Dieterich. *in additam. p.* 185. Conf. *Clasen. l. c.* §. 1.) imo præ multis *gravissimum* ac *acerbissimum* revera fuisse *supplicium*; ipso *Horatio* non diffitente, qui *flagellum* vocat *horribile*. Sed *pœnæ* hujus *gravitas* magis adhuc colligitur ex eo, quod vix *certum* in plagis infligendis *Romani* observaverint *numerum*: licet, quod *Kipping.* l. c. annotat & ex *Horatii illo*: *sectus flagellis hic triumviralibus Præconis ad fastidium*; Probat, *Præco* interdum adstiterit, & ictus *numerando* exclamaverit, tot *vicibus* debere *cædi* facinorosos, nec pluribus, nec minoribus. Nam & sæpius passi sunt crudeliter *flagellatores* in *corpora* reorum flagris ruere, adeo, ut, hac *ministrorum* effræni immanitate manente, *flagellati* multi sub hac *flagellationis* pœna *plane* interierint; fatente id ipso *JCto Ulpiano*, qui ita: *Non*, inquit, *ea quidem pœna damnari quem oportet*, *ut verberibus necetur*, *vel virgis interimatur: quamvis plerique*, *dum torquentur*, *deficere solent*. Et quidni deficerent *plurimi*? cum & *sæpissime ac pedes servorum* ac *reorum pendentium pondus aliquod*, quod a *Plauto* dicitur *centupondium sit alligatum*, idque eum in finem, *ne inter vapulandum vapulantes calcitrarent*, *neve pedibus aut calcibus eos a quibus verberabantur*, *peterent*. Imo docet *Meursius*, *adeo crudele a servis sumtum supplicium*, *ut totam sæpe noctem pendentes*, *flagris fuerint exagitati*. Hinc *lictorum* ait *ac carnificum ad tantam tamquam diutinam sævitiam exercendam electos fuisse octo*. Adjicit observandum, quod Comico *virgæ* hæ vocentur *lentæ*, quia nimirum *totum diem noctemque sæpius totam cæderent*. Vid. *Taubmannum comment. in alleg. Plauti loc.*

XVIII. Tantum itaque *flagellatio* fuit supplicium, ut utplurimum *mortem*, si non *inferret*, saltem *non procul* abesse significaret. Pertinent, ut opinor, non incommode huc *Hieron. Magii* verba, scribentis: *Qui in equuleo torquebantur*, *non solum distendebantur*, *sed & alios cruciatus patiebantur*: *nam & flagris cædebantur*. *Unde* Quintilianus *ait*: per flagella, per verbera; *loquens de equulei tormento*. Huic enim procul dubio *servi* delinquentes sæpe *insidere* debebant.

XIX. Quinimo *quotquot* ferme *cruci* erant addicti, judicabantur a Romanis *ante* digni, qui *flagellis* pinserentur. Sic enim *Hieronimo* observante, *legibus Romanis sancitum* fuerat, *ut*, *qui crucifigeretur*, *prius flagellis verberaretur*, quo hac ratione ab hominum honestorum societate quasi separaretur. Vid. B. *Gerhard.* & *Waltherus JCtus*. *Flagellatio solennis antecessor*, *& raro in crucem dati*, *nisi sic purpurati*; ait *Lipsius*, qui ibidem loca *aliquot*, *morem* hunc aut *legem* apprime comprobantia, ex *Livio*, *Curtio*, *Josepho*, *Philone*, adducit, ac addit, *cruci affigendos verberatos* esse nunc *flagris*; *crebrius* tamen, ut reperitur, *hisce*, *illis infrequentius*.

XX. Porro *flagellatio* hæc, *crucifixionem* præcurrens, non *uno* semper *loco* aut *tempore* accidit, sed *diversimode* potius ita stituebatur, ut modo *domi* vel in *prætorio*

rio ante deductionem, modo in *deductione* ipsa *per viam*, exerceretur; ceu patet ex illa voce: *Verbera intra aut extra pomœrium*. *Posterior* ritus ut *magis* est *antiquus*, sic is ipse etiam *aliquanto* erat *rarior*. Tunc enim miserandi sontes ad *furcam pœnalem*, impositam collo, *ligati* ducebantur per *viam*, & *cædebantur* vel ad *necem usque*, vel *ita* tamen, ut post *verbera* ad *furcam* fixi *in crucem* tollerentur. Exempla, quæ ex *Svetonii Nerone* ac *Livio* producit in hanc rem *Lipsius*, apud ipsum videri poterunt. *Prior* autem mos modusque, quo *domi* in *carcere* aut *prætorio* adhuc candldati crucis flagellabantur, *magis* extitit *vulgaris*; unde eundem in *crucifixi* nostri *Servatoris flagellatione* videmus occurrisse: quem proinde, *tempori* attendentes, nunc paulo altius nobiscum repetemus.

XXI. Nempe JESUS *innocentissimus* noster pro *nocenti* ac *noxio* a *Judæis* æque ac *Romanis* agnitus, dignus (o rem relatu, nedum indignam factu!) tandem habebatur, qui sanctissimum *tergum* suum daret, tanquam *servile*, *flagellis*. *Servili* hac *pœna* maximeque *servis* propria animadversum est in eum, qui *Dominus Dominorum* fuit, est, eritque. Flagellabatur igitur *Christus* instar *servi*, qui *formam* hanc in *exinanitionis* statu assumserat, tum cum primis, cum *passionem* ingrederetur ac aggrederetur suam. Testes ecce flagellationis hujus locupletissimi ipsi sunt *Evangelistæ*. Audiamus singulos. *S. Matthæus* eam ita describit: *Pilatus JESUM* φραγελλώσας, *flagellans*, *tradidit*, *ut crucifigeretur*. Ad eundem penitus modum *Marcus*. *Johannes* similiter sic illam depingit. *Tunc apprehendit JESUM Pilatus*, & ἐμαστίγωσε *flagellavit eum*.

XXII. Hic vero statim quæritur, *quoties* ergo Christus *flagellis* fuerit tritus? *Dubitandi* namque ratio ea esse videtur, quod ex priorum *duorum* Evangelistarum effato colligi queat, *post* latam *mortis* sententiam, demum ex *Johannis* vero verbis jamdum *ante* dictatam condemnationem *crucis*, *CHRISTO flagellationem* contigisse. Hinc *duplici* vice JESUM flagra sustinuisse aliqui volunt: quos inter numerandi *Gerson Arias Montanus*. *Montacutius*. Nihilominus non *bis*, sed *semel* tantummodo, flagellatum esse JESUM nostrum, omnium *probabilissime* nos cum *S. Ecclesiæ Patre* defendimus. Nam & *Beza* fatente *ad cap.* 27. *Matth. unam esse flagellationem*, *non duplicem*, *ex circumstantiis liquet*. Non itaque ea *revera* fuit diversa, etsi *diversimode* a *diversis Evangelistis* sit descripta: quandoquidem *Matthæus* ac *Marcus* flagellationi *præposuerunt* prolatam Pilati de crucifixione sententiam, *ordinem* adeo factorum (ceu sæpius solent in Evangeliis suis *anticipare* Evangelistæ) non observantes, quem tamen *recte* ac *rite* hic observaverat *Johannes*: Unde & paulo *distinctius* ac *dilucidius* hic præ illis annotasse *circumstantias* videtur.

XXIII. Scilicet res ita se habuit. Cum advertisset *Pilatus*, se *spe* sua de *liberando* a *nece* JESU prorsus excidisse ob optionem *populi*, qui latronem *Barabbam* maluit vivum relinqui, quam pretiosissimum λύτρον, *Christum*: tum *medium* apprehendit adhuc illud, ipsumque *prehendendo* JESUM *flagellis* eundem adjudicavit. Quo quidem judicio facto, *Judæorum* furorem denuo *sedare* laborabat, fore sic confisus, ut, post flagra hæc inflicta, Judæi moti *misericordia* miserum JESUM a crucis *morte* liberum tandem pronunciarent. Eadem enim de causa apud LUCAM legitur hæc ad *Judæos* protulisse verba: παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω, *Castigatum ergo eum dimittam*.

XXIV. Ex quo sponte sua sequitur, Christum *alia* quadam *ratione*, quam alias fieri consueverat, *flagellis* fuisse subjectum. *Causa* namque *per se* non erat *secutura crucis* afflictio ac *affixio*; quippe hanc Pilatus, *quantum* poterat, *tum* adhuc *temporis* a JESU; quem *innocentem* esse *hominem* ipse senserat, conabatur depellere. Sed adhibitum id est supplicium tantum, tanquam *medium*, quo *Prætor* Ethnicus *Judæorum* crudelitatem quæsiverat *quadantenus*, quanquam *frustra*, (ut *eventus* docuit,) satiare.

XXV. Hæc nostra *explicatio* uti cum continua JOHANNIS *narratione* ad amussim convenit: ita tantum abest, ut *reapse* a *descriptione* cæterorum *duorum*, quamvis *videatur*, discrepet, ut potius ipsi nobis cum exasse consentiant; si *unica* modo *particula*, ἵνα, eo hic, quo *debet*, modo explicetur atque intelligatur. Siquidem, ut utique notum est, *causalis* hæc *conjunctio* non *semper* & ubique aliquam importat *causam*, sed *eventum* sæpius ac *sequelam* tantum denotat; quemadmodum præter hoc *exempla* alia dari possunt, quorum multa colligit B. GLASSIUS: Nimirum, *nimium* urgentibus *Judæis*, flagellationem *subsecuta* quidem est in crucem elatio, sed *ex eventu* duntaxat: præter *primam* enim *Pilati*, quam foverat, *intentionem* crucis *executio* deinde accessit. Imo si *ordinem* verborum *Matthæi* servemus, ipse *contextus Græcus* edocet, cohærere rem sic optime, ut *primo* Pilatus *flagellasse* JESUM dicatur, *postea*

postea addatur demum, *tradidisse*, ut *crucifigeretur*. Quo ipso nonnihil innuitur *diversissima* Pilati *actio*: *alia* namque fuisse videtur, dum *flagellaverat* Christum; *alia* plane, cum ad *crucifigendum* eundem *tradidisset*.

XXVI. Verum nunc in *quæstionem* venit, num *ipse* forsitan *Pilatus* JESUM *flagellaverit*? præsertim cum *utrobique*, tum a *Matthæo* & *Marco*, tum *præcipue* a *Johanne* ita res narretur, ut appareat, a Pilati *propria* persona Christo fuisse *flagra* illata, non a *militibus* illius, quippe quorum fit mentio demum v. 2. Atque in hac quidem sententia *Bedam*, dum literæ *nimis* inhæreret, hæsisse, B. GERHARDUS indicat. Sed quis tamen tam *facile* crediderit, tantum *Virum*, in tanta *dignitate* ac *autoritate* apud *Romanos* æque ac *Judæos* constitutum, sese eo usque submisisse, ut *munus* hoc, quod *militibus* ac *lictoribus* velut *proprium* expediendum erat, *ipse* exequeretur? *Probabilius* potius est, per eos *potissimum* carnificinam hanc esse peractam, qui a *Pilato* ad eam peragendam *maxime* fuerunt *amandati* ac *destinati*. *Imputatur* autem *flagellatio* ipsi hic *Pilato*, Judææ *Præsidi*, tanquam *causæ principali morali*, quia *jussu* ejus ac *imperio* res tota fuit gesta. Haud itaque est absurdum, sed valde commodum, verba *Evangelistarum* sic exponere. Nonne enim, juxta communem canonem, *quod quis per alium aliosve facit, per seipsum fecisse* ducendum est atque dicendum?

XXVII. Insuper *ministerialem* causam indagantes, non abs re judicamus quærere, *quinam* ac *quales* ad JESUM *flagellandum* præcipuæ sint admissi? Hic si intuemur *Græcos* emendatiores *codices*, non invenimus in *textu separatim*, quoad hoc, mentionem *eorum* fieri: *colligimus* tamen non male ex verbis, tum *antecedentibus*, tum *consequentibus*, Romanos *milites & lictores*, ab aliquibus *Brutianos* l. *Brutios* dictos, eosque gentiles, præcipuos fuisse hujus tragœdiæ auctores. Nam adjecta & *Judæos* respiciens vocula, *Eis*, quæ in exemplaribus *quibusdam* post vocem, *tradidit*, legitur, non est genuina: hinc, ERASMO notante, nonnihil officit sensui. *Neque enim* (additis) *Judæis tradidit* JESUM *Pilatus*, *sed suis militibus*, *supplicii ministris*. Hi siquidem & ipsi Christum antea *ceperunt*, captum *vinxerunt*, vinctum *judicis stiterunt*, statum *flagellarunt*, flagellatum post *purpura vestierunt*, vestitum *coronarunt*, coronatum *illuserunt*, illusum *verberarunt*, verberatum *abduxerunt*, abductum *crucifixerunt*: sicut id in *historia* totius *passionis* non *semel*, sed *sæpius*, inculcari cernimus.

XXVIII. At *dubium* forsan alicui oriri posset, annon *Judæi* auxiliatrices suas hoc in negotio *Ethnicis* porrexerint *manus*? Certe, *Juda* proditore facem præferente, his ii *tradiderunt* Christum, nil aliud expetentes, quam ut e *medio* suo JESUS a *gentilibus*, post varios *cruciatus*, in *crucem* denique ipsam tolleretur. Qua propter *culpam* longe *maximam* integræ *passionis*, adeoque & *flagellationis*, in *Judæos*, tanquam *causas moraliter efficientes*, inde redundare, quis nostrum unquam dubitat? Enim vero quod *Judæi Physicæ* cujusdam *causæ* vicem in ullo opere obierint, nec *legimus*, *nec credimus*: cumprimis cum ipse patienter passus SERVATOR in ultimo itinere *Hierosolymitano* id ita *discipulis* suis de seipso prædixerit, futurum, ut *Filium hominis Sacerdotum Principes ac Scribæ tradant* gentibus *ad illudendum & εἰς μαστιγῶσαι ad flagellandum*. Confer. MARC. & LUC. Videbis utrobique de *gentibus*, sive, (quod in hisce aliisve plurimis locis idem,) *Gentilibus*, minime vero *Judæis*, enunciari: μαστιγώσουσιν & μαστιγώσαντες αὐτόν. Unde ut impleretur simul *veracissima* hæc VERITATIS *prædictio*, *gentiles* soli JESUM *flagellare* debebant.

XXIX. Sed & si ipsam *Judæorum* inspiciamus *mentem*, non difficulter constat, cur *ipsi* JESUM flagris afficere noluerint. Etenim, cum juxta *divinam legem* non esset permissum *Judæis*, plagas ultra *quadraginta*, vel ut, ipsi male interpretabantur, *triginta novem*, flagellis infligere hinc procul dubio ex accerrimo adversus CHRISTU odio nimium *lenis* hæc videbatur pœna, si ea a *suis* JESU huic, ut blasphemabant, *seductori* irrogaretur. Maluerunt igitur ad hanc infligendam *pœnam* eligere *gentiles*, quippe qui nulli *certo* numero adstricti verberare reos supra *modum*, interdum & ad *interitum* usque solebant. Neque vero intenderunt *per se* flagellationem, sed *solum* postulabant *crucifixionem*. Unde haud *contenti* illa a *Pilato* illata *pœna*, puniendum etiam *cruce* Christum clamarunt, nec clamare *prius* desierunt, donec id, quod tantopere petebant, ipso *facto* impetrarunt. *Vitam* nempe nolebant, volebant *necem*, eamque *cruce* luendam: quam tamen *capitalem* pœnam illis exercere *non* licuit, licet eandem inter *Judæos Romani* pro *lubitu* exercuerint. Quo maxime facit *propria* eorum confessio, coram *Pilato* ore unanimi edita: *Non licet* inquiunt, *nobis ullum interficere*; intellige inprimis, ut *autores* haud ince-

le-

lebres subintelligunt, *supplicio crucis*. Tam *restricta* jamdum tum temporis erat sub Romanis *Judæorum* potestas. Imo fortassi ideo quoque *Judæi* in *flagellando* Christo sese Romanis *socios* præbere recusabant, quod putarent, quemlibet suorum *contaminari*, si quis, imminente *Paschate*, in *prætorium* modo *introiret*, multo magis itaque, si in eodem *suppliciorum adjutor* fieret. Vid. *Joh.* XVIII.

XXX. Sed quid? *Qua* tandem de *causa* illud ab *illis* sit factum, scire *nostra* parum refert. Revertimur rectius ad ipsum flagellandi *actum*. Collegimus ante ex *scripturæ* textu, immitibus potissimum *militibus satellitibusque* Pilati a *Pilato* demandatum fuisse, ut *flagellarent* Jesum. *Quot* autem *lictores* illi præcise fuerint, non diximus, nec dicere possumus; tacente præprimis *Scriptura* & *antiquitate*. Extra tamen controversiam plures *uno*, imo *multi*, si non *plurimi*, huic *actui* interfuerunt, qui *ope operaque* sua flagellationis negotium adjuverunt. *Locus*, ubi *flagellatio* erat instituenda, statuebatur *atrium* seu *prætorium*, domus, in qua *provincialis Prætor* non *habitabat* modo sed & *jus* dictitabat. Eo enim *Præsidis* sese receperant *milites*, convocata simul ac congregata in illam *universa* cohorte.

XXXI. Ibi vero fata *flagellandorum* singula Jesus experiri cogebatur. *Vestibus* eundem fuisse *privatum*, cur *hic* negabimus, qui audiimus *superius*, morem hunc in hac *inflictione* pœnarum Romanis *usitatissimum* mansisse? Præstamus etiam haud illibenter *fidei* nonnihil sententiæ ei, qua Jesum *columnæ alligatum* esse asseritur; non tam propterea, quod *Lipsius exemplis* quibusdam ac *testimoniis* alienis ritum hunc studuerit confirmare, quam quod *pii* ipsi & in religione antiqui *Patres* non plane dubitarint tale quid de *columna flagellati Servatoris* adstruere. Clare ac plæclare *prudentissimus Poetarum* suo adhuc seculo cecinit:

> *Vinctus in his Dominus stetit ædibus*, *atque* columnæ
> *Annexus*, *tergum dedit*, *ut servile*, *flagellis*.

Imo pergit: *Perstat adhuc*, *templumque gerit veneranda* columna.

Cum quo convenit, quod *B. Hieronymus* de *Paulæ* in ejus Epitaphio ad Eustochium recitat: *Ostendebatur*, inquiens, *illi in monte Sion columna porticum sustinens*, *infecta cruore Domini*, *ad quam dicitur vinctus & flagellatus*. Tempore *Bedæ in medio Ecclesiæ fuisse* ipse *Beda* testatur. Sed quod de *columna* hac in *templo* posita dicitur, haud immerito *suspectum* minimum, si non penitus *falsum*, esse censemus. Interim sive extiterit, sive non, *in templo columna* talis, sufficit extitisse in *prætorio* tum, cum ad eam Christus *vinciretur*. Hinc *Hieron.* Drexelius *columnam* hanc ita depingit: *Romano ritu funibus adstringebatur Jesus ad bipedalem columnam*, *quæ ad viri stantis umbilicum duntaxat pertingeret*, *ut tam pectus quam tergum rei verberibus undique pateret*. *In brevioris hujus columnæ summo ferreus annulus immissus accipiebat funes*, *quibus flagellandi corpus vinciebatur*.

XXXII. Cætera, quæ de hac *columna* traduntur, *mira* mere *falsa* ac *ficta* videntur. Nos ad propositum redimus, quod eo nunc revocat, ut lustremus *instrumenta*, quibus CHRISTI latera cæsa fuerunt scissaque. Ac *virgas* quibus fuisse arbitratur *Erasmus*, nec abnuit *Maldonatus*, *Beza* tamen *flagellis proprie* dictis Christum *percussum* esse non male contendit; nec absque ratione: præprimis quia in *fonte* voces μαςιγῶν ac φραγελλῶν ponuntur; quæ *significatione* sua *primaria* id significant, quod *propriissime* flagellare dicitur. Ut adeo non necesse sit, præter *necessitatem* a *propria* verborum significatione hic recedere. Facit huc, quod & *Nonnus* vocula ἱμάσθλης utatur, qua *loreum* denotatur *flagellum*. Narratur inter alia quoque; (an *vere*, alii videant) *flagellis aculeatis*, *infixis aculeis & retractis*, *non evellendo*, *sed sulcando*, *totum corpus Christi fuisse laceratum*. Sane *probabile* alias est, pro *Romano more*, quem supra innuimus, *militum* sævitiam *flagellis* quoque *aculeos* adjecisse.

XXXIII. Quod si *traditionibus* credendum, (quibus tamen *caute* ac cum *prudentia* decet credere) tradunt aliqui, *tribus* flagellorum generibus *Christum* fuisse afflictum: primo *vepribus* & *spinis acutissimis*, post *flagellis aculeatis*, tandem *ferreis catenulis*. Verum quod attinet *flagellum*, quo *Papicolæ Romani* in *æde B. Virginis Romæ* jam superbiunt, nos *tanto* non dignamur *honore*, ut sentiamus, illud *iis* esse accensendum, *quibus* dudum *revera* JESUS in *prætorio* sit *cæsus*. Mirum enim si *Pontificii* post *tot* secula tales *reliquias* non *adulterinas* demum *sartas tectas* acceperint. Imo vero *maxime* mirum. Scilicet *tanta* ii præ *nobis* gaudent *felicitate*, si fas est *credere*. Sed *gaudeant*, ut *ferme* insaniant: nos pergimus ad reliqua dicenda.

XXXIV. Nonnulli *nimis* fere *curiosi* sunt in eo, ut una cum aliis *certum plagarum numerum* inquirere haud super sedeant.

deant. *Ajunt* enim *Brigittæ revelatum*, *CHRISTUM esse perpessum ultra quinque millia ictuum ex flagellis*. *Vincentius* in *serm. de Passione* colligit, cum *ossa corporis ex sententia Medicorum sint ducenta sex & septuaginta*, *CHRISTUM ita fuisse flagellatum*, *ut cuilibet corporis ossi triplex verberum ictus responderit*. *Gerson numerum* constantem allaturus: *Dicunt aliqui*, scribit, *revelatum fuisse*, *quod Christus in corpore suo quinque millia trecenta & septuaginta quinque acceperit plagarum*. Vid. *Harm. B. GERHARDI*. Utut vero se res habeat cum hisce *relationibus* aut *revelationibus*, quas *autorum* suorum *fidei* merito relinquimus; *certum* tamen *verberum* definire *numerum* non *volumus*, nec *possumus*. Cum enim *Romani* non *æque*, ut *Judæi*, *definitas* in flagellando infligerent *plagas*, quis, quæso, facile credet, ab atrocibus istis *militibus* ea *tum*, quæ Jesu dederant, *numerata* fuisse *verbera*? Numeraverint autem nec ne, *temere* certe fit, *ignotum* ictuum numerum nimium *scrutari* aut *determinare* velle, ex *ejusmodi* præsertim *scriptis* ac *scriptoribus*, qui valde *dubiæ* sunt *auctoritatis*.

XXXV. *Sat* est, si dixerimus, *dirissimam* ac *durissimam* hanc SERVATORIS extitisse *flagellationem*. Colligitur, ut *brevibus* multa complectamur, satis ex *textus* circumstantiis. Nec obstant *objectiunculæ* duæ, quas una cum *Responsionibus B. Gerbardus* adfert. Nos nostræ *Dissertationi* imponimus *finem* ea, quæ *de ritu flagellandi* supersunt *exponenda*, *alio* cum DEO, *die* proposituri. Jam quæ restant, *debitæ* sunt piæque *gratiæ*, quas *Servatori* nostro, pro *flagitiosis* nobis tantopere *flagellato* dicere decet *æternum* absque *termino*.

JOH. GEORGII BINDRIM
DISSERTATIO
DE
GRADIBUS EXCOMMUNICATIONIS
APUD HEBRÆOS.

بسم الله الرحمن الرحيم

PROŒMIUM.

RElatu non solum, verum & observatu digna est adhortatio Filii Asai, quæ legitur in cap. 4. Pirke Abhoth. §. 2. הוי רץ למצוה קלה כבחמורה ובורח מן העבירה שמצוה גוררת מצוה ועבירה גוררת עבירה ששכר מצוה מצוה ושכר עבירה עבירה: h.e. *esto currens ad præceptum leve*, *tanquam ad* (*præceptum*) *grave*, *& fuge a transgressione*: *nam præceptum trahit præceptum*, *& transgressio trahit transgressionem*: *siquidem merces præcepti* (*est*) *præceptum*, *& merces transgressionis* (*est*) *transgressio*. Quo celebri præcepto, R. Asai homines, ut omnia, tam levia quam gravia præcepta æquali semper diligentia servarent, admonere voluit. Non enim sapientem illum latebat, quanta vis sit consuetudinis; quam item proclive, ut is qui leve primum transgredi præceptum assuetus, postea ad majora peccata perpetranda feratur, adeo, ut non peccare, non vivere putet; Hinc seria illa de peccato fugiendo adhortatio; & licet alicui peccatum commissum videatur minimum, abstinendum tamen ab eo, cane pejus & angue, monet, cum uno perpetrato facilis sit descensus ad alia quæque. Hæc Ecclesiæ Judaicæ Antistites perpendentes, omnem curam, operam & studium adhibuerunt, ut hominibus, omnium præceptorum eandem esse rationem, eaque pari reverentia observanda, inculcarent, ne, præcepta levia transgrediendo, majoribus quoque servandis abstinerent, adeoque peccata peccatis cumularent. Quemadmodum enim virtuose agere assueti, etiam nihil tale cogitantes, recta quandoquidem agimus, adeoque merces virtutis est ipsa virtus; ita e contrario, qui peccatis assueti, nihil nisi peccaminosum agunt, & ita peccata cumulando, merces transgressio-

ſionis eſt ipſa tranſgreſſio. Huic igitur malo, ut Hebræi obviam irent, nullum peccatum impunitum facile abire voluerunt, ſed minimis etiam tranſgreſſionibus certas, imo ſat graves pœnas conſtituerunt. Hinc in libro rituali Schulchan Aruch, parte 2. quam יורה דעה vocant, num. 334. ajunt: העובר על דבר איסור מנדין אותו לאלתר: *Qui aliquid vetitum deſignat, extemplo excommunicatur.* Atque hujus Excommunicationis ipſe etiam Chriſtus in terris agens quandoque mentionem fecit, quando diſcipulis ſuis prædixit, quod Judæi illos *ἀποσυναγώγους* eſſent facturi *Joh. 16. 2. cap. 9. 22. cap. 12. 42.* &c. quæ, ut & alia loca N. T. cum abſque bene perſpecta Judæorum excommunicationis ratione, ſolide explicari & intelligi nequeant, viſum mihi eſt hoc loco pro ingenii mei tenuitate Τὸ חרם i. e. *excommunionem* ברחם h. e. adſiſtente Summi Numinis *gratia*, ex Hebrçorum monumentis proponere. Quandoquidem autem juxta Arabum veriverbium, (quod & hic locum invenire puto) رتبة العلم أعلى الرتب *Ordinatio ſcientiæ, ſupremus eſt gradus*, ejus & hic memores diſſertationem hanc in aliqot ſectiones partiri voluimus, quarum quid unaquæque complectatur, breviter præmiſimus.

CAPUT I.

Quo prima Excommunicationis ſpecies Niddui, ejuſque cauſæ & ritus proponuntur.

I. UT vero in rem, quod dicitur, præſentem veniamus, primamque ſpeciem, quam Niddui vocare amant, conſideremus, longe antiquiſſimum hunc ritum eſſe, ex eo magni nominis Viri colligunt, quod multis retro ſeculis ante Chriſtum natum eum locum obtinuiſſe conſtat. Quin non deſunt, qui natales ejus ex ultima antiquitate accerſentes, inde uſque a Caini tempore in uſu fuiſſe eum perhibeant, nempe cum fratricida maledictus & profugus fuiſſe dicitur *Gen.* 4. & Deus exterminium fœderis circumciſionis contemtoribus minatus eſt *Gen.* XVII. 14. Qui locus cum diverſimode explicetur ab Interpretibus, Hebræorum quoque interpretamenta in medium afferre conſtituimus.

II. R. Abarbenel in Peruſch. hatthorah ad *cap.* 15. *verſ.* 30. *Num. p.* 297. 298. (cujus, ut & aliorum paſſim hic allegatorum, copiam nobis fecit Vir Ampliſſimus, atque Excellentiſſimus *Dn. Johannes* Friſchmuth/ *Ling. Sacr. Prof. Publ. Celeber.* Patronus ac ſtudiorum meorum Promotor æternum Devenerandus) Veterum ſex ſententias recenſet, ſuamque ſeptimam hac de phraſi adjungit. Prima eſt. R. Saadiæ ומסכים לזה כזה כתב הראבע כאן על הכרת תכרת הנפש ההיא וזל הנפש אינה הנפש המשכלת כדברי תועי׳ רוח רק הוא חביר הנפש עם הגוף עד כאן ולפי זה יהיה דעתם שענין הכרת הוא קצור ימי החוטא ומיתתו קודם קצו בעולם הזה לא דבר אחר ויתחייב מזה שיהיה ענין הכרת הוא עצמו ענין המיתה בידי שמים: *Cui conſentit, quod ſcribit R. Aben Eſra. b. m. ad hoc, excidendo exſcindetur anima illius*, נפש *non denotat animam intellectivam, ſecundum quorundam errantium ſententiam, ſed conjunctionem animæ cum corpore*, vel ut R. Eſra in comm. in Bibl. Baſileenſ. ſcribit: נפש כמו איש וטעמו גוף שיש לו נפש: *hic idem eſt quod* איש *& notat corpus anima præditum*, hinc Targ. vertit אנשא ההוא *homo iſte. Hæc Eſra. Et juxta hunc erit ſententia illorum, quod per exciſionem intelligenda ſit abbreviatio dierum peccatoris, & mors ejus ante tempus ſuum in hoc mundo, nihilque aliud. Ex quo neceſſario ſequitur, exciſionem notare illam mortem opera cœli*, h. e. *DEI, illatam.* Altera eſt R. Salomonis Jarchi, qui putavit כל כרת הוא ערירי שימות בלי בנים *omne exterminium in eo conſiſtere, ut quis ἄτεκνος moriatur*, puta ut vel nunquam aliquos liberos procreaverit, vel ſi quos genuerit, ante patrem ut moriantur. Nam ut R. Aben Eſra loc. cit. dicit מי שיש לו בנים כאילו הוא חי ושמו לא נכרת *ille qui habet liberos, eſt tanquam vivus, neque nomen ejus exſcinditur*. Tertia eſt cujuſdam Autoris. תוספות בריש מסכת יבמות: *Additionum in principio Tract. Jebbammoth.* שהכרת הוא לחמישים שנה *quod excidium hoc intelligendum ſit de quinquageſimo anno* ſi quis ſcilicet inter tempus hoc moriatur. Alii vero hunc terminum extendunt uſque ad ſexageſimum annum; ſi prius moreretur, ex ſpecialibus peccatis ex hac vita ereptum; ſin longiorem traheret vitam ex ſingulari DEI benedictione id eſſe, putantes. Vid. *Buxtorff. Lexic. Rabbin. pag.* 1101. Quarta ſententia eſt alterius cujuſdam cit. l. qui vult שהכרת יבחן כפי ימי החולי כי כאשר ימות האדם ביום הג׳ בחליו יהיה נכרת מעמו: *exterminium hoc intelligendum eſſe de diebus morbi, & ſi quis mortuus fuerit die tertio morbi ſui, ille dicatur exciſus de populo ſuo*. Hæ allatæ ſententiæ in eo conveniunt שענין הכרת הוא לגוף בלבד בעולם הזה ושאינו מגיע דבר ממנו לנפש: *quod exciſio tantum ad*

cor-

corpus hoc in mundo referenda, nec quicquam de ea pertingat ad animam.

III. Quinta sententia est R. Maimonidis in comment. ad cap. ultim. Sanhedr. & libr. Madda scribentis שתכרת הנפש ותאבד ושלא תהיה חיית וקיימת והוא הכרת שכתוב בתור' שנ' הכרת תכרת הנפש ההיא ואר״ל הכרת בעולם הזה תכרת לעולם הבא: *Exscindetur anima, & perdetur, & quod nec amplius vivet, neque subsistet, hocce est excidium quod memoratur in Lege, cum dicitur, exscindendo exscindetur, dixerunt Rabbini nostri b. m. exscindendo in hac, exscindetur in altera vita.* Hæc opinio de plenaria animæ annihilatione, qua כבהמה sicut bestiæ anima, in tenues evanescit auras, merito rejicitur recteque a R. Abarbenele dicitur כי הוא עצם רוחני קיים בעצמו בלתי נפסד בטבעו: *esse substantiam spiritualem, in se subsistentem, minime sua natura corruptibilem.* Sexta est R. Nachmanidis in comment. in Leg. Parasch. אחרי מות putantis, pœnam excisionis non esse semper unam, eandemque: sed triplicem ponit. 1. כרת גשמיי והוא למי בלבד: *excisionem corporis tantum* שזכיותיו מרובים מעונותיו: *hæcque in eum, cujus opera bona plura sunt, quam ejus iniquitates, cadit.* 2. נפשיי בלבד *animæ tantum* והוא למי שעונותיו מרובים *caditque in eum cujus iniquitates sunt plures.* 3. הכולל לגוף ולנפש שיכרת גופו בעולם הזה ונפשו בע״ה וזה ייחד לבד לעובד עכ״ם ומגדף את השם: *complectitur & corpus & animam, corpus ejus exscindetur in hoc, anima ipsius in altero seculo, proprieque spectat tantum ad cultores stellarum & planetarum, atque blasphemantes nomen DEI.* Septima & ultima est Abarbenelis, nempe quod excisio sit כולל לגוף ולנפש אם לגוף בעולם הזה שיקצרו ימי החוטא וימות קודם עתו שהיה ראוי לו כפי טבעו ואם לנפש שאחרי הפרדה מן הגוף בעולם הנשמות תתרחק מזיו השכינ' ומקבול השפע העליון לנפשות הזוכות שמה מצרור החיים: *communis corpori & animæ. Corpori in hoc mundo cum decurtantur dies peccatoris, & moritur ante tempus, quod secundum naturam suam ei conveniebat. Animæ, quod ea post separationem animæ a corpore, in mundo animarum elonganda sit a splendore Majestatis Divinæ, & a receptione influentiæ supernæ in animas justas ibidem ex fasciculo vitæ.*

IV. Hæ sunt Judæorum Interpretationes circa hanc phrasin, quas fus. refutat, suamque comprobat R. Abarben. c. l. Christianorum recepta est sententia, Excommunicationis quandam hic innui speciem, id quod l' Empereur in Annotat. ad Bertram. de Republ. Judaic. pag. 356. licet, alias in primam sententiam inclinet, non diffitetur. *Theologi nostri*, inquit, *ut plurimum ejectionem e coetu Ecclesiæ ac fidelium ista phrasi designari autumant.* Hinc Junius Gen. 17. 14. hanc formulam ita explicat: Hic & in futuro seculo a sanctorum consortio excludetur, nempe ut Leusden. dissert. 50. p. 347. Philol. Hebr. Mixt. ait, ille erit ἀποσυνάγωγος in hac vita, & post hanc vitam erit hæres inferni, si non resipiscat. Quo tendit, quod R. Abarben. comment. in Leg. p. 63. col. 3. scribit שלא רצה להתחבר אל עמו בברית ולהכנס עמהם בדבוק האלהי והנהגתו אין ראוי שלעולם הבא נכנס עמהם במחיצתם ולא שיקבל משכרם: *Qui se non vult associare populo illius in fœdere, neque cum ipsis Deo adhærere, & eum sequi; non quoque conveniet, ut in altero seculo ingrediatur cum illis in requiem ipsorum aut accipiat de mercede illorum.*

V. Quemadmodum autem omnia prius medicamenta adhibenda, quam membrum aliquod rescindendum. Ita & hoc in pœnis infligendis observatum fuit, prius legis transgressores levibus quibusdam pœnis coercebantur, & ut ad bonam frugem redirent, quasi præmonebantur, quam ultima & gravissima pœna affecti, Dei judicio relicti, prorsusque Sathanæ, tanquam desperatæ malitiæ homines traditi sunt. Hinc tres Excommunicationis gradus sunt constituti, quos in pœna peccatoribus infligenda transilire non licuit. Primus utut gravis, levis tamen in respectu subsequentium vocatus fuit נדוי, alter gravior חרם; tertius autem gravissimus. שמתה

VI. Ad primum igitur Excommunicationis gradum quod attinet, vocatur ille Niddui a R. נדה, quæ, ut R. Mardochai Nathan docet, פירושו רחוק significat *elongationem* sive *remotionem*; estque nihil aliud, quam certis legibus restricta alicujus a conversatione hominum ad certum tempus separatio. Causæ autem, cur aliquis hoc excommunicationis genere afficiatur constanter numerantur viginti quatuor. Si enim in Berachot fol. 19. 1. בכ״ד מקומות בית דין מנדין על כבוד רב: *in viginti quatuor locis* (i. e. propter viginti quatuor causas) *Judices excommunicant propter honorem Rabbi sive Magistri & Præceptoris.* Sic in Talm. Hierosolymit. Moed. Katon cap. 3. in Gem. fol. 81. 4. על עשרים וארבעה דברים מנדין: *propter viginti quatuor causas excommunicant.* Maimon. in Hilcoth Talmud Tora cap. 6. p. 22. 2. על עשרים וְארבעה דברים מנדין את האדם בין איש

בין

:בין אישה' *propter viginti quatuor causas excommunicant tam virum quam fœminam.* Hæ autem viginti quatuor causæ nullibi simul in Talmude recensentur, sed modo hoc, modo illo loco afferuntur, congessit tamen eas R. Maimonides in הלכות :תלמוד תורה cap. 6. p. 22. 2. Buxtorff. Lexic. Talmud. p. 1304. Selden. de Jure. Nat. & Gent. lib. 4. cap. 8. p. 529. Coccejus ad Sanhedr. p. 164. Joseph. Karo in Schylchan aruch, lib. Jore deah, sect. 334. §. 43. pag. 103. 2. Edit. Hanov. quibus adjungunt Eliam de Widas in Reschis Chochmah. lib. 1. cap. 7. Nos eo ordine, quo in Maimonide loc. citat. inveniuntur, eas referemus.

VII. 1. הטבזה את החכם ואפילו אחר :מותו *qui contemnit Sapientem* (Rabbinum, Magistrum, Doctorem legis) *etiam post mortem ejus* II. המבזה שליח בית דין *spernens ministrum vel nuncium domus judicii.* III. הקורא לחבירו עבד *vocans proximum suum* (liberæ scilicet conditionis) *servum.* IV. מישלחו לו בית דין וקבעו לו :זמן ולא בא *Is ad quem misit judex, & determinavit ipsi tempus comparitionis, & non comparet.* V. המזלזל בדבר אחד :מדברי סופרים ואין צריך לומר בדברי תורה *Qui spernit præceptum unicum Scribarum, ne dicam Legis Divinæ.* VI. מי שלא :קיבל עליו את הדין מנדין אותו עד שיתן *Is qui non in se recipit latam sententiam, excommunicant eum ut paret.* VII. מי שיש ברשותו דבר המזיק כגון כלב רע או סולם :רעוע מנדין אותו עד שיסיר חיזקו *Is qui in sua potestate haberet, quod aliis damnum inferret, veluti canem mordacem aut scalam fragilem, excommunicabant eum usque dum damnum resarciret.* VIII. המוכר קרקע שלו לגוי מנדין אותו עד שיקבל עליו כל אונס שיבא מין הגוי לישראל חבירו בעל :המיצר *Qui fundum suum vendiderat gentili, excommunicabant eum usque dum in se susciperet resarcire damnum quodcunque inde eveniens Israelitæ proximo suo.* IX. המעיר על ישראל בערכאות של גוים והיציא ממנו בעדתו ממון שלא בדין ישראל מנדין :אותו עד שישלם *qui testimonium perhibet in tribunalibus Gentium adeo ut inde pecuniam solvere cogeretur ex moribus Israelitarum indebitam, excommunicant eum usque dum rependeret.* X. טבח כהן שאינו מפריש המתנות ונותנן לכהן אחר מנדין :אותו עד שיתן *Sacerdos mactans, qui non seposuerat donanda Sacerdotibus ceteris, excommunicant eum usque dum daret.* XI. המחלל יום טוב שני של גליות אף על :פי שהוא מנהג *Qui prophanat diem feriatum secundum in captivitate tametsi id esset ex consuetudine.* XII. העושה מלאכה :בערב הפסח אחר חצות *qui opus aliquid facit pridie paschatis post meridiem.* XIII. המזכיר שם שמים לבטלה או בשבועה :בדברי הבאי *commemorans nomen DEI frustra, aut per juramentum vanum.* XIV. :המביא את הרבים לידי חילול השם *adducens alios ad prophanationem nominis Divini.* XV. המיבא את הרבים לידי אכילת :קדשים בחוץ *adducens alios ad esum rerum sacrarum extra locum sacrum.* XVI. :המחשב שנים וקובע חדשים בחוצה לארץ *Qui annos supputaret, & menses præfigeret extra terram sanctam.* XVIII. המשכיל :את העור *Labi faciens coecum.* XVIII. :המעכב את הרבים מלעשות מצוה *retardans alios a faciendo legis opere.* XIX. :טבח שיצאת טרפה מתחת ידו *mactans qui permiserat pecudem laceratam exhiberi.* XX. טבח שלא ברק סכינו לפני חכם *Mactator non ostendens coram sapiente cultrum suum.* XXI. המקשה עצמו לדעת *difficilem se præbens ad discendum.* XXII. מי שגירש את אשתו ועשה בינו ובינה שותפות או משא ומתן המביאין להן להיזקק זה לזה :כשיבאו לב״ד מנדין אותן *qui repudiavit uxorem suam, & postea instituit cum ea commercia emtionis & venditionis, quibus adducitur ad redintegrandum congressum, cum in judicium vocabantur, excommunicabantur.* XXIII. חכם ששמועתו רעה *sapiens malæ famæ & existimationis.* XXIV. :המנדה מי שאינו חייב נידוי *e communicans eum, qui non est meritus excommunicationem.*

VIII. Formulam, qua usi sunt in excommunicatione hac, talem refert Maimonid. lib. cit. cap. 7. pag. 23. 1. פלוני :יהיה בשמתה N. N. *sit in excommunicatione* (Ploni apud Hebræos significat idem quod Græcis ὁ δεῖνα.) Si autem excommunicatio *fiebat* בפניו *in facie* המנודה *excommunicati* hoc est coram: פלוני זה :בשמתה *præsens. N. N. sit in excommunicatione* dicere consueverunt, & cum nomen excommunicandi non constaret, dicebant: ההוא גברא בשמתה *homo ille sit in excommunicatione.* v. Selden. l. c. p. 533. Quando autem excommunicatio fiebat לא בפניו *non coram* sed denuntiabatur absenti, tunc hoc fiebat vel verbis per alium aliquem, vel publicabatur scripto per scribam publicum, quod scriptum dicebatur כתב של נדוי vel פתחא :של נדוי qua de re vid. Schylchan aruch in Chosen hammischpat, num. 11. sect. 4. Buxtorff. Lex. Talm. p. 1307. conf. p. 2469.

IX. Fiebat autem hæc excommunicatio non solum autoritate publica, sed etiam pro ratione causæ privatim a privato peragebatur. Sic qui nomen DEI in vanum assumserat, etiam is qui audiverat חייב לנדותו ואם לא נדהו הוא עצמו :נדוי *obligabatur ad eum excommunicandum, & si eum non excommunicaret, ipse*

reus erat excommunicationis ut Joseph. Karo, Schulch. Aruch lib. Jore dea sect. 334. §. 17. p. 1031. refert. Hoc fecisse R. Hunam, cum audiret nomen DEI in vanum proferri, testis est R. Ibba ap. R. Ascher in comment. ad Moed Katon fol. 37. 1. Quod vero R. Ibba dicit ibid. וש״מ נדהו בפניו אין מתיר לו אלא בפניו: h. e. *discas exinde, quod cui coram inflictum est, anathema non nisi coram remittatur*, hoc non simpliciter videtur esse intelligendum, quod ipsum ex causu illo, qui in Gemar. Moed. Katon. cap. 3. fol. 17. 1. refertur, demonstratur. ריש לקיש הוא מנטר פרדיסא אתא ההוא גברא וקאכיל תאיני רמא ביה קלא ולא אשגח ביה אמר ליהוי ההוא גברא בשמתה אמר ליה אדרבה ליהוי ההוא גברא בשמתא אם ממון נתחייבתי לך נדוי מי נתחייבתי אתא לבי מדרשא אמר ליה שלו נדוי שלך אינו נדוי ומאי קקנתיה זיל לגביה דלישרי לך לא ידענא ליה אמרו ליה זיל לגבי נשיאה דלישרי לך: Hoc est *Risch Lakisch custodiebat hortum, venit aliquis & cœpit vorare ficus. Inclamavit eum sed iste nihil quicquam curavit. Tum ille jussit eum in anathemate esse. Respondit alter & ego te in anathemate esse jubeo, nam si ad pecuniam* (pro redimendis ficubus) *tibi sum obstrictus, nunquid anathemati obnoxius sum?* (nam propter debita pecuniaria neminem excommunicabant, nisi judicii nomine prius ter moneatur, nempe, die secundo septimanæ, die quinto, & rursus die secundo, qui dies semisacri sunt, vid. Schylchan Aruch loc. c. p. 102. 1. conf. Buxtorff. Lex. Chald. p. 1305.) *Adiit super hoc Risch Lakisch scholæ Rectores. Responsum est: ipsius anathema, anathema est; tuum nullum est* (denuntiarat enim alteri anathema citra causam) *Quid igitur remedii? adi ipsum ut remittat tibi. At non novi, qui sit? Adi ergo principem, ut remittat tibi.* Hic anathema coram indictum remissum fuit ab alio, qui non indixerat, ex quo videmus anathema posse solvi, licet ab alio sit coram indictum, si non a privato, attamen a Principe sive Rectore Scholæ, quod ipsum affirmat quoque Maimon. l. 6. c. 7. p. 13. 1. מי שלא ידע מי שנדהו ילך לו אצל הנשא ויתיר לו נדויו: *Qui non noverit excommunicantem, adeat principem & solvet eum.*

X. Tempore illo, quo המנודה erat sub anathemate variis illi fuit interdictum, quæ a Maimon. in lib. cit. cap. 7. p. 23. 1. & in Gem. מועד קטן fol. 15. 1. aliisque afferuntur. Nam המנודה אסור לספר ולכבס כאבל כל ימי נדויו ואין מזמנין עליו ולא בוללין אותו בעשרה לכל דבר שצריך לעשרה: *Non debebat se tondere aut lavare, instar lugentis, quamdiu erat excommunicatus. Neque vocant aut censent eum in numero hominum denario, ubicunque numerus ejusmodi necessarius.* Requirebatur autem hic numerus ad varia: non enim circumcisionem peragebant, connubia non stabiliebant, libellum Repudii non dabant, solenniores quasdam preces a Deum non fundebant &c. nisi in cœtu עדה hoc est congregatis decem personis. Imo, ut Jos. Karo in Schylch. Ar. Jor. dea. cap. 334. §. 10. pag. 102. 2. אם ראו בית דין לנדות שלא יזמן בג׳ ולא יתפלל בי ולא יקבקו לו מת ולא ימולו לו בן-רשאים הם: *Si ita visum esset foro, interdici ipsi poterat, ne convivio trium interesset, ne cum decem oraret, nec, si mortuum haberet, eum quis sepeliret, nec, si filium, eum quis circumcideret.* Non assidebant ei nisi intra quatuor cubitorum spatium, quod tamen non ad omnes pertinebat, ut testatur R. Ascher in comment. ad Moed Katon fol. 36. 4. אין יושבין בארבע אמותיו חוץ מבני ביתו אשתו ובניו שמותרין עמו. *non accedebant ad eum propius nisi ad quatuor cubitos, exceptis tamen ejus domesticis, uxore, & liberis ejus, quibus licitum fuit eum accedere.* conf. Schylch. Aruch. l. c. p. 102. §. 2.

XI. אבל שונה הוא לאחרים ושונין לו ונשכר ושוכר: *Verum* licitum ei fuit, *docere alios, & doceri potuit. Conducebat quoque & conducebatur*, ad opus scilicet faciendum. Ubi tamen Autor animadversionum ad R. Ascher. p. 36. 36. 2. ex Talmud. Hierosolym. notat quod docuerit במקום שאין רגיל לשנות *in loco aliquo, ubi docere alias non consueverunt.* In templum quoque ingredi ei licuit, sed certo ritu ut cognosceretur excommunicatus esse. Hinc in cap. 2. Middoth, cit. Buxt. pap. 1306. legitur כל שנכנסין לדרך הבית נכנסין דרך ימין ומקיפין ויוצאים דרך שמאל חוץ ממי שאירעו דבר שהוא מקיף לשמאל מה לך מקיף לשמאל שאני אבל השוכן בבית הזה ינחמך שאני מנודה. השכון בבית הזה יתן בלבבך ותשמע לדברי חבריך ויקרבוך: *Quicunque ingrediebantur templum, ingrediebantur per viam ad dexteram, & circumeuntes egrediebantur per viam ad sinistram, excepto eo, cui obvenerat casus aliquis, ut teneretur versus sinistram ingredi, cui dicebant: Quare ingrederis ad sinistram? quia lugens sum. Respondebant; qui inhabitat hanc domum consoletur te. Quia excommunicatus sum:* (*dicebunt*) *Qui inhabitat hanc domum, indat animo tuo, ut obtemperes verbis sociorum tuorum, & restituant te.*

XII. Si autem המנודה Excommunicatus

tus in excommunicatione ſua moreretur, tunc אין מספידין אותו *non luxerunt eum*, ſed tumulum ejus lapidarunt, quemadmodum patet ex Gemar. מועד קטון cap. 3. p. 15. 1. מנודה שמת בית דין סוקלין את ארונו ר׳ יהודה אומר לא שיעמידו עליו גל אבנים כגלו של אכן אלה בית דין שולחין ומניחין אבן גדולה על ארונו ללמדך שכל המתנדה ומת בנידויו בית דין סוקלין את ארונו: *Excommunicatus qui moritur in excommunicatione ſua, domus Judicii lapidat tumulum ejus. R. Jehudah dixit, non ac ſi ſaxorum cumulum ſuper eum congererent, inſtar cumuli Achan, ſed Judices mittunt & ponunt ſaxum aliquod grande ſuper tumulum ejus, ex quo diſcas, cujuſlibet excommunicati, qui in ſua excommunicatione moritur, tumulum eſſe lapidandum*. Fuit autem Lapidatio apud Judæos graviſſima pœna, qua qui enormiter peccaſſent, fuerunt affecti; hæc quoque ſimulata fuit apud tumulum excommunicati demortui, propterea, ut Maim. loquis l. c. שהוא מובדל מין הציבור *quod ſeparatus ab Eccleſia*.

XIII. Finis & effectus hujus excommunicationis erat, ut ſolita conſuetudine converſandi cum hominibus Legis tranſgreſſor privaretur, uſque dum pœnitentiam agens, adque ſanam mentem rediens, anathemate ſolveretur. Et quidem ſi excommunicatio privatim erat facta, privatim quoque ſolvebatur, & ſi excommunicans המנדה ignotus vel interea mortuus, a ſuperiori ſolvebatur. Si autem anathema hoc publice annunciatum, publice quoque reſcindebatur; Si quis præſens coram fiebat ſolutio, ſin vero abſens per ſchedulam aut alium aliquem fiebat ſolutionis annunciatio v. R. Aſcher pag. 37. 1. Formulam autem, qua uſi ſunt in ſolvendis anathematibus, hancce annotavit R. Maimonid. l. c. p. 23. 1. וכיצד מתירין הנדוי או החרם אומרים לו שרוי לך ומחול לך ואם התירוהו שלא בפניו אומרי פלוני שרוי לו ומחול לו: *quomodo ſolvunt Niddui aut Cherem? dicunt excommunicato*, (ſi coram fit ſolutio) *abſolutus es & res tibi eſt remiſſa. Et ſi ſolvunt aliquem, qui non præſens, dicunt. N. N. abſolutus eſt & res ei eſt permiſſa*.

XIV. Tempus hujus anathematis ordinarium erat menſis ſpatium ſive triginta dies. Ubi tamen bene diſtinguendum נידוי a נזיפה ſeu objurgatione, quæ erat ſaltim ſeptem dierum & præcedebat excommunicationem, fiebatque cum homo aliquis autoritate præditus, delinquentem increparet. vid. Schylch. Aruch. l. c. p. 102. 3. Hinc in Gemar. Moed. Katon. c. 3. p. 16. legimus אין נדוי פחות משלשים יום ואין נזיפה פחות משבעה ימים: *non fit excommunicatio minus, quam in triginta dies neque objurgatio minus, quam in ſeptem dies*. Hæc objurgatio licet ſæpiſſime, non tam ſemper excommuuicationi præceſſit, nam ut R. Aſcher, comment. in Moed. Moed. Katon. fol. 36. 2. ait: לאפקרות מנדין לאלתר בלא התראה: *Epicureitatem* (hominem Epicurum) *excommunicant ſtatim abſque præmonitione*. Si quis autem hiſce diebus non ſupplex fiebat, ſed pertinax in ſua malitia perſiſteret, tunc condemnabatur ad Niddui, atque triginta dies ad ſe convertendum concedebantur, ita tamen ut nonnunquam verberibus coerceretur & licet intra hoc ſpatium ad bonam mentem rediret, non tamen ſtatim abſolvebatur, ſed quandoque pecuniæ quandam ſummam pendere tenebatur, in primis ſi læſerat ſapientem, teſte Maimon. l. c. p. 22. 6. cap. 6. ſcribente קונסין אותו ליטרא זהב בכל מקום ונותנין אותה לחכם: *adjudicant ei, ut ſolvat aurum, quod dant ſapienti*. Cum autem dicitur, quod Niddui complectatur præciſe triginta dies, tunc hoc non eo intelligendum modo, ac ſi prius hoc anathema ſolvi nequeat, ſed ita, cum Niddui alicui annunciant, non alterius definiti temporis, quam triginta dierum facta fuit mentio, quod ipſum confirmat R. Aſcher p. 36. 3. וכן אומ׳ בשעה נדוי יהא בנידוי שלשים ואין אומרים יהא בנדוי טו״ יום: & *paucis interjectis Et ſic dicunt quando aliquem excommunicant: excommunicatus ſit triginta diebus: & non dicunt: excommunicatus ſit per quindecim dies*. Eodem modo hoc intelligit Joſeph. Karo l. c. pag. 102. 3. §. 13.

XV. Cæterum ſi ſupplex המנודה ad preces confugeret, tunc intra hoc tempus fuit ſolutus, nam licet hic varie diſputent Rabbini, ex collatis tamen inter ſe exemplis, tandem concludit R. Aſcher in comment. ad Moed. Kat. p. 36. 3. his verb. ונראה מכאן שהכל חלוי בדעת בית דין למעט ולרבות בימי נדוי ולהוסיף על הנידוי ולמעט בימי הנדוי: *Videtur ex hoc, quod omne poſitum ſit in ſententia domus Judicii, minuendi & multiplicandi dies Niddui, tam adjiciendi ad illos dies, quam diminuendi illos*. Si vero quis diem trigeſimum præterlabi ſineret, contumaxque in ſua ſententia perſiſteret, tunc eadem pœna reiterabatur prius, quam graviori afficeretur, atque ſic ſexaginta dies Excommunicato concedebantur quod liquet ex Maimonid. pag. 23. 3. cap. 7. מי שישב בנדוי שלשים יום ולא בקש להתירו מנדין אותו שנייה ישב שלשים יום אחרים מחרימים אותו: *qui ſedet in Niddui triginta*

ginta diebus, & non petit solvi eam, separabant sive excommunicabant eum secundo. Si sederit triginta diebus aliis, neque petierit se solvi, anathemate Cherem ipsum excommunicant. Imo interdum, rarissime licet, triplicabatur tempus, adeoque nonaginta dies Excommunicato ad pœnitentiam permittebantur, quod si & hic terminus præterflueret, tunc multo gravioribus pœnis feriebatur de quibus in sequentibus vid. Joseph. Karo in Schylch. Aruch. lib. Jore dea. pag. 102. 1. §. 1.

CAPUT II.

In significationem vocis חרם *inquiritur, & altera excommunicationis species, quæ eo ipso nomine insignitur, uberius declaratur.*

I. PRogredimur jam ad alterum Excommunicationis gradum, qui חרם *Cherem* vocatur. Qua de voce notandum, quod ea plurimis Oriental. linguis sit recepta. Syrus enim & Chaldæus in paraphrasibus suis sæpissime pro Hebr. חרם suum ܚܪܡܐ & חרמא adhibuerunt eodem significatu. Arabs quoque hoc verbum, licet paulo aliter sensu deflexerit, retinuit: حرم enim illi est, *prohibuit*, nomen autem inde deductum حرام notat *sacrum, quod non est promiscui usus*, quemadmodum etiam templi Meccani circus حرام الله dicitur, vid. Gol. Lexic. Arab. p. 601. Neque etiam Æthiopi insolens hoc ሐረመ enim est, *illicitum esse dixit*, sive *censuit*, nomenque ሕሩም፡ *illicitum, sanctum, Deo sacratum*, vid. Lexic. Æthiopic. Nobilissimi, & Cl. Bocharti judicio, omnium Europæorum Æthiop. Linguæ peritissimi Viri, Jobi Ludolfi p. 31.

II. Significatum Hebreæ vocis explicaturus R. Mardochai Nathan in Concord. Hebr. scibit כל שם חרם והנגזר ממנו הן שפירו' הריגה כריתה ואבוד או הקדש או מצורים: *Vox* חרם *& quæ inde derivantur, significant occisionem, excisionem & perditionem, aut rem sacram aut sepositam.* Nempe quemadmodum res, quas DEO sacras esse volebant, quandoque diversissimæ, variaque de causa quoque offerri solitæ: quædam enim DEO consecrabantur, ut ex oculis hominum removerentur, adeoque occidebantur, quædam vero ad usus sacros destinabantur, vel in rei gestæ memoriam in templis adservabantur, de utrisque in Scripturis vox hæc usurpatur. Et quidem posteriori, significatione adhibetur Levit. 27. v. 28. ubi Moses dicit כל חרם אשר יחרים *Omne anathema, quod consecrabit vir Domino ex omnibus quæ ei, ab homine, & animali, & ab agro possessionis ejus, non vendetur neque redimetur:* כל חרם *omne anathema sanctitatas sanctitatum ipsum Domino.* Hic Targ. Hierosolymitan. pro חרם substituit אפרשות quod quamlibet *oblationem*, תרומה, sive de quacunque re separationem notat. Targum Onkeli ubique retinet vocem חרמא. Prior significatione adhiberi videtur statim vers. subseq. 29. ejusd. capitis, quando dicitur. כל חרם מן האדם *Omne anathema, quod devovetur ex homine, non redimetur, morte moriatur.*

III. R. Aben Esra in commentar. ad hunc locum, provocat ad Num. 21. 1. seq. ubi Israel contra Chananæos præliaturus, votum vovit Domino: Si tradendo tradideris populum istum in manum meam, והחרמתי את עריהם Chald. ואגמר ית קרויהון *morti & internecioni devovebo urbes eorum*, quod ipsum præstiterunt, cum & homines & civitates eorum anathematizarunt, unde & locus iste, propter populum anathemate deletum, *chorma* sive anathema dictus fuit. Esse autem חרם hoc, cujus mentio fit in v. 29. diversum ab eo cujus in v. 28. exinde quoque clare patet, quod priori versu requiratur, ut id, quod devovebatur, sit in potestate ejus qui devovebat, hoc enim sacris usibus, & Sacerdotibus possidendum tradebatur, adeoque sanctum erat Domino, nec proinde vendendum neque redimendum, cum quod semel Deo dicatum, in prophanos postea usus convertere non liceat: posteriori autem versu simpliciter fit mentio devotamenti facti, licet res devota, nondum esset sub potestate voventis; atque hic mos fuit observatus in hostibus eorumque civitatibus devovendis. v. Num. 21. Jos. 7. &c. Huic anathemati etiam subjecerunt, qui jura militaria violaverant, nam qui Jabes Gilead inhabitarunt, neque ad Mizpa ascenderant, a duodecim millibus invasi & ad internecionem usque cæsi leguntur Judic. 21. Ad hoc quoque Anathema referunt, cum Saul cum Philistæis dimicans, omnes, qui ante noctem aliquid comederent, devovit. vide 1. Samuel. 14. ibidemque R. David. Kimchi. Comment.

VI. Quae de duplici hoc Anathematis sive חרם specie diximus, calculo quoque

que ſuo comprobat R. Iſaac Abarbenel in *Peruſch. hattorah* pag. 275. col. 2. ad verſ. 28. c. 27. Levit. ſcribens, quod hoc verſu requiratur, ut de vovens ſit מחרים *devovens ea quæ in ſua erant poteſtate* & cum fuerint חרמי' לכהני' anathemata Sacerdotibus deſtinata אין להם פריון עוד vel ut R. Moſes Kozenſis in Sepher Mizvoth haggadol, præcept. 132. pag. 195. 2. loquitur לעולם אלא ניתנים לכהנים כתרומה *amplius redimi non poterant, ſed dabantur Sacerdotibus tanquam oblatio*. Ad verſ. autem 29. ita commentatur אבל המחרים מן הארם שאינו שלו כגון הנלחמים על אויביהם ונודרים נדר ליי' אם נתון תתן את העם הזה בידי והחרמתי את עריהם אז ימיתו כל החרם שנמצא בהם כי לא היה דעת הנידר לתתו לכהנים החרם אלא להחרימו בהחלט ולחפסידו ולפי שהיו מיני החרם שנים אם חרם שהוא לתתו לכהן ולא יחזור עוד וחרם מההשחתה וההפסד לכן צותה התורה על כל אחד מהם כי כנגד המין הראשון אמר אך כל חרם אשר יחרים וגו' לא ימכר ולא יגאל לפי שהחרם ההוא הוא קדש קדשים ליי' ומה שהוא קדש ליי' לא ימכר כי הוא אסור בהנאה ולכן החרם הזה הוא לה' בלבד ועל המין השני אמר כל חרם אשר יחרם ליי' מן הארם לא יפדה מות יומת ומזה המין היה חרם יריחו שאם יגיע ליד איש ישראל נפש ארם מהנלכדים שמה לא יוכל לפדות אותו אבל על כל פנים מות יומת אך בחרם שיחרים איש עבדו ליי' לא יומת לך ינתן לחטוב עצים ולשאוב מים ולשרת לכהנים וזהו פשוטו של ענין : h. e. *Verum qui devovit homines, qui non ſunt ſub ſua poteſtate, quemadmodum cum bellum gerunt adverſus hoſtes ſuos, & votum vovent Domino, ſi dederis populum in manum meam, & anathematizabo civitates illorum, tunc occidebatur omne anathema quod inter illos reperiebatur, quoniam non fuit mens devoventis, ad hocce Anathema Sacerdotibus tradendum, ſed abſolute & ſimpliter ad anathematizandum perdendum. Et propterea, quod fuerunt duæ anathematis ſpecies, una, qua quid devovebatur ſacerdotibus, neque redimi poterat, altera internecionis, & perditionis, ideo ſcriptura de unaquaque ſigillatim præcipit. Et de prima quidem ait: Veruntamen, omne anathema, quod quis devoverit &c. non vendatur neque redimatur, quoniam ſcilicet hujuſmodi anathema, eſt ſanctiſſimum Domino. Et quod ita ſacrum eſt Domino, non vendatur, quia prophanis uſibus interdictum eſt. Idcirco anathema hoc tantum eſt Domini. De ſecunda vero ſpecie ait; omne anathema quod devoverit quis ex homine, non redimatur, morte moriatur. Et hujus ſpecie erat Anathema Hierichuntis, ſi nempe inciderit in poteſtatem cujuſpiam Iſraelitæ vita hominis ex eis, qui ibi caperentur, non potuit redimi, ſed omnino morti tradendus erat. Verum, quod ad anathema illud, quo ſervum ſuum quis Domino devoverat, attinet, is morti tradendus non erat ſed dabatur ad ſcindendum ligna hauriendum aquam, & Sacerdotibus inſerviendum. Atqui hic eſt literalis loci illius ſenſus.*

V. In præſentiarum cum de *Cherem* tractationem inſtituimus, in illo ſignificatu intellectum hoc volumus, quatenus notat Excommunicationem Judæis uſitatam: quo in ſenſu nec tum uno ſumitur modo. Uſurpatur enim vel arctius & quatenus opponitur τῷ Niddui & Schammatha, vel generaliori acceptione, qua quamlibet exprimit excommunicationem, quo modo infra in verbis Eliæ Levitæ accipitur, ajentis; tres eſſe ſpecies חרמות anathematum. Nos hoc loco hanc vocem in priori ſumimus ſignificatu, prout reliquis excommunicationum ſpeciebus contradiſtinguitur: notatque nobis graviorem, quam Niddui, excommunicationem, in quam, ſi quis in Niddui pœnitentiam agere nolebat, incidebat, & peragebatur multis cum diris & execrationibus ex Deuteron. 28. & aliunde excerptis.

VI. Differt autem Cherem a Niddui non uno modo. Primum enim Cherem conceptis & expreſſis fiebat maledictionibus atque execrationibus; in Niddui autem nullarum execrationum mentio fiebat. Deinde, qui Cherem notatus, non docebat alios, neque diſcebat cum aliis, ſed ſolus ſolummodo ne doctrinæ ſuæ oblivisceretur, literis operam navare poterat; verum המנורה & docere alios, & cum aliis ſimul operam ſtudiis dare quivit, modo quatuor cubitorum ſpatio inter ſe diſtarent. Tertio, qui in Cherem detinebatur, non conducebat neque conducebatur, quod ipſum tamen excommunicato per Niddui non fuit negatum. Quarto, cum מוחרם, per Cherem excommunicato nullum commercium, nulla conſuetudo erat habenda, at vero cum המנורה anathemate Niddui excommunicato; converſatio non niſi certis legibus fuit prohibita. Quinto, Cherem fieri non poterat, niſi a pluribns, & ad minimum a decem virorum cœtu. Niddui vero ab uno ſolum privatim fieri, imo aliquis ſeipſum per נדוי obligare & ſolvere iterum poterat, nam teſt. Maimon. cap. 7. p. 23. 1. l. c. תלמיד חכם מנדה לעצמו ומיפר לעצמו : *Sapiens ſcipſum poteſt excommunicare & ſeipſum abſolvere*, quod tamen inter prærogativas, quarum plurimas quaſque Legis Divinæ ſtudioſi apud Judæos habuerunt, referendum eſt.

VII.

VII. In anathemate autem hoc infligendo, ſequentia fuiſſe obſervata, memoriæ proditum eſt. Proclamatur coram tota Synagoga, congregatis omnibus Eccleſiæ capitibus & ſenioribus, aut ad minimum decem Viris, ut ex Pirke Elieſer cap. 38. patet. Hoc requiſitum, adeo obſervatu neceſſarium fuit, ut etiam fabulari non erubuerint, novem fratres Joſephi (Rubene abſente) Deum ipſum in conſortium impii ſui Cherem aſſumſiſſe vid. Buxtorff. Lexic. Targ. p. 828. Incendebantur candelæ ac maledictionis forma finita, repente exſtinguebantur, in ſignum quod excommunicatus luce cœleſti ſit indignus. Atque adeo a Synagoga, conventibus & negotiis publicis, ſacris & politicis omnibus המוחרם plane excludebatur, donec reſipiſceret, & ea, quæ ei præſtanda injuncta fuere, præſtaret. vid. ejuſd. Epiſtol. Inſtitut. p. 56. 57. Ad majorem quoque horrorem tum reis tum cœtui Eccleſiæ incutiendum ſolebant etiam cornua ſive buccinas inflare, quod non tantum in Cherem ſed etiam Niddui annuntiando pro ratione circumſtantiarum obſervatum fuit, uti luculentum exemplum exſtat in Kidduſchin cap. 4. Ubi R. Jehudah aliquem, qui contumelioſis verbis ſe laceſſiverat prolatis tubis excommunicaſſe fertur. Ubi de alia excommunicationis ſpecie quam Niddui ſermo eſſe non poteſt. Sic aliquot vicibus in Gemar. ad Mœd. Kat. cap. 3. & R. Aſcher legitur טוט אסר טוט שרי cornu ligat & cornu ſolvit. v. Pfeiffer. decad. 3. Antiquitat. Sacrar. pag. 63. Coccej. ad Sanhedr. pag. 146.

VIII. Forma ſolennis & breviſſima, qua in hoc excommunicationis genere utebantur, hæc erat, referent. Maimon. in hilcoth. Talmud Tora cap. 7. p. 23. פלוני מוחרם וארור בו אלה בו שבועה בו נידוי : N. N. *devotus atque maledictus habeatur. In illo ſit exſecratio, in illo ſit juramentum, in illo ſit anathema.* Quibus verbis quicquid horrendi, ſive DEI vindictam ſive hominum odium, averſationem, deteſtationem, imo omnia, quæ in tota rerum univerſitate, adverſa, tali homini devoto imprecabantur. Nec hac breviori tantum maledictionis formula, ſed interdum etiam multo longiori, & maledictionum atque execrationum myriadibus referta utebantur, qualis generis ex antiquo quodam MS. excerptam nobis reliquid Buxtorff. in Lex. Talmud. p. 828. hac forma. דעת ארוני הארונים יהיה בחרם פב״פ בשני בתי דינים בעליונים ובתחתונים ובחרם קרישי ליונים ובחרם שרפים ואופנים ובחרם כל הקהל גרולים וקטנים ויהיו עליו מכות גרולת ונאהנים וחלאים רבים ומשונים ויהיה ביתו מעון תנים ויאפל מזלו במעונים ויהיה לקצף אף וחרונים ותהיה נבלתו לחיות ופתנים וישמחו עליו קמים ושזטנים כספו וזבו לאחרים נתונים וכל בניו אל פתחי אויביו יהיו מזומנים ועל יומו נשמו אחרונים ויהים מקולל מפי אידירון ואכתריאל ומפי סנדלפון והדרניאל ומפי אבסיסיאל ופתחיאל ומפי שרפיאל וזגנזאל ומפי מיכאל וגבריאל ומפי רפאל ומשרתיאל ויהיה מוחרם מפי צבצביב ומפי הבהביב הוא יי׳ הגדול ומפי שבעים שמותיך של מלך הגדול ומן צד צירטק חותם הגדול. ויובלע כקרח וכעדתו בבהלה ובחפזון תצא נשמתו גערת יי׳ תמית אותו ויחנק כאחיתופל בעצתו וכצרעת גחזי תהיה צרעתו ולא יהוה תקומה למפלתו ובקבורת ישראל לא תהיה קבורתו ולאחרים תנתן אשתו ועליה יכרעון אחרים במותו בזה החרם יהיה פב״פ זזה יהוה נחלתו ועלי ועל כל ישראל יפרוש השם שלומו וברכתו.

IX. *Ex ſententia Domini Dominorum, ſit in anathemate Ploni filius Ploni, in utraque domo judicii, Superorum ſcilicet & Inferorum, in anathemate item Sanctorum excelſorum, in anathemate Seraphim & Ophannim, in anathemate denique totius Eccleſiæ maximorum & minimorum. Sint ſuper ipſum plagæ magnæ & fideles, magni morbi & horribiles. Domus ejus ſit habitaculum draconum: caliginoſum fiat ſydus ejus in nubibus: ſit in indignationem, iram & excandeſcentiam: cadaver ejus objiciatur feris & ſerpentibus: lætentur ſuper ipſo hoſtes & adverſarii: argentum & aurum ipſius dentur aliis: & omnes filii ejus ad oſtium inimicorum ipſius ſint expoſiti: ſuper die ejus obſtupeſcant poſteri. Sit maledictus ex ore Addiriron & Achtariel, ex ore Sandalphon & Hadraniel, ex ore Anſiſiel & Patchiel, ex ore Seraphiel & Saganſael, ex ore Michael & Gabriel, ex ore Raphael & Meſcharetiel. Sit anathematizatus ex ore Zafzavif & ex ore Haſhavif, qui eſt Deus ille magnus, & ex ore ſeptuaginta nominum Regis ter maximi, ex ore denique Tzortak, cancellarii magni. Abſorbeatur ſicut Korah, & cœtus ejus: cum terrore & tremore egrediatur anima ejus: increpatio Domini occidat eum: ſtranguletur ut Achitophel in conſilio ſuo: ſicut lepra Gechaſi ſit lepra ipſius: neque ulla ſit reſurrectio ruinæ ejus: in ſepultura Iſraelis non ſit ſepultura ejus: alienis detur uxor ipſius, & ſuper eam proſtranto ſe alii in morte ejus. In hoc anathemate ſit Ploni filius Ploni, & hæc ſit hæreditas ipſius. Super me autem & ſuper totum Iſrælem expandat Deus pacem & benedictionem ſuam.* Adduntur etiam verſus 18. 19. 20. cap. 29. Deuter.

X. Polixiorem anathematizationis formulam ex libro Juridico, quem כל בו

Colbo,

Colbo, hoc eſt Pandecten nominant, affert Selden. de jur. Nat. & Gent. cap. p. 524. ſeq. in qua itidem plurima Angelorum nomina, eorumque invocationes, & alia Aſtrologica occurrunt, quæ nihil aliud quam phantaſticorum Gabaliſtarum figmenta, & luſiones. An vero horrenda formula, quæ a Buxtorff. ad Cherem refertur, huc ſpectet, an vero ad Schammatha ſive ultimam excommunicationis ſpeciem? non immerito quis dubitare poteſt, quando quidem tantis execrationibus, diris ac maledictionibus, quæ ad Schammatizatum pertinere videntur, abundat; accedit quod omnis quaſi pœnitentiæ via homini iſti obſtruatur cum, dicitur ולא יהיה תקומה למפלתו *neque ulla ſit reſurrectio ruinæ ejus*. Cuthæorum quoque anathematizatio cum recenſetur, in ea nullarum aliarum rerum, quam quarum hic, facta fuit mentio: Fuerunt enim Schammatizati, per nomen, per forum ſuperius & inferius, &c. quæ omnia & hic commemorantur: cum tamen Guthæi abſque ſpe redeundi fuerit ab Eccleſia excommunicati; dicitur enim ואל יתגייר אדם כותי ואין להם חלק בתחיית המתים שנאמר לא להם ולני לבנות בית אלהינו לא בעולם הזה ולא בעולם הבא: *ne proſelyti fierent Cuthæi, neque eis ſit pars in reſurrectione mortuorum, juxta illud quod ſcriptum eſt:* (Eſra 4. 3.) *Non ad vos ſimul nobiſcum attinet inſtauratio domus DEI noſtri. Neque in hoc, neque in futuro ſeculo.* v. Buxtorff: Lexic. Talm. p. 2464. Selden. l. c. p. 521. Ex quibus formulam hanc a Buxt. allatam, ad Schammatha referendam, haud improbabiliter concludi poſſe videtur, qua in re conſentientem quoque habemus Conſtant. l' Empereur in Annotat. ad Betram. de Rep. Ebr. p. 377. qui, hanc formulam nulli alii, quam ultima excommunicatione ſchammatha percuſſo convenire, putat.

XI. Ad מוחרם ſive per Cherem *excommunicatum* quod ſpectat; conditio & ſtatus ejus fuit multo pejor & miſerabilior quam qui fuerat in Niddui, non ſolum quod diras & execrationes quam plurimas ei imprecati fuerint, ſed etiam quod omnimoda fere conſuetudine hominum privatus erat. Nam ut Maimon. cap. 7. p. 23. 1. hilc. Talm. Tor. teſtatur אינו שונה לאחרים ואין שונין לו אבל שונה הוא לעצמו שלא ישכח תלמודו ואינו נשכר ואין נשכרין לו ואין נושאין ונותנין עמו ואין מתעסקין עמו אלא מעט עסק כדי פרנסתו: *Neque docet alios, neque docent eum, ſed ipſe ſemet, ne ſcientiam ſuam obliviſcatur, docere poteſt: neque conducit, neque conducunt eum, neque ullum commercium cum eo habent; neque illius ullam curam gerunt, niſi in quantum ut alatur, ſive ne inedia moriatur.* Nam ne illud fieret; nec tamen aliorum conſuetudine fruique poſſet, faciebant ei חנות קטנה בשביל פרנסתו *tabernaculum ſeu tugurium exiguum in quo ali poſſet*. vid. Gemar. ad Mœd Katon. fol. 15. 1. Neque ſolum in eum qui deliquerat, tam ſevere fuit animadverſum, verum & illi, qui ullam illius curam habebant, præterquam quod illis conceſſum fuerat, graviſſime multabantur, quod ipſum docet Maimon. l. c. מי שיאכל עמו ושותה עמו או מי שיעמוד עמו בארבע אמות מחרימין כדי לייסרו וכדי לעשות סייג לתורה עד שלא יפרצו החוטאים: *Eum, qui comederet cum eo, aut biberet cum eo, aut qui aſſideret ei intra quatuor cubitos, excommunicabant, ut affligerent eum, & facerent ſepem legis talem, qualem peccatores perrumpere non poſſent.* vid. Schylch Aruch. l. c. p. 102. 2. §. 9.

XII. Terminus hujus anathematis non erat fixus & certus, ut in Niddui, ſed ſi ſpes converſionis ac pœnitentiæ ſuper eſſet, המוחרם hoc anathemate tam diu continebatur, uſque dum pœnitentiam agens & ad preces confugiens, ſe ſolvi petiſſet. Hoc niſi fiebat, lata Judicis ſenteotia excommunicatum manebat. ut Maimon. teſt. l. c. ואם ראו בית דין להניח זה בנידוי כמה שנים מניחין כפי רשעו: *ſi Judicio videbatur, excommunicatum aliquot annis manere in hoc anathemate, ratum hoc habebatur ſecundum malitiam ejus.* Solutio hujus anathemati quando fiebat, eodem modo, iiſdem formulis peragebatur, ſive abſens ſive præſens excommunicatus fuerit, ut in Niddui. v. ſect. ſuper §. 13. Hoc tamen diſcrimine obſervato, quod Niddui ab uno quoque ſive privatim ſive publice anathematizationem feciſſet, ſolvi potuerit; Cherem autem a tribus vulgaribus viris tantum, duobus aut etiam ab uno tantum, ſed gravi & probato Viro, ſolvi poterat. v. Maimon. loc. cit. Buxtorff. Lex Talm. p. 828.

CAPUT III.

Quo in originationem vocis שמתה *ejuſque uſum apud Ebræos inquiritur.*

I. DE ultima Excommunicationis ſpecie, quam שמתה *ſchammata* nominant, non una eſt Doctorum ſententia. Numerus ternarius claris quidem ab Elia Levita aſſeritur verbis, quando in Thiſchbi ſub voce שמתה ſcribit שלשה

מיני

מיני חרמות הן נדוי חרם ושמתה ונדוי הוא הרחוק ואם לא היה שב היו מחרימין אותו ואם לא היה שב היו משמתין אותו ופי' שמתה שם מיתה בם׳: h. e. *Tres ſunt ſpecies excommunicationum, Niddui, Cherem & Schammatha. Niddui conſiſtebat in ſegregatione. Quod ſi ita non reſipiſceret, devovebant eum per Cherem. Quod ſi nec tum reſipiſceret, devoverunt eum per Schammatha. Schammatha autem idem denotat, ac ſi dicatur ibi mors, quæ longe a nobis abſit.* In eadem ſententia dicitur eſſe David de Pomis in Lexic. p. 126. 2. Viris tamen quibuſdam in Talmude verſatiſſimis, hocce Eliæ, utpote non tam Talmudiſtæ, quam Grammatici, teſtimonium non videtur uſque adeo ſtringere. Sed potius, cum expreſſis monumentis ex Talmude hæcce tertia ſpecies probata nondum ſit, שמתא idem eſſe cum נדוי contendunt. Quo facit quod in Hebræorum ſcriptis שמתה & נדוי ſæpiſſime inter ſe permutentur, quorum exempla quædam videri poſſunt ap. Buxtorff. in Lexic. Talm. pag. 2468.

II. Verum licet concedamus, in Talmude non diſtingui expreſſe: Communior tamen eſt ſententia Dd. affirmantium. In quorum gratiam in ſcenam producemus R. Salomonem Jarchi, rituum & legum Hebræorum peritiſſimum, adeo ut κατ' ἐξοχὼ dici meruerit: פרשן דתא hoc eſt: מפרש הדת *Interpres legis* v. Buxtorff. abbreviat. pag. 196. Qui, non ſolum ſchammata a Cherem, ſed etiam a Niddui, de quo maxima lis eſt, diſtinxit. A Niddui quidem in Gloſſ. ad Peſachin fol. 52. 1. Edit. Venet. quam ſemper hic allegavimus, cap. 4. ita ſcribens רב תלמיד שסרח היו נמנין להלקותו ולא לנדותו משום דשמתא חמורה וחוששין לכבוד התורה: h. e. *Sapientem, qui aliquid commiſerat, adjudicabant ad flagellationem, & non ad excommunicationem* (ſc. per ſchammatha) *propterea quod ſchammatha res graviſſima, & rationem habebant legis Divinæ*. Ad quæ Buxtorff. in Lexic. Rabb. pag. 2467. notat, quod לנדותו ponatur pro לשמתו, & ita commode ſequitur, quod שמתה Excommunicatio Schammatha ſit res gravior, quam ut ſapientia & Legis Divinæ perito & profeſſori conveniat, quod ipſum teſtatur quoque R. Aſcherin comment. ad Peſachin fol. 134. 3. תשמתא היה חמורה מין המלקות: *Schammatha*, inquiens, *res gravior eſt quam flagellatio*. At vero, ת״ח Niddui etiam Legis ſtudioſus fuit ſubjectus, & licet interdum ratio perſonæ haberetur, quandoquidem Legis Divinæ ſtudioſi multis prærogativis fuerunt præditi, flagellationi autem adjudicari non potuit, cum ita graviori pœnæ fuiſſet ſubjectus, gravior enim pœna eſt ſtudioſos Legis Divinæ flagellis cædi, quam excommunicari, cum hoc ob levem quoque culpam fieri ex cap. 1. §. 7. pateat.

III. A Cherem autem (ſimul & a Niddui) Tò Schammatha diſtingui, patet ex ejuſdem Gloſſa ad Moed Katon. fol. 17. 1. Gemar. מאי שמתה אמר רב שם מיתה ושמואל אמר שממה יהיה ומהניא ביה כיטיחיא בתנורא: *Quid eſt Schammatha? dixit Rab. dicitur quaſi* שם מיתה: *ibi eſt mors. Et Samuel dixit* שממה יהיה: *deſolatio erit, quæ proderit ei ſicut pinguedo fornaci calenti.* Ad quæ R. Salomon Jarchi ſic ſcribit. Erit כשומן שטוחין את התנור ונבלע בחוכה שאין יוצא לעולם כלומר מכהלכל (מכולכל legendum) מאן דמשמתינן ליה דלא נפקא מיניה לעולם: *tanquam pinguedo, qua illinunt fornacem, in cujus medio abſorbetur, quia in æternum non exit, quaſi dicas, conſumtus & perditus eſt quem per Schammatha devovemus, quia inde non evadit in æternum.* At vero per Niddui & Cherem rejectos recipi poſſe uno ore affirmant. Concludimus igitur ex iſta comparatione & verbis R. Jarchi, שמתה, quamvis non ita frequenter, ſubinde tamen ultimam eamque graviſſimam excommunicationem denotare.

IV. Hiſce jungi poteſt R. Gerſom natione Gallus, ac communiter מאור הגולה *lumen captivitatis* dictus, qui obiit Anno Chriſti 1070. Hic aliorum literas reſignantes excommunicavit per tres anathematis ſpecies, quod adhuc Judæis in uſu, cum ſuperſcriptioni, literas quaſdam, ſuperne virgula notatas ſubjiciunt, inter quas & hæ בנח״ש, hoc eſt, excommunicati ſint qui alienas aperiunt literas per anathemata נדוי חרם & שמתה, poſitis omnibus ſpeciebus ad prohibitionem exaggerandam, adduntur & aliæ execrationes, quas videre eſt ap. Buxtorff. Epiſt. Inſtit. p. 59. Accedit quod in libro Tanchuma, cit. Buxtorff. Lexic. Talm. p. 2464. expreſſe trium ſpecierum anathematis mentio fiat, cum dicitur quod Judæi ומחרימין ומשמתין ומנדין את הכותיים: & *anathemate cherem, & Schammata & Niddui excommunicaverint Cuthæos.* Hiſce teſtimoniis aliqui ſuffulti, ſatis probabiliter ſe ex iis, ſchammata interdum a Niddui & Cherem diſtingui, adeoque peculiarem, eamque ultimam Excommunicationis ſpeciem conſtituere, evincere poſſe exiſtimant.

V. Etymologiam hujus vocis שמתא quod attinet, circa eam Autores non reperies ὁμοψήφυς. Sunt enim quidam, quibus hanc vocem derivare lubet ex שם

&

& מיתה quasi dic. *ibi mors*, putantes, hujus excommunicationis reum & mortis reum esse, quod, si de morte civili intelligatur, oppido falsum est. Alii existimant שמתה, dici, quasi שממה יהיה *desolatio erit*, hancque originationem R. Samuel supr. §. 3. protulit. Verum allusiones hæ magis sunt, quam veræ etymologiæ. Alii probabiliorem arripentes opinionem dicunt, vocem hanc esse compositam ex השם sive שמא, quod apud Rabbinos nomen DEI tetragrammaton designat, & אתא *venit*, præterito pro futuro posito, hocque hac voce notari: Dominus DEUS certissime veniet, & ulciscetur. Atque adeo respectum haberi ad illud Apostoli 1. Cor. 16. 22. si quis non amat *Dominum nostrum* ܡܪܢ Jesum Christum, esto ܚܪܡܐ anathema ܡܪܢ ܐܬܐ Maranatha: hic Syriacum exprimunt, Dominus veniet. Verum licet Apostolum ad anathema sive excommunicationis quoddam genus his digitum intendere, libentissime concedamus. שמתה tamen habere originem ex שם & אתה correspondent. Syr. ܡܪܢ ܐܬܐ adeoque notare, Dominus veniet, probabile nobis non est, quandoquidem congruentior derivatio, imo radix unde nomen hoc derivari potest, sese offerat.

VI. Derivamus igitur hanc vocem שמתה ex R. שמת, quæ radix, licet in Scripturis non inveniatur, in Paraphrasibus tamen, in Talmude, & scriptis Rabbinorum habetur, obtinetque significationem *exclusionis*, *separationis & segregationis*. In Arabica lingua adhuc residuum est verbum شمت quod inter alias significationes adhuc in 2d. conjugat. significationem anathematizationis habere testatur Gol. in Lexic. Arabic. p. 1309. & commutata inter se ش & س vocabulum شميت dicitur de invocatione DEI super aliqua re. Vid. eund. p. 1210. quæ omnes acceptiones anathematī huic bene possunt applicari. Huic originationi calculum suum quoque addit Const. L' Empereur in Annot. ad Betram. de Rep. Hebr. quando. pag. 371. refert. Erpenium hoc verbum شمت in not. ad proverb. 56. lib. 1. a se edit. interpretari per, *despicere*, imo *vituperare*, *fœdum facere*, cui consentit Valent. Schindlerus in Lexic. Pentaglot. p. 1900. & tandem concludit. h. m. *Hinc Talmudistæ suum* שמת *desumserunt*: *quo ignominiosam ejectionem a cœtu exprimere solent*.

VII. Est autem Schammata, extrema eaque gravissima excommunicatio, qua homo post omnia, incassum tamen, adhibita media, humanæ societatis juribus, legibus, officiis, commerciis & conversationibus exclusus judicio Divino totaliter relinquebatur atque destinabatur. Quemadmodum autem hæc pœna, cum quis ab omni hominum societate & conversatione separatur, gravissima, ita hæc quoque pœna, nulli nisi graviter peccasset, & contumaciter, spretis omnibus adhortationibus & reliquis castigationibus, in peccato suo persisteret, inflicta fuit. Quod ipsum testantur R. Ascher in comment. ad Pesach in fol. 134. 3. quando ait אין משמתינן אלא על דבר חמור: *non schammatizamus aliquem nisi propter rem gravissimam*. Et R. Salomon Jarchi in supr. allegat. דשמתה חמורה: *Schammatha est res gravis*. Imo homo ille fuit tanquam pinguedo illita candenti fornaci, quæ statim in fumos abit, nec unquam recolligitur, sic etiam talis excommunicatus nunquam ad Ecclesiæ cœtum se iterum recepit, verum pertinax in sua malitia & impœnitentia permansit, adeoque spes nulla conversionis affulsit. Cum igitur excommunicatio sive schammatizatio adeo gravis, noluerunt etiam patres illius Ecclesiæ statim hanc homini peccatori denunciare, sed prius levioribus quibusdam pœnis, & admonitionibus, nempe objurgatione, quam excepit Niddui, deinde Cherem, eum afflixerunt, ne quicquam, quo peccatoris conversio promoveri posset, intentatum relinquerent.

VIII. Verum ut sunt hominum ingenia a nativitate ad malum prona, ita quandoque tales fuere inventi, qui toti a Satana occupati & obsessi, nullis admonitionibus, nullis adhortationibus, nullis pœnis ad peccatorum suorum agnitionem perduci potuerunt. Hi igitur, ne & alios in exitium trahant, secundum Poetæ effatum.

> --- --- *immedicabile vulnus*
> *Ense recidendum est ne pars sincera trahatur.*

A reliquo Ecclesiæ cœtu & conversatione segregebantur, & Justissimi DEI Judicio, quem aliquando futurum, omnesque bonos & malos, illos remunerando, hos damnando ad æternum & inextinguibilem ignem, judicaturum credebant, relinquebantur. Hujus excommunicationis vestigia reperiri putant in 2. Tim. 4.

Tim. 4. 14. ubi Paulus Timotheum, ut Alexandrum devitet, admonet, quandoquidem non ſolum ſibi mala multa intuliſſet, ſed etiam Evengelio DEI reſtitiſſet; propterea rependat ipſi DEUS ſecundum opeta ipſius.

IX. Bonavent. Cornel. Bertram. de Rep. Hebr. cap. 1. p. 21. refert: Chanochum ſeptimum ab Adamo, cum Caini poſteros in pejus ruere, & DEI filios ſeu populum DEI in dies magis ac magis ab antiqua puritate deſciſcere, vidiſſet, Anathema illud ſolenne ſuæ ætatis hominibus propoſuiſſe, quod extat apud Judam verſ. 15. Ecce ἦλθε κύριος Syr. ܐܬܐ ܡܪܝܐ *venit Dominus* in ſanctis millibus ſuis, facere judicium contra omnes, & redarguere omnes impios eorum, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt &c. Quibus verbis anathema illud, cujus Paulus 1. Cor. 16. v. 22. meminit, indigitari putat, imo Maran atha ex illius prophetiæ verbis eſſe deſumtum. Quando autem Judas ſimpliciter adhibet vocem Κύριος *Dominus*, deinde autem dictum Maran, *κύριος ἡμῶν*, ex idiotiſmo linguæ Aramicæ factum contendit. *Aramæi enim*, inquit, *præſertim Syri, pro* Κύριος *dicunt* מרן *id eſt Dominus noſter, ubi Hebræi dicunt* אדוני *id eſt Domini mei, abundante utrobique pronomine, tam Græcis quam Latinis.*

X. Quod autem Maran atha cujus meminit Paulus 1. Cor. 16. 22. attinet, circa ejus originationem variæ reperiuntur ſententiæ. Sunt qui Maran atha pro una habent voce, junctimque efferunt, putantes hanc quidem vocem eſſe Syriacam ſed τεχνικῶς, qua animi execrantis magis notetur geſtus, quam exprimatur ſenſus. Verum hos falli omnes codices, cum Græci, qui conſtanter *μαρὰ ἀθὰ* legunt, tum Syriaci qui haſce voces ܡܪܢ ܐܬܐ ſejungunt, neque adeo autoritatem & conſenſum codicum in dubium vocare licet, demonſtrant. Alii idem quod *ἀνάθεμα* eſſe concedunt, vocem tamen Hebraicam eſſe contendunt, & quemadmodum dicitur, Abba Pater, ſic & anathema, Maran atha dicendum; & ita legendum, non Maran atha, ſed מוחרם מותה, ut denotet rem execrandam morti addictam. Et hoc ſequitur Lutherus: qui ita reddit, ſo jemand den HERRN. JEſum Chriſt nicht lieb hat/ der ſey anathema Maharam motha/ & in ſcholio ſubjuncto. Bann auff Teutſch/ anathema auff Griechiſch/ Maharam auff Ebreiſch/ iſt ein Ding. Mota aber heiſſet Tod/ und wil Paulus ſagen: Wer Chriſtum nicht lieb hat/ der iſt verbannet zum Todt. Hanc interpretationem & aliæ quæque verſiones ſunt amplexæ, cum autem de etymologia vocum harum, Maranatha nobis jam ſit quæſtio, non videtur alluſio hæc, quod legendum ſit quaſi מחרם מותה quod magis ſenſus explicatur, nodum ſolvere. Aliis, vocem tantum Hebraicam eſſe, videtur, legendumque מחרם אתה *tu ſis maledictus*, verum ita lectum non denotat maledictum, ſed maledicentem, eſt enim participium activum, & in paſſivo legendum מוחרם, quod tamen adhuc longe diſtat a Maran. vid. Glaſſ. lib. 1. Philol. Sacr. tract. 4. ſect. 2. Canon. 4. pag. 236. Alii priorem vocem *maran*, pro Syra agnoſcunt, *atha* tamen pro hebræa habent. Verum licet verbum אתה in bibliis inveniatur, Syris tamen æque ſit uſitatum, non videtur, Autores unam vocem ex Syriaca, alteram ex Hebræa lingua deſumſiſſe: accedit, cum hæc vox in uſu eſſe conſuevit, Hebræam linguam jam tum deſiiſſe.

XI. Neque de voce Maran conſentiunt; & quidem quod ad ultimam literam Nun pertinet, putant quidam, illud eſſe paragogicum tantum, adeoque ſimpliciter verti debere *Dominus*. Alii literam illam agnoſcunt pro ſuffixo, quod vocibus apud Syros adjectum, *noſter*, ſignificat, vertuntque hanc vocem, *Dominus noſter*. Inprimis autem lapſus fuit Vir quidam magni nominis, cujus meminit Hackſpan. in Obſervat. Arabico-Syriac. p. 177. §. 9. Cujus verba hæc ſunt. *Videtur Syriacum* Maram, *præpoſita litera heemanthi ab* Aram *deſcendere, qui erat filius Sem, a quo Aramia ſeu Armenia, quæ poſtea vocata eſt, Syria, ut apparet Gen. 10. v. 22. ut Syri ad generis ſui auctorem reſpicientes, Deum & Dominum nominarint* Maram, *ſicut idolum* Maram, *quod Arami fuit, ſuo adhuc tempore extitiſſe in Phœnicia, teſtatur Hieronymus.*

XII. Verum licet concedere poſſimus, Syros idolum aliquod, cui nomen *Maram*, coluiſſe, quod confirmat *Marnas* Gazæorum Deus, quod & ܡܪܢܢܫ & ܡܪܢܫܐ ſcribitur, hoc eſt, *Dominus hominum*, quaſi πατὴρ ἀνδρῶν, ut Jupiter Poetis dicitur, vide Selden. de Dis Syr. ſynt. 2. cap. 1. p. 215. ܡܪܢ tamen ab ܐܪܡ filio Semi, a quo Aramia, Armenia, dicitur, originem traxiſſe, non videtur probabile. Primum enim non legitur Maram, ſed Maran cum Nun in fine.

Mim

Mim in Maram non eſt ſervilis ſed radicalis litera : at vero Nun in Maran quomodocunque explicetur eſt ſervile. Deinde licet Mim apud Hebræos ſæpiſſime in initio vocis adjiciatur, apud Syros tamen, talis litera abit in literam radicalem: quemadmodum ex voce ܡܪܝܐ videre eſt, quæ derivata ex Hebræa ירה, a qua, adjecta litera heemantica, ם fit מורה Doctor, Dominus: apud Syros autem ם illud fit radicale. vid. Schiodler. Lexic. Pentagl. p. 1035.

XIII. Variis igitur variorum ſententiis allatis tandem concludimus, ambas has voces eſſe Syriacas: Et ad priorem quidem quod attinet, eam eſſe ejuſdem formationis & terminationis, cujus רב & רבן, ſic quoque מר & מרן, quorum illud multo inferius quam hoc, nam ut in halichot olam, edit. ab l' Emper. p. 25. legitur גדול מרב רבי וגדול מר׳ רבן וגדול מרבן שמו: *Rabbi excellentior titulus eſt quam Rabb, Rabban major quam Rabbi. at ſimplex nomen ejus, majus quam Rabban.* Et quidem titulus Rabban adeo fuit illuſtris, ut tantum ſeptem Hillelis poſteri eo inſigniti legantur. vid. Buxtorff. in abbrev. Hebraic. p. 173. Mar autem eſſe nomen Syriacum ſive Babylonicum, patet itidem ex cit. loc. halich. olam. כל רב ומר מבבל וכל רבי מארץ ישראל: *quicunque dicitur Rab ſive Mar ille eſt ex Babylone, qui vero Rabbi, ille eſt ex terra Iſraelitica.* Quæ vero ratio eſt inter Rab, Rabbi, & Rabban, eadem quoque obtinet inter Mar & Maran. Mar enim de omnibus ſapientibus promiſcue uſurpatum fuit. At vero Maran non niſi de ſummo Doctore & Sapiente, qui præerat reliquis ſapientibus, quem etiamnum communiter Rabbini vocant מורנו Morenu, (Doctorem noſtrum) uſurparunt. Hinc quoque Chriſtus vocatur. ܡܪܢ An vero Tò Nun in hac voce tantum ſit paragogicum, an vero etiam vices pronominis ſuſtineat, diſquirere parum refert; poſito enim quod ſit paragogicum, ſummus tamen erit titulus, quem ad Chriſtum quoque referri poſſe, nihil prohibet. Si vero erit Nun pronominale, neque ita emphaſi carebit. Et certe quod Elias objicit, dicendum tunc eſſe מרנן; ſi a מרן derivatur, verum eſt: at nihil obſtat quo minus a ſimplici מר & in ſtatu emphatico ܡܪܝܐ, abjecta terminatione Emphatica, ut apud Syros fieri conſuevit, & adjecto Nun pronominali, derivetur. Poſterior vox *atha* tam Syris quam Ebræis, Chaldæis, Talmudiſtis, Rabbinis, Arabibus eſt in uſu: Nec plane, abludit Æthiops. illi enim ሐተወ፡ ſignificat, *domum abire*, diciturque de actione durante & nondum finita.

XIV. Denotati autem per has voces excommucationis quandam ſpeciem, communis Interpretum fere eſt ſententia. Hinc Tremell. in not. ad. 1. Cor. 16. 22. *nihil*, inquit, *mihi occurrit hactenus magis conſentaneum aut aptum, quam ut his verbis extrema anathematis formula attingatur, quia extremæ Chriſti, mundi judicis, condemnationi, abſque ſpe veniæ, addicebatur peccator*, Et paucis interjectis. *Hac igitur ſolenni formula, Maran atha, Dominus venit, priſca Eccleſia docuit ſe omnibus ſui officii partibus erga virum ejuſmodi perfunctam eſſe, & deinceps ab eo de communi conſilio abſtinere, eumque Dei judicio, atque adventui, ut deploratæ inter homines ſpei, permittere.* Huic ſententiæ adſtipulatur Beza ad h. l. Glaſſius in Philol. Sacr. p. 236. l. 1. Buxtorff. in Lexic. Chald. p. 1249. & in Inſt. Epiſt. Hebr. p. 58. Schindler. p. 1035. Leuſden. in Joel. explic. p. 57. Pfeiffer. in decad. 3. antiquitat. Sacr. p. 68. Walther. in Harm. Bibl. p. 1147. Druſ. in annot. ad l. c. Mayer. in Prod. Chaldaiſmi Sacri p. 415. & alii complures.

XV. Formula, qua in hac ſchammatizatione uſi ſint Judæi; nulla reperitur expreſſa neque in Moed Katon, neque in Maimon. neque in Schylchan Aruch, neque in comment. R. Aſcher. ex eo forſan quod infrequens fuerit hæc excommunicatio, adeo ut uſurpatam eſſe vix conſtet, teſt. quoque Bonav. Corn. Bertram. cap. 7. p. 84. quando h. m. ſcribit: *hujus anathematis non ita ſemper nota eſt nobis ratio, uſus eſt etiam rariſſimus.* Si vero uſurpata fuit, ſatis probabile eſt, quod & in ſuper. ſect. §. 10. monuimus, formulam illam, quæ a Buxtorff. ad Cherem refertur, aut etiam prolixiorem illam quæ a Selden. l. c. p. 524. ſeq. affertur, mutatis, pro re nata, mutandis, hic quoque fuiſſe adhibitam, ſatis enim dirarum & execrationum in ea continentur, adeo ut vel legenti horrorem incutere poſſint, ne dicam de aliis probabilitatis ſignis quæ formulam ſupra allegat. perlegenti non poſſunt eſſe non manifeſta.

XVI. Prius autem, quam Maran atha dimittamus, non poſſumus quin commentum aliquod pulchrum, cujus meminit Selden. de Jur. Nat. & Gent. Juxt. Diſcipl. Ebræor. cap. 9. p. 546. ex Jacob.

cob. Simanca de Catholica Institut. tit. 27. §. 8. hic apponamus. *Quidam*, inquit, *hanc sive fabulam sive historiam retulit; Maranatha anathematis significationem induit ex illo eventu, quia Judæi gloriantes de venturo Messia dicere solebant vulgo*, Maran, *hoc est*, *Dominus noster: contra quos Christiani dicebant*, Maran atha, *Dominus noster venit. Hinc inimicitia orta inter Christianos & Judæos, quorum in ore erat Maran, quos per contemtum Christiani Maranitas vocabant, & illis obtrudebant, Maran atha, id est, Dominus noster venit vel invitis vobis, irridentes eos & illis male precantes. Unde apud nostrates vulgo* Maranos *appellant eos, qui ex Judæis descendentes apostatæ facti sunt, Messiam suum exspectantes.* Hæc satis bene, si ita vere.

XVII. Sed hæc hactenus de usitata quondam apud Judæos Excommunicatione: in quibus, si alicubi aberraverimus, satis enim periculosa & salebrosa est via procedendi in Talmude, adeo ut sæpissime cum Talmudistis ingemiscendum sit illud תיקו h. e. תשבי יתרץ קשיות ובעיות *Tischbi* (Elias venturus) *solvet objectiones & quæstiones*, a candido tamen Lectore veniam nos impetraturos speramus, cum homines simus, & juxta Barclaj. part. 3. Satyr. p. 424. *nimis superbe dedignatur mortalitatem, qui peccasse erubescit*. Si autem melioram & solidiora fuerimus edocti, iis assentiri non renuemus, nam ut Abi Ismaelis Tograji in Lamiato 'l Ajam vers. 3. meum faciam.

فيم الاقامة بالزورا لا سكني
بها ولا ناقتي فيها ولا جملي

Cur maneam Zauræ? non habitaculum meum
In ea, neque camela mea, nec camelus meus.

JOH. ADAMI OSIANDRI
DISSERTATIO
DE
ASYLIS HEBRÆORUM.

ΣΥΝ ΘΕΩ!

Quanti sit Sanguis humanus in oculis divinis ipse DEUS ostendit in verbo, partim illum qui effundit temere pœnæ subjiciendo, partim innocenti, qui absque dolo occidit cavendo; de priore quidem Genes. IX. hæc leguntur verba:* Effundens sanguinem hominis, per hominem Sanguis ejus effundetur. *Quæ verba non per modum prædictionis, sed præcepti esse accipienda, contra Photinianos jam pridem ostenderunt nostri Theologi, utut in futuro enuntiata; cum solemne sit Hebræis Præcepta hoc modo enunciare: quod non tantum Decalogus docet, sed & verba illa Exod. 21. 12. ubi de Homicida dicitur:* Moriendo morietur, *h. e.* interficitor. *De posteriori vero* Num. XXXV. Deut. IV. & XIX. *nec non Josuæ vigesimo capite. Ex quibus locis delibaturi, quæ ad præsens argumentum faciunt, DEUM, qui nostrum REFUGIUM, solicitamus, ut adspiret cœptis, & Spiritu suo nos ducat in semitam veritatis.*

THESIS I.

LOCA, quæ quondam subveniebant Innocentiæ in Populo Judæo dicta sunt Hebræis ערי מקלט Urbes Receptus, sive Perfugii. LXX. Interpretibus φυγαδεῖα, φυγαδευτήρια, καταφυγαί. Asylorum fit quoque passim mentio apud Scriptores. Ita ἄσυλος τόπος dicitur 2. *Macc.* 4. ἄσυλος γῆ apud Euripidem, ἄσυλος τράπεζα apud Synesium Epist. 58. Quanquam vero Covarruvias lib. 11. variarum Resolutionum cap. XX. a συρῶν deductam velit hanc vocem, vix tamen hoc admittendum esse videtur, quum commodius derivetur a verbo συλᾶν, rapere, spoliare, violare, cui præfixa particula privativa α, designat vel personam, vel rem vel locum aliquem inviolabilem, inspoliatum & a præda immunem.

II. Fuerunt autem urbes Confugii *Bosor* in solitudine, quæ sita est in terra campestri in Tribu Ruben, & *Ramoth* in Galaad, quæ est in tribu Gad; &

Golan in Basan, quæ est in Tribu Manasse, ut constat ex *Deuter.* 4. *v.* 43. nec non *Cades* in Galilæa Montis Naphtali, & *Sichem* in monte Ephraiim & *Kirjath Arba*, sive *Herbon* in monte Juda, quod docet locus *Josuæ c.* 20. *v.* 7.

III. Prima itaque Urbs receptus fuit *Bosor* in solitudine, Hebraice & Chaldaice dicta בצר Bezer, & notat vel *in Augustia*, ut vult Hieronymus, vel ex rad. בצר Bazar, *roborare*, *turrim munitam*, quod non displicet Chytræo; Græce Βόσορ, postea a Pœnis dicta est Byrsa, quod fuit Carthaginis nomen, de quo Virgilius 1. Æneidos:

> ---- --- *ingentia cernes*
> *Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem,*
> *Mercatique solum facti de nomine Byrsam.*

Hieronymus dicit hanc esse *Hostram*, Metropolin Arabiæ: Verum non legendum esse Hostra sed *Botsra*, ostendit non tantum locus *Jeremiæ* 48. *v.* 24. sed & Eusebius, qui habet Βόσρα. Erat vero ex Civitatibus Levitarum attributa Filiis Merari inferioris conditionis, in illo ordine, ut constat ex *Josua* 21. *v.* 34. 36. & 1. *Par.* 6. 77. & 78. & mentio illius fit *Deut.* 4. *v.* 43. *Josuæ* 20. *v.* 6. *cap.* 21. *v.* 39. 1. *Par.* 6. *v.* 78. 1. *Maccab.* 5. *v.* 26. 28. 36. Commendatur præterea a magnitudine & munitione 1. *Macc.* 5. *v.* 26. Distincta a Bosra Idumæorum, de qua *Esaias* 63. *v.* 1. an autem tertia quædam fuerit in tribu Manasse, ut vult Caspar Sanctius, merito dubitatur: tum quia Socii religionis Masius & Castrus non nisi duas agnoscunt; tum quia urbs, illa, quæ jungitur Gauloni in Basan non dicitur Bosra, sed Botser, sed Behesterah, græce Βεεσθερά, & 1. *Paralip.* 6. *v.* 71. Astharoth tum quia reliqui Interpretes hic discedunt.

IV. Dicitur hæc Urbs in solitudine, quæ sita sit in terra compestri de Tribu Rubeni videatur *Deuter. capitis* 4. *v.* 43. & *Josuæ capitis* 20. *v.* 8. addatur etiam *versiculus* 78. 1. *Paralip. cap.* 6. ubi quoque describitur a solitudine, in qua sita. Editio Sixtina legit βοσὸρ ἐν τῇ ἐρήμῳ τῇν μισὼ, *Bosor in deserto Miso*, manifesto errore: non enim legitur hæc vox vel in Hebræo textu vel Chaldæo Interprete. 2. Ipsi Græci Codices, Complutenses & Regii illam non habent. 3. Nullum desertum in Scripturis occurrit, quod Miso dicitur, & prorsus, si licet conjicere, deceptus fuit Pontifex voce מישר *Mischor*, quæ notat *planitiem*, & legitur *Deut.* 4. *v.* 43. Eo ipso autem, quo asseritur, illam sitam fuisse in terra campestri, sive solitudine & planitie. Nec obstat, quod dicatur 1. *Macchab.* 1. munita & magna, cum etiam tales dentur in plano, & eo magis muniantur, attollantur turribus, & mœnibus firmentur, quo magis Solum depressum, nec dubium Masio, hanc urbem fuisse in planitie Moabitica, juxta illud *Jeremiæ* 48. *v.* 24. *Adveniet Judicium & in Kerijothas, & in Botzram, denique in omnes civitates terræ Moabi in eas, quæ longinquæ & in eas quæ propinquæ sunt.* De tribu vero Ruben dicitur, quia in Sorte illius, & cum nulla fuerit æque illustris in hac tribu, ideoque hæc electa est in Refugium, utpote magna & ædificata in campestri planitie, ut & facilis esset accessus & conspectus illius amplissimus. Falsum itaque quod sibi finxit Hieronymus, nisi sit Error Librarii, vel memoriæ lapsus scribens: *Bosor in deserto trans Jordanem, quæ cecidit in sortem Tribus Ruben ad Orientalem plagam Hierichus, civitas Sacerdotalis & fugitivorum*; partim quia nulla Sacerdotalis Urbs fuit in Tribu Ruben, sed omnes & singulæ in tribu Juda & Benjamin; partim, quia ubi mentio fit illarum Urbium Refugii, nunquam laudantur ut Sacerdotales; sed vel simpliciter recensentur, vel ita circumscribuntur, ut Levitarum fuisse facile deprehendi possit.

V. Altera Urbium fuit *Ramoth* in Galaad, quæ quibusdam notat *Excelsum*, q. d. Specula, quibusdam *Visionem mortis*: prior etymologia placet Bedæ, utramque jungit Hieronymus. Græcis vocata Ῥαμὼθ, vel etiam, Ῥαμμὼθ. Josepho Arimanus vel Arimna. Videatur ipse lib. XIV. Antiq. Cap. V. Distincta fuit a *Ramoth in Tribu Isaschar*, de qua *Josuæ* 19. *v.* 21. & 1. *Paralip.* 6. *v.* 34. 73. alias dicta Jaramoth. *Josuæ* 21. *v.* 29. & ab illa quæ in tribu Juda vel Simeonis ad Meridiem, de qua 1. *Reg.* 30. *v.* 27. Dicitur autem cum adposito Ramoth in Galaad, *quæ est in tribu Gad*. Tota quippe Tribus *Gad* in Galaaditide. Erat Levitica quoque, non Sacerdotalis; ut volunt Eusebius & Hieronymus, hanc quondam Syriæ Reges Belli jure suam fecerunt; ex intentione vero illam recuperandi Achabus vitam amisit. Unctus etiam fuit hic *Jehu* in Regem Israel, de quo 1. *Paral.* 6. 1. *Reg.* 22. 2. *Paralip.* 18. *v.* 22. 2. *Reg.* 8. *v.* 9. hodie obscurissima, quæ illustris quondam & jam tempore Hieronymi & Eusebii vicus seu villa juxta flumen Jaboc.

VI. Tertia fuit *Golan in Basan*, quæ in tribu Menasse. Variat hoc nomen & modo Golan, nunc Golam, nunc

Gau-

Gaulana, Gaulane, Gaulademan, & Gaulalin dicitur. Quidam volunt notare *transmigrationem*, quidam *volutationem*, quidam *revelatum* ſive *manifeſtum*. Qui cum Hieronymo reſpiciunt ad radicem גלל galal, *volvere*, priorem eligunt ſignificationem: qui vero cum Aria Montano ad rad. גלה galah attendunt, quæ notat diſcooperire & revelare, poſteriorem præferunt. Sunt qui exponunt per *Cumulum*. Græcis dicitur vel Γαυλών vel Γωλάν. Sita fuit hæc in Baſan, regione paſcuis pingui, ubi Oppida Jair; & ab hac denominata fuit tota regio circumjacens *Gaulonitis*. Recte quoque Adrichomius illam adſignandam eſſe ſtatuit Levitis. Ab Alexandro Rege Judæorum, teſte Joſepho lib. XIII. Antiquit. Cap. XXI. de B. J. cap. 4. fuit ſubacta; nec non poſtea Regio ipſa, una cum Trachonitide, Batanea & Paneade ab Herode filio Philippi teſtamento legata. Degeneravit quoque a priſtino Splendore, atque tempore Hieronymi villæ nomine venit, & pertinuit ad dimidiam tribum Menaſſeh.

VII. Hæ urbes fuerunt I. Phraſi ſcripturæ trans Jordanem, quum potius dicendum videatur oppoſitum, nempe cis illud flumen fuiſſe, cum in regione fuerint Amorrhæorum, quam ante ingreſſum in terram Canaan Iſraelitæ ſubjugarunt. Verum cum dicuntur trans Jordanem ſitæ, non hoc ita accipiendum reſpectu Moyſis in Campeſtribus Moabitarum hærentis & hæc conſtituentis, ſed reſpectu Populi jam habitantis in Canaan. II. fuerunt ad Orientalem plagam. At hoc iterum videtur repugnare veritati, cum potius ratione regnorum Sihonis & Ogi cis Jordanem fuerint, ad Occidentalem plagam. Sed & hoc facile diluitur, nam, aut comparantur ad terram Canaan aut ad regna prius commemorata: ſi primum; utique fuerunt ad Orientalem plagam comparate ſcil. ad regionem trans Jordanem, unde etiam dicuntur contra Orientalem plagam Jerichus *Joſ.* 20. *v.* 8. ſi vero ſecundum; non negamus occidentales fuiſſe has urbes. Omnem vero ἐναντιοφανίαν diverſitas reſpectus tollit. III. dicuntur fuiſſe de tribu Ruben, in tribu Gad & in tribu Manaſſe, quod non ita accipiendum ratione finis, quaſi Boſor deſtinata fuiſſet tantum fugitivis Rubenitis, Ramoth Gaditis, Golan Manaſſæis, quo quidem vergit LXX. Interpretum minus accurata Verſio: ſed ratione ſitus & loci, in quo unaquæque harum fuit ædificata, ut obſervant Interpretes.

VIII. Nec tribus his acquievit benignum Numen, ſed tres alias addidit in terra Canaan, quarum prima *Cades* in *Galilæa* Montis Naphtali, & *Sichem* in *Monte Ephraiim* & *Kiriath-Arba* in monte Juda, ut non tantum conſtat ex *Numeror.* 35. *v.* 14. ſed & *Joſuæ* 20. *v.* 7.

IX. Prima itaque fuit *Kedes* קדש Sanctitas. LXX. habent ΚΑΔΕΣ. Fuit autem hæc urbs Levitica, non Sacerdotalis, ut voluerunt Euſebius & Hieronymus; magna & munita, ob agri adjacentis Ubertatem nullis non rebus abundans, Joſepho dicta Cadeſa, alias Seſecha & Tarſa vocata; diſtincta ab illa quæ erat in Tribu Iſſachar: quanquam & hæc Levitarum fuerit. 1. *Paral.* 6. *verſ.* 72. & ab alia ejuſd. nominis in Tribu Judæ, cujus fit mentio *Joſuæ* 15. *verſ.* 23. ſita in Galilæa, & ita, ut conformiter Scripturæ vult Hieronymus, ſuper montem Nephtalim, quæ illius tempore Cidiſſus appellabatur in viceſimo Tyri milliario juxta Paneadem.

X. Secunda fuit *Sichem* in monte Ephraiim שכם *portio* vel *humerus terræ*. Unde quando *Gen.* 48. legitur: *Do tibi partem unam*, in Hebræo eſt: ואני נתתי לך שכם אחד על אחיך: LXX. legunt Σίχιμα: Qui putant Sichen notare non tam partem, quam humerum; exiſtimant reſpici ad elevationem hujus urbis, quum ſita fuerit in Monte Ephraiim, & Garizim atque Hebal eidem imminuerint; Quanquam alii contra Melanchthonem dictam eſſe volunt a Sichem Filio Hemor; tempore Chriſti corrupte vocabatur *Sichar*; itidem Levitica; quam Euſebius & Hieronymus diſtinguunt ab alia Synonyma in Tribu Manaſſe, in qua Oſſa Joſephi ſepulta ſint; ſed fruſtra: quum ipſi agnoſcant ſitam fuiſſe hanc urbem in Monte Ephraiim, & in prædio ſuburbano illius condita fuerint oſſa Joſephi, ut conſtat ex *Joſuæ* 24. *verſ.* 31. exciſa quidem fuit ab Abimelecho *Judic.* 9. reſtituta vero a Jeroboamo, qui ibidem ſedem fixit Regiam 1. *Reg.* 12. *verſ.* 25. a poſtrema reſtauratione vocata eſt *Neapolis*, quam & Matortham ab indigenis adpellatam ſcribit Joſephus; nunc vero dicitur, *Peloſa* ſeu *Napoloſa*. Non tamen diſſimulandum Neapolim diſtingui & aliquantum loco ſejungi a Sichem ſecundum Hieronymum, Breidenbachium & Adrichomium.

XI. Tertia fuit *Kirjath-Arba*, in monte Juda, in Hebræo קרית ארבע *Civitas quadruplex*, ſecundum Hieronymum. LXX. ἀρβὸ habent. Quam Hieronymus ſtatuit ſic dictam a quatuor Patriarchis Abraham, Iſaac, Jacob & Adamo,

mo, ibidem ſepultis. At hæc ſententia ſe ipſam conficit. Si enim Adam conditus fuit in loco Calvariæ, ut quidem non abnuunt illi, non potuit ſepultus eſſe in Ebron, cum ultra ſex milliaria hæc diſſita fuerit ab urbe Hieroſolyma. II. Dicta fuit hæc Urbs *Ciriath-arba* tempore jam Abrahami. Quomodo autem de Sepultura Abrahami, Iſaaci & Jahacobi, qui ſane illo nondum ſepulti? III. Si ponamus, ita dictam adpellative πετράπολιν; num confeſtim concludi poterit; ergo propter illos Adamum, Abrahamum, Iſaacum & Jacobum, ibidem ſepultos ita vocata eſt. Erunt alii, qui cum Rabbinis hoc referant ad Sepulturam quatuor Gigantum Enak, Schelchai, Ahiman, Thalmai, de quibus *Joſuæ* 15. *verſ.* 13. & 14. Erunt, qui ex quatuor partibus, in quas diviſa hæc Civitas etymologice explicabunt. Erunt qui ad habitationem quatuor illuſtrium virorum referent, Aner. ſc. Eſcol, Mambre & Abrahami; vel tandem ad Fœminas celebres, Evam, Saram, Rebeccam & Liam ibidem ſepultas. Imo veriſimile quibuſdam duodecim Patriarchas Hebrone ſepultos. Commodius itaque loquuntur, qui Ciriath-Arbe exponunt *Civitatem Arbe*, qui Pater fuit *Hanaki*, famoſiſſimi Gigantum Patriarchæ, de quo poſteri omnes Gigantes *Hanakitæ* adpellati ſunt. Dicta fuit alias quoque *Chebron* a Chebron, nepote Calebi; & fuit Urbs Sacerdotalis, ut docet libri *Joſuæ caput* 21. *v.* 10. & 11. antiquiſſima terræ Chanaan; condita quippe ſeptem annis ante Tanim Ægypti Urbem; ſita, ut Benjamin Tudelenſis oſtendit, in Monte: in valle vero ager fuit in quo מכפלה *Duplicitas* h. e. gemina veluti vallicula, ubi monumenta antiquæ domus Patris Abrahæ adhuc extitiſſe, & fontem ante illam ſcaturire adſerit. Epiſcopalem fuiſſe ſedem, cum Latini terram ſanctam occupaſſent, ſtatuit Adrichomius, cujus Epiſcopatus titulum uſurpet nunc ſibi ſuffraganeus Epiſcopi Trajectenſis; ornaſſe etiam locum antea Helenam, Conſtantini Matrem, Templo ſplendidiſſimo ibidem extructo citato loco addit.

XII. An utem hic non adeo certum eſt inter Doctores. Quidam exiſtimant inhærendum præciſe Senario: idque ideo, quia talium determinate ſemper fit mentio, vel ratione diſtributionis in tres transjordanas, & tres Ciſjordanas, vel ratione numerationis ſpecificæ, ut videre eſt. *Numer.* 35. *verſ.* 13. & 14. *Deuter.* 4. *verſ.* 41. 42. 43. *Joſuæ* 20. *verſ.* 7. & 8. Quidam volunt, in univerſum, tres, ſcilicet trans Jordanem, tres citra Jordanem, & tres in terra verſus Euphraten expugnanda. Diſerte enim dicitur *Deuteron.* 29. *verſ.* 8. & 9. *Cum dilataverit Dominus DEUS tuus terminos tuos, quemadmodum juramento promiſit majoribus tuis, & dederit tibi totam illam terram, quam promiſit, ſe daturum majoribus tuis; Siquidem obſerves totum præceptum hoc, faciendo illud quod ego præcipio tibi hodie, diligendo Jehovam DEUM tuum & ambulando per vias ejus omnibus diebus: tum adjicies tibi amplius tres civitates ad tres iſtas.* Imo cum *Joſuæ* 21. *verſ.* 1. quinque numerentur Urbes Confugii in ſola Tribu Ephraiim, & duæ aliæ in Tribu Manaſſe trans Jordanem *verſic.* 27. tres in Tribu Naphtali *verſic.* 35. quatuor vel quinque in Tribu GAD, unde colligunt de reliquis etiam Urbibus, utut non addatur vox Confugii, eſſe id intelligendum, adde 1. *Paral.* 7. *verſ.* 57. & 67.

XIII. Prima ſententia nititur authoritate Scripturæ, cui tamen ſecunda, ſi dextre explicetur, non repugnat. Aut enim intelligitur de numero actu extiturarum Urbium in tractu terræ occupandæ abſolute, aut de numero Urbium conſtituendarum, ſuppoſita conditione dilatationis ad Euphraten & Mare rubrum. Si prius: ſtatuendum eſſe cenſemus ſex tantum fuiſſe, tres cis ac totidem trans Jordanem Urbes; tum quia nulla additio unquam legitur facta, nulla nomina occurrunt trium additarum Urbium, aperte vero Senarius determinatur *Joſ.* 20. *verſ.* 7. 8. tum quia Iſraelitarum fines nunquam ita fuerunt dilatati, ut attigerint Euphraten habitando extra cisjordaninam & transjordanam regionem a Joſua ipſis adſignatam in terra flumini celeberrimo vicina; tum quia locus ille *Deuteron.* 19. nondum videtur eſſe ita liquidus, ut ſtabiliat opinionem Novenarii. Sunt enim Interpretes qui eum accipiunt, non de additione trium extra transjordanam regionem ſed de trium illarum in regione trans jordanenſi comparate ad cisjordanas, jam conſtitutas, & demum poſt tranſitum addendas, quo pacto tantum fuiſſe tres citimas & tres ultra amnem concludendum erit. Verum conceſſo quod agatur de aliis Urbibus extra hunc numerum, ut quidem concedimus, nondum erit evictum, actu illas additas fuiſſe ſex prioribus: quia ſub conditione tantum deſignatur ille numerus non tantum dilatationis ſed & obſervationis mandatorum, quæ, cum defecerit in Iſraelitis, etiam id quod ſuperſtructum fuit, non fuiſſe impletum, facile colligitur. Unde etiam ex Patribus Ambroſius lib. de fuga ſeculi, cap. II. nec pauciores nec plures fuiſſe aſſerit aſſignatas quam ſex, ex Ro-

Romano-Catholicis Alphonsus Tostatus, non difficile esse dici, omnes Urbes refugii fuisse solum sex aperte fatetur; & ex Recutitis *Rambam Tom. IV. Tract. de Legibus & Bellis cap. XI.* nunquam factum esse, nec præcepisse *Deum* B. quicquam frustra, expresse statuit. Si posterius, textus est evidens, nec non Paraphrasis Judæorum, Romano-Catholicorum & Orthodoxorum. Rabbi enim Solomon admittit tria in futurum ex hoc Textu, cui consonant Nicolai Lyræ & Dionysii Carthusiani exegeses, nec non B. nostri Brenti & Proavi, qui omnino hic videndus; nec abnuunt Calviniani Drusius, Piscator & alii.

XIV. Nondum tamen omnis difficultas sublata. Nam quum conditio dilatationis fuerit adimpleta, tempore Davidis & Solomonis ad minimum tunc tres fuisse adjectas, concludendum videtur; quid quod quidam hanc Dilatationem non accipiunt de illa, quæ porrigere se debuit usque ad Euphraten, sed de illa, quæ intra terminos Canaan facta, sensim excindendo incolas, quos uno impetu nec sternere poterant, nec debebant, juxta illud *Deuteron. 7. vers.* 22. At si dilatatio hæc facta fuit sub Regibus felicibus, Bello & pace inclytis, Davide scil. & Solomone, cur quæso ne vestigium additarum trium Urbium Confugii? *Secundo*; dilatatio facta sub Davide & Solomone, non fuit *possessionis* sed *subjectionis*: non enim David, & Solomon gentes vicinas devictas solo expulerunt, coloniis ex habitato a Judæis, eo deductis, sed subjugarunt & tributa imposuerunt. An enim unquam Syriam occuparunt hi Reges, ut ejectis incolis ibidem sedem fixerint Israelitæ? *Tertio*, dilatationem illam esse accipiendam, non de illa, quæ intra fines terræ Canaan, sed eam quæ extra eam est, exinde constare potest, quia actu nunquam extiterunt illæ Urbes Refugii in terra Canaan, quæ existere tamen debuissent, si conditio dilatationis respiceret terram Canaan, ut argumenta supra adducta evincunt; & dilatationem illam ultra fines Cananæorum esse extendendam in circumjacentes regiones & Euphrate terminatas luculenter promissiones divinæ ostendunt *Genes.* 15. *vers.* 18. *Exod.* 23. *vers.* 31. *Deuteron.* 1. *vers.* 7. & *cap.* 11. *vers.* 27. quod etiam observavit Hieronymus *in Epist.* 129. ad Dardanum. Unde non subscribimus R. Salomoni, in quantum asserit, actu contigisse, ut Urbes illæ designarentur, nec Dionysio Carthusiano, in quantum refert hoc ad tempora Davidis & Solomonis, nec Kimchio illis ὁμοψήφῳ.

XV. Illa autem opinio, quæ Urbes XLVIII. Levitarum vult fuisse Asyla fundo caret. Quanquam enim videatur favere *Cap. Josuæ* 21. penitius tamen inspectum nihil confert huic sententiæ. Nam *primo* posito omnes Urbes Leviticas dici ibidem Urbes Confugii, nondum tamen est consequens omnes propterea habuisse Jus Asyli. Potuerunt enim dici Urbes Confugii alio sensu, ut sc. quis in illas reciperet se pressus vel mentis scrupulo vel adversarii cujusdam potentia, ut ibidem vel consilio vel auxilio eidem subveniretur; *Secundo*; quamvis nolumus negare vocem מקלט esse emphaticam, nec generali tantum Receptus nomine accipiendam, nihilominus nondum confectum erit negotium. Nam *Josuæ* 21. in Hebræo non habetur ערי מקלט Are Miklat, *Urbes Refugii* in plurali, sed in singulari עיר & refertur hæc vox ad urbem tantum illam proximam, quæ nominatur e. g. *in versic.* 21. ad Sichem *in versic.* 27. ad Golan, & sic consequenter. Unde potius sententia recepta de sex Urbibus Asylis, tantum existentibus in terra Canaan stabilitur, & hoc Jus ad illas restringendum esse colligitur, vitiumque Vulgatæ, luculenter deprehenditur, quo quidem modo etiam exponitur locus *ex l. Paralip. septimo* adductus. *Tertio*; ita circumscribuntur illæ Urbes Asyli, tum ratione numeri, tum ratione distantiæ, tum ratione viarum, ut attendenti facile constet, illas solas hoc privilegio, hoc Jure fuisse præ cæteris omnibus gavisas.

XVI. Nullum itaque præsidium in Scripturis. Rabbinorum autem num subveniant copiæ illis, qui privilegium hoc tam late extendunt disputari potest. Sane Majemonides ex veteribus confidenter affirmat, Universas Urbes Levitarum fuisse Urbes Refugii, nullam earum fuisse, quæ non hoc gravisa fuerit privilegio. *Nam*, inquit, *& in Lege dicitur. Ultra has dabitis quoque 42. civitates, ut scil. omnes Civitates sint 48. Civitates, ita pares facit Scriptura universas simul sibi invicem, quantum ad Refugii seu Asyli jus.* An autem hoc commentum Rabbinicum sit satis liquidum & certum, merito dubitatur. Nam, ut supra ostensum, præter sex illas nullius fit mentio alibi. *Secundo* testimonium, quo nititur Majemonides infirmum est; nec verba sonant, quod vult Rabbinorum ΑΛΦΑ. non enim dicitur *Num.* 35. *v.* 6. & ultra dabitis quadraginta Civitates, ut sint Asyla, sed, *de ipsis oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sangui-*

guinem, & exceptis his alia quadraginta duo oppida ſc. dabitis, ita ut præter Sex dicta Oppida ſint quadraginta duo, quæ cedant Levitis. *Tertio*; Si indulgeamus hic aliquid Rabbinicæ fidei, diſtinguendum erit inter Civitates, quæ Jus Aſyli habuerunt ſtricte & late; nec, ſi quocunque modo participarunt Urbes Leviticæ reliquæ, inter Aſyla ordinaria erunt computandæ, id quod ipſi Hebræi obſervant, qui VI. illas urbes talia fuiſſe aſyla adſerunt, ut nefas fuerit vindici ſanguinis ibidem homicidam occidere; cæteras vero potuiſſe quidem recipere fugitivum, excludere tamen quoque pro Arbitrio. Diſerte Majemonides: *Diſcrimen inter Urbes refugii eo nomine ſignantius adſignatas & reliquas Levitarum Urbes erat hujuſmodi, ut ſcil. illæ Jure Aſyli gauderent, ſive vellent ſive nollent incolæ: adeo, ut ſimulac ingrederetur in earum aliquam homicida, tutus eſſet; hæ vero non niſi vellent incolæ, ſed pro earum arbitrio*. Addunt, Homicidam in Urbium aliqua ſignantius refugii cauſa adſignatarum, Domicilium abſque mercede habuiſſe, in cæteris vero Domino ædium mercedem ab eo fuiſſe ſolvendam.

XVII. Vidimus Numerum, pergimus ad *Tempus*, quod ſignant loca *Deuteronomii* 4. *v*. 41. *cap*. 19. *v*. 1. & 2. & tandem *Joſuæ* 20. *v*. 1. 2. 7. 8. ex quibus conſtat tres ciſamnanas fuiſſe ab ipſo Moſe circa finem vitæ ſeparatas, tres itidem tranjordaninas a Joſua, qui ingreſſus terram ſanctam poſt occupationem illius. Quanquam enim *Joſue* 20. dicatur demum: *Separate Urbes fugitivorum*, verſiculo ſecundo, ſeptimo & octavo recenſeatur executio, quod ſc. decreverint tres cis & totidem trans Jordanem: evidens tamen eſt ex loco *Deuter*. 4. *v*. 41. jam tempore Moſis fuiſſe trans Jordanicas, utut in Hebræo legatur verbum futuri temporis יבדיל & pariter apud *Chaldæum*, cum poſſit habere ſignificationem præteriti vel imperfecti, vel perfecti, nec enim eſt inſolitum, vocem אז in verbis convertere temporis ſignificationem, ut ex Aben-Eſra docet Buxtorf. Theſaur. Lib. II. cap. XIX. Unde etiam LXX. Interpretes uſi fuerunt verbo ἀφώρισε. Verba autem *Joſuæ* 20. *cap*. non obſtant, nam, vel cum B. Proavo dicendum a Moſe fuiſſe deſignatas has Urbes; a Joſua vero illas conſtitutas, & ab Iſraelitis conſecratas in Aſyla homicidarum, quem juvat Textus Habræus; dicitur enim, *Iſrælitas ſanctificaſſe Kedes in Galilæa &c.* vel Urbes cisjordaninas fuiſſe a Moſe quidem conſtitutas, ſed a Joſua confirmatas; vel denique perfectam ſecutam eſſe Urbium harum Collectionem, atque Civitatibus ciſamnanis additas fuiſſe a Joſua transjordanenſes tres; adeoque tum temporis completum fuiſſe numerum juxta voluntatem divinam terra jam diviſa per ſortes, & unicuique Tribui ſua aſſignata ſede. Diſputari quoque poteſt hic num prius fuerint Urbes fugitivorum ſeparatæ, an vero Levitarum: prius colligi videtur ex *Numer. cap*. 35. *v*. 2. & 6. Veriſimilius quidam putant, prius fugitivorum urbes ſeparatas ex *Joſuæ* 20. & *ſequenti Capite*, ubi hiſtorica relatio eo duxit hærentes.

XVIII. Quæri inſuper ſolet, & populi electi introductionem in cisjordanam & transjordanam Regionem cum tamen non credibile nullum fuiſſe commiſſum homicidium, cui non ſubveniri debuerit benigno aliquo medio? De anterioribus temporibus & egreſſu Iſrælitarum ex Ægypto nihil conſtat. In deſerto tamen, cum multitudo populi oberraret, & tabernaculum jam extructum colligitur *primo* ex *Exod*. 21. *v*. 13. & 14. dicitur enim ſatis clare: *Si quis non quæſiverit quemquam, ſed* Deus, *ipſe abjecerit manui ejus, conſtituam tibi locum quo confugiat. Quum autem quis arrogaverit contra proximum ſuum occidere eum aſtu, etiam ab altari meo rapito eum ad mortem*. Hic Deus in futurum proſpicit, & promittit ſe conſtituturum locum in quem fugere debeat homicida, de præſenti autem ſanxit, fore Aſylum occiſori Altare; neque enim avelli potuiſſet ab altari doloſus homicida, niſi ſupponeretur fuiſſe illud locum Confugii illo tempore pro non doloſis non avellendis proinde ab illo. *Secundo*; Si jam conſtitutis Urbibus Refugii, Altare adhuc retinuit jus Aſyli, colligi poterit quamprimum illud extructum fuit, Deum hoc privilegio illud ornaſſe. Antecedens autem conſtat ex 2. *Regum* 2. *v*. 28. ubi *Joab* dicitur fugiſſe in tabernaculum Domini & adprehendiſſe cornu Altaris, quo ſane non confugiſſet, niſi eo fugere etiam conſuetum fuiſſet, vel ſperaſſet a loco aliquam immunitatem; nec Benajas ſcrupulo aliquo fuiſſet retardatus ab interfectione illius, ſecundum mandatum Regis, niſi in ea quoque ſententia fuiſſet, locum eſſe ſanctum & aliquando præſtare poſſe tutamen eo confugientibus. *Tertio*; ipſi RR. agnoſcunt hoc Jus obtinuiſſe in Altari; quanquam videantur nimium extendere, dum etiam Caſtra Levitarum hoc privilegio gaviſa fuiſſe ſtatuunt.

XIX. Utut autem ita probabiliter diſputari poſſit, non tamen deſunt rationes in

in oppositum. Nam *primo* cum Deus sufficienter prospexerit populo Confugii Urbibus, sitis commodo loco, distributis per omnem Regionem, viis ad illud ducentibus complanatis, ut facile quilibet undiquaque ad earum aliquam potuerit confugere, non videtur opus fuisse ut hoc jure ornaret Altare aut Templum; neque si fuissent, Asylum commodum fuissent illis, qui extra Hierosolymam, dissiti ab Urbe habitarunt; nec, vel Tabernaculum vel Templum adeo amplum erat, ut sufficeret homicidarum recipiendorum multitudini. *Secundo*; quia diserte præceptum, ut involuntarii homicidæ, postquam apud judices suæ civitatis innocentiam suam probassent, remitterentur ad Urbem, ad quam confugerunt, & manerent ibidem usque ad summi Sacerdotis obitum. Num vero credibile, confugam hæsisse in Templo apud Altare tam diu, non ausum fuisse egredi, homicidam cæteros potuisse aut debuisse in Officio sacro remorari? *Tertio*; occisione pollutio & immundities aliqua contrahebatur, ut constat ex *Num.* 35. qua non modo ingredi Sanctuarium, sed etiam prope accedere prohibitum. Nolumus quidem morose refragari huic Sententiæ: rationes tamen adductæ quomodo solide concludant, nondum videmus. Prima enim non urget; quia Deus non tantum non deficit in necessariis, sed quandoque etiam liberalem se exhibet in abundantibus: neque si Oculus unus sufficit ad videndum, alter censendus erit superfluus, prætcrea, si multum concluditur, hoc obtinetur constitutis jam Urbibus Confugii, non fuisse Templum aut Altare Asylum, quid vero fiet de populo oberrante adhuc in Deserto, nec nisi Tabernaculum & Altare habente? denique etsi dissitis non profuerit, tamen Incolis Urbis populo osissimæ in tali casu conduxit. Secunda quoque ratio non stringit. Nam, quæ lex producitur, agit de illis qui ad Urbes confugerant, non de illis, qui in Templo vel Altari aliquod præsidium quæsiverant; nec probabile illos debuisse manere intra Templi septa usque ad mortem summi Pontificis; sed extemporali hoc Remedio fuisse usos, dispiciente deinde Collegio Sapientum, quid de talibus fieri oporteret. Præterea potuerunt involuntarii Homicide eo confugere, & postea cognita caussa ad Urbium aliquam Refugii remitti, ut in illa manerent ad præfixum a Deo terminum. *Tertio*; quod de involuntariis homicidis dicitur, nondum liquidum esse censemus. Neque enim illi fuerunt immunditia aliqua conspersi, sed voluntarii, vi loci *Num.* 35. ubi dicitur *hanc maculam non abstergi nisi saguine illius qui sanguinem fudit* & cum dissentientes admittant de facto & ex consuetudine servatam fuisse Templo immunitatem, planum est illud confugientes fuisse ingressos, nec a Sacerdotibus fuisse exclusos.

XX. De Modo vario harum Urbium quoque dispiciendum, & quidem I. quantum ad Constitutionem, dicitur *Numeror.* 35. *vers.* 11. *Decernite, quæ urbes esse debeant.* Quod quidam, attendentes ad verbum קרה *Ke ab*, *redidcrunt contignate, facite ut tigna coaptentur, coagmententur*, cum vox קרה alias quoque tignum aut trabem notet. Quidam commodius, quanquam barbare, reddunt *Urbificate*, *Civificate*, cum vox קריה notet quoque Civitatem. Et quidem erant separandæ hæ Urbes transjordanenses in medio terræ; non quasi medium Mathematicum vel Physicum debuerint obtinere, quod neque cum descriprione convenit, nec fugitivis fuisset commodum: sed phrasi hebræa *intra terram* scil. transjordanensem, quam DEUS dispersis gentibus traditurus erat. Præterea ita erant sitæ, ut æquali spatio distarent. *Deuter.* 19. *v.* 3. & 7. non nimium vicinæ, nec nimium distantes, ut ex omni parte pateret aditus, & commode confugere eo posset Percussor; neque tantum ita per proportionem distabat una pars illarum, sed utraque, tum cisjordanina, tum transjordanina; imo ipsæ hæ quoque urbes cis & trans jordanem inter se, ut posset aliquis homicida, qui cis jordanem, fugere ad transjordanensem & vicissim. Unde Fagius ex RR. refert, has Civitates æquali spatio ab invicem fuisse dissitas, ita ut æquale spatium a Meridie Hebron, & ab Hebron ad Sichem, a Sichem ad Cadesch, a Cadesch ad Aquilonem. Et quamvis supra notaverimus, non omnes fuisse montanas: pleræque tamen excelsis eminuerunt locis, ut essent instar Phari, & eminus videri possent. Secundo, quantum ad Accessus præparationem, dicitur *Deuter.* 19. *vers.* 3. *Sternes diligenter viam*, ne ullum esset obstaculum, quod fugitivum moraretur, & fuga facilitaretur. In Hebræo habetur vox חכן quæ notat aptari, disponi, rectificari, in Niphal, & firmari; unde nomen Columnæ. Templi Solomonici, יכין *Jachin*, a robore vel firmitate. LXX. Interpretes habent στόχασταίστοι, quasi diceres, conjecta; quamvis στοχὰς & στοχασμὸς sit Polluci strues ex materia aut lapidibus ad æquanda loca concava & inæqualia, in quibus tenduntur ipsæ plagæ sive retia. Unde quidam volunt στόχασται hoc loco idem esse,

esse, quod reddere viam æqualem. An autem via solum complananda, an vero etiam lapidibus sternenda, nondum definitum est in Senatu eruditorum, prius placet Episcopio, qui scribit: *Itinera ad has Urbes ducentia complanari Deus voluit, ut homicidæ innoxio, facilis ac tuta esset etiam in hyeme fuga, & ubique obvium refugium*, quo vergit quoque Commentarius B. Proavi. Posterius aliis, qui existimant, cum optimus modus viam firmandi sit per lapides stratos, *Deum* hunc innuisse. Quanquam autem verbum Hebræum notet quoque *firmare*, & ad viæ æqualitatem plurimum conferat ut sternatur; unde celebres ab Urbe Roma per longissima spatia stratæ viæ, Appia, Flaminia, Æmilia, Latina, Vaticana, Aurelia &c. cum tamen generaliter accipi possit verbum Hebræum, de dispositione, aptatione & directione viæ; malumus in generali ratione acquiescere, quam ad specialem citra testimonia Scripturæ descendere. Alias vero ut omnia facilitati itineris subservirent Hebræi, in quibus scriptum ac bene magnis characteribus exaratum conspici potuerit מקלט *Miqulath* q. d. Refugium; ne in fugiendo uspiam aut hæreret aut erraret innoxiæ cædis autor, & dirigeretur eo commodius ad Civitatem, in qua tutus latere poterat, observant. Quo etiam facit, si verum quod Hebræi produnt, quod fugienti homicidæ duo aut, qui adversarium sanguinis Autorem, si forte in itinere occurreret blandis verbis & admonitionibus arcerent, ne quid violentius nondum caussa discussa in homicidam conaretur. *Tertio*; si Fagio fides, oportuit illas Urbes ad commoditatem commorandi non nimis esse parvas, ne deficerent victui necessaria, nec etiam nimis magnas, ne forte per frequentiam hominum eo confluentium, ut fit in magnis urbibus vindex sanguinis, propinqui scilicet occisi, urbem non observatus intraret, atque fugitivo ibi exsulanti insidias strueret: sed urbes debuisse esse mediocres statuit easdem oportuisse esse in loco, in quo erat aquarum copia, sin minus aliunde aqua adducebatur. Fuisse eas in loco ubi sæpius nundinæ haberentur quo eo facilius potuerint haberi cibaria, & reliqua necessaria, si opus fuisset, ut in vicinia multi pagi essent ad arcendum adversarium, si forte stipatus exercitu veniens, vi vellet urbem ingredi & occidere homicidam, si civitas refugii destituta esset civibus & incolis, aliunde Sacerdotes, Levitas & Israelitas fuisse accersitos, nec licuisse in hujusmodi civitatibus parare arma bellica, nec venatoria, nec retia, nec funes, aut aliquid tale, ne vindex sanguinis sub prætextu aliquid emendi in urbem veniret, atque ita homicidam opprimeret; denique necesse fuisse, cives urbis refugii homicidæ venienti parare aliquod artificium, quo vitæ necessaria sibi comparare posset, id quod colligunt ex verbis *vers.* 4. Hac vero de causa, homicida illuc fugere debet, ut vivat, h. e. præparetur ei, unde victum habere possit.

XXI. Si vero progrediamur & quæramus, *quibus fuerint hæ Urbes constitutæ, quorum bono fuerint in Republica Judaica hoc jure dotatæ*, liquida erit ex sacris responsio. Nam *Num.* 35. *v.* 11. dicitur: *Decernite quæ Urbes esse debeant in præsidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderunt*. In Hebræo & Chaldæo legitur בשגגה Bischgagah. LXX. Interpretes, habent ἀκουσίως, *involuntarie*. Consimiliter *Deut.* 19. *v.* 4. determinatur Subjectum quod hoc Privilegio dignum. Verba textus ita sonant: *Qui percusserit proximum suum nesciens, & qui heri & nudius tertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur*, & subjicitur exemplum *vers.* 5. In Hebræo legitur בבלי דעת bibli-daath, *in non*, sive *sine scientia*. LXX. iterum vocem ἀκουσίως usurpant. Optime autem hæc verba exposuit B. Proavus scribens p. 262. *Hæc erit Lex, Hebræi homicidæ fugientis, cujus vita servanda est*, i. e. *Si quis velit gaudere eo Urbis privilegio, necesse est, ut ejus causa ad infra scriptum modum sese habeat: nimirum qui percusserit, seu interfecerit proximum suum nesciens* i. e. *non data opera, sed fortuito casu*. Denique *Josuæ* 20. *vers.* 3. dicitur, *ut confugiat ad Urbes refugii, quicunque animam percusserit nesciens*. in Hebræo iterum בשגגה in ignorantia, & apud LXX. ἀκουσίως.

Non itaque securitas ulla erat voluntariis Homicidis a *Deo* concessa, neque in Urbibus præsidium, sed potius Lex Divina in oppositum disponebat, ut dolosus homicida ab altari avelleretur ad mortem. *Exod.* 21. *vers.* 12. & 14. & qui ferro percussisset, vel lapidem jecisset, vel ligno læsisset, subjiciebatur Vindicis propinqui occisi potestati, ut & qui per odium occidisset, ut constat ex *Numer.* 35. *vers.* 16. 17. 18. 19. 20. 21. imo Joabus geminæ cædis reus, utut confugisset ad altare & sibi spem quandam fecerit, nihilominus tamen occisus fuit 1. *Reg.* 2. *vers.* 28. nec II. constituta erant asyla crimine aliquo alio contaminatis furibus sc. adulteris & istiusmodi furfuris hominibus; imo si quis etiam hic per necessitatem vel errorem peccasset, non

non tamen Urbs receptus eidem ſubveniebat: ex. gr. ſi quis in paupertate extrema, vel gravi, aut extremæ proxima aliquid ſubduxiſſet alieni, vel rem habuiſſet cum aliqua, quam ignorabat alteri vel deſponſatam vel maritatam, non patebat illi Urbium prædictarum ulla; idque ideo, quia poterat differri negotium & diſcuti in judicio, nec præſens erat periculum, ut in homicidio a Vindice ſanguinis, cujus manibus & menti exacerbatæ hac ratione fuit ſubmovendus. III. Non erant Aſyla in ſnbſidium illis, qui voluntarie quidem occidiſſent, ſed ſub moderamine inculpatæ tutelæ, defendendo & vim vi repellendo. Quanquam enim quidam cenſeant, & illos receptaſſe urbes refugii, quia privilegia dilatanda, hoc tamen diſcrimine, quod non expectata Pontificis morte liberum fuerit tali ſe ipſum defendenti abire quocunque vellet, modo cauſſa fuiſſet ventilata & judicum ſententia fuiſſet abſolutus iſtiuſmodi percuſſor: deſtituitur tamen hæc ſententia ſolido aliquo ex Scripturis argumento. *Secundo*; eo ipſo quo Urbes Confugii ita conſtitutæ ſint, ut homicida maneat intra illarum aliquam ad mortem uſque Pontificis, mera cenſenda erit hariolatio illa de caſu neceſſariæ defenſionis, & libera abeundi facultate. *Tertio*; ſi aliquid hic indulgendum Analogiæ, non tamen concludendum erit, illis, qui defendendo ſeſe alios occidebant, univerſaliter Jus habuiſſe Aſyli, vel potius debuiſſe confugere ad Urbes Miklat; ſed illos tantum, de quorum defenſione inculpata nondum conſtabat, ut propterea ipſis quoque idem periculum incubuerit; aliam vero rationem fuiſſe, nec opus fuga, ſicubi notorie vel manifeſte homicidium commiſſum ex caſu meræ ac ſubidæ defenſionis.

XXIII. Qualitas Homicidii, cui cautum eſt Urbium illarum deſignatione, ſecundum Hebræos ita ſe habet, ut diſtinguant in homicidio involuntario patratum ex errore vel ignorantia ſimplici, atque infortunio, non tamen abſque culpa levi imprudentiæ vel negligentiæ. *Secundo*; patratum caſu mero, qui in rebus humanis raro evenire ſolet. *Tertio*; in patratum ex errore quodam aut ignorantia, quæ tamen prope accedit ad id, quod ſpontaneum eſt vel voluntarium. Primi exemplum illis eſt, abiens cum aliquo in Silvam ad ligna cædenda, ſi in ſuccisione lignorum ſecuris fugerit manu, ferrumque lapſum de manubrio amicum ejus percuſſerit, de quo *Deuteron.* 19. *verſ.* 5. Alterius exemplum exhibent in aliquo, qui dum ſcalam aſcendit, forte delabens in quempiam illo ipſo caſu illi mortem infert. Tertium denique exemplum illis eſt, ſi quis alterum occidere volens, alterum jactu aliterve perimit, aut ubi jactu vel ſaxi vel teli in hominum cœtum, cujus nec ignarus qui jecerit quis occiſus, adeoque intervenerit culpa latiſſima, non conſtitutam fuiſſe Urbem Refugii tertiæ ſpeciei conſtanter adſerunt, nec ſalus ulla in φυγαδευτηρίῳ iſtiuſmodi Homicidæ ſi Majemonidem audimus nec in ſecunda ſpecie, ſecundum illos, opus erat aſyli præſidio, ſed liber erat talis ab exilio ſeu migratione in Urbem Refugii, & ſi eum interimeret Vindex ſanguinis, ipſe eo nomine ultimo puniendus ſupplicio. Verum primæ unice φυγαδευτήριον ſubveniebat, & quidem ſi percuſſus ſtatim moreretur, nec ex vulnere ſeu ictu langueret.

XXIV. Num autem omnino ſit ſubſcribendum Judæorum Magiſtris, merito dubitatur. Nam I. ad primam ſpeciem referunt locum *Exod.* 21. v. 3. ubi dicitur: *Qui non eſt inſidiatus, ſed* Deus *illum tradidit in manus ejus, conſtituam tibi locum, in quem fugere debeat*. Agi autem hic non de culpoſo aliquo Homicidio ſed caſuali, conſtat ex ipſo textu, quia removetur ita omnis cauſa ab homine, ut Deus ſolus conſtituatur ille, qui cauſarit illud homicidium, occaſionarit, interfectoris manibus deſtinarit, & occidere fecerit percutientem, ut quidem verbum אנה innah, latiſſimæ ſignificationis exponitur. Adeoque hic tale Homicidium deſcribitur, quod ſola Providentia factum, homine nihil cooperante, cum alias etiam voluntaria non fiant abſque Providentia, nec tamen ea phraſis illis aptari poſſit. Videatur Auguſtinus Quæſtione 79. Ex ipſa ulterius Magiſtrorum ſententia putant recutiti, agi hic de traditione alicujus in manum potentiori, ob latentem aliquam cauſam, ſi flagitium ſcilicet ab illo patratum ſit, utut dignum exterminio, nec punitum a Magiſtratu. Utut autem ſi univerſaliter ita pronuncietur, non conſentiamus illis, nihilominus colligi poteſt talem occidi ab ipſo Deo, homine ſaltem manum commodante, quæ plane a culpa immunis eſſe poteſt, & exequi quod Carnifex in foro humano. Ex Interpretum denique conſenſu. Nam & Romano-Catholici & Calviniani hunc textum accipiunt de homicidio caſuali; nec non ex noſtris B. Brentius cum cæteris Orthodoxis: II. In Dicto ex *Cap.* 35. *verſic.* 22. habetur expreſſe בפתע bephethah, quod quamvis vertant, ad momentum, ſubite; repente plerique tamen

men reddunt *casu*, sive *fortuito*. Denique etiam locus *Deuteronomii* de casuali accipitur, a nostris & diversæ quoque Religionis Theologis, qui comparant exemplum ibidem propositum, cum casu qui habetur in Canone Concilii Tiburiensis XXXVI. qui talis: *Si contingat duo fratres simul arborem succidere, sive in sylva, sive alio in loco, & cadente arbore alter alteri Fuge, seu Cave dixerit, & ipse stans sive fugiens subter arborem devenerit ac mortuus fuerit*, quo quidem in Casu pronunciant innocentem Patres illius Concilii.

XXV. Non negamus tamen intercurrere potuisse quandoque aliquid culpæ ex negligentia vel imprudentia in tali Casu: hoc tantum volumus ex verbis hisce præcise non deduci; adeoque Urbes Confugii constitutas non tantum culpa aliqua levi adsperso homicidio, sed & Casuali. Idque id eo; quia, quamvis tale homicidium quandoque fuerit absque culpa, nihilominus, quum fuerit patratum in sylva, remotis arbitris, nec per testes ostendi potuerit evidenter, quomodo occiderit aliquis, ideoque etiam tale urgere potuit homicidam, ut se conferret ad Urbem aliquam Refugii & pateretur discussionem Caussæ, interea tutus a Vindices sanguinis, adde hic quæ habet Tostatus distinguens, si cui scindendo ligna, percutiendoque in duro loco, aliove desilierit tota securis de manibus, vel ferrum duntaxat, manubrio remanente in manu, & dicit, videri secundo modo magis involuntarium homicidium, ac fortuitum, quia primo modo suspicari quis posset, dimissam data opera securim.

XXVI. Non tantum vero hoc medio *Deus* prospexit Israelitis, sed etiam Advenis & peregrinis, ut confugeret ad istiusmodi φυγαδευτήρια, qui nolens sanguinem fuderit, ut habent Verba *Numeror.* 35. *vers.* 15. Duo autem hic occurrunt nomina גר Ger & תושב Thoschabh. Similia in Chaldæo & apud LXX. Interpretes, qui usurpant vocem προσήλυτος & πάροικος, & repetitur extensio hujus Privilegii *Josuæ* 20. *v.* 9. Disputant vero circa hæc verba Tostatus, Masius & Magalianus. Ille enim per advenas peregrinos vult intelligi Conversos ex gentilismo ad religionem Judaicam: hi vero laxius accipiunt & cæteros quoque comprehendi homines statuunt. Nec destituuntur rationibus suis, ductis a benignitate divina, detestari Deum dicunt omnem sanguinis innoxii effusionem simpliciter, neque jus dedisse Israelitis in quosvis extraneos, sed tantum in rebelles & Cananæos, populos excidio devotos; a paritate Israelitarum in Ægypto, qui quoque peregrini fuerint & alterius religionis cultores; docuisse itaque illos, ut adversus peregrinos etiam se exhiberent benevolos & benignos, atque hoc etiam pacto alios allicerent ad veri *Dei* venerationem; denique a Fine intento ab ipso *Deo*, spectasse enim ad reverentiam & Honorem *Dei*, illam extensionem privilegii, qui primarius finis introductæ ἀσυλίας. Pro Abulensi, qui militare vellent, niterentur *Dei* consilio, qui cum Judæi rerum potirentur, nolebat gentiles tolerari, nisi forte servirent; multo minus itaque eo usque indultum fuisse credibile quod legem statuerit de illis & Previlegio donarit illos, qui religioni non accesserunt. II. Distinctione illa inter גר & תושב quorum primum notat illum peregrinum, qui non ita pridem accessit, alterum, qui diu jam inter Israelitas commoratus & sedem fixisset. Quo etiam videntur referri nomina apud LXX. Interpretes distincta; denique Hebræorum suffragio qui Gentilem ab hujus Privilegii participatione excludunt.

XXVII. Nos existimamus primo & directe respexisse hanc Legem peregrinos & advenas, qui aliqua ratione Judæis addicti & per *Ger* sive peregrinum intelligimus Proselytum Justitiæ, sive tractum vel Confederatum, quales fiebant Circumcisione, Baptismo & Sacrificio & habebantur fere Judæis æquales; per תושב vero Proselytum portæ, qui citra supra recensitos ritus locum habebat inter Judæos, & ita habitabant in terra benedicta ut abstineret ab Idololatria gentilium & VII. Præcepta Noachidarum observacent, sique fides habenda Rabbinis, prioris generis non fuerunt recepti toto tempore Davidis & Solomonis a Synedrio magno, Senatus quamvis inferior illos toleravit.

XXVIII. Dinstinctius progrediuntur Hebræi, & *primo* asserunt: Si Proselytus portæ occiderit liberum sive servum casu, fugiendum illi fuisse ad aliquam Urbium a Deo tutelæ destinatam; ad gentilem vero, qui nondum Proselytus Domicilii fuerit factus, sive Ebræum sive gentilem ex errore seu Casu qualicunque occidisset, Urbium Refugii Privilegia non pertinuisse; quanquam non fuerit ex sententia forensi morte plectendus, sed Vindici sanguinis relinquendus. *Secundo*; si Isrælita occidisset servum aut Proselytum Domicilii, migrandum ei fuisse ad φυγαδευτήριον? si vero Gentilis Gentilem casu interfecisset, nullam Tutelam præstitisse Ur-

Urbem Refugii. *Tertio*, si Proselytus Domicilii occidisset Hebræum sive Circumcisum, non profuisse illi Urbes refugii, sed, utut involuntarium fuisset homicidium, nihilominus morte seu gladio a Vindice Sanguinis eum plecti potuisse: si autem Proselytum sui generis, potuisse advolare & Asyli Privilegio in aliqua earum frui.

XXIX. Satis diu inhæsimus Numero Urbium, Situi, Modo, Qualitati Homicidæ, nunc dispiciendum, quid de *Vindice Sanguinis* sit statuendum, qui dicitur גואל Goel, *Redemtor*, *ultor sanguinis*, ut reddit Hieronymus. Hic fuit Cognatus occisi, de quo confestim Controversia oboritur: an indefinite notet quemcunque cognatum an vero illum tantum, qui proxime attigerit occisum, & primo quidem illud extra controversiam ponimus licuisse cognato interficere homicidam tantum, non autem alteri alicui, qui nullo sanguinis vinculo attigit occisum, utut amicus fuerit; quum id satis constet ex *Num.* 35. *v.* 12. & *Deut.* 19. *v.* 6. unde erronea censenda opinio Eugubini, putantis non tantum cognato & propinquo, verum etiam aliis fuisse jus ulciscendi. Interim num jus hoc fuerit omnium cognatorum, quocunque sanguinis titulo vicinorum, num vero tantum propinquissimi, nondum expeditum est. Qui Josephum sequuntur ac Philonem, putant se invenisse *in plurali numero* præsidium pro extensione ad omnes sanguine junctos, quo uterque Scriptorum utitur; maxime si attendatur desiderium erepti, non uni sed omnibus cognatis esse commune. An autem hæc tanti sint, ut dimoveant a tramite recto, unicuique anagnostæ sacro expendendum relinquimus. Nam *Primo* quoties in mendacio deprehensus est Josephus, quoties in favorem vel suorum vel gentilium, addidit quædam pro arbitrio, quædam demit & truncavit, a qua labe etiam non immunis est Philo. *Secundo*; quamvis desiderium erepti fuerit commune, non tamen ejusdem gradus & intensionis penes omnes & singulos, sed pro ratione distantiæ vel propinquitatis intensius vel remissius. *Tertio*; pro nobis stat ipsa Scriptura, quæ uniformiter de uno & in singulari loquitur; & ut obligatio ducendi Fratriam ad unum spectabat, ita quoque hoc jus vindicandi sanguinem occisi.

XXX. Illud altioris est indaginis, Vindici sanguinis vero voluerit illum obligatum adeo, ut interficere eum qui sanguinem proximi fudit. Prius placet quibusdam non contemnendæ Authoritatis viris. Nam *primo Num.* 35. *v.* 19. *&* 21. dicitur: *Redemtor sanguinis ipse interficiet homicidam, in obviando ipsum in ipso; is eum interficiet*. LXX. Interpretes quoque repetunt phrasin ἀποκτενεῖ & *v.* 26. *v.* 27. verba ita sonant: *Si egrediendo egressus fuerit homicida terminum Urbis sui Refugii, quo se receperat illuc: & invenerit eum Redemtor sanguinis citra terminum urbis Asyli, & occiderit Redemtor sanguinis homicidam, non erit ei sanguis*. Denique in *Deuteronomio* præcipitur aperte *cap.* 19. *v.* 12. *mittent Seniores civitatis illius & capient eum inde & eum dabunt in manum Redemtoris sanguinis, ut moriatur*. II. Ut in ceteris actibus se habuit Goel ad proximum suum, ita quoque in hoc ipso: In ceteris autem actibus se ita habuit, ut obligatus fuerit ad executionem. Ergo in hoc quoque opere, prius constat; quia Goel tenebatur ad sublevationem Fratris, *Lev.* 25. *v.* 35. *Deut.* 15. *v.* 7. *& seq.* tenebatur redimere bona proximi quæ abalienarat, vi Legis *Levit.* 25. *v.* 25. tenebatur in id niti, ut in libertatem restitueret cognatum, qui in servitutem incidisset, juxta illud *Levitici* 25. *v.* 39. III. Si attendamus ad Hebræos, tam certum hoc est, quam quod certissimum. Verba Majemonidis radio Solis scripta tantum hic adducamus, quæ ita leguntur in Latino: *Præceptum est de Vindice sanguinis ut homicidam interficiat juxta illud quod dicitur: Vindex Sanguinis morte plectat homicidam: & quisquis jure hæreditario ei succedere debuisset, is vindex erat sanguinis*.

XXXI. In oppositam vero sententiam nos inclinare faciunt rationes non exigui ponderis. Nam I. licet verba ex Numeris producta videantur esse præceptiva, alibi tamen, ubi Scriptura de Goele loquitur, nihil tale potest ostendi; sed potius stylus ita figuratur, ut tantum referatur illa Vindicis persequutio sub ratione alicujus operis futuri vel eventualis, prout docet locus *Deuteron.* 19. *vers.* 6. *Josuæ* 20. *vers.* 5. imo sub hypothesi persequutionis Goeliticæ prohibetur Extraditio, injungitur ut studiose ipsum conservent & tueantur a violentia Incolæ Urbis, & ipsum factum elevatur, quod scil. non in scientia sed nescius, nec ex affectu, sed ἀκουσίως & citra causam aliquam, ex parte infelicis homicidæ interemerit proximum. *Secundo*; prolixe hactenus ostendimus in superioribus, Casuali homicidio fuisse destinatas Urbes refugii; illum eo se recepisse, qui nullo dolo & quandoque extra omnem culpam occidisset: atqui intelligi potest, jus datum

tum sceleri, mandatum fuisse a *Deo* sanguinis Vindici, ut occideret innocentem? quod utique fuisset infortunium peccato expiare; & qui tam solicite cavit, sanguinis effusioni Asylorum constitutione, a Benignitate devians eo ipso latam portam aperuisset homicidiis innocentum, mandando & præcipiendo illam violentiam, quod a *Deo* sapientissimo, benignissimo, nec unquam sibi contrario, nunquam præsumendum esse censemus. Quid si ponamus aliquam culpam intervenisse in illo homicidio, vel universaliter vel particulariter; quum tamen prius plane nequeat ostendi: num imperandum fuisset Vindici sanguinis ut occideret fugientem? quum ipsa ratio, & æquitas naturalis dictet culposum homicidium non æquandum doloso, nec puniri posse talem supplicio sive pœna ordinaria, Justitia alias periclitante, quæ unicuique tribuit, quod suum est. *Tertio*, notanter dicitur *Deut.* 19. *vers.* 6. *Ne forte insequatur Redemtor sanguinis post homicidam, cum incaluerit cor ejus*. Affectui itaque excedenti illa persequutio, & futura vel futuribilis occisio tribuitur, & quidem vindicativo, ex intervallo etiam adhuc perseveranti & pertinaci. Confirmat nos in nostra Sententia B. Proavus, qui in Commentario ad *Num. cap.* 33. hanc epicrisin addere voluit: *Hanc violentiam* Deus *in populo duræ cervicis non tam adprobavit, quam toleravit: sicut etiam divortium ex alia quam adulterii causa usurpatum magis dissimulavit, quam instituit. Ceterum inter Christianos talis vindicta neutiquam est concedenda, & Deo & Magistratui permittatur legitima vindicta, ne in vindicando magis iracundiæ quam vocationi inserviamus.*

XXXII. Argumentis supra in oppositum adductis satisfieri potest, si dicatur ad primum I. posito quod præceptive illa verba essent accipienda, loqui tamen Legislatorem de obligatione in casu homicidii voluntarii, quod si quis ferro percusserit & mortuus fuerit, qui percussus fuit vel lapide vel ligno, ut versus antecedentes docent; tunc & tali in casu obligatum fuisse Goelem ad vindicandum proximi sanguinem. *Secundo*; posito de involuntario homicidio, culpa tamen aliqua adsperso, hæc verba quoque esse exponenda, nihil dicitur, quam propinquus occisi homicidam interficiet; statim ut deprehenderit eum interficiet, num autem hoc ita absolute intelligendum? nondum evidens esse existimamus; quia hoc suppositis supponendis potest accipi, scil. Propinquum Occisi interficere debere caussa Homicidæ discussa, dijudicata, & sententia jam in illum lata; non autem Judices tradituri essent istiusmodi homicidam Goeli, nisi latissimæ culpæ fuisset homicidium, quæ dolo æquiparatur. Præsidium pro hac restrictione est, tum in *versic. hujus Cap.* 22. 23. 24. & 25. in quibus ita decernitur: *Quod si fortuito & absque odio & inimicitiis quicquam horum fecerit, & hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem ac propinquum sanguinis quæstio ventilata, liberabitur innocens de ultoris manu, & reducetis per sententiam in urbem ad quam confugerat &c.* & trigesimo, in quo hæc leguntur: *Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur*, quem aliqui urgent, qui tamen, an stringat in hoc casu non absque caussa dubitamus; tum in Chaldæo Interprete, qui expresse adjecit hæc verba: *Quando condemnatus fuerit in Judicio*; tum in ipsa recta ratione. Nam si simpliciter jussus est occidere *Goel*, jussus est etiam innocentem interficere, qui ut ipse *Deus* loquitur, non insidiatus est, & quem ipse *Deus* tradidit in manus percussoris *Exod.* 21. *vers.* 13. jussus est occidere illum, qui secundum Hebræos occidi debuit ex Decreto divino ob maleficium quoddam impunitum, homine tantum commodante manum vel operam, citra influxum principiorum moralium, ut carnifex vel lictor Magistratus; jussus est interficere indiscriminatim voluntarium & involuntarium homicidam, & concessum est homini affectu incenso sævire, supposita diversitate insigni in factis, in disparis conditionis homines, dignum venia & pœna. *Tertio*; tam non obligatum fuisse ad interfectionem alicujus homicidæ Goelem quidam arbitrantur, ut etiam voluntarium non jussus fuerit interficere statuant. Nec ratione destituuntur, quia privato exasperato se & suorum sanguinem nimium æstimanti, non videtur concessum fuisse, ut ipse distingueret inter homicidam voluntarium & involuntarium, sed aliis ἄνευ παθῶν & dextre judicantibus hoc relinqueret, ne conscientiam contaminaret. Ad *secundum ex vers.* 26. & *septimo* commode dicitur posito, quod injunctum fuerit *Goeli* homicidam extra fines urbium divagantem interficere, tamen illud nondum stabilire mandatum de occidendo percussore etiam involuntario. Sermo enim est de tali, qui jam habuit Jus Refugii, urbem adiit & ab illa fuit receptus, & nihilominus beneficii divini immemor, vitæ suæ prodigus, negligens propriæ salutis exerravit; quum tutus latere potuisset. Posito enim hoc contemptu gratiæ, hac ingrati-

titu-

titudine, & neglectu Præsidii divinitus constituti, *Deus* utique decernere potuit, ut talis dignas non homicidii sed contemtus illius profundi lueret pœnas debitas. *Secundo*; etiam ex his verbis mandatum exsculpi nequit; cum tantum hoc dicatur, illum *Goelem*, qui temere excedentem fines Urbis exulibus deputatæ absque noxa fore, si eum occiderit, quod de impunitate accipi potest, quod scil. talis *Goel* in tali casu non obnoxius futurus supplicio, quod alias in homicidas decernitur in foro humano; secundum Hebræum & Chaldæum: *non nisi sanguis*, scil. fusus, imputabitur, non erit obnoxius morti. Conferendus locus *Exodi* 22. *vers.* 2. *Tertio*; ipse Cornelius a Lapide ad verba, *absque noxa erit*, addit, non punietur, non sanguis ipsi imputabitur, ita ut pro eo suum perdat. Ad tertium *ex Deuteronomio* responderi potest I. agi de Casu post discussionem caussæ, & sententiam latam, tunc enim tradere vel poterant vel debebant in manum proximi illius, cujus sanguis effusus. Quis autem credat, illum, qui deprehensus innocens, tradendum fuisse Goeli, cum oppositum diserte imperatum *Numer.* 35. *vers.* 25.? *Secundo*; dubium adhuc est, num facta traditione Goel obligatus fuerit interficere reum & executor esse Justitiæ. Quamvis enim hoc placuerit Nicolao Lyrano, nihilominus probabilius est, potuisse vi hujus dispositionis per se occidere traditum, si vellet, atque ita sese exhibere ministrum Justitiæ, non tamen ita debuisse, ut non per alium potuerit hoc exequi vel *Goel*, vel ipse Judex. *Tertio*; aperte constat ex toto textu agi ibidem de Homicidio voluntario, unde hic locus plane ἀπροσδιόνυσος.

XXXIII. Alterum argumentum non concludit. Nam si concedatur in cæteris actibus fuisse mandatum vinculum injiciens, obligationem inducens, non tamen erit necessarium admittere in hoc actu, idque ideo, quia illi actus absque illa labe, imo, si ex sincero corde proficiscerentur, opera misericordiæ, actus Charitatis, fundati in Lege divina, morali: *Diliges proximum tuum ut temetipsum*; at occidere illum, qui citra principium morale non tam commisit homicidium, quam destruxit physice, quum non labe carere videatur sua, ideoque merito removemus ab imperio Numinis Sanctissimi, qui non nisi illa, quæ justa & sancta, mandare potest. *Secundo*; in ipsis his actibus Goeliticis ratione obligationis non erat par ratio & gradus necessitatis, imo in Vindicatione in Libertatem quandoque expirare potuit obligatio. Si itaque in tali parte officii cessavit quandoque obligatio, non poterit firmiter concludi a similitudine actuum ad paritatem Obligationis. *Tertio*; posito obligatum fuisse ad vindicandum sanguinem proximi: non tamen eo usque obligatus censendus erit, ut etiam potuerit progredi ad effusionem sanguinis innoxii, sed hoc tantum facere tenebatur ex mandato, ut debito modo & gradu progrederetur ad opus imperatum, nec quicquam omitteret, quod ad sanguinem Proximi occisi legitime vindicandum faceret, maxime in homicidio doloso, vel culpa notabili contaminato.

XXXIV. Tertium ab Authoritate ductum nos non terret, qui novimus Majemonidem, utut primus inter Rabbinos insanire desierit, non tamen cœcitati Judaicæ renuntiasse, & non etiam quandoque putamina baccis miscuisse. Comparate ad alios hoc elogium illi quondam a Viro erudito tributum, non absolute; novimus ipsum in his ipsis verbis fuisse hallucinatum, dum allegavit locum *Numer.* 35. *vers.* 19. qui tamen pro ipso non facit secundum discussa. Denique novimus in universum illos fabularum hamaxarios quævis confingere, ut thesin aliquam tueantur, vendere passim falsa pro veris, vitrum pro gemma.

XXXV. Placet itaque nobis sententia, quæ permissionem hic agnoscit, & existimamus *Goelem* vel in genere quidem fuisse obligatum, cæde facta proximi, urgere & fatigare omnia media, ut sanguis ille non neglectim haberetur. *Secundo*; si interveniret Receptus in Urbem, iterum urgere discussionem facti, & agere contra homicidam. *Tertio*; etiam attendere, num intra terminos φυγαδευτηρίου maneret, nec ne. Permissum vero fuisse 1. illi occidere ad minimum homicidam voluntarium citra caussæ disquisitionem in foro soli; permissum 2. fuisse ac toleratam etiam cædem alicujus Homicidæ involuntarii: maxime si culpa adhæserit facto; & tandem 3. permissum fuisse interficere homicidam etiam receptum, si egressus fuerit fines urbium Refugii. Quo vero permissionis genere vel gradu distincti hi actus fuerint gavisi, & quomodo inæqualiter sese habuerit ad illos divina Voluntas, in ipsa Disputatione data occasione uberius exponemus.

XXXVI. Supra mentionem fecimus discutiendæ causæ in porta aliqua celebriore Urbis, ubi Judicia Hebræorum exerceri solebant. Quænam vero illæ Urbes, an Refugii, num vero domicilii vel cæ-

cædis factæ, hactenus non definitum est. Quanquam autem pro utraque sententia sint argumenta in medio, & placuerit Andreæ Masio & Montano prior sententia, posterior tamen videtur prævalere. Nituntur affirmantes loco *Numer.* 35. *vers.* 25. ubi dicitur, post causæ examen liberari innocentem de ultoris manu, & reduci per sententiam in urbem in quam confugerat; 2. Hebræorum testimonio, quod prolixius adductum videatur apud Fagium. Denique processus Juridici modo, quia in urbe illa, in qua cædes facta, fuerint testes, & haberi potuerint ad indicia facilius explorandæ veritatis, quam in urbe dissita Confugii.

XXXVII. Ut autem urbes Confugii tutatæ sunt Homicidam, qui capax Juris illius adversus Vindicem sanguinis, ita illud Munimentum, illa tutela, certum habebat terminum, qui describitur *Num.* 35. *vers.* 25. quum dicitur. *Manebit ibi, donec Sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur*. De nocente liquidum est, Jure Asyli non fuisse capacem, & deditum urbi, in qua cædes commissa, ut constat ex *Deuteron.* 19. *vers.* 11. & 12. Innocens autem reductus fuit ad urbem post declarationem Judicum & sententiæ pronunciationem: Quia quamvis agnitus fuerit innocens, nihilominus usque ad mortem Pontificis reductus, illius urbis terminis sive territorii, ut volunt Ebræi, fuit circumscriptus. Causa hujus mansionis intra urbium illarum aliquam fuit tum *moralis*, ut scil. interea mitigaretur ira cognati & sanguine junctorum: quum secundum Theodoretum fuga tanti temporis propinquorum emolliverit iram, & vindictæ libidinem refrenarit. Terminus vero fuit Pontificis Mors, partim ut in luctu totius Reipublicæ publico, ille affectus in homicidam prorsus extingueretur; cum afflictio & luctus populi alias sedare soleat curas & irarum impetus; partim, quia Sacerdos summus expiator erat talium culparum; partim quia Summo Pontifice mortuo, videbatur pars adversa extincta, quæ ultionem a *Deo* peteret; tum *Politica*, ut scil. homines maxime absterrerentur ab homicidio, dum etiam involuntarium viderent ita lege divina coherceri, tanquam carcere quodam concludi, urbe Refugii, atque abhorrerent ab homicidio tali, cum ne involuntario cautum esse perfecta securitate. Tum *Typica*, inprimis ut significaretur *Christi*, tanquam Pontificis summi morte perfectam libertatem adferendam & remeationem in Patriam, a qua propter peccatum exules facti sumus. Quod tamen non accipiendum sensu Romano-Catholico quasi ante mortem *Cristi* aditus fuisset Patribus ad Cœlum præclusus, sed orthodoxo, quod antecedenter ad mortem *Christi* tanquam causam nihil fuerit, quod vel Patribus, vel nobis viam patefecerit ad Beatitudinem æternam.

XXXVIII. Dispalescit ex dictis, quis *Finis* harum Urbium, cui Bono illa φυγαδευτήρια. *Primo* enim ideo a *Deo* constituta sunt, ut Innocentiæ consuleretur, atque is, qui citra dolum, imo citra culpam quandoque interfecisset invita conservaretur. Detestatur quippe *Deus* innoxii cædem, & vitæ ut Author, ita quoque & conservator est. *Secundo*? ut peremti propinquorum & inprimis Vindici sanguinis sufflamen aliquod injiceretur, fervor temperaretur exæstuantis animi, atque dolori & iræ materia & pabulum subduceretur. *Tertio*; ut judicibus suppeditaretur stimulus officii, & commendaretur tum Prudentia, tum Justitia tum Æquitas. Prudentia quidem, ut probe causam discuterent, caute progrederentur in materia quæ sanguinem hominis spectabat, de quo supra; Justitia, ut dolosum homicidam & illum, qui non capax hujus Juris, dignum supplicio vel pœna extraordinaria traderent, nec nebulones foverent, & urbem suam macula Πονηροπόλεως conspurcarent; Æquitas, ut reciperent Confugam, innocentem defenderent, commiseratione prosequerentur, & præscinderent omnem occasionem novarum vel rixarum vel cædium. Addunt aliqui hic pœnitentiæ figuram esse insinuatam, ut scil. ad hoc exemplum peccator confugiat ad Asylum misericordiæ divinæ corde contrito, & in Pontificis summi morte suam quærat libertatem, speret salutem.

XXXIX. Huic vero Fini triplici subserviebat etiam illa urbium assignatio, illæ æqualis per provincias divisio, *Deuteron.* 19. *vers.* 3. Præceptum quippe erat Israelitis, ut terram in partes sive circulos dividerent, *triplicarent*, velut Hebræum sonat verbum, tertiarent, & in id incumberent, ut in unoquoque Triente civitas Confugii commodo statueretur loco. Impugnare tamen videtur illam divisionem æqualem, ipsa partium comparatio. Cisjordanina enim regio, cui tres adsignatæ erant, longe erat minor transjordanina, quæ tamen non pluribus quam tribus quoque gravisa fuit. Verum I. ratio reddi potest hæc, quod expedierit homicidas etiam involuntarios, quam longissime abesse a loco homicidii commissi, adeoque potuisse fugere transjordanenses etiam in urbes cisjordaninas;

nas; ut tamen consuleretur illis, qui non vicini Jordani sed in interioribus partibus aut extremitatibus transjordaninæ regionis habitabant, ideoque etiam intra hanc tres sunt assignatæ; ut nihilominus aliqua distantiæ proportio locum habere potuerit. II. Quamvis transjordaninus Tractus latior fuit cisamnano, in longitudine tamen ambo fere conveniebant. Ut terra Canaan fuit divisa in tres partes æquales, ita in medio primæ fuit *Hebron* ad meridiem, *Sichem* in medio sequentis, denique *Cedes* in ultimo versus septentrionem medio, quod etiam de tribus in cisjordanensi regione dicendum.

JACOBI LYDII DISSERTATIO DE JURAMENTO.

Juramentum sanctum & legitimum est invocatio veri Dei, qua petitur, ut, tanquam unicus ΚΑΡΔΙΟΓΝΩΣΤΗΣ, *testis sit rei affirmatæ aut negatæ, & jurantem puniat, si perperam & dolose juraverit. Quid autem sit alio præeunte jurare, sive conceptis verbis jurare Calvinus in Lexico juridico, & Phil. Pareus in Lexico Plautino explicarunt. Ego vero non inconveniens esse duxi, si systemati de re militari sacro, hanc de juramento ejusque dandi ac concipiendi vario modoque dissertationem adjunxerim. Dicam autem.* I. *De personis jurantibus.* II. *De Formulis juramenti.* III. *De personis & rebus per quas juratum.* IV. *De gestibus & cæremoniis in juramento usurpatis.* V. *De loco juramenti.* VI. *De tempore ejusdem.*

CAPUT PRIMUM.

De personis Jurantibus, quæ recensentur. Senatu. Imperatoribus. Consulibus. Sponsa. Militibus. Loci 2. Sam. XV. 21. Apoc. XIV. 4. *illustrati.*

I. A Senatu exordium facturus invenio eum jurasse, nihil se consulturum aut decreturum, nisi quod egregio publico promovendo conveniens esse judicaret. Xenophon de Cyri Exped. lib. v. in oratione Hecatonymi: Ἐι δὲ μὲν συμβυλένοιμι ἃ βέλτιςα μοὶ δοκεῖ ἔιναι, πολλὰ μοὶ ἀγαθὰ γένοιτο: ἐι δὲ μὴ τ' ἐναντία. ἄυτη γὰρ ἱερὰ συμβυλὴ λεγομένη ἔιναι, δοκεῖ μοὶ παρέιναι. Ubi formulam fere habemus istiusmodi juramenti; & sic conceptum ἱερὰν συμβυλὴν dictum. Audiendus etiam Plutarchus in Solone: Κοινὸν ὤμνυεν ὅρκον ἡ βυλὴ, τὸς Σολῶνος νόμυς ἐμπεδεώσειν. Proinde juratus dicebatur ejusmodi Senatus. Livius lib. XLII. *Ut juratus Senatus decerneret, qui eam rem quæreret.* Haud aliter quam in Belgii magistratum agentes Beswoorene, id est, jurati appellantur variis locis.

II. Imperatores imperium capessentes jurejurando se adstrinxisse Photius in Praxagora, Procopius de Peroze, Persarum rege, verba faciens aliique firmant. In veteri quidem Roma Consule natu majori verba solemnia præeunte, uti Plinius in Panegyrico docet; In nova autem Magno Logotheta id exigente, ut autor est Nicetas in Manuele Comneno lib. III. Qualis autem ille fuerit (ne extra oleas vagemur) apud Cantacuzenum & Curopalatam de hujusmodi Officiis agentes videre est.

III. Adhæc *Consules* creati in manu Consulis alicujus jam munere defuncti jusjurandum dabant, ut Plinius in Panegyrico testatur. Et quidem *stantes* jurasse indicat: *Stetit designatus Consul) ante gremium Consulis (sedentis) eoque præeunte*

te juravit. Etiam Consulatum deponentes jurababant. Cicero Consul ipse firmat Epist. I. ad *Metellum: Atque ille, quod te audiisse credo, pridie Kal. Januar. qua injuria nemo unquam in aliquo Magistratu improbissimus civis affectus est, me Consulem affecit, cum Rempub. conservassem; atque abeunte Magistratu concionis habendæ potestate privavit, cujus injuria mihi tamen honori summo fuit. Nam cum ille mihi nihil, nisi ut jurarem permitteret, magna voce juravi verissimum pulcherrimumque jusjurandum, quod populus item magna voce, me vere jurasse juravit*. Clarius Plinius modo nominatus: *Itaque & abiturus consulatu jurasti te nihil contra leges fecisse*. Consimilia sunt, quæ de Samuele leguntur 2. *Sam.* XII. 5. jam munere suo defuncto, ac dicente: *Testis est Dominus adversum vos, & testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in mane mea quippiam. Et dixernnt Testis*.

IV. *Sponsi* & *Sponsæ*, matrimonium contrahentes, juravisse etiam ex veterum monumentis manifestum est. Constat hoc ex Gellio *lib.* IV. *cap.* III. & *lib.* XVII. *cap. ult.* quibus locis etiam indicatur, Censores id juramentum exegisse. Adde Svetonium in Tiberio *cap.* XXXV. *Equiti Romano jurisjurandi veniam fecit, ut uxorem, in generi stupro deprehensam, dimitteret, quam se nunquam repudiaturum ante juraverat*. Legenda apud Senecam Controversia secunda libri secundi, cujus inscriptio est *Jusjurandum mariti & uxoris*. Ubi formula juramenti uxoris exhibetur: *Ita patri placeam*. Utrum autem ante matrimonium, an, data occasione, jam matrimonio copulati juramentum illud, quo de Seneca agit, præstiterint in incerto est. Illud certo certius, juramentum illud execrandum summa ratione, quod invenio apud Suidam in voce Κύλιξ procacibus ac protervis fœminis adscriptum, fidei legibusque conjugialibus frangendis. Ἔστι δὲ καὶ ὅρκος ἐπὶ τῆς κύλικος οὗτος: οὐδέποθ' ἑκοῦσα ἀνδρὶ τ' ἐμῷ πείσομαι. εἰ δέ μ' ἄκουσαν βιάζεται βίᾳ, κακῶς πράξω, κοὐχὶ προσκυνήσομαι. οὐ πρὸς τὸν ὄροφον ἀτενῶ τὰ περσικά. οὐ στήσομαι λέαινα ἐπὶ τυῤῥοκνήστιδος. ταῦτ' ἐμπεδοῦσα μὲν πίοιμ' ἐντευθενί. εἰ δὲ παραβαίην, ὕδατος ἐμπλησθῆ κύλιξ, *Jusjurandum autem ad calicem hoc est: Nunquam ultro marito meo parebo; sin me invitam vi subegerit, male obsequar, neque eum adorabo; Non lacunar intuebor, Persica. Non stabo leæna in tyrrocnestide* (Monstra verborum in monstroso juramento) *Hæc si præstitero bibam hinc; sin fecero secus, aqua impleatur calix*.

V. Postremo jurabant quoque *Milites*, & juramentum istud *Sacramentum* proprie dicebatur. Græcis στρατεία inde appellata. Glossæ: στρατεία. ὅρκος στρατικός. Optime ergo Servius iu lib. VIII. Æneid. *Sacramentum legitima erat militia, cum singuli milites jurabant*. Florus *lib.* I. *cap.* XII. id dicit *sua sponte jurare*, cum *in se quisque jurabat*, ut est apud Livium *lib.* II. Sed insuper in castris denuo omnes jurabant. Tribuno adigente & uno electo ex tota legione præeunte, qui singula juramenti verba conciperet. Post quem reliqui omnes singillatim prodeuntes jurabant, se facturos quod ille primus promisisset. Quo de argumento videndus Lipsius de Militia Romana *lib.* I. *dial.* VI. Ubi formulam etiam ex Dionysio Halicar. exprimit. Τοῖς στρατηγοῖς ἀκολουθεῖν, ὅποι ποτ' ἂν ἄγωσι, *Sequi duces quocunque duxerint*. Vetustissima est formula & ab Ethai Gethæo, copiis Davidis fugientis se adjungente usurpata cum juramento: II. Sam. XV. 21. *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex; quoniam in quocunque loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit Servus tuus*. Allusit Spiritus Sanctus *Apoc.* XIV. 4. Nam cum *comm.* I. Agnus Christus ut Dux exercitus sui numerosissimi descriptus esset, adjunguntur illa, quæ sacramentum militare rite observatum, & fidem juratam religiose præstitam innuunt. *Hi sequuntur Agnum, quocunque ierit*.

CAPUT II.

De formulis juramenti variis. Juramentis exsecrationis. Formulis pœnam reticentibus. Donum devoventibus. Locus Matth. XV. 5. *illustratur &* Matth. XXIII. 18. *Amen, Amen*. ΜΑ ΤΟΝ ΧΡΙΣΤΟΝ. *De formulis gentilium*.

I. Judæi ut plurimum juramenta concipiebant cum inprecatione alicujus mali ac pœnæ, si fallerent. Exempla vide *Jos.* XXII. 22. 23. I. *Reg.* II. 23. Et hæc dicebantur *Juramenta exsecrationis* I. Reg. VIII. 31. Diras & imprecationes ejusmodi in juramentis videre est in Smyrnæorum Fœdere cum Magnesiis icto & juramento firmato, quod existat in Marmoribus Arundelianis, a Seldeno descriptis & evulgatis, ubi jurans dicit, *Si sancte hæc servavero, bene mihi sit; si pejeravero* exitium & mihimetipsi & posteris meis. Vettius Valens Antiochenus Scriptor necdum evulgatus, Anthologion sive Floridorum *lib.* VIII. a Seldeno laudatus, fratrem suum, cæterosque omnes, qui

qui libro suo Apotelesmatico initiandi erant, ita adjurat: Ὁρκίζω σε, ἄδελφέ μου τιμιώτατε, καὶ τοὺς μυσταγωγοὺς μου ταύτη τῇ συντάξει, οὐρανοῦ μὲν ἀστηείκτον κύτος. καὶ ☉ δυοκαιδεκάζωδον θ τε ☽ καὶ τοὺς τε πλανήτας ἀστέρας. δι' ὧν ὁ πᾶς βίος ἡνιοχεῖται, αὐτήν τε τὴν Προνόιαν καὶ Ἱερανάγκην. ἐν ἀποκρύφοις ταῦτα συντηρῆσαι, καὶ μεταδοῦναι τοῖς ἀπαιδεύτοις, εἰ μὴ τοῖς ἀξίοις καὶ δυναμένοις διαφυλάσσειν καὶ ἀμείβεσθαι δικαίως αὐτῷ εἰσαγησαμένῳ ἀείμνηστον καὶ ἀγαθὴν φήμην ἀπονέμειν. καὶ μάλιστα ἐπιγνοντας τὸ ἄθονον καὶ τὸ τῆς ἀληθείας μέρος, ὡς ἀπὸ οὐδενὸς ἀνδρὸς ἐπιλελυμένο αὐτὸς ἐφώπισα. μὴ δὲ παρέντας τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐπέρους ἐπεισφίρεις ταύτῃ συντάξει. μὴ δὲ λωβῆσαι τινὰ τῶν προγεγραμμένων ἢ μελλόντων λέγεσθαι πρὸς τὸ ἐθετῆσαι τοὺς ἐντυγχάνοντας. καὶ μὴ ψόγος ἐπενέγκαι. Καὶ ταῦτα μὲν διαφυλάσσουσιν ὁ προειρημένοι Θεοὶ πάντες εὐμενεῖς ἔσοντοι καὶ βίος ἐοπαθύμιος λογισμῶν συντέλεια. Ἐπιορκοῦσι δὲ τὰ ἐνάντια μήτε γῆ βατή. μή τε θάλαττα πλωτή. μή τε τέκνων σπορά. πυφλός τε νοῦς καὶ τεπαιδευμένος ὑπάρχων, ἀχήμονα βίον καὶ ἀνεπίτευκτον ἀγαθῶν ἐπάγοι Ἐὰν δὲ τὶς καὶ μετὰ θάνατον ἐστὶ κακῶν τε καὶ καλῶν ἀμοιβὴ κακεῖ τῶν ὁμοίων μεταλάβοιεν. Videndus & Julius Firmicus *lib.* VII. Matheseos in initio. Nec non juris Græco-Rom. *lib.* I. *pag.* 119. ubi agitur de imprecationibus Judæorum Constantinopolitanorum, quæ juramentis eorum adjectæ erant ex tabulis præfectoriis. De iis etiam, quæ Christianis olim in usu, legere est in Novella VIII. *tit.* III. *Si vero non hæc omnia servavero, recipiam hic & in futuro seculo in terribili judicio Magni Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, & habeam partem cum Juda, & lepra Giezi, & tremore Cain, insuper & pœnis quæ lege eorum pietatis continentur, ero subjectus.*

II. Etiam sæpicule per ἀποσιώπησιν aut εὐφημισμὸν reticebant pœnam (II. *Reg.* VI. 31.) quam sibi imprecabantur dicentes: *sic faciat mihi Deus, & sic addat*, I. *Sam.* XIV. 44. II. *Sam.* XIX. 13. I. *Reg.* XX. 10. *Gen.* XIV. 22. 23. *Elevo manus meas ad Dominum Deum &c. Si a filo usque ad corrigiam calceamenti, immo si accepero de omni quod tuum est.* Ubi (ut & in similibus formulis jurandi, quæ Deo etiam adscribuntur: I. *Sam.* III. 14. *Psal.* XXXIX. 36. XCV. II. CXXXII. 2. 3. *Jes.* XIV. 24.) אם *si* simpliciter positum negandi vim habet (ut εἰ *Marc.* VIII. 12. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, εἰ δοθήσεται τῇ γενεᾷ ταύτῃ σημεῖον.) Et quidem illud *Psal.* XCV. II. negative exponitur Hebr. III. 18. Τίσι δὲ ὤμοσε μὴ εἰσελεύσεσθαι εἰς τὴν κατάπαυσιν αὐτοῦ, εἰ μὴ τοῖς ἀπειθήσασι; At vero אם לא affirmandi. Cui כי causalis æquipollet I. *Reg.* II. 23. & alibi. Alias dicebant jurantes *vivit Jehova*. I. *Sam.* XIV. 45. II. *Reg.* II. 2. quo posteriore loco quod additur *& vivit anima tua*, efficacis asseverationis, juramento adjunctæ, non autem proprie, dicti juramenti vim habere videtur. Rabbini tamen in juramentis, teste Buxtorfio, dicere amant חייך *per vitam tuam*. Item *per vitam tuam, & vitam animæ tuæ*. Illæ autem imprecationes *Ps.* VII. 4. 5. 6. & CXXXVII. 5. 6. non sunt juramenta: sed confessiones ardentes innocentiæ & synceritatis amorisque erga Deum, absque quibus esset, Deus justissime per hostes eos pessundaret.

III. Quod autem de אם particula in juramentis negante antea dicebamus, locum quoque habet in illo *Matth.* XV. 5. Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Quod Beza vertit: *Donum (est) quocunque a me juvari posses*. In Syriaco est *Korbar meum*, pro quo Matthæus habet *Donum*. Et quidem proprie id notat vox Syriaca. At quia etiam Judæi perperam jurare solebant *per donum quod est super altare* Matth. XXIII. 18. etiam juramentum ipsum eodem vocabulo significabatur. Josephus *lib.* I. contra Appionem: ubi ex Theophrasto refert caput Legis apud Tyrios. Ne quis externa jurisjurandi forma uteretur, qualis erat illa, quæ *Korban* dicebatur. Sic enim scribit: Λέγει γὰρ ὅτι κωλύουσιν οἱ Τυρίων νόμοι ξενικοὺς ὅρκους ὀμνύειν, ἐν οἷς μετὰ τινων ἄλλων καὶ τὸν καλούμενος ὅρκον Κορβὰν φναριθμεῖ. *Dicit enim* (sc. Theophrastus) *Tyriorum leges probibere peregrina juramenta jurare: inter quæ, cum quibusdam aliis, etiam jusjurandum, quod Korban appellatur, enumerat.* Adeo ut ipsum juramentum *Korban* appellatum fuisse liquido appareat. Integra autem formula, per juramentum debito auxilio ac subsidio parentes defraudantium idque sub specie religionis, quasi, nimirum nefas plane esset juramentum tale irritum facere, ejusmodi erat: *Korban meum:* (I. *Per Korban* meum) *Si quicquam a me tibi profuturum sit*. Vel hac, *Korban.* (nam textus Græcus Matthæi habet simplex Δῶρον & *Marcus* VII. II. κορβᾶν.) *Si quicquam a me tibi profuturum sit. Ubi Korban meum* in priori tantundem est ac *Per Korban meum*. Quomodo illa alia apud Rabbinos jurandi formula המעון הזה usurpatur pro במעון הזה, *per domicilium hoc*, ut observavit Drusius de Tribus Sectis Judæorum *lib.* II. *cap.* XVI. & XVII. Pleniorem autem, quoad priorem partem, habes hanc formulam in verbis illis, quæ exstant *Matth.* XXIII. 18. Ὃς δὲ ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ δώρῳ τῷ ἐπάνω

τοῦ

τȣ̃ θυσιαςηρίȣ. Ubi ἐν τῷ δώρῳ &c. eſt, *Per donum*. Altera vero pars juramenti liberorum, quo ſe obligabant ad auxilium parentibus non præſtandum ex veteri more Judæorum concepta eſt. Exſtat enim illa *Gen.* XIV. 23. & alibi. Nec ovum ovo ſimilius, quam ea ipſa huic eſt, de qua agimus, nempe, ὁ ἐὰν ἐξ ἐμȣ̃ ὠφεληθῇς, quod ſonat, *Si quicquam tibi prodero*. Omiſſa, quæ ad ſenſum explendum faceret, pœna. Adeo ut ad verbum integra formula apud Matthæum hæc fuerit. *Per donum. Si quicquam a me tibi profuturum ſit*. Nam ſicuti *Matth.* X. 14. ὃς ἐὰν μὴ δέξηται ὑμᾶς, notat *ſi quiſquam vos non receperit*; Et Matth. XXIII. 18. ὃ ἐὰν ὀμόσῃ, *ſi quiſquam juraverit*: ita in hac formula jurandi, ὁ ἐάν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς recte veteris, *ſi quicquam ex me tibi profuturum ſit*. Reprehenduntur ergo, qui prætextu hujus juramenti, quo ſe devinxerant, parentibus ſe ſubſidium non daturos, negabant iiſdem debitum amorem atque honorem. Maxime autem illud hypocriſin ſpirabat, quod ſi *per altare* id juraſſent, non adſtringi ſe crederent; at ſi id ipſum juraſſent *per Korban* ſive *donum ſuper altari*, minime irritum fieri poſſe juramentum iſtiuſmodi crederent; atque idcirco ἀςόργȣς & hypocritas ſummos ſe præberent manifeſto. Dicitur autem *Korban* a קרב *appropinquavit*, quia per ſacrificia & juramenta legitima ad Deum appropinquatur. Senſus quem *Sam. Petitus lib.* I. *Var. Lect. cap.* 4. loco Matthæi tribuit multum abludit a vero & duriuſculus eſt. Jacobus Capellus quatuor ſignificationes τῷ κορβᾶν attribuit, quarum prima eſt oblatio rei mox igne conſumendæ, ſecunda oblatio nummorum, tertia gazophylacium, quarta res quælibet Deo devota. Quicquid ſit, eam quam ex Joſepho attulimus notionem & ſignificatum huic loco proprium omiſit. Unde alio delatus exiſtimat liberis hanc vocem adſcribi, *Tibi proſint oblationes quæcumque proficiſcuntur a me*. Simili nempe modo, atque mendicis dici conſuevit, quibus nil porrigere decrevimus, *Deus tibi ſit auxllio*; ſicuti etiam apud Theocritum, qui Poetas mendicantes ablegant & valere jubent, dicunt: Θεοὶ τιμῶσιν ἀοιδȣ́ς. *Dii honorant Poetas*. Oppoſuit ſe hujuſmodi ἀςόργοις Synodus Gangrenſis *Can.* XVI. Ε῎ι τινα τέκνα γονέων, μάλιςα πιςων, ἀναχωρόιη, προφάσει θεοσεβέιας, καὶ μὴ τὴν καθήκȣσαν τιμὴν τοῖς γονεῦσιν ἀπονέμοι, προτιμωμένης, δηλονότι, παρά ἀυτοῖς τῆς θεοσεβέιας, Ἀνάθεμα ἔςω. *Si qui filii ſecedant a parentibus, maxime fidelibus, divini cultus occaſione, debitumque parentibus honorem non exhibeant, æſtimata, videlicet, longe pluris in ipſis Dei religione, Anathema ſunto*. Adſtruit propemodum, an recenſet duntaxat, ſententiam noſtrum de juramento *Korban* dicto aut *per Korban* concepto Ludovicus Balleſter in Onomatographia ſua. Nam cum ex Joſepho docuiſſet ipſum juramentum *Korban* appellari, *Quidam*, inquit, *ſic interpretantur locum illum* Matth. XV. 5. Δῶρον, ὁ ἔαν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. *Munus, quodcumque ex me ſi tibi proderit. Id eſt, Si ex eo juvaberis a me; id eſt, Fore ut nunquam a me juveris. Quem ſenſum ideo putant eſſe verum, quia Korban, id eſt Munus ſive Donum eſt frequentiſſime uſurpatum vocabulum in traditionibus Judæorum, eſtque jurandi forma aut devovendi, ac ſi dicatur: Korban, id eſt, Per donum ſacrum juro me eſſe damnatum aut devotum, ſi quicquam ex me juveris. Vel, Sit donum altarique devotum quicquid tu ex me juvari poſſis, atque ita devotum non poterit ad tuos uſus transferri.*

IV. *Amen, Amen*, & interdum unicum ac ſimplex *Amen*, tametſi pro affirmatione tantum habeatur a multis, & inter illos juramentum non eſſe doceat Nic. Fullerus Miſcellaneorum *lib.* I. *cap.* II. Etſi etiam me non fugiat Chriſtum multoties *Amen, Amen*, apud Johannem Evangeliſtam ingeminaſſe, nec ſatis videri poſſe a temerario juramento plane abſolvi poſſe, ſi ita juramento aſſueviſſe dici queat. Quod enim Franciſcus Nanſius ſentit, ideo illud *Amen* apud Johannem geminari, apud alios autem Evangeliſtas non item; quia cum, teſte Hieronymo, poſtremus Evangelium ſcripſerit, & pleroſque aliis Evangeliſtis ſuo tempore non ſatis credere animadverterit. Hinc enim duplici affirmatione aſſeveraſſe, quod cæteri ſimplici affirmatione aſſeverarunt. Id, ur verum fatear, probare mihi eſſet religio, qui Evangeliſtas verba Chriſti ita ſcriptis mandaſſe, ut illa protulit, nullus dubito; ideoque par eſt credere Johannem nil addidiſſe verbis Chriſti, nec pro ſimplici *Amen* duplex ſubſtituiſſe, ne culpæ & pœnæ illi *Apoc.* XXII. 18. obnoxius foret. Nihilominus ſunt qui jurandi formam hic agnoſcunt. Joh. Wemſius in Anglica Decalogi expoſitione hanc ſententiam ideo amplectitur, quia ipſe Deus dicitur *Amen*, id eſt, *Veritas*, id enim אמן Hebræis ſonat. Unde quod *Matth.* XVI. 28. dicit *Amen*, id Lucas IX. 28. exprimit per ἀληθῶς. *vere*. Hinc *Amen* dicendo juratur pet *Veritatem*, id eſt, ipſum Deum, qui ſic dicitur *Eſ.* LXV. 16. & *Apoc.* III. 14. Moviſſe hoc Jacobum Revium ar-

arbitror, ut in Notis ad Vallam de Collatione N. Testamenti ad 1. *Cor.* XV. 31. scriberet ΕΠ' ΑΛΗΘΕΙΑΣ videri posse aliquam jurandi formam habere *Luc.* IV. 25. Ἐπ' ἀληθείας δὲ λέγω ὑμῖν Et XXII. 59. Ἐπ' ἀληθείας, καὶ οὗτος μετ' αὐτοῦ ἦν. Chaldæi insuper, si Wemsio fides, *Amen Amen, dico vobis* interpretantur per *juro vobis*. Adhæc *Sam.* Petitus Var. Lect. *lib.* 1. *cap.* XVII. in eam propendet sententiam, quod Ἀμὴν sit jurantis. Saltem vim juramenti habuisse, ubi quis judici eum adjuranti respondisset *Amen*, ex Maimonide, libro הפלאה. tractatu נדרים Perek II. Et tract. שבועות. Perek XI. demonstrat, & addit: *Quare cum dicit Christus*, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *idem est ac si diceret, juratus vobis dico, Unde etiam petenda interpretatio horum verborum*, Ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι Θεοῦ, ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ καὶ ἐν αὐτῷ τὸ ἀμήν. II. Cor. I. 20. *Nam docet promissiones illas Dei in Christo ratas esse, Metaphora desumpta, priori quidem ab illo qui alquid affirmat sine jurejurando*, ἔστω ὁ λόγος ὑμῶν ναὶ, ναὶ, οὒ οὔ. Matth. V. 37. Jac. V. 12. *Posteriori vero, qui jurando confirmat. Eodem quoque sensu* Apoc. I. 7. ναὶ ἀμήν *confirmat quæ dixit simplici asseveratione, & deinde jurejurando*. Errant autem, mea quidem sententia qui Ἀμὴν jurandi formulam esse colligunt ex *Hebr.* VI. 14. nam ibi non invenitur Ἀμὴν sed Η'ΜΗΝ, quod pro juramenti formula accipiendum, quia commate decimo tertio expresse dicitur, Deum jurasse cum hoc diceret.

V. ΜΑ ΤΟ͂Ν ΧΡΙΣΤΟΝ, quorundam juramentum fuisse Cunradus Rittershusius IC. annotavit ad Salviani locum lib. IV. de Gubernatione Dei, qui sic habet: *Quis est omnino hominum secularium, præter paucos qui non ad hoc semper Christi nomen in ore habeat, ut pejeret? Unde etiam pervulgatum hoc fere & apud nobiles & apud ignobiles Sacramentum est*, per Christum. Per Christum quia Hoc Facio. Per Christum quia nihil aliud dicturus sum. *Et quid plura? In id penitus deducta res est, ut sicut de paganis barbaris prius diximus, Christi nomen non videatur jam Sacramentum esse, sed sermo. Nam in tantum apud plurimos nomen hoc parvi penditur, ut nunquam minus cogitent quippiam facere, quam cum se jurant, per Christum esse facturos*. Sic ergo ad hæc Rittershusius: Nota „ formulam jurisjurandi, quæ apud Græ- „ cos talis est μὰ τὸν χριστὸν. Nostri homines, By Gott.

VI. Ad Gentilium transeo formulas in juramentis usurpatas. Romani *per Jovem lapidem* jurabant. Apulejus enim De Deo Socratis: *Quid igitur jurabo? Per Jovem lapidem, Romano ritu*. Certe lapidem adhibitum fuisse in fœdere faciendo etiam a veteribus Arabibus autor est Herodotus *lib.* III. Quomodo & in fœdere feriendo occurrit solemnis formula apud Festum, *Lapidem silicem*, inquit, *tenebant juraturi per Jovem, hæc verba dicentes:* Si Sciens fallo tum me diespiter, salva urbe arceque, bonis ejiciat, uti ego lepidem hunc ejicio. Alexander ab Alexandro *lib.* V. *cap.* X. *Quin etiam vetus Romanis inolevit mos, ut juraturi per Jovem modo ad Deorum aras sacrificio perfecto, ignem aram atque exta tangerent: modo super cæsis hostiis jurarent: Nonnunquam lapidem silicem tenentes, hæc ad verbum proferrent*, si sciens fallo me Jupiter salva urbe arceque bonis ejiciat, uti ego lapidem hunc ejicio. *Quibus enunciatis, lapidem manu emittebat: ideo per Jovem lapidem solennissimum sanctissimumque jusjurandum veteribus fuisse proditum est, illudque intentiori cura servari oportebat. Quod quidem in fœderibus publicis solemnius præstabatur, ut fecialis, sumto manibus lapide, pactis conventis stare promitteret, in hæc verba*: si recte ac sine dolo malo hoc fœdus atque hoc jusjurandum facio, dii mihi cuncta felicia præstent, sin aliter aut facio aut cogito, cæteris omnibus salvis, solus ego peream uti lapis hic e manibus meis decidet. *Post quam precationem, manu lapidem ejiciebat. Cui juramento nullis opibus nulloque negotio contraire fas erat*. Quæ omnia, veterum celebriorum autorum testimoniis compluribus adductis, confirmat ad Alexandrum Tiraquellus in Annotationibus suis. Sed hæc atque talia absolutissima diligentia abunde congessit Barnabas Brissonius de Formulis *lib.* VIII. Quibus addere velle est Iliada post Homerum scribere & lapidem in acervum Mercurii mittere. Nisi hoc unum monuisse operæ fuerit pretium, Jovem in hac jurandi formula non appellari *lapidem*, sed juramentum sic conceptum, *jovem lapidem juro* formulam esse abbreviatam, pro *jovem, lapidem tenens juro*. uti ex Festo colligo. Exstat autem formula illa sic abbreviata apud Ciceron. *Epist. lib* VII. *ep.* XII. *Quomodo autem tibi placebit, Jovem lapidem jurare, cum scias Jovem iratum esse nemini posse*. Adhæc Arabes fœdus faciendo lapides non omiserunt. Audi Herodotum *lib.* III. non procul initio. *Quoties fœdus inire volunt* (Arabes) *alius quidam medius inter utrosque stans, acuto lapide ferit volam, juxta majores digitos eorum qui fœdus ineunt. Deinde, sumto flocco ex utriusque*

que

que vestimento, inungit eo sanguine septem lapides in medio positos, inter inungendum invocans Dionysum & Uraniam. Demosthenes etiam lapidis in juramento meminit in Orat. contra Cononem: Καὶ πρὸς λίθον ἄγοντες, καὶ ἐξορκοῦντες. *Et ad lapidem ducentes ut per illum eos adjurarent*.

VII. Brevius juramenta concipiebantur dicendo *polædepol*, *ecastor*, *ecere*, *medius fidius*, *Hercle*, *mehercle*. Quæ a Brissonio non intacta, uti nec a Tiraquello ad Alex. ab Alexandro loco antea indicato. Illud præterire sicco, quod ajunt, pede non possum, quod sicut Græci juramentis præponunt μὰ & νὴ, ita Romani *me* & *e*, ut *mecastor mehercle*, *medius fidius*, *ejuno e quirine*, *ecere*, *epol*, *ecastor*. Festus autem (non *Ecere* sed) eccere scribens, *eccere*, inquit, *jusjurandum est*, *ac si dicatur* per cererem, *ut* ecastor, ædepol. *Alii* eccere *pro ecce positum accipiunt*. Sed Glossæ addicunt, *Eccere* κατὰ τῆς Δήμητρος. Unde id vocabuli Terentio restituit quasi postliminio Jon. Baptista Hansenius in Andria *Act.* v. *Sc.* IV. *Andrium ego Critonem video? eccere is est*. Nam vulgo ibi legitur *certe is est*. Et in Adelphis *Act.* I. *Sc.* I. *Sede estne hic ipsus, de quo agebam? eccere is est*. Similiter enim vulgo scriptum ibi videas, *& certe is est*. Ab uno horum juramentorum, nempe *medius fidius* (quod alii divisim sic legendum existimant: *me dius fidius* sc. *juvet*: aut simile quidpiam.) Hispanorum formulam jurandi *edios* sagaciter deducit Franciscus Fernandius de Cordova Didascaliæ multiplicis *cap.* XLI. Fidius autem (teste Varrone *lib.* IV. de Lingua Latina) *Deus est qui fideipræ est*, *& Jovis fuisse filius creditus est*. Ubi vero pro *epol*, hoc est, pro juramento, per Pollucem, dicebant *ædepol* jurasse existimo per *Ædem Pollucis*, id est, templum & sacra ejus Dei. Hæ omnes formulæ sunt juramentorum sive plenorum sive ellipticorum ac defectivorum; ad quæ posteriora non male referas ea, quæ concipiebantur per Personas aut Res varias ac propemodum infinitas.

CAPUT III.

De personis & rebus per quas juratum fuit. Per Deum. Per res ad numina sua relatas. Per Anchialum. Per octo numina. Per legem. Per Evangelium. Per Christi sepulchrum. Per Cœlum, Solem, Aquam & terram. Matth. v. 35. *Per caput.* Matth. 5. 36. *& barbam. Per Hierosolymam.* Matth. v. 35. *Per templum* Matth. XXII. 16. *Per sepulchra, cinere, defunctos & manes, ne non animas avorum & proavorum. Per animas viventium. Per solium, sceptrum, armaque Regis, nec non signa militaria. Per montes. Allium cæpasque. &c. Anserem. Canem. Hircum. Quaternionem. Per personas & res charas. Pellem suam, barbam & habitaculum. Nec non capreas cervosque* Cant. 2. 7. 3. 5. *Per nummos ferreos. Vultum de Luca. Fidemque viri nobilis.*

I. Tertio enim loco *Personas* & *res* varias, per quas juratum, exsecuturum me receperam. *Persona* ergo quod attinet, *Per Deum* jurandum communis Judæorum, Christianorum immo & Gentilium est sententia, quanquam per alias personas & res jurari posse errantes nonnulli existimaverint. Quia enim juramentum est legis naturalis, gentes omnes juramenta probarunt, & quidem talia quibus jurabatur *per Deum*. Certe Aristoteles in Rhetor ad Alex. *cap.* XVIII. jusjurandum definit φάσιν ἀναπόδεικτον μετὰ θείας παραλήψεως; Et Cicero *lib.* III. Offic. *affirmationem religiosam quasi Deo teste*. Antea eodem libro dixerat: *Cum vero jurato sententia dicenda sit, meminerit, Deum se adhibere testem*. Etsi enim (verba Antonii Walæi Professoris Leydensis ex Disputatione ejus de juramento *Thes.* VI. hic usurpo) in falsorum numinum attestatione errarint, tamen in rebus seriis & magni momenti assertionibus, illud quod pro Deo colebant, in testimonium vocandum esse, universi agnoverunt.

II. Addo etiam per ejusmodi minimum res a Gentilibus juratum, quas ad Numina sua certa relatione referendas, aut ad ipsa pertinere, vel admodum acceptas iisdem esse varias ob rationes colligebant. Magis hæc firmantur verbis Apuleji in de Deo Socratis: *Si nemo huic capiti crediderit, quis pro te Deus fidem dicet? An ut ferocissimo Mezentio dextra & telum, quod missile libro? Apagesis tam cruentos Deos, dextram cædibus fessam & telum sanguine rubiginosum. Utrumque idoneum non est per quod adjures, urve per ista jurent* cum sit summi Deorum hic honor proprius; *Nam & jusjurandum dicitur, ut ait Ennius*. Quæ posteriora verba in mendo cubant, & Lipsii judicio, sic emendanda, *Nam & Jovis jurandum dicitur*, ut ait *Ennius*. Itaque per Jovem, summum Deorum jurandum esse, ex ipso vocabuli etymo colligit; Ut jusjurandum sit quasi *jovisjurandum*, pro quo postea, ut fit, contra-

ctius

ctius nomen ſecerunt, & *jusjurandum* pronunciarunt & ſcripſerunt. Ennii autem verſus eſt apud Ciceronem.

> *Fides alma, apta Jovis pennis, jurandum.*

Nec abſimilis ille Nævii,

> *Jus ſacratum Jovis jurandum ſagmine.*

Huc pertinet juramentum *Per anchialum*, cujus mentio fit apud Martialem *lib.* XI. *epigr.* XCV.

> *Ecce negas, juraſque mihi per templa tonantis.*
> *Non credo: jura, verpe*, per anchialum.

Ubi Farnabius *Anchialum* nomen corruptum eſſe putat & correptum ex Hebrea jurandi formula, אם חי אלה, Si vivit *Deus*, quod videri vult ſe reperiſſe *Jerem.* V. 2. ſaltem quoad literas, etſi ibi יהוה pro אלה reperiatur, & אם, *ſi* alio ſenſu ibi ponatur quam in juramentis ſolet, ubi vim habet negandi. Ex his ergo elementis & vocibus אם חי בלה facit *Anchiala m* ante *ch* in *n* mutato. Sed illud, *Si vivit Deus*, non ſatis formulam jurandi conſuetam exprimit; Nam cum אם in juramentis negationis ſignificatum habeat; tandundem eſſet ac ſi diceres *Non vivit Deus*. Eapropter oppido quam elegans eſt Sam. Petiti obſervatio & ſententia Var. Lectionum *lib.* I. *cap.* XVI. cui accedo præ cæteris. Is enim *Anchialon* ſive *Anchialum* cenſet compoſitum ex אין ſive אן, id eſt, *Non*: חי id eſt, *vivit*; & עליון, *Alon* (ſic enim pronunciatum fuiſſe e Plauto conſtat) quod Dei nomen eſt, & *Excelſum* vel *Summum* denotat; ut *ſummum deorum* deſignet, apud Apulejum loco modo recitato, memoratum, ubi per illum ſolum jurandum indicatur. Ergo formula talis erit, *non vivit excelſus*. Et hoc Romanorum more expreſſit Martialis. Ait enim Judæum negaſſe ſcelus cujus arceſſebatur, quod prima formulæ voce exprimitur, *non* & illa particula ſenſum abſolvit. Deinde formula jurandi additur, *vivit excelſus*: quam Judæis familiare juramentum eſſe nemo non novit; quæque apud eoſdem ὀφίλει & efficax eſt, nec impune violatur, adeoque reum conſtituit ſic jurantem, ut eſt *Matth.* XXIII. 16. 18. Similis autem formula jurandi, cui negotio præmittitur, exſtat inter Aurea Carmina Pythagoræ.

> Οὐ, μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετράκτυν,

> *Non, per eum a quo animæ datus ille quaternio noſtræ.*

III. Erant inter Ethnicos, qui jurabant *perocto numina*. Orpheus enim, ſi quis divinam juſtitiam (verba, refero Alexandri ab Alexandro *lib.* V. *cap.* X.) atteſtari vellet per Numina octo jurare permiſit Ignem, Aquam, Terram, Cœlum, Lunam, Solem, Phanem & Noctem. Fuit quoque literis proditum, Pontifici Maximo per Deos jurare licuiſſe, per liberos vero non licuiſſe. Illud etiam profuerit admonuiſſe, diu ſervatum apud Romanos, ut neque viri per Caſtorem, neque mulieres per Herculem jusjurandum darent. Pollucem vero utrique jurare non vetabantur. Hæc fere ſic apud Gellium quoque reperias *lib.* X. *cap.* VI. ubi, quoad Herculem fœminis jurare vetitum, hæc ratio redditur, *quod Herculano ſacrificio abſtineant. Cur autem*, inquit, *viri Caſtorem jurantes non appellarunt, non facile dictu eſt. Nuſquam igitur ſcriptum invenire eſt, apud idoneos quidem ſcriptores, aut Mehercle feminam dicere, aut Mecaſtor virum. Et* poſt pauca, *Sed M. Varro aſſeverat, antiquiſſimos viros neque per Caſtorem neque per Pollucem dejerare ſolitos: ſed id jusjurandum fuiſſe tantum feminarum ex initiis Eleuſinis acceptum. Paulatim tamen, inſcitia antiquitatis viros dicere Ædepol cœpiſſe; factumque ita dicendi morem. Sed Mecaſtor a viro dici, in nullo veteri ſcripto inveniri*. Apud Apulejum autem uno præterpropter poſt Gellium ſeculo *lib.* IV. *Metam.* anus ſic jurat: *Bono animo eſto Mehercules, nec vanis ſomniorum figmentis terreare*. Adhæc *ſæpius maſculi per Deos* (ut dicto loco ſcribit Alex. ab Alexandro) *mulieres per Deas jurare uſurparunt. Licet Socrates apud Platonem* (in Gorgia) *per Junonem juraſſe legatur*. Qui religioſiores videri volebant, metu pejerandi & Numina irritandi, nomen Deorum omittebant dicentes, Οὐ μὰ τὸν, vel Νὴ τὸν. Nec deerant qui *per* ipſum *juramentum* jurabant, ſic Deos etiam nominare ſuperſedentes. Sic Pindarus jurat *Nem. Od.* XI. Ναὶ μὰ ὅρκον. *Per jusjurandum*. Scholiaſte id ibidem obſervante. Vetuſtiſſimum ſanctiſſimumque vero jurandum *fides* fuit. Sic enim de Numa Plutarchus in ejus vita: Πρῶτον δὲ φασι καὶ Πίστεως καὶ Τέρμονος ἱερὸν ἱδρύσασθαι, καὶ τὴν μὲν Πίστιν ὅρκον ἀποδεῖξαι Ῥωμαίοις μέγιστον. ᾧ χρώμενοι μέχρι νῦν διατελοῦσιν.

Hunc

Hunc memorant primum Fidei & Termini templa excitavisse. Fidem autem constituisse Romanis maximum jusjurandum, quod etiamnum observant. Sive per fidem, veluti Deam, jurarint, sive fidem suam interponendo, maximum juramentum præstitisse Romani tunc crediti fuerint; idque illis revera juramentum fuerit. Certe Petronius sic jurat: *Per fidem, inquam, pater, cujus hæc navis est, aut quos vehat dicere potes.* Et iterum: *Per fidem, saltem nobis parce.* Quomodo Galli hodie *par ma foy*, hoc est, *per fidem meam* dicendo, jurare, an fortiter quidpiam asseverare se existimant.

IV. Judæi posterioribus seculis *per legem* jurare in more positum habuerunt. R. David. (ut observavit Drusius De Tribus Sectis Judæorum *lib.* II. *cap.* XVI.) *Jes.* VIII. 20. לתורה, per legem, *juramentum est. Ut cum homo dicit*, per legem *erit istud sic vel sic*. Fagius annotat ad Oncelum *Exod.* XXIII. I. Judæos hodie, cum jurant, ponere manum super librum Legis, & hoc solum juramentum in pretio haberi, cætera vilipendi. Non abs re quis conjecerit inde ad Christianos fluxisse consuetudinem jurandi *super Evangelia*. Qua de re mox plura: Similiter etiam judaica Anathematis formula sic inchoabatur: *Ex decreto civitatum & sanctorum jussu nos anathematizamus, adjuramus, exterminamus, excommunicamus, maledicimus & exsecramur, volente Deo & Ecclesia*, per librum hujus legis, *per* DCXIII. *præcepta in eo conscripta &c.* Videsis plenam ex Sepher Colbo descriptam a Seldeno *lib.* IV. de jure Naturali & Gentium juxta Disciplinam Hebræorum *cap.* VII.

V. De Christianis autem constat jurasse eos *per evangelium*. Decretum Gratiani *Caus.* XXII. *qu.* I. *cap. Si quis. Queritur quis magis teneatur, an ille qui per Deum, an ille qui* super sacra evangelia? *Huic quæstioni Joannes Chrysostomus respondet, dicens: Si aliqua causa fuerit, modicum videtur facere qui jurat per Deum; qui autem* per evangelium, *majus aliquid fecisse videtur; quibus dicendum est: Stulti: propter Deum Scripturæ sanctæ sunt, non Deus proptrr Scripturas.* Ubi Glossa: *Vel dic, quod qui jurat per Deum non solemniter, minus peccat quam qui solemniter* per evangelium; *sed si utrumque juramentum est solemne, magis peccat qui jurat per Deum* Novella VIII. tit. III. in juramento quod præstatur ab his qui administrationes accipiunt, jurans dicit, *per quatuor evangelia, quæ in manibus meis teneo.* Arabes quidam similiter *per evangelium* jurare ex Pauli, Episcopi Sidonii, Systemate Theologico *MS.* ostendit *Hottingerus* Ἀρχαιολογίας *Orient. part.* II. *pag.* 90.

VI. Item *per Christi sepulchrum*. Meminit ejusmodi juramenti Nicetas Choniates *lib.* V. in Manuele Comneno. Τὸν τῶ χριςῶ τάφον, inquiens, εἰς ὅρκον παραλαμβάνων, id est, *Christi sepulchrum jurans.*

VII. Qui per octo Numina, ut supra dicebamus, jurabant, *per cœlum, per solem, per aquam, & per terram*, manifeste etiam jurabant; propterea de illis nunc agere decretum est. Homerus de illis sic habet Iliad. γ.

> Ζεῦ κύδιςε, μέγιςε κελαινεφὲς αἰθέρι ναίων
> Ἠέλιός θ' ὃς πάντα ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακέεις,
> Καὶ ποταμοὶ καὶ γαῖα, καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας
> Ἀνθρώπους τίνυσθον ὅ τις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.

Quomodo adducuntur hi versus ab Heraclide Pontico in libro de Allegoriis in Homeri Fabulas. Sic autem a Conrado Gesnero transferuntur:

> *Jupiter omnipotens, clarissime, maxime Divum.*
> *Et tu Sol, qui cuncta vides, audisque per orbem,*
> *Et Fluvii & tellus, & qui perjuria subtus*
> *Omnia punitis hominum, qui falsa loquuntur.*

Et quidem *per cœlum* jurasse Judæos non tantum ex verbis Salvatoris *Matth. v.* 34. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, μὴ ὀμόσαι ὅλως: μήτε ΕΝ ΤΩ ΟΥΡΑΝΩ &c. sed etiam Rabbini, qui ex male intellectis nonnullis S. Scripturæ locis sic jurari posse collegerunt. Qualis ille est *Amos* VIII. 7. *juravit Dominus per excellentiam Jacobi*, quod R. David & Aben Ezra exponunt *per cœlum*; cum sensus sit *per seipsum*, utpote qui solus est *excellentia Jacobi*. Abrah Scultetus Exercitat. Evangelic. *lib.* II. *cap.* XXV. ex Philonis libro περὶ ἀναφερομένων ἐν εἴδει νόμων, hæc verba adducit: *Non quidem per ipsum Deum, sed per terram, solem, stellas*, cœlum, *totum denique mundum nos jurare posse.* Apud Epiphanium legere est, Elxai quendam suos non tantum per Deum sed & alias res creatas, ac speciatim etiam ΕΝ ΟΥΡΑΝΩ, id est, *per cœlum* jurare coegisse. Tametsi autem *Cœlum* designet interdum ipsum Deum *Matth.* XXI. 25. ubi *Cœlum* manifeste *hominibus* opponitur; &

hoc ipsum adstruatur locis illis *Ps.* LXXXIII. *9. Dan.* IV. *26. Luc.* XV. 18. 21. *&* I. *Macchab.* III. 18. quomodo etiam שמים frequenter apud Talmudicos usurpatur, cujus rei exempla suppeditat Buxtorfius in Lexico Chaldaico & Talmudico. Item Drusius Proverbiorum *Classe* I. *Proverb.* XLVI. Et Aloysii Novarini Schediasmata Sacro prophana *lib.* I. *cap.* III. Nec non Poeta qui dixit ---- *cœlo gratissimus amnis*, id est, Deo aut cœlicolis. Cœlum enim pro Numine cultum tyrones norunt. Nihilominus hoc significatu *Cœlum* a Judæis jurantibus non usurpatum Christus satis liquido ostendit, cum juramentum tale, ut illegitimum reprehendit & vetat. Unde mirari subit, cur Petrus Cunæus *lib.* III. *de Rep. Hebr. cap.* VI. משמים, *Cœlum* apud Rabbinos Dei nominibus accenseri dicens, continuo subjungat, Quam *usitata autem illis res esset, jurare per Cœlum, non potest ignorare, qui Divi Matthæi verba legit in capite quinto, ubi istum morem reprehendit Servator hominum Messias.* Quippe enim, si per *Cœlum* Deum ipsum intellexissent, qua ratione eos reprehendere Christus potuisset? Res autem clara est, juramentum illud explicante Christo *Matt.* XXIII. 22. *Qui juravit per cœlum, jurat per thronum Dei.*

VIII. *Per Solem* jurasse nonnullos liquet ex Euripide in Medea, ubi Ægeus, præeunte Medea, jurat per Terram & Solem, hoc modo:

> Ὄμνυμι γαῖαν, λαμπρὸν ἡλίου τε φῶς
> Θεούς τε πάντας, ἐμμένειν ἅ σου κλύω.

Seldenus in De Diis Syris laudat Vettium Valentem, Astrologum ἀνέκδοτον, qui ejusmodi juramentum memorat: Ἐντυγχάνοντας ὁρκίζω, ΗΛΙΟU μὲν κυκλὸν ἱερόν, καὶ σελήνης ἀνωμάλους δρόμους, τῶν δὲ λοιπῶν ἀστέρων δυνάμεις, καὶ κύκλον δύο καὶ δέκα ζωδίων, ἐν ὑποκρύφοις ταῦτα ἔχειν, καὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις καὶ ἀμυήτοις μὴ μεταδιδόναι, τιμῆντε κατὰ μνήμην τῷ εἰσηγησαμένῳ ἀπονέμειν. ἐ ὁρκοῦσι μὲν εὖ εἴη, καὶ καταθύμιοι οἱ προκείμενοι θεοί. ἐπιορκοῦσι δὲ τὰ ἐναντία. *Omnes qui in me inciderint adjuro* per sacrum solis circulum, *inæquales Lunæ cursus, reliquorumque siderum vires, & signiferum circulum, ut in reconditis hæc habeant, nec indoctis aut prophanis communicent, sed præceptoris memores sint, eique honorem retribuant. Dii jam dicti sancte jurantibus dent quæ velint, pejerantibus contraria.* Ita Persarum mos fuit jurare *per mithram*, hoc est, Solem; ut est apud Alex. ab Alexandro *lib.* V. *c.* X. Et quidem omnia Ethnicorum Numina ad Solem referri commode posse alibi observamus. Sol autem unicum & summum Deum designat, qui sic dictus quod *solus* sit, sive unicus.

Sic in Fœdere Smyrnæorum cum Magnesiis: *Smyrnæi juranto iis qui e Magnesiis advenerint, juramentum hujusmodi:* juro per terram, solem, Martem, Minervam &c. In Mahumedis Alcorano aliquoties ejusmodi habemus formulas. Azoara XCV. *per cœlum signiferum* invenitur. Ubi Paraphrastes Arabs id sic interpretatur, *Sydera* XII. *antiquitus delineata in Alphurcan* seu *Alcorano*. Similes formulas habes in Azoara LXIII. & XCVI. ubi *per stellam vespertinam* juramentum concipitur. Etiam in Azoara XCIX. juratum videmus *per auroram*. In Azoara autem LVI. secundum numerum Arabicum, scriptum invenitur: *Ne jura* per occasus stellarum. *Nam illud juramentum, si noveritis, magnum est.*

IX. *Per aquam* etiam jurabant, aut *Per fluvios*. Ita enim Alex. ab Alexandro sæpe mihi hic nominandus: *Massagetis*, inquit, per Tanaim & Mæotidem *paludem, solemne juramentum fuit.* Maximus Tyrius Serm. XXXVIII. *Mons Cappadocibus est Deus, jusjurandum & simulachrum; Mæotis palus, & Tanais Massagetis.* Paulo ante dixerat Alexander. *Per terram, per amnes, per fontes, per undas fluentes immanissimum sanctissimumque jujurandum fuisse.* Sunt autem verba Plutarchi in vita Demosthenis, ut Tiraquellus observavit. Rursus: *Indi per Aquam Sandracinam, quæ aqud magos e fonte manabat, maximum jusjurandum æstimarunt, ita ut dejerantes gravi nexu & certissimo exitio tenerentur.* De illa aqua sic Philostratus in vita Apolloni: *Dicebatque Apollonius postmodum didicisse, omnem quæ sub puteo est, terram Sandaracinam esse; aqua etiam ejusdem putei arcanam vim quandam habere arbitrabantur. Nec ex ea bibit aut haurit omnino quisquam. Putatur autem per omnem Indiam, maximum esse jusjurandum, si quis per eam aquam juraverit.* Ita apud Homerum Juno Stygis aquam vocat μέγιστον ὅρκον, *maximum juramentum*. Nam *per stygem* jurasse Deo tralaticium est. Virgilius *lib.* VI. *Æneid.*

> *Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem,*
> *Dii cujus jurare timent & fallere numen.*

Vide eundem *lib.* IX. Homerum Idiad. *lib.* II. Ausonium in Monosyll. Minucium Felicem, Lactantium *lib.* I. *cap.* VII.

VII. Tertull. de anime, Theodoretum de Providentia *Orat.* IV. Eusebium de Præpar. Evangel. *lib.* III. *cap.* VII. & *lib.* XI. *cap.* XX. Nec non Apollodorum Bibliothecæ *lib.* I. ubi late hoc jurandum exponit. Qui autem per Stygiam aquam jurabant Dii illum morem servabant, ut una manu terram, altera mare contingerent.. Homerus Iliad. Ξ ubi Somnus Junonem sic ad jurandum impellit:

> Α῎γρει νῦν μοι ὄμοσσον. ἀάατον ςυγὸς ὕδωρ
> Χειρὶ δὲ τῇ ἑτέρῃ μὲν ἕλε χθόνα πουλυβότειραν,
> Τῷ δὲ ἑτέρῃ ἅλα μαρμαρέην.

> *Age, nunc mihi jura inviolabilem Stygis aquam:*
> *Manu vero altera quidem cape terram multipascuam;*
> *Altera vero mare marmoreum.*

Verus autem Dei Filius αὐτόθεος *Apoc.* x. 5. 6. longe aliter pede uno terram, altero mare pressit, ut imperium in utrumque hoc pacto declararet. Absit enim ut quis Ethnicam jurandi rationem inibi expressam & usurpatam a Christo cogitet. *Et per Istrum* jurarunt accolæ. Claudianus de Bello Getico:

> ---- *qui cuncta sibi cessura ruenti*
> *Pollicitus, patrii numen juraverat Istri.*

Et Prudentius.

> *Tentavit Geticus nuper delere tyrannus*
> *Italiam, patrio veniens juratus ab Istro.*

Unde Junius Philargyrius in Virgilii Georg. *lib.* II. *Ansidius Modestus legisse se affirmabat, hunc morem esse Dacorum, ut, cum ad bella proficiscerentur, non prius rem capesserent, quam de Istro certum modum haurientes ore, in modum sacri vini, jurarent, non se ad patriam sedem regressuros, nisi hostibus cæsis; Et idcirco Virgilium, familiari sibi hypallage usum, dixisse,* Istrum conjuratum; *apud quem Daci conjurare consueverunt.* Gentes enim (ut autor libri Sapientiæ testatur) *aut ignem, aut ventos, aut celerem aerem, aut violantas aquas, aut cœlestia luminaria, mundi rectores & Deos esse existimarunt.*

X. *Per terram* jurasse Judæos Christus, eos propterea reprehendens, indicat *Matth.* v. 35. Epiphanius Elxai illum, de quo modo diximus, narrat instituisse inter alia quoque jusjurandum. ΕΝ Τῇ Γῇ, *per teram.* Et Philo Judæus in libro illo qui inscribitur, Περὶ τῶν ἀναφερομένων ἐν εἴδει νόμων &c. circa principium jurare permittit *per terram, Solem, cœlum aut mundum*; deceptus nimirum ab illis Judæis, qui eundem errorem imbiberant cum illis, qui Christo fuerunt σύγχρονοι. Sic quoque apud Ovidium legere est *lib.* I. *Trist. Eleg.* I.

> *Per mare, per terras, per tertia numina juro.*

XI. Morem jurandi *per caput suum* videmus *Matth.* v. 36. Ethnicorum imitatione, qui sic juramenta concipiebant, aut etiam *per caput alterius.* Ovidius *lib.* v. *Tristium Eleg.* VIII.

> *Per caput ipse suum solitus jurare, tuumque,*
> *Quod scio non illi vilius esse suo.*

Ulpianus D. de jurejurando *lib.* 3. §. ult. *Cæterum si ego detuli, ut per Deum jurantes, tu* per caput tuum *jurasti, vel* Filiorum suorum, *non erit juratum habendum jusjurandum.* Quæ Balsamon imitatus est ad Synod. VI. in Trullo Can. XCIV. *Sicut defertur jurisjurandum, ita etiam debet jurari. Si enim cum ego per Deum detulerim, per caput tuum juraveris, vel per tuos liberos, non est firmum ac ratum. Quare si detuli tibi per caput tuum, vel liberorum tuorum, & sic juraveris, jusjutandum valere debuit &c.* Quæ autem juramenta dicebantur *Græca*, sive ὅρκοι Ἑλληνικοὶ (ut ibidem videre est) talia erant quæ per ἀδόκιμον θρησκείαν & ψευδωνύμους θεοὺς concipiebantur. De his mentio fit in Photii Nomocanone *tit.* XIII. *cap.* XIX. Et Basilii *Can.* LXXXI. Quod obiter & in transitu hisce adjicere, licet loco alieniore, haud plane alienum duxi. Item *per oculos suos* aut *alterius.* Ovidius *lib.* III. Amorum *Eleg.* II.

> *Perque suos illam nuper jurasse recordor,*
> *Perque mets oculos.*

Ita Cyclops apud Theocritum Idyllio XI. jurat: Ναὶ τὸν ἕν ὀφθαλμὸν τῷ μοι γλυκερώτερον ἐόν. Ut locum restituit Daniel Heynsius. Sed plura harum omnium formularum exempla addere non est otium, quæ diligenter congessit Brissonius *lib.* VIII. de Formulis. Nec non Tiraquellus in Alex. ab Alex. *lib.* v. *cap.* x. Joh. Michael Dilherrus Disputationum Academi-

carum & Philologicarum *tom.* II. *Disp.* VII. *Posit.* III. obiter ritus jurandi *per caput* mentionem injiciens lectorem suum remittit ad Bartholomæi Majeri *lib.* I. *Phil. Sacram. pag.* 227. Interim adjicit R. Aben Ezræ verba, in *Exod.* X. 7. sic de Ægyptiis scribentis: *jurabant* per caput regis. *Quod jusjurandum qui violabat, capite plectebatur, nec ulla pecunia se redimere poterat, quandoquidem publice contempserat regem. Si sic fit regi, qui est caro & sanguis, cujus initium vanitas, finis vanitas, & regnum quoque vanitas: quid fiet Deo, qui millies millesies rege major est?* Sic enim plenius illum locum descriptem invenio apud Drusium de Tribus Sectis Judæorum *lib.* II. *cap.* XVI. His omnibus pro mantissa addo scriptorem Ecclesiasticum Augustinum *Tract.* XXXV. in Johannem: *Nam & oculi nostri lumina dicuntur, & unusquisque ita jurat, tangens oculos suos,* per lumina sua. *Sic* vivant lumina mea, *usitata juratio est.* Item Balsamonem, qui in Canonem XCV. Synodi sextæ in Trullo sic commentatur: *Si enim, cum ego per Deum detulerim*, per caput tuum, *juraveris*, *vel* per tuos *non est firmum ac ratum*. Sic enim Gentianus Hervetus verba illa e Græco recte transtulit, ubi male legebatu, (teste Sam. Petito Variarum *Lect. lib.* I. *cap.* XVI.) ὅυτως ὠφελόν ἐιναι ὅρχος ἐῤῥωμένος, legendum enim ὄυπω ὤφελον ἐιναι ὁ ὅρχος ἐῤῥωμένος, *non erit ratum habendum jusjurandum.* Et hoc ipsum verbis Ulpiani modo adductis stabilitur. Cæterum, cum juratum fuerit Ethnicis, ut dicere me memini, per id quod Dei instar colebant, & divini aliquid in se continere existimabant, indagare lubet, quid hac in parte de capite humano judicarint. Athenæus causam aperit jurandi per caput *lib.* II. cum ait: *Quod sacrum olim caput existimarint, indicio est, jurandi per ipsum consuetudo.* Et sic Isidorus Pelusiota *lib.* III. *epist.* CCLXVII. Eutonio Diacono ait: *Illud scito, sacrosanctum caput.* Et *Epist.* CXXX. Hermogeni Episcopo, *Cum Scriptura sacra de Salvatore verba facit, o sacrum caput! haudquaquam pugnantia docet.* Item Synesius *epist.* CXXIII. *Num quando sacrum tuum caput amplector.* Etsi non nesciam totos homines *ibi sanctos dici.* Caput tamen non excluditur, sed maxime respicitur. Caput loco aræ habebant. *Per aram* autem, sive *altare* jurasse veteres liquet ex *Matth.* XXIII. 18. Nec non ex Hesychio, βώμηνεν per ὤλοσε explicanre. Prius enim verbum a βωμός deduci arbitror. Uti & quod sequitur apud eundem Hesychium: Βωῶμεν, ὀμόσωμεν idem firmat. Unde Cælius Rhodigin. *lib.* XX. *cap.* XIII. ex Johannis Grammatici Commentario in Hesiodum hæc affert: *Ara horum Deorum, id est, animalium potentiarum, est in capite locus, ubi rationalis residet facultas: nam & Euripides inquit:*

> Οὐκ ἔςι πειθȢς ἷερον ἄλλο πλὴν λόγος.
> Καὶ βωμὸς ἀυτῆς ἐςὶ ἐν ἀνθρώπȢ φύσει.

> *Suadelæ sacellum non est aliud præter orationem:*
> *Ipsius autem ara in hominis natura.*

Immo caput *Cœli* nomine indigitabant, quod inter Numina recenseri neminem fugit. Proinde idem Joannes Grammaticus sic hanc rem exsequitur: *Olympus cœlum est, & universus mundi ambitus, quod undique colluceat. Sed & Cœli quadam similitudine, sphæroides hominis caput, in quo est* τὸ ὅλον λαμπὲς λογιςικὸν, *id est, hinc inde enitescens rationis facultas, Olympus dicitur. Sed & in primum Iliodos Eustathius,* ὀυρανὸν *apud Homerum ab antiquis pro capite accipi scribit; proinde Pallada e Cœlo fingi descendisse.* Hinc similiter tanquam per capitis decus, *per capillos* & *per canos* juratum. Apulejus *lib.* III. Metam. *Adjuro per dulcem istum capilli tui nodulum*, Augustinus in *Psalm.* X. ad illa verba, *Qui confidunt in Domino,* sic scribit: *Illi timeant qui confidunt in homine, & de parte homines se esse negare non possunt per cujus canos jurant.* Huc facit juramentum *per caput Dei* & *per capillum Dei*. Id vetitum reperio in Decreto Gratiani *c.* XXII. *qu.* I. Si quis. *Si quis* Per capillum dei; *vel* caput juraverit, *vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit: si in Ecclesiastico Ordine est, deponatur: si laicus, anathematizetur.*

Accedat his jusjurandum *per barbam suam.* Quomodo jurasse Barbarossam, in Proverbiis Germanicis Agricola refert *fol.* 397. *b.* teste Joh. Michaele Dilherro Disput. Philolog. *tom.* I. *pag.* 188. ubi juramentum illud sic affertur. Ich wils halten bey meinem Bart. Simile exemplum Othonis Magni Imp. & Ducis Albani infra memorabimus.

XII. *Per Hyerosolymam* juramentum concipere Salvatoris tempore male inoleverat, ut liquet *Matth.* V. 35. qua formula indirecte jurari quodammodo per Deum ipsum docetur, *quia* (ut ibidem dicitur) *urbs est magni regis.* Putat Drusius consuetudinem illam inde originem du-

duxisse, quod Deus juravisse legatur *per excellentiam Jacobi Amos.* VIII. 7. per quam ipsam Hierosolymam interdum designari existimat, non abs re: nam id liquet *Psalm.* XLVII. 5. itaque videntur putasse Judæi, Deum juravisse *Amos* VIII. 7. *per Hierosolymam*. Sed frustra. quia *excellentia Jacobi* Deum ipsum ibi designat, qui cum majorem superioremque non habeat, per seipsum jurasse dicitur *Heb.* VI. 13.

XII. *Per templum* similiter Judæi jurasse reperiuntur *Matth.* 23. 16. Et hoc ipsum in Judæo agnoscit Martialis versibus ex *lib.* XI. supra adductis, ubi est.

> ---- *jurasque mihi* per templum *tonantis*.

Item *per aurum Templi* apud eundem Evangelistam in eodem commate. Et, ut rem sacram sacris adjungam, *Per Hostiam* jurare etiam Ethnici moris fuit. Inde enim est quod Pausanias in Eliacis narrat, veteres solitos fuisse hostiam per quam jurarant non amplius inter edulia & cibaria hominibus apponere. Sicuti & Homerus præconem inducit, qui aprum in mare proturbarit, ideo quia Agamemnon per illum jurarat, Briseida sibi intactam, lectique sui expertem esse.

XIV. Non hic sepulcra, cineres, ipsique defuncti omissi. Nam *Per Sepulchrum Christi* juratum. *Nicetas Choniates* lib. 5. in Manuele Cemneno: Τὸν τοῦ Χριστοῦ τάφον εἰς ὅρκον παραλαμβάνων *Christi sepulchrum jurans*. Nec silendum juramentum *per Abelis sanguinem*, quod Sethi posteros jurasse narrat autor libri *Said Aben Batrich*, qui Arabica lingua scriptus est, & in quo Sethi familiæ recensentur. Hi etenim populi Caino ejusque nepotibus infensi, solemni juramento sese constringebant *per sanguinem Abelis*, in vallem se nequaquam seu a monte sacro descensuros, ut annotavit in Schediasm. sacroprophanis Aloysius Novarinus.

Adhæc *per defunctos*, & *per manes* jurarunt veteres sæpicule. Alex. ab Alexandro *lib.* V. *cap.* X. Strabonem *lib.* XVII. secutus, *Æthiopes* inquit per defunctos, *quorum corpora vitro servabant*, *dejerarunt*. Et postea: *Augilis, qui circa Cyrenem sunt, & Nasamonibus, nisi* per manes Defunctorum, *quos veluti Deos colebant, jurare fas erat, illorum sepulchra contingentes*. *Quod Æpyptiis quoque in more fuit, ut* per defunctos, *quos in fictilibus circa templum condiderant, maximum putarent jusjurandum; contra cujus religionem venire non licebat:* De Æthiopibus, non de Ægyptiis id verum est. Nam Diodorus Siculus *lib.* III. *cap.* I. de iisdem Æthiopibus locutus, hæc habet: Ἔνιοι δὲ εἰς ὀστρακίνας σοροὺς ἐμβάλλουσι, καὶ κατορύττουσι κύκλῳ τῶν ἱερῶν, καὶ τὸν ἐπὶ τούτοις γινόμενον ὅρκον μέγιστον ἡγοῦνται. Quæ inde depromsisse Alexandrum clare cuivis dilucet: falsum tamen, dum Ægyptiis id adscribit, nisi librariorum error sit. De Augilis sic Mela *lib.* I. *cap.* VIII. *Augilæ* manes *tantum Deos putant; per* eos *dejerant, eos, ut oracula consulunt; precatique quæ volunt, ubi tumulis incubuere, pro responsis ferunt somnia*. De Nasamonibus autem Herodotus *lib.* IV. *Jurejurando ac divinatione tali utuntur, per eos viros qui justissimi atque optimi apud illos fuisse dicuntur jurant, illorum sepulchra tangentes*. Pari modo *per cineres suorum* jusjurandum more receptum fuit. Seneca *lib.* I. controv. I. *Ego fame morientem videbo* per cujus cineres *juratus sum*. Suetonius de Claris Orat. *Jura* per patris matrisque cineres, *qui inconditi jacent hinc*. Propertius *lib.* IV. *eleg.* XII.

> *Testor majorum cineres* ----

Ovidius accedat, cujus hic versus est: *ossa tibi juro per matris, & ossa parentis*. Philo in libro nobis antea laudato satis declarat se Judæosque suos a gentibus hanc consuetudinem mutuo sumsisse, cum scribit: *Quod si rei necessitas religionem jurisjurandi postulet. magis, decet jurare* per partis aut matris sanitatem, & senectutem prosperam, *si vivunt; aut, si defuncti sunt*, per eorum beatam memoriam. *Sunt enim effigies & simulachra Numinis, qui liberos ad vitam produxerunt de nihilo. Extat scriptum in legibus prisci cujusdam celebrati sapientiæ nomine: Dejerato per religionem patris tui*. Enimvero per creaturas jurare fas esse Judæi crediderunt, ubi res non agebatur coram publicis judicibus, ut ostendit & probat ex Hebræorum Magistris Sam. Petitus Var. Lect. *lib.* I. *cap.* XVI.

Nec absimile juramentum illorum, qui *per sepulchra* virorum fortium dejerabant. Seneca Rethor *Suasor.* II. *Cassius, cum descripsisset honores, quos habituri essent, si pro patria cecidissent, adjecit: per sepulchra nostra jurabitur*. Illi affine est jurandum *per interfectos* in bello. Quintilianus *lib.* IX. *cap.* IX. *Demosthenes, jurando* per interfectos *in Marathone & Salamine, id agit, ut minores injuria cladis apud Chæroneam acceptæ laboret*. Et *lib.* XI. extremo: *Neque Demosthenes jurando per Marathonis & Platædrum & Salaminis propugnatores, recto sono juravit*. Id est,

est, proprie dictum juramentum non præstitit. Quod testatur etiam Aristides ἐν τῷ περὶ σεμνότητος. Eupolis tamen juramentum esse diserte affirmat. Sunt enim Demosthenis hæc verba satis evidentia in Orat. περὶ στεφάνου: Οὐ μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας τῶν προγόνων, καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους &c. *juro per majores nostros, qui in Marathone pro aliis caput periculo objecerunt, & qui ad Platæas in acie steterunt &c.* Hinc corrigendus Lactantius Placidus, vetus Papinii Interpres, cum ad versum illum *lib.* V. *Thebaid.*

> *Hic & ab asserto nuper Marathone*
> *superbum Thesea &c.*

sic scribit: *Marathon civitas, in qua Theseus nutritus est; quam cum Persæ invasissent, ab Atheniensibus, Theseo duce, cæde magnorum virorum liberati sunt. Unde factum est, ut ita Athenienses jurent:* Marti & Marathoni. Casp. Gevartius Electorum *lib.* III. cum in veteri Codice Fr. Tiliobrogæ animadverteret scriptum esse: *Matthæos & Marathoni*, pro verbis illis nihili, substituit: Μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι, quæ Latinis literis scripta hactenus viros eruditos fefellerant.

Huc pertinet juramentum *per animas avorum & proavorum*. Tale enim juramentum refert exhibetque lectori Seldenus in Notis ad Smyrnæorum Decreta & Fœdus cum Magnesiis ictum. Anno enim a nato Christo MDCIV. Achmetem Turcarum Imperatorem narrat cum Henrico Magno, Galliarum Rege fœdus factum juramento firmasse *per veritatem magni Dei omnipotentis, Creatoris cœli & terræ, & per animas avorum suorum, & proavorum.*

XV. Sed potissimum juratum *per animas viventium.* I. Sam. I. 26. Heli Sacerdotem viventem & præsentem compellans Anna dicit: *Vivit anima tua, Domine.* Et II. Reg. II. 2. Elisæus sic ad Eliam: *Vivit Dominus, & vivit anima tua, qui non derelinquam te.* Vide etiam II. *Reg.* IV. 30. Quod æquivalere putant τῷ *per animam tuam*, a quibus ego seorsim sentio, & formulam illam, ut alias complures, existimo fortem asseverationem esse, sumtam a re præsenti & evidentissima, q. d. tam vere, quam certum est te superesse & vivere. Recte enim Basilius in *Ps.* XIV. Εἰσὶ δέ τινες λόγοι σχήματα μὲν ὅρκου ἔχοντες, οὐχ ὅρκοι δὲ ὄντες, ἀλλὰ θεραπεία (genus quoddam obtestationis, quo auditorum animi concilientur ac confirmentur) πρὸς τοὺς ἀκούοντας, ὡς ὁ Ἰωσὴφ τὸν Αἴγυπτον οἰκειούμενος, Νὴ τὴν ὑγίειαν ὤμνυε Φαραώ· καὶ ὁ ἀπόστολος τὴν πρὸς Κορινθίους ἀγάπην ἑαυτοῦ παριστῶν, ἔφη, Νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν, ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν. Et hanc sive jurationis formulam in verbis Davidis sibi reperisse visus est sæpe mihi nominatus Sam. Petitus *Psal.* XXIV. 4. לא נשא לשוא נפשו: *Non sustulit in vanum animam suam.* Sic enim est Ketib, ut sensus sit, Non vane juravit per animam suam. Vel (ut punctatio suadet τοῦ נפשו, & sicuti in Keri invenitur, testibus etiam Masoretis nempe, נפשי *animam meam*) ostendit Propheta, populum sæpe jurasse per animam Davidis Regis sui, loquitur enim David ibi de seipso, utpote Psalmum illum ipse scribens. Itaque Petitus illud נפשי refert ad juramenti illam formulam qua jurabant בנפש המלך, *per animam Regis.* Quomodo Josephus *Gen.* XLII. 15. 16. *vivit Pharao* dixit, cum fortiter & quasi jurando aliquid affirmare vellet, ac si dixisset, *per vitam Pharaonis.* Sed potior mihi alia visa est sententia, Davidem nimirum loqui de vero & proprie dicto juramento: nam additur, *Nec juravit in dolo.* Itaque eadem locutio hic reperitur quæ exstat in tertio Decalogi præcepto, *Non tolles in vanum nomen Domini Dei tui*; & dicit Vates sanctus, eum ascensurum montem Domini, qui non jurat vane *per animam ejus* (נפשו) nempe *Jehovæ*, quod nomen præcessit. Aut *per animam meam*, erunt verba Jehovæ, ut ipse inducatur sic loquens. Alioquin, si proprie dictum juramentum recenseri quis velit, dicendum etiam erit, Davidem juramenta ejusmodi *per animam Regis*, approbare & mercedem æternam ex gratia a Deo consequi tales dicere, præsertim, si rata habeantur, & impleantur. Nam *per animam meam* etiam dicebant jurantes solemni formula. Sic enim Orestes apud Euripidem in Oreste:

> Ὄμοσον. εἰ δὲ μή, κτενῶ σε, μὴ λέ-
> γειν ἐμὴν χάριν.
> Φρ. Τὴν ἐμὴν ψυχὴν κατώμοσ', ἣν ἂν
> εὐορκοῖμ' ἐγώ.

> Orest. *Jura (alias te necabo) te hoc*
> *non dicere in meam gratiam.*
> Phryx. *Per animam meam juravi;*
> *& quidem bona velim fide.*

Utinam vero Belgis nostris id juramentum non nimium frequens esset & temerarium! By miin ziel.

Non abutar hic meo aut lectoris otio, si adscripsero, quæ Joh. Seldenus ad Smyrnæorum Decreta & Fœdus cum

Ma-

Magnesiis ictum, & speciatim ad verba ilia, „ Καὶ τὴν τοῦ βασιλέως Σελεύκου τύ-
„ χην. Mos, inquit, invaluit in Orien-
„ te jurandi sæpius per Fortunam, Sa-
„ lutem, Vitam, Caput Principis. Ne-
„ que inter hæc in Gentilitatis Theolo-
„ gia discrimen erat. Vetustissimum est
„ exemplum in Geneseos *cap.* XLII. Ubi
„ Josepho חי פרעה *vivit Pharaoh*, seu
„ *per vitam Pharaonis*, ad Hebræorum
„ & qui cognatas habent linguas, mo-
„ rem adjurandi profertur. Nec aliter
„ transtulit Aquila quam per ζῇ Φαραὼ
„ ut & hodie Galli *vive Pharoah.* At-
„ qui senioribus redditur, Νὴ τὴν ὑγίειαν
„ Φαραὼ *per salutem Pharaonis*, quod re-
„ tinet Latina. Nam vivere etiam est
„ valere, lætari, felicem esse. Vetustis-
„ simum autem Geneseos exemplar MS.
„ in Bibliotheca Cottoniana habet ibi,
„ Μὰ τὴν ὑγίειαν Φαραώ. " Jurat etiam
„ Urias Davidi Regi חייך וחי נפשך per vitam tuam & per vitam animæ tuæ, seu per salutem tuam & salutem animæ tuæ, ut in Latina editione. Habetur II. Samuelis *cap.* II. *comm.* 12. „ Et de ca-
„ pite Regis testatur R. Abenezra in
„ Decalogum. Ubi eum capite plecten-
„ dum, etiam suo ævo, scribit fuisse,
„ qui apud Ægyptios בראש הלמך *per*
„ *caput Regis* pejeraverat, nec tanto au-
„ ro, quantum ipse pendebat, redimen-
„ dum. Sed hæc omnia in τὴν τύχην,
„ pro veterum ritu, recidunt. Et Jura-
„ mentum ita prestitum ὅρκος βασιλικὸς
„ dictum videtur, saltem in Armenia.
„ Adi Strabonem *lib.* XII. Ubi de fano
„ Pharnacis mensis. Manavit mos ex
„ Oriente ad Romanos. Decreverat Se-
„ natus Julii Cæsaris τὴν τύχην ὀμνῦναι
„ quod scribit Dio *lib.* XLIV. Eo occi-
„ so, populus Antonii oratione de ejus
„ dignitate habita (ut fit) irritatus, per-
„ cussores furibunde quæsitum it, & Se-
„ natores incusat quod passi essent eum
„ virum interfici, pro quo, uti quotan-
„ nis publice vota conciperentur, decre-
„ vissent, καὶ οὗ τήν τε ὑγίειαν τήν τε τύ-
„ χην ὤμνυσαν *& per cujus salutem &*
„ *Fortunam jurassent*. Ex Decreto erat
„ quod jurabant. Atque inde indiscrimi-
„ natim per salutem jurabant & per
„ Fortunam. Honor hic qui in juramen-
„ tis tributus est Julio, mansit etiam
„ Augusto; sed a Tiberio vetitus est,
„ postea redivivus. Videsis Dionem *lib.*
„ LVII. de Tiberio. In Epistolæ item
„ Stationariorum Tyriorum, Puteolis ad
„ Tyrios ceterasque Phœniciæ civitates
„ sub Antonino Philosopho scriptæ, fron-
„ te legitur Δία τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν τοῦ κυρίου
„ ἡμῶν αὐτοκράτορος τύχην, quod videre
„ est apud Janum Gruterum, in Inscri-
„ ptionum corpore. pagina 1105. Et Ari-
„ sto medicus, qui Romani martyris lin-
„ guam Asclepiadis jussu sub Galerio Im-
„ peratore exsecuerat, accusatus (cum
„ elinguis martyr summum Dei veri
„ Optimi Maximi potestatem verbis, ut
„ scribunt, copiose proferret) quod mer-
„ cede ductus collusisset, nec linguæ ner-
„ vos omnes abscidisset,

> „ *Testor, inquit, salutem Principis, me simplici*
> „ *Functum secantis arte, judex optime,*
> „ *Servisse jussis absque fraude publicis.*

„ Ita Prudentius Peri Stephano X. In-
„ humaniter autem aliquos plectebat Ca-
„ jus, quod nunquam per Genium suum
„ dejerassent, teste Svetonio *cap.* XXXVII.
„ Ita Genius seu δαίμων idem cum For-
„ tuna æstimatus. Nam & εὐδαιμονία *Vir-*
„ *tus cum Fortuna conjuncta* recte Cice-
„ roni redditur. Consule, si placet, V. CL.
„ Danielem Heinsium ad Hesiodi opera
„ & dies *cap.* XVII. Quin Plutarchus in
„ præceptis politicis, Οἱ μεγάλοι inquit
„ δαίμονα καὶ τύχην τοῖς κατορθώμασιν συνε-
„ πιγράφουσι, " Magni viri rebus præcla-
re gestis Genium & Fortunam, ut authores, secum inscribunt. „ Et in exem-
„ plis quæ adducit utrumque confundit.
„ Sed & tam Partis seu Sortis δαίμονος
„ seu Genii quam aliarum complurium
„ Sortium, quæ in usu erant veteribus
„ Astrologis, unica Fortunæ sors (de
„ qua supra) Ptolemæo & ceteris ple-
„ risque, si Arabas & eorum sequaces
„ excipias, vices sustinet. Per Genium
„ autem Principis jurandi mos diu post
„ Tiberium renatus duravit. Vide acta
„ Martyrii S. Polycarpi apud Eusebium
„ *hist. Ecclesiast. lib.* IV. *cap.* XI. Et Ul-
„ pianus *lib.* XIII. si duo D. *tit.* de ju-
„ rejurando *sect.* VI. " Si quis juraverit
„ in re pecuniaria per Genium Principis dare se non oportere, & pejeravit, vel dari sibi oportere, vel intra certum tempus juraverit se solutum, nec solvit, Imperator noster cum patre rescripsit fustibus eum castigandum dimittere, & ita ei superdici προπετῶς μὴ ὄμνυε, *i. e.* „ pe-
„ tulanter ne jurato. Nam pejerantibus
„ per Principis Fortunam pœna erat
„ quam sustulit suo tempore Tiberius,
„ uti est apud Dionem, minuit etiam
„ ita Alexander Severus, ut, qui, ca-
„ lore animi, non consulto pejeraverat,
„ is minime puniretur C. tit. de rebus
„ creditis *lib.* II. " Periculum corporis vel

vel majeſtatis crimen (ait Imperator)
ſecundum conſtituta Divorum parentum
meorum, etſi per Principis venerationem
quodam calore fuerit pejeratum, inferri
non placet. „ Ita id quod primo in Ju-
„ ramentis Fortuna, Salus, Genius erat
„ Principis, in Venerationem etiam in-
„ terdum immutabatur, uti poſtea in
„ Majeſtatem (quod videre eſt apud
„ Vegetium de re militari *lib.* II. *cap.* 5.)
„ item & in ipſum Principem, per quem
„ non tam ut fidei teſtem, quam ut per-
„ fidiæ vindicem dejerare in more poſi-
„ tum erat etiam Chriſtianis, qui nec “
tam per creaturam jurabant, quam per
autorem creaturarum, nec in creatura
aliud quam creatorem ipſius venerabantur,
quod ait Gratianus *cap.* 22. *q.* I.
cap. 16. „ Et quemadmodum in dignita-
„ te ſeu poteſtate principum exprimen-
„ da, Majeſtas, Serenitas, Perennitas,
„ & quæ ſunt ejuſmodi in codice utro-
„ que alibique, ita forſan in votis de
„ eorum felicitate (qualia ejuſmodi ju-
„ ramenta ſunt) Salus, Vita, Fortu-
„ na, Genius, ipſas principum perſonas
„ revera denotabant. Exemplum forte
„ deductum eſt ex ſacris literis, ubi *per*
„ *ſanctitatem Dei*, atque id genus alia
„ pro Deo ipſo uſurpari notant viri do-
„ cti. Vide Amoſium prophetam *cap.* 4.
„ & I. Druſii *lib.* 14. *Obſervat. cap.* 15.
„ & περὶ τῆς δόξας τῦ Θεῦ, ſeu *Majeſta-*
„ *te Dei* apud Helleniſtas ad eam rem
„ & doctiſſime magnus Heinſius in Ari-
„ ſtarcho Sacro Exercitatione 15. At ve-
„ ro ſalus Principis Chriſtianis ita diſcri-
„ minabatur a Genio, ſeu fortuna, ut
„ per hoſce jurare nefas, per illam fas
„ fuerit olim æſtimatum. De Fortuna,
„ vide Acta quæ diximus martyrii S.
„ Polycarpi. De Genio, Tertullianus
„ Apologetici *cap.* 32. “ Sed & jura-
mus, inquit, ſicut non per Genios Cæ-
ſarum, ita per Salutem eorum quæ eſt
auguſtior omnibus Geniis. Neſcitis Ge-
nios dæmones dici, & inde diminutiva
voce dæmonia. Nos judicium Dei ſuſpi-
cimus in Imperatoribus, qui gentibus il-
los præfecit? Id in eis ſcimus eſſe quod
Deus voluit, ideoque & ſalvum volumus
eſſe quod Deus voluit, & pro magno id
juramento habemus. Ceterum dæmonas,
id eſt Genios, adjurare conſuevimus, ut
illos de hominibus exigamus, non deje-
rare ut illis honorem divinitatis confera-
mus. „ Et ubi Arcadius & Honorius
„ Imperatores reſcripſerunt, eos qui 25.
„ annis majores adverſus pacta vel tran-
„ ſactiones libero arbitrio confectas, &
„ invocato Dei Optimi Maximi nomine
„ firmatas veniendum putaverint, infa-
„ mia inuri, & emolumento quod ex
„ pacto fuerint conſecuti prorſus carere.
„ Ejuſdem etiam legis pœnæ ſubjiciunt
„ eos, qui (reſcripti verba ſunt) “ no-
mina noſtra placitis inferentes ſalutem
principium confirmatiouem initarum ju-
raverint eſſe pactionum, quod legimus
C. tit. de tranſactionibus *lib.* 41. „ Si
„ quis, & C. *Theodoſ. lib.* 2. *tit.* 9. “ Ubi
vetus Scholium ejuſmodi jurantes eſſe eos
ait, qui Dominorum nomina conjurant;
placitis inſerentes, diffinita implere ne-
glexerint. Sed lege cum jurant, placi-
tis, &c. „ Ita emendo ex MS. codice
„ Theodoſiano quem breviario ſuo an-
„ te D. annos de Romanis Imperato-
„ ribus ex Haymone Floriacenſi confe-
„ cto intexuit Guilielmus Monachus Mal-
„ mesburienſis. Ceterum pro *nomina no-*
„ *ſtra* veteres Orientis Juriſconſulti *nu-*
„ *mina noſtra* proculdubio exemplaribus
„ ſuis ibi legere. Vertebant enim οἵ τι-
„ νες ἡμετέραν θειότητα τοῖς συμφώνοις ἢ ταῖς
„ διαλύσεσιν ἐντιθέντες. id eſt, *qui numen*
„ *noſtrum pactis aut tranſactionibus inſe-*
„ *rentes*, *&c.* Vide Eclogam Baſilicon
„ *lib.* II. *tit.* 2. *cap.* 49. “ Item Mar-
cellinus in cauſa Donatiſtarum, per ad-
mirabile myſterium Trinitatis, per in-
carnationis dominicæ ſacramentum, &
per ſalutem ſupra memoratorum princi-
pum (Honorii & Theodoſii) „ ſecun-
„ dum allegationes partium ſe judicatu-
„ rum promittit, in Collationis Cartha-
„ gine habitæ primæ *cap.* quinto. De
„ jurejurando hujuſmodi per principem
„ locutus eſt Athalaricus Rex, literis ad
„ populum Romanum. “ Ecce, inquit
(apud Caſſiodorum Variarum 8. formu-
la 3.) Trajani veſtri claris ſeculis repa-
ratum exemplum. Jurat vobis per quem
juratis. Nec poteſt ab illo quiſquam fal-
li quo invocato non licet impune men-
tiri. „ Et Conſtantinus Harmenopolus,
„ qui ante quingentos ferme annos Theſ-
„ ſalonicæ judex floruit, in Prochiri *lib.*
„ I. *tit.* 7. Οὐδεὶς κατὰ τῦ Θεῦ ὀμόσας κιν-
„ δυνεύει. ἱκανὸς γὰρ ὁ ὅρκος ἔχει τιμωρὸν
„ τὸ θεῖον εἰ κατὰ τῦ Θεῦ γέγονεν. Εἰ δὲ
„ κατὰ βασιλέως κατὰ τινα θερμότητα ὀμοσέ
„ τις, συγχωρεῖται. ὁ ἐπὶ χρήμασι κατὰ τῦ
„ βασιλέως ὀμόσας ϗ ἐπιορκήσας ῥοπαλίζε-
„ ται. Ο᾽ ἐκ δικαστικῆς ψήφυ ἢ ἐξ αἰτήσεως
„ ἀντιδίκυ ὅρκον ἐπέχων ἐπ᾽ ἐκκλησίας τῶν
„ ἀχράντων ἐφαπτόμενος εὐαγγελίων. ἐπιορκῶν
„ δὲ κατὰ ταῦτα ἐλεγχθεὶς: γλωσσοκοπείσ-
„ θω. τὸ αὐτὸ ϗ ἐπὶ μαρτύρων. “ Nemo
qui per Deum jurat, periclitatur. Suf-
ficit enim juramentum vindicem habere
Deum, ſi per Deum præſtetur. Quod
ſi quis per Principem (per veneratio-
nem Principis, habet Johannis Merceri
ver-

versio) animi calore motus juravit, veniam consequitur. Qui in re pecuniaria per Principem (per Genium Principis, substituit heic Mercerus) juraverit, & pejeraverit, fustigatur. Qui vero sive ex sententia judicis, sive adversario postulante, jusjurandum in ecclesia præstiterit sacrosanctis tactis evangeliis, ei perjurii postea convicto lingua exscindatur.
,, Idemque in testibus observetur. Ver-
,, ba usque ad ῥοπαλίζεται excerpta sunt
,, ex Basilicis. Videsis Theodorum Bal-
,, samonem ad Photii Nomocanonem tit.
,, 13. *cap.* 18. Eclogas Basilicon. *lib.* 40.
,, *tit.* 30. Cujacium observat. *lib.* 2. 19.
,, Cetera Harmenopuli fere in Ecloga
,, Leonis & Constantini Imperatorum
,, habentur, *tit.* 28. & apud Michaelem
,, Athaliatam in Synopseos titulo 16. Sed
,, de discrimine Juramenti quod per Deum
,, & quod tactis Evangeliis præstatur,
,, vide illud D. Chrysostomo tributum
,, C. 22. *q.* 1. C. 2. & Sententiarum *lib.* 3.
,, *distinct.* 39. *cap.* 5. & ibi Magistros.
,, Sed hæc obiter. Ceterum non modo
,, per Salutem principum, sed etiam
,, per suam litigantes ex præscripto legis
,, jurabant. Uti & vetustioribus ævis per
,, Capita, Oculos, & hujusmodi, tum
,, sui tum parentum ex more passim
,, jurabant, non aliter ac Hiberni hodie
,, per manes sive parentum sive Domi-
,, ni. Videsis Brissonium Formularum *lib.*
,, 8. De litigantibus vero per Salutem
,, suam jurantibus, consule sis Ulpianum
,, ff. tit. de Jurejurando *lib.* 3. *sect.* 4. *l.*
,, 5. *&* 33. Quin legimus in Basilicon
,, Eclogis *lib.* 22. *tit.* 5. *cap.* 30. Ὁ κα-
,, τὰ τῆς ἑαυτῦ σωτηρίας ὀμνὺς δοκεῖ μὲν ὀμ-
,, νύναι κατὰ τῦ Θεῦ, quod translatum
,, est a Græcis Jurisconsultis iisque Chri-
,, stianis ævi medii ex illis Ulpiani ver-
,, bis loco jam ultimo citato. " Qui per salutem suam jurat, per Deum jurare videtur. Respectu enim divini numinis ita jurat. ,, Et Synesio non in-
,, frequens est in epistolis, jurare νὴ τὴν
,, ἱερὰν σῦ κεφαλὴν καὶ τὴν τῶν παίδων μῦ σω-
,, τηρίαν, " per sacrum tuum caput & per liberorum meorum salutem. ,, Vide
,, epistolas ejus 49. 85. 103. alias. Nec
,, aliud puto voluit quam per Salutem aut
,, Caput jurare Cosmas sub Alexio Comne-
,, no Patriarcha Constantinopolitanus,
,, cum per suum nomen jurabat nolle
,, se Patriarchali sede secedere, nisi Ire-
,, ne Imperatrix suis manibus insignire-
,, tur. Anna Porphyrogenneta in Ale-
,, xiados *lib.* 3. Τὴν ἰδίαν ἐπομοσάμενος
,, κλῆσιν φησὶ πρὸς αὐτοὺς νὴ τὸν Κοσμᾶν,
,, εἰ μὲ διὰ τῶν ἐμῶν χειρῶν ἡ Εἰρήνη τῦ στέφυς
,, ἀξιώθη, τῦ ἀρχιερατικῦ θρόνυ ὐκ ὑποστήσο-
,, μαι, quod idem sonat. Et per vitam
,, suam jurat Avicenna Arabs *lib.* de Al-
,, mahad. *cap.* 3. Videsis item Balsamo-
,, nem ad Canonem 44. Synodi in Trul-
,, lo. Idem autor τὴν ἐξωμοσίαν seu Jura-
,, mentum Episcoporum Ægypti, quod
,, fidejussionis vicem supplebat, in Sy-
,, nodi Chalcedonensis Canone 30. ita
,, interpretatur, ut eam esse dicat, τὸ
,, εἰς τὴν κεφαλὴν τῦ βασιλέως ἢ εἰς τὴν οἰκείαν
,, σωτηρίαν ὀμόσαι τινὰ, per Imperatoris
,, caput, vel salutem suam quempiam
,, jurare. Sed Zonaras ibi, per Impera-
,, toris caput, & Salutem ejus ipsiusque
,, jurantis jurare, ἐξωμόσιαν esse notat.
,, Obtinuit etiam mos per Filiorum Re-
,, gis Vitam jurare. Sed in Occidente,
,, lege ante annos 800. lata, hujusmodi
,, juramenta vetita sunt, atque inde pu-
,, to in judiciis exoluerunt. In Occiden-
,, te dico. Nam in Oriente diutius man-
,, sisse scimus ex Græcis Jurisconsultis.
,, Lex est, " Ut nullus præsumat per vitam Regis & filiorum ejus jurare.
,, Habetur in Capitulis Karoli & Ludo-
,, vici *lib.* 51. *tit.* 42. & Legum Lon-
,, gobardorum *lib.* 3. *tit.* 24.

Hactenus Seldenus. Quibus adde (observante Spanhemio) juramenta *per salutem* Cæsarum Metonymice intelligi potuisse, & ad illum referri, qui *Salus* est Cesarum, & a quo illa, & per quem obtingit. Sicuti quidam etiam interpretantur juramentum Josephi Gen. XLII. *per vitam Pharaonis*. Sic II. Reg. II. *vita animæ Eliæ*, per quam adjurat Elisa Eliam *efficienter* intelligi potest, non *formaliter* pro illo qui autor & conservator est, & solus quidem, vitæ & animæ illius. Ita sapientiores *per Genium Principis* jurantes existimare licet Deum ipsum *Genii* nomenclatura intellexisse. Quod Arrianus intellexisse visus *lib.* I. *cap.* XIV. Comment. in Epictetum, ubi cum dixisset, Deum unicuique addidisse Genium cujusque, eumque illi custodiendum tradidisse, & tali quidem qui nec dormiat nec decipiatur; atque adeo cuidam præstantiori & diligentiori custodi unumquemque nostrum commisisse, addit: Ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν, ὅτι μόνοι ἐστε, ἀλλ' ὁ θεὸς ἔνδον ἐστι, καὶ ὁ ὑμέτερος δαίμων ἐστι. Addit de juramento quo de agimus: Τύτῳ θεῷ ἔδει καὶ ὑμᾶς ὀμνύειν ὅρκον, οἷον οἱ στρατιῶται τῷ καίσαρι. *Cum igitur fores clauseritis, & conclave tenebrosum effeceritis, cavete ne unquam dicatis, vos esse solos. Neque enim estis, sed Deus intus, vester Genius intus est. Huic Deo & vos tale dare jusjurandum oportebat, quale milites Cæsari*. Non invitus hisce omnibus firman-

mandis accedet Claudianus Paneg. in IV. Consul Honorii:

.... juratur Honorius absens.

Et Tertullianus ad Nationes *lib.* I. *cap.* X. *Immo jam per Deos dejerandi periculum evanuit, potiore habita religione* per Cæsarem *dejerandi, quod & ipsum ad offuscationem pertinet Deorum vestrorum; Facilius enim* per Cæsarem *dejerantes punirentur, quam parvulum Jovem*. Hinc illud in agone Polycarpi apud Eusebium *lib.* IV. *Hist. Eccles. cap.* XV. Seldeno quoque ἀκροθιγῶς memoratum. Ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην. *jura* per Cæsaris fortunam. Ali *per Cæsaris genium* vertunt. Certe Origenes contra Celsum libro ultimo modo τύχην, modo δαίμονα vocat. Zonaras in Constantino: Καὶ κατὰ τῆς σωτηρίας τοῦ βασιλέως εὐθὺς ἐξωμόσατο. Et alibi dicit, legem latam a Senatu, pro Julio Cæsare publice orandi, καὶ τὴν τύχην αὐτοῦ ὀμνύναι, & per fortunam ejus *jurandi*. Zozomenus Histor. Eccles. *lib.* IX. *cap.* VII. sic de Jovio, Italiæ Hyparcho: *Veritus Jovius, ne forte Imperatori suspectus esset, quasi faveret Alaricho, in temeritatem, priore etiam graviorem, incidit, & (* πρὸς τῆς σωτηρίας τοῦ βασιλέως per salutem imperaroris *cum ipse juravit, tum alios quoque præfectos jurare induxit.*

Nec silentio involvendum, juratum nonnullis *per caput regis*. Etiam de Abissinis id memoriæ preditum est, apud quos, fidei alioquin sublestæ homines, nullum juraramentum æque religiosum atque hoc quod *per caput regis* concipitur. Idque hunc in modum peragi solet. Qui juramentum præstiturus est ad veritatem alicujus rei stabiliendam a duobus Sacerdotibus adducitur ad ostium Sacrarum Ædium, qui ignem & thymiama præferunt, & juraturum jubent manum ponere supra illud ostium, cum exhortatione ad aperte dicendam veritatem, hac adhibita allocutione: *Si falsum jures, Diabolus deglutiat animam tuam, in eum modum quo leo ovem miseram devorat, aut sicuti triticum mola conteritur: ita ossa tua conterantur a principe Infernali. Et anima tua ardeat & comburatur, sicut lignum igne consumitur;* Et ad singula hujus enunciationis membra, juraturus pronunciat, *Amen*. At (pergunt illi) *si veritatem dixeris, prolongetur tibi vita & honor, & anima tua cum beatis transeat in Paradisum*. Ad hæc ille iterum respondet, *Amen* His peractis, jubetur testimonium dare veritati.

Hisce affine juramentum fuit *per solium regis*, quod Scythis solenne fuisse Alex. ab Alexandro memoriæ prodidit ex Herodoti *libro* IV. ubi ait: Τὰς δὲ βασιληΐας ἱστίας Σκύθῃσι τὰ μάλιστά ἐστιν ὀμνύναι. *Est Scythis mos plerumque jurandi* per regium solium, *cum maximum volunt interponere jusjurandum*. Item *per Regium sceptrum, in quo jura dabant, teste Homero: quod præpotens iuramentum regibus visum, ita ut maxima obstricti fide tenerentur*, ut est apud Alexandrum. Homerus vero *lib.* I. Iliad. Achillem sic jurantem inducit:

> Ἀλλ' ἔκ τοι ἐρέω, καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι.
> Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον.

> *Sed tibi edico, & super magnum jusjurandum juro.*
> *Certe per hoc sceptrum.*

Et Festus: *Feretrius Jupiter dictus a ferendo, quod pacem ferre putaretur, ex cujus templo sumebant sceptrum, per quod jurarent; & lapidem silicem, quo fœdus ferirent*. Hoc Regibus sanctissimum jusjurandum fuisse Plutarchus etiam asserit in vita Dionysii. Idem erat jurare *per hastam:* nam ea vetustissimis Regibus pro Sceptro erat, & regio insigni. Justinus *lib.* XLIII. *Per ea adbuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Græci* σκῆπτρα *dixere. Nam & ab origine rerum pro Diis immortalibus veteres hastas coluere, ob cujus religionis memoriam, adhuc Deorum simulacris hastæ adduntur*. Hinc Cæneus, Lapitharum rex apud enarratorem Apollonii *lib.* I. Argonaut. & Eustachium in Iliad. *lib.* I. qui ad sese accedebant per hastam suam jurare jussit. Sed cur primum Israelitarum regem Saulem omittam? cui vel dormienti hasta ad manum I. *Sam.* XXVI. 7. Etiam extra castra. I. *Sam.* XVIII. II. & I. *Sam.* XX. 33. Quia ergo hasta pro Deo culta, vel quia sceptri loco fuit, per eam juratum. Quod & Æschyli locus firmat in Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις:

> Ὄμνυσι δ' αἰχμὴν, ἣν ἔχει, μᾶλλον θεοῦ
> Σέβειν πεποιθὼς, ὀμμάτων θ' ὑπέρτερον.

Item *per arma*, veluti Regiæ Majestatis ac potentiæ fulcra. M. Adamus in Historia Ecclesiastica *lib.* I. *cap.* XXXIII. de Danis agens, *Munera*, inquit, *Lothevvico Cæsari miserunt, gladium videlicet capulo tenus aureum, & alia multa pacem rogantes, & missis utrinque ad Egdoram fluvium mediatoribus, pacem firmam, ritu gen-*

gentis, per arma *juraverunt*. Et Annales Fuldenſes ad annum DCCCLXXIII. de legatis Holbdeni, qui frater fuit Sigifridi, Regis Danorum, ſic habens: *jurabant etiam, juxta ritum gentis ſuæ, per arma ſua*. Speciatim *per acinacem* Scythis jurare mos erat, ut ex Luciano conſtat in Scytha & Toxari, ubi etiam rationem hujus rei hanc reddit, quod acinaces cauſa ſit mortis. Sed verba Luciani ipſa Latine dabo: *Quin potius ante tibi jurabo noſtrum juramentum, quandoquidem iſtud initio ſum pollicitus. Non enim* per ventum & acinacem *quidquam mentiturus ſuam apud te de Scythicis amicis*. Mnes. *Equidem tuum jusjurandum haud magnopere deſiderabam; proinde recte facis, qui nullum Deorum jures*. Tox. *Quid tu narras? An non tibi eſſe videntur Dii*, ventus & acinaces? *Adeone te fugit, quod nihil ſit majus mortalibus vita ac morte? Per hæc utique juramus, quoties* per ventum & acinacem *juramus*.

Adhæc *per ſigna militaria* milites juramenta concipiebant. Unde Tertullianus in Apolog. *cap.* XVI. *Religio Romanorum tota caſtrenſia ſigna veneratur*, ſigna Jurat, *ſigna omnibus Diis præponit*. Hinc Lucanus *lib.* I.

> *.... per ſigna decem felicia caſtris,*
> *Perque tuos juro quocunque ex hoſte triumphos.*

Quid mirum? nam ſigna militaria adorarunt, iiſque ſacrificarunt, ut alii docuerunt. Nec de eo dicendi hic locus eſt.

XVII. Neque etiam mirum videri debet *per montem* juraſſe Cappadoces, utpote *quem pro Deo colebant*, ut ſcribit Alex. ab Alexandro. Et Maximus Tyrius *Serm.* XXXVIII. *Mons Cappadocibus eſt Deus, jusjurandum, & ſimulachrum*. Uti nec juramentum *per ventum*, nam præterquam quod Numinis inſtar haberetur (Deus enim רוח πνεῦμα dicitur, *ventoque* aſſimilatur *Job.* III. 8.) etiam jurationis per eum hæc a Luciano ratio aſſignatur, quod Ventus ſit cauſa vitæ. Ita Elxai ille, de quo ſupra ex Epiphanio, etiam jurare ſuos docebat ΕΝ ΑΝΕΜΩ, *per ventum*.

XVIII. Non denique mirum, vel *per allium cæpaſque* juramenta præſtita fuiſſe. Plinius *lib.* XIX. *cap.* VI. *Allium cæpaſque inter Deos in jurejurando habet Ægyptus*. Antea ergo bene dixit *lib.* II. *cap.* VII. *Gentes vero quædam animalia etiam, & quædam obſcœna pro Diis habent, ac multa dictu magis pudenda, per fœtidos cibos & alia ſimilia jurantes*. De ridiculis fœdiſque Ægyptiorum Diis agens Juvenalis *Sat.* XV. ſic inter alia cecinit:

> *Porrum ac cæpe nefas violare, ac frangere morſu.*
> *O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis.*
> *Numina!*

De cæpis etiam Lucianus in Jove Trogœdo idem atteſtatur. Unde bene ſcripſit Alex. ab Alexandro *lib.* V. *cap.* X. *Ægyptii allium, porrum & cæpas, velut ſanctiſſima Numina, venerati ſunt, quæ fallere, aut illorum perjurio adſtringi, ſine gravi piaculo non licebat. Fertur Zeno* per capparim, *Jones* per chambem, *Lampon* per anſerem, *Socrates* per canem & platanum, *ne per Deos juraret, aliquando* per quercum & Hircum *dejerare conſueviſſe*. Et quidem de Crambe & Cappari ſic Athenæus *lib.* IX. *cap.* II. Καὶ ἐ παράδοξον ἐι κατὰ τῆς κράμβης τινὲς ὤμνυον, ὁπότε καὶ Ζήνων ὁ Κιτιεὺς, ὁ τῆς ςωᾶς κτίςωρ, μιμέυμενος τὸν κατὰ τῆς κυνὸς ὅρκον Σωκράτους, καὶ αὐτὸς ὤμνυε τὴν κάππαριν, ὡς Ἔμποδός φήσιν ἐν Ἀπομνημονέυμασιν. *Neque mirabile eſt, ſi* per crambem *quidam jurabant, quando Zeno Cittieus* (de quo etiam Laertius in ejus vita) *qui porticum condidit, cum Socratis jusjurandum* per canem *imitaretur, & ipſe* per capparim *jurabat, ut inquit Empodus in Memorabilibus*. Antea dixerat: Μήποτε δὲ ὁ Νίκανδρος μάντιν κέκληκε τὴν κράμβην, ἱερὰν ἔσαν. ἐπεὶ καὶ παρ' Ἱππώνακτι ἐν τοῖς ἰαμβοις ἐςὶ τι λεγόμενον τοιἔτον: Ὁ δὲ ἐξολισθὼν ἱκέτευε τὴν κράμβην, Τὴν ἑπτάφυλλον, ἣ θύεσε Πανδώρη Ταργηλίοισιν ἔγχυλον πρὸ φαρμάκε. Ubi divini quidpiam Braſſicam ſive Crambem habere veteribus nonnullis creditum fuiſſe oſtenditur. Addiderat etiam Ananii hoc juramentum, *Ego te magis quam omnes homines diligo* (ναὶ μὰ τὴν κράμβην) *per crambem*. Et eundem plane in modum juraſſe Teleclidem, Epicharmum & Eupolim dixerat, allatis ipſorum verbis. Quorum poſtremum etiam *per amygdalum* juramentum concepiſſe idem autor eſt *lib.* II. *cap.* X.

XIX. *Anſerem vel per anſerem* juratum etiam Ariſtophanes indicat in Avibus: Λάμπων δὲ ὄμνυσιν ἔτι καὶ νῦν τὸν χῆν', ὅταν ἐξαπατᾷ τις τι. *Lampon autem jurat etiam & nunc* anſerem, *quando decipit aliquis aliquid*.

XX. Præterea de *Cane* a Socrate in juramentis memorato videndus Laertius in vita Zenonis, nec non Heſichius. Idque adeo familiare Socrati fuit, ut Plato in Apologia non vereatur vel animam agenti Socrati id juramentum adſcribere, &

& ſic jurantem inducere. Excidit autem ea jurandi formula apud Laertium in vita Diogenis, ubi ſic vulgo legitur de Diogene ſtratum Platonis calcante: Πατῶν αὐτοῦ ποτὲ στρώματα κεκληκότος φίλους παρὰ Διονυσίου, ἔφη, Πατῶ τὴν Πλάτωνος κενοσπουδίαν. πρὸς ὃν ὁ Πλάτων, ὅσιον, ὦ Διόγενες, τοῦ τύφου διαφαίνεις, δοκῶν μὴ τετυφῶσθαι. ὁ δὲ φασι τὸν Διογένην εἰπεῖν, Πατῶ τὸν Πλάτωνος τύφον. τὸν δὲ φάναι. Ἑτέρῳ γε τύφῳ, Διόγενες. Σωτίων δὲ ἐν τῷ τετάρτῳ φησὶ τοῦτο πρὸς αὐτὸν εἰπεῖν τὸν Πλάτωνα τὸν κύνα. Quæ ſic reddidit interpres: *Calcans ipſius aliquando ſtratum, præſentibus Dionyſii amicis, quos ille invitarat, dixit: Calco Platonis inane ſtudium. Ad quem Plato, Quanto, inquit, o Diogenes, faſtu tumes, dum ſuperbiam te calcare putas? Alii Diogenem hoc dixiſſe ferunt: Calco Platonis faſtum; illumque reſpondiſſe, At faſtu alio Diogenes. Porro Sotion in quarto refert, hoc illi dixiſſe Platonem Cynicum.* Ubi vides interpretem (proculdubio locutionis ambiguitate deceptum) nobis dare novum aliquem Platonem Cynicum. Caſaubonus autem in Notis interpretatur *Diogenem canem*, quod præter mentem Laertii mihi facere videtur, qui Diogenem hoc pacto contemtui non habet; nec adeo ſupina negligentia Laertium fuiſſe putandum eſt, ut oblitus fuerit legum hiſtorici ſcriptoris, vitam alicujus concinnantis, cui nefas eſt de ſuo vitia & convitia promere. Proinde ſatius fuerit exiſtimare e poſtremis illis Laertii verbis excidiſſe vocum unam ναὶ, ut ſenſus ſit: Sotion refert Platonem *hoc dixiſſe*: ΝΑΙ ΤΟΝ ΚΥΝΑ, hoc eſt, *per canem*, & hoc juramento dicta ſua confirmaſſe, ſimulque caninam Diogenis indolem ac maledicentiam perſtrinxiſſe. Alii porro complures juramenti hujus meminerunt. Theophilus *lib.* III. ad Autolycum Socrati adſcribit τὸ ὀμνύειν ΤΟΝ ΚΥΝΑ καὶ ΤΟΝ ΧΗΝΑ καὶ ΤΟΝ ΠΛΑΤΑΝΟΝ *jurare per Canem, & Anſerem & Platanum*. De iiſdem omnibus juramentis Socratis etiam meminit Philoſtratus de Vita Apollonii *lib.* VI. *cap.* IX. Etiam Lucianus in Icaromenippo: Ὁ δὲ κατὰ κυνῶν, καὶ χηνῶν, καὶ πλατάνων ἐπώμνυντο. Rurſus Socrates apud eundem in βίων πρᾶσει: Καὶ μὴν ὀμνύω γέ σοι τὸν κύνα, καὶ τὴν πλάτανον, οὕτως ταῦτ᾽ ἔχειν. Et apud Porphyrium *lib.* III. Περὶ ἀποχῆς de eodem per Canem & Anſerem jurante ſermo eſt. Ante Socratem autem hujuſmodi juramenta obtinuiſſe, & Radamanthum eorum autorem fuiſſe Ariſtophanis Scholiaſtes ex Socratis *lib.* XII. Κρητικῶν docet. Nam de Radamantho agens Λέγεται δὲ inquit, αὐτὸν πρῶτον οὐδένα ἐᾶν ὅρκους ποιεῖσθαι κατὰ τῶν Θεῶν, ἀλλὰ ὀμνῦναι κελεύσαι χῆνα, καὶ κύνα, καὶ ΚΡΙΟΝ καὶ τὰ ὅμοια. Idem de Radamanthu teſtatur Porphyrius ſupra mihi nominatus. Auguſtinum denique hic non audire mihi religioni eſt. Is *lib.* II. de Vera Relig. *cap.* II. ſic ait: *Poſt Socratis damnationem mortemque, nemo auſus eſt jurare* per canem, *nec appellare quemcunque lapidem, Jovem*. Per arietem autem etiam juramentum conceptum ex Scholiaſte Ariſtophanis jam didicimus.

Ex ipſo quoque Ariſtophane in Nubibus *per aves* jusjurandum datum lego:

> Ὤμνυεν οὐδεὶς τότε ἀνθρώπων θεὸν: ἀλλ᾽
> ὄρνιθας ἅπαντες.

> *Jurabatque nullus tunc hominum Deum,*
> *ſed aves omnes.*

XXI. *Per hircum* jusjurandum præſtitum, ut & *per quercum* ab eodem Socrate Tertullianus autor eſt *Apologet. cap.* XIV. Res autem pleraſque, ſi non omnes, hactenus nobis memoratas, per quas juratum diximus, ſacras veteribus habitas alii demonſtrarunt. Vid. *Voſſium de Idololatr.* Et hoc ipſum de Menſa aſſerere non dubitamus, per quam ab antiquo jusjurandum conceptum fuiſſe certum eſt. Feſtus: *Menſa frugibuſque jurato, ſignificat* per menſam & pruges, nimirum Menſæ ad offerendum impoſitas, quomodo Judæos quoque per donum ſuper menſa ſive ara juraſſe jam antea obſervavimus. Menſæ enim in Ædibus ſacris pro aris erant. Unde Feſtus continuo addit: *Menſæ in ædibus ſacris ararum vicem obtinebant*. Videſis quæ Scaliger ad eum locum annotavit, nec non ea quæ in noſtra Cœna Dominica literatorum ſuper hac re ſumus commentati. Utique illud Ovidianum *lib.* V. Faſt. decantatiſſimum eſt.

> *Ante focos olim ſcamnis conſidere longis.*
> *Mos erat, & menſæ credere adeſſe Deos.*

XXII. His accenſeto morem jurandi Pythagoreorum *per quaternionem*, *ſiquidem hunc numerum ad animæ integritatem ſpectare dicunt; in his fuere Mens, Scientia, Opinio & Senſus*, ut ſcribit Alex. ab Alexandro, loco compluries indicato. Ad quem Tiraquellus teſtes hujuſce rei adducit Polybium *lib.* III. Lucianum in Vitarum auctione & in libello cujus lemma eſt, Pro eo quod inter ſalutandum verbo lapſus fuerit. Hunc numerum τε-

τρα-

τρακτὺν vocabant, ut ex Macrobio *lib.* I. in Somn. Scip. *cap.* VI. liquet, hunc versum laudante.

> Οὐ μὰ τὸ ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παράδοντα τετρακτύν.

> *Non per eum a quo animæ datus ille quaternio nostræ.*

Ipse Pythagoras, cujus ille versus exstat, inter Aurea ejus Carmina, statim subjungit, Παγὰν ἀενάου φύσεως, numerum illum quaternarium *æternum naturæ fontem* appellans. Plutarchus autem *lib.* I. de Philosophorum decretis *cap.* III. aliter versum Pythagoræ citavit quam vulgo legitur: sic nimirum Παγὰς ἀενάου φύσεως ῥιζώματα ἔχουσαν. Hoc est *Fontem æternæ naturæ radices habentem*. Et similiter Pythagorei apud Proclum *lib.* II. & III. in Timæum in Hymno quodam τετράδα ζαθέην indigitant. Ad carmen autem illud videndus Hieroclis Commentarius in Aurea Carmina Pythagoræ, & in utrumque Theodorus Marcilius, numeri hujus arcana ex antiquitate eruentes. Adde Joh. Brodæum Miscellan. *lib.* II. *cap.* VI. Bartholomæum Chassanæum in Catalogo Gloriæ mundi parte XII. considerat. XXXVII. Antonium Verderium *Variar. Lect. lib.* IV. *cap.* X. Indubium est Pythagoram multa ex Hebræorum disciplina, ac religione hausisse, quæ Ægyptii peregrinanti revelarunt. Imo Judæum fuisse multi tenent. Ambrosius enim *lib.* I. *epist.* VI. *Nam cum ex populo Judæorum*, *ut plerique arbitrantur*, *genus duxerit Pythagoras*, *ex ejus disciplina derivavit etiam magisterii præcepta*. Obscurius autem intellecta novis verborum involucris texit & in arcanis habuit. Tale fuit illud dogma de Quaternione, per quem discipuli jurasse memorantur. Equidem nomen illud Tetragrammaton, sive quatuor literarum יהוה in animo habuisse existimo & per id juravisse Pythagoreos. Unde illud perpendisse volupe erit, tacito quodam consensu gentes ferme omnes Dei nomen potissimum quatuor literis expressisse. Nam Ægyptii *Teut*, Persæ *Sire*, Magi, ex disciplina sua, *Orsi*, Arabes *Assa*, Græci Θεός, Germani prisci Diet, Sclavi *Buch*, Poloni *Buog*, Pannones *Istu*. Quin ipsum Hebræorum *Adonai* quod legunt loco יהוה revera quatuor duntaxat literas complectitur *Adni*. Nec illos moror, qui Gentes id nomen tetragrammaton latuisse putant. Aliter enim credere jubent Rabsacæ hominis gentilis verba *Jes.* XXXVI. 15. nomen illud exprimentis.

XXIII. Crebra fuisse juramenta per personas & res charas atque acceptas partim ex jam dictis constat, & jam porro demonstrare pergimus. Servius in *lib.* II. *Æneid. Naturale est jurare per id*, *quod charum quis habuit*. Cajum Caligulam *per Drusillam* juravisse Alex. ab Alexandro testatur. Et affirmat id ipsum Svetonius in ejus vita *cap.* XXIV. *Neque unquam postea quantisque de rebus*, *ne pro concione quidem populi*, *aut apud milites*, *nisi per nomen Drusillæ dejeravit*. Dion autem mulieribus imperatum scribit, ut eam, tanquam Junonem scilicet, in posterum jurarent. Similite (quod primo loco dictum oportuit) *per Mariam & per Michaelem & Gabrielem* archangelos juramentum conceptum lego *Novell.* VIII. *tit.* III. *Juro ego per Deum Omnipotentem*, *& Filium ejus unigenitum*, *Dominum nostrum Jesum Christum*, *& Spiritum Sanctum*, *&* per sanctam gloriosam Dei genitricem & semper Virginem Mariam, *& per quatuor Evangelia*, *quæ in manibus meis teneo*, *&* per Sanctos Archangelos Michaelem & Gabrielem &c.

Se de hominibus potissimum dicere statuimus, de quibus sic Alex. ab Alexandro. *Aphri per viros insignes*, *qui virtutibus enituere*, *fidem jurejurando sacrarunt*. Quod Herodotus *lib.* IV. Nasamonibus adscribit. Et paulo post idem Alexander *Philosophos* per Socratem, *tanquam numen sanctissimum* jurasse ait. Sic Claudianus jurabat *per Augustum*, ut Svetonius in vita ejus *cap.* XI. memoriæ prodidit. Alii autem *per Dioclem* prestabant juramentum. Sic enim apud Aristophane lego in Acharn. *Act.* III. *Sc.* III.

> Δ. Ἀλλ' ἔστιν ἀνθρώπουγε. M. Ναὶ τὸν Διοκλέω.
> Ἐμάγε.

> Hoc est:
> *Sed hominis est* (porca) *m. per dioclem.*
> *Mea est.*

Jurat autem sic Megaricus. Unde Heinsius collegisse videtur Megarensium id fuisse juramentum, & quidem amatorum. Videsis Emendationes ejus ad Theocriti Idyllium XII.

XXIV. Erant qui *per pellem suam* juramento se obstringebant. Callimachus in Hecate apud Suidam sic eam jurantem inducit: *per rugosam* meam pellem *juro*; *per hanc arborem*, *quamvis aridam*. Ducem Albanum *per barbam suam* jurare solitum testatur Wilhelmus Princeps Auraicus in Apologia sua. Barba enim magni

gni olim fiebat, adeo ut Græci eam pignoris loco darent. Adi Poimenandrum de Capillis Absolomi *pag.* 108. & 142. Sed & Otho Imp. cognomine Magnus, in Metropoli Crantzii, narratur hoc juramento stupratorem mortis supplicio se puniturum promisisse: *per barbam Othonis impudicum illum regia bipenni emendabo*. Id enim illi erat in more positum. Et quia domus optima & chara, etiam per eam jusjurandum a Judæis datum reperio, nempe המעון הזה, *per hoc habitaculum*. Abraham Salmanticensis, laudante Drusio: *Baba filius Buta*, *jurabat* per hoc Habitaculum. Et postea: *Zacharias filius Haccaseb dicebat*, per hoc habitaculum *non mota fuit manus ejus &c. Rabban Sema Haggaon exposuit, quia viderat destructionem templi, ideo juravit per hoc habitaculum. Sed hoc non est verum, quia Baba filius Buta juravit sic in fine Cherituth, & similiter Rabban Gamliel in principio Cherithuth: & hic erat mos in Israel.*

XXV. Non possum hic non meminisse juramenti vel adjurationis *per capreas cervosque*. Quæ animalia pulchra sunt & venusta, inquit Aben Ezra. Ita autem habet Canticum *cap.* II. comm. 7. & *cap.* III. 5. *Adjuro vos, filiæ Jurasalem*, per capreas cervosque *camporum*, *ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam quoadusque ipsa velit*. Ego equidem cum Junio Ecclesiæ hæc verba attribuenda potius quam Christo existimo, qui more pastorali, per res animo suo charissimas alios obtestatur & obsecrat, ne tranquillitatem & pacem Ecclesiarum turbent quovis modo. Immo sic adjurando juramentum ab illis exigit, quo fidem suam ei adstringant: hæc enim adjurationis vis & natura. Non parum distans (ut docti observant) ab ipso juramento. Certe illud, *Si suscitaveritis* (ut in Hebræo est) juramenti formam exprimit, ut Piscator recte observavit. Neve quis existimet deferri hic a fidelibus juramentum per creaturas & pecora campi, conferenda hæc duo loca cum tertio, qui exstat *cap.* VIII. *comm.* 4. ubi de *capreis cervisque* altum silentium. Itaque hoc tenendum, obnixe rogat hic ab Ecclesia omnes fidelium cœtus, ut quam charæ sunt pastoribus (Canticum enim Pastoralem in multis vitam moremque sapit, & Bucolici Carminis instar sonat, & Palæstinas virgines ut venationi indulgentes exhibens. Unde & de Tyriis quæ Palæstinis sunt vicinæ sic Virgil. *lib.* I. Æneid. *Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram.*) capreæ & hinnuli cervique, ita jurare non vereantur per Deum, sancteque promittere, se pacem Ecclesiarum non temeraturos. Adhoc ut ex vero erga Ecclesiam amore jurent, exemplum capi vult ab illis ipsis animalibus amoris ac sollicitudinis in conservanda quiete aliorum. De quibus audiendus Xenophon in Cynegetico, ubi de venatione cervarum & hinnulorum agens sic scribit: Ἅμα δὲ τῇ ἡμέρᾳ ὄψεται ἀγούσας τοὺς νέβρους πρὸς ὃ ἂν μέλλῃ ἑκάστη τὸν ἑαυτῆς εὐνάσειν. κατακλίνασαι δὲ καὶ γάλα δοῦσαι, καὶ διασκεψάμεναι μὴ ὁρῶνται ὑπό τινος, φυλάσσει τὸν αὐτῆς ἑκάστη, ἀπελθοῦσα εἰς τὸ ἀντιπέρας. *Cervas simul cum luce hinnulos ad locum ducere videbit, in quo suum quæque ad dormiendum & quiescendum compositura est. Sed quum recubuerint & lac præbuerint, intentæ ne ab ullo videantur, suum quæque in oppositam stationem abiens, observat.* Quia ergo cervæ tam sollicitam curam gerunt, ne hinnuli, quos in suis habent lustris, excitentur e somno & turbentur, in exemplum eos proponit, cum a fidelibus juramentum exigit. Sane ὁρκίζειν & ἐξορκίζειν, sive *adjurare*, non est juramentum dare, sed exigere, & ad jurandum adigere. Quo significatu fere *obtestari* usurpatur. Donatus in Andriam Terentii *Act.* I. *Sc.* V. *Obtestatio dicitur quando eum adjuramus quem rogamus. Oramus per eas res, propter quas rogamus.* Adde ut verba illa Cantici non sint proprie dictum juramentum, sed ejusmodi, quod cum Quintiliano in fine *lib.* XI. dicere possis *non recto sono juratum*. Hæ obtestationes & adjurationes pertinent ad μέθοδον τῆς λαμπρότητος & splendidam reddunt orationem, ut voluit Hermogenes de Ideis sive Formis Oratoriis *lib.* I. *cap.* IX. Demosthenem producens, qui pro simplici oratione, quam instituere potuisset, dicendo: *Recte ergo consilium dedi, ut pro libertate Græcorum pericula adiretis. Sic etiam fecerunt majores, qui ad Marathonem pericula obiverunt;* Sermonem tali obtestatione sive exemplo magnificentiorem atque splendidiorem reddidit, cum ait, *Non erravi hæc consulens, non per eos, qui ad Marathonem periclitati sunt.* Certe Aristides non *juramentum* id vocavit, ut Hermogenes dicto *cap.* IX. & libri de Eloquentia *cap.* XX. sed *exemplum*. Itaque non illustrem quoque ac splendidam admodum sponsi, an sponsæ, in Cantico orationem esse dicemus cum obtestatione & adjuratione utitur, & *capreas cervosque* in exemplum producit, quod in amore studioque quietis suorum imitentur filiæ Jerusalem. In hanc rem ergo bene Caspar Laurentius in Commentario in Hermogenem: „ Non satis est id quod

„ hic

„ hic precipit Hermogenes, Oratores „ non debere jurandi verba usurpare, „ cum aliquid asserunt: sed tantum cum „ volunt mores suos & mentem confirmare. Contra, eo nomine non licet „ jurandi voces usurpare. Hæc autem „ dico de juramento Morali voluntario, „ non de Judiciali legitimo. *Obtestationes* „ vero, quæ fiunt per Prosopopœiam, „ vocantur quidem ὅρκος *juramentum Politicum*, generali nimirum significatione vocabuli ὅρκȣ, quo quicquid est sacrosanctum significatur: sed proprie „ non sunt obtestationes juramentum, „ nec Morale nec Forense, ut cum dicitur: *Per eos qui ad Marathonem occubuere pro patria; vos obtestor, adjuro, compello &c.* Ita enim explicanda „ sunt Demosthenis verba in Orat. de „ Corona. Passim pathetice usurpantur „ ista ab omnibus Scriptoribus, non tantum ab Oratoribus aut a Poetis; id„ que legitime ac licite." Non repugno tamen, si quis Joh. Deodatum sequi velit, qui adjurari Ecclesias a Christo vult per id quod sibi ipsi erat charissimum, uti pastoribus tunc erant cervi & hinnuli; Si modo mentem Diodati Anglicus translator recte percepit, cum ait jurari a Christo per amorem suum erga electos, quos mitibus hisce animalibus felle carentibus comparat. Adeo ut per seipsum jurare dicendus, sit, qui per amorem suum jurat æternum. Deus autem majorem non habens, per seipsum jurare solet, ut Apostolus bene monuit.

XXVI. *Per nummos ferreos* in more positum Byzantinis jurare. Ita colligo ex Aristophanis Nubibus *Act.* 1. *Sc.* 111. cum Socrates dixisset Strepsiadi. *Quosnam Deos juras? nam primum Dii nobis non sunt recepto jure*; respondens Strepsiades, rogat:

---- πῶ γάρ ὄμνυτ'; ἢ
Σιδαρέοισιν, ὥσπερ ἐν Βυζαντίῳ,

---- *Quomodo juratis igitur? an*
Per nummos ferreos, sicut Byzantii?

Ubi Scholiastes: Ἐδόκει τὸ τῶν Βυζαντίων νόμισμα ἐλάχιστον εἶναι πάντων καὶ φαυλότατον, ἅτε σιδηροῦν ὑπάρχον. ἢ ὅτι ἐκεῖ μέταλλον ἦν, ἐν ᾧ ὤμνυον.

XXVII. Illud vero jurejurandum *vel vultum de Luca* quid sit juxta cum ignorantissimis scio; quod tamen Guillermo 11. regi Angliæ familiare fuisse Guillelmus Malmesb. *lib.* IV. testatur. *Tum vero Rex placidus*, per vultum, *ait*, de Luca (*sic enim jurabat*) *meus a modo eris*. Et post pauca sic iterum loquentem facit Historicus. Et *per vultum de Luca nihil in me viceris, pro hac venia rerum paciscar*. Nisi forte illis juramentis accensendum sit, quæ fiebant per Sacra, Sanctorumque reliquias, inter quas fuisse volunt vultum Christi a Luca pictore depictum.

XXVIII. Adde Gallorum juramentum *per fidem viri nobilis*, quod his verbis efferunt. *Foy de Gentil homme*. De quo sic M. Mantua Polymathiæ *lib. 6. cap.* 10. *Cum primum dixerit tibi Gallus, qui nobilis sit tamen, promittens* foy de Gentil homme, *nil majus aut firmius dici potest, faciliusque sol a mundo, quam ipse a fide data, quæ loco jurisjurandi est, divelli poterit*. A quo non multum deflectit Anabaptistarum formula *per meam viri veritatem*: nam Belgice dicunt, By mijn manne waerheyt/ quam examinare hic non vacat.

CAPUT IV.

De Gestibus jurantium. Elatis duobus digitis prioribus: Manu integra, & utraque. Manu femori supposita, aut pectori imposita. Per festucam. Contactum evangeliorum aut bibliorum. Aræ. Septima manu. Per medium divisorum pecorum transeundo. Tacta lauro, cereis, annulo. Veste. Oculis. Elevatione sceptri. Ejectione rei cujuspiam e manu. dextræ alterius contactu. Scedulæ in aquam projectione. Gladio cervici admoto. Ferri igniti gestatione. Phylacteriorum contractatione.

I. Nunc ut gestus jurantium exequamur, instituti nostri ratio jubet. Inter jurandum itaque *duo priores digiti elati* cœlum versus, reliquis digitis sub pollice complicatis, cum ut per Deum in cœlis jurari indicaretur, tum ut indicetur orthodoxa confessio Jesu Christi, in quo duæ naturæ ἀσυγχύτως conjunctæ unitæque in una hypostasi. Ut enim de Jacobitis seu Monophysitarum & Monothelitarum delirio captis referunt nonnulli apud Brerevvoodium de Linguis & Religione *cap.* XXI. (quamvis Brerevvoodius ipse hac in parte eos liberet) illos signum Crucis uno tantum digito effingere, quasi unam tantum naturam in Christo professuros, aliis per Orientem Christianis duobus digitis sese signantibus, ut duas naturas in Christo profiteantur hoc veluti symbolo; ita potuit hic usus duos digitos attollendi obtinuisse apud veteres Christianos Orthodoxos, in Eutychianismi detestationem, & in duarum in Christo naturarum genuinam con-

confeſſionem. Quemadmodum in aliam veritatis confeſſionem *tres digiti erecti*, ſic ſcribente Pareo de Germanis ſuis in Comment. ad Geneſ. *cap.* XXIV. *Nos juramus digitis tribus dextræ ſublatis, invocantes vindicem S. Trinitatem*. Quæ ſic fere extulit Samuel Mareſius in Deciſione Acedemica Quæſtionum aliquot Theologicarum *Quæſt.* X. Sane Athanaſius Kircherus in Prodomo Copto *cap.* VIII. *pag.* 210. & 211. huic ſententiæ adſtipulatur, cum ait, *Sacerdotes ſummos ſolemnem olim populo* (*Judaico*) *benedictionem daturos, tribus mediis digitis dextræ manus extenſis, veluti tribus* ייי *Jod, hic nomen* (יה) *teſte Perplexorum Doctore Rambam, non ſine cauſa myſtice expreſſiſſe. Erat enim illa*, inquit, *typus quidam benedictionis per Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, in lege gratiæ dandæ fidelibus. Certe per hoc nomen, tribus quoque digitis elevatis, (vel, ut alii ſentiunt, uno digito, in quo tria internodia tria jod exprimebant, extenſo) juramentum veteres præſtitiſſe apud varios comperio & in hunc diem, non in Græca tantum Eccleſia, ſed & Latina multis in locis adhuc moris eſſe intelligo*.

II. Alias *una manu integra ad cœlum elata* jusjurandum conceptum. *Gen.* XIV. 22. jurans Abrahamus dicit: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelſum &c.* Unde ipſi Deo quoque ille geſtus adſcribitur *Exod.* VI. 7. *Deut.* XXXII. 40. *Nehem.* IX. 15. *Ezech.* XXXVI. 7. *Apoc.* X. 5. & alibi. Quibus omnibus locis Deus aliquid promittit aut promiſiſſe narratur. Unde non temere quidam cenſent, verbo *promittere* hunc ritum deſignari. Quia enim id notat πόῤῥω, id eſt, longe ſeu procul, *mittere*; atque adeo *promiſſis* manibus ſibi mutuo polliceri homines conſueverunt, inde mos invaluit, ut in juramento manus extenderentur & elevarentur. Hinc ad gentes tranſiit mos. Virgilius *lib.* XII. *Æneid.*

> *Sic prior Æneas: ſequitur ſic deinde Latinus,*
> *Suſcipiens cœlum, tenditque ad ſydera dextram;*
> *Hæc eadem Æneas; Terram, mare, ſydera juro.*

Hinc Druſius in Comment. ad difficiliora loca Pentateuchi *manum* Exod. II. 16. pro juramento accipi exiſtimat.

Erat cum *utramque manum in cœlum efferrent*. Hoc docuit nos Novarinus ſæpe nobis laudatus Schediaſm. Sacro proph. *lib.* VIII. *cap.* VII. ex R. Aben-Ezra, qui ſic ſcribit: *Qui jurat, levat dexteram ſuam & ſiniſtram ſuam in cœlum*.

III. Adhæc *manum femori ſupponere* ejus cui juramentum præſtabatur ſacer mos fuit patribus antiquiſſimis. *Geneſ.* XXIV. 2. XLVII. 29. R. Salomon & alii Rabbini, poſtque illos Fagius, putant in honorem Circumciſionis id factum tacta ſcilicet parte in qua illa facta erat. Hinc Targum Hieroſolymitarum Chaldaicum *Gen.* XXIV. 2. *Pone nunc manum tuam ſub femore fœderis mei*. Licet enim alii aliter exiſtiment, & vulgarem hanc conſuetudinem ſic jurandi tunc inoleviſſe tradant, ego tamen ab illis ſeorſum ſentio, & magis eſt ut credam ſacrum huic rei ſubeſſe myſterium; & quidem ejuſmodi, quo Meſſias ex femore illorum Patriarcharum proditurus deſignabatur & per eum jurabatur. Hoc volunt Iſidorus Peluſiota *lib.* I. *epiſt.* XLIII. & Auguſtinus de Civ. Dei *lib.* XVI. *cap.* XXXIII. & *Quæſt.* LXII. ſuper Gen. *Femur* enim honeſtiore vocabulo ipſas partes genitales denotat tam in mulieribus quam in viris. De his vide *Gen.* XLVI. 26. *Exod.* I. 5. *Jud.* VIII. 30. De illis vero *Num.* V. 27. Et Judith. IX. 2. Ἐγύμνωσαν μηρὸν εἰς αἰσχύνην. *Denudarunt femur in ignominiam*, de barbaris dicitur, qui virginibus Judaicis vitium obtulerunt. Unde Procopius, ὁ γὰρ μηρὸς τὸ σπέρμα δηλοῖ. *Nam* femur *ſemen deſignat*. Unde, ex more Orientis, Bacchus, ille lætitiæ Deus, *e fomere* jovis *natus* dicitur. Heinſius a voce μηρὸς *femur* verbum διαμερίσαι deducit, quod dicit eſſe in obſcœnis. Equidem iſtud verbi hac notione non reperio apud Græcos, ſed *dividere* & *diſpertire* apud Latinos, non fortaſſis magnum virum fefellit. A Patriarchis autem mos ille jurandi ad alios manavit. Aben-Ezra in ſubjectionis ſignum manum femori ſuppoſitam ſcribens, addit: *Eoque more hodie quoque quædam regiones utuntur, ſcilicet India*. Idem ſentiunt Iſidorus Clarius & Oleaſter ad *Gen. cap.* XXIV. quorum poſterior, *qui jurandi modus*, inquit, *adhuc apud Indos obſervatur*. Nec non Aloyſius Lippomanus referente Druſio in Notis ad Sulpitium *fol.* 54. Cum autem femur alterius manu jurantis tactum dicimus, non ipſum genitale membrum immediate tactum putamus (Id enim pudor diſſuadet & lex vetat *Deut.* XXV. 11. 12. & quia vindicatus graviter aſpectus in Canaane per maledictionem patris Noæ *Gen.* IX. multo magis tactio. Quis ergo credat Jacobum eam mandaſſe filio Joſepho? *Gen.* XLVII. 29.) ſed femur ipſum ſic proprie dictum, & quidem veſtibus opertum velatumque. Sed

non

non reticendum, femoris hunc contactum fuisse interdum reciprocum, ut ex Josepho constat *Antiq. lib.* I. *cap.* xv. cum jurasse dicuntur ὑπὸ τοὺς μήρους ἀλλήλοι τοὺς χεῖρας ἀναγαγόντες. Martinus de Roa *tom.* II. Singularium S. Scripturæ *lib.* III. *cap.* XII. multus in eo est, ut ostendat, haud incommode per tactum femur, aut manum ei suppositam, servitutem & subjectionem jurantis designatam. Adeo quidem ut sic jurans potestatem ejus agnosceret, cujus femur hoc pacto tangebat. Alii sic juratum putant, quasi dicere vellent jurantes, Si fallimus, gladio tuo pereamus. Gladium enim sive baltheum ad femur applicatum *femoris* vocabulo designari. Verum enim vero ἀλλόκοτα hæc mihi videntur & Jacobo Patriarchæ tam provectæ ætatis viro minus convenientia, tametsi multis non indoctis verborum lenociniis incrustata, ut inde colorem trahant, quem veritas negat. Quis etenim credat Jacobum jamjam vitam cum morte commutaturum voluisse a filio perquam dilecto illud exegisse, ut imprecaretur sibi ipsi vindictam per gladium patris moribundi, si fidem falleret. Petrus Ravanellus subjectionis professionem significatam arbitratur, & subtilem quidem, at parum solidam pronunciat eam sententiam, quam nos, ut cæteris verisimiliorem, amplectimur, usquedum alii hujus ritus rationes dabunt solidiores. Itaque, ut institutum persequar sermonem, sunt qui a tactione femoris in jurando Græcam vocem ὅρκος *juramentum* ab Hebræa ירך *jarek*, quæ *femur* denotat, derivant; ut &, ob manum femori suppositam, verbum ὀμνύω *juro*, a ימין *dextera* per literarum non insolitam metathesin. Simile quidpiam juramenti genus erui posse videtur ex illa Decii devotione apud Livium *lib.* VIII. *sect.* XXIV. ubi devoturum sese *Pontifex eum togam prætextam sumere jussit, & velato capite, manu subter togam ad mentum exserta, super telum subjectum pedibus stantem sic dicere &c.* Sequitur autem devotionis formula. Nam Macrobius Saturn. *lib.* III. *cap.* IX. ex Sammonici Sereni libro quinto Rerum Reconditarum formulam devotionis urbium aut exercituum recitans, addit sic devoventem ac in fine istius formulæ dicentem: *tellus mater teque Jupiter obtestor; cum Tellurem dicit, manibus terram tangere; cum Jovem dicit, manus ad cœlum tollere, cum votum recipere dicit, manibus pectus tangere.* Sunt enim hi duo posteriores gestus jurantium. Unde subit suspicari Livium scripsisse *manu subter togam ad juramentum exserta*. Manum namque exserere ad res varias tangendas in juramentis usitatissimum fuit. Decius autem manum ad femur, aut pectus proprium exserere subter togam commodissime potuit, non autem ad mentum, quod subter togam non latuit. Quod vero *mentum* pro *sacramentum* in editis libris habemus, facile evenire potuit per amanuensium incuriam, qui quæ per breves notas olim scriptæ fuerunt magnam partem aut omiserunt aut adulterarunt. Ait ergo Livius Pontificem Marium sese pro Rep. Romana devoventem ad juramentum adegisse, quo firmior esset hæc ejus devotio.

IV. Præterea *manus supra pectus posita* hic commemoranda est. Sic enim hodieque feminas in Transisulania jurare audio. Fortunius Licetus in libro de Annulis *cap.* XXXIII. de Sacerdotibus suis Italis sic scribit: *Nostri Sacerdotes apud judices jurare consueverunt manu tangentes proprium pectus, quod sacrum est. Ut semper juramenta fieri consueverint contrectatione rei cujuspiam sacræ.* Richardus Baker, scriptor Chronici Regum Angliæ in vita Henrici tertii, testatur regem hunc *juravisse in modum Sacerdotis, manu dextera pectori imposita.* Et postea narrat, cum pacta & conventa quædam in publico conventu essent recitata, in humum projectis & extinctis candelis, adhuc tamen fumantibus tetrumque olentibus, regem *manu pectori imposita* omnia illa confirmasse, & cum reliqui clamarent: *Sic extinguantur, nec gratiorem odorem habeant quam hæ candelæ, ii omnes qui hisce pactis stare noluerint*; Regem ipsum alta voce dixisse: *Ita me Deus juvet, tanquam Vir, Christianus, Eques, & Rex coronatus & unctus hæc omnia inviolata observabo.*

V. *Per festucam* juramentum præstabatur. Formulæ vett. incerti autoris, *cap.* II. *Tale sacramentum per suam* (Comitis) *fistucam visus fuit adrhamire*, (id est) jurare, promittere. Sic in L. Ripuar. *tit.* XXX. §. 2. *cum festuca fidem facere* reperitur. Mos inde ortus, quod *baculus, virga, fustis*, loco *sceptri* antiquorum, autoritatem & reverentiam conciliabant, in quorum locum Comites ruri videntur admisisse *festucam*. Quæ, Comitis memoriam renovans & eum quasi præsentem sistens, jurantibus præsto fuit, ut per eam juramentum conciperetur. Sicut hodie in prædiorum traditione festuca aut culmus adhiberi, & cum eis dominium in alium transferri consuevit.

VI. *Tacta Evangelia aut Biblia* sæpicule. Chrysostomus *tom.* VI. *homil.* LIII. Σὺ δὲ εἰ μηδὲν ἕτερον, αὐτὸ γοῦν τὸ βίβλιον αἰδέσθητι, ὃ προτείνεις ὁρκίζων καὶ τὸ εὐαγγέλιον, ὃ μετὰ χεῖρας λαμβάνων κελεύεις ὀμνύ-

ὀμνύναι ἀνάπτυξον, καὶ ἀκούσας τί περὶ τῶν ὅρκων ὁ Χριστὸς ἐκεῖ διαλέγεται, φρίξον καὶ ἀπόστηθι. *Tu autem, ſi non aliud, ſaltem librum iſtum reverere, quem jurans protendis, & aperi Evangelium quod in manus ſumendo jurare jubes, & audito id quod de juramentis Chriſtus ibi differit, exhorreſce & deſiſte.* Et paulo poſt: Οὐχ οὕτω στένω καὶ δακρύω σφαζομένους ἀκούων τινὰς ἐν ὁδοῖς, ὡς στένω καὶ δακρύω καὶ φρίττω, ἐπειδὰν ἴδω τινὰ πλησίον τῆς τραπέζης ταύτης ἐλθόντα, καὶ τὰς χεῖρας θέντα, καὶ τῶν εὐαγγελίων ἁψάμενον, καὶ ὀμνύοντα. *Non ſic gemo & lachymor cum audio cæſos quoſdam in viis, quomodo gemo, lachrymor & horreo, ubi aliquem prope menſam accedentem & manus imponentem, & Evangelia tangentem, atque jurantem.* Novellam idem affirmantem ſupra lectori dedimus. Conſtantinus Porphyrogenneta de Admin. Imp. *cap.* XXVI. *Tres iſti, quos nominavi Duces; diſcalceati, ſumtis in manus Evangeliis ad Berengerium iverunt, veniam petentes, juranteſque, nunquam, eo vivo, ſe illuc reverſuros eſſe.* Fagius ad Onkelum *Exod.* XXI. obſervat, Judæos hodie, cum jurant, libro Legis manum apponere; & hoc juramentum in pretio habere; cætera non æſtimare. Laurentius Brancatus in Epitome Canonum, Romæ excuſa anno CIↃIↃCLIX. *pag.* 483. ex Corpore juris Canonici, de tactione Evangeliorum in juramentis hæc profert teſtimonia 22. *quæſt.* I. *cap. Si aliqua* 35. *quæſt. 6. cap. De parentela cap. Illud Sacramentum* & *cap. Epiſcopus*. Nicolaus I. ad Conſulta Bulgar. *cap. 67.* juramentum ſtatuit fieri non poſſe per aliquod inſtrumentum, ut gladium, vel aliud, ſed per Evangelium. Ita apud Bakerum ſupra nominatum in vita Henrici tertii Richardum Comitem Cornvvalliæ tale juramentum dediſſe invenio: Ego *Richardus, Cornvvalliæ Comes juro ſuper Sanctis Evangeliſtis, me fore fidum ac diligentem in reformando Angliæ regno, & coadjutorem in expellendis rebellibus ac turbatoribus ejuſdem. Et hoc jusjurandum inviolatum ſervabo, mihi indicens amiſſionem omnis agri, quem in Anglia poſſideo, ſi ſecus fecero. Ita me Deus juvet.* Et ſimilem fere in modum Germaniæ Cæſares & Sveciæ Reges, cum inaugurantur, juramentum præſtare conſueverunt. Aquiſgrani etiam Codex ille in Archivis ſervatur & annuatim ſolenni modo ſpectandus exhibetur, cui Cæſares manum imponunt, cum inaugurantur & juramentum præſtant. Inde enim peti Codicem illum tunc ajunt, ubi Cæſar aliquis inaugurandus eſt. Huc refero quod Novarinus in Schediaſm. Sacro-proph. *lib.* XI. *cap.* XIX. ex deſcriptione Hyberniæ refert, nempe, apud Hybernos viguiſſe hunc morem, ut juraturi *ad altare accederent, libro tacto, aperto, ſuperque caput poſito.*

Adde juramenta concepta *manibus clauſis Miſſali incluſis*. De hoc ritu ſic Gerbrandus Chron. Belg. *lib.* XXIII. *cap.* VI. de Guillelmo, Hollandiæ Comite, in ordinem militiæ adſcribendo: *Dominus Cardinalis conjunctas manus clauſit in Miſſali, ſuper lectum Evangelium.* Et poſtea hæc protulit Guillelmus: *Ego Guillelmus Holandicæ militiæ Princeps, ſacrique Imperii vaſallus liber jurando profiteor Regulæ militaris obſervantiam, in præſentia Domini mei Petri, ad velum aureum Diaconi Cardinalis, & Apoſtolicæ Sedis Legati, per hoc ſacroſanctum Evangelium, quod manu tango.*

VII. Nonnunquam *tacta ara* juratum lego. Cicero pro Flacco: *Is, ſi aram tenens juraret, crederet nemo.* Hinc Theo, Arati enarrator, de θυτηρίῳ ſive Ara, cœeſti ſigno, agens: Ἐρατοσθένης δὲ φησὶ τοῦτο τὸ θυτήριον εἶναι, ἐφ᾽ ᾧ τὸ πρῶτον οἱ θεοὶ συναμοσίαν ἐποιήσαντο, ὅτε ἐπὶ τοὺς Τιτᾶνας ἐστράτευσεν ὁ Ζεύς, Κυκλώπων κατασκευασάντων. ἔχον ἐπὶ τοῦ πυρὸς κάλυμμα, ὅπως μὴ ἴδωσι τοῦ κεραυνοῦ δύναμιν. ἐπιτυχόντες δέ τῇ πράξει, ἔθηκαν εἰς οὐρανὸν τὸ αὐτὸ κατασκεύασμα. ὃ καὶ εἰς τὰ συμπόσια φέρουσιν οἱ κοινωνεῖν βουλόμενοι, ἢ αὐτοὺς αἱρούμενοι ἐν τοῖς ἀγῶσι. καὶ τοῖς ὀμνύειν βουλομένοις δίδοται, ὡς δικαιοτάτην πίστιν τηρῶσι. καὶ τῇ χειρὶ ἐφάπτονται, δεικνύντες εὐγνωμοσύνης μαρτύριον τὸ πῦρ. ὁμοίως δὲ καὶ οἱ μάντεις τοῦτο ποιοῦσι. Ubi tactum in juramentis altare dicitur. Sic imprimis I. *Reg.* VIII. 31. jurandum Judæis ſolenniter audis: *Si homo venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam, tu exaudies in cælo.* Horatius quoque ad Auguſtum ſcripſit,

> *Præſenti tibi maturos largimur honores,*
> *Jurandaſque tuum per numen ponimus aras.*

Hoc dicebant ὀμόσαι vel ὁρκῶσαι κατὰ, vel ἐπὶ τῶν σφαγίων. Teſtimonia autorum id demonſtrantia videſis apud Heraldum in Tertulliani Apolog. *lib.* I. *Digreſſ.* XVI. Adhæc Ἐμπύρια Heſychio ὅρκος δημόσιος exponitur. Juvenalis *Sat.* XIV.

> *Falſus erit teſtis, vendet perjuria ſumma*
> *Exigua, Cereris tangens aramque pedemque.*

Sæpius id affirmat Alexander ab Alexandro *lib.* V. *cap.* X. Juſtini unum inſu-

ſuper locum addo *lib.* XXIV. *Quo perducto in ſanctiſſimum Jovis templum veterrimæ Macedonum religionis, Ptolemæus, ſumtis in manus altaribus, contingens ipſa ſimulacra, & pulvinaria Deorum, inauditis ultimiſque execrationibus adjurat, ſe ſincera fide matrimonium ſororis petere.* Virgilius imprimis accedat *lib.* XII. Æneid.

Tango aras medioſque ignes & numina teſtor.

Videſis Juvenalem *Sat.* III. & Macrobium *lib.* III. *cap.* II. Saturnalium. Nec non Livium *lib.* XXI. ſub initium. Cicero pro Balbo, cujuſdam (erat is Xenocrates ut ex Diog. Laertio *lib.* II. *cap.* V. item Valerio conſtat) meminit, qui cum Athenis, *ut mos eſt* (inquit) *Græcorum, jurandi cauſa, ad aras accederet*, ab omnibus pariter judicibus jurare prohibitus fuit. I. Baptiſta Hanſenius inſcriptionem hanc Romæ in hortis Vaticanis ſibi ſuggeſtam exhibet: *Ubios cum ab Auguſto in Galliam traducti eſſent, & in proximis Rheno collocati, aram conſtituiſſe ad quam jurisjurandi deorumque religione ſe adſtringerent in fide manſuros.* Philoſtratus in Heroic. adulteros ad aram Proteſilai juraſſe memoriæ prodidit. Non poſſum ſilentio præterire tabellam Romæ, quæ olim in Æſculapii fuit, quia ritus varios non alienos ab hoc argumento complectitur.

AUTAIC ΤΑΙC ΗΜΕΡΑΙC ΓΑΙΩ
ΤΙΝΙ ΤΥΦΛΩ ΕΧΡΗΜΑΤΙCΕΝ
ΕΛΘΕΙΝ ΕΠ ΙΕ
ΡΟΝ ΒΗΜΑ ΚΑΙ ΠΡΟΣΚΥΝΗΣΑΙ
ΕΙΣ ΑΠΟ ΤΟΥ ΔΕΞΙΟΥ ΕΠΙ
ΤΟ ΑΡΙΣΤΕΡΟΝ
ΚΑΙ ΘΕΥΝΑΙ ΤΟΥΣ ΠΕΝΤΕ ΔΑ-
ΚΤΥΛΟΥΣ ΕΠΑΝΩ ΤΟΥ ΒΗ-
ΜΑΤΟΣ ΚΑΙ ΑΡΑΙ ΤΗΝ ΧΕΙ
ΡΑ ΚΑΙ ΕΠΙ ΘΕΙΝΑΙ ΕΠΙ ΤΟΥΣ
ΙΔΙΟΥΣ ΟΦΘΑΛΜΟΥΣ.

Hiſce diebus Cajo cuidam cæco oraculum indicavit, veniret ad ſacrum altare & adoraret a parte dextra ad lævam, & poneret quinque digitos ſuper altare & elevaret manum & poneret ſuper proprios oculos. Idem fecerunt Chriſtiani. In libro Formularum veterum, qui Marculfi Formulis ſubjungitur, & exſtat quoque in Bibliotheca Patrum tom. VI. Formula XXIX. hæc leguntur: *Poſita manu ſua ſuper ſanctum altare Sancti illius, ſic juratus dixit: Hic juro per hunc locum ſanctum &c.* Et Formula XXXIII. *Poſita manu ſua ſuper ſacroſanctum altare Sancti illius, ſic juratus dixit: Hic juro per hunc locum ſanctum &c.* Item Formula XXXIV. *Veniens fœmina aliqua, &, poſita manu ſua ſuper ſacroſanctum altare Sancti illius, ſic jurata dixit: Juro &c.* Nec non Form. XLI. *Poſitis manibus ſuper ſanctum altare, juratus dixit: Per hunc locum ſanctum &c.* Sanctum quoque reliquiæ religionem juramentis apud complures conciliarunt, cum *tactis reliquiis*, aut *ſuper capſa reliquiarum poſitis manibus* jurandum conciperent. Marculfus Formularum *lib.* I. *Form.* XXXVIII. *Fuit judicatum ut de quinque denominatis, idem ille apud tres & alios tres, ſua manu ſeptima, tunc in palatio noſtro*, ſuper capellam Domini Martini, *ubi reliqua ſacramenta percurrunt, debeant, conjurare.* Antiquæ Friſiorum Leges tit. XII. §. I. *Si ſervus rem magnam quamlibet furaſſe dicatur, vel noxam grandem perpetraſſe, dominus ejus in reliquiis Sanctorum pro hac re jurare debet.* Leges Alaman. *tit.* VI. §. I. *Iſta vero ſacramenta ſic debent fieri, ut illi conjuratores manus ſuas* ſupra capſam *ponant & ille ſolus, cujus cauſa requiritur verba tantum dicat, & ſuper omnium maaum ſuam ponat, & ſic eum Deus adjuvet, vel illæ reliquiæ, & illas manus, quas comprehenſas habet.* Ubi *capſa* idem quod *capella* apud Marculfum, in qua nimirum Martyrum aliorunque Sanctorum reliquiæ ſervabantur. Evodius de Miraculis S. Stephani *lib.* I. ab Hieronymo Bignonio adductus: *Capella argentea, in qua erat reliquiarum portio.* Poſtea Sacrarum Ædium partes illæ, quibus reliquiæ ejuſmodi erant conditæ atque incluſæ, *Capellæ* dici cœperunt; immo ipſa minora ædificia ſacra quælibet cultui peragendo deſtinata, quæ vulgo *ſacella* nuncupamus, quaſi *ſacras cellas* dicas. Adde de *tactis reliquiis* locum C. 33. *qu.* I. *cap. Requiſiſti*: His ſubjungo verba Gregorii Turonenſis *lib.* IV. *cap.* XLVI. *Requirit hominem alium Urſum nomine, quem ad altare clam ductum jurare fecit ac dicere: Per hunc locum ſanctum & reliquias Martyrum beatorum &c.* Idem de Miraculis *lib.* I. *cap.* XXXIII. *Ingreſſique in ejus memoratæ ædis altare, cum, elevatis manibus, ſacramenta proferrent &c.*

VIII. Non abuſurum me patientia lectoris arbitror, ſi explicuero illam Marculfi formulam de *ſeptima manu*, qua juratum audivimus. Non de nihilo eſt quod quidam Hebræorum שבועה *juramentum* ſic appellatum putant a שבע *ſeptem* ideo quia jurando ſeptem aut multi teſtes adhibebantur antiquitus. Unde Patriarcha Abrahamus jurejurando ſuam Abimelecho regi adſtringens fidem,

Gen. XXI. 30. ſeptem agnas ſtatuit deditque ad rei confirmationem ac teſtimonium ſolenne. Quod Arabes imitati videntur, qui, fœdus facientes, *ſeptem lapides, in medio poſitos, inungebant ſanguine &c.* ut eſt apud Herodotum *lib.* III. non longe ab initio. Unde & Belgarum Eed, id eſt, jusjurandum plane Hebraicum eſt vocabulum, nempe עד quod teſtem denotat. Hinc majores ſeptem fere teſtium ſuffragio juramenta firmari volebant. Quod *manu ſeptima jurare aut conjurare* dicebant, ut eſt apud Marculfum modo laudatum. Hildebertus Cenomanenſie Epiſcopus Epiſt. LXIX. ad Honorium: *judicatum eſt, Decanum, ſi non pro Nicolao, quibuſdam moratoriis cauſis quærente judicium differre, pro Eccleſia tamen, quæ eum habebat ſuſpectum; debere purgari, atque in ſeptima manu ordinis ſui ſuam jurejurando declarare innocentiam.* Arnulfus Lexovienſis Epiſcopus *Epiſt.* IX. ad Papam Hadrianum IV. *Abbati eſt a nobis adjudicata purgatio, ſeptima quidem manu, trium ſcilicet Abbatum, & trium Monachorum Sacerdotum notæ opinionis & nominis, quorum juramentis vulneratæ famæ poſſet remedium comparare.* Et in Lege Ripuaria *tit.* XXXV. id ipſum *ſeptima manu fidem facere* dicitur. Ivonis Epiſt. CCXXIX. *Quinta manu mulieris, vel ſeptima purgationem ejus accipiatis.* Hinc etiam in jure Canonico ſeptem teſtium auxilio *Purgationem, Canonicam* vulgo dictam, peragendam eſſe docetur 2. *qu.* 4. *cap. Si legitima* cap. *Præsbyter* & cap. *Omnibus*. Alibi duodecim teſtes cum purgando jurare debere ſtatuitur, hoc quidem pacto, ut principalis & purgandus juret, ſe non feciſſe, alii vero. Se credere illum vere ac ſincere juraſſe. Hinc in Legibus Friſiorum *tit.* XIV. §. 2. & 3. invenitur *duodecima manu manu ſe excuſare.* Vide Laurentium Brancatum in Epitome Canonum, Voce *Purgatio*; & Ivonis Epiſtolam CCVI. ubi de teſtium numero agitur. Quandoque etiam plures teſtes erant advocandi; quandoque pauciores ſeptem. In Alamannorum Legibus *tit.* VI. eſt *ſexta manu jurare.* Rurſus in jure Canonico invenias *purgari quarta & quinta manu*, in titulo *De Purgatione Canonica* cap. 5. Et C. 2. qu. 4. cap. *Quoties.* ubi vulgo legitur. *Judicamus ut tertia manu ſui ordinis; & quatuor abbatum & religioſorum ſacerdotum &c. ſe debeat expurgare;* alia exemplaria habent, *& quarta manu abbatum &c.* Frequenter admodum *manu quinta, ſexta, ſeptima, duodecima* in Veteribus Legibus, Capitulis, Epiſtolis Romanorum Pontificum & alibi. Hæc autem per juramentum purgatio *Canonica* propterea dicebatur, quia Canones eam permittebant, non autem eam quæ per duellum, ferrum candens &c. fiebat. Atque inde *tit. lib.* V. Decretalium *De Purgatione Canonica*, & *De Purgatione vulgari*. Teſtes autem ejuſmodi auxiliares, quia ſacramentum, hoc eſt, jusjurandum dabant, *Sacramentales* inde dicebantur, ut videre eſt in priſca Lege Alamannorum *tit.* VI. VII. XXXVII. XC. XCI. Item in Lege Bajuvariorum *tit.* I. & V. Iidem & *Conjuratores* appellati in eadem Alamann. Lege *tit.* VI. Item in Lege Salica *tit.* L. LV. LXI. ubi etiam *juratores* dicuntur. Nec non *Compurgatores*. Videſis Laurentium Brancatum, plus ſemel nobis laudatum, Voce *Compurgatores*.

Autor eſt Demoſthenes contra Ariſtocratem, eum, qui homicidii accuſabat aliquem apud Areopagitas, *tactis ſacris Suovetaurilibus*, ϛάντα ἐπὶ τῶν τομίων κάπρου, ϗ κριοῦ, ϗ ταύρου, jusjurandum concipere ſolitum, ſibi, liberis, totique familiæ exitium imprecantem, ſi ſciens falleret. Verba ipſius Demoſthenis ſunt κατ' ἐξωλείας αὐτοῦ, ϗ γένους, ϗ οἰκίας. Hoc ipſum Demoſthenes contra Neæram vocat ὀμόσαι καθ' ἱερῶν τελείων; nam Suovetaurilia intelligit.

IX. Hæc me in memoriam redire faciunt vetuſtiſſimi moris in ſanciendo fœdere uſurpati, quo receptum fuit, ut per medium diviſorum pecorum tranſirent *Jerem.* XXXIV. 18. ad quem alluſum *Gen.* XV. 9. 10. 17. & *Matth.* XXIV. 51. Qua de re me ſcribere nonnulla memini in Syntagmate Sacro de Re Militari *lib.* VI. *cap.* I. Hæc enim non ſine ſanctiſſimo jurejurando peragebantur. Sic itaque in hanc rem ſcripſit Cyrillus Alexandrinus *lib.* III. in Geneſin: *Apud Chaldæos juramenti uſus fuit, per medium animalium, quæ in duas partes diſſciſſa eſſent, incedere, dicentes quodammodo, hoc pacto: Ne fiam ut hæc. Cum itaque Chaldæus natione eſſet Abraham, & recens patria exceſſiſſet, Deus conſueto fœderis more uti juſſit.* Adeo ut temere non dixerit Alex. ab Alexandro *lib.* V. *cap.* X. *ſuper defectis carnibus* olim juratum fuiſſe. Item cum poſtea addit: *Quin etiam vetus Romanis inolevit mos, ut juraturi per Jovem, modo ad Deorum aras, ſacrificio perfecto, ignem, aram atque exta tangerent: modo ſuper cæſis hoſtiis jurarent.* Et iterum: *Præ cæteris vero maximum vinculum juramenti apud Samnites vetuſta religione fuiſſe traditum eſt, ut, ara in medio conſtituta, ac cæſis victimis, omni aditu præſepto, jurans introducatur, & furiali car-*

mi-

mine inter stragem victimarum dira execratione adstringatur. Qui etiam Arcadibus mos erat, cædes victimarum solennem fidem & jusjurandum dare. Huc refer quod antea idem autor sub initium dicti capitis dixerat, interdum veteres *Verre immolato & in mare abjecto jusjurandum præbuisse*. Item *agnum læva, dextra silicem tenentes Pœnos, Deos hominesque contestatos, ut si illos scientes* fallerent, ita se Jupiter feriret, quemadmodum ipsi agnum percuterent. Ubi videndus Tiraquellus. De juramento etiam super desectis carnibus Lucianus meminit iu Toxaride & alii complures. Nam hoc erat ἐπὶ τῶν τομιων ὀμόσαι, vel ὅρκια τέμνειν, & uno verbo (si Heraldo fides) ὁρκοτομεῖν. Homerus Iliad. Γ.

> Οἱ δ' ἄλλοι φιλότητα, καὶ ὅρκια πιστὰ ταμόντες.

Ad quæ Eustathius: Τὸ δὲ φιλότητα καὶ ὅρκια ταμεῖν, ἀντὶ τοῦ φιλίαν καὶ ὅρκον ποιῆσαι διὰ ἐντόμων, ἤγουν θυσιῶν. Dionysius Halicarn. *lib.* v. Καὶ ὅρκια τεμόντες, αὐτοί τε πρῶτοι, στάντες ἐπὶ τῶν τομίων, ὤμοσαν. Unde Plutarchus πίστιν, καθ' ἱερων λαμβάνειν dixit. Nec non Demosthenes contra Eubulidem simpliciter dixit, ὀμόσαι καθ' ἱερῶν; Idemque contra Neæram, καθ' ἱερῶν τελέιων. Quæ postremæ locutiones magis respiciunt aras & sacrificia, per quæ juratum, quam hostiarum victimarumque divisionem ac scissionem in frusta.

X. *Tacta lauro* per Apollinem etiam jurabant. Alcidamas nempe ὤμοσε τὸν Ἀπόλλωνα τῆς δάφνης ἁψάμενος, quod habetur cx Nicandro apud Antonium Liberalem in Metamorphosi prima, ut annotavit Seldenus ad Smyrnæorum Decreta, & Fœdus cum Magnesiis ictum. Fœderis autem ipsius verba sunt. Ὁρκιστάτωσαν αὐτοὺς οἱ ἐξετασταὶ ἐπὶ τοῦ Μητρώου ἱεροῖς νεοκαύτοις. *Adjurante eos Quæsitores super ardentibus Fani magnæ Matris victimis.* Quibus firmantur ea quæ de juramento tactis sacris concepta paulo ante dicebamus.

Syracusanos *tactis cereis ignitis* juramentum præbuisse, autor est Alex. ab Alexandro *lib.* v. *cap.* x. & ad eum Tiraquellus, Plutarchum in Dione testem advocans.

Contrectato annulo juramentum solemniter datum ab Islandis docet Olaus Wormius in monumentis Danicis *lib.* I. *cap.* VII. ex Arugrimo: *In ara præterea annulus asservatur argenteus (vel ex orichalco) unciarum viginti, quem forensi aliquo munere fungentes jusjurandum jam præstituri, victimarum illinitum cruore, religiose inter jurandum contrectabant.* Sed ad Frisios me confero.

XI. Hi in more positum habuerunt olim *jurare in vestimento*, ita quidem ut jurans oram vestis ejus, cui se purgabat, vel alterius testis, vel sui ipsius, apprehendens, solemni juramento se vel servum suum purgaret, uti existimat Sibrandus Siccama ad Legem veterem Frisionum *tit.* XII. quæ sic habet: *Si vero de minoribus furtis & noxis a servo perpetratis fuerit interpellatus*, in vestimento *vel pecunia jurare poterit*. Ubi idem Siccama sic illum ex lege *in pecunia* jurasse scribit, ut prolato nummo solido, vel denario, in quo vultus Regis, vel Crux effigiata, ei manum imponeret, atque ita, quasi teste Rege vel Cruce juraret. Extat (sic pergit Siccama) in jure nostro Frisico Articulo LXXXI. alia jurandi forma, seu ritus solennis, quem adscribere non gravabor: Dit is dio riuchte Boebelted / di da iena swarra schil / der kamer en kaien warada / ho aeg hy op tho nimen mit siner winstera hand sine winstera hara / ende der op tho sidsena tween fingeren mit sima fora hand / en swarra dan. *Hoc est legitimum juramentum ejus, qui in domo mortuaria cameras & claves custodit. Tollat sinistra manu sinistros capitis capillos, eisque imponat dextræ manus duos digitos, atque ita juret.* Qui mos jurandi, inquit Siccama, cum apud majores nostros esset frequentissimus, & sanctissimus haberetur, proverbio locum dedit vicinis & finitimis populis, *Tum demum Frisio credendum, si manu capillos adprehendisset*, atque ita sacratissimo juramento fidem alteri adstrinxisset. Hactenus Siccama. Non absimilem consuetudinem apud Bulgaros obtinuisse fidem facit Anastasius in vita Adriani: *In tantum pietas venerat Principis, & abundabat circa Beatum Petrum veneratione affectus, ut quodam die* manu propria capillos suos apprehenderet, *& contemplantibus cunctis, se Romanis missis tradiderit, dicens: Omnes Primates, & cuncti populi Bulgarorum terræ cognoscant, ab hodierno die me servum fore, post Deum, Beati Petri, & ejus Vicarii.* Hoc ipsum latet in adagio, Belgis usitato, Men moet niemant gelooven / of hy is ruych in de hand. Quod non bene expressit, qui Rhytmo id hoc modo comprehendit:

> Geen mensch vertrouwt van heel het land /
> Dan die daer hayr wast in de hand.

Neque enim adagium indicat manus, enatis in palma pilis, hirsutas (quod parum naturæ conveniens) sed manus capillos complexas aut apprehendentes, ex more veteri, quem jam exposuimus.

XII.

XII. Solenne quoque quibuſdam fuit *tactis oculis* jurare. Auguſtinus tractatu XXXV. in Johannem: *Nam & oculi noſtri lumina dicuntur; & unuſquiſque ita jurat*, tangens oculos ſuos, *per lumina ſua*: *Sic vivant lumina mea uſitata juratio eſt*. Accedat ſancto Antiſtiti prophanus ille Apuleius Metam. *lib.* III. *Tandem denique reverſus ad ſenſum præſentium, arrepta manu Fotidis, & admota luminibus meis; Patere, oro te, inquam, dum dictat occaſio, magno & ſingulari me affectionis tuæ fructu perfrui, & impartire nobis unctulum indidem, per iſtas tua pupillas* (ſic reſtituit Lipſius pro *papillas*) *mea mellitula*. Ubi tangendi oculos ritus in jurando ſe prodit, teſte Lipſio Elect. *lib.* I. *cap.* XVII. Hoc vero ritu cecitatem ſibi imprecati videntur, ſi ſcientes fallerent. Etenim ὁρκαπάταις cæcitatem a Deo immitti vulgo creditum. Certe ob fidem violatam commiſſumque perjurium graviſſime a Deo punitus Zedekia Rex, oculiſque orbatus fuit a Nebucadnezare II. *Reg.* XXV. 7. Ita Euſebius Hiſtor. Eccleſ. *lib.* VI. *cap.* VIII. de tertio falſo Narciſſi, Epiſcopi Hieroſolymitani, accuſatore memoriæ prodidit, quod, cum cæcitatem ſibi imprecatus eſſet, ſi falſus foret, etiam utriuſque oculi uſum revera amiſerit. Sic a Deo excæcatus perjurus quidam, & a S. Eutychio ſanatus ſi Surio fides in Actis hujus Sancti. Alexander autem ab Alexandro loco ſæpe a nobis indicato ſcriptum reliquit in Sardinia aquas reperiri, quibus immerſus perjurus cæcitate admiſſum facinus luebat; qui vero integer ad jusjurandum acceſſiſſet, incolumi etiam fama, clarius cernebat.

XIII. *Sceptrum elevando* Regum Principumque juratio peragebatur. Ariſtoteles Polit. *lib.* III. *cap.* X. de Heroum priſcotum gubernatione diſſerens, cum de juramentis eorum verba facit, hæc habet: Ὁ δ᾽ ὅρκος ἦν τοῦ σκήπτρου ἐπανάτασις. Jusjurandum autem erat *ſpeptri elevatio*. Homerus Iliad K. Dolonem inducit ſic ad Hectorem verba facientem:

> Ἀλλ᾽ ἄγε μοι τὸ σκῆπτρον ἀνάσχεο, καί
> μοι ὄμοσσον,
> Ἦ μὲν τοὺς ἵππους τε καὶ ἅρματα ποικί-
> λα χαλκῷ
> Δώσεμεν.

> *Sed age, mihi* ſceptrum attolle, *&*
> *mihi jura,*
> *Omnino te equos & currus ornatos ære*
> *Daturum.*

Quandoque *eductis mucronibus* juramenta fiebant. Ammianus Marcell. *lib.* XVII. de Barbaris quibuſdam Principibus. *eductiſque mucronobus, quos pro Numinibus colunt, juravere, ſe manſuros in fide*. Hinc Cælius Rhodiginus Antiq. Lect. *lib.* XVIII. *cap.* XXVIII. *Schytarum proprium illud, uti mucronibus, quos pro Numinibus colunt, eductis, jurent, ſe permanſuros in fide*. Imprimis commemoratione digna ſunt, quæ ex hoc more Abares feciſſe legimus apud Menandrum in Excerptis Legationum ab Hœſchelio editis: Τοὺς ὅρκους γοῦν αὐτὸν ὀμνύναι προεκαλοῦντο, καὶ ὃς παραυτίκα τούς τε Ἀβαρικοὺς ὤμνυεν ὅρκους, ξίφος σπασάμενος, καὶ ἐπαρασάμενος, ἑαυτῷ τε καὶ τῷ Ἀβάρων ἔθνει παντὶ, ὡς εἰ κατα Ῥωμαίων τι μηχανώμενος γεφυροῦν βούλευοιτο τὸν Σάον, ὑπὸ ξίφους μὲν αὐτός τε καὶ τὸ Ἀβάρων ἅπαν ἀναλωθείη φῦλον. τὸν δὲ οὐρανὸν ἄνωθεν αὐτοῖς, καὶ τὸν ἐπὶ τοῦ οὐρανοῦ Θεὸν πῦρ ἐμαφήσειν, καὶ τὰ περιξ ὄρη, καὶ τὰς ὕλας αὐτοῖς ἐπιπεσεῖσθαι, καὶ τὸν Σάον ποταμὸν ὑπερβλήσαντα συγκαλύψαι αὐτούς.

XIV. Saxonibus juramentum quoddam adſcribit Caſp. Barthius Adverſ. *lib.* XLVI. *cap.* XXIII. quod præſtitum fuerit *ejiciendo aliquid e manibus*; ſed obſcura & tenui ſatis conjectura. Producit in hanc rem verba Engoliſmenſis in Vita Caroli Magni *pag.* 242. ſic ſcribentis: *Ibique maltitudo Saxonum baptiſata eſt, & ſecundum morem illorum, omnem ingenuitatem illorum & alodem, manibus gurpierunt, ſi amplius immutaſſent ſecundum malam conſuetudinem eorum, ſed ſemper erunt in fidelitate Regis Caroli*. Cum autem *ingenuitates* explicaſſet per bona, quorum domini ſucceſſione erant Saxones, & *alodem* per bona quæ illis aliunde advenerant; pro *gurpierunt* ſubſtituendum *uverpierunt* (an per hoc ipſum exponendum) putat. De quo verbo Bignonus ad Formulas Marculfi *pag.* 475. & Henricus Spelmannus in Gloſſario Archaiologico, vocibus *Gurpire* & *Werpire*. Ita ut *manibus gurpierunt* ſit, manibus ejecerunt. Certe Belgis werpen / eſt *projicere*. Hunc ergo Saxonum morem hinc ſe collegiſſe Barthius exiſtimat, Quod homo ei rei & juramento deſtinatus aliquid in manu capiens ejiceret illud, adjurans & atteſtans, non aliter ſeſe omnia bona projecturum ſua, & velut pro derelictis habiturum, ſi violaſſe fidem datam repertus fuiſſet. Huic rei aliquatenus firmandæ facit locus ille, quem e Legibus Caroli Magni a Grotio in Florum Sparſione ad jus Juſtinianeum adductum reperi: *Profitemur omnes, ſtipulas dextris in manibus tenentes, eaſque propriis a manibus ejicientes*, &c. Neque ſilentio involvenda *lapidis in mare projectio*, quam dabo fide & verbis *Aloyſii Novarini Sacrorum Electo-*

ctorum lib. VI. *cap.* XXXII. *num.* 275. Olim, inquit, juraturi lapides in mare projiciebant, quos μύδρυς vocabant, ut annotat Sophoclis Interpres. Idem habet Plutarchus in Ariſtide. *Sacramento adegit Græcos in Athenienſium verba jurare, votiſque nuncupatis ignitos lapides in mare porrexit.* Huc videtur alluſiſſe Macedonicus in Epigrammatis:

> *Virginis ora feræ juravi triplic ſaxo*
> *Me placidis nunquam velle tueri oculis.*

Jusjurandum aut illi adfine illi de projectione ſtipulæ etiam confieri ſolebat *ſtipulæ fractione, & deinde conjunctione.* Diſco illud ex Iſidoro, Originum lib. V. *Stipulatio eſt quaſi promiſſio vel ſponſio. Unde & promiſſores ſtipulatores vocantur. Dicta autem ſtipulatio a ſtipula. Veteres enim, quando ſibi aliquid promittebant, ſtipulam tenentes* frangebant; *quam iterum jungentes, ſponſiones ſuas agnoſcebant.*

XV. *Dextram tangendo* alterius juramentum veteres dediſſe, apud Cornelium videre eſt Annal. *lib.* II. *Juravere amici, dextram contingentes.* Ideo ὅρκυς ϗ δεξίας conjungit Xenophon, apud quem illud exſtat, Ε῎π ϗ Τ῎ρκαvίυς, ὃις τὺς ὅρκυς, ϗ τὺς δεξίας ἔδωκα. Id certe Perſis firmiſſimum fidei pignus. Diodorus Siculus *lib.* XVI. ἡ πίςιν ἐςτὶ βεβαιοτάτη παρὰ τοῖ Πέρσαις, de dextre porrectione agens, ſimiliter pronunciavit.

XVI. *Schedulæ inſcriptum juramentum in aquam abjicicere Palicæ* civibus in more poſitum fuiſſe Stephanus autor eſt in Παλίκη ubi ait: Ε῎ςι δὲ ὅρκος ἅγιος αὐτόθι. ὅσα γὰρ ὀμνύει τις ἐς πινάκιον γράφας, βάλλει αὐτὸ ἐς τὸ ὕδωρ. ἐὰν μὲν ὖν εὐορκῇ, ἐπιπολάζει. ἐὰν δὲ μὴ, τὸ μὲν πινάκιον ἀφανίζεται, αὐτὸς δὲ πίμπραται. *Juramentum ſanctum ibi eſt. Nam quæcunque jurat aliquis, ea, ſchedulæ inſcripta, abjicit in aquam. Ubi ergo bene jurat, ſupernatat, contra vero, ſchedula ſubſidit, & ipſe comburitur.*

XVII. *Gladio cervici admoto* juraviſſe milites comperio apud Marcellinum *lib.* XXI. *juſſi*, inquit, *univerſi in ejus nomen jurare ſolemniter, gladiis cervicibus ſuis admotis, ſub execrationibus diris, verbis juravere conceptis.*

XVIII. Præterea *ferrum ignitum geſtando, aut ignem tranſgrediendo* dejeraſſe veteres Interpres Sophoclis in Antigone docet: Εἰώθασι ὀμνύοντες, ϗ διδόντες μύδρυς βαςάζειν, ϗ ὑπερβαίνειν. De quo more ad Tertullianum de Idololatria (ubi de innocentiæ variis probationibus antiquis uſitatis agimus) dicere plura memini.

XIX. Agmen hoc claudant Judæi, qui *ſtando* jurabant, ut ex R. Abraham aliiſque id annotavit Novarinus Schediaſm. Sacroprof. *lib.* XI. *cap.* II. honorantes hoc modo Deum ipſum, quem jurando invocabant. Adeo ut communem hic Orationis ritum obſervarint. Nec ſubticendum quod Philo ſcribit in libro de Specialibus legibus: *Illis*, inquit, *laus debetur, qui quoties urgentur ſacramentum dicere* cunctando tergiverſandoque *religionem incutiunt, non ſolum ſpectantibus, ſed & ad jurandum provocantibus. Solent enim quidam, ubi hoc ſolum protulerim, Ita me adjuvet, reliquum ex abrupto ſubticere; nihil addentes amplius, nec abſolventes formulam. Poteſt enim ſuppleri, ſi libeat, non ſtatim addendo, Altiſſimus, aut Summus rerum Conditor, ſed Tellus, Sol, Cœlum, Mundusve.* Adhæc *manu geſtantes* φυλακτήρια, jurare interdum in judicio conſueverant. Maimonides Tractatu שבועות. Perek XI. juramentum הדיינין illud fuiſſe dicit, quod quis volens & lubenti animo, itemque corporaliter, id eſt, manu geſtans Librum Legis aut φυλακτήρια (nam qui ea in manu habeat, nihil erat neceſſe, ſi vellet, librum Legis tangere) jurabat. Eum vero qui jurabat jusjurandum הסת invitum adactum a judice, nec juraſſe corporaliter, id eſt, non tetigiſſe librum legis, quanquam eum præ manibus haberet Synagogæ apparitor, aut alius quivis de plebe. Ipſa Maimonidis verba habes in Variis Lectionibus Sam. Petiti *lib.* I. *cap.* XVI.

Hæc autem atque ejuſcemodi juramenta dicuntur *corporalia*, aut *corporaliter præſtita*; Belgice lijflick gedaen/ quia corporis aliquo geſtu, motu aut actione peragebantur. Audi hac de re Seldenum in Notis ad Marmora Arundeliana quem hic deſcribere non pigrabor, quia paucis in numero eſt.

„ Quæ vero ita ſive tactis ſive inſpe„ ctis, & admota, ſublata, aut proten„ ſa manu præſtantur juramenta, Cor„ poralia dicuntur ſeu Corporaliter præ„ ſtita, ut in C. tit. Si adverſus vendi„ tionem *lib.* I. & *tit.* Si minor ſe ma„ jorem dixerit *lib.* 3. Et Cujacius ad „ Novellam 51. de Mulieribus ſcenicis; „ Corporaliter inquit, jurat, qui jurat „ tactis ſacroſanctis Evangeliis vel manu „ ſublata, quos Balſamon vocat σωματικοὺς ὅρκυς. Quin vide, ſi placeat, Lin„ duvodum noſtrum ad Conſtitutionem „ *Presbyteri*, tit. de Jurejurando, verbo „ *inſpectis*. Et ὅρκος σωματικῶς διαδόναι & „ σωματικῶς ὀμνύναι eſt Sacramentum cor„ poraliter præſtare Juriſconſultis Græ„ cis. Conſule Baſilicon eclogam 10 tit.

25.

„ 25. cad. 4. & Harmenopuli Prochei-
„ ron *lib.* 1. *tit.* 12. Id ipſum vocabant „ αὐτῇ τῇ ἀληθείᾳ ἐπωμνύωαι ſeu ipſa veri- „ tate aut revera jurare, quo nempe „ corporaliter jurare diſtinguerent ab eo „ quod eſt συμβολαίῳ ſive ἐγγράφως μεθ' „ ὅρκου βεβαιῶσαι pro quo ſub Diocletia- „ no Romæ dicebant " in inſtrumento per ſacramenti religionem adſeverare; ut in lege Codicis penultimo citata legimus. „ Non enim fiebat reſtitutio in inte- „ grum, ſi minor in inſtrumento per „ Sacramenti religionem ſe majorem eſſe „ adſeveraſſet, niſi palam ex ipſo inſtru- „ mento conſtitiſſet illum nihilominus „ minorem fuiſſe. Sin vero corporaliter „ & revera præſtitiſſet de ætate majori „ juramentum, haud reſtituendus erat „ omnino. De reſtitutionis illa ſeu ἀπο- „ καταστάσεως lege in dicta Baſilicon „ Ecloga; Ταυτυ ὅπυ ἐνεγράφη τῷ συμ- „ βολαίῳ μόνον ὁ ὅρκος, ὐ μὲν σωματικῶς καὶ „ τῇ ἀληθείᾳ ὤμοσεν ὁ νεώτερος ἑαυτὸν εἶναι „ μείζονα, quod non aliud ſonat quam „ quod jam diximus. Putarunt igitur „ Græci Juriſconſulti Sacramenti religio- „ nem inſtrumento inſertam, nec corpo- „ raliter præſtitam, non eſſe τῇ ἀληθείᾳ „ ὅρκον. Certe fidem interpoſitam ſine „ corporali juramento, corporali æquipa- „ rari, video apud clariſſimum Juriſcon- „ ſultum Andream Gaillium, quem vi- „ ſis *lib.* 1. Obſervationum practicarum „ 101. & *lib.* 2. *obſervat.* 59.

CAPUT V.

De locis, in quibus juramenta concipi conſueverunt: ſcil. ad aram ſepulcra Martyrum ſuper Mortuorum tumulos. In templis apud lacus. Sub Dio. Ad lapidem in foro.

AD quintum nunc hujus argumenti caput noſtra ſe convertit oratio, loca ubi juramenta concipi conſueverint ex variarum gentium recepto more, deinceps expoſitura. Et quidem Philo in libro de Specialibus Legibus, non procul ab initio, illos reprehendit, qui temere & quaſi illotis pedibus ad Deum Creatorem jurando irrumpunt, *non habita ra tione* locorum *& temporum*.

I. Hinc ad *aram* jurare mos fuit; ita ut eam quoque tangerent. Quod, ubi devariis juramenti geſtibus egimus, exſecuti ſumus.

Similiter *præſente Cruce*. Cedrenus, in Conſtantino, Leonis filio *pag.* mihi 504. *Palatii primarius Sacerdos* (*ipſi Protopapam vocant*) *miſſus* (μετὰ τῶν τιμίων ξύλων) *cum Venerandis Lignis*. (Crucem intelligo) *omnes in genua procumbere juſſit, & jurare, ſe uſque ad mortem una perſeveraturos*. Apud Sigebertum autem anno DCCLXX. juramenta ſuper lignum Crucis ſolemniter facta legere eſt.

II. *Apud Martyrum ſepulcra* autem, religione tacti quoſdam juraviſſe veterum monumenta manifeſtum faciunt. Nonnulla quantilibet pretii ex Actis Sanctorum laudat Aloyſius Novarinus Schediaſm. Sacroprophan. *lib.* VIII. *cap.* VIII. Naſamones in more poſitum habuiſſe, ut jurarent *ſepulchra defunctorum tangentes* poſt Herodotum *lib.* IV. teſtatur Alex. ab Alexandro *lib.* V. *cap.* X. Gregorius Turonenſis *lib.* X. *cap.* XXXII. *Si, inquiunt, eſt innoxia, ſuper tumulum beati Dionyſii Martyris ſacramentis adfirma. Faciam, inquit pater &c.* Sed hac de re actum quoque paulo ante, cum de juramento per & ad reliquias Sanctorum diximus.

III. His affine eſt, quod veteres Londinenſes ſoliti fuerint in judiciis publicis *ſuper mortuorum tumulos* jurare de eo, quod ipſi mortui teſtarentur, ſi in vivis ſupereſſent. Seldenus, his firmandis, ex tabulis publicis, ab Henrico III. Angliæ rege, civibus Londinenſibus confectis, hæc affert: *Conceſſum eiſdem civibus, quod de placitis ad Coronam pertinentibus, de iis maxime quæ infra civitatem prædictam & ejus ſuburbium fieri contingent, ſe poſſint diſrationare, ſecundum antiquam conſuetudinem civitatis prædictæ, eo tamen excepto, quod ſuper tumulos mortuorum, de eo quod dicturi ſunt ſi viverent, non liceat præciſe jurare, ſed loco mortuorum, qui ante obitum ſuum electi fuerint ad eos diſrationandos, qui de rebus ad Coronam ſpectantibus appellati fuerint vel rectati, alii liberi & legales eligantur, qui idem ſine dilatione faciant, quod per defunctos memoratos, ſi viverent, fieri oporteret.*

IV. *In Templis* ergo jurare mos habitus fuit laudatiſſimus. *Græcis, libantes Diis in ædibus ſacris jurare, magnum vinculum juramenti exiſtimatum eſt*, inquit Alex. ab Alexandro loco ſæpius indicato. Ibidem loci teſtatur, ſpeciatim in Cereris templo ſolemniter admodum juramenta concepta. Sic enim ſcribit: *Apud Græcos qui ſanctam & inviolabilem præſtant fidem, in Theſmophoræ, hoc eſt, legiferæ Cereris templum deſcendere, &, quibuſdam exhibitis ſacris, Deæ purpuram induere, incenſiſque facibus, velut præſentibus numinibus, per quicquid eſt Deorum, dejerare ſolebant.* Quæ ex Plutarcho ſumſit in vita Dioniſ. Poſtea idem Alex. ad Alexandro de Anaitidis templo ſimilia:

AR-

Armenii jusjurandum de rebus magnis in templo Anaitidis Deæ, quam maximi Numinis instar habebant, ab ipsisque religiose colebatur, præstare consuerant. In Zela urbe id templum esse inibique juramento præstari solere Strabo *lib.* XII. autor est.

V. Alii *apud lacum* aut *aquarum scaturiginem* jusjurandum dare bonum factum imprimis putarunt. Ita Siculos in ara Palicorum, lacu seu cratere religioso juramentum præstasse Alexander ab Alexandro, sæpe mihi nominandus, testatur ad ebullientem multiplici scaturigine aquam constitutos. Qua de re videndi Diodorus Siculus *lib.* XI. prope finem, Stephanus de Urbibus, & Macrobius Saturn. *lib.* V. *cap.* XIX. Morem etiam obtinere, accepi a fide dignis Edamensibus in Hollandia Boreali, ut promissuri invicem stent in margine præterfluentis in ipsa urbe rivi aquarum, hic cis ille ultra eum; quodque sic promiserunt, id tam ratum esse, quam si verbis conceptissimis & ex animi sententia esset juratum. Cæterum id reliquum illi populo (quod pace illius dixerim) mansisse ex Ethnica superstitione ad aquas juramenta sanctissima concipiendi, mihi fit verisimile. Sed quia apud Diodorum & Macrobium ritus novi juramentorum produntur, eos inde promere decretum est. Ait ergo Diodorus de Palice urbe agens, prope eandem Crateres statuit aquarum religiosarum & admirandarum in templo, per quod sanctissima, summæque obstricta religioni juramenta depromi solebant. Adeo ut perjuri subito inibi punirentur manifestarii. Ita quidem ut, si quibusdam, de aliqua re ardua & inextricabili, lis & controversia intercideret, adactis ad juramentum disceptantibus eadem in hoc templo & ad hasce aquas, veluti per quoddam divini judicii examen componeretur. Macrobius vero in Crateribus hisce, juramentisque ibi præstitis, describendis multus est. *Præcipue*, inquit, *circa exigendum juxta eos jusjurandum præsens & efficax numen ostenditur. Nam cum furti negati, vel ejuscemodi rei fides quæritur, & jusjurandum a suspecto petitur, uterque ab omni contagione mundi ad crateras accedunt, accepto prius fidejussore a persona, quæ juratura est, de solvendo eo quod peteretur, si addixisset eventus. Illic, invocato loci Numine, testatum faciebant esse jurator, de quo juraret. Quod si fideliter faceret, discedebat illæsus. Si vero subesset jurijurando mala conscientia, mox in lacu amittebat vitam falsus jurator.* Polemon autem, apud eundem laudatus, in libro de Admirandis Siciliæ Fluminibus de iisdem Crateribus scribens rationem & modum ibi jurandi sic exponit: Οἱ δὲ ὁρκωταὶ γραμματεῖον ἔχοντες, ἀγορεύουσιν τοῖς ὁρκουμένοις περὶ ὧν ἀπαιτήσουσι τὸν ὅρκον, ὁ δὲ ὁρκούμενος θαλλὸν κραδαίνων, ἐστεμμένος, ἄζωστος καὶ μονοχίτων, ἐφαπτόμενος τοῦ κρατῆρος ἐξ ὑποβολῆς δίεισι τὸν ὅρκον &c. De pœnis perjurorum deinde quoque meminit. *Qui autem juramentum exigunt, libellum tenentes, denunciant atque edisserunt, de quibusnam rebus juramentum dari petant; jurans vero ramum viridem quassans, coronatus, discinctus, interula sola indutus, tangens craterem, juramentum, ex consilio, refert & exsequitur.*

VI. *Sub dio* juramentum dantes, Diis testibus sibi jurare quoque visi sunt. Certe ibi a pueris juratum per Herculem accepimus ex Plutarcho Quæst. Romanarum *quæst.* XVIII. *Cur pueros Herculem juraturos non sinunt jusjurandum hoc intra domum facere, sed exire sub dium jubent?* Mox: *Nam Bacchum quoque non jurant sub tecto.* Quæ inde depromsit Alex. ab Alexandro loco jam nobis decantatissimo.

VII. Denique jurejurarunt Athenienses *ad lapidem in foro*. „ Qua de re videsis Meursii *Lect. Attic. lib.* I. *cap.* „ VI. Erat Athenis lapis in foro, ad „ quem ex lege Solonis jurabant Thesmothetæ, se leges servaturos esse; aut, „ si quam violassent, statuam pondere „ sibi parem ex auro Delphis dedicaturos. Plutarchus in vita Solonis. κοινὸν „ μὲν οὖν ὤμνυεν ὅρκον ἡ βουλὴ, τοὺς Σόλωνος „ νόμους ἐμπεδώσειν, ἴδιον ἕκαστος τῶν θεσμοθετῶν ἐν ἀγορᾷ πρὸς τῷ λίθῳ καταφατίζων, εἴ τι παραβαίη τῶν θεσμῶν, ἀνδριάντα χρυσοῦν ἰσομέτρητον ἀναθήσειν ἐν Δελφοῖς. Hunc ipsum lapidem intelligit „ Moschopulus. καὶ παρ' Ἀθηναίοις λίθος „ τὶς ἰδίως, πρὸς ᾧ τοὺς ὅρκους ἐποιοῦντο. Nimis dubitanter de hac re Harpocration. ἐοίκασι δὲ Ἀθηναῖοι πρός τινι λίθῳ „ τοὺς ὅρκους ποιεῖσθαι, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ „ Ἀθηναίων πολιτείᾳ. Corrigendus insignis „ locus Pollucis *lib.* VIII. *cap.* IX. ubi „ de Thesmothetis. ὤμνυον δ' οὗτοι πρὸς τῇ „ βασιλείῳ στοᾷ, ἢ ἐπὶ τοῦ λίθου. Hodie non „ recte editur. ἢ ἐστι τοῦ λίθου. Hoc vult „ dicere; jurasse Thesmothetas vel juxta „ porticum regiam, vel juxta lapidem. „ Jurabant autem illic non Tesmothetæ „ tantum, sed quilibet etiam alii. Id satis apparet ex Moschopuli verbis jam „ citatis. Sed & Demosthenes Orat. κατὰ Κόνωνος satis locuples testis. Τῶν γε „ παρόντων ἡμῖν καθ' ἕνα οὑτοσὶ πρὸς τὸν λίθον ἄγοντες, καὶ ἐξορκίζοντες, καὶ γράφοντες μαρτυρίας. Ita laudant hæc verba „ Harpocration, Suidas, & Moschopulus. Hodie tamen in editis Demosthe-

„ nis exemplaribus illo loco legitur, *πρὸς τὸν βωμὸν ἄγοντες*. Itaque puto vocem fugitivam restitui oportere, ex autoritate Grammaticorum, nam vocem *βωμὸν* glossema censeo, & verbi λίθον, quo Orator usus erat, interpretamentum. Sic apud Hesychium λίθος hic explicatur *βωμός*. Ista ejus verba. Λίθος, βῶλος, βωμὸς. καὶ βάσις, τὸ ἐν τῇ θείᾳ ἐκκλησίᾳ βῆμα. Ubi cum ait, τὸ ἐν τῇ θείᾳ ἐκκλησίᾳ βῆμα, locum intelligit in templis Christianorum; ubi quid βῆμα dictum fuerit, abunde a nobis explicatum in Glossario Græco barbaro, in πρόθεσις. Sed hoc ἐν παρόδῳ, ne quis confundat cum lapide Atheniensium. Hunc ipsum intelligit Aristophanes Acharn.

„ Τὸν θοιμάτιον δεῖ γήρᾳ τῷ λίθῳ
προσέσαμεν,
„ Οὐχ ὁρῶντες οὐδέν, εἰ μὴ τῆς δίκης
τὸν ἠλύγην.

„ Ubi Scholiastes. λίθῳ, τῷ βήματι, τῷ ἐν Πνυκὶ δικαστηρίῳ. Sed lapis in Pnyce alius erat; meminitque ejus idem Comicus in Pace.

„ Ὅστις κρατεῖ νῦν τοῦ λίθου τοῦ ᾽ν τῇ
Πνυκί.

„ Ab hoc in foro lapide, qui illic jurarent Oratores, Λιθομόται dicebantur. Hesychius. Λιθεμόται, δημηγόροι, ἐπὶ τοῦ λίθου ὀμνύντες. Erat porro alius quoque in foro lapis, preconi proprius. Meminit Plutarchus in Solone. Ὄχλου δὲ πολλοῦ συνδραμόντος, ἀναβὰς ἐπὶ τὸν τοῦ κήρυκος λίθον, ἐν ᾠδῇ διεξῆλθε τὴν ἐλεγείαν.

CAPUT VI.

De temporibus hisce destinatis & selectis: scil. Anno novo ineunte. Die dominico & quibusdam aliis jurare nefas. Mane a jejunis jusjurandum ab aliquibus exactum.

I. Sexto & postremo loco Tempora varia, juramentis selecta aut improbata, percurrere convenit. Novo anno ineunte tempestiva imprimis juramenta militibus habita. De militibus in superiori Germania sic Svetonius in Galba *cap.* XVI. *Ergo primi obsequium rumpere ausi, Kalend. Januarii adigi sacramento, nisi in nomen Senatus, recusarunt.* Hinc Tacitus Annal. lib. I. *Addebat Messala Valerius, renovandum per annos Sacramentum in nomen Tiberii.* Et Annalium *lib.* XVI. Thraseæ objectatum inter alia, *principio anni vitare solenne jusjurandum, nuncupationibus votorum non adesse.* Idem Histor. lib. I. *Inferioris tamen Germaniæ legiones Kalend. Januarii Sacramento pro Galba adactæ.* Sic Dio *lib.* XLVII. de ipsis Triumviris scribit, eos Kalendis novi anni in omnia Julii acta jurasse, & alios ut jurarent coegisse. Idque deinceps sic observatum. Ordinem autem militaris Sacramenti sic descripsit Alex. ab Alexandro *lib.* I. *cap.* XX. *Quod quidem imperator præstare tenebatur prius, suo mox ordine subsequebantur legati, deinde tribuni, deinde centuriones, postea decuriones, mox præfecti castrorum, demum milites: quod singulis annis Kalendis Januariis denuo præstabatur.*

II. *Die Dominico* autem jurare nefas olim habebatur, quemadmodum & in *Festis*. Sic enim Gratianus 22. *quæst.* 5. *cap. Decrevit. Decrevit sancta Synodus* (apud Sanctum Medardum congregata) *ut a* LXX. *usque in octavam Paschæ; & ab adventu Domini usque in octavam Epiphaniæ; nec non & jejuniis quatuor temporum & in Letaniis majoribus, & in diebus rogationum (nisi de concordia & pacificatione) nullus supra sacra Evangelia jurare præsumat.*

III. Adhæc *mane* aut *a jejunis* jusjurandum præstari juri Ecclesiastico consentaneum erat. Idem quippe Gratianus *ib. cap. Honestum. Honestum etiam videtur, ut, qui in Sanctis audet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate & timore Dei.* Sic in Capitulis Herardi *num.* XII. *Ut testes jejuni jurent, ac prius de perjurio moneantur.* Antiquitatem hoc olet magis quam vulgus eruditorum credit. Nam Isaac cum confœderatis *Gen.* XXVI. 31. peracto convivio *post cibum & potum, surgentes mane, juraverunt sibi mutuo.* Ubi Lyranus: *Mane surgentes juraverunt, scilicet, saliva jejuna, propter reverentiam juramenti.*

COROLLARIUM.

De Perjurii pœnis, mirabiliter inflictis apud aquas Siculas, & alias. Corporis deformitate. Deos ulcisci, ut crediderint gentes.

I. Pœnas postremum adjungo, lectori non pœnitendas quas juramentorum violatoribus inflictas legimus mirabiliter. In Sicilia apud Palicorum aquas mirandas pejerantes *illico Deus ultor supplicio repentino corripit. Nam nonnullos templo compertum est discessisse, luminibus ob perjurium excæcatis,* Diodoro Siculo

lo *lib.* XI. Polemon vero in de Admirandis Siciliæ Fluminibus de iisdem aquis verba faciens, perjurio ibi sese commaculantes confestim & manifesto morte plecti asserit, ut ex illo refert Macrobius Saturnal. *lib.* V. *cap.* XIX. Et quidem in ipsis illis aquis sive lacu illo Siculorum falsum juratorem vitam amisisse Alexander ab Alexandro autor est *lib.* V. *cap.* X. Similem aquam describit Philostratus in Vita Apollonii Thyanæi *lib.* I. *cap.* IV. *quam puris* (ut verba ejus Latine reddam) *& juramenti fidem præstantibus, aspectu placidam, & gustu dulcem esse perhibent; Perjuris vero & infidis palam adversatur; Epota namque oculos, pedesque ac manus pejerantis invadit; pustulis ac vomicis totum corpus inquinans.* Non minus mirandæ in pravorum pœnam illæ aquæ in Sardinia, de quibus Solinus *cap.* X. hæc memoriæ prodidit. *Fontes quidam coarguendis valent furibus. Nam quisquis Sacramento raptum negat, lumina aquis attrectat. Ubi perjurium non est, cernit clarius. Si perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, &, captus oculis, admissum tenebris fatetur.* Stephanus de Urbibus in παλίκῃ perjuros ibi divinitus combustos memorat: Ἔστι δὲ ὅρκος ἅγιος αὐτόθι. ὅσα γὰρ ὀμνύει τις, εἰς πινάκιον γράψας, βάλλει αὐτὸ εἰς τὸ ὕδωρ. ἐὰν μὲν ὖν εὐορκῇ, ἐπιπολάζει. ἐὰν δὲ μὴ, τὸ μὲν πινάκιον ἀφανίζεται, αὐτὸς δὲ πίμπραται. *Juramentum sanctum ibi est. Quæcunque jurat aliquis, ea, schedulæ inscripta, abjicit in aquam: in qua si supernatat, pro legitime jurato habetur; sin minus, sed subsidit, tunc ipse uritur.*

II. Credebant gentiles, eos qui pejerassent insigni aliqua deformitatis nota in corpore deturpari. Horatius Carm. *lib.* II. *Od.* VIII.

Ulla si juris tibi pejerati
Pœna, Barine, nocuisset unquam:
Dente si nigro fieres, vel uno
Turpior ungui;
Crederem: sed tu, simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo, juvenumque prodit
Publica cura.

Non posse ait Barinum perjurii convinci, quia cum per caput jurasset, non solum nullam corporis deformitatem contraxerit, sed continuo pulcriorem enituisse. Hinc etiam illa Nasonis:

Esse Deos credamne? fidem jurata fefellit,
Et facies illi, quæ fuit ante, manet.
Quam longos habuit, nondum perjura, capillos,
Tam longos, postquam Numina læsit, habet.

Propertius, Scaligero Judice huc facit *lib.* 3. *eleg.* V.

Adtulimus longas in freta vestra manus.

Longas enim intelligit perjurio non debilitatas; aut mancas atque decurtatas. Præsertim quia postea addit:

Portabat sanctos alveus iste viros.

Hoc est, non perjurio commaculatos. Tetigit idem Theocritus Idyll. IX.

Μηκέτ' ἐπὶ γλώσσας ἄκρας ὀλοφυγδόνα φύσῃς.

Non amplius in summitate linguæ tuæ postulam produxeris.

Quod licet Scholiastes aliorsum trahat, Casaubonus tamen & alii, de pustula & linguæ morbo interpretantur, iis immitti solito, qui fidem fregerint. Et Idyll. XII. simile quid tangit.

---- ἐγὼ δὲ σε τὸν αἰνῶν,
Ψεύδεα ῥινὸς ὕπερθεν ἀραιῆς ὐκ ἀναφυσῶ.

---- *ego vero te laudibus celubrans,*
Non edam mendacia super nasum rarum.

Ubi Scholiastes sensum huic: Ἐγὼ δὲ ἐπαινῶν τε τὸν καλὸν, ὐ ψεύσομαι, ὐδὲ ἐπὶ τῆς ἐμῆς ἀναβλαστήσυσι τὰ τῦ ψεύδυς σύμβολα. Postea vero: Εἰώθασι γὰρ ἔνιοι τὰ ἐπάνω τῆς ῥινὸς φυόμενα ψυδράκια, ψεύσματα καλεῖν, καὶ εἶναι ταῦτα σημεῖον ψευδολογίας. Et iterum post pauca: Οἱ Σικελιῶται τὸν ταῦτα φύσαντα, ψευδηγόρον ἐσημαίνοντο εἶναι.

JOHANNIS NICOLAI DIATRIBE DE JURAMENTIS

Hebræorum, Græcorum, Romanorum, aliorumque populorum.

AUGUSTINUS VAGERIUS JOHANNI NICOLAI S. D.

Eruditiones, quarum utilitas atque præstantia latissime patet, cum summa gratæ mentis veneratione DEO acceptas ferri debere, nullus unquam negaverit, cui in deliciis non est ignorantia. Quemadmodum vero solidæ cuilibet eruditioni suus bones perpetuo constat, ita sane rituum antiquorum scientia in supervacuis nequaquam erit numeranda. Mihi certe jucundum est cognoscere, quid in stadio currentibus fuerit observandum ut coronam adipiscerentur; unde lucis nonnihil accipiunt Apostoli verba, de cursu ad metam Christianorum recte dirigendo tam serio nos admonentis. Alia plura taceo hinc inde occurrentia; & cum Te, Clarissime Vir, in jurandi ritibus investigandis operam locasse video, temperare mihi neutiquam possum, quin eo magis Te adhorter ad plura ejus generis ex penu antiquitatis depronenda, quo sanctior est præsentis dignitas materiæ. Quædum scribo, menti meæ ritus jurandi observatur quo ipse DEUS IMMORTALIS æternum fœdus olim non dubitabat stabilire. Quando tenebrosæ noctis silentio pro media pecorum discerptorum membra ibat, atque fœdus vel sola verbi sui virtute inviolabile, non jurato tantum confirmabat, sed etiam, si jusjurandum servaturus non esset, hoc ritu semet ipsum ferme devovebat. Quantopere tremendus rerum Moderator sese hic demiserit, restantur singula ritus hujus arcana, quæ proinde, si nota fuerint, haud levem materiam piis præbebunt meditationibus. Is vero fructus e Philologia potest atque debet redundare, & huc merito tendit studium, quod in perficienda collocatur eruditione. Norunt quoque sapientes, quantum utilitatis viri de antiquitate sollicitii in omni doctrinarum genere soleant præstare; norunt, quanta pars ipsius historiæ sit rituum notitia, qua æquo animo nunquam poterunt carere divini vel humani Juris studiosi. Age igitur, Clarissime Vir, perge bono publico Tua consecrare studia, ut literatus orbis particeps doctrinæ fiat Historicæ & Philologicæ, quam vectigalem Tibi dudum reddidisti. Meo non indigebis præconio, quo vix persuasum iri quemquam crediderim, qui literas humaniores nescit æstimare, Vale.

CAPUT PRIMUM.

I. IN quavis re Etymologia evolvenda occurrit, antequam manus ad alia moveatur; quapropter etiam hic æquum esse duximus, varia vocabula juramentum significantia evolvere, ut ad alia deinde graviora progredi possimus. Nomina & verba igitur Latina, quibus hæc actio exprimitur, sunt, jurare, juratus, injuratus, jusjurandum, adjurare, dejerare, ejurare vel ejerare, pejerare, perjururus & perjurium: quibus adde Sacramentum, quod juramentum est militare. Cæterum *jurare* est jure jurando devincire, seu jurare, teste *Martin. in Lexic. Philolog. fol. m.* 1390. est aliquid confirmare, Deo teste invocato, quod non debet fieri, nisi ubi opus est: vel asserendo aliquid simpliciter vel promittendo. Hinc illa jurandi paraphrasis 2. *Corint.* I. 23. Ego testem Deum invoco in meam animam. *Perottus in Cornucop.* ita scribit: Ajure juro, quod proprie est promitto, me adhibitis etiam testibus ita servaturum, ac si jus esset. *Becmannus in orig. Latin. lingu.* A jure est juro, vel quasi Jovem oro, aut testem invoco. Malo simpliciter, juro, jus firmo: seu juris servandi gratia religiose assevero; unde jure jurare & jusjurandum dicimus. Juramentum enim debet esse vinculum juris, non iniquitatis.

II. Præter hæc Latini dicunt, conceptis

ptis verbis jurare, id eſt, dictatis a deferente juramentum, & ex arbitrio adjurantis h. e. adigentis ad jusjurandum prænotatis. Pari ratione etiam dicunt, jurare in aliquid, ut jurare in legem, vel in verba. Unde *Horat. Nullius addictus jurare in verba Magiſtri*. A verbo *jurare* deſcendit juratus, *i. e.* jure jurando devinctus vel obligatus: & licet paſſivæ ſignificationis eſſe videatur, deponentis tamen magis eſt: præſertim cum de perſona dicitur, uti *Cicero in Verr. Act.* 2. pro *Flacco* & *Sylla* hac voce in hoc ſenſu utitur. Confer *Guil. Stuck. deſcript. Sacrific. fol. m.* 90. *ſeq.* qui plura de his vocibus collegit.

III. Progredimur ad Græcos, qui actionem hanc duobus nominibus exprimunt, quorum primum eſt ὅρκος, quod multoties in Novo Teſtamento occurrit, ut *Matth.* v. 33. & XIV. 7. 9. & XXVI. 72. *Marc.* VI. 26. *Luc.* I. 73. *Act.* II. 20. *Hebr.* VI. 16. 17. *Jacob.* 12. & quibuſdam probabile videtur, ab hoc nomine deſcendere *Orcum* quod *Ethnici* ſoliti fuerint jurare per *Orcum*; vel violatores juramenti ad *Orcum* detrudantur. Conf. *Franciſc. Rous Angl. in Archæolog. Attic. lib.* 6. *c.* 4. *pag. m.* 282. 283. *edit. Oxford.* 1658. Alii vocem ὅρκον deducunt ab Hebræo ירך *Jereck* (femur) quia jurantes ſupponebant manus ſuis femoribus. Hujus opinionis eſt Anglus doctiſſimus *Henry Ainsvvorth in Geneſ.* XXIV. *fol. m.* 91. *edit. Lond.* ita ſcribens: *Hereupon the Greekes have of the Hebrevv vvord JERECK, that is, a thigh. framed their* ὅρκος *that is, an oath*. Alii derivant ab ἕρχος, quod *ſeptum* ſignificat, ut ſit quaſi ſepimentum quoddam, quo homines contineantur atque coerceantur intra officii ſui terminos atque cancellos manere. Vel ab ὅρκος terminus, finis, quia juramentum omnem controverſiam ſeu litem tollit. vid. *Eduard. Ligh. Critic. Sacr. Nov. Teſtam. pag. m.* 433. *edit. Francof.* & *Lipſ.* 1696. vel quia jurantes intra metam ſui officii continentur conf. *Guil. Stuck. deſcript. Sacrif. Gentil. fol. m.* 91. *edit. Tigur.* Ad utramque iſtam hujus vocis ſignificationem reſpiciens *Euſtathius* inquit: Eandem ob cauſam juramentum vel jusjurandum jurgiorum finis dicitur; & *Cicero* de *Legibus*: Plurima, ait, firmantur inter ipſos homines, Diis immortalibus interpoſitis, cum judicibus tum teſtibus. *Matth. Martinius in Lexico Philolog. edit. Bremenſ.* 1623. *fol. m.* 1330. Græcum ὅρκος vult eſſe ab ἕργειν coarctare, conſtringere: quia juramentum eſt vinculum, quo arctatur conſcientia, ne fallat, aut quo conſtringitur fides. *Cicero offic.* Nullum vinculum ad adſtringendam fidem jurejurando majores arctius eſſe voluerunt.

IV. Porro ab ὅρκος dicimus ὅρκους διδόναι, λαμβάνειν, ἀπολαμβάνειν, καὶ παραβαίνειν jusjurandum vel juramentum dare, accipere, exigere & violare. Fit inde ὁρκόω voco ad jusjurandum & caveo ab aliquo jure jurando. *Thucydides*: ὅρκωσαν τοὺς στρατιώτας μεγίστους ὅρκους *ad maximum jusjurandum adegerunt milites*. Hinc ὁρκωτὴς legatus, qui jure jurando homines adigendi miſſus eſt. Inde ὁρκισμὸς juramenti exactio, per jus jurandum obſtrictio. Porro ὅρκιος eſt is, qui juri jurando adbibetur, ut θεοὶ ὅρκιοι apud *Thucydidem*, Dii, per quos jus jurandum concipi fuit ſolitum, quique fuerunt ejus præſides, judices, teſtes ac Vindices: inter quos Jupiter principem locum obtinuit, ideo ζεὺς ὅρκιος ſæpe numero appellatus.

V. Alterum deinde verbum, quo jurandi actio a Græcis exprimitur eſt ὄμνυμι ſive ὀμνύω juro: unde Latinum *Omen* & *Ominor*. Nam jurantes ſibi ipſis & aliis vel bene vel male ominantur. Cæterum utrumque & ὀμνύειν Græcum & Latinum Omen vel ominor eſt ab Hebræo אמן Aman ſeu *Amen*, quod fidem, veritatem certitudinem & confirmationem ſignificat. vid. plur. *Stuck. deſcrips. Sacrif. Gentil. fol. m.* 92. *edit. Tigur.*

VI. Hebræi variis verbis juramenta expreſſerunt, quorum primum שבוע *juramentum*, quod a radice שבע & inde Niphal נשבע juravit, deſcendit, uti *Geneſ.* XXIV. 7. *Pſalm.* CX. 4. *Geneſ.* XXII. 16. *Exod.* XXXII. 13. Videtur autem hæc vox derivata a שבע numero ſeptenario, qui numerus eſt religioſus, perfectionis, plenitudinis, ſaturitatis, ſufficientiæ & quietis ſymbolum: quo ſignificatur, juramentum eſſe actionem ſacram & religioſam, quæ non temere ſed certo confirmatoque animo atque conſcientia, certis teſtibus & argumentis fieri debeat; vel, quod juramenta fieri debeant & fieri ſoleant multis adhibitis & idoneis multumque confirmatis teſtibus & cauſis. Paſſiva voce, quaſi dicas; jure jurando obſtringi, quod nemo, inquiunt, jurare, niſi coactus ſolenniter debeat: ſemper itaque verbum jurandi *Hebræa* conſuetudo uſurpat in voce paſſiva; conf. *Eduard. Ligh. Critic. Sacr. pag. m.* 405. *edit. Francof. & Lipſ.* 1696. *in* 4. A ſeptenario itaque numero, qui pro perfectionis numero habetur, originem ducit, quia juramentum perfectiſſima rei confirmatio eſt, *Glaſſ. in Gramm. Sacr. lib.* 3. *tract.* 3. *Merc. in Pagnin. Theſaur. & Rivet in Exod.* XX. 7. conf. *Buxtorff. Lexic. Rab-*

bi-

bino--Talmud. fol. m. 2314. Primus, quem legimus juraſſe & juramentum ſeptem agnorum dono confirmaſſe, fuit Abrahamus *Gen.* XXI. 28. qui tertius ab Adamo ſeptenarius. vid. *Luc.* III. numerus ſane ſacratiſſimus; hinc *Athanaſ. Kircher. Œdip. Ægypt.* II. 2. 35. ad juramentum illum refert, ita ſcribens: nec minus ſacrum juramentum, quod qui violat, a ſeptem rebus ſe excludit, inquiunt *Cabaliſtæ*: a vita, pace, ſapientia, divitiis, gratia, Semine, imperio. vid. *Edmund. Caſtell. Lexic. Heptaglott. fol. m. 3679. edit. Londin. 1669.*

VII. Alia etiam nomina reperiuntur, quibus Orientales Juramentum ſignificant ſc. אומאה מומתא מומי *Juramentum*, *Jusjurandum*, *Exſecratio*, *Blaſphemia*, *Levit.* v. 1. Sacer Codex legit קל מומי Et audierit *vocem Execrationis*, ubi in *Jonathane* קל אומאה Hebr. אלה *maledictio*: & adjurabit ſacerdos mulierem iſtam juramento maledictionis. *Num.* v. 21. conf. *Buxtorff. Lexic. Rabbino-Talmudic. fol. m.* 957. deſcendit a radice Chaldaica ימא *Juravit*, *Jerem.* v. 2. *Zephan.* 1. 5. *Exod.* xx. 7. Syrus quoque a ימא deducit מומתא *Talmudici* in *Nedarim fol.* 10. 1. נוודר במוהי vovens per Exſecrationem, quod corrupte ſic dicitur pro מומי vid. cit. *Buxtorff. Lexic. fol. m. 957. Edmund Caſtelli Lexic. Heptaglott. fol.* 1614. Sequitur nunc קים quod I. ſignificat *pactum*, *fædus*, ſtatutum. II. juramentum, jusjurandum, uti habetur *Num.* XXX. 3. יקים קים aut juraverit juramentum, ubi Anglus reddidit *or ſvveare an oath. Deut. VII.* 8. quod ſervat juramentum illud, quod juravit patribus veſtris, ubi ſemper hoc vocabulum reperitur. Ita etiam cum affixo in *Pſalm.* CV. *9.* Et juramentum ſuum Jacobo. Pari modo juramenta per קונמי exprimunt, a קונם deſcedentia, quæ vox ſignificat vovere ſancte, ſancte promittere vel jurare, hinc קונמי vota cum execrationibus, uti in libro precum: כל חרמי וכל קונמי omnia anathemata & omnes execrationes in *Machſor*, precum libro citata a *Buxtorffio*, in orat. כל נדרי quam principio anni dicunt ubi *Gloſſa* inquit, poni in *Targ. Hieroſolym.* pro אלה *Num.* v. 21. quo loco nunc legitur קינומתא & in *Onkelo* מומתא.

VIII. *Germani* & *Galli* juramentum & hanc jurandi actionem certis nominibus vel verbis exprimunt. Germanis quidem in genere jurare eſt Schweren/ & juramentum Schwur/ quaſi ſchwär/ videlicea a gravitate & difficultate: quod res ſit gravis, difficilis & periculoſa, & quod non temere, inconſulto, ſine ratione, juſta neceſſariaque cauſa & cum gravitate fieri debeat. Alio nomine juramentum illis dicitur Eyd/ & Eyd-ſchwur/ quod proprie eſt jusjurandum: forſan ab Hebræo עיד Ed, teſtem vel teſtimonium ſignificante, quod jusjurandum ſit & debeat eſſe teſtimonium animi, conſcientiæ, veritatis, & quod is, qui jurat, debeat eſſe teſtis veritatis, & quod Deus teſtis adhibeatur. *Galli* vocant *ſerment* quaſi *ſeurement* eandem ob cauſam, quod juramentum ſit aſſeveratio religioſa. Et hoc de nominibus & verbis jurandi ſive juramenti.

CAPUT II.

De Formulis Jurandi per Deos.

I. REm ſacram, *Juramenta* tractamus procul ite profani. Ut autem ab initio exordiamur, Jurandi formulas *per Deos* ceu maxima adducemus. Magnum itaque apud Ægyptios & ſolenne juramentum erat per *Oſirin*, qui maximus illorum habebatur Deus uti variis locis oſtendit *Seldenus de Diis Syris*; conferatur etiam *Elias Schedius de Diis Germanis pag. m. 94. ſeq. Marsham. Can. chronico. pag. 32. edit. Lipſ. celeberr. Hermanu Witſius. in Ægypt. pag.* 65. Hunc magnis honoribus afficiebant, & nefas eſſe ducebant, juramentum per *oſirin* factum violabile futurum quare *Scholiaſtes Lycophronis* ὁ μέγας ὅρκος τοῖς Αἰγυπτίοις ἐτυγχανὲ μὰ τὸν Ὄσιριν. De cujus cultu apud Ægyptios ſingulari teſtantur *Horapollo in Hieroglyph.* & *Laurent. pignor. Menſ. Iſiac.*

II. Perſarum Reges fere per *Mithram* jurabant; ſanctiſſimum enim jusjurandum illis erat, μὰ τὴν Μίθρην ut docet *Barnab. Briſſon de regno Perſico lib.* 1. Obſervandum autem, quod per *Mithram* intelligatur *Sol. Mithri* enim vel *Mithir* vel *Mithra* vel *Mether* Perſice Dynaſtam & Dominum ſignificat, ut *Joſeph. Scaliger lib. 6. de emendat. Tempor.* ſcribit. conf. *Eli. Sched. de Diis German. pag. m.* 103. Id ipſum quoque confirmat *Beyerus in additamentis ad cap.* 3. *prolegom. Seldeni de Diis Syris*. pag. m. 51. 52. *edit. Lipſ.* ex *Reineſ.* epiſt.

SOLI. INVICTO
MITHRÆ
VESTALIS
CÆS. N· SER.
ET C. VESTIUS
AUGUSTALIS
D. D.

Ubi

Ubi inter alia subjicit, hominibus Romanis *Mithræ* tanquam extero a *Persis* accepto, Solem veluti proprium & indigenam jungere solenne fuisse: sic enim interpretari oportet *Deo invicto Mithræ & socio soli*. Quasi dicere vellet σύνθρονον, σύνναον καὶ σύμβωμον, & paulo ante de *Mithra* τῷ ἡλίῳ παρὰ Πέρσαις, inquit, per quem jurare solebat *Cyrus teste Xenoph.* in *Oecon.* quem sub symbolo divino ignis venerabantur. Ex his sane constat, *Persas* per *Mithram* seu *Solem* jurare solitos fuisse, quod etiam *Schedius* & alii affirmant *pag. m.* 102. dicens: *Persæ* per *Mithram* hoc est Solem jurare solebant. vid. *Alexand. ab Alexandr. lib.* 5. *c.* 3. *Gen. dier.*

III. Apud Græcos inventor Juramenti magni *Jupiter* habebatur, qui & hoc aliis præscripsisset Diis, cum per *stygium* jurasset, causam hujus referunt hanc esse, quod *styx* & filii ejus auxilio fuissent, cum contra *Titanes* pugnaret, aur biberet de aqua ad sedandam sitim in pugna. *Servius* ex *Orpheo* scribit, quod hoc juramentum tam sanctum fuerit, ut etiam Deus, si falso jurasset, seu juramentum hoc fregisset, in tartaro novem millia annorum punitus fuisset. Asserunt etiam *Jovem* ipsum se huic ordini subjecisse; itaque dicunt, quod majorem curam habeat in juramento, quod jurabat uti *Minutius Felix* tradit, inquiens: *destinatam sibi cum suis cultoribus pœnam præscius perhorrescere*. Dii autem per quos jurabant viri juxta *Solonis* institutum tres erant, scil. Ἱκέσιος, Καθάρσιος & Ἐξακεστήριος quæ tria nomino sub *Jove* comprehendebantur. Nam *Jupiter* proprie *Custos* juramentorum erat, uti hoc cognoscitur ex voce *jusjurandum*, quasi *Jovis jurandum*. Unde ζεὺς ὅρκιος singulari epitheto dicebatur. Hinc in *Eliacis* apud *Pausaniam* legimus in *Olympia* βουλευτηρίῳ i. e. senatu Jovis simulacrum fuisse, cognominati ὅρκιος, quod utraque manu fulmen continebat, quasi ulturus ille fulmine, qui falleret juramentum & violaret. vid. *Guil. Stuck. descript. sacrif. Gentil. fol. m.* 92. *edit. Tigur.*

IV. Romani sanctissimum jusjurandum æstimabant, quando per *Jovem lapidem* jurabant. Testis est *Agellius lib.* 1. *Noct. Attic. cap.* 21. Jovem, inquiens, lapidem, quod sanctissimum jusjurandum fuit habitum, sum paratus jurare. De hoc legendus *Guilelm. Stuck. descript. sacrif. Gentil. fol. m.* 93. *edit. Tigur. Apulejus in libr. de Deo Socratis*: quod igitur, jurabo per *Jovem lapidem* Romano vetustissimo ritu. Eoque respexisse videtur *Ausonius* in precatione matutina ad Deum, cum ait: *si lapides, non juro* Deos. Huic vero juri jurando *Execratio* addi solebat, cujus formulam *Festus lib.* 11. docet: *Jovem*, ait, *illum Lapidem juraturi*, silicem tenentes, his verbis utuntur: *si sciens fallo, tum me Diespiter, salva urbe arceque, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* vid. *Barnab. Brisson. formul. lib.* 8. *pag. m.* 710.

V. Aliquando eligebant unum Deum, cui juramentum erat datum. aliquando plures, uti *Brissonius* ex *Plauto c. l.* refert: ...... *ita me Jupiter* (inquit Chrysalus) *Juno*. *Ceres*

> *Minerva*, *Latona*, *Spes*, *Ops*, *Virtus*, *Venus*
> *Castor*, *Polluces*, *Mars*, *Mercurius*, *Hercules*.
> *Sumanus*, *Sol*, *Saturnus Diique omnes ament*.

Sic *Alcesimarchus* adolescens in Cistellaria apud eundem *Plautum*: *At ita me* (inquit) *Dii deæque superi atque inferi & medioxumi*.

> *Itaque me Juno, regina & Jovis supremi filia.*
> *Itaque me Saturnus patruus ejus & Castor pater.*
> *Itaque me Ops opulenta, illius avia &c.*

Plura de antiquo jurandi modo per Deos ac Deas, & quam varium ac multiplex jusjurandum istud fuerit vide apud *Polydor. Virgil. Cælium Rhodigin.* & *Alexandr. ab Alexandro libr.* 5. *cap.* 10. *genial. dier.* Illi, qui Mercaturam exercebant per *Mercurium* jurabant præsidem Mercatorum. De qua re videndus *Francisc. Rous in Archæolog. Attic. lib.* 6. *c.* 5. *pag. m.* 284. *edit. Oxon.*

VI. Quod ad mulieres attinet, illæ *Junonem*. jurabant, ut illa apud *Petronium Satyr.* Junonem meam iratam habeam, si unquam me meminerim virginem fuisse. *Alcmena* quoque apud *Plautum Amphit. Act.* 2. *sc.* 2.

> *Per supremi, ait, Regis Regnum juro & matrem familias.*
> *Junonem, quam me vereri & metuere est par maxime.*
> *Ut mihi extra unum te, mortlis nemo corpus corpore.*
> *Contigit, quo me impudicam faceret.*

Eodem modo *Amantes* nonnunquam & molliores homines jurabant. Sic *Tibull. lib.* 4. ad amicam:

Hæc

Hæc tibi sancta tuæ Junonis nominv juro
Quæ sola ante alios est mihi magna Deos.

Ita etiam per *Dianam* uti *Francisc. Rous* ex *Euripid in Electr.* narat de *Clytemnestra pag. m.* v83.

VII. Qui dicta ac promissa sua divino Numine adhibito, firmabant, interdum per *Castorem*, interdum, per *Pollucem*, nonnunquam per *Herculem* dejerabant. Inde illa in Comædiis pervulgata, *Pol*, *Perpol*, *Ædepol Ecastor*, *Hercle*, *Mehercle*. *Fest. Pomp. lib.* 11. *Micastor* ait, & *Hercle* jusjurandum erat, quasi diceretur, ita me *Castor*, ita me *Hercules* juvet. Non solum Gentiles ita jurabant sed etiam imprudentibus *Christianis* sæpe hæc verba, ex vulgari usu, & vulgata loquendi consuetudine excidisse legimus apud *Tertullian. de idololat.* ita scribentem: *Consuetidinis vitium est, dicere Mehercule, accedente ignorantia quorundam, qui ignorant jusjurandum esse per Herculem. Mehercle* itaque jurant *Junius Bassus* & *Domitius Afer* apud *Quintilianum lib. 6. c. 4.* Observandum autem est ex *Agellio lib.* 1. *noct. Attic. c.* 5. quod differentia hæc fuerit, ut mulieres nunquam Romæ per *Herculem*, neque viri per *Castorem* dejerarint: *Ædepol* autem jusjurandum viro & fæminæ commune fuerit. Similiter *Donat. in Andr. Terent. Act.* 3. *sc.* 2. refert, per *Castorem* & *Pollucem* jurare aptum sit fæminis, id quod variis testimoniis probat *Barnab. Brisson. de formul. lib.* 8. *pag. m.* 707.

VIII. Ut autem de *Hercule* planius constet, quis & qualis fuerit? tunc sciendum, mentionem hujus fieri 2. *Maccab.* IV. 19. 20. Nomen quod concernit, Phænicium esse vult *Johann. Henrich Kipping. in antiquit pag. m.* 121. quod est אור-כל *Orchol*, *illustrator omnium*. *Beyerus* in *additionibus ad Selden. de Diis Syris pag. m.* 262. *edit. Lips.* Tyrium vel Lybicum putat, de quo *Curt. l.* 2. *c.* 19. *l.* 8. *c.* 21. 25. Alias etiam *Melicartus*, quod מלך קרתא urbis Præfectus vel Rex dictus, nec non Ἄζιζος ab עזז robustus fuit, uti est apud *Jul. Cæsar. in Hym. p.* 34. & exponi nonnulli dicunt posse inde *Daniel.* 11. 38. Deum מעזים, qui *Hercules* ἄζιζος Phænicius & novo majoribusque; ignoto ritu ab *Antiochio Epiphane*, ut novus Deus cultus fuerit, ex singulari ejus amore, quod ludos *Herculis* Tyrii speculatum concesserit. vid. D. *Geier. in l. c. Dan. pag.* 921. D. *Quensted. dissert. de Deo Mausim*. Verum si rem accuratius perpendimus cum cl. *Hottingero in histor. Orient. lib.* 1. *c.* 8. statuimus, *Herculem Solem* esse, & opinionem probamus, quod *Hercules* in Hebraica lingua, dicatur quasi omnia illustrans & illuminans & quod *Hercules* apud *Tyrios* & *Phœnices* religiose cultus & adoratus fuerit. *Geusius de victimis humanis* arbitratur & ex multis probat, quod hic *Hercules* etiam apud *Amosum* Prophetam *cap.* v. 26. כיון *Cijun*, Arabice כואן *Kevan* vocetur, & *Chon* ab *Ægyptiis*, apud quos forma gigantea solebat depingi, ut author *Lyl. Gyrald. in histor. Deor.* plur. vid. c. l. Solem itaque fuisse *Herculem* *Seldenus*, *Beyer. Geusius* aliique testimoniis approbarunt. Hinc nullum dubium, quin juramentum per *Herculem* factum sanctissimum fuerit quia Sol Deorum primus habitus fuit.

IX. Progredimur ad *Castorem* & *Pollucem* filios *Jovis* e *Leda* geminos, bellatores fortes adversus piratas qui ob divinum hoc beneficium in Geminorum sidus evecti sunt, & nutarum patroni esse meruerunt. De his fusius tractarunt *Joh. Henric. Kipping.* in. *antiq. lib.* 1. *c.* 3. *p. m.* 88. *Eli Sched. de Diis German. c.* 9. *pag.* 498. Per hos Ethnici jurabant, uti ex *Gellio lib.* 1. *noct. Attic. c.* 6. constat conf. *Dillher. volum. dissert.* 1. *pag. m.* 187. Similiter per *Cererem* jurabant, uti *Festus* docet, ita dicentes: *eccere*, quod jurisjurandi genus usurpat *Sosia* apud *Plaut. Act.* 2. *Scen.* 1. & *Phormio* apud *Terent. Act.* 2. *sc.* 1.

CAPUT III.

De Ritu jurandi per astra & formulis Turcarum & Arabum.

I. ANtiqui cælestia corpora & quæ visui exposita sunt signa pro Diis coluernnt. Astra itidem tanquam Deos adorarunt. Sic enim *Esa.* cap. LXV. *præparantes Gad mensam & implentes planetis libamen*, vid. *Sched. de Diis Germ. pag.* 68. & nostras annotationes ad h. l. Hinc factum ut per *eandem* juraverint. De *Sole* teste advocato testimonium exhibent *Apulejus Metam.* 1. *pag.* 4. *Ovid. lib.* 3. *Metamorph.*

Per tibi nunc ipsum (neque etiam præsentior illo
Est Deus) adjuro, tam me tibi vera referre
Quam veri majora fides

Æschyl. Καὶ παντόπτην κύκλον ἥλιον καλῶ. Et *Julianus*

Mi-

Misopeg. Καὶ τοῦτο μάρτυρα καλῶ τὸν μέγαν ἥλιον πρὸς τοὺς ἀπιστοῦντας. *Philostrat.* 6. 4. Καὶ εἰς τὸν ἥλιον καταβλέψας ὄμνυ αὐτὸν &c. apud *Orphea* etiam legas οὐρανὸν σε ὁρκίζω *Cœlum tibi adjuro*. Euripides Ægeus præeunte *Medea* eadem peragit, & *Latinus apud Virgil. lib.* 12. *Æneid.* omnia sidera jurat:

> *Suspiciens cœlum tenditque ad sidera dextram*
> *Hæc eadem Ænea, inquiens terram, mare sidera juro.*

Sic impurus *Muhammed* in *Alcorano* suo per Solem jurat, per Lunam, astra, igneum splendorem &c.

II. Turci itaque & Arabes jurantes communiter his conceptis verbis utuntur: Verum est per vitam meam. Per vitam Dei, vel per Deum, & hæc *Possevitus* per *Cœli Dominum*. *Surat.* sive *Azora* VI. per cœlum signiferum, per zodiacum, ubi Commentator *Muhamed ben Abhmed* sidera XII. delineata olim in Alfurcam, perinde ac *Vettius Valens Antiochenus* author ἀνέκδοτος, lectorem *Floridorum* suorum per signa adjurat cælestia. ὁρκίζω σε ταύτῃ τῇ συντάξει οὐρανοῦ μὲν ἀστήρικτον κύτος, καὶ δυοκαιδεκάζωδον τε καὶ Σελήνην καὶ τοὺς πλανήτας ἀστέρας: *adjuro te per systema cœli, zodiacum, Lunam & cæteros planetas*. Ulterius per Auroram diei cujuslibet, ut habet Paraphrastes ad *Surat.* XCIX. Et denique LVI. Noli jurare per *Occasus* stellarum, nam juramentum illud, quod sciatis magnum est, ita hæc expressimus ex Arabico, ut ut interpretes *Latinus* & *Italus* in alia abeant.

III. Ut multa paucis comprehendamus ex *Rever. Pfeifferi antiquit. Hebraic. pag. m.* 190. *cap.* XXIII. adducemus Juramenta Muhammedanorum, ubi in compendio & quasi parva tabella exhibentur. In scenam, inquit, prodeat impostor ille magnus Muhamed, qui in *Alcorano* suo passim & ipse jurat, & jurantem Deum introducit *per montem* & scripturam delineatam in pagina extensa. Per domum habitatam & per tectum elatum, & per mare fervens. *Surat.* LII. per ficum item & olivam, per montem Sinai & per hanc Provinciam fidelem. *Surat.* XCV. item per seriem Angelorum & procellosos ventos, per sparsas dissipationes & separatrices separationes *Surat.* LXXVII. sic jurat per calamum & quo scribunt. *Surat.* LXVIII. per stellam cadentem. *Surat.* LIII. per ventos, nubes, cœlum *Surat.* L. LI. per signa zodiaci. *Surat.* LXXXV. per sidus lucens. *Surat.* LXXXVI. per noctem obscuratam & auroram, *Surat.* LXXXIX. per vesperam *Surat.* CIII. per Solem *Surat.* XCI.

IV. *Abhmed* Turcarum Imperator cum *Henrico Magno* Galliarum Rege Anno 1604. fœdus iniens, jurat per *veritatem magni Dei Omnipotentis Creatoris Cœli & Terræ, & per animas avorum suorum & proavorum. Sultan Suleiman ben Selim Ferdinando I.* Cæsari Imperatori jurat per *vera signa magni & venerandi Prophetæ Muhamed*. Plura eaque infinita prætermittimus, ut quæ ex versione Alcorani *Roberti Retinens.* & *Hermanni Dalmatæ* cuivis sunt obvia. His addi possunt verversiones Alcorani Gallica & Anglicana ut & Authores plurimi, qui de moribus Turcarum scripserunt.

V. Unum adhuc addimus, quod notavit vir eruditione summus *Johannes Seldenus in libro de Diis Syris pag. m.* 46. *edit. Lips. cap.* 3. *prolegom.* ita differens posteros *Sethi*, ob easdem, quæ *Cedreno* λεπτογενέσει memorantur rationes, filios Dei dictos, & ob *Abelem* adeo *Caino* infensos ejusque nepotibus, ut solenni se juramento obstringerent ברם הביל per *sanguinem Abelis* (ברם האבילי) in vallem se nequaquam a monte sacro descensuros.

CAPUT IV.

De formulis jurandi per homines & genios.

I. PER homines quando jurabant, (quæ juramenta potius civiles obtestationes vocamus) partim *per Vivos* jurare sunt soliti vivorumque vel salutem, vel calamitatem vel nomina vel genios: partim per *defunctos*. *Per vivos* quidem vel per integros, vel per certas eorum partes. Prioris illustria exempla peti possunt cum ex aliis literatorum monumentis, tum istud ex his *Svetonii verbis in Claudio*: Conversus hinc, inquit, ad officia pietatis, jusjurandum neque sanctius sibi, neque crebrius instituit, quam per *Augustum*. In quibus simul hoc quoque notandum, Veteres solitos & jurare & obtestari nomen carissimi cujusque sibi. Idem in *Julio Cæsare* Romæ longo tempore sacrificare, vota suscipere, controversias quasdam, interposito per Cæsarem jure jurando distrahere perseverarunt. Sic C. *Caligula*, ut *Svetonius* & *Dion* scripserunt, *Drusillam* divinis honoribus coli jussit, ac *Veneri* adæquavit, & *Pantheam* vocari, imperatumque fuisse, ut per eam, tanquam *Junonem* im-

imposterum jurarent. Sic *Pythagorei* per *Pythagoram*, magistrum suum jurare fuerunt soliti, non tanquam per Deum immortalem, aut *Heroem*, sed per hominem Dei similem. Ita etiam *Judæi* per *Prophetam* & *Mosen* jurabant, de quibus in sequentibus. Exempla, ex quibus constat, vel per salutem vel per calamitatem jurare fuisse solitos Veteres, plurima passim apud *Homerum* extant. Præ aliis illustre est *Telemachi*, qui per Deum & τὰ ἄλγεα i. e. ærumnas cum patris, tum proprias juravit.

II. Sic Imperatores Romani pro insana sua ambitione, ut alios honores divinos sibi vendicarunt, ita per nomina quoque sua, perque *Genium* suum jurari voluerunt. Sane oppressa a Cæsaribus Republica mos invaluit, per eorum *Genium* jurandi. Atque adeo post Julii Cæsaris cædem Senatum decrevisse, τὴν αὐτοῦ τύχην ὀμνύναι. *Dio lib.* 44. refert. Eodemque libro ὑπὲρ τοῦ, ait, δημοσίᾳ κατὰ ἔθος εὔχεσθαι ἐψηφίσαντο, καὶ οὗ τήν τε ὑγείαν, τήν τε τύχην ὤμνυσαν i. e. per cujus *salutem* & per *genium* juraverant, non ut interpres per valetudinem & per fortunam. Illius autem moris testis est *Ulpianus* in l. si duo §. ult. ff. de jure jurand. & *Tertullian.* non uno loco, veluti in *libr. ad Scapulam* his verbis: sed iidem ipsi, qui per Genios eorum in pridie usque juraverant, qui pro salute eorum hostias & fecerant & voverant, hostes eorum sunt reperii. Et in *Apolog. cap.* 28. Citius denique apud vos, per omnes Deos, quam per unum *genium* Cæsaris pejeratur. Quæ verba ut alia pleraque imitatus *Minut. Fel. in libello* qui *Octavius* inscribitur. Et est, ait, illius tutius, per *Jovis Genium* pejerare, quam Regis. Idque ita esse, Imper. *Alexandri* rescriptum comprobat: quo jurisjurandi contemtam religionem satis Deum ultorem habere definit: periculum vero corporis vel majestatis crimen inferri non placere, si per Principis Genium inconsulto calore fuerit pejeratum, *lib.* 2. *C. de reb. Credit. l.* 2. *C. ad legem Juliam majest.* Nimirum Deorum injurias, ut ille apud *Tacitum* ait, Diis curæ esse: principes vero majestatis suæ perjurio violatæ vindices esse debere censebant. Tiberium quidem passum non esse per *Genium* suum jurati, aut in discrimen judiciumve vocari, hoc nomine, quod per *Genium* suum pejerasset, *Dio lib.* 57. memoria prodidit.

III. Contra *Cajum* Cæsarem plerosque honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis ad metalla & bestias condemnasse, quod nunquam per *Genium* suum dejerassent, *Sveton. in ejus vita cap.* 27. autor est. *Caligula* itidem, cum ob levissimas causas morte plurimos quotidie afficiebat, & dicere solebat, ut *Svetonius* testatur, se illos punire, propterea quod nunquam per suum *Genium* jurassent, hoc præseferens, hos se ipsum contemnere indignumque censere, qui coleretur, vid. *Barnab. Brisson formul. lib.* 8. *pag. m.* 708.

IV. Christiani tamen, qui non tam per Creatorem, quam per Autorem creaturarum jurabant, nec in creatura aliud, quam Creatorem ipsius venerabantur, ut ait *Gratian. cap.* 16. & *cap.* XXII. *quæst.* 1. in hæc prorumpit verba, per *Genios* Cæsarum jurare recusabant, bene tamen per *salutem* eorum, ut quæ omnibus Geniis augustior. Irreligiosi dicimur in Cæsares, neque imagines eorum repropritiando neque Genios dejerando, ait Q. *Septim. Florens Tertullian. ad Nation. l.* 1. *cap.* 17. quem ut & ceteros *Jacobo Godofredo* ICto debet doctior orbis, Apologetico *cap.* 32. 35. & ad *Scapulam*: hinc *Polycarpus* suo in agone adhortabatur ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην, sed malebat B. Martyr vivicomburium pati, quam in gratiam Gentilium verum Deum abnegare, inque ejus locum Cæsarem, *Fortunam* vel *Genium* ejus surrogare, δαίμων namque & τύχη hic coincidunt; inde Εὐδαιμονία recte *Ciceroni* redditur: *Virtus cum Fortuna conjuncta*. In Actis Proconsularibus Martyrum Scillitanorum apud Baronium *Annal. Tom.* 11. Saturninus dixit: tantum jura per *Genium* Regis nostri. Speratus respondit: ego Imperatoris Mundi Genium nescio, sed cælesti Deo meo servio.

V. Nec vero per Salutem Principum, sed & per suam quandoque vel filiorum Salutem olim jurabant. *Ulpian.* in l. quod si. ff. de jurejur. Quod si exegi per Salutem Tuam jurares & jurasti *Plin. epistol. ult. lib.* 2. Clamat moriens: O hominem nequam, perfidum, ac plus etiam quam perjurum, qui sibi per salutem filii pejerasset! Facit hoc *Regulus* non minus scelerate quam frequenter, quod iram Deorum in caput infelicis pueri detestatur. Enimvero, religiosissimum parentum jusjurandum erat, ut superstites filios relinquerent, vid. *Terent. Heauton. Act.* 5. *sc.* 4.

VI. Nec vero tanquam per *Homines vivos* jurare soliti sunt, sed etiam per defunctos, defunctorumque genios: quod præ aliis gentibus inprimis *Nasamones* & Ægyptios fecisse constat. Sic quia religiose cineres parentum & amicorum olim servabantur, corporibus crematis, per illos etiam supplicabant & jurabant, ut est in *Oratione Verrina Ciceronis* quarta.

ta. Obſecravit per patris ſui cinerem & apud *Horatium*:

> *Expedit matris cineres opertos*
> *Fallere* -- i. e. *per matris manes falſum jurare.*

CAPUT V.

De formulis jurandi per membra corporis.

I. PArtes hominis, per quas jurabant, fuerunt 1. *Caput*, per quod jurare ſolebant *Ægyptii*, uti *Aben Ezra* ad *caput* xx. *Exod. comma.* 7. ſcribit: מנהג אנשי מצרים עד היום אם ישבע אדם בראש המלך ולא יקיים את דברו הוא בן מות ואילו נתן כופר משקלו זהב לא יחיה בעבור בי הוא בוזה ארת המלך בפרהסיא: i. e. Uſu hodie *receptum eſt penes Ægyptios*: *ſi quis juraverit* per caput Regis, *neque ſteterit promiſſo ſuo*, *morti adjudicatur*, *etiamſi pro redimenda vita ſua tantum auri*, *quantum ipſe pendet*, *obtulerit*, *non vivet amplius*, *eo quod tam notorie Regem contemſerit*. Conf. *Buxtorffii Lexicon Rabbino - Talmud. fol. m.* 2315. *Balſamon ad Can.* xxx. *Synodi Chalcedonenſis* τὴν ἐξωμοσίαν ſeu juramentum fidelitatis, quod Epiſcopi *Ægyptii* præſtabant, interpretatur τὸ εἰς τὴν ΚΕΦΑΛΗΝ τῦ βασιλέως ἢ εἰς τὴν ΟΙΚΕΙΑΝ ΣΩΤΗΡΙΑΝ ὀμόσαι τινά. Per Imperatoris *Caput* vel ſuam ipſius ſalutem jurare. Hoc vulgus hominum facere ſolebat. Eundem ritum Ægyptiorum obſervavit *Don Philip. Picinelli de i lumi rifleſſi part.* 7. *fol. m.* 724. *ex Pallad. in Luſiac. cap.* 1. ita differens: in *Aleſſandria d' Egitto* un Miniſtro della gentilità minacciò la Santa Vergine Potamiena, di farla trar nuda e gettarla in un vaſo di pece bollente a cui ella: *Per caput Imperatoris tui obteſtor.*

II. Hanc ſuperſtitioſam gentilitatem in juramentis imitati ſunt *Judæi*, quam Chriſtus *Matth.* v. *verſ.* 36. prohibet his verbis: μήτε τῇ κεφαλῇ συ ὀμόσῃς: neque per *caput tuum juraveris*. Legitur in *Sanhedrin fol.* 24. 1. דור לי בחיי ראשך *Jura mihi per vitam capitis tui*. Id ipſum quoque vult citatus *Don Philip. Picinelli fol. m.* 723. in hæc prorumpens verba: *queſta conſuetudine tenuta da i Giudei*. Uti probat *Hieronymus* in locum *Matth.* v. Horum veſtigia presſerunt *Græci*, de quibus unum vel alterum exemplum proferemus. *Juno* apud *Homerum Iliad.* ξ. jurat per caput Jovis his verbis:

> Ιςω νῦν τόδε γαῖα ϗ̀ ὐρανὸς εὐρὺς ὑπέρθεν
> Καὶ τὸ κατειβόμενον ςυγὸς ὕδωρ ὅςε μέγιςος
> Ὅρκος δεινότατος τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι
> Σὴ θ' ἱερὴ κεφαλή.

Ad hanc conſuetudinem iterum alludit citatus author Iliad. a. cujus verba Latine reddita hæc ſunt:

> *Sed age jam tibi capite annuam*, *ut confidas.*

Iſte capitis nutus, ut egregie adnotat *Spondanus*, auguſtiſſime promiſſum Jovis confirmavit: unde Thetis de ipſius auxilio dubitare non potuit. Eſt autem caput pars in corpore præſtantiſſima, in qua ſecundum *Platonicos* eſt animæ rationalis ſedes, quia illic eſt cerebri conceptaculum, ac membrorum animalium, quæ organa ſunt & principia virtutis animalis, tam apprehendentis, quam eligentis ſeu voluntarie moventis, ut obſervavit quoque ex illis *Cœlius Rhodigin. lib.* 3. *cap.* 23. *antiquar. Lection.* Unde colligi poteſt, cur tam auguſtum ſit capite Jovem annuere. Ex eo enim, tanquam primo motore pendent voluntates noſtræ, maxime, quæ cum ratione conſentiunt. Nam hic non loquor de θυμικῆ aut ἐπιθυμητικῆ, quorum illa eſt in corde, hæc in jecore. Itaque *Jupiter* ſubjungit, pollicitum ſuum capitis nutu ſancitum eſſe irrevocabile, omni fraude carens, & cujus eventus certiſſimus ſit. Denique res ſacra caput exiſtimatum eſt, de quo poſtea. Jusjurandum ergo per *Caput* pro ſanctiſſimo habitum apud veteres. Alii dicunt caput fuiſſe ſalutis ſymbolum. Itaque illud adjurare & devovere in fide præſtanda receptum fuiſſe. Hinc *Lyricus* Latinus *Juliam Barinem* perfidum caput votis obligare ſolitam dicit: & κατὰ παίδων i. e. in capita puerorum jurare moris fuiſſe *Budæus* teſtatur *in Commentariis*: id quod fiebat tacto ejus capite, in quem jurabant. Ita ſe ſacrare caput ejus Diis inferis ac devovere ſignificantes, ſi pejeraſſent. Hinc etiam *Apulejus adjuro tuum caput*, *nulli me prorſus* &c. Ubi interpres addit, hoc eſſe Græcorum juramentum ſeu jusjurandum jurare per caput. Unde idem *Homerus* lib. 15. Iliad ---- πατεῖὸν κεφαλὴν μέγαν ὄμνυμαι *patrium caput teſtor quod magnum juramentum. Et Poeta alibi*:

> ---- *Nondum Græcis jurare paratis*
> *Per caput alterius.*

Et *Euripid. in Helen.* ---- ἁγνὸν ὅρκον: adjuro tuum caput ſacrum jusjurandum.

III. Sic de *Romanis* in *Aſcanio* probat *Virgil. lib. 9. Æneid. verſ.* 300. ita canens:

> *Per caput hoc juro per quod pater*
> *ante ſolebat.*

Firmat hic capitis juramento, quod ſibi ſolenne, nam per illud quoque pater ſolitus jurare. Pari modo *Ovidius lib.* 15. *Triſt. eleg.* 5.

> *Per caput ipſe ſuum ſolitus jurare*
> *tuumque*
> *Quod ſcio non illi vilius eſſe ſuo.*

Silius Italicus lib. 8. hic calculum addit:

> *Tellurem hanc juro vota inter noſtra*
> *frequenter*
> *Auditam nobis, juro caput ----*

Et *lib.* 10. *Perque caput nullo levius mi-*
hi Numine, patris
Magnanimi juro.

Quod ad Chriſtianos demum attinet, ſufficiet vel unicum illud *Nicephori* Imperatoris apud *Sozomen.* Καὶ ἐπιθὲς σου φησὶ τὴν χεῖρα τῇ κεφαλῇ, καὶ ὄμοσον κατ' αὐτῆς ---- *Pone*, inquit, *manum tuam in vertice meo & jura quantum tibi ſit aurum*, *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 6. & *P. Diacon. lib.* 24. Exempla plura de hoc ritu adducere poſſemus, ſi liceret. Attamen qui plura deſiderat, evolvat *Jacob Pontan. Tiraquell. in Alexandr. ab Alexandr. Genial. dier. Barnab. Briſſon. de antiq. formul.*

IV. Cauſam breviter tam inſulſæ pariter, atque impiæ ubicunque conſuetudinis reddit, aut ſaltem reddere conatus eſt *Athenæus Deipnoſoph lib.* 2. ὅτι δ' ἱερὸν ἐνόμιζον τὴν κεφαλὴν, δῆλος ἐκ τοῦ καὶ κατὰ αὐτῆς ὀμνύειν, καὶ τοὺς γινομένους ὑπὸ αὐτῆς πταρμοὺς προσκυνεῖν, ὡς ἱερούς. Quod autem caput ſacrum veteres exiſtimarent, ex eo liquet, quod per ipſum jurarent, adorarent etiam *Sternutationes* inde ortas, tanquam ſacras. Ex his conſtat, non ſolum caput, ſed & ſternutamenta ſacra ſint habita, & reſpondet, quia caput corporis ſit θειοτάτη. Verum quam labilis ſit reſponſio, pluribus demonſtrat *Johan. Henric. Urſin. in Analect. Sacr. pag. m.* 19. *tom.* 1. & merito a Chriſtianis hæc conſuetudo removenda eſt. Nec valet ratio, quod ob hanc cauſam juretur per caput, quia chariſſimum, ſed etiam quia ſacrum, cum & alia membra eadem dignitate ſint. Ex Gentiliſmo hoc originem traxit, quæ caput *Jovi* ſacrum eſſe cenſuit, teſte *Hadrian. Junio. pag. m.* 174. *edit. Baſil.* 1556. & hinc jusjurandum per caput. Confer. in h. l. *Johan. Doughtæi. analect. Sacr. lib.* 1. *pag. m.* 8. *excurſ.* 5. *edit. Amſtelod.* 1694. *Dilber. vol.* 1. *diſput. pag. m.* 188. *Don Philip. Picinell. lumi rifleſſi part.* 7. *fol. m.* 724. *edit. Milan.* 1667. *de la Cerd. Comment. in lib.* 9. *Æneid. fol. m.* 324. *Carol. Paſchal. de coron. lib.* 5. *pag. m.* 291. *ubi plura.*

V. Cum etiam capita Regum varie exornarentur, præprimis autem *coronis* vel his ſimilibus; hinc per *coronam* jurabant. De corona apud *Hebræos Schichardus* in משפט המלך & ad eum plur. *Reverend. Carpzovius* in annot. *Perſarum* Regum capita *Tiara*, *Ægyptiorum Cydari* tegebantur, de quibus conſulendus *Carol. Paſchal.* in lib. elegantiſs. *de coronis lib.* 10. *cap.* 2. & *cap.* 3. *edit. Lugd. Batav.* 1671. Coronam itaque ſanctam habebant, ut per eam jurarent *Judæi* cæterique populi. Jurabant inquit, *Butorff.* in *Lexic. Rabino-Talmudic. fol. m.* 2315. *ex Kidduſch. fol.* 9. 1. per *coronam regis* hac formula חגא דמלכא conf. *Auguſt. Peiffer. antiq. Hebr. cap.* 25. *pag. m.* 189. *edit. Lipſ.* 1687.

VI. Nonnunquam etiam per *oculos* ſuos jurabant, per Dementiam amoris, ut ita Amicæ delitias facerent. Teſtis hujus eſt *Ovid. lib.* 2. *Amor. eleg.* 16.

> *At mihi te comitem jurabas uſque*
> *futuram*
> *Per me, perque oculos, ſidera no-*
> *ſtra, tuos.*

Et *lib.* 3. *Amor. eleg.* 2.

> *Perque ſuos illam nuper juraſſe re-*
> *cordor*
> *Perque meos oculos.*

Propertius Eleg. 15. *lib.* 1.

> *Quamve mihi viles videantur ocelli*
> *Per quos ſæpe mihi credita perfidia*
> *eſt.*
> *Hoc tu jurabas ſi quid mentita fuiſſes.*
> *Ut tibi ſuppoſitis exciderent manibus.*

Tibull. Eleg. ult. lib. 3.

> *Et ſi perque ſuos fallax juravit ocel-*
> *los.*

Ita etiam *Barbam* ſacram eſſe putabant, quare etiam per hanc jurabant, quæ conſuetudo ita invaluit ut inviolabile judicarent juramentum hoc. Teſtis hujus rei eſt

eſt Juramentum *Barbaroſſæ*, veluti in proverb. Germanic. *pag.* 397. obſervavit Agricola: Ich wills halten bey meinem Barth. conf. *Dilbeer. vol.* 1. *diſſert. pag.m.* 188. De more etiam per *dextram* ſic *Apulejus* ſcribit: utrumque idoneum non eſt, per quod adjures, nempe per dextram.

CAPUT VI.

De Formulis jurandi per vitam Regum & Fortunam.

I. SUnt etiam aliæ jurandi formulæ quas civiles vocamus, ut quando *Joſephus Gen.* XLII. 15. 16. *vitam* appellat *Pharaonis* חי פרעה ubi optime *Lutherus*, interpres πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων: Bey dem Leben Pharaonis. Belgæ ſo waerlick als Pharao leeft/ ſecuti Græcos: μὰ, vel νὴ τὴν ὑγίειαν, & *vulgatum*: per *ſalutem*. Quamvis *Aquila* ζῇ φαραὼ & Gallica: *vive Pharao* reddiderint. Angli legunt *as Pharaoh liveth*. Id quod in Ægypto magnum fuiſſe jusjurandum aſſerit *Henri. Ainſvvorth comment. in Geneſ. fol.m.* 148. *edit. Londin.* his verbis: *And ſo ſvveare by the Kings-life vvas a great oath in Ægypt.* item *Urias* 2. *Sam.* XI. 11. חייך וחי נפשך vitam Regis obteſtatur atque (*) *Animam* ejus 1. *Samuel.* XVII. 55. paſſim. Sane *Gentiles*, an ex κακοζηλία Judæorum ἐπέχω, formulas illas ſuis in jure jurandis imitabantur. *Græci* pariter ac *Latini*. Loquatur illuſtre illud fœdus inter *Smyrnæos* & *Magnetes* olim initum, quod *Londini* in hortis Comitis *Arundelliæ*, marmori inciſum Orientali: ὀμύω διὰ γῆν, ἥλιον, Ἄρη, Ἀθηνᾶν Ἀρείαν, καὶ τὸν ταυροπόλον, καὶ τὴν μητέρα τὴν Σιπυληνὴν καὶ Ἀπόλλω τὸν ἐν Πάνδοις, καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς πάντας καὶ πάσας καὶ τὴν τοῦ βασιλέως ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΤΥΧΗΝ ἐμμενῶ ἐν ταῖς συνθήκαις, αἷς συντέθειμαι πρὸς Μαγνεσίους (ἢ Σμυρναίους) εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον i. e. Juro per *Terram*, *Solem*, Martem, Minervam, Martiam, Dianam, Matrem, Sipylenem, Apollinem in Pandis, & reliquos Deos Deaſque omnes, & per Regis Seleuci *Fortunam*, ſtabo pactis conventiſque quæ inivi cum Magneſiis (vel hi cum Smyrnæis) in perpetuum.

II. Ita etiam Senatus Populuſque Romanus decreverat ὀμνύναι ΤΗΝ ΥΓΙΕΙΑΝ καὶ τὴν ΤΥΧΗΝ Julii Cæſaris, uti teſtantur *Dio. l.* 44. & *Sveton. Tranquill.* Idem honos manſit & *Auguſtum*, licet poſtmodum a Tiberio abrogatus *l.* 57. 58. ac videtur dictus fuiſſe ὅρκος βασιλικὸς *Stra-*

(*) Conf. Picinell. *lumi rifleſſi part.* 1. *fol.* 56. *Joh. Frid. Miegii annot. ad Maimonid. pag. m.* 131. *edit. Heidelb.* 1672.

boni l. XII. revixit autem ſuperiori ſeculo. Ita *Tyrii* quoque διὰ τοὺς θεοὺς τὴν τοῦ Κυρίου ἡμῶν αὐτοκράτορος ΤΥΧΗΝ jurant apud *Janum Gruterum* Inſcription. *pag.* 1105. & Arrianus τὴν τοῦ καίσαρος ΣΩΤΗΡΙΑΝ *l. i. cap.* 14. per *Salutem* Principis jurat *Ariſto Medicus* apud *Prudentium* περὶ στεφων. hymno X. *Athalaricus* Rex apud M. *Caſſiodor. Variar. l.* 8. *cap.* 3. ita loquitur: Trajani veſtri clarum ſeculis teparamus exemplum. Jurat vobis Rex, per quem juratis nec poteſt ab illo quiſquam falli, quo invocato non licet impune mentiri.

III. Ex recepto itaque temporum adulandi modo ſic gentes conſueverunt jurare, ut notat *Herodot. l.* 4. *c.* 68. Mos eſt, inquit, Scythis præcipue jurandi per regium ſolium, quum maximum volunt interponere juramentum. Tangit hunc ritum *Ann. Senec. in l. conſol. ad Polyb. cap.* 36. & *Lucianus in Catapl.* Scoptice & ſuo more ex Perſona Tyranni loquens: voce magna bona mihi omnia precabantur, & in ſumma nihil aliud quam nomen meum jurabant. Sic *milites* apud *Veget. l.* 2. *cap.* 5. per *Salutem* Imperatoris jurant.

IX. Quanquam vel id etiam & recte (jurandi ſcil. morem per *Salutem* mere, aut vitam Principis) tanquam minus orthodoxæ fidei decorum, damnatam alibi reperimus in Jovio Italiæ Hyparcho, *Sozom. Hiſt. Eccleſ. lib.* 9. *cap.* 7. Veritus Jovius ne forte Imperatori ſuſpectus eſſet, quaſi faveret Alarico, in temeritatem priore etiam graviorem incidit; & per Salutem Imperatoris cum ipſe juravit, tum alios quoque præfectos jurare induxit.

CAPUT VII.

De Formulis Jurandi per bruta & res inanimatas.

I. PER animalia etiam rationis expertia jurabant ſcil. *anſerem*, per *canem* & *arietem*, quod triplex juramentum *Euſtathius* refert *Rhabamantum* primum reperiſſe, ne omnibus juramentis adhiberetur Nomen Dei. Per *anſerem* potiſſimum *Socrates*, per *canem Diogenes* jurabat. Sic per *porcum* juraſſe *Agamemnonem* apud *Homerum* legimus. Et pugiles certamen inituros juxta *Horcii Jovis* ſtatuam in *Elide*, mactato *porco* jurare ſolitos, ſine fraude ſe comparaſſe tradit *Pauſanias*. Quin etiam judices præfectoſque certaminum eodem ſacro, & apud eandem ſtatuam juraſſe tradit. Nulli vero porcum illum, per quem illi juraſ-

ſent

sent edere licuisse. Quare *Taltibius Homericus* porcum, quem *Agamemnon* pro juramento statuerat, arreptum in mare præcipitem dedit.

II. Verum enim vero hæc futilia juramenta mittimus, & ad inanimatas res nos accingimus. Inter quas primo loco ponimus *Sidera* & *Elementa*, per *Cœlum*, per *Terram*, per *Mare*, per *Ventum* & alia. Hinc *Virgil. Æneid.* 12.

> *Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera juro*

Huc referendi illi versus *Horatiani Od.* 8. *lib.* 2.

> *Expedit matris cineres opertos*
> *Fallere, & toto taciturna noctis*
> *Signa cum cœlo, gelidaque Divos*
> *Morte carentes.*

Inde forsan Impostor ille magnus *Muhamed* juramentorum ritum sumsit, quorum antea mentionem fecimus, & quem morem Judæi quoque observarunt, de quo in sequentibus.

III. Sic quoque jurabant veteres II. per *stygiam paludem*, quod maximum & gravissimum fuisse juramentum apud Ethnicos ex his versibus. *Homeri Odyss.* ε. constat:

> *Sciat nunc istud terra & cœlum latum supernum*
> *Et ipsa subterlabens Stygis aqua (quod maximum*
> *Juramentum gravissimumque existit beatis Diis)*
> *Non ullum tibi ipsi damnum malum me consulturum aliud.*

Hunc honorem datum *Stygi* volunt fabulæ, vel quod hujus filiæ *Victoria*, *vis*, *robur*, *zelus* Jovi opem tulerint adversus *Titanas*, vel quod *Styx* ipsa patefecerit *Jovi* conjurationem Deorum, qui ipsum volebant vincire. Ista in fabulantibus sunt. *Homer. Illiad.* 15. & *Odyss.* 5. igitur de juramento *Stygis*, ait, μέγιστος maximus, & addit utroque in loco, δεινότατος μακάρεσσι θεοῖσι *gravissimus beatis Diis*. Et *lib.* 14. *Iliad* ἀάατον στυγὸς ὕδωρ *inviolabilem Stygis aquam*. *Hesiodus in Theog.* δεινὴ στὺξ *gravis* Stygis aquam vocat ἄφθιτον *incorruptam*. Juramentum ejus dicitur ἐγίστη & ὀπιδνοτάτη θεοῖσι *terribile*, *venerandum Diis*. Hanc igitur Paludem stygiam referente *Byssio in comment. ad Claudian. de rept. Proserpin. fol. m.* 26. *edit. Milan.* tanta in veneratione apud superos fuisse testantur, ut per eam Dii superi *Jurare* consueverint ac nefas duxerint, quæ per Stygem jurassent non implere, quod optime insinuat *Virgil. Æneid.* 6. Fallentibus enim pœna statuta est, nempe ut, siquis Deorum hujusmodi *juramentum* violasset, centum annos a nectare abstineret Numinis majestate privatus, atque ex aureo Deorum albo expunctus. De hoc juramento intelligitur etiam illud *Odis.* β.

> Ὣς ἄρ' ἔφη γρηῦς δὲ θεῶν μέγαν ὅρκον ἀπώμνω.

> *Sic loquuta anus Deorum magnum juramentum juravit.*

Eadem prorsus formula usa est etiam *Latona*, de templo condendo & lucis. Sic enim *Homerus Hymno in Apollin.* cujus verba Latine reddita hæc sunt:

> *---- Latona autem Deorum magnum juramentum juravit:*
> *Sciat nunc hæc terra, & cœlum latum superius*
> *Et inferne fluens Stygis aqua (quodque maximum*
> *Juramentum gravissimum existit beatis Diis)*
> *Certe utique Phæbi hic odoriferum erit semper*
> *Altare & templum: honorabit autem te utique maxime omnium.*

Cæterum, cur per Stygiam aquam sive paludem jurare firmissimm Deorum habitum fuerit jusjurandum *Cœlius Rhodigin lib.* 27. *c.* 5. *antiqu. Lect.* has affert rationes: vel quia a Diis & hominibus odio habentur, qui ad dejurium procliviores sunt, vel quia juxta *Hesiodum* omnibus elementis antiquior est aqua, quod etiam confirmat. *Aristotel. lib.* 1. *Metaph. cap.* 3. *Oceanum* & *Tethyn*, inquit, *generationis parentes fecerunt. Jusjurandum quoque Deorum, aquam esse, Stygem ab ipsis Poetis vocatam. Honorabilissimum enim, quod antiquissimum est, jusjurandum autem honorabilissimum est.*

IV. Præterea jurabant III. per *plantas*, ut *Crambem*, qui mos Jonicus fuit: & per *Capparim*, quomodo *Zeno* Stoicus sibi jurare permisit, per cibos omnis generis similiaque multa. Hinc de more per cibos fœtidos jurandi ita *Plinius lib.* 2. *c.* 7. Gentes vero quædam animalia, tiam aliqua obscœna pro Diis habent, ac multa dictu magis pudenda per fœtidos cibos, & alia similia jurantes. vid. Guil. Stuck. *descript. Sacrifi. Gentil. fol. m.* 94.

V.

V. Sic IV. per *Vinum* mulieres jurasse legimus (unde Vino inscribere mulieris juramentum dici solet) & per *lapidem* vel *silicem Carthaginenses* & *Athenienses*. De illis scribit *Livius lib.* 1. *decad.* 3. Inducitur enim *Hannibal* agnum læva manu, dextera silicem lapidem retinens: Si falleret, Jovem cæterosque Deos precatus ita se mactarent, quemadmodum ipse agnum mactasset: & secundum precationem caput pecudis saxo elisit. Eadem formula, sed sub alia verborum conceptione reperitur *lib.* XXII. Ejus quoque meminit *Agell. lib.* 1. *c.* XXI. & *Polyb. lib.* 3.

VI. Græcis etiam in more positum fuisse legimus, ut V. *ferrum candens* tenentes jurarent, quamdiu mydrus latuisset (id enim ferro ignito & candenti nomen) statimque in mare mydrum præcipitabant. Moris hujus meminerunt *Sophocles*, *Callimachus* & *Grammatici*: qui mos postea apud quosdam etiam in *Livonia* superstitiose potius, quam pie, æditumos templi, fuit observatus. Nam sceleris alicujus accusati, ad ferri candentis judicium vocabantur: & id subire nonnunquam vel inviti compellebantur. Id erat hujusmodi, ut criminis reus ferrum candens e mediis prunis exemtum, in manus caperet, accusatoribusque & judicibus ostentaret, sique adustione nulla subsecuta illæsus esset, absolveretur; si vim eam pati non posset, objecti criminis ita convictus damnaretur. Purgabant vero se prius *jejuniis*, *confessione* & *Eucharistia*, mox ad horrificum illud experimentum accedebant. Id quia periculosum erat, & insontes aliquando ex eo condemnabantur, præcipue vero contra Christianos pietatis mores erat, Deusque tentari videbatur *Honor.* III. fieri per gravissimum edictum vetuit, ut *Decretal. lib.* V. tit. XXXVI. *de injur. c.* 3. habetur. De hoc juramento videatur auctor *Demetri. Triclinius apud Meurs. mantiss. ad de Luxu Rom. c.* 13.

CAPUT VIII.

De Formulis jurandi per Instrumenta.

I. PEr certa quin etiam instrumenta eos urasse ex multis probatis autoribus constat, inprimis vero I. per *sceptrum*. Sceptrum autem insigne Regium fuisse testantur *Wilhelm. Schickard.* in משפט המלך *seu Jure Regio pag. m.* 61. *edit. Lips. Carpzov. in annot. ad h. l. pag.* 62. *& pag.* 235. *Martin. de Roa Singul. pag. m.* 123. 124. *edit. Lugd.* 1667. aliique. Cum igitur *Sceptrum Regium* sanctum fuerit, itaque per illud jurabant. Testem provocamus *Nebucadnezarem*, qui juravit per Sceptrum & regnum suum, quod se defenderet. Ita etiam *Jupiter* apud *Claudian. lib.* 4. *de rapt. Proserpin. fol. m.* 458. jurat his verbis: Per *hoc ego Sceptrum & Imperium Juro*, Et profecto hujusmodi jurandi morem invaluisse apud Reges, ut per *Sceptra* jurarent sua, negari omnino non potest. Et quidem, cum sacra semper habita fuerint regnorum insignia, nil mirum, si per ea jurare consueverint. Insuper *Juramenta* per *sceptrum* facta, maximam apud omues religionem inducere potuerunt. Nam jurare per *Sceptra* idem erat, ac Deos precari, ut si juramento non stetisset jurans, illud idem Sceptrum in sui perniciem verteretur, h. e. ut rebellantes subditæ Nationes pejeratorem dejicerent de throno & perderent, vel cœlum fulmine Sceptrum de manu excuteret, sicuti factum legimus ultimo *Neronis* anno, cum fulmen e cœlo decidens Sceptrum ex *Augusti* manibus excutiens, finem scelestissimo illius prænunciavit imperio.

II. Apud Ethnicos non etiam inusitatum erat, per *Sceptrum* jurare uti literis prodidit *Alexander* ab *Alexandro lib.* 5. *cap.* 10. hæc proferens verba: *Per regium Sceptrum, in quo jura dabant*, jurabant, quod præpotens jusjurandum regibus visum. Cui calculum adjicit *Homerus* Poeta Græcorum celeberrimus *lib.* 1. *Iliad.*

> Α'λλ' ἔκ τοι ἐρέω, καὶ ἐπὶ μέγαν ὅρκον
> ὀμοῦμαι
> Ναὶ μὰ τὸ δε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους
> φύσει i. e.
> *Sed tibi edico & super magnum jusjurandum juro*
> *Certe per hoc Sceptrum, quod quidem nunquam folia & ramos.*
> *Producet.*

Hic ea, quæ *Spondanus in Commentario* addit, subjungere placet. Non assentior, inquit, *Eustathio*, qui Achillem dicit ex re obvia & contingenti jurandi occasionem arripuisse, quam illi ira suggessit. Etenim si Sceptrum Regium imperii & justitiæ signum fuit, (unde Justinus histor. ab origine rerum pro Diis immortalibus Veteres hastas coluisse dixit, ob cujus religionis memoriam, inquit, adhuc Deorum simulacris hastæ adduutur. Hasta autem nihil aliud est, quam σκῆπτρον Sceptrum) non potest in rebus humanis a re augustiori jusjurandum illis peti, quod Veteribus etiam usitatissimum fuit.

fuit. conf. *plur. Thom. Bartholin. antiquit. Danic. lib. pag. m.* 74. *edit. Hafn.* 1689. Tale eſt illud *Parthenopæi* apud *Æſchylum*, & notum, quid de *Cæni* haſta proverbiali a Græcis interpretibus referatur. Sic apud *Flaccum* ex imitatione *Homerica*.

Hanc ego magnanimi ſpolium Didymaonis haſtam.
Quæ neque tam frondes virides, neque proferet umbras.
Ut ſemel eſt avulſa jugis, ac matre per empta
Fida miniſteria & duros obit horrida pugnas
Teſtor.

Idem elegantiſſime *Virgil. lib.* XXII. *Æneid. v.* 206. Regem *Latinum* jurantem introducit per Sceptrum.

Ut Sceptrum hoc (Sceptrum dextra nam forte gerebat)
Nunquam fronde levi fundet virgulta, neque umbram
Cum ſemel in ſylvis imo de ſtirpe reciſum
Matre caret, poſuitque comas & brachias ferro
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro.
Includit, patribuſque dedit geſtare Latinis.

Jurat autem *Latinus* per *Sceptrum* uſurpato antiquo more, de quo loquitur *Ariſtoteles lib.* 3. *Politic.* 14. hunc in modum, ubi ſermo eſt de antiquis Regibus: *Controverſia diſceptabant*, hoc autem faciebant, alii injurati, alii jurati. Jusjurandum porro erat Sceptri ſublatio. conf. *antiquit. Græc. lib.* 2. *c.* 7. *pag. m.* 192. *Pfeifferi*. Jurat per Sceptrum *Achilles* duplici de cauſa apud *Homerum*, quaſi dicat: Si Sceptrum ut lignum confideres, quemadmodum illud nunc a montibus abſciſſum amplius non revireſcet: ſic nos, ubi diſſiti erimus invicem, non ſumus in illum gratiæ & amicitiæ florem redituri. Si vero ut divinum aliquid & ſacrum hoc Sceptrum intelligas, eſt, cur jusjurandum auguſtum exiſtimetur. Hoc enim Sceptrum gerunt filii *Græcorum* δικάσπολοι. Sunt autem δικάσπολοι, qui circa jura verſantur, & θεσμοφύλακες, quod erant Reges, quibus Sceptrum erat juſtitiæ ſymbolum. Aliud quoque exemplum hujus jurandi per *Sceptrum* extat apud eundem *Homer. Iliad.* I. Sic dixit: ὁ δ' ἐν χερσὶ σκῆπτρον βάλε καὶ οἱ ὄμοσσε: *Hic autem Sceptrum in manibus jecit & juravit*. Ubi *Spondanus*, Obſervandus eſt mos antiquus iuramento aliquid alicui ſanciendi, a Rege videlicet injiciendo Sceptrum in manus ejus, cui fit promiſſio. Certe apud *Homer. lib.* 10. *Iliad.* Juraturus *Hector Doloni* Sceptrum ſuum ponit in illius manus, quo *Dolon* firmiſſimum eſſe jusjurandum intelligeret. Sed nolumus hic abſint verba *Servii*. Ut autem Sceptra adhibeantur ad fœdera hæc ratio eſt. Quia majores ſemper ſimulacra Jovis adhibebant, quod cum tædioſum eſſet, præcipue quando fiebant fœdera cum longe poſitis gentibus, inventum eſt, ut Sceptrum tenentis, quaſi imaginem ſimulacri redderent *Jovis*.

III. Jurabant II. quidam populi per *acinacem*, *telum* & *menſam*. Uterque mos *Scythicus* fere eſt, cujus meminerunt *Apulejus* & *Lucianus*. Notum ex Scriptoribus eſt, *Schythas* acinacem ut Deum Martem coluiſſe, de qua re *Elias Sched. de Diis Germ. pag. m.* 347. & *Thom. Bartholin. in antiquit. Danic. pag. m.* 75. *ſeq.* Non ſolum autem ut inſigne *Martis*, gladium in honore apud Scythas fuiſſe, ſed & ſimpliciter gladium ut Martem eos coluiſſe, *Ammian. lib.* 35. *c.* 2. teſtatur: *Gladius* inquit, *barbarico ritu* humi figitur nudus, eumque ut Martem, regionum quas circumcircant præſulem verecundius colunt. Per eum ſane ut ſanctiſſimum Numen, juramenta concipiebant. Sic facit *Toxari* Scytha apud *Lucianum* in *Toxari* per *Ventum* & *Acinacem* Scytharum jusjurandum jurans, quos Deos eſſe probat, ita juramentum ſuum explicans: *Adeone te fugit, quod nihil ſit majus mortalibus vita ac morte? Per hæc utique juramus, quoties per Ventum & Acinacem juramus: videlicet per Ventum, tanquam qui vitæ ſit cauſa: per Acinacem vero, ut qui mortis ſit author*. Et alibi *in Scytha Anacharſes* conjurat *Toxarin* per *Acinacem* & *Zamolxim* Deos Scythis penates, Licet doctiſſimus *Voſſius de Orig. & progreſſ. Idol. lib.* I. *c.* 33. hanc formulam jurandi non tam eo ſpectare cenſeat, quod *acinacem* crederent Deum, ſed quia *Martis* ſymbolum putarent. Suſpicionem *Voſſii* amplectitur *Schefferus Upſal. c.* 8. & eam juvare nonnihil videtur factum *Bruti*, qui arrepto, quo *Lucretia* ſe confoderat, gladio, & cadaveri impoſito, juravit *Martem* Deoſque cæteros, ſe omni vi ad *Tarquinis* Dominatum ſubvertendum anniſurum, referent *Dionyſ. Halicarnaſſ. antiq. Rom. lib.* 4. ut non eſſet abſonum credere, cum *Martem* teſtem jurare vellet, gladium prius ut ſymbolum Martis tetigiſſe. Sic apud eundem *lib.* 9. de *Flavolejo* primipilo legimus, qui bello contra Etruſcos arrecto enſe juravit patrium Sacramentum,

tum, cujus apud Romanos erat vis maxima: Bona sua fide, non nisi devictis hostibus reversurum se in omnibus placuit, moxque ambo Consules id imitati sunt, cæterique Duces minorum Ordinum, tribuni atque Centuriones: & postremo reliqua multitudo militum.

IV. Attamen *Scythis* ipsum *Acinacem* non minus *Zamolxide* Numen fuisse, ex altero *Luciani* loco apparet; & coluisse *Acinacem Scythæ Arnobius lib. advers. Gent. 6.* ridet. Coluerunt quoque *Quadi*, quorum Princeps atque Optimates eductis mucronibus, quos pro Numinibus colunt, juravere se permansuros in fide, referente *Ammiano Marcellino lib. 17. c. 12. Saxones* etiam fœdera sua & sponsiones super arma confirmasse ex notabili *Chronici San-Benigniani loco Spicileg. Dacherian. tom. 1. pag.* 383. colligitur. Cujus locum in juramentis Germanorum adscribemus. *Turcas* quoque per *acinacem* ac *gladium* jurare *Lazius de gent. migrat. lib.* 10. scribit. Sic in juramentis *balteus* tangebatur uti testatur *Martin. de Roa. Singul. tom. 2. pag. m. 379. edit. Lugd.* Olim qui se Regum Clientelæ dedebant, tacto gladii capulo obsequium polliceri solebant ut scribit *Saxo Grammat. lib. 2. histor.* apud quem *Hiartuartus* Dunorum Tyrannus, *Vvigone oblato, perinde ac de munere gratulatus, an sibi militare vellet, perquirit. Annuenti* districtum gladium offert. Ille cuspidem refutans, capulum petit: hunc morem *Rovolni* (Regis occisi) in porrigendo militibus ense extitisse præfatur. Olim namque se Regum clientelæ daturi tacto gladii capulo obsequium polliceri solebant.

CAPUT IX.

De Ritu & Formulis jurandi Germanorum.

I. Apud Germanos, si quis criminis accusabatur, & accusatus innocentiam testari conabatur, jurejurando id factum reperimus, quod primum & simplicissimum probationis genus erat, cujus usum sanctissimum voluntas & opinio gentium, tum decreta Principum fecere, cum nullum vinculum ad stringendam fidem arctius putaretur. Sed diversis ritibus *Sacramentum* dicebatur. Apud *Francos* juraturus, *stipulas* sive *fasciculum segetum* manu dextra tenebat, iisque versus cœlum projectis, Deo Angelisque innocentiam suam commendabat. *Alemanni gladii* seu *spathæ*, ut vocarunt prehenso *capulo* jurabant, parati manu etiam tueri veritatem, quam semel affirmassent, uti *Vadianus* ait, & in præcedente capite dictum. Sic *Saxones* fædera super arma seu gladium confirmabant teste *Chronico San-Benigniani* his verbis: *Saxones missos ad Dagobertum dirigunt, petentes, ut ea tributa, quæ fisci ditionibus dissolvebant, indulgeret, promittentes se Winidis resistere, & Francorum limitem de illis partibus custodire spondentes. Quod Dagobertus consilio Neustrasiorum præstitit. Saxones qui hujus postulationis Legati fuerant, Sacraments, ut eorum mos erat, super arma pro universis Saxonibus firmant. Danos* quoque priscis temporibus per gladios jurasse apertum est, hinc in vetustissima *Semundar Edda. Nidudus* Rex cum *Vaulundum* interrogaret, quid filiis Regis factum esset, a *Vaulundo* hoc responsi tulit:

> *Juramenta mihi prius omnia dabis*
> *Ad latus navis, & ad scuti extremitatem,*
> *Ad equi armum, & ad gladii aciem*
> *Te non torturum esse uxorem Vaalundi.*

Vid. *antiquit. Dan. Thom. Bartholin. pag. m.*78. Quo ritu etiam fœdera ipsos sancisse, colligo ex *Analista*, qui *Astronomus Reuberto* audit, *And. du Chesnio Eginhart. Cointio ad ann. 774. n. 139. Monachus Lauresbamensis*, is de pace inter *Carolum* Imperatorem & *Hemmingum Daniæ* Regem: *Indicta*, inquit, (*ad ann.* 811.) *inter Imperatorem & Hemmingium Danorum Regem pax, propter hyemis asperitatem, quæ inter partes commeandi viam claudebat, in armis tamen jurata servatur.* Postea *ann.* 873. *Halbdeni* & *Sigifridus* Daniæ Reges nuntios ad *Ludovicum* Cæsarem miserunt, qui gladium aureum habentem capulum pro munere offerentes *jurabant etiam juxta ritum gentis suæ per arma sua, quod nullus deinceps de regno Dominorum suorum regnum Regis inquietare, aut alicui in illo læsionem inferre deberet*, uti legitur in *Anal. lib. Fuldens.* a *Frebero editis pag.* 73. licet *Adamus Bremens. lib. 1. cap.* 33. in historia *Francorum* inveniri scribat, eosdem Reges *missis utrinque ad Egdoram fluvium mediatoribus, pacem firmam, ritu gentis, per arma juravisse.*

II. Putasse *Danos*, armis se protegi & salvari, ideoque ea ac Numina veneranda & ea de causa per illa juravisse, non obscure colligitur ex *Regenarii aliorumque Danorum*. Ducum promissione *Carolo* Regi facta, quam *Aimoinus* monachus ita describit *de miracul. S. German. lib.* 1. „ His ita placitis Rege quidem nolente, „ Prin-

„ Principibus tamen quibusdam muneri-
„ bus læsis, Ragenarius Dux eorum
„ (Nortmannorum sive Danorum) cun-
„ ctique Principes ad Regem, qui tunc
„ in monasterio Macharii Dionysii resi-
„ debat, adducuntur: per Deos, perque
„ ea quibus maxime se protegi ac sal-
„ vari putabant testantes Numina vel
„ arma, quatenus nequaquam ulterius
„ vel fines Regni sui nisi fortasse auxi-
„ liatores intrarent aut contingerent. "
Hinc frequentissimum clarissimumque probationis genus erat apud Germanos *Duellum* sive lex *Duellionum*; ut nimirum dubiis in judiciis, cum utrinque argumenta essent obscura, armis litigantium crederetur, victusque pro nocente haberetur. De quo leges *Alemannicæ Tit.* XLV. §. *c. Si quis liber libero crimen aliquod mortale imposuerit, & ad Regem, aut ad Ducem eum accusaverit, & inde probata res non est, nisi quod ipse dicit, liceat illi alio, cui crimen imposuit, cum tracta Spatha* (stricto gladio) *se idoneare contra illum alium*. Pariter Leges *Bojoar.* & *Werin. Tit.* XV. & XVI. Leges *Frisionum Tit.* XIV. §. 4. & 5. Leges *Longabardic. Tit.* CXII. & alibi passim; quibus & recentior Lex Ottonis accedit. Nec populo tantum ea fuit facultas, ut innocentiam suam gradiis defenderent; sed & Principes Proceresque singulari certamine lites in campo discernebant. vide de his pluribus *Pauli Hachenberg. dissert. de German. media edit. Jen. 1686. pag. m.* 82. *seqq.*

III. Supra mentionem fecimus juramenti per *ferrum candens*, quod *Ordalium Saxonibus* & *Anglis* dicebatur, & purgatio seu probatio vulgaris vocabatur. *Ordalium* dicitur a Saxonica voce *Or*, i. e. magnum & *Dael* vel *Dele* judicium, quasi magnum judicium vid. *Thom. de S. Quercu* Lexic. etymolog. in voce *Ordalium*. Variæ igitur *Ordalii* species fuerunt, inter quas prima erat *Ferrum candens*, de quo in *synodo Trib. cap.* XIII. Si quis fidelis libertate notabilis tanto talique crimine publicatur, ut criminosus a populo suspicetur, per ignem candenti ferro, caute examinetur. Igitur ignitam ferri laminam sive reus sive rea in conspectu judicum, & circumstante populi concione, manu prehensam circumferebat versabatque, aut nudis pedibus calcabat. Ipsa lamina, pro ratione criminis indagandi, aut ad unam libram, aut ad tres libras apud *Anglo-Saxones* formabatur: quod ipsi *Ladam simplicem* & *Ladam triplicem* appellarunt. Sed apud *Alemannos* grandior plerumque erat, & sæpe in novem ac plures partes dissecabatur, ut latius sparsa, calcantem corriperet: quemadmodum lex *Werinorum Tit.* XV. de muliere beneficiis infami sancit, ut ad novem vomeres ignitos examinanda mittatur. Quod si innoxie ferrum premeret aut tangeret reus, a suspicione criminis absolvebatur; si tostus ac læsus foret, tanquam culpæ manifestus, ad supplicium tollebatur. Ferrum ipsum a Sacerdote consecratum solenni ceremonia devotumque; cujus formula in *Tom.* II. *Antiquit. Alemann.* apud *Goldastum* talis invenitur: *Benedic Domine, per invocationem sanctissimi nominis tui, ad manifestandum verum judicium tuum, hoc genus metalli: ut omni dæmonum falsitate procul remota veritas judicii tui fidelibus tuis manifesta fiat, per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum, qui venturus est judicare vivos & mortuos & seculum per ignem, Amen.* Atque hoc judicium subiit *Emma*, mater Regis *Eduardi Confessoris*, quæ narrante *Ranulpho Cestrensi lib. 6. cap.* 23. cum consuetudinem liberiorem cum *Episcopo Wintoniensi* habuisse insimuletur, novem ignitos & candentes ferri vomeres, pleno premens vestigio singulos, illæsis pedibus supergressa est. Ita cum *Haquino*, Norwegiæ Regi quæstio moveretur, num regii esset sanguinis, mater ejus *Inga* nobilitatem filii tractatione ferri igniti probare jussa, flammiferam laminam impavida arripuit & illæsa manu circumtulit, ut in *Chron. Norvveg.* legitur. Quod id Numine factum sit, ambigere fatemur, præsertim cum similia miracula in Romanorum historiis apud *Strabon. lib.* 5. *Geograph.* & *Plinium histor. natur. lib.* 7. *cap.* 11. memorentur. Sane cum suspectum id probationis genus plurimis esset, tandem *Stephanus* V. Papa judicium omne ad inventionem superstitiosam damnavit ut *Can.* 11. *q.* 5. *cap.* 20. habet. Pariter *Fridericus II. in Constit. Neapol. lib.* 11. *Tit.* XXXI. inhibuit.

IV. Altera *Ordalii* species fuit Probatio per *Aquam calidam* de qua *Capitul. lib.* 4. *cap.* 13. Si servus hominem in Ecclesia interfecerit, judicio aquæ ferventis examinetur, utrum hoc sponte, an se defendendo fecisset. Et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur. Imprecationes a Sacerdote factas & a Ludovico Pio institutas apud *Goldast. Tom.* 3. *rerum Alemann. fol.* 254. & 255. conspiciendæ. Quam probationem etiam *Stephan. V. Papa* sustulit Tertia. *Ordalii* species est Examen per *aquam frigidam*, in quam accusatus se immergere tenebatur, quam Sacerdos obtestabatur, ne hominem susciperet, quod *Carolus Calvus Impera-*

perator invaſit. De qua fuſe egit *Hachenberg. in diſput. pag. m.* 88. Poſt *Ordalium* erat purgatio per *Sacram Eucharistiam* quæ probatur in *Concilio Wormat. cap.* 15. cujus formulam vide apud citatum *Hachenbergium pag. m.* 89. Eo examine Adrianus *II.* Papa *Lotharium* Regem *Lotharingiæ* probandum putavit. Similiter judicium Crucis apud *Francos*, *Saxones*, *Longobardos*, *Friſios* vigebat. De qua re vide cit. *authorem pag. m.* 90. Nec non minora probationum genera habebantur, uti ex antiquitatibus conſtat, ſcil. occurrit conſuetudo de *caſeo execrato* de *pane hordaceo*, quem certo carmine execrabatur Sacerdos, ſuſpectoque hauriendum porrigebat, & quæ alia ſunt, de quibus fuſius legendus *Hachenberg pag. m.* 91. 92. *edit. Jenenſ.* conf. *Selden. Analect. Anglo-Britann. l.* 2. *cap.* 8. F. *Acinius do probat. igni & aqua*.

CAPUT X.

De Formulis jurandi apud Hebræos.

I. HActenus de variis jurandi formulis diverſorum populorum egimus; Jam ſeries & ordo tangit populum Judaicum, cui quoque variæ jurandi formulæ fuerunt, inter quas formula jurandi הכל per *Templum*. *Rabbi Jochanan* uti refert *Gemar. Babyl. tit. Kidoſchim cap.* 4. *pag.* 71. 1. de familiis aliquot reſtituendis locutus היכלא inquit בידינו היא *per templum* in manibus ſeu poteſtate noſtra eſt, ubi Gloſſa היכלא שבועה בהיכלו של מקום: Templi nomen ibi, eſt Juramentum per Templum Dei, pro quo dicebant item המעון הזה *per Habitaculum hoc*, *ædes haſce*. *Matth.* XXIII. 21. Ita aliquoties in *Miſchn. Tit. Cerithoth c.* 1. *Talm. Babyl. fol.* 8. 1. *& cap.* 6. *fol.* 25. 1. *& tit. Kethubotb. c.* 2. *fol.* 27. Z. Et in *Gemara Babyl. Tit. Baba Bathra cap.* 10. *fol.* 166. 1. Rabba *Simeon* Ben *Gamaliel*. המעון הזה אם אלין הלילה עד וגו' *Per habitaculum hoc, ſi dormivero hac nocte donec &c.* Ubi etiam Gloſſa de Templo explicat, licet nonnulli de Hieroſolymis ſumſerint, vid. *Johannes Druſ. ad Matth.* V. 35. *in Opere Critic.* Verum de *Templo hoc* intelligi ſatis probarunt *Selden. de Synedriis Hebræor. lib.* 2. *pag. m.* 306. *edit. Amſtel.* 1679. Joh. *Henrich. Otho in Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m.* 308. *edit. Genev. Buxtorff. obſervat. ad Matth.* XXIII. *Ligſthoot Hor. Talmud. in Matth.* V. *pag. m.* 280. *edit. Lipſ.*

II. Hoc ipſum confirmat *Martial. lib.* 11. *epigramm.* 95.

> *Ecce negas, juraſque mihi per* Templa Tonantis
> *Non credo, jura Verpe per* Anchialum.

Dici nequit, quam torſerit interpretes vox inſueta Latinis auribus, imo quam torſerint locum ipſummet, ut ſenſum ejus aliquem redderent. Sic certe ut præſtitiſſet multo, intactum cum profeſſione ignorantiæ, tranſilire: Quam enim ſunt aliena, quæ hic de ſtatua & numine *Sardanapali*, in *Anchiala*, urbe Ciliciæ culto *Dominicus Calderinus*; & quæ *Rigaltius* de *Anchialo*, quem Martialis puerum eſſe autumat. Certe nugantur hi, qui *Anchialum* de Urbe & puero interpretantur, non ſecus ac illi, qui de ludo quodam incerto ſomniarunt, cujus meminit *Balſamon ad Concil.* VI. *can.* LI. ἔοικε δὲ διὰ τὰ νῶν τοιέτων κανόνων ἐπιτίμια ἐπινοηθῆναι τὰ βασιλικὰ παιγνια, τὸν κοντοπαίκτην, δηλαδὴ τὸν Μάρωνα τὸν Α'γχιαλλον, ni forte aliter ac in *Palatino* codice legendum, cum Regius Pariſienſis τὸν Α'χιλλέα præferat. Aliis hinc lectionem immutare viſum, ut *Seldeno de Synedr. Hebræor. lib.* 2. *pag. m.* 306. *edit. Amſtel.* in: *jura verpe*; *iperan chi olam*, quaſi iſta Judæo formula a *Martiale* præſcribatur, יפרע חי עולם i. e. *Ulciſcatur, aut vindictam ſumat is, qui vivit in ſeculum*, ſc. ſi pejeraverim: prout & *Daniel.* XII. 7. Angelus uravit per viventem in ſecula. *Johanni Crojo: in jura, verpe, per Achialam*; quod ſonat, *Deus vivit in æternum*. *Iſaaco Voſſio*, in *jura*, verpe *in Ancharium*, nempe quia in optimo Codice *Thuanæo* jam ante annos octingentos exarato, pro, *Anchialum* invenerat *Ancharius*. *Ancharius* autem prout reſtituendum putat, *aſinum* ſignificat, ἀγγάελον, ſ. ἀχθοφόρον per quem jurari *Martialis* velit, recepta tunc opinione illa imbutus, caput aſininum a Judæis in templo aſſervari & coli, de his videatur *Tacitus l.* 5. *hiſtor.* verum hunc refutarunt argumentis firmiſſimis M. Georg. *Michael. Præpoſ. Flensburg. in not. ad Jacob. Gaffarell. Curioſitates edit. Hamb.* 1676. *pag. m.* 31. 32. *Joh. Henric. Boecl. in Tacit. Comment. edit. Argentor.* 1643. *pag. m.* 173. Celeberrimus *Joh. Frideric. Miegius in Electoral. Academ. Palatina quondam Profeſſor in notis ſumma eruditione collectis ad R. Moſ. Maimonid. de juramentis pag. m.* 132. *edit. Heidelberg.* 1672. opinioni *Scaligeri in libr. de emendat. Tempor. Farnabii & Petiti Variar. Lect. lib.* 1. *cap.* 16. accedere videtur, quando hæc profert verba: His ego omnibus, ceu mi-

minus laboriosas ac consuetam lectionem retinentes, preferendas arbitror, *Scaligeri*, *Fernabii*, *Petiti* conjecturas, quibus ex trita inter Judæos per Deum viventem jurandi formula, vox composita creditur, & in Latinam terminationem flexa; Sive jam cum primo respexisse dicatur ad חי אלה *Chiala; vivit Deus*. Sive cum secundo ad אם חי אלה *Si vivit Deus*, m. ante ch. in n. verso, ad Græcas & Romanas literarum dispositionis leges; Sive cum tertio ad אין חי עליון q. d. *Non*: (s. nego) *ut vivit Alon. s. Excelsus*: Quibus propriam adjungit sententiam, quam olim fovisse dicto loco, asserit. Præterero enim lubens propriam, quam olim fovi, conjecturam, de initialibus Decalogi vocibus, אנכי הי אלהיך *Anochi Elochecha*, ex quibus decurratis & ad carminis rationem redactis, *Anchialum Martialis*, enatum opinabar, cum non sit improbabile, per *Decalogum* præstita a Judæis juramenta fuisse; afferat illud certe, quanquam non probet *Durand. in Speculo lib. 2. tit. de jurament. Calum*. §. 3. *n.* 17. Denique concludit *Vir celeberrimus*: Videtur autem *Farnabii* conjectura ad veritatem maxime accedere, quæ hæc est (*Si vivit Deus*.) Quodcunque dixeris res tamen eodem recidet: Nempe sibi per Deum Hebræorum jurari postulat Poeta, haud contentus præstito ante juramento per Templa Tonantis. Ex his constat, *Martialem* non fuisse ignarum traditionum Judaicarum. Nam si per *Templa Tonantis Jovis Capitolini* templum intellexisset, ut *Gerbard. Johann. Vossius* & *Dionys*. censent: ille *histor. Pelag. lib.* 5. *part.* 2. Hic in *notis* ad *Maimonid. de Idol. c.* 5. §. 13. Judæus hoc non obstrictus fuisset.

III. Verum ut ut hoc viri doctissimi & celeberrimi afferant, vix tamen calculum addere possumus nostrum. Equidem quod ad opinionem Doctissimi *Samuelis Petiti lib.* 1. *Var. Lect on. cap.* 16. attinet, qui τὸ *Anchialum* emendat per *Anchialon*, & differit, quod juramentum abnutivum sit tribus distinctis vocibus, *An*, quod est אין sive אן confunduntur enim hæ duæ voces i. e. *non*: חי *vivit* עליון *Alon*, uti e *Plauto* pronunciatum fuisse constat, Dei nomen: Sit itaque jusjurandum hominis negantis & inficiantis crimen, cujus accusabatur: אן חי עליון *An Chialon*: *Non vivit Deus*. Unde patet omnino his verbis per *Anchialon* denotari juramentum *per Deum*. Rectius igitur agemus si retinemus *Anchialum*, quod est quasi אני חי עולם *Ego vivens in æternum*. Expressa enim videtur hæc jurandi formula ex ea, qua Deus utitur *Num.* XIV. 21. חי-אני עולם & *Deut.* XXXII. 40. Unde & Dei epitheton: חי העולמים Glossa ad *Numer.* 6. *n.* 7. כי חי העולמים הוא חלקו לא המתים: quoniam is, qui vivit in æternum est portio ejus, non demortui. Lego itaque constanter apud *Poetam*: *Anchialum* אני חי עלום quasi dicat: non credo tibi *Verpe*, etiam si per *Templum* Dei juraveris, cum fallere ita possis ac soleas, utpote extra judicium, per rem creatam conceptum, jura vero per Eum, qui juravit: *Ego vivens in æternum* h. e. per ipsum Deum, tanquam in judicio, & non pejerabis, nisi pœnam luere velis.

Observatu etiam dignum, quod Hebræi dicantur *cœlicoli* uti fuse *in antiquit. inaudit. Gaffarell. & annot. Michael.* cognoscere licet. Non autem cœlum hic accipiunt pro visibili cœli aspectu, sed apud Hebræorum Magistros usitatissimum, voce שמים Deum significare. Apud Talmudicos celebre est illud הכל לשם שמים *Omnia ad cœlum*. Quod R. *David Kimchi in Psalm.* I. sic effert: כל מעשיך יהיו לשם שמים *Omnes actiones tuæ sint in nomine cœli* h. e. *Dei*. R. *Elias Levita in Tisbi* voces שמים in hanc rem citat illud: הכל בידי שמים היו מיראת שמים *Omnia sunt in manu cœli, præter timorem Deis*; item istud: םש שמים שגור בפיו Nomen cœli assuetum in ore ejus. Ubi cœlum notare Deum in aprico est. Pertinet insuper huc illud in *Medrasch. Kobeleth. c.* v. 6. Qui venit visitatum ægrotum: dicit: השמים ירחמו עליך Cœli misereantur tui. Sic in *Pirke Abboth cap.* I. Nec non ipsæ Literæ Sacræ Cœli vocem sæpissimæ pro Deo usurpant, ut *Psalm.* LXXXIII. 9. de impiis dicitur. Opponunt cœlis os suum. Ubi *Euthymius*. Per cœlum quidem Deum intelligit, qui in cœlis habitat. Sic *Hugo* verba versionis Latinæ: posuerunt in cœlum os suum considerans, *in cœlum*, interpretatur, contra Deum. Eodem modo *Basilio M.* Cœlis os opponere est, blasphemiis contra Deum uti; *Dionysio* Carthusiano, (qui cum his verbis locum *Jobi* XV. 26. confert) erecto collo & tumida mente loqui verba blasphemiæ. Similia apud recentiores, *Matth. Facium*, *Jacob. de Valentia*, *Conradum Pellicanum*, *Augustin. Marlorat. Salomon. Gesner. Hieronym. Weller. Jun. & Tremell.* atque alios legi potest. Huc porro pertinet locus *Daniel* IV. 23. *Ex quo cognoverit quod dominentur Cœli*, hoc est, (ut versu præcedenti exponitur) quod dominetur Altissimus, quomodo etiam explicat R. *Joseph ben Jachija. Paraphras. in Daniel.* Referunt quoque huc nonnulli, quod Deus dicitur attollere manum suam על

שמים

שמים *ad Cœlos Deut.* XXXII. 40. cum hoc ipso nihil innuatur aliud, quam quod alibi dicitur Deum jurare per se ipsum. Vid. *Gen.* XXII. *16. Esr.* XLV. *23.* conf. *Henric. Ainsvvorth. in Deut. fol. m.* 157.

Cum itaque Poeta *Juvenal.* Judæos Deum cœlorum nomine appellare videret & oculis ad cœlos versis illis supplicare, nubes & cœli numen adorare credidit. Quod si vero concedatur pro cœli, cilli scripsisse *Petronium*, minime tamen ex eo probari affirmat *Pinedo*, quod per cillum juraverint Judæi, ut proinde ἀπροσδιόνυτα videantur, quæ ad *Martialis* locum afferat *Vossius*, qui sic legendum putat; *Non credo, jura, Verpe, per Ancharium* i. e. per asinum, ac si Judæi unquam ab Ethnicis derisi fuerint quod per asinum jurarent, quod conatur *Petronii* disticho probare: Judæus licet porcinum numen adoret &c. Legendum potius *Anchalium*, cujus vocis interpretationem ex lingua Hebræa petendam esse viri Docti affirmant, uti sunt: *Joseph. Scaliger, Thomas Farnab. Samuel Petitus, Johannes Seldenus, Claud. Salmas. Vossii. Stephan. Monachus, David Clericus, August. Buchner*, ut & vir amicus, Dn. *Martin. Mauritii* in liter. nuperrime datis. In quibus hæc habet: Jurare etiam solebant Hebræi per Deum ipsum & quidem hac formula: האלהים, per Deum, uti me legere memini in Talmude, tract. Gittin. f. 7. 1. qua formula jurare solebant Hebræi השמים de quo in Lexico Talm. Col. 2441. unde Anchialum forte deduci posset, maxime si addatur אם חי האלהים si vivit Deus. Conferendus omnino hic est Drusius de tribus sectis Judæorum p. m. 108. ubi de formulis Hebræorum Jurandi peculiare Caput habet. Agmen ducat *Joseph. Scaliger*, quem primum omnium animadvertisse, aliquam Hebræis usitatam jurandi formulam & forte illam *Chiala* vivit Deus hic latere scribunt *Seldenus, Buchner. Cleric.* Sic enim ille ad illos de emendatione temporum libros: Præterea Josephus refert ex Theophrasto περὶ νόμους, *Tyriis* & *Sidoniis* nunquam licuisse jurare, nisi κατεῖους ὅρκους, inter quos ponit κορβᾶν. Et sane mirum est, sanctissimum fuisse jusjurandum *Korban*, ut Judæis חי אלה vel חי יהוה. Sed tempore *Martialis* pronunciabant *Chiala*. Jura Verpe, per Anchialum; Quia Judæos audiebat *Chiala* jurare, propterea putavit esse *Anchalium*, quod vox Anchalius sit notior, quam *Chiala. pag.* 40. *edit. Col.* Hujus acumen prædicat *Farnabius* & huic expositioni subscribit, nisi quod Poeta posuisset *Anchialum* pro notiori vocabulo. Quinimo integrum hoc fuisse Judæorum juramentum contendit. Hinc Syllabam primam a Scaligero omissam per particulam *Im* supplet, ratus, *Anchialum* pro tribus distinctis diversisque vocibus a Poeta usurpari qui ex אם חי אלה i. e. si vivit Deus, aut ignorato sibi, aut male intellecto *Anchialum* fecerit.

Quærit autem opinionis suæ fundamentum, quod mos & consuetudo gentis Hebraicæ fuerit אם in juramentis adhibere, ut *Jerem.* V. 2. ubi simul annotat אם absolute positum in jurando negare *Psalm.* XXCIX. *36.* I. *Reg.* XVII. I. Ex quo Poetam sic explicat: Quoniam te suspectum habeo, non credo tibi neganti per templum jurato &c. Verum adigo te ad juramentum per Deum vestrum, per quem jurato tibi credam. *Petitus* idem tres distinctas voces admittit & primam vertit non ים sed אן quasi אין חי עליון quod Dei nomen ita pronuntiatum fuisse ex Plauto ostendit & ex eo jusjurandum negandi vim habens esse colligit his verbis: Est itaque hoc jusjurandum abnutivum tribus distinctis vocibus An, quod est אין sive אן non חי עליון. Est ergo jusjurandum hominis negantis & inficiantis crimen, cujus accusabatur: Anchialon: *Non vivit Deus*. Unde etiam patet omnino his verbis per *Anchialon* denotari juramentum per Deum, *lib.* I. *Var. Lect. cap.* 16. *pag.* 72. 73.

Clericus calculum addit *Petito*, qui *Martialis* locum ita explicat: Deceptus procul a Judæo, qui per templum juraverat, noli mihi, inquit, per templum Dei jurare, sed jura per ipsum Deum per חי עליון quam vocem Martialis per Anchialum expressit, *vid. Qu. Sacr. qu.* 12. *pag.* 120. *seq.* Horum virorum doctorum opiniones Seldenus quidem suscipit, amplecti tamen recusat. Quare aliunde rationem adsciscit, & apud *Martialem* hanc formulam fuisse putat יפרעחיעולם *iperanchiolam* i. e. ulciscatur aut vindictam sumat is, qui vivit in æternum, si pejeravero. Et incuria librariorum Poetam esse corruptum. Quo ut major sibi habeatur fides multis argumentis corroborare prætendit ex variis firmamentis. Ac primo quidem in eo totus, ut חי עולם: *Chiolam* ex sanctissimis nominibus Dei esse demonstret. Vossius ex חי אלה deducit & formulam juramenti fuisse: Vivit Dominus, & asserit idem esse ac si hodie dicamus: Sic me Deus adjuvet. Sic etiam alii gravissimi viri, *Stephanus* autem *Monachus* scribit, vocem *Anchialum* nec Latinam esse nec Græcam sed prorsus Hebraicam, eamque fluxisse ab חיכליה *Heicalia*, quod significat *templum Dei*. Tunc temporis enim moris erat Judæis,

dæis, ut, si aliquid magna asseveratione affirmare vellent aut negare conceptis verbis per *Heicalia* jurarent, quod sanctissimum erat juramentum, cujus religione se adstringi credebant. Quare tantum abest, ut traditas a majoribus jurandi formulas ipsis neglectas putemus, ut potius summo quodam studio fuisse observatas affirmemus, quod speciatim de jurejurando per *Heicalia* admittendum, quo nihil ipsos frequentius sanctiusque habuisse Judæorum Magistri tradunt. Accedit, quod *templo Tonantis* i. e. Jovis Capitolini, *Heicalia*, sive quod idem est templum altissimi rectius opponatur, quam *Anchiala*, *Hachajolam*, *iperanchiolam* & quæ sunt aliæ doctorum conjecturæ.

His argumentis motus se in Martialis epigrammate legisse scribit *Heicalia*, simulque conjecturas eorum, qui vel *Chiala* Deum viventem, vel *Chiolam*, viventem in æternum intelligunt leviter perstringit. Olim inquit, suspicatus eram, vocem Anchialum non esse vocem Latinam, nec Græcam, sed prorsus Hebraicam, illamque fluxisse ab היכליה quod significat templum Dei. Adeo ut Romanus diceret Judæo: nolo te jurare per templa Tonantis, sed jura per templum Dei, quod juramentum apud Judæos omnium sanctissimum, & quod majori cum religione apud illos solet observari. Et revera jurabant per templum Dei, quod patet *Matth.* XXIII. & apud Talmudistas nihil frequentius, quam juramentum per templum Dei היכליה *Heicalia*. *Sic in tract. Kiddusch. fol.* 70. Cum igitur Judæi jurarent frequentissime per *Heicalia*, & hoc Romanis satis innotuisset, præcipue isti, de quo *Martialis*, non mirum, si Romanus iste rerum Judaicarum non prorsus ignarus, postulet a Judæo juramentum, non per Templa tonantis, sed per templa Jehovæ Dei Judæorum, per Heicalium, quod templum Numinis Judaici designat, & quæ vox apud Judæos erat usus frequentissimi, si ergo vox sit ab Hebræa, non a חי אלה non a חי עלם: non ab יפרעחיעלם mihi petenda videtur, sed ab היכליה quod Hebraice notat Templum Hierosolymitanum, templum Dei Hebræorum. Vid. *Var. Sacr. Tom.* 2. *p.* 84. *seq.*

Prædictæ itaque omnes adversarios expertæ sunt. Namque quæ ad hunc locum proferunt Scaliger, Farnabius, Salmasius, ἀπροσδιόνυσα judicat *Pinedo* negatque his verbis jusjurandum Judæorum conceptum fuisse, quippe non *Chajalah* vel *hachajolum* sed *Chai Adonai* pronunciaverint. Unde nullo modo deduci potest juramentum illud apud Martialem ab his, in quo nihil Hebraicæ eruditionis latet. *Farnabii* opinionem notat *Clericus*, *Clerici*, *Seldenus* uti longa serie probat *M. Gregor. Sigism. Greenius*, in *dissert. de Anchalio* qui tandem colophonem opinionum imponit, dicitque per Ægialum Poetam emendandum quibus rebus calculum addit *Stephan. Monach. Var. Sacr. tom.* 2. *pag.* 83. 84. his verbis: Anchialum forsan vox Græca est & loco *Anchiali* legendum *Aigiali*, quasi dixisset Romanus: O verpe recutite, juras mihi per templum Jovis tonantis quod numen profundissima observantia colere lubens profiteor, & ego prius dictis tuis fidem non habebo, nisi juraveris per litoralem Deum, quem vos Judæi colitis ad litora. Conf. disput. cit. ubi plura.

IV. Cæterum jurare consueverunt *Judæi* באמת per *veritatem*, quam vocem notat *Josephus Albo* Hispanus continere primam, mediam & ultimam literarum Hebraicarum, indeque æternitatem Dei concludit *serm.* 2. *l. Ikkarim*, *cap.* 27. cujus libri authorem *Vir* quidam *magnus*, magno errore statuit R. *Mosen Ægyptiacum*, quod annon *Apocal.* I. *comm.* VIII. Ἐγώ εἰμὶ Α ϗ Ω elucidet, judicent quibus Corculis esse datum est. Tantum saltem abest, ut ex eo *Christus* negetur esse ἀρχὴ ϗ τέλος, tam quoad prioritatem, Naturæ, quod non nemo putabat, ut illo potius egregie stabiliatur ejus nempe æternitas & infinitas. Vid. *Joh. Henric. Ursin. analect. Sacr. tom.* I. *pag. m.* 4. Hinc R. *Jona* apud *Ludovic. Capell. in Spicileg. Nov. Test.* in h. l. ait: *Non jurabit omnino*, ne quidem per agnomina Dei, qualia sunt, *El*, Schadai: neque per Attributa ejus, ut sunt, Channun & Rachum: neque per opera ejus ut sunt cælum & Angeli ejus gloriosi; Sic etiam non jurabit per legem, neque per *veritatem* quia Deus vocatur Veritas &c. ubi vulgata formula bey der Wahrheit / de qua *Carol. M. l.* I. *Capitul.* Sunt qui per Charitatem & *Veritatem* jurant, & cavent se a juramento Nominis Dei, ac nesciunt, quia idem est Deus, quod est Charitas & Veritas. Amplius בחיי המלך per *Vitam Regis* uti cognoscitur ex illo *Josephi* fratribus suis jurantis חי פרעה *Vivit Pharao*, νὴ τὴν ὑγείαν Φαραὼ per vitam *Pharaonis*. Glossa ibi אם חי פרעה *si vivit Pharao* (quod gravissimum Ægyptiis juramentum,) de quo supra actum. Uti & ex illo *Uriæ Davidi*: *Per vitam tuam & vitam animæ tuæ*. *Conf. Buxtorff. Lexicon Rabbino Talmudic. fol. m.* 2314. Per *Altare* במזבח: Hinc legitur in *Echa rab. cap.* 2. 10. במה השביעו ר' יוסי בר חנינה אמר במזבח הפנימי i. e. Quomodo jurare

re fecit eum? dixit. *R. Josia bar Chanina* per Altare interius. Per Hierosolymam: *Tosapht. ad Nederim. cap.* 1. Dicit R. *Judah*, *Qui dicit per Hierosolymam, nihil dicit, nisi intento animo voverit Hierosolymam versus*. Ubi etiam post duas lineas interjectas adduntur hæ jurandi formulæ: *Hierosolyma, pro Hierosolyma, per Hierosolymam. Templum, pro Templo, per Templum. Altare, pro Altari, per Altare. &c.* conf. *Joh. Lightfoot. Hor. Talm. in Matth. c.* 5. *pag. m.* 28. *edit. Lipf.* Porro בעבורה per *Cultum Dei* vel *Fidem*, uti *Baba bathra fol.* 11. quæ formula apud *Talmudicos* usitata. Dixit ipsi: *Per cultum Dei* (id est per Deum) si *in arca eleemosynaria quicquam amplius est*. Et in *Taanith. fol.* 24. 1. dixit ipsis: *Per cultum, per fidem*, ante versuræ sunt filiam meam. Ita in *Joma fol.* 32. 1. *Per fidem* sunt sacra tibi. vid. *Buxtorff. Lexic. Rabbin-Talmud. fol. m.* 1565. & hoc juramentum sanctissimum erat. vid. *Desider. Herald. advers. lib.* 2. *c.* 3. בנביא per *Prophetam* in *Schevuoth. c.* 4. במשה per *Mosen* cujus exemplum est in *Talmud. Hierosolym. Megilla cap. ult. fol.* 75. 3. *Per Mosen, ego aspexi* (sacerdotes benedicentes) *& non avocatus fuit animus meus*, Glossa משה לשון שבועה. Aliud est in *Horajoth c.* 3. *fol.* 47. *col.* 4. *lin.* 4. Per Mosen si adjungat ei aliam, occidet eum. conf. *celeber. D. Miegii tract. de juramentis ex Maimonid. pag. m.* 123. בחייהן לעולם הזה והבא קדושי דבארעא דישראל רבנן: Per *vitam seculi bujus & venturi Rabbinorum sanctorum in terra Israelis* in *Pesachin. fol.* 113. *col.* 2. Per *Sacrificia* ex *Josepho contra Appion. l.* 1. Spectat huc juramentum, cujus *Philo Judæus* meminit περὶ τῶν ἀναφερομένων ἐν εἴδει νόμων quando urgente necessitate πατρὸς ἢ μητρὸς ζώντων ὑγίειαν καὶ εὐγηρίαν, τετελευτηκότων δὲ τὴν μνήμην *Parentum*, qui in vivis adhuc superant, *Salutem* ac bonam Senectam, defunctorum vero *Memoriam* jurare permittit. Verba ejus hæc sunt & ab *Joh. Henric. Ursino in analect. Sacr. tom.* 1. *pag.* 23. adferuntur. Si necessitas, inquit, postulet religionem juris jurandi, *magis decet jurare per Patris aut Matris sanitatem & senectutem prosperam, si vivunt; aut si defuncti sunt, per eorum beatam memoriam. Sunt enim effigies & simulachra Divini Numinis, qui liberos ad vitam de nihilo produxerunt*. Confirmat testimonio *Prisci* cujusdam Sapientis Legislatoris: *jurato per religionem Patris tui*. conf. *Selden. de Synedr. Hebr. lib.* 2. *cap.* 11. *pag. m.* 307. *edit. Amstel.* Per *Decalogum* ac *Libros Sacros*. Hinc legitur in *Aruch*, in שבע secundo: *Qui jurat per decem verba, & per librum legis, nunquam in perpetuum id revocare potest*. conf. sæpe citat. *D. Mieg. in Maimonid.* quo refert *R. David Kimchi v.* 20. *cap.* VIII. *Esaiæ*. לתורה לתעורה שבועה כארם האומר בתורה יהיה כן וכן אם לא שבועה: per legem ac testimonium formula jurandi perinde ac si dicas: per legem erit ita vel ita, atque *nisi* juramentum notat.

V. Alibi בשמים per *Cœlum* ארץ per *Terram* בשמש per *Solem Maimonid.* in *Schevu. cap.* XII. Talmud *Schevuoth. cap.* 4. Si quis jurat per cœlum, terram, solem & similia: sit licet animus jurantis sub his verbis per illum jurare, qui hæc creavit, hoc tamen non est juramentum. Sic in altero loco: *Si quis alium adjuret per cœlum aut terram reus non est*. Jurarunt per cœlum hoc modo test. *Baba Beracot. fol.* 55. השמים כן הוא *per cœlum res ita se habet*. conf. *Selden. de Syned. Hebr. lib.* 2. *pag. m.* 305. *edit. Amstel.* Sane *Philo* laudabat olim eos, qui quoties urgerentur, sacramento rei fidem facere, solitabant hæc tantum verba proferre: τὴν τὸν μηδὲν προσλαμβάνοντες προφάσει τῆς ἀποκοπῆς nihil amplius addentes, titulo vel prætextu brevitatis. Gentiles haud absimiles, ut notat *Scholiastes Aristophanis in Ran*: ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἀρχαίοις, ἔνιοτε μὴ προστιθέναι τὸν θεὸν, εὐλαβείας χάριν εἰώθασιν δὲ τοιούτοις ὅρκοις χρῆσθαι ἐπευφημιζόμενοι. ὥστε εἰπεῖν μὰ τὸν ὄνομα δὲ μηκέτι προσθεῖναι. *Mos erat antiquitus, nomen Dei aliquando juramento non adjicere, pietatis nomine, consueverunt igitur his talibus uti jurandi formulis:* μὰ τὸν, *nomen autem Dei reticere per euphemismum. Pergit vero ille*: ἀλλὰ καὶ προσλαβέτω, τὶς εἰ βούλοιτο, μὴ μὲν τὸ ἀνωτάτω καὶ πρεσβύτατον εὐθὺς αἴτιον, ἀλλὰ Γῆν, ἥλιον, Ἀστέρας, οὐρανὸν, τὸν σύμπαντα κόσμον. *Si quis tamen abruptum illud jurandi genus supplere velit, non statim summam caussam addat; sed Terram, Solem, Stellas, Cœlum atque universum.*

VI. Laudabilis omnino locus, quem jam olim vidit doctissimus *Henricus Stephani Schediasmat. l.* 6. 19. atque hæc in *Judæis* notasse *Salvatorem Matt.* v. 34. seqq. & *Jacobum* Apostolum v. 12. indubium est, quemadmodum & illud natum inde esse *Petronii Arbitri* scomma in *Ebræos Satyricum*, dignum ingenio nequam.

Judæus licet & porcinum Numen adoret.
Et cœli summas advocet auriculas.

Fal-

Falluntur enim qui legunt: *porcinum nomen abhorret* & *cilli* i. e. aſini. Ita *Juvenal. Satyr.* 14. *v.* 97.

> *Nil præter nubes & Cœli numem adorant.*

Illuſtr. *Scaliger* legit *cœli lumen* & doctiſſimus *Pithæus* pro voce *cœli* ſubſtituit *cilli*. Idem Chriſtianis imputabatur quaſi contemptis gentium deaſtris oculos & mentem ad cœli nubiſque conditorem elevabant. Ita ridebantur, quoties ſub *Dio* ad nubes vel ſub tecto ad lacunaria caput erigebant. Gentes hoc feciſſe teſtatur *Ariſtophan. in Neb.* ubi *Socrates* affatur *Strepſiad. Act.* 1. *ſc.* 3. *v.* 28. *ſeq. p.* 751.

> Βϐλει τὰ θεῖα πράγματ' εἰδέναι σοφῶς
> Καὶ συγγίνεσθαι ταῖς νεφέλαισιν εἰς λόγϐς
> Ταῖς ἡμετέραισι δαίμοσιν i. e.

Vin' tu res cœlicas clare perdiſcere, & quales ſint cognoſcere? etiam cum nubibus in colloquio congredi cum noſtris Deabus. Idem in ſeq. *Act. ſ.* 44. pericope. ϛιχῶν

> Σέβομαι γ' ἂν πολετοὶ μαντοι i. e.
> *Veneror vos nubes ſanctæ*

Videntur hæc ſub Perſona *Socratis*, qui ſe nubes dicit colere, irrideri Judæos, non quod omnino nubes colant, ſed ut oſtendat a cæterorum cœtu & cultu abire, q. d. Numen adorant quod *non vident*. vid. *Michael. nota ad Gaffarell. p.* 34. *n.* 9.

VII. Fruſtra autem ſunt, qui per Cœlum *Deum* ipſum hic vel *apud Matth.* intelligunt, quod facit. *Pet. Cunæus de Republ. Hebræorum lib.* 3. *c.* 6. Nec auſim affirmare *Judæos* ob id *cœlicolas* dictos. *C. de Jud. & Cœlic.* ſed potius aſſentior celeberrimo *Petito. lib.* 2. *c.* 11. *variar. lect.* qui eos Chriſtiano-Judæos fuiſſe cenſet, ſacro quippe lavacro luſtrati fideique myſteriis initiati ritus ſaltem Judaicos amplectebantur, neque tamen illi *Apoſtatæ*. Vocantur enim ab *Imperatoribus ſecta*, cujus vel nomen antehac inauditum fuerat. conf. *Dilber. Diſſert. pag. m.* 82.

VIII. Juramenti etiam *Korban* frequens apud Autores ſit mentio. Citat etenim *Joſephus lib.* 1. *contra Apionem Theophraſtum* ἐν τοῖς περὶ νόμων atque ita loquentem introducit: Κωλύϐσιν οἱ Τυρίων νόμοι ξενικϐς ὅρκϐς ὀμνύειν, *probibent Hebræorum leges peregrinis uti juramentis*. In quibus eum enumeraſſe ait, τὸν καλϐμενον ὅρκον Κορβὰν, & addit: παρ' ϐδενὶ δ' ἂν ϐ͂τος εὑρεθείη, πλὴν μόνοις Ἰϐδαίοις δηλοῖ δ' ὡς ἂν εἴποι τις ἐκ τῶν Εβραίων μεθερμηνευόμενος διαλέκτϐ δῶρον Θεϐ͂ *nullibi etenim juramentum illud, quod dicitur* Κορβᾶν *occurrit, niſi apud ſolos Judæos. Idem vero eſt, ac ſi quis ex Hebræo interpretetur, Donum Dei*. Ejuſdem meminit *Sanchoniathon in Phæniciis*. Huc referunt nonnulli illud vexatiſſimum e Digeſtis Evangelicis: δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμϐ͂ ὠφεληθῆν. Quam jurandi eſſe formulam apud *Judæos* multis hactenus perſuaſerunt *Viri* longe *doctiſſimi* Juramentum nempe Κορβᾶν ſive ἐν τῷ δώρῳ cujus *Matth.* XXII. 16. 18. meminit, cum præſenti formula peſſime confundentes. Hoc magis miror *Ariam Montanum* in notis ad Evangeliſtas hunc ſibi verborum ſenſum fingere: *Sanctum munus juro, me eſſe damnatum, ſi quid proficiſcatur ex me, quod tibi proſit*. Et quidem ex mente *Hebræorum*, cum tantum Virum latere non potuerit maxime ab iis diſtingui נדר votum & חרם ἀνάθεμα נזירות *Naſireatum* ac שבועה juramentum, ut vel ex C. נדרים *de votis c.* 1. §. 1. conſtat.

IX. Formulam autem *Matth. ac Marci* Evangeliſtarum vovendi eſſe, non jurandi ex *Maimonid.* ſaltem liquet. Illi vero *Votum* aliud eſt הקדש *de re ſacra*, ut הבית *templo* ac מזבח *Sacrificio*; aliud איסר *interdicti*. Et hoc vel מאכל *cibi*: πραξαποςόλϐ XIII. v. 12. 21. vel הנאה cujuſcunque rei proficuæ. Illa ſi diſertis verbis concipiuntur נדרים עקרים *formalia vota* Hebræis dicuntur; ac modo intregre formantur, hac fere formula: ככר זה עלי כקרבן *particella hæc ſit mihi inſtar Corban*. Quo nempe nec veſci vel tangere nefas erat. item לך קרבן שאני נהנה *Corban mihi eſto, quomodocunque commodis tuis velificari poſſem*, id quod *Helleniſtæ* κατὰ πόδα expreſſerunt: δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμϐ͂ ὠφεληθῆς, munus ſacrum, ſeu res devota ſit, quo tibi prodeſſe poſſim. Sive illud, quo juvari petis at poſſes, *Deo* jam ceſſit, uti mavult *Daniel Heinſius. Exercit. Sacr. ad N. T. l.* 1. *cap.* 11. qui tamen præter crimen falſi in allegando *Jario*, nihil novi huic loco attulit. Modo vero abrupte ירות cujus hæ quaſi formulæ erant: *Abſit, interdictum eſto, quicquid ego a Te*, ſubintellecta voce אוכל vel הנאה *cibi vel commodi capero*. Item שאני טועם vel אוכל לך ſupplendo אסור vel קרבן *nefas ſit cibum capere tecum*. Sin æquipollentibus verbis enunciantur נדרי כנויין Hebræis appellantur, quæ per קונם קונם ac קונה vicaria ac Synonyma τϐ͂ Κορβᾶν concipiuntur, ſicut hæc latius deduxit vir nobiliſſ. *Ludovicus Capellus peculiar. diatrib. ad Matt.* XV. 5. Qui omnino acute obſervavit *Miſnam* 4. addere הקרבן eſſe כקרבן ſenſus eſt: qui dicit, *Corban mihi hoc eſto*, idem dicere, ac, *ſit mihi inſtar Corban*, res nempe illicita atque prohibita. Formula igitur Evangelica voti eſt formalis, &

qui-

quidem interdicti הנאה non vero juramenti. Nisi forsan dicendum, Votum illud ab *Hebræis* modo sine, modo sub juramento conceptum fuisse, quo tanto fortius se obstringerent, id quod *Philonis* locus insignis evincit: testatur enim libro laudato περὶ εὐορκίας ϗ σεβασμȣ̃ fuisse in Judæis, qui jure jurando se obstrinxerint, τȣ̃ δεινὶ μὴ ῥέξειν ὠφέλειάν τινα, ἢ παρ' τινὰ λήψεσθαι: *non benefacere alicui, nec* beneficium ab eo accipere velle. Quod est נדר הנאה etiam μέχρι τελευτῆς *usque ad mortem*, maxime cum inter כנויין לשבועה recenseatur quoque נדר hac serie.

X. Ita vero edocti Judæi erant a suis Doctoribus, si quis voto illi se obstrinxisset, non liceret ulli hominum id rescindere, nec parentibus, neve liberis. Clarissime hoc docetur *Cod.* נזיקין *part.* I. בבא קמא *cap.* 9. §. 10. Si quis filio suo dixit: res devota Deo sit, quicquid ex meis tibi proficuum esse posset; (קונם namque est, ut loquuntur Magistri Hebræorum כינוי לקרבן æquipollens τȣ̃ Κορβᾶν) si quando obiit, filius ejus hæres est, sin de vita ac morte sua votum illud intellexit, tum, sicubi objerit, filius ejus hæres non est, sed filiis aut fratribus suis bona ac hæreditatem cedit. Alia loca quamplurima collegit *Johann. Coccej. ad Cod. Sanhedr.* & מכות *de judiciis ac pœnis*, e quibus illa C. נדרים *cap.* II. §. 4. קונם עושה על פי אבא *Sacrum ac devotum esto, quicquid in gratiam parentis facere possem*. R. *Nissim*: *Quicquid paravero esto parentis meo* velut Κορβᾶν *Sacra oblatio*. Ex quibus constat, utrorumque impietas & parentum erga liberos, qua, sub prætextu voti vel maxime nefandi, filios suos exhæreditabant, & liberorum erga parentes. Utrique facultates suas Deo devovebant, ita ut cum jurandi essent parens aut filius, votum prætenderent oblationis, eoque se excusarent, quasi jam omni pietatis officio ex asse defuncti. Atque huc respexit *Lutherus* interpretatione sua vernacula: Wenn ichs opffere / ist dir es viel nuker. & *Angli: By the gift that is offered by me, thou mayest have profite: quicquid obtulero, tibi commodabit*. Syrus quoque bene קירבני מנם דתתהנא מני *Oblatio mea est id, unde utilitatem capies ex me*, e versione olim Judæi, Tremellii, quam tamen alii emendarunt: oblatio *sit*, quicquid ex me utilitatis *ceperis*, ut *Cochus*, vel *caperes* ac *lucrareris* uti Cl. *Ludovic. de Dieu*. Idque ἐὰν junctum subjunctivo exigere videtur q. d. munus Deo consecratum nec tibi petere licet, nec mihi concedere: Sic denique Arabs. Κορβᾶν *venerationem lucraberis a me*. Et quamvis πολυθρήλλητον sit inter Judæos illud *Hiscuni*: *Tenetur filius alere parentem, vel ostiatim emendicando stipem*, hoc tamen, voto obstante, non fuisse observatum exemplis probari posset, si operæ pretium esset. Ut taceamus Ἀρχαῖοις in tali casu potuisse dispensare, etiam insuper habito præcepto de honorandis parentibus, sicut & חכמים *sapientes* multos a votos προπετῶς facto absolvere poterant, etiamsi ei addidissent, *non licere illud* ἄκυρȣν aut *irritum facere*, ut in causa *inter parentes* & *filium* in *honorem illorum*, ut nimirum filius iis subvenire posset in casu extremæ necessitatis. Hoc namque persuaserant discipulis suis, majorem deberi reverentiam ac honorem Magistris quam ipsis parentibus, ita *Moses Ægyptius Tom.* I. הלכות תלמוד תורה *cap.* 5.

XI. Non itaque assentiri possumus Viro stupendæ Lectionis *Samueli Petito*. *Var. Lect. lib.* I. *cap.* 4. qui ductus autoritate Legis ab *Hiscuni* traditæ, quam nullam pati posse exceptionem frustra supponit, verius putat, *Corban* ab *Evangelistis* dici, qui ex *Levit.* XXVII. sacro se devovebant ministerio. Testem laudat *Josephum Antiquit. Judaic. lib.* 4. *cap.* 4. qui postquam de *Nasiræis* egisset, quos male cum τοῖς Κορβᾶν confundit *Baronius* ad *A.* LIII. *num.* XXXV. meminit eorum, qui se ipsos *Corban* nominabant & perinde ac *Nasiræi* Deo ex voto se consecrabant, adeoque ad ministerium sacrum ultro ad tempus obligabant. Liberos itaque cum hac exceptione vel prætensione se tueri potuisse adversus parentes, ne honorem illis haberent lege sancitum; hac fere formula: Δῶρον *Dei sum dicatus*, ὃ ἐὰν ἐξίμȣ̃ ubi vacabo a liturgia, ὠφεληθῇς *tibi adero ac juvabo*; ita censet vir ille eruditus, sed absque populi suffragio, repugnante phrasi & quotquot sunt *Apellarum*. Longe sagacius *Josephus Scaliger* ad complendum integrum textum subaudit לא אסור ἀναίτιος ἐςί. *Elencho Tribæres. Serar. cap.* 9. hoc fere sensu: *Qui dixerit Patri aut Matri. sit tanquam devotum Deo quocunque tibi prodesse possem, is crimine vacat*, nec non Anglicana: *though he honour not his father or his mother, shall be free*, etiamsi parentes non honoraverit, expers erit criminis. Luther. Ihr aber lehret: Wer zum Vatter oder Mutter spricht: Es sey als ein Opffer und eine geheiligte Gaabe dem HErzen / wormit ich dir helffen solte / oder das dir zu nuken kommen konnte / auff daßer also seinen Vatter und seiner Mutter nichts gutes thue / der erfüllet das Gesäke. Atque hæc occasione jura-

ramenti Judaici KORBAN. Plura qui desiderat evolvat disputat. *Balthasar. Stolberg. Profess. Witteb. exercit.* x. *cap.* 11. *pag. m.* 393. *seq. de Corban. Joh. Lightfoot hor. Talmud. pag. m.* 535. *edit. Lips.*

XII. Sed nec dubitamus adserere *Amen* apud Judæos jurandi esse formulam, quod tamen negat *Anglus* Doctissimus *Nicolaus Fuller. Miscell. Sacr. lib.* 1. *cap.* 2. aliique argumentis sane leviculis, nempe ex Hebræorum sententia nihil aliud esse, *quam corroborationem sermonis ac confirmationem: Arabem* semper uti ejus loco אלחק ἀληθῶς. In *Veteri Instrumento* nuspiam juramentum signare, quin repugnare illi jurisjurandi naturam, cum Deus non interponatur testis nec judex. Commenta hæc sunt & febricitantium suavisomnia. In iis enim juramentis, quæ a Judicibus deferebantur, ac solenniter in judicio fiebant, reus a Judice adjuratus respondebat *Amen* uti hoc constat ex *Talmud. tract. de juramentis*, quem Latinitati dedit D. *Miegius Profess. Heidelb. quondam celeberrimus*. Ut autem plenius hæc constent, exemplo nobis sit processus mulieris adulterii suspectæ *Num.* v. Ubi I. sistitur rea coram judice, qui adjurabat eam juramento execrationis omnium maxime horrendo, quam expressit Lutherqs his verbis: Der HErr setze dich zum Fluch und zum schwur unter deinem Volck. Tunc respondere tenebatur *Amen*, *Amen*, hoc est, *Sic faciat Deus*, *sic faciat Dominus*: Confirmet Dominus verba tua. Interim quæ de hoc vocabulo *Amen* inter eruditos disceptentur, cognoscere possumus ex *Chemnitio Evangel. harm. pag.* 275. *Gerhardo.* contin. *harmon. pag.* 1550. *Glassio Philol. S. lib.* 3. *tr.* 5. *Can.* 16. *pag.* 468. *Fullero. lib.* 1. *Miscell. Sacr. cap.* 2. *Walthero. Spong. Mosaic. p.* 464. *Ludovico de Dieu. in Comment. ad Matth.* v. *pag.* 8. *seqq. Belgis in annot. ad h. l.* B. *D. Gejero* in *Psalm.* 41. 14. *pag.* 806. *Dilherr. Elect. p.* 213. *Tarnov. in Joh. pag.* 174. *Wagenseil. in Sota p.* 379. *Arnold.* in *addit. ad Wagenseil. Sot. p.* 1185. *Castell.* in Lexic. Heptaglott. in אמן *col.* 143. *ubi Berachoth. fol.* 47. *&* 57. *allegatur. Pol. Synops. Critic. Saubert. Palæstr. Theol. Philol. pag.* 125. *Scheringham. Jom. cap.* 3. *Lighfoot in Matt.* 13. *edit. Lips. pag.* 301. *seq.* Et aliis quam plurimis. Verum ad nostrum regredimur scopum affirmantes formulam jurandi apud Judæos fuisse, testis hujus est R. *Maimonid.* cujus verba ex *versione* celeberrimi *Miegii* pag. m. 117. hæc sunt: sed quomodo res se habet in judiciis? ita: *Si dixerint ei* (judices) *adjuramus te per Dominum Deum Israelis*, vel per eum, cujus nomen est benignus vel Misericors, nihil quicquam huic a me deberi, atque ille respondeat Amen. Certe ὁ δεῖνα filius τοῦ δεῖνα maledictus est per nomen Dei Israelis, aut per eum cujus nomen חנון (i. e. per ipsum Deum) si sunt apud illum opes N. nec ei fuerit confessus, sed respondeat *Amen*, juramentum hoc est judiciale. *Arabs* vero non aliter ac *Syrus* אמן Hebraicum plerumque retinent. Et quid fiet *Esaiæ* LXV. 6. הנשבע בארץ ישבע באלוהי אמן: *qui jurat in terris jurabit in Deo Amen*. Ubi annon Deus interponatur testis ac judex? judicet *Fullerus citat. loco*, quemadmodum & *Apocal. Joh.* 3. 14. Ἀμὴν τὸν πιστόν Christum dici constat. Et frustra omnino sunt, qui ἀμὴν καὶ ναί, ubique ἰσοδυναμοῦντα censent, quos vel 2. *Cor.* 1. 20. fefellit, sane *Galat.* 4. 6. *Rom.* 8. 15. in Ἀββᾶ πατήρ unum videtur exegeticum alterius, formula enim adoptionis Judaicæ ibi est expressa, qua servi servæque Dominos suos adoptantes *Abba*, ac Dominas *Imma* compellabant, quod illis alias licitum non erat. *Gemara Babylon.* hæc habet: *Servi & Ancillæ non vocant Dominum* Abba *patrem*, *nec Dominam* Imma *matrem*, quod *Apostolo* est κράζειν ἀββᾶ. Ut nollem omnino doctissimum *Capellum* tam operose lucem huic verbo e Græcia fœnerari voluisse. Invitis adeo *Hebræis*, sed ἐξήγησιν locum hic habere inficiamur. Operæ pretium quoque esse duximus verba cl. *VVagenseilii* facile in hoc literarum genere principis hic adducere ex *Baal Chasidim*, scil. quod vocis אמן *literæ more Cabbalistico ad numeros redactæ*, *utrumque Sanctissimum tetragrammaton* יהוה & ארני complectantur. Alias etiam per *Notaricon*, (qua de figura legatur cl. *Johannes Henric. Hottingerus thesaur. Philolog. pag.* 450.) a *Cabbalistis* hanc vocem explicatam testatur *Helvicus disp.* 12. *tom.* 4. *disput. Giessens. pag.* 293. ex *Sanhedrin cap.* 11. *fol.* 111. *lin.* 1. & *Glassius Philolog. Sacr. lib.* 3. *tr.* 5. *can.* 16. *pag.* 468. ex *Dinckelio. Orat. de Hebr. Ling. N.* 4. Scilicet literis hujus vocis aliarum vocum initiales respondent, nempe אל מלך נאמן *Deus rex verax.* conf. *Andr. Acoluthii tract. de aq. amar. pag. m.* 32. *edit. Lips.* 1682. *item Samuel. Petit. Var. lect. in oper. Crit. edit. Francof. fol. m.* 350.

CA-

CAPUT XI.

De Ritibus variis Judæorum in Juramentis obſervatis.

I. RItus primus in juramentis, cujus mentio fit in Scriptura Sacra eſt ille, quem uſurpavit *Abrahamus Geneſ.* XIV. 22. ubi Regem *Sodomæ* his alloquitur verbis: *Extuli manum meam ad Jebovam*, h. e. *juravi*, me non capturum eſſe vel filum, vel corrigiam calcei tui. Et Abrahamus dicere volebat: *Juravi elata manu ad Jebovam, & Deum quaſi in teſtem vocavi*. Sic de ſe ipſo loquens Deus *Deut.* XXXII. 4. inquit: *Attollo ad cœlos manum meam, & dico, Vivo ego in æternum*. Rurſus, *ſic ait Dominus Jebova, quo die eligens Iſraelem, ſublata manu mea ſemini domus Jacobi*, juravi, *Ezec.* XX. 5. *6.* Nec enim in precationibus ſolum cœlum verſus manus levabant, uti oſtendit *Guilelm. Stuck. in deſcript. Sacrif. Gentil. edit. Tigur. fol. m.* 87. & *Homer.* ſæpiuſcule: ſed etiam jurantes idem ſolenniter faciebant: τὸν οὐρανὸν ϗ τὴν γῆν ἔθος μαρτυροῦντες, *Cœlum & Terram pro more atteſtantes*, ut recte obſervavit *Nazianzen. Orat.* 27. & crebro occurrit in Scriptura Sacra. Teſtes invoco hodie cœlum & terram *Deuter.* IV. *26.* ubi ſane per elevationem manus nihil aliud ſignificatur quam juramentum quod ipſe Deus hoc quaſi ſigno more humano loquendo, præſtat uti explicat *Anglus Henric. Ainſvvorth. in Comment. ad Geneſ.* 14. & *fol.* 155. *in Deut.* quo loco ita differit: *VVhen i lift up my hand, VVbich is a ſigne of Svvearing as in Gen.* XIV. 22. *Exod. 6.* 8. *Num.* XIV. 30. *So the Greeke here explaineth. it, i VVill lift up my hand unto heaven, and ſvveare by my right hand* i. e. Cum elevarem manum, quod ſignum Juramenti erat. Ita Græcus hic explicat; elevabo manum meam verſus cœlum & jurabo in dextra mea.

II. Præprimis autem locus *num.* XIV. de juramento Dei agit ad exſtirpandum ſemen *Amalekitarum*. Quam autem *Scaliger* jurisjurandi formulam ſuper thronum Dei, quam hic interpretes concipiant, ſuggillat, pro ea Hebræorum conſenſum, puta *Onkeloſi, Jonathæ, Paraphraſ. Jeroſolymitan.* R. *Salomon. Aben-Ezræ* videbis *Chriſtopb. Carthvvighti electis Targumico-Rabbinicis* ad *Exod. pagin.* 219. 220. cui ipſi eadem maxime expoſitio cum *Sixtino Amama* arridet, quam & verſioni vulgatæ adaptari poſſe cenſet *Serarius in Joſ. lib.* 1. *cap.* 3. *quæſt.* XXV. *fol.* 73. ibi, quod *vulgata* habet: *manus ſolii Domini*, *Serarius* interpretatur, *Dei manum in ſolio ad jurandum collocatam*. Atque ita antiquiſſimos Hebræorum accepiſſe, præter citatos a *Carthvvighto Targumicos* arguit, quod in *Pirke.* R. *Eliezer cap.* XLIV. *fol.* XXXIII. *col.* 4. *edit. Prag.* legitur: R. *Schilo ait: cum vellet Deus exſcindendum exterminandumque innuere omne Amalekitarum ſemen, quid fecit? ℞. extendit manum dextram ſuam & apprebendit thronum gloriæ ſuæ juravitque* &c. vid. pluribus *Reverend. Carpzov. in not. doctiſſ. ad Schickard* משפט המלך *pag. m.* 290. *edit. Lipſ.* Manus dextræ cœlum verſus elevatio adhibebatur autem in Jumentis ἑκουσίοις quæ quis ſponte ſuſcepit & non ex alterius imperio, uti refert Anglus *Doctiſſimus Robert Sanderſonius in tractat. de juramenti Promiſſorii obligatione edit. Londin.* 1646. quem benevole mihi e bibliotheca inſtructiſſima *Excell. Juris Conſultus Hertius noſter* communicavit, *pag. m.* 164. Quem ritum ſive ex *Hebræorum* imitatione, ut plurima alia, ſive ductu quodam naturæ quaſi Deum intuentes, quem ὑπέρτερα δώματα ναίειν crediderunt, plerarumque gentium populi obſervarunt, veluti primo *Latinus* & deinde *Æneas* ſublatis hoc modo manibus invicem jurantes inducit *Virg. Æneid.* 12. ita canens:

> *Sic prior Æneas, ſequitur ſic deinde Latinus*
> *Suſpiciens cœlum, tenditque ad ſydera dextram*

Simile quid adfert *Ariſtoteles polit. lib.* 3. *cap.* 10. de priſcorum *Heroum* gubernatione ibi differens, & quomodo regna ſua adminiſtrabant alias jurati, alias injurati: *jusjurandum autem erat ſceptri elevatio.*

III. Et ſi conjecturare licet ab exemplo Abrahami hoc hauſerunt, qui primus præluxit exemplo ſuo, ſed & hoc nullo, quod ſcimus, mandato ſubnixum. Qui ritus nihilominus ita poſtea invaluit apud ejus poſteros, ut per metonymiam adjuncti illa phraſis levandi manum pro ipſo actu jurandi frequenter poſita reperiatur, imo & ipſa vox ימין quæ proprie dextram ſignificat *Hebræis* & Arabibus pro juramento non raro accipiatur. Quamvis τὸ levare manum interdum aliter ſumatur teſte *Martino de Roa in Singul. pag. m.* 30. ubi ad illum *Jobi* locum *cap.* XXII. Si *levavi ſuper pupillum manum meam*, ita commentatur: *Levare manum ſuper aliquem*, idem eſt, quod manum alicui ſive in aliquem injicere, perinde atque in rem ſuam, & ſuo ſibi jure vindicandam. Quare levare aut tollere manum ab

ab aliquo, Latinis eſt, remittere vel condonare alicui aliquid. Hinc Jobum ſic explico. *Si levavi manum meam ſuper pupillum*, i. e. ſi unquam ego manum cum aliquo conſerui, aut debitum mulctamve reperii apud Judices, tametſi apud eos majore gratia valerem. Interim tamen *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 7. *pag. m.* 534. 535. noſtræ opinioni accedere videtur dicens: Sunt qui vertunt: *Non levabis manum*. Qui geſtus interdum jurantis eſt, interdum vocantis, alias minantis aut percutientis, uti *Ezechiel.* xx. 23. *iterum levavi manum* ut diſperderem, ſeu pœnam infligerem. Quanquam alii adjurandi formulam referant, ut ſenſus ſit: jurejurando iterum comminatus ſum. Unde aliqui interpretum illa verba *Pſalm.* 144. 8. & 11. de juramento intelligunt: *Quorum os loquitur vanitatem, & dextra eorum eſt dextra iniquitatis* vel potius *mendacii* ſive *falſitatis*, id enim proprie ſignificant Hebræa ימין שקר.

IV. Quem proinde ritum jure miramini in Chriſtianis Eccleſiis non tolerari modo, ſed & approbari ab ipſiſſimis illis viris, qui tamen alios Veteris Teſtamenti ritus (cum ſint ejuſdem rationis omnes aut liciti pariter, aut illiciti) a Chriſtianis uſurpari adeo non probant, ut ne tolerent quidem, ſed e cætibus ſacris penitus exterminandos clamitent. Quod attinet ad ritus Chriſtianorum, ut reliquas priſcæ Eccleſiæ ceremonias varias, varieque pro locorum & temporum varietate obſervatas miſſas faciam: Una fere eſt, quæ a priſco ſeculo ad nos uſque derivata, etiamnum in uſu eſt, ut *tactis Sacroſanctis Evangeliis* in verba concepta jurent. Et hoc omne genus juramenti, in quo præter verba prolata, adhibetur etiam aliquis externus viſibilis motus corporalis, ut tactus pectoris ſeu levatio manus dici ſolet, *Juramentum Corporale*, *Balſamoni* σωματικὸς ὅρκος: Ein Cörperlicher Eyd. Inde in vulgi paſſim ore auff meinen Cörperlichen Eyd & Angli *upon my corporall Othe*. Juris conſulti Græci item dixere eodem in ſenſu σωματικῶς καὶ τῇ ἀληθείᾳ ὀμνύειν *corporaliter* & *reapſe ſeu veritate jurare*, ita diſcriminantes ab eo, quod erat, ubi ἐνεγράφη τῷ συμβολαίῳ μόνον ὁ ὅρκος inſcriptum eſt inſtrumento ſeu ſcriptis ſolum juramentum, ſeu inſtrumento per Sacramenti religionem eſt adſeveratum. Ex Jure Cæſareo, jurant *tangentes Sancta Evangelia* clauſula addita: *Ita me Deus adjuvet & hæc Sancta Evangelia*. So wahr mir GOtt helffe und ſein Evangelium. Alii etiam per res Sanctas, ut Sanctum aliquem, Reliquias, Crucem, Altare, Hoſtiam jurandum ſolum volunt. In jurando autem *manus extenſio* quæ ſæpius tum pectori adhiberi, tum in aere fieri libero ſolet.

V. Interdum jurans ponebat manum ſuam ſubter femore alterius, cui jurabat. Legimus ita Abrahamum adminiſtraſſe hunc jurandi modum. *Gen.* xxiv. 2. & *Jacobum* Gen. xlvii. 29. Quam ceremoniam quidam exponunt eſſe ſubjectionis ſignum uti pluribus oſtendit *Joh. Henric. Heidegger. in hiſtor. Patriarcharum* in h. l. quem benevol. Lector evolvere velit. *Aben-Ezra* eadem vult ita ſcribens: *Probabile mihi videtur, morem fuiſſe temporis ejus, ut jurarent poſita manu ſub femore ejus, qui Dominus ac ſuperior eſſet: perinde ac ſi ita diceret Dominus. Si tu ſub poteſtate mea es, adeoque paratus ad juſſa mea capeſſenda, pone manum tuam ſub femore meo: quo dicto Dominus ipſe ſedere ſolebat, poſito femore, ſub jurantis manu. Qui autem jurabat, ſic dicebat: Ecce manus mea ſub femore tuo. Fateor me tibi obſtrictum ad faciendum voluntatem tuam. Et conſuetudo hodieque eſt regionum quarundam, nominatim in India*, conf. *Joh. Doughtæi analect. Sacr. part.* 1. *pag. m.* 17. Probabile etiam videtur, quod talis ritus *manus admotione ad femur* perageretur, & *dextræ* quidem, quia ad fidem faciendam pangendumque juramenti lege fœdus, illam adhiberi ſolenne Patriarchis erat. *Judæis* enim non ſecus ac *Ethnicis* dextra fidei ſymbolum antiquitus extitit. De Judæis id patet ex capite xxi. *Samuel.* in quo hæc verba comparent: *Apprehenditque manus dextra Joabi manum Amaſæ*. De Gentilibus idem conſtat ex *Terentio*:

> *Quod ego per hanc te dextram oro*
> *& per genium tuum*
> *Per tuam fidem per hujus ſolicitudinem*
> *Te obteſtor.*

Ubi *Donatus*, inquit, fœderis ac fidei membrum erat dextra, nempe quia hæc ſanciuntur dextrarum conjunctione. Unde *Maro* de *Anchiſe*: *Dat dextram atque animum præſenti pectore firmat*: conf. *Joh. Bompartii parallela Sacra & profana*, *edit. Amſtel.* 1689. *pag. m.* 237. videatur etiam Anglus *Robert. Sanderſon. de jurament. Promiſſ. obligat. edit. Londin.* 1646. *pag. m.* 163.

VI. Alii dictitant hunc ritum fuiſſe myſterium *circumciſionis* cujus notam ferebant circiter eum corporis locum, *Salom. Jarchi* ibid. Aliis videtur probabilius, fuiſſe *myſticum ſignum Chriſti promiſſi ſeminis*, quod naſciturum eſſet ex lum-

lumbis *Abrahæ* aut femore, quemadmodum ſimilis loquendi modus uſurpatur *Gen.* XLVI. 26. *Animæ egreſſæ ex femore Jacobi. Auguſt. quæſt. ſuper Gen. 62. Targum Jonath.* ſic legit: *Jurare te faciam in nomine Sermonis Domini, cujus habitatio eſt in cœlis excelſis, ille eſt Deus cujus Dominium eſt ſuper terram.* Verum mihi hic ſuſpicari ſubiit, femoris voce non tam *femur*, quam *baltheum* ſignificari. Itaque examinandum proponam, utrum intelligi poſſit in femore baltheus ſive gladius, qui geſtatur ad femur, quo tacto & jurantis ſervitus & imperium agnoſcitur adjurantis. Olim qui ſe Regum clientelæ dedebant, tacto gladii capulo, (uti antea dictum) obſequium polliceri ſolebant, ut ſcribit *Saxo Grammaticus lib. 2. Hiſtor.* Ac ſi verum eſt, ut plerique affirmant, quod *Aben-Ezra* pronunciavit, geſtum illum ſubjectæ femori manus, nihil aliud, quam ſervitutis & obedientiæ profeſſionem: quid aptius ad id ſignificandum, quam *baltheus*, *gladiuſve*, qui, ut poteſtatis inſigne, uti qui manum ei ſubjiciat, ſuam neceſſe eſt obedientiam profiteatur, & ſimul etiam potentiam, ſive dominationem illius, qui geſtet. Nam ut producta manus, atque impoſita, dominationis atque potentiæ ſymbolum eſt; ita contracta & ſubdita ſubjectionis. Perinde autem facere videtur, qui manum femori, ſive baltheo ſupponit, ac ſi diceret: ſub manu & poteſtate tua ſum; me tibi imperioque tuo ſubjicio. Manus itaque extenta & ejus impoſitio in Sacris literis ſignificat, potentiam exercere. Contracta vero eſt impotens. Ita olim apud Perſas in more poſitum fuiſſe videtur, ut qui Regi occurrerent manus intra *manicas* cohiberent, ut ſe inferiores profiterentur. Docet *Xenophon lib. 2. Rer. Græc. Antobiſacem* & *Mitreum* filios *Daræ* quæ ſoror *Xerxis*, patris *Darii*, a *Cyro* non aliam ob cauſam necari juſſos, niſi quod ſibi occurrentes manus intra manicas non contraxerant. Scilicet ut profiterentur ejus imperium, & ſuum famulatum atque impotentiam.

VII. Verum, ut ad ritum illum jurandi redeamus, monemur, nihil obſtare Patrum explicationi, quod *femur* pro *balteo* capiatur. Imo illuſtrior multo & locupletior exiſtit ſignificatio ejus myſterii, quod inveniunt; cenſent enim in tacto femore adumbratam eſſe generationem *Meſſiæ* ex femore, i. e. ex ſtirpe & genere *Abrahæ* propagandi: ipſumque *Abrahamum* eo ſigno profiteri & conteſtari voluiſſe fidem ſuam juxta factam ſibi a Deo promiſſionem *Geneſ.* XII. 22. Ex eo enim, quod *balteus* ſive gladius tangatur, qui femori adhæret, non modo generatio veri Meſſiæ, ſed & ſummum ejus Imperium adumbratur, quod ipſe poſtea in balteo, quo ſe ſuccinctum *Johanni* oſtendit, atque in ejus inſcriptione ſignificavit. Eſt qui manum balteo ſubdit, & femur etiam, cui incumbit, attingit: ut & generationem Chriſti, & regiam ejus dignitatem eodem ſigno ſimul profiteatur. Imo ut notarunt *Hieronymus*, *Auguſtinus* & alii ex Patribus in *Pſalm.* 44. ad illa verba: *Accingere gladio tuo* &c. Verbum Patris, gladius Spiritus eſt, qui femori humanæ carnis unitus, caro factum eſt, & Regis in morem gladio ſuper femur accinctum. Sed ut explicatio iſta de tactu *baltei* non abſurda alicui videatur in *Abrahamo* bene valente; videbitur fortaſſe in *Jacobo* qui *cap.* XLVII. 29. Cum appropinquare cerneret diem mortis ſuæ, vocavit filium ſuum *Joſeph* & dixit ad eum: Si inveni gratiam in conſpectu tuo, pone manum tuam ſub femore meo &c. Nam ætate illa tam devexa ſupra centum quadraginta annos & amplius, non videtur veriſimile, gladio ſuccingi ſolitum, quem filius tangere potuiſſet; maxime, ſi, ut ſentiunt aliqui, eo tempore decumbebat ægrotans. Verum reſponderi poſſet, non opus eſſe, ut gladio eſſet accinctus, ſed balteo, ſive cingulo tantum, in quo eadem, quæ & in gladio ineſt ſignificatio. Nam & Hebræa vox, quam noſter vertit, *femur*, latus præcipue ſignificat. Nec ægrotabat tam ſenex, ut alii exiſtimant, ſed, quia ingraveſcentem ſentiebat ætatem, apte de mortis vicinitate conjecturam faciebat. Adhuc tamen de moris hujus & jurisjurandi ritu, ut diximus explicato nihil aut ſtatuimus aut docemus, ſed Doctorum judicio plane permittimus.

VIII. Prodigioſum quoque ejuſcemodi exemplum in jure Græco Romano, quod citat cl. *Johannes Seldenus Anglus in lib. 2. de Synedriis Hebræorum pag. m.* 301. *edit. Amſtel.* Ubi Judæorum quilibet in forenſi negotio, adjurandus, *Rubo* cingendus fuit, & per *Baraſe*, *Baraa* (forte depravatum ex בורא השמים והארץ *Bore haſchamaim vearez* Creatorem Cœli & Terræ) *Adonai Eloi* qui traduxit ſiecis pedibus Iſraelem per Mare rubrum &c. (adjectis ſcil. beneficiis Divinis, Aquæ e Saxo, Mannæ, Coturnicum) per eam legem quam Adonai dedit, & Actum conſpuendi circumciſionem corporis mei, & Rubum, quo cinguntur lumbi mei. Non falſo aut mentiendo juro nomen Domini Sabaoth. Sed ſi falſo juro, execrandi ſunt poſteri ventris mei, more

cæci parietem palpando quæram, & instar ejus qui oculos non habet, cadam. Cum hisce omnibus Tellus aperiat os suum, meque absorbeat ut Dathan & Abiran. Absque autem ritibus illis *Rubi*, *Cullei*, *Maris*, obtinuit apud Christianos posteros, ut adjurarentur Judæi in foro Christiano secundum legem suam, super decem præceptis Mosis; vel sic, Juras tu per Deum Patrem omnipotentem Sabaoth? vel per Deum qui apparuit Mosi in rubo? vel per verum Adonai patrem? vel per Deum *Elohim*, & hujusmodi, quibus respondendum a Judæo *Juro*, vel sic, si tu culpabilis es & perjurus, sis dispersus in Gentes, & moriaris in terra inimicorum tuorum, & sic te terra absorbeat, sicut Dathan & Abiran, cui respondendum *Amen*. Vel sic, Te lepra apprehendat sicut Naaman Syrum, vel sic, veniant super caput tuum omnia peccata tua & parentum tuorum & omnes maledictiones quæ in lege Mosaica & Prophetarum inscriptæ sunt & semper tecum maneant, respondente Judæo *Amen*. Ita hodie, juramenta Judæorum fiunt tacto libro legis vel φυλακτηρίοις uti constat ex *Recessibus Imperii de Anno* 1538. & 1555. quo Judæus a Christiano per *Deum* & *Thorah* legem adjuratus, manum dextram infra rascettam biß an den Knoren super librum legis ponit, & quidem verba illa *Exod.* xx. *vers.* 7. recitat. De juramento ob mulierem adulteram observato & ritu illius videndus *Acoluth. de aquis amaris lib. pag. m.* 295.

CAPUT XII.

De Juramentis majoribus & minoribus Græcorum & ritibus in his observatis.

I. Ritus & consuetudines in Juramento magno apud Græcos varii fuerunt. Si in publico loco & ad vindicandam veritatem præstabatur, hi erant. Dii cum jurarent manum levabant, uti *Apollo* in Poeta *Lachesi* χεῖρας ἀντεῖναι manus porrigit. Homines vero jurantes magnum juramentum manus imponebant aræ seu aram tangebant. Hinc *Cicero pro Flacco*: Ergo is, qui si *aram tenens* juraret, credere nemo per epistolam quod volet, injuratus probabit. *Plaut. in Rudente*:

-- GR. *Tange aram hanc Veneris*. LA. *Tango* GR. *Per Venerem hanc jurandum est tibi?* L. *quid jurem?* GR. *quod jubebo*. L. *Præi verbis quid vis, id quod domi est, nunquam illi supplicabo* GR. *Tene aram hanc*. LA. *Teneo*. GR. *Dejura te mihi argentum daturum*. Ita quoque *Juvenal. Satyr.* 14.

> *Falsus erit testis, vendet perjuria summa*
> *Exigua*, Cereris tangens aramque pedemque

Eoque pertinet, quod idem *Juvenal. Satyr.* 13. ait.

> *Atque adeo intrepidi* quæcunque altaria tangunt

Innuens eos, ut *Ulpian* in l. quæ sub conditione *ff. de condic. instit.* loquitur faciles esse ad jurandum, contemtu religionis. Idem in *Græcia* servatum ostendit *Justin. lib.* 24. cum ita scribit: Quo perducto in Sanctissimum Jovis templum veterrimæ Macedonum religionis, Ptolomæus *sumtis in manus Altaribus, contingens ipsa Simulacra & pulvinaria Deorum* iuauditis ultimisque *execrationibus adjurat, se sincera fide Matrimonium Sororis petere*. De *Hannibale Polyb. lib.* 3. scribit *tangentem Sacra jurasse*. Hic mos quoque penetravit ad Christianos in solennibus juramentis. Advocamus verba *Sigiberti Ann.* 552. *Pelagius* insimulatus de morte Vigilii Papæ tenens sancta Evangelia & crucem publice satisfecit. Expresse, *tenens*, nam tactio illa fiebat apprehensione rei sacræ. Revocat hunc morem *Turneb.* ab ævo *Titanum*, nam cum Dii suscepturi bellum contra *Titanas* ad aram jurassent, obtinuit inde religio, ut juramenta tactu sancirentur. Observandum autem, quod conceptis verbis juraverint teste *Plauto Cistellar. Act.* 1. *Sc.* 1.

> At ille *conceptis juravit verbis apud matrem meam*
> *Me uxorem ducturum*.

Conferantur *Livius lib.* 43. Sil. *Italic. lib.* 10. *Agell. lib.* 2. *cap.* 24. *Macrob. lib.* 1. *Saturnal. cap.* 6.

Præterea in *juramento minori* vel *privato*, quod huic vel illi, promissionis gratia, faciebant, juxta Romanorum ritum Græci superimponebant manum manui illius, cui jurabant. Hujus ceremoniæ mentio fit in *Euripidis Helen. vers.* 834. ubi *Menelaus* præter verba juramenti petit hunc ritum ab *Helena*: ἐπὶ τοῖς δὲ τοῖς νῦν δεξιᾶς ἐμῆς θίγε.

II. In honorem Deorum II. per quos jurabant, sacrificabant unam harum trium bestiarum, quæ teste *Aristoph.* in *Lysist.* erant κάπρος κριὸς & τράγος *aper*, *aries*, *hir-*

hircus. Vel omnes tres ſimul, vel de quavis ſpecie tres immolabant, ut Adraſtus vice *Argivi* facere intendebat. Teſte *Euripide in ſuppl.* v. 1200. -- λαιμοὺς τρεῖς τρεῖον μῆλον τεμών. Id quod vocabant μηλοσφαγεῖν. Sæpe cum occiderent *aprum*, exſcindebant *teſticulos* & ſuper illos ſtantes jurabant, uti refert *Franciſ. Rous* in *Archæolog. Attic. lib. 6. cap. 5. pag. m.* 285. *edit. Oxonienſ. Aper* vel *Aries* ita adhibitus, dicebatur proprie τομία, ἀπὸ τῆς τομῆς a ſectione, in qua ſignificatione *Demoſthenes* & *Æſchines* hoc nomine τομίων utuntur, quaſi dicas ſecta, ſive reſecta, exſecta, proſecta, quia ſectione e victima eximebantur, ſuper quæ exſecta manus imponere, vel etiam ſtare atque ita *Jurare* ſolebant, ut docet *Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 7.* his verbis: *Stantes ſuper extis in veſtram & nepotum veſtrorum perniciem juraſtis.* Ubi τόμια exta vocat ἀπὸ τοῦ τέμνειν, quod ipſum conjunctum cum voce ὅρκια, hoſtias ſecare ſignificat *jurisjurandi* gratia. Forſitan more *Romanorum*, porcellos ſacrificabant, uti *Autores paſſim* confirmant. Cum igitur in aliis negotiis magni faciebant hanc beſtiam; unde facile concludere poſſumus, & in *juramentis* porcum magni habitum fuiſſe, quia omnium Sacrificiorum antiquiſſimum judicatur; de quo animali tradunt, id præcipue *Circenſibus* ſacrum fuiſſe, quod *Jovem* infantem a *Rhea* matre, ne a *Saturno* parente devoraretur, abſconditum in Creta, lactaverit: & ne pueri vagitus a patre audiretur, grunnitu ſuo obſtiterit; quare *Cretenſes* ſine immolatione porci initiari non poterant. *Sus* porro, inquit *Marcus Varro de re Ruſtic.* græce dicitur ὗς, olim θύτης a verbo θύειν quod eſt immolare, quoniam a *Suillo genere pecoris immolandi initium ſumtum videtur:* cujus veſtigia: quod initio *Cereri* porci immolantur; & quod initiis pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur; & quod nuptiarum initio antiqui Reges ac ſublimes viri in *Hetruria*, in conjunctione nuptiali nova nupta & novus maritus, primum porcum immolant. Priſci quoque Latini & etiam Græci idem factitaſſe videntur conf. *Guil. Stuck deſcript. Sacrific. Gentil. fol. m.* 43. *edit. Tigur. Franciſ. Rous Archæol Attic. lib. 6. cap. 5. pag. m.* 285. *edit. Oxon.* Caro, quam in aliis comedere ſolebant ſacrificiis, in his non edebatur niſi a vermibus & piſcibus vid. *Ariſtophan. in Luſiſt.* Nam aut igni tradebant & comburebant aut in mare projiciebant, uti *Talthybius* porcum, qui in *juramentum* Agamemnonis ſacrificatus erat, in mare mittebat.

III. Μικρὸς ὅρκος ſeu Juramentum parvum erat, quando per *Creaturam* jurabant, ſcil. per *Crambem*, *anſerem* & Canem de quo antea diximus. Et *Ariſtophanes lib. 12. in Avib.* retulit, quod *Radamanthus* juſtiſſimus hominum qui unquam in mundo vixerunt, expreſſe interdixerit, ne *per Deos* jurarent, ſed loco illorum creaturas conſtituerit. Interdum *per Terram* ſuper quam ſtabant jurabant ut *Hippolitus* in *Euripide v.* 1025. ---- Καὶ πέδον χθονὸς ὄμνυμι. Interdum per *reticulum*, quo utebantur. Si res magni momenti & ſeria erat, per dextram, per caput & per cineres jurabant, uti in præcedentibus oſtenſum fuit. Aliquando manum igni immittebant, ſeu illa ferrum candens tenebant, quod μυδρὸν vocabant, uti *Euripid. in Helen.* & *Scholiaſt. Eurip.* referunt. De quo ritu antea actum. Interdum arripiebant ferrum & in mare projiciebant, ſolenniter voventes, ſe *juramentum* abſque læſione ſervaturos tamdiu, quamdui ferrum ſuper aquas non nataturum ſit. Interdum juramentum chartæ inſcribentes aquæ immittebant; ſi natabat, legitime & vere jurabat, verum ſi fundum quærebat, puniebatur ſine ulteriore probatione, vid. plur. *Franciſ. Rous in Archæolog. Att. lib. 6. pag. m.* 287. 288. *cap.* 7. *edit. Oxon.*

CAPUT XIII.

De variis juramentorum generibus & ritibus apud Hebræos.

I. QUandoquidem mos ille apud *Judæos* deteſtandus jam olim invaluerat, ut tantum non מרוב רגילות ex nimia jurandi conſuetudine לפני כל דבור שידברו יקדימו השבועה omni verbo juramentum præmitterent לשון צחות elegantiam ſermonis arbitrantes, ita dejerare, ut merito *Aben Ezra* de ſuo ſeculo quiritetur. *Etiamſi in Iſrael non eſſet niſi ſola illa transgreſſio, ſufficeret ea ad prolongandam captivitatem & ad augendum plagas noſtras*: ideo *Magiſtri Hebræorum* huic malo remederi voluerunt, integro titulo Thalmudico שבועות in cujus *Miſnam Maimonides* commentatus eſt diligentia & perſpicuitate nunquam ſatis laudata. Ibi vero ſtatim ſub initium *quatuor juramentorum* ſpecies recenſet. שבועות ביטוי *Juramentum Temerariorum*. שבועות שוא *Vanorum* שבועזת הפקרון *Depoſiti* ac denique העדות *Teſtium*, de his generibus videatur *Maimonides de juramentis & celeberrimi Miegii annotationes. edit. Heidelberg. pag. m.* 1.

Cl.

Cl. Job. Henric. Othonis Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m. 305. *edit. Genev.*

II. Genus primum ſeu quod eſt *Juramentum futile* & *Temerarium* habetur in illo legis *Levit. v.* 4. *Auima* , *Perſona* , *ſi juraverit inconſiderate pronuntiando labiis ſuis malefacere aut benefacere* , *juxta omnia*, *quæ temere proferre ſolet homo cum juramento* &c. Et non rite cognoverit conſideraveritque , ove fœmella aut turturibus aut columbis aut ſimila , aut *capra*, ut hoſtia pro peccato illo, expianda erat . Hoc iterum in partes quatuor dividunt: *Binas de Futuro*, *binas de præterito* . De Præterito , ut cum non ſine juramento ejuſmodi quis ſive affirmaverit, ſive negaverit ſe comediſſe , aut ſaxum in mare projeciſſe, aut Rubenum cum Simeone colloquium habuiſſe . Ita partes illæ ſunt affirmativæ & negativæ. Simili modo de *Futuro*, ſe comeſturum, ſaxum projecturum , aut ſe non comeſturum , ſaxum non projecturum ; Nec verſabatur hoc juramentum temerarium, niſi tantum in rebus, quæ ſive facere , ſive non facere in poteſtate jurantis eſſet. Si pronunciatum aliquod in hiſce , falſum de *præterito* , aut non præſtitum de *futuro* eſſet , *juramentum falſum dicebatur :* Nam de ejuſmodi juramentis ſumitur illud *Levit.* XIX. 12. *Non jurabitis per nomen meum falſo*. Ac illi, qui ſcienter ad hunc modum pejerarit , flagellationis pœna decreta ; ei vero , qui ex ignorantia , variabile ſacrificium incumbit. vid. *Maimonid. de juramentis ex verſione ſæpius laudati D. Miegii pag.* 2. *edit. Heidelberg. Henrii Ainſvvorth comment. in Levit.* fol. *m.* 25. conf. R. *Moſ. Maimonid. de Sacrif.* & *annot. Ludovic. de Compiegne de Veil. cap.* 10. *pag.m.* 155. *edit. Londin.* 1683. *Job. Henric. Othon. Lexic. Rabbin-Philolog. pag. m.* 303. 304. *edit. Genev.*

III. Juramentorum genus ſecundum , id eſt, שוא *Vanum* quadrifariam item tributum eſt, (ſed non eodem modo, quo prius.) I. Cum quis juramento aſſerit quod notiſſimæ veritati eſt contrarium. Veluti ſi juraret, virum eſſe fœminam, fœminam eſſe virum , columnam lapideam eſſe auream & ſimilia. Vel cum quis juraret , id eſſe vel fuiſſe , quod omnino impoſſibile, ut, ſe vidiſſe Camelum in aere volitantem . II. Cum quis jurejurando id aſſereret, de quo nemo dubitaret . v. g. *Cœlum eſſe cœlum*, *lapidem eſſe lapidem*, *duo eſſe duo* , in quibus homini nullum eſt dubium, ut juramentum ad ejus confirmationem requireretur. III. Cum quis jurat ſe velle abſtinere ab eo, quod præceptum eſt, v.g. ſe nolle ſua ציצית aut *phylacteria* geſtare, ſe nolle in tuguriolo feſtum Tabernaculorum tranſigere , in Paſchate azymum comedere, ſe velle jejunare in Sabbathis & diebus feſtis. IV. Cum id ſe facturum juraret, quod omnino ipſi impoſſibile v. g. ſe per triduum & trinoctium non dormiturum , per plenam ſeptimanam ſe nihil guſtaturum. Speciem harum quamlibet interdicto illo Decalogi *Exod.* XX. 7. contineri ajunt: לא תשא את שם יי אלהיך לשוא *Nomen Domini Dei tui non aſſumes in vanum*, atque ita *Græci* ȣ λήψῃ &c. *Onkelos* vero. *Non jurabis per nomen ---- fruſtra ſeu ſive cauſa*. Uziel. Haud quis veſtrum jurabit per Nomen Verbis Domini fruſtra. Neque eum non reum habebit Dominus in die judicii magni , qui juraverit per nomen ejus fruſtra. *Syrus* non jurabis כרגלותא *cum mendacio*. Anglus, *ye ſhall not ſvveare by my name to falſhood*. & Judæi Hiſpanienſ. a *falſedad*. Si quis autem juramenti ejuſmodi vani reus eſſet, ex diſciplina Talmudica lege illa fundata , idque ultro ac ſcienter, verberibus plectendus erat. Si vero ex errore & ignorantia omnino liber erat , nec pœnæ forenſi , nec Sacrificio Expiatorio obnoxius. vid. *Maimon* & annot. *D. Miegii. pag. m.* 9. 10. *Job. Henric. Otho.* Lexic. Rabbino-Philolog. pag. m. 306. *Ludov. de Compiegne de Veil annot. ad R. Moſ. Maimon. de Sacrif. pag. m.* 155. *Seld. de Synedr. Hebr. lib.* 2. *pag.* 313. *edit. Amſtel.*

IV. Tertium genus juramenti erat de *depoſito*. Quando quis jurat ſocium ſuum nihil apud ipſum depoſuiſſe, aut ſe quicquam habere, quod ad ipſum pertineat; aut quando juramento, ſe depoſitum non habere, aſſeverat, ſed illud ſurreptum , fractum, aut perditum eſſe. Propter hanc præcepti negativi tranſgreſſionem non vapulant . Qui vero de depoſito falſo juraverit , debet reſtituere ſubſtantiam , quam ſe juramento habere negavit , cum additione quintupli & oblatione pro reatu . vid. *Maimonid. cap.* 7. verſione D. Miegii: Circa *Depoſita* ipſa ſic vulgo dicta , res alienas, mutuo acceptas , caſu repertas verſabatur hoc juramentum. Depoſitum autem dicebatur a deponendo , & erat res, quæ cuſtodienda committebatur alteri , quam juris Conſulti ita deſcribunt: *Depoſitum eſt contractus*, *quo res ita traditur* , *ac fidei alicujus* committitur, ut eam gratis cuſtodiat & aſſervet, adeoque quandocunque libuerit deponenti, eandem in ſpecie reddat . vid. *Sebaſtian. Almers manual. Jur. edit. Brem.* 1668. *pag. m.* 106. Varie etiam vox *Depoſiti* accipitur, I. aliquando ſignificat *rem ipſam*,

ipsam, quæ deponitur, II. frequentius accipitur pro contractu, quo res custodienda deponitur. Et *late* ac generaliter denotat etiam illam custodiam, quæ venit implicite, v. g. nautæ, cauponis, stabularii. Sed *strictius* & per excellentiam est contractus, quo res alicui explicite custodienda conceditur, quam Angli vocant *a thing*, *delivered him to keep*, *a thing-commiited to one; vvhich shall againe be required*; & in Hebr. dicitur פקרון *Pikkadon* res deposita, *de qua* videatur *Eduard Ligbs Critic. Vet. Test. pag. m.* 328. edit. *Francof.* & *Lips.* 1696. Græcus hoc loco *παραθήκην* legit, quæ vox in Græca lingua denominationem habet a committendo depositum alicujus fidei, hac utitur *Paulus* 2. *Timoth.* I. 12. Certus sum, quod is, cui credidi potens sit *τὴν παραθήκην μȣ φυλάξαι depositum meum custodire*, id quod Anglus optime interpretatur his verbis: *i am persuaded that he is able to keepe that vvich i have committed unto him*. Notanter dictum in definitione *Depositi*, GRATIS; nam ex sententia Domus judicii ad judicandam causam ejus, qui aliquid *gratis* custodit, legimus hoc præceptum, quod ex verbis *Exod.* XXII. *v.* 7. eliciunt: Cum dederit quispiam proximo suo argentum vel vasa ad custodiendum, & furto ablatum fuerit e domo viri illius: si inventus fuerit fur, reddet duplum. Glossa autem vult, hanc Parascham agere de eo, qui custodit חנם *Gratis*. Chinnam autem est, cum is, cui aliquid deponitur, pro depositi custodia nihil accipit. Chin. *Maim. Hil.* שאלה ופקרון *cap.* 7. Specialia habentur *in Mass. Bab. Kama. cap.* 9. *cap.* 3. *Mezia & 8. Schebbuoth.*

V. Quartum genus juramentorum erat *juramentum Testimonii*, quando testes sciunt de deposita pecunia, & deinde cum coram magistratu sunt jurant, se nescire, an aliqua pecunia deposita sit nec ne? Lex de eo habetur *Levit.* 5. I. Si peccaverit quis & audierit vocem juramenti testisque ipse fuerit aut viderit aut cognoverit, si non indicaverit, portabit iniquitatem suam. Videantur de hoc juramento Selden. de Synedr. Hebr. *l. c.* Ludov. de Compiegne de Veil annot. in R. Maimonid. de *Sacrif. pag. m.* 156. *edit. Londin. Joh. Henric. Othon. Lexicon Rabbino Philolog. pag. m.* 307. *D. Mieg. in comment. ad Maimonid. de juramentis*. Et hæc de quatuor juramentorum generibus hic dicta sunto, plura in sequentibus.

VI. Fatetur autem *Moses ben Maimon* פ' XII. jusjurandum per Creaturas, per *Cœlum*, *Terram*, *Solem*, *& ejus seminis* alia, in quod Salvator noster *Matth.* v. tam graviter invehitur, a doctioribus Judæis improbatum fuisse, ut vanum, futile ac temerarium, idque propterea in Judicio sibi ab eo abstinere. Hinc claudit *Maimonid.* suas de hac materia velitationes hoc effato: טובה גרולה היא לארם שלא ישבע כלל: *Magnum bonum homini est, si ab omni juramento possit abstinere:* Christus voluntario & arbitrario juramento plane nullum locum permisit, interim tamen legitimum non exclusit; dehortantur Judæi suos, ne nimii sint in juramentis, quia impossibile esset, ne multum jurando non aliquando profanent, sicuti monent in *Demai cap.* 2. 3. *in Gloss. R. Salomon* Recte itaque & consone verbis Christi R. יונה *Gerundensis* ספר היראה fol. לא e recensione *Menasseh ben Joseph*, *ben Israel*: Noli Jurare omnino, neque per nomina Dei, ut sunt אל' שרי, nec per Attributa ejus, veluti רחומ' חנון nec per *Creaturas*, ut *Solem* ac ministros ejus excellentes, *Angelos*, neve per *Legem* vel *Veritatem*. Deus enim veritas est, sicut dicitur *Jerem.* 10. 10. Nec per *idola*, uti ex Rabbinorum scriptis refert *Joh. Henric. Hotting. de jur. Hebr. pag. m.* 114. Ne juremus per nomen *Idoli* alicujus, ne quidem cultoribus ejus, nec juramentum per illud exigamus, sicut dicitur *Exod.* XXIII. neque nomen Deorum aliorum memorabitis. Finis hujus præcepti est ad removendam omnem rationem Idololatriæ, sive opere designetur illa, sive verbo, usque adeo ut ne quidem cor nostrum commemoratio ejus unquam subire debeat &c.

VII. Nec jurandum per septem Dei nomina, יור' הא' ויו' הא' quod alias dicitur המפורש או הנכתב nomen interpretatum vel scriptum שדי אהיה אלהים :אלוה צבאות .י' .נ' .ד' .א' vid. *Maimonid. de fundament. Leg. pag.* 75. *edit. Amstel.* 1638. *Attributa* longe plura, quorum aliqua recenset *Maimonid. de fundament. Leg. cap.* 6. §. 5. Misericors, magnus, fortis, formidabilis, verax, zelotes, potens, & ejus generis plura, quæ ab Hebræis solent dividi in מעשיות *practica*, quæ relationem habent ad extra, ut pleraque hactenus recensita, & הטפליות *fundamentalia*, quæ in ipsa Dei essentia fundantur. Atque hoc est, quod Christus jubet *v.* 37. Ἔϛω ὁ λόγος ὑμῶν Ναὶ, Ναὶ, ȣ̏, ȣ̏, quem secuti sunt *Paulus* 2. *Cor.* I. 17. *ἦ παρ' ἐμοὶ τὸ ναὶ ναὶ, ϗ τὸ ȣ̏, ȣ̏*, & *Jacob.* v. 12. *ἤτω ὑμῶν τὸ ναὶ ναὶ, ϗ ȣ̏ ȣ̏* phrasi Hebræis usitatima. R. *Salom Jarchi* ad vocem לאמר *Exod.* XX. I. commentatur: Docet, quod responderint ad

ita, ita & ad non, non. *Juchasin.* 33. 2. justorum ita eſt ita, & eorum non eſt non. Nec non Arabibus: *Sit Sermo* tuus etiam aut Non, ut ſis verax apud omnes homines.

CAPUT XIV.

De Juramento depoſiti &c. & qualis ac quotuplex ex eo falſo præſtito reatus naſcatur.

I. JUramentum *depoſiti* juxta *Maimonidem* eſt, cum quis de facultatibus alterius penes ſe quicquam aſſervat ſeu *depoſitum*, ſeu *creditum*, ſeu *furto ablatum*, ſeu *violenter detentum*, ſeu *inventum*, ſeu alio titulo quocunque, idque necdum reſtituit, altero rei ſuæ reſtitutionem urgente, id ſe habere pernegat. Talis homo negativum præceptum tranſgreditur, non tamen ſub flagellationis pœna: At ſi jure jurando inſuper eam inficiationem it ſtabilitum, aliud tranſgreditur præceptum, iſtud nempe: *Ne mendaciter alter alterum fallatis:* Quod adverſus eum dictum, qui juramento debiti inficiationem confirmat. Atque id ſolet juramentum *depoſiti* vocari, & reus tenetur ad ſortis redditionem cum auctario quintæ partis: tum ad oblationem ſacrificii pro reatu manifeſto, ſive ex ſcientia iſtud admiſerit facinus, ſive ex ignorantia &c. conf. *Maimonid. ex* verſ. *celeb. Miegii pag. m.* 4. 5.

II. Capite VII. adducit rationes, ob quas *reatus* naſcatur, inter quas I. eſt Cum quis debitum ab alio repoſcit, cujus confeſſio reſtitutionis infert neceſſitatem, iſque illud vel ſpontaneo juramento, vel alterius adjuratione interveniente, inficiatur, Juramento depoſiti conventus tenetur, ut ut non reſponderit Amen; Nam in hujus quidem naturæ juramento ſeu ſpontaneo motu præſtetur, ſeu debitum exigente alio, id ſimpliciter, nec adhibita particula *Amen*, negetur, ad reatum iſtud quidem perinde eſt & negatio ſimplex poſt adjurationem poſtulantis, æquipollet particulæ Amen. II. Cum vero talis debiti inſtituitur poſtulatio, cujus confeſſio reſtitutionis non infert neceſſitatem, e. g. *mulctæ* (mulctam enim ſolvere nemo ex propria confeſſione tenetur) negans illud ac jurans, liber quidem a juramento depoſiti eſt, ſimplicis tamen perjurii reatu tenetur. III. Ita & ubi fundus, ſervus, ſyngrapha petuntur, juramento autem interveniente negantur, nullus ex juramento depoſiti, ſed ex ſimplici ſaltem ſiquidem mendaciter juratum eſt, reatus conſequitur. IV. Cauſa autem, cur non & ad iſta, etſi talia, quorum confeſſio reſtitutionis neceſſitatem infert, juramentum depoſiti attinere dicamus, hæc eſt, quia legis hac de re verba *Levit.* v. 21. 22. Si *negetur* &c. mobilium tantum bonorum mentionem faciunt, quæ translatione iterum vindicantur, ac adeo *Fundi*, *Servi* & *Chirographa* excipiuntur, quæ inter bona non cenſentur. V. Tantundem eſt, ſive juret inficiator, poſtquam quod ſuum eſt, legitimus poſſeſſor repopoſcit, ſive id ſuapte ſponte, & ſine prævia hujus petitione faciat; ut ſi a tergo ſequentem ita alloquatur: Quid ſibi vult, quod me a tergo ſequeris? Num tuarum forte rerum aliquam penes me eſſe cenſes? Juro enim vero nihil eſſe. Talis ex juramento depoſiti reus eſt. VI.* Nemo ex juramento depoſiti reus fit, qui lingua ſibi non intellecta adjuratur. VII. Quicunque juramentum depoſiti deliberato animo mendaciter, imo adverſus factam ſibi ipſo juramenti tempore, a teſtibus præmonitionem, dixit, non ideo flagellorum pœnam luit, ſed ſacrificium pro reatu afferre tenetur eo quod ſcriptura talem ex numero flagellandi eximit. Plura ejuſmodi præcepta videnda ſunt in Maimonide quem Latinitati donavit celeberrimus D. *Miegius* cujus *annotationes Doctiſſimæ* hoc loco legendæ *pag.* 77. ſeqq.

III. Verum Rabbinorum ſcripta relinquimus & ad Scripturam Sacram nos conferimus, ubi *Leviticorum cap. 6. v.* 3. expreſſis verbis legimus, quod non negandum ſit id, quod depoſitum, aut quicquid alterius, apud nos fuerit. Lutherus in verſione ſua *capit.* 5. (id quod tamen ad cap. 6. referendum) ita: Wenn eine Seele ſündigen/ und an dem HErzn ſich vergreiffen würde/ daß er ſeinen neben/Menſchen verläugnet/ was er ihm befohlen hat/ oder das ihm zu treuer Hand gethan iſt/ oder daß er mit Gewalt genommen/ oder mit unrecht zu ſich bracht/ oder das verlohren iſt/ funden hat/ und läugnet ſolches mit einem falſchen Eyd &c. Hic plane nulla exceptio perſpicitur, uti Rabbini fingunt; ſed ille ſtatim reatus pœnam incurrit, qui juramento negat, ſe non poſſidere depoſitum, ſeu raptum, ſeu inventum. Hinc in *Siphra:* Ex eo, quod extat: Et negaverit illud, aut juraverit falſo *Levit. 6.* 3. diſcimus mulctam; unde vero admonitionem? Quia Scriptura dicit: *Non negabitis*. Quamvis autem tranſgreſſor hujus præcepti non vapulet, habetur tamen I. tanquam violator præcepti regii: & qui II. negat depoſitum, ineptus eſt ad dicendum teſtimonium, etſi non juraverit. Plura pete ex *Talmud. Cod. Schebb. cap.* 7. כסס *N. S.* 240.

S. 240. 241. Similiter *Hottinger. in libr. de Legib. Hebr. pag. m.* 349. ex Rabbinorum Scriptis hæc adducit ex *Maimonide*, quæ huc annotare non pigebit. *Ne juremus propter negationem* q. d. Ne mentiamini *Levit.* 19. 11. quasi diceret; quod qui abnegaverit alicui depositum, violet negativum: Ne negetis: Si quis vero ei propter abnegationem illam juraverit reus fiat negativi: neque mentiamini. Ita enim locus hic explicatur, quod si νυθεπχός contra jurantem propter abnegationem opum. Et quemadmodum in *Siphra* ad verba: Ne mentiamini, legimus: Quid sibi vult Scriptura, cum dicit; *Et juraverit falso*? Discimus hinc pœnam. Unde vero admonitionem? Ex eo quod Lex dicit: Ne mentiamini. Ita explicatur in *Codice Schebhuoth*, quod qui falso juraverit propter negationem pecuniæ, duorum negativorum contrahat reatum, quorum illud: Ne per nomen meum juretis falso; hoc vero: Ne mentiatur quisque in proximum suum. Obtinet ubique & semper. Legirupa qui & mentitus fuerit temere, & ad abnegandum depositum, juraverit, vapulat. Et quanquam nullum sit in hoc peccato opus tamen propter gravitatem juramenti lex eum verberum reum facit. Toties igitur reatus nascebatur quoties falso jurabat. vid. sæp. cit. Maimonid.

CAPUT XV.

De Pœna perjurii in Juramento Depositi.

I. Convictus itaque ratione depositi, vel ablati vel inventi, tenebatur restituere rem & quintas ejus partes superaddere. Hoc testatur ipsa Scriptura Sacra *Levit.* 6. *v.* 4. quæ ex mandato Dei expresse præcipit, ut restituatur; Imo & Rabbini ipsi hoc prohibent in legibus suis teste *Hottingero pag. m.* 352. Ne retineamus, inquiunt, quod in manu nostra cum sit, ad alium spectat, modo violento, depulsionis aut fraudulento. Quomodo homines scelerati alios propellunt dicendo: Abi, & revertere, ut oblata hac occasione, sibi relinquatur, quod in manibus suis alieni habent. Atque hæc consuetudo cum pessima sit, longissime ab ea abesse nos, vult Lex nostra perfecta. Qui enim hoc modo alterius facultates retinet, oppressor vocatur. Et quod magis est, referunt, quod etiam Gentili nihil rapere liceat. Hoc qui fecerit, restituet ablatum illi. Raptor enim tenetur restituere raptum ipsum. *Levit.* 6. 4. quod sic explicant Magistri: Restituet id ipsum, quod rapuit. Optime R. *Maimonid. tract. de rapina cap.* 7. *s.* 2. 3. Restituet sive sit violentus raptor, sive fraudulentus oppressor sive fur sive mutuator, ut ita loquar, sive is cui aliquid commissum seu depositarius, vel qui rem perditam, invenerit, & neget falso &c. Regula generalis est de quavis re, ut qui eam deneget, non modo summam restituere, sed etiam quintam addere partem teneatur. Ubi iterum ex mente illorum observandum, quod hoc intelligendum sit de se ipso; verum si pro patre restituat, solvit summam absque quinta parte: Scil. Si pater suus rapit, furatur, seu ære alieno premitur, & filius hoc novit, ast negat id & jurat, postmodum autem debitum confitetur, tunc modo summam principalem solvere tenetur, nam Scriptum est *Levit.* VI. 4. quod violento modo abstulit, & ob hunc superaddit quintam partem, ast non ob patrem, sed suam propriam violentam ablationem. Si vero res violento modo ablata non præsens, & pater mortem obiret, & ablatæ res remanerent, hæres autem negaret & juraret, postmodum autem confiteretur, tunc summam & quintam partem solvit. vid. *Maim. de rapin. & perdit. c.* 7. *s.* 2. 3.

II. Porro Hebræorum Doctores de *quinta parte* ita literis tradunt: ille qui proprietario restituit summam & denegat secunda vice quintam partem & jurat ob illam, tunc quinta pars est instar summæ, & loco illius aliam solvere tenetur quintam partem, uti scriptum est, superaddat quintam partem, propter quintam partem, donec quinta pars ob quam jurat & negat minor fiat minuto. Ille cui res custodienda credita, si causam agit ac si perdita esset, & jurat, tandemque confitetur, se possidere, & iterum ac si amissa esset, propalat, & jurat, iterumque confitetur se habere, tenetur pro quovis juramento dare quintam partem cum una summa, uti scriptum est, superaddet quintam partem, qua docetur, quod plures quintas partes possit addere Summæ principali. *Maimonid. tract. de rapin. cap.* 7. *sect.* 12. 13. conf. huc *Henrii Ainsvvorth. in Levit.* VI. *fol. m.* 31. ubi plura.

III. Tenebatur II. pro reatu offerre *arietem*, quod sacrificium Hebræis dicebatur אשם, quod iterum duplex erat אשם תלוי *victima pro noxa dubia* & אשם ודאי *victima pro noxa certa*. Non primi sed secundi generis victimam offerebant, & huic quinque victimæ accensebantur teste *Maimonid. in Schegagoth. cap.* 9. conf. *Henrii Ainsvvorth. comment. in Levit. fol.*

fol. m. 29. edit. Londin. Prima Nazaræis injuncta fuit inopinato funere inquinatis *Num. 6.* 12. Altera lepra contaminatis post morbum exutum sacrificanda. *Levit.* 14. 12. *Tertia* his, qui servam Hebræam vitiabant servo Hebræo desponsatam. *Levit. 19.* 20. 21. *Quarta* omnibus his constituta fuit, qui sacra inscii defraudabant. *Levit.* v. 16. & *Ultima* his imperata fuit, qui rem alienam sibi concreditam, aut inventam, aut vi ereptam aut interversam jure jurando abnegabant. *Levit.* VI. 3. 4. 5. 6. Quibus tamen ad veniam impetrandam illud etiam præceptum fuit, ut rem falso adjuratam, eamque quinta parte auctam ejusdem justo ac proprio domino, eove mortuo, propinquis ejus, vel si propinquos non haberet, Sacerdotibus redderet. *Num.* 5. 7. 8. Non igitur hic controversiam movebimus, quæ agitatur inter doctos de vocibus הפאה & אשם quam enucleavit *Guiliem. Outram de Sadrif. edit. Amstel.* 1678. *lib.* 1. *cap.* 13. *pag. m.* 134. Hoc tantum dicimus, quod sacrificium reatus manifesti offerenduum fuerit *aries*, quem æquivalere oportet duobus siclis. Bene R. *Levi*, cuju verba latina cl. *Hottinger. de jur. Hebr. pag. m.* 161. affert, literis tradit: In cujus manu est aliquid facultatum Israeliticarum, quod vel ad Prutam accedit, aut ultra, nullo jure, quod vel furto abstulit, vel rapina, aut in cujus manu relictum est ex deposito, quod alius ei deposuit, aut propter mutuum aut communionem; summa quicquid, sciens & volens, quod suum non est retinuerit; insuper etiam illud negaverit & ejuraverit, hujusmodi peccati reus fit. Cum vero resipuerit pœnitentiaque ductus peccati commissi, rapinam, quæ in manibus ejus est, restituerit, tenetur sacrificium illud, quod diximus propter peccatum suum offerre, præter quintam partem, quam substantiæ, ei videlicet, quæ rapta erat addere. Conferantur huc & videantur *Henrii Ainsvvorth. cit. loc. Outram de sacrific. lib.* 1. *cap.* 13. *Saubert. de Sacrific. cap.* 3. *Hottinger. de jur. Hebr. pag. m.* 161. *seq. Ludov. de Compiegne de Veil R. Mos. Maimonid. edit. Londin. de Sacrif. tract.* 4. *de noxiis imprudenter admissis pag. m.* 153.

IV. Illud porro observandum, quod certis cæremoniis & ritibus victima hæc fuerit oblata. Primo confitendum erat peccatum imponendo manum victimæ. vid. *Outram. de Sacrif. lib.* 1. *cap.* 15. nam teste *Aaron. Ben Chajim ad Siphra in diburath*, hachataoth *fol.* 95. Hebræi ita dicunt: Ubi non est peccatorum confessio, ibi non est impositio manuum, quia manuum impositio ad confessionem pertinet. Jam autem nemini ad culpæ suæ veniam sacrificium ullum valuisse asserunt, nisi cui culpam expiandam prece supplici confiteretur. Sic *Abarbanel.* ad *Levit.* 16. ex *Talmudistis* his verbis: *Docuerunt* laudatæ memoriæ Sapientes in codice Zebachim, omni sacrificio pro peccato culpæ admissæ confessionem necessario addi debuisse. Idem docet *Maimonid. in Teshuba cap.* 1. tam de victimis pro noxa, quam pro peccato quovis cæsis: *Victimarum* pro peccato noxave Domini, quo tempore de culpis incogitato aut cogitato factis sacrificant, nisi pœnitentiam agant, & peccatorum confessionem disertis vesbis conceptam edant, sacrificiis suis non purgantur, dictum enim est, & confitebitur in quo peccavit. II. Formulam deprecandi, quam manibus victimæ capiti impositis reus ipse suo ore edidit *Maimonides* in *Maase Korban cap.* 3. profert: *Obsecro Domine peccavi, deliqui, rebellavi, hoc & illud feci, nunc autem pœnitentiam ago, sitque hostia hæc expiatio meæ.* Hoc facto in ipso die abnegatum depositum proprietario tradebat addita quinta parte. vid. *Heinrii Ainsvvorth. in Levit. fol. m.* 31.

CAPUT XVI.

De Juramentis Testimonii & quæ ad ejus violationem requiruntur.

I. SUpra mentionem fecimus juramenti *Testimonii* & vidimus, quid fuerit; Nunc ad ejus violationem progredimur & considerabimus testes, qui testimonium perhibere tenentur. Magnam itaque curam adhibebant, an idonei vel inidonei sint. Rejiciebantur itaque I. *aleator*, II. *Fœneratores* III. *qui columbas volare docebant* IV. *Nundinatores fructuum anni septimi*, qui ad usum, non ad quæstum concessi. Ex propinquis repudiabantur I. *frater*, II. *patruus*, III. *avunculus*, IV. *Amita & matertera* &c. Intelligunt enim Hebræi ut *Maimonid. Hal.* explicat, per propinquos, illos qui ex una stirpe prognati sunt, hi adversus se testimonium dicere prohibentur. Atque hic gradus primus est. Secundus est eorum, qui ex fratribus sororibusque nati sunt. Hi quoque adversus se invicem testimonium non perhibent. Tertius est eorum, qui ex fratrum filiis generantur, quos indigitant שלישי בשלישי. Horum testimonium admittitur: Idem *Maimon. tract. Aiolotb. cap.* 9. 10. 11. refert, quod inidonei sint decem genera I. *Fœminæ*, II. *Servi*, III. *Minores*, IV. *Fa-*

Fatui, V. *Surdi*, VI. *Cœci*, VII. *Impii* VIII. *Impudentiores*, IX. *Propinqui* X. *Falsi antea convicti*. His adde *Amicos* & *inimicos*. Ita etiam *Rex* excludebatur a testimonio ferendo. *Mischn. Sanhedr. c.* 2. §. 2. His calculum addit *Johan. Henric. Otho in Lexico Rabbin. Philolog. pag. m.* 653. *edit. Genev.* paucis mutatis verbis: Vir magnus, inquit, in rebus vilibus & in minori judicio non tenetur testimonium dare. Sacerdos summus non nisi in Regem, & coram Magno Synedrio. Decem genera hominum testimonia dicere nequeunt, *mulier*, & *qui dubii sexus est*, *Servi* & *Semiliberi*, *minor.* XIII. *annis*: *delirus*, *stolidus*, *fatuus*, *insanus*, *epilepticus*, *mutus*, *cœcus*, *sceleratus* & illi qui sunt *pastores parvi pecoris* i. e. qui nutriunt capras, & alia, quæ sata carpendo corrumpunt. His accensetur *homo de fæce plebis* & alii contemtibiles, *Necessarii* & illorum quorum interest.

II. Quomodo autem testes examinati fuerint, priusquam testimonium perhiberent, testatur *Sanhedrin cap.* 3. §. 6. Intro vocatis terrorem incutiebant, ne quid ex conjectura vel rumore dicerent, etiamsi ex ore alterius fide digni audivisse se affirment. Item: *Forte ignoratis* nos pervestigaturos tandem vos esse inquisitione & indagatione. Ne sitis nescii, aliter se habere judicia, quæ de pecunia, quam quæ de capite habentur, conf. *Joh. Coch. ad tit. Talmud Sanhedrin* & *Maccoth. not. cap.* 4. *pag. m.* 32. Hoc facto maximum natu testium ita alloquuntur: *Credo*, qui nosti, hunc illi debere? Si responderit, ipse mihi dixit: Ego isti debeo: aut, Alius mihi revocavit: nihil testatus est, usque dum dicat: *Nobis præsentibus fassus est* adversario suo, se ipsi debere ducentas drachmas. Septem autem quæstionibus testes examinabantur, quo anno, mense, quoto die mensis, quo die, qua hora, quo loco? Quando testimonia non conveniunt, non accipiuntur, conf. *Sanhed. cap.* v. *pag.* 48.

III. Citati itaque ad testimonium dicendum testes, veritatem dicere tenebantur adjuratione præmissa; sin autem abnegabant, juramentum testimonii violabant, uti varios modos adducit *Maimonid. tract. de juramentis*, quos ob nimiam prolixitatem huc locare nolumus; interim lectorem remittimus ad *Maimonid. versionem celeberrimi Miegii pag.* 90. 91. *seq.* præprimis si actori exinde damnum accrescere poterat. Discimus autem ex *cit. Maimon.* quod si juramentum testimonii violasse testes statuantur, decem ista concurrere debeant I. ut Actor eos requirat, II. ut quæstio controversa sit de debito, & III. eo quidem in bonis mobilibus consistente IV. ut solo horum testimonio reus ad solutionem obligari possit. V. ut denegatio testimonii sit posterior requisitione Actoris. VI. ut eadem fiat coram consessu judiciario. VII. ut ibi juramentum per nomen Dei proprium, vel aliquod ex appellativis præstetur, VIII. ut notitiam rei testandæ ante juramentum habeant, testes, IX. ut iidem dum adjurantur, vel ad testimonium dicendum invitantur, *sigillatim* compellentur. Et X. ut lingua iis cognita adjuratio fiat.

CAPUT XVII.

De Variis Juramentis Græcorum & eorum ritibus.

I. HActenus *Hebræorum* varia juramenta perlustravimus eorumque ritus. Operæ igitur pretium erit, ut adjungamus his juramenta Græcorum. Juramentum itaque præstabant ministræ in sacris *Bacchi* teste *Gregor. Gyrald.* 17. *Syntag. hist. Deor.* scribente: Ipsos insuper sacrificulos & sacrificulas, quæ ad canistra quæque ad aram ministrabat, per præconem prius lustrari oportuit, interposito *Juramento*: quale illud fuit ministrarum in *Bacchi* sacris apud *Demost. Or. in Neæram, fol.* 873. Pia & pura & munda sum, a cæteris immundis, & a viri congressu, & divinum natalem & Tobacchea celebro Baccho patrio ritu & legitimis temporibus.

II. In *Ludis Olympiacis* ab Actoribus solenne *juramentum* exigebatur antequam ludos inciperent, quod Pausanias describit. Solenne vero, inquit, Athletis omnibus, eorumque Parentibus, fratribus, gymnasii magistris, super *exsectis suis testibus* verbis conceptis dejerare, nihil fraudis facturos &c. Sic apud Græcos *fœdera* olim fiebant conceptis verbis, iisque, statuis lapideis inscriptis, δικαίως καὶ προθύμως, καὶ ἀδόλως i. e. *juste*, *impigre* & *pure*: præstito *juramento* κατὰ ἱερῶν τελέων apud *Templa Augusta* prout videre est apud *Thucydidem lib.* 5. *Bell. Pelopon. fol. m.* 208. 219. 220. e quo posteriori loco quoque constat *jusjurandum* quoque cum placitis fœderalibus columna lapidea fuisse descriptum. Jurisjurandi formula hæc erat: *Stabo in societate conventa juste* & *innocenter* & *simpliciter*, neque transgrediar ulla neque arte, neque machinatione. Item ubi fœdera inter Lacedamonios & Athenienses describit: *Sto his partibus & his fœderibus juste & pure*. Sic Lacedæmoniis ac sociis in hunc

mo-

modum erga Athenienſes jusjurandum. Meminit *Sophocles* & *Callimachus* aliique *Grammatici* (notante Gregor. *Tholoſano Syntagm. I. U. lib.* 5. *cap.* 8. 11. 13.) morem fuiſſe apud *Græcos* in ſanciendis fœderibus, ut ferrum candens tenerent, & ut tamdiu fœdus perduraret precatos Deos, quamdiu Mydrus latuiſſet.

III. Si quis alterum accuſare vellet, *jusjurandum* de calumnia rigidiſſimum exhibere tenebatur, antequam agendi poteſtatem impetrabat. Teſtis hujus eſt *Demoſthen. in Ariſtocratem* his verbis: Scitis hoc nimirum omnes, in Areopago, ubi lex de cæde agendi poteſtatem dat, & mandatum, primum jusjurandum dare & exitium, ſi calumnietur, tum ſibi ipſi, tum genti, tum familiæ ſuæ imprecari cogitur is, qui facinoris iſtiuſmodi accuſare quempiam inſtituit. Ac videmus apud eundem, *Orat. in Neæram*. Ac cauſam egit *Stephanus*, jurejurando dato, *Apollodorum* eam mulierem ſuis manibus occidiſſe: exitium imprecatus ſibi, & generi, & familiæ. Meminit juramenti hujus etiam *Lyſias* in *Theomneſtum Orat.* 1. Præterea & hoc conſiderate, Judices, quod hic, præ inertia & mollitie, ne ad Areopagum quidam unquam aſcenderit. Quandoquidem omnino noſtis, quod in eo loco, quando de cæde controverſia eſt, non hoc nomine Juramentum de calumnia præſtatur ſed ut ego recte audivi, actor, quod interfecerit, jurejurando affirmat: reus autem quod non interfecerit.

IV. Mactabant vero *Aprum*, *arietem*, *taurum*, & eorum carnibus inſiſtentes jurabant. *Demoſthenes* citato loco mox ſubjungens clare dicit: *Deinde non vulgare aliquod juramentum dare cogitur, ſed, quale nemo in re ulla aliqua jurat, inſiſtens conſecratis carnibus apri, arietis & tauri, qui mactati tum a quibus oportet, tum iis etiam diebus, quibus fieri illud convenit, ut ea, quæ & ſpatio temporis, & eorum, quæ adhibentur, ſolennitate, perfici jus faſque eſt, omnia præſtentur.* Breviter *Antiphon.* in *Orat. de Saltator.* Propter hæc ipſa & leges, & juramenta de calumnia, & ſectæ victimarum carnes, & priores cauſæ dictiones cæteraque in cauſa cædis uſitata longe ab aliis differunt. Gravitatem juramenti, & cum eo uſitatæ item imprecationes etiam *Antiphon.* commemorat, in orat. de cæde *Herodis*. Cum oporteret te maximum illud & validiſſimum juramentum præſtare, exitium imprecantem tibi ipſi & generi & familiæ item tuæ. Nec jurabat in hunc modum *actor* tantum, ſed & teſtes. Apparet apud eundem illum *Antiphonem* in eadem oratione, verbis paulo poſt ſequentibus: Ipſe tibi novas leges inveniens, injuratus me accuſas, tum & teſtes injurati contra me dant teſtimonium, cum & ipſos eodem tecum juramento obligatos, & iiſdem animalium mactatorum tactis carnibus, teſtimonium in me dare oporteret, conf. *Pfeiff. antiquit. Græc. lib.* 2. *cap.* 30. *pag. m.* 274.

§. V. Ita *juramento* obſtringebatur Magiſtratus civibus, quod populum injuriis non ſit affecturus. De *Theſmothetis* apud Athenienſes ita ſcribit *Jul. Pollux lib.* 8. *Onomaſtic. cap.* 9. *num.* 1. ὤμνυον δὲ οὗτοι πρὸς τῇ βασιλέῳ στοᾶ, ἢ ἐστὶ τοῦ λίθου, ἐφ' ᾧ τε συμφυλάξειν τοὺς νόμους, καὶ μὴ δωροδοκήσειν, ἢ χρυσοῦν ἀνδριάντα ἀποτίσαι εἶτα ἐντεῦθεν εἰς ἀκρόπολιν ἀνελθόντες, ὤμνυον ταῦτα. Hi vero jurabant apud portam regiam, quæ eſt lapidea, ſe leges obſervaturos, & munera non ſumturos: aut auream perſoluturos ſtatuam: deinde in *Acropolin* præfecti, eadem jurabant. *Plutarch. in Solon. fol.* 92. Senatus autem, ſe *Leges Solonis* ſtabilituros commune jusjurandum peregerunt, ſinguli autem Theſmothetæ conceptis verbis peculiare juxta *Lithon* (ſuggeſtus eſt in concione Athenis) ſi quam violaſſent legem, auream ſtatuam pacis ſibi ponderis Delphis ipſos dicaturos. In univerſum teſtatur *Ulpianus Enarrat. in Orat. Demoſthen. in Leptinem* omnes juraſſe, qui jus dicebant. Conf. *Plutarch. in vit. Solon. Bartholom. Keckermann. diſp.* 3. de *Republ. Athen. num.* 9. De *Spartanorum* præcipuo magiſtratu ita memoriæ prodit *Xenophon. de Republ. Lacedæm.* Singulis, inquit, menſibus jurejurando ſe invicem adſtringunt. Ephori quidem civitatis nomine, Rex autem ſuo. Jusjurandum Regis eſt, ſecundum conditas Reipubl. leges ſe imperaturum. Ephororum autem civitatis nomine Rege jusjurandum inviolatum ſervante, regnum inconcuſſum ſervare. Apud *Stobæum*, *Nicolaus* de morib. Gentium, non ſingulis annis aut menſibus juramentum ejuſmodi a Rege præſtari ſolitum ſcribit, ſed ante Regni initia, ut noſtro ſeculo moris eſt. Jurabant etiam inferiores Magiſtratus in decreta ſuperiorum. *Demoſth. in orat. de falſa legat. fol.* 320.

VI. Nulli etiam Cives Athenienſes abſque juramento in album Civitatis recipiebantur, ſed ex parentibus civibus nati adultiores juramentum præſtare tenebantur. Hoc autem nobis exhibet *Pollux in lib.* VIII. *Onomaſt. cap.* 9. *num.* 25. cujus verba Latina recitabimus: *Vigeſimo anno in Lixiarchicum librum* inſcribebantur, (qui cives eſſe volebant) & ſub Dio jurabant; Arma non dehoneſtabo,

nec

nec adſtantem quiſquis is fuerit, ſocium relinquam: pugnabo quoque pro focis & aris ſolus, & cum multis, patriam nec turbabo, nec prodam. Navigabo contra quamcunque deſtinatus fuero regionem: Solennitates perpetuas obſervabo: receptis conſuetudinibus parebo, & quaſcunque alias populus prudenter ſtatuerit, & ſi quis Leges receptas ſuſtulerit niſi comprobaverit, non permittam. Tuebor denique & ſolus & cum reliquis omnibus, atque patria ſacra colam. Dii ἴςορες. Cognitores, Agrauli, Enyalius, Mars, Jupiter, floreo, augeſco duci. Quod juramentum fere ad eundem modum ſic reperitur apud *Joh. Stobæ. Serm.* 41. *qui agit de Republ. fol.* 253. Non ignominia afficiam arma ſacra, neque deſeram meum adſtitem, quocum junctus fuero. Dimicabo pro ſacris & profanis, ſive ſolus, ſive cum multis. Patriam non relinquam in deteriori ſtatu, ſed ampliori meliorique quam acceperim. Semper Magiſtratui præfecto prudenter obediam, & legibus conſtitutis parebo, atque aliis quibuſcunque plebis conſenſu decretis. Quod ſi quis leges vel irritas facere, vel eis non obtemperare velit, non concedam, ſed ulciſcar tam ſolus, quam cum pluribus. Sacra quoque patria colam. *Horum Dii mihi teſtes & conſcii ſunto.*

VII. Mos & conſuetudo Athenis erat, ut quotannis ἀντίδοσις facultatum permutatio fieret ubi is qui provocabat ad facultatum permutationem, ad ſacra vocabat eum, quem ſuo loco obire munus volebat, ut juraret conceptis verbis: *Declaro opes meas recte & juſte, iis exceptis, quæ in argentifodinis ſunt, quas leges immunes fecerunt.* Moris etiam fuit, ut qui dixiſſent teſtimonium, ad *Aras* progreſſi, ſe vera dixiſſe jurarent. Unde cum *Xenocrates* vir integerrimus teſtimonio perhibito, jurandi cauſa ad aras acceſſiſſet, una voce omnes judices, ne is juraret acclamarunt. Aliquando aræ vices ſupplebat *ſaxum*. Ita namque *Suidas* in voce λίθος: Videntur Athenienſes ad quoddam ſaxum jusjurandum jurare, ut *Ariſtoteles* & *Philochorus* ſubindicant.

VIII. Progredimur ad juramentum *Judicum* apud Græcos, quod prolixius adducit *Demoſthen. in orat. in Timocratem fol.* 796. his verbis: Pronunciabo ſecundum leges & decreta populi Athenienſis & Senatus quingentorum. Tyrannidem vero aut paucorum Dominatum mea ſententia non comprobabo. Neque ſi quis populi Athenienſis libertatem oppreſſerit, aut quicquam contra hanc dixerit, aut decreverit, concedam. Neque novas Tabulas privatim, neque agrorum Athenienſium diviſione, neque ædium neque exules revocabo, neque capitis damnatos, neque eos, qui manent, expellam contra leges receptas & decreta populi Athenienſis & Senatus. Neque egomet ipſe, neque alium ſinam, neque magiſtratum creabo, ut is imperet, antequam de alio geſto magiſtratu rationem reddiderit, ſive ſit novem-vir, ſive Pontifex, ſive quicunque cum novem-viris eadem die creantur, ſive præco, ſive legatus, ſive aſſeſſor, neque bis eundem magiſtratum, eundem virum, neque binos magiſtratus eundem gerere ſinam eodem anno: nec accipiam munera propter Heliæam vel ipſe ego, vel alius meo nomine; vel alii, me conſcio, non fraude, non machinatione ulla: & natus ſum annos non pauciores triginta; audiamque cum accuſatorem tum reum, eodem modo utrumque: & ſententiam de eo feram, quod eſt in controverſia poſitum. *Adjuro Jovem, Neptunum, Cererent, & ipſe mihi exitium imprecor, & familiæ meæ, ſi quid horum neglexero aut violaro. Sin bona fide præſtitero, præclara mihi & bona multa eveniant.*

IX. Quo etiam quiſque fideliter in militia verſaretur, juramento obſtringebatur, cujus formulam erat illa ſolennis apud *Johannem Stobæum. Sermon.* 41. de *Republ. fol.* 253. his verbis: Non ignominia afficiam arma ſacra, neque deſeram meum aſtitem, quo cum junctus fuero. Dimicabo pro ſacris & profanis, ſive ſolus ſive cum multis. Patriam non relinquam in deteriori ſtatu, ſed ampliori meliorique quam acceperim. Semper Magiſtratui præfecto prudenter obediam, & legibus conſtitutis parebo, atque aliis quibuſcunque plebis conſenſu decretis. Quod ſi quis leges vel irritas facere, vel eis obtemperare nolit, non concedam, ſed ulciſcar tam ſolus, quam cum pluribus. Sacra quoque patria colam. *Horum mihi Dii teſtes, & conſcii ſunto.* Eratque hoc commune juramentum apud Athenienſes *Ephebis*. Sic enim *Jul. Pollux. lib.* 8. *Onomaſt. c.* 9. *n.* 25. refert: Et inter *Ephebos* jam recenſebantur octodecim annos nati, duo vero ad circum numerabantur. Vigeſimo autem anno in Lixiarchicum librum inſcribebantur, & ſub Dio jurabant: Arma non dehoneſtabo, nec adſtantem, quiſquis is fuerit, ſocium relinquam: pugnabo quoque pro focis & aris ſolus, & cum multis. Patriam nec turbabo, nec prodam. Navigabo contra quamcunque deſtinatus fuero regionem: ſolennitates perpetuas obſervabo: receptis conſuetudinibus parebo, & quaſcunque alias populus prudenter ſta-

ſtatuerit. Et ſi quis leges receptas ſuſtulerit, niſi comprobaverit, non permittam. Tuebor denique & ſolus & cum reliquis omnibus. *Dii horum mihi teſtes, agrauli, Enyoclius, Mars, Jupiter, Floreo, Augeſco. Duci.*

CAPUT XVIII.

De Variis Juramentis Romanorum eorumque ritibus.

I. Apud *Romanos Conſules* deſignati jurabant, ut *Plin.* in Panegyrico *Trajanum* ait Conſulem deſignatum ſtetiſſe ante gremium *Conſulis* ſedentis, eoque præeunte conceptis verbis juraſſe: quod ille miris in cœlum laudibus effert his verbis: *Peracta erant ſolennia Comitiorum, ſi principem cogitares* jamque ſe omnis turba commoverat, , cum tu mirantibus cunctis, accedis ad Conſules: Adigendum te præbes *in verba* Principibus ignota, niſi cum jurare cogerent alios. Et mox *Trajanum* Conſule præeunte juraſſe cum ſolenni execratione, ſi falleret, addit Conſulatu quoque abeuntes *Jusjurandum* dabant, ſe nihil contra leges feciſſe, aut aliud quid ejus generis. Argumento eſt, quod, Ciceroni, pridie *Calend. Januar.* quo die Conſulatu abiturus erat, concionis habendæ facultatem a *Metello Nepote Tribuno plebis* denegatam: nec aliud conceſſum, quam ut legitimum jusjurandum præſtaret, *Dio lib.* 37. refert. Ita etiam *Tacitus lib.* 20. adducit univerſi Senatus *Jusjurandum* in hæc verba: *Senatus inchoantibus* primoribus. *Jusjurandum* excepit, quo certatim omnes Magiſtratus, ceteri ut ſententiam rogabantur, *Deos teſtes advocant, nihil ope ſua factum quo cujusquam ſalus læderetur: neque ſe præmium aut Honorem ex calamitate civium cepiſſe* conf. *Barnab. Briſſon. formul. lib.* 8. *pag. m.* 715.

II. Sic in *Leges* juraſſe *Judices* non eſt ignotum, ſed & Magiſtratus plerumque atque adeo univerſum Senatum in *Leges* juraſſe, *Cic. pro Sextio. Livi: lib.* 29. *&* 30. & *Appian. lib.* 1. *de bell. civil.* oſtendunt. *Dionyſ. Halicarnaſſ. lib.* 6. ait *Populum* etiam *Romanum* in legem *Sacratam* ſeu *Tribunitiam* juraſſe. Jurisjurandi *in Verba* meminit *Horat. od.* 15. *Epod. & Epiſt.* 1. *lib.* 1. *Tacit. lib.* 17. & *lib.* 1. ſcribit, quod *Sex. Pompejus* & Sex. Apulejus *Coſſ.* primi *in verba Tiberii Cæſaris juraverint*. Plane Triumviro Reip. conſtituendæ auctores fuiſſe, ut in *acta Julii Cæſaris juraretur*, idque poſtea in exemplum tractum *Dio lib.* 47. enarrat. Similiter de jure jurando in *Litem* pluribus egit *Barnab. Briſſon. de formul. lib.* 5. *pag. m.* 372. 373. ubi ex legibus multas conſuetudines profert.

III. Moris etiam fuit apud Romanos ut juramentum *Calumniæ* deponerent, in quo tamen non una tantum ſpecies erat. Nam & qui opus novum nunciabat, *jurare* debebat, *non calumniæ cauſa opus novum nuntiare*. Quod jusjurandum auctore *Prætore* deferebatur. Similiter qui damni infecti caveri ſibi poſtulabat, prius de *calumnia* jurare debebat & quæ aliæ ſunt ſpecies. vid. *Barnab. Briſſon. Formul. lib.* 5. *pag. m.* 462. Inprimis autem Actor juret: *Hanc litem quam movi calumniandi animo non movi. Sed exiſtimo me habere bonam cauſam, nec dilationis, nec calumniæ, nec vexandi adverſarii gratia probationes in tota hac cauſa ab adverſario meo nullas exigam: Si Deus &c.* Poſtea reus ita: *Ego putans bona inſtantia cauſæ ad contradicendum pervenio, nec dilationis, nec calumniæ cauſa, nec vexandi adverſarii gratia probationes in tota hac cauſa ab adverſario meo ullas exigam: Si Deus &c.*

IV. Quibus autem verbis jusjurandum in Actionibus tam in *perſonam*, quam in *Rem* conceptum fuerit, differit pluribus ſæpe citatus *Barnab. Briſſon. form. lib.* 5. *p.* 372. *ſeq.* De jurisjurandi formulis, quod adverſario deferente ſuſcipiebatur. Videatur *p.* 472. 463. Verum inter omnia juramenta Militum juramentum notatu dignum erat. Formulam certe juris jurandi, quo Tribunus militaris, cum delectus antiquitus fieret, militeſque ſcriberentur, eos adigebat, hujusmodi fuiſſe *Agell. lib.* 16. *Noct. Attic. c.* 4. ex *Cincii de re militari libro* 3. literis prodidit: *In Magiſtratu* C. *Lælii* C.F. *Coſ.* L. *Cornel.* P.F. *Coſ. in Exercitu, decemque millia paſſuum prope, furtum non facies dolo malo, ſolus, neque haſtam, haſtile, pluris numi argentei in dies ſingulos, extra haſtam, haſtile, ligna pabulum, utrem, follem, faculam, ſi quid ibi inveneris, ſuſtuleriſve, quod tuum non erit, quod pluris numi argentei erit, uti tu Ad.* C. *Lælium* C.P. *Coſ.* L. *ve Cornelium* P.F. *Coſ. ſive adquem eorum jus erit. Proferas, aut profitebere. In triduo proximo, quidquid inveneris ſuſtuleriſve dolo malo: Aut Domino ſuo, cujus id cenſebis eſſe, reddes, uti quod recte factum eſſe voles*. Sic *Polybius lib.* 10. teſtis eſt, milites in procinctu ſolenni jure jurando adactos, *Seſe nil quicquam ex præda parta averſuros interverſuroſve eſſe*. *Dionyſ. Halicarnaſſ.* lib. 11. tradit, juraſſe eos, Duces non deſerturos eſſe. Obligatos etiam eodem jure jurando, *ne Signa deſererent*.

V.

V. *Scipionem* vero *Livius lib.* 22. docet jurejurando a se dato & præstito, alios eodem adegisse in hæc verba, *ut ego Remp. non deseram, neque ullum civem Rom. deserere patiar: Si scient Fallo ex animi mei sententia. Tum me jupiter Opt. Max. Domum, familiam, remque eam pessimo letho afficiat &c.* Ipsi etiam inter se milites quandoque jurabant, *Se non nisi victores ex acie reversuros.* conf. plut. *Barnab. Brisson. Form. lib.* 2. *pag.* 338. *Kippingi antiquit. lib.* 3. *c.* 1. *pag. m.* 402. Alios etiam hoc jusjurandum *Sacramentum* dixerunt. Fuit autem hæc Sacramenti militaris ratio stante Republ. At ubi ea in Cæsarum potestatem venit, militaribus Sacramentis hoc amplius adjectum est, ut Cæsaris salutem omnibus rebus anteferrent. Quod *Arrian. lib.* 3. *Epictet. cap.* 14. docet. Asserunt *Caligulam* quoque instituisse, ut sacramentis omnibus adjiceretur: *Neque me, liberosque meos cariores habeo, quam Cajum & Sorores ejus, Svetonius* in ejus vita memoriæ prodit. Præterea milites jurasse, *militia se nisi post completa stipendia recessuros Isidorus lib.* 9. *Etymol. c.* 3. *Servii*, quantum conjicio, in *lib.* 8. *Æneid.* auctoritate fretus tradit. Denique ubi religione Christiana Populus Romanus imbui cæpit, mutatam fuisse Sacramenti militaris formulam ex *Vegetio lib.* 2. *c.* 5. patet. Nam *picturis*, ait ille, in cute punctis, milites scripti, cum matriculis inseruntur, jurare solent. Et ideo *Sacramenta* dicuntur, *Jurant autem per Deum & Christum*, & *Spiritum Sanctum* & *per majestatem Imperatoris*, quæ secundum Deum generi humano diligenda est & colenda. Et mox: *Jurant* autem *milites omnia se facturos quæ præceperit Imperator: nunquam deserturos militiam, nec Mortem recusaturos pro Romana Republica.* Plura qui desiderat, evolvat cit. *Brisson. lib.* 2. *pag. m.* 333.

CAPUT XIX.

De Juramentis in fœderibus pangendis eorumque ritibus variis.

I. Ritum in fœderibus pangendis ipse Deus præscribit *Genes.* XV. 9. 10. Verum ut ordine rem tractemus, I. Hebræam vocem perlustrabimus, ubi generali venit nomine ברית, quo notatur quodvis testamentum, fœdus seu pactum, sive *nudum absque ceremoniis*, quale erat illud inter *Deum* & Protoplastos nostros post lapsum *Genes.* III. 15. Sive *vestitum* certis quibusdam *ceremoniis*, *solennitatibus* & *promissionibus*. Verum quod ad primum attinet, pactum in rigore sic dictum inter *Deum* & *hominem* proprie nullum est, nam egregie demonstrat *Aristoteles Ethic.* V. συναλλάγματι vel proprie pacta inter æquales fieri; Sed inter Deum & hominem proportio nulla, æqualitas nulla, imo distantia infinita est, eo tamen non obstante, misericors Deus pro immensa φιλανθρωπία sua cum rebus a se creatis, præsertim cum miseris mortalibus per quendam quasi condescensum pacta ferire non dubitavit, hinc expresse *Genes.* IX. dicitur: Deum cum *Noacho* pactum iniisse legis de mundo per diluvium nunquam evertendo, hujus pacti gratiosum signum in nubibus iridem constituit, ex quo Noachi pacto regula Theologorum nota est: Quoties in Sacra Scriptura divina promissio habet additum signum æternum, toties est pactum. Hinc dicitur arca fœderis, item Tabulæ fœderis, quod hæ tabulæ & illa arca essent signa divini fœderis cum hominibus initi interim non nego, interdum nudas promissiones inter Deum & hominem ultro citroque factas, sine addito signo pacta vocari, ut proinde regulam illam Theologorum non liceat simpliciter convertere.

II. Constat igitur hanc & olim & nunc quoque esse omnium fere gentium consuetudinem, ut partim sacris quibusdam ceremoniis, libationibus atque victimis: partim symposiis adhibitis fœdera stabilita fuerint. Nam ut ab Hebræis incipiam, apud illos in fœderibus faciendis victimas simul atque convivia in usu fuisse cum ipsius nominis Hebraici notatione, tum exemplis quibusdam probari potest. Fœdus enim Hebræis ברית *Berith* appellatur, quasi כרית *Cerith*, ut nonnullis videtur, quod in fœderibus ineundis victimæ cædebantur, ac proinde sæpe construatur cum verbo כרת *Carath* i. e. *feriit, percussit*. Sic *fœdus* quoque Latine nonnulli a feriendis victimis volunt esse dictum. conf. *Buxtorff. Lexic. in voce* כחר, a qua alii recedunt & a בחר deducunt, quæ divisionem significat, literarum tantum facta transpositione, & sic volunt fœdus dictum ab illa divisione victimæ in duas partes & paciscentium per illas transitu olim usitato, de quo mox dicetur. Sunt qui ita volunt dictum a ברה, quod *cibum capere* significat, ab epulis nimirum atque conviviis, quæ adjungebantur. Nonnullis tamen, ut hoc quoque addamus, magis placet vocabulum ברית derivati a ברר quod & eligere & purum esse sive purgare significat; idque vel quod in fœderibus ineundis voluntatum consensus requiratur, vel ab electio-

ne tum personarum, cum quibus vinculum amicitiæ inire volumus, tum capitum fœderis, quæ sancte religioseque sint servanda, tum victimarum, quæ adhiberi debent: vel denique quod ingenue atque candide & sincere sine omni fuco atque dolo fœdera & iniri & servari, debeant.

III. Nunc ad exempla pedem movemus, ex quibus clarius adhuc patebit & victimas & epulas ab Hebræis fœderibus contrahendis fuisse adhibitas. Antiquissimum sane & clarissimum est illud *fœdus*, Deus cum *Abrahamo* & tota illius progenie hujusmodi fere ceremoniis percussit. *Sume*, inquit Deus, *mihi vaccam triennem*, (de qua *vid. Henric. Ainsvvorth. comment. in Gen. fol. m.* 60. *edit. Londin.*) & *capram* atque *arietem triennes*, *turturem* quoque & pullum columbarum. Abrahamus itaque Dei jussu & mandato animalia illa accepit, & terrestria quidem mactavit, ac in duas partes divisit, & unamquamque e regione alterius posuit: aves autem non divisit. &c. Ex quibus constat, victimas jugulatas, deinde ceremonias quasdam observatas fuisse. Id enim apud Veteres Orientales moris fuit, ut inter sanciendum fœdera primo *Juramenta*, quæ etiam apud quosvis non ejusdem generis erant, præstarent, postea inter partes pecudis cæsæ transirent, eoque ritu sibimet ipsis simile exitium precarentur si fœdifragi fierent, quasi dicerent: *Faxit Deus, nisi foedus servavero, ut & ego in partes discernar perinde ut hoc Animal jam discretum est.* Hinc in Sacris sæpius legitus *dissecare fœdus*, quod non significat violare vel solvere fœdus, ut vulgo errant, sed ferire fœdus conf. *Buxtorff. in Lexic. rad.* כרת. Et hic paciscendi ritus tum *Chaldæis* fuit usitatus, tum ipsis quoque *Judæis*. De Chaldæis hoc ostendit B. *Matthiæ* in *art. de V. & N. T.* quibus calculum addunt *Cyrill. lib.* 10. *contr. Juliam* & ex eo. *Gensius de victim. hum. part.* 1. *pag. m.* 287. *edit. Amst.* 1689. B. *Hildebrand. Msum antiquit. Script.* De Judæis ex hoc loco res manifesta est, ubi eundem sanciendi fœdus per animalium sectionem Deus observat morem in pacto Abrahamico. Quo facto & ipse Deus sub symbolo clibani fumantis per medias divisiones transiit, indicans ita fore dividendum, qui fœdus rumperet. Ad eum fere modum spectasse omnino verisimule est *Saulum*, qui divisis suis in omnem terram Israel bobus Israelitis fœdus secum tanquam Rege coram Domino initum in memoriam revocatum voluit, subnexo hoc mandato, nisi quis ad Regium signum advolaret, idem illius bobus futurum. conf. *Trancis. Mendoza. comment. in h. l. fol. m.* 187. *tom.* 3. *Frischmuth. Diss. de fœdere Novo.*

IV. Ad eundem more *Jeremias Propheta* perspicue alludit, dum Deum ipsum loquentem, & populo suo fœderis violationem his verbis exprobrantem inducit: *Viros*, inquam, istos, qui fædus meum transgressi sunt, neque rata habuerunt verba pacti coram me in templo meo initi, quando mactatam buculam in duas dividentes partes inter ipsas, inita pacta confirmaturi transiverunt Principes regni Judaici & Proceres Hierosolymorum, Eunuchi Sacerdotes & omnis populus, qui inter divisas buculæ partes pro more confirmandi pacti transierunt. Hanc cæremoniam sic explicat *Petrus Martyr in Genes.* Præterea cum pactum ineatur minimum inter duos, idcirco frustorum carnium duplex ordo statuebatur, ut transeuntes per medium denotarent, se recipere, quod pro sua parte facturi essent, quicquid tunc promittebant. Ad hoc animal, quod erat unum, sic aperiebatur, ut cum ineuntes fœdus per ejus medium transirent, viderentur quodammodo conjungi atque colligari in uno & eodem corpore. Hoc ergo symbolo significabant velle se arctissime conjungi. Ad quem ritum Judæi respiciunt, cum inprecibus suis dicunt: *Obsecro Rex misericors & gratiose, recordare & respice fœdus inter segmenta initum*, quemadmodum ex libro precun Judaicarum *Ludov. de Dieu* affirmat.

V. Hic ritus postmodum ad alias transiit Nationes. Eodem fere modo *Græci* & *Trojani* amicitiam resarcire studebant, de quo prolixe *Homerus* 3. *Iliad.* Verum paganos & profanos in fœdere confirmando partes dissectas non transiisse vult celeberrimus Vir *Christian. Schottan. in Histor. Sacr. tom.* 3. *p.* 96. *ad lib.* 1. *c.* 6. *Sulpit. Sever. Histor.* Cujus viri sententiæ sicut refragari nolo, ita certum est, quod Ethnici cum mutuam fidem ad aliquid præstandum inter se obligarent, & jurarent (quod juramentum certe & obligatio quid aliud, quam fœdus est?) per porci mactati medium transgressi fuerint. Sic *Dictys Cretens. lib. bell. Trojan.* de Græcis: Tunc communi consilio super conditione prælii (belli) jusjurandum interponi hoc modo placuit: *Calchas Testoris* filius, præscius futurorum porcum marem in forum medium afferri jubet, quem in duas partes dissectum orienti occidentique dividit, atque ita singulos nudatis gladiis per medium transire jubet. Dein mucronibus sanguine ejus oblitis, adhibitis etiam aliis ad eam rem necessariis,

riis, inimicitias sibi cum Priamo per religionem confirmant, neque prius se bellum deserturos, quam *Ilium* atque omne regnum eruissent. Queis perfectis pure loti Martem atque concordiam multis immolationibus sibi adhospitavere. Hoc etiam extra omnem dubitationis aleam positum est exercitus lustrandos *animalis* per medium disscissi partes transiisse, sicuti de *Bœotis Plutarchus* ex fide *Hugonis Grotii* apud eundem *Schottanum* eodem loco *pag.* 97. de *Macedonibus Curt. lib.* 10. testatus, qui ad hoc canem edhibuerunt. Ita etiam *Melotti* lustraturi copias taurorum segmenta transgressi sunt, teste *Hugone Grot.* ex *Zenobio*. *Xerxes* vero *Persarum* Monarcha animalibus irrationalibus non contentus exercitum suum per *Pythii* filii natu maximi dissectas duas partes traduxit & lustravit sicut docet *Herodot. lib.* 7. *pag.* 389.

VI. Ad Romanos progredimur & illorum ritum perlustramus. Hi fœdera inire solebant animalis alicujus, præcipue porci, uti habet *Quintilian. lib.* 8. *cap.* 3. mactatione, unde fœdus quidam dictum volunt a feriendo. Alii a *fœdando*, i. e. cœdendo porcam. Sunt etiam qui fœderis vocabulum a fæcialibus derivant, quia per illos olim fœdera sanciebantur. Fœderis autem pangendi apud Romanos hæc olim fuit consuetudo atque cæremonia: Si quando fœdus feriendum erat, fiebat Sanatus consultum in hæc verba: ut privas verbenas, privosque lapides Prætorem Fæciales poscerent (sancire enim aut pacta concipere Fæciales non aliter poterant, quam si Consulis aut Prætoris autoritate intercedente S. C. jussuque populi permissum esset (qui verbenam ex arce & sagmina (herbæ genus est) ac lapidem silicem ex templo Jovis Feretrii daret, Fæcialesque ea secum ferrent. Ac porca adhibita, vetere præfatione, priscis carminibus ad præstitutum diem in foro, seu ubi convenerat, enunciatis, Fæcialis sceptrum manu tenens, pro Jovis simulacro, tanquam is fœderi adhiberetur, filo lanæ capite velatus & verbena coronatus, *Jovem*, *Martem* cæteros obtestari Deos & dira obsecratione precari solebat, ut si quis eorum fœdera violasset, aut illa sciens falleret, ita illum Jupiter feriret, quemadmodum ipse porcum percuteret. Quibus obtestationibus quamsanctissime prolatis, secundum rem divinam precationemque lapide silice porcam percutiebat: mox aqua & igne in saccis adhibitis illam immolabat: qua cæsa jura pacis & fœdera conventa icta rite esse putavere: hancque fidem socialem & sanctissimum fœdus esse arbitrabantur, quo nihil firmius esset. Nam post meridiem eas precationes facere aut fœdus percutere non licebat. Hoc de Romanorum antiquo fœderis percutiendi more videndus *Liv. lib.* 1. *dec.* 1. confer. *Dieter. antiquit. Bibl. fol. m.* 633. Hic addere lubet vetustissimum *Jurisjurandi* morem a *Livio* prætermissum, quem *Polybius lib.* 3. his verbis describit: Carthaginenses Deos patrios attestati sunt: deinde *Romani* per lapidem, secundum vetustissimum ritum, *Martisque Quirinique* nominibus additis, *Jusjurandum* præstiterunt. Ritus lapidis fuit hujusmodi: Fæcialis populi Romani sumto in manu lapide, postquam inter partes de fœdere convenit sic loquitur: *Si recte & sine dolo malo fœdus hoc atque jusjurandum facio Dii mihi cuncta fœlicia præstent. Si aliter aut ego aut cogito, cæteris omnibus salvis in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis Templis, in propriis Sepulcris solus ego peream, ut hic lapis e manibus meis decidit*. Ejusdem meminit *Sab. lib.* 6. *Enn.* 4. *Gell. lib.* 1. *cap.* 21.

VII. Hunc ritum nobis quoque exhibet *Barnab. Brisson. lib.* 4. *pag. m.* 596. ubi juxta circumstantias illum describit. In fœdere ineundo certa fuisse, ex Feciali jure, verba adhibita ostendit *Tiraquell. in Claud. cap.* 25. Cum *regibus*, inquiens, fœdus in foro icit, porca cæsa, ac veterum Fecialium præfatione adhibita. Ea præfatio qualis fuerit, ex his *Livii* quæ sequuntur verbis illucescit. Sic enim *ille lib.* 1. de fœdere inter Tullum Hostilium & *Albanos* percusso agens, *Fœdera* ait, alia aliis Legibus, cæterum eodem modo omnia fiunt. Cum ita factum accepimus, nec ullius vetustior fœderis memoria est, Fecialis Regem *Tullium* ita rogavit: *Jubesne me Rex cum Patre Patrato Populi Albani Fœdus ferire* jubente Rege, *sagmina*, inquit *te Rex posco*. Rex ait: *Puram tollito*. Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit: postea Regem ita postulavit: *Rex facis ne me tu regium nuntium Populi Rom. Quiritum, vasa, comitesque meos*: Rex respondit, *quod sine fraude mea Populi Roman. Quiritium fiat; facio*. Fecialis erat M. *Valerius*: is Patrem Patratum *Sp. Fusium* fecit, verbena caput, capillosque tangens (pater patratus ad *jusjurandum* patrandum, i. e. sanciendum fit) fœdus multisque id verbis, quæ longo effata carmine non operæ est referre, peragite Legibus deinde recitatis, *audi* inquit, *Jupiter*, *audi Pater Patrate Pop. Albani audi*

di tu Populus Albanus, ut illa palam prima postrema ex illis Tabulis, cerave recitata sunt, sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime inter lecta sunt: Illis legibus Populus Rom. prior non deficiet. Si prior detexit publico consilio, dolo malo, ut illo die Jupiter Populum Rom. sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque. Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Formulam etiam *jurisjurandi* quo Fœdera firmabantur *Polybius lib.* 3. eleganter explicat. *Servius in* 12. *Æneid.* ad verbum, *concipe fœdus*, concipe, ait, conceptis verbis: Concepta autem verba dicunt *jurandi* formulam, quam vobis transgredi non licet: plura qui de his formulis & ritibus desiderat, adeat cit. *Barnab. Brisson. lib.* 4. *pag. m.* 358. 359. *seqq.*

VIII. Fœdera quoque una cum præstito *juramento* facta fuisse inter convivia testatur Scriptura *Gen.* XXVI. ubi *Isaacus* cum *Abimelecho* ejusque amicis fœdere percusso convivium magnum apparasse, & una cum illis cibum potumque sumsisse dicitur. Similis epuli fœderalis fit mentio *Jos.* IX. 14. Ita *David* inito fœdere cum *Abnere* & ejus sociis, convivium illis adornasse dicitur, quod quidem fœderis illius indicium fuit. 2. *Sam.* 3. 20. Hujusmodi quoque illud *Labani* & *Jacobi* convivium fuit, de quo scriptum est *Genes.* XXXI. Erecta statua, nec non lapidum tumulo excitato, super eum una panem, hoc est, cibum sumserunt ad mutuam nimirum animorum reconciliationem significandam. Illum autem tumulum, qui illis mensæ loco hospitalis fuit, *Laban* quidem lingua sua Syriaca *Jegar Schachadutha*, *Jacob* autem sua *Galeed*, hoc est tumulum Testimonii, nec non *Mispach.* h. e. speculam appellavit, propter causas, quæ ibi commemorantur. At paulo post *vers.* 54. *jurejurando* ad fœderis confirmationem ab utroque facto, *Jacob* illo monte mactationem mactasse dicitur, confer. *Henric. Ainsvvorth. comment. in h. loc. fol. m.* 118. *edit. Londin.* Sic *Abrahamus* cum *Abimelecho* fœdus iniens septem agnas statuit in testimonium, quod is numerus absolutus & *juramenti* instar esset, uti *Gen.* XXI. scriptum est.

IX. Nec silentio prætereundum, quod sacrificia in fœderibus sanciendis fuerint adhibita, testis hujus est *Moses*. Nam cum ille ad radices montis *Sinai* altare ædificasset & duodecim titulos secundum XII. tribus excitasset, juvenes (Sacerdotes) jussu Mosis holocausta, victimas pacificas, ac duodecim vitulos Domino immolaverunt. Tunc Moses dimidia sanguinis parte crateras implevit reliquam partem effudit super altare. ---- Tunc ille populum sanguine aspersit, talia fatur: Hic est sanguis fœderis, quo pepigit Dominus vobiscum super omnibus sermonibus istis. Accedit & *fœdus Salis*, quod firmum & perpetuum dicitur.

X. Hunc Judæorum ritum sædera sacrificiis ineundi, aliæ quoque gentes sedulo fuerunt imitatæ. Ac apud *Græcos* quidem illum fuisse usitatissimum, ex multis Scriptoribus satis constat, id quod ipsa nomina testantur. Sic enim σπονδὰς vocant & *libationes* & *fœdera*, quæ libatione intercedente sanciebantur. Hinc σπένδεσθαι, & σπένδεσθαι σπονδάς, ποιεῖσθαι σπονδὰς, σπενδοποιεῖσθαι illis idem est, quod fœdus inire: σπονδὰς contra λύειν sive παραβαίνειν i. e. fœdus solvere, transgredi: item ἄσπονδος fœderis expers. Similiter ὅρκια ταμεῖν quod frequens est apud *Herodotum* & *Homerum* idem valet, quod mactata hostia fœdus sancire, ita *Latini* eandem ob causam fœdus icere, ferire atque percutere appellant: qua phrasi utitur *Eustath. in Homer.* item τάμνειν ὅρκια apud *Homerum* & *Herodotum* teste *Stuckio lib.* 1. *antiquit. Convival. fol. m.* 109. *edit. Tigur.* In his sacrificiis imprecatio fiebat maxima in eum, qui fœdus violasset.

XI. Sic Ægyptiorum Auxiliares *Græci* & *Cares* cum hostibus congressuri puerorum mactatorum sangninem sibi invicem propinarunt, quo fortasse tanquam *Sacramento* fidem mutuam interposuerunt, quod alter alterum in prælio non desereret, sed omni opera & viribus, quantum posset, adjuvare conaretur. *Herodot. lib.* 3. *pag.* 161. Filios qui erant a Phane relicti in *Ægypto* in castra perduxerunt, atque in conspectum patris positoque in medio duorum exercituum cratere: dehinc productos singulos puerorum super craterem obtruncaverunt: quo sanguine epoto auxiliares ita conflixerunt. Dici etiam posset, quod hoc sanguine se inebriaverint, ut victoriam ab hoste reportarent. Simili fere modo *Græci* adversus Persarum insultus, & instans bellum, se mutuo juramento obstrinxerunt, fœdusque ad hostem propulsandum fecere, *Herodot. lib.* 8. Fœdus autem ita habebat: Quicunque *Græci* se dedissent *Persæ* non adacti necessitate, eorum decimum quemque rebus bene constitutis, se Deo, qui Delphis est, devoturos. Hoc nefando *Sacramento Bruti* filii in Romanæ Reipubl. perniciem etiam conspirasse dicuntur a *Johanne Tzetza histor. Chil.* VI.

VI. *cap.* 59. cujus verba Latine reddita adducemus:

In parallelis Plutarchus Bruti filios dicit
Titum & Valerium, & illos Colatini
In latrina obscura hominem immolasse
Et intestina ejus comedentes conjurasse
Ut tyrannidem haberent veteris Romæ.

XII. Errat autem maxime *Tzetzes*, quod *Plutarchum* in *Parallelis* conspirationem hanc *Bruti* filiorum per viscera humana factam commemorare affirmat. Sed eo in loco *pag.* 308. *Plutarchus* quidem ex *Aristide Milesio* in Italicis scribit, quod *Brutus*, filios ob proditionem securi percuti jusserit, sed de intestinorum comestione & latrina ibi ne jota quidem habet. Ita hanc historiam commemorat *Plutarchus* in vita *Puplicolæ pag.* 98. Ut igitur hi adolescentes pellecti in colloquium cum Aquiliis venerunt, omnibus visum est hominis jugulati sanguine libato, & visceribus tactis, magnum & dirum *Jusjurandum* concipere. Ad eam rem in domum Aquiliorum congrediuntur. Eodem modo Romano Imperio insidiati sunt *Catilinæ socii* & *satellites*, qui non tantum super mactati pueri visceribus *juramento* inito ad mutuum auxilium & fidem se obligarunt, sed etiam hostiæ mactatæ intestina comederunt. *Dion. lib.* XXXVII. *Histor. Roman.* illud describit: Erant inter hos primarii viri potentissimique, ac præter alios, ipse etiam Consul *Antonius*. Hos, ut se nefando *juramento* adstringerent (*Catilena*) adegit. Puerum enim quendam mactavit, *juramentoque* inito super ejus visceribus, ea deinde ipse cum aliis comedit. Humani sanguiniis solummodo potus & propinationis mentionem facit *Salustius bell. Catilin. pag.* 15. Fuere ea tempestate, qui dicerent, *Catilinam*, oratione habita, cum ad *jusjurandum* populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse; inde cum post execrationem omnes degustavissent, sicuti in solennibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum. Idem *Florus lib.* 4. *cap.* 5. Additum est pignus conjurationis sanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere summum nefas nisi amplius esset, propter quod biberent. *Minucius in Oct. pag.* 71. cum prioribus etiam exacte consentit. Ipsum credo docuisse sanguinis fœdere *conjurare* Catilinam, & Bellonam sacrum suum haustu humani cruoris imbuere. Adde de hoc Catilinæ scelere *Suidam in Catil. Lactan. in V. Theb. Stat. pag.* 170. *Nicet. Choniat. de Imper.* Isaac. *Angeli lib.* II. *pag.* 444. *Tertull. in Apolog. cap.* 9. qui cum *Dione Cassio lib.* XXXVII. *pag.* 48. uno ore affirmant, quod conjurari hominis illius mactati carnem & viscera comederint, sicut etiam docet *Plutarchus in Cicer. pag.* 866.

XIII. Ita etiam *Hannibal*, cum tempestatem illam, quam in Romanos effudit, animo conciperet, libato humano sanguine æternum *Romano* nomini bellum & odium indixisse & *jurasse* videtur. *Sil. Ital. lib.* II. *de bell. Punic. f.* 20. ita intelligi & capi potest.

Parte alia supplex infernis Hannibal aris
Arcanum stygia libat cum Vate cruorem
Et primo bella Æneadum jurabat ad aras.

Hinc etiam illustrari posset *Stat. Thebaid. lib.* 5. ubi agit de *Lesbi* insulæ fœminis, quæ furiata mente bacchantes omnem virilem sexum per insulam exstirparunt, de quibus ita canit:

Congestisque avidæ simul undique dextris
Perfringunt, ac dulce nefas in sanguine vivo
Conjurant.

Eodem etiam modo *Sariaster Armenius* adversus patrem suum *Tigranem* Armeniæ Regem ita cum amicis consensit, & conspiravit, ut omnes dextris manibus sanguinem mitterent, atque eum invicem sorberent, sunt verba *Valer. Maximi lib.* 9. *cap.* II. Sic cruore e dextris constrictis elicito, & ab utraque parte delibato *Ponti Reges* fædera, & amicitiam pacemque contraxerunt. *Tantus Annal. lib.* 12. *pag.* 261. Mos est Regibus, quoties in societatem coeant, implicare dextras, pollicesque inter se vincire, nodoque perstringere. Mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt, quasi mutuo cruore sacratum. Eodem fere modo paciscuntur *Lydi* & *Medi*. *Herodot. lib.* I. *pag.* 29. Ineunt autem hæ Gentes fœdera cum cætero ritu *Græcorum*, tum feriendo brachia, quo illa humeris connectuntur, ac mutuum sanguinem delingendo. Omnia fœdera, societates & amiciciæ sive inter publicas sive privatas per-

perſonas initæ, *ſanguinis mutui* ex corpore provocati deguſtatione apud *Scythas* ſacrabantur. De iis *P. Mela. lib.* 11. *c.* 8. Ne fœdera quidem incruenta ſunt, ſauciant ſe, quia paciſcuntur, exemtumque ſanguinem ubi permiſcuere, deguſtant. Idem de *Scythis* teſtatur *Herodot. lib.* 3. *pag.* 241. Fœdera cum quibuſcunque ineunt *Scythæ*, hoc modo ineunt: Infuſo in grandem calicem fictilem vino, commiſcent eorum ſanguinem, qui feriunt fœdus, percutientes cultello aliquantulum corporis, deinde in calice tingunt acinacem, ſagittas, gladium. Hæc ubi fecerunt, ſe ſe multis verbis devovent. Conf. *Lucian. Toxar. pag.* 636. & 637.

CAPUT XX.

De Juramentorum diviſione.

I. VAriæ extant apud *Theologos* & *Jure-Conſultos*, pro diverſo reſpectu *juramentorum* diviſiones *ſeu diſtinctiones*. Dividitur alias in *Judiciale* & *Extra judiciale*: alias *publicum* & *privatum*: in *Simplex* & *Solenne*: in *Nudum* & *Execratorium*: in *Abſolutum* & *Conditionale*; & alias aliter. Sed nobiliſſima omnium, nec ulli eorum, qui de juramentis ſcripſere prætermiſſa, ea eſt, qua diſtinguitur in *Aſſertorium* & *Promiſſorium*. Cum enim in juramento omni, aſſumatur nomen Dei per modum invocationis in teſtimonium rei alicujus; & hoc variis modis fieri poteſt, uti *Robert. Sanderſon. de jurament. promiſſ. obligat. edit. Londin.* 1647. *pag. m.* 14. fuſe demonſtrat, qui evolvendus. In illo requiritur *Veritas*, ne quid juremus falſi, in hoc *juſtitia*, ne quid ſpondeamus illiciti; in utroque judicium, ne facile ac leviter: ad utrumque Salvatorem reſpexiſſe in Novo Teſtamento aſſerimus.

II. Neque hic fidem accommodare poſſumus Viro celeberrimo *Hugoni Grotio lib.* 2. *de jure belli & pac. cap.* 13. §. 21. Is quæ in Chriſti præceptis & apud Jacobum Apoſtolum de non jurando dicuntur, proprie non ad *Aſſertorium*, ſed ad *Promiſſorium* futuri incerti pertinere cenſet, eo quod dicatur: ὐκ ἐπιορκήσεις, ἀποδώσεις δὲ τῷ Κυρίῳ τὺς ὅρκυς σου. Reddes Domino juramentum, id eſt, præſtabis promiſſum, & a *Jacobo* addatur: ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε *ut ne fallaces inveniamini*. πλοκὴν autem Rhetoricam verbis Chriſti contineri, prius ναὶ & ὂ promiſſum ſignificare, poſterius ejus implementum, ita enim Græcorum ναί Syrorum אין promittentis eſſe, ac μάλιςα, quidni? *Ictorum Romanorum* reſpondentis ad ſtipulationem, *Apocal.* 1. 7. 2. *Cor.* 1. 20. Hæc vir ſui nominis *Grotius* ſubtilius ſane quam vulgus *Meniſtarum* in *Belgio* qui omnino juramenta, interdicta eſſe a *Chriſto* & *Jacobo* blaterant, haud paulo verius, ſupponit enim, *Judæos* perjurium in *promiſſorio* tantum juramentorum genere agnoviſſe, *verſ.* 33. non item in *Aſſertorio*, quod μέγα λίαν ἅιτημα, nec non omne promiſſivum in novo fœdere interdictum eſſe, quaſi vero ὑπόκρισις ac fallacia non in utrumque cadere poſſit. Nec opus eſt ad πλοκὴν recurrere, qualis in illo: *ad illum diem Memmius erat Memmius*, cum hunc oraculi Chriſti ſenſum ſequi liceat: *ſermo veſter adfirmans* fiat per Ναὶ & negans per ὂ quemadmodum λόγος de communi ſermone *Græcis* uſurpatur ac *Helleniſtis*. Et recte obſervavit Academiæ *Lugduno-Batav.* decus olim immortale, *Conſtantinus L' Empereur* הין ac לאו quibus ναὶ & ὂ reſpondet Rabbinis non tantum adſignificare *eſt* ac *non eſt*, ſed orationem quoque deſignare affirmantem & negantem, κατάφασιν καὶ ἀπόφασιν quæ alias משפט מחויב & משפט השולל Hebræis dicuntur, uti ex R. *Simeon* ההגיון conſtat, ſic apud *Moſen Kimchi* הרעת המלך שבילי: occurrit: *Oratio eſt affirmans* vel negans cum veritate vel falſitate. Unde לאוים illis ſunt præcepta negativa ſeu interdicta. Quo ipſo cadit quod *Grotius* ſubjicit, καὶ καὶ ὂ veritatem ſignificare ſecundum *Feſtum in Nauc.* & *Apoſtolum* 2. *Cor.* 1. 18. itaque ναὶ ναὶ & ὂ ὂ conſtantiam.

III. Cum igitur in quovis Juramento aſſumatur a jurante nomen Dei per modum invocationis in teſtimonium rei alicujus dubiæ: advertendum eſt, id poſſe contingere tribus modis. Poteſt enim res aliqua in dubium vocari vel de *Præterito*, itane fuerit, vel non fuerit: ut vidiſtine heri *Cajum* in foro, vel non vidiſti? Vel de *Præſenti*, itane ſit, vel non ſit; ut habeſne pecunias quas apud te depoſui, vel non habes? Vel denique de *futuro*, Itane futurum ſit vel non: ut Dabiſne mihi cras mutuo centum, vel non dabis? Quoties igitur adhibito Juramento Deus advocatur in teſtimonium *rei præteritæ*, vel *præſentis* dici ſolet ejuſmodi *Juramentum aſſertorium*, quia jurans ſine ulla in futurum ſponſione, aſſerit tantum rem ita eſſe vel fuiſſe ſicut ipſe tunc jurat. Quod ſi Deus interpoſito juramento invocetur in teſtimonium rei *futuræ*, dicitur id *juramentum promiſſorium*, quia jurans pollicetur ſe aliquid imposterum facturum vel non facturum. *Aſſertorii* uſus præcipuus in judiciis, ad lites terminandas maxime in quæſtione fa-

facti: *Promissorii* exiguus usus est in judiciis, sed in *promissis*, *pactionibus* & *contractibus* plurimus. Extant hujus generis juramenti multa in historia sacra & alibi passim exempla. Jurat pie *Abrahæ servus Gen.* 24. se Domini mandata fideliter observaturum. Jurat sed incaute *Josuæ cap.* 9. 15. fœdus cum *Gabeonitis*. Juravit Rex *Herodes* sed per quam temere. *Matth.* 14. 7. filiæ Herodiadis daturum se quicquid postularet.

IV. Neque quod *Juramenti Promissorii* rationem aut *effectum* attinet, quicquam omnino interest, *nude* proferatur Juramentum, an cum adjecta consecratione. Sunt quidam, qui Juramentum per *simplicem contestationem* a juramento cum *execratione*, *specie* differre dicunt, ea adducti ratione, quod in illo Deus tantum advocetur ut *Testis*, in hoc ut *Judex*. Verum si rem attentius consideramus, constat, perinde esse. Nam omne juramentum quocunque modo proferatur, sive addita *execratione* aut *expresse*, aut implicite Deum ut Testem primario & ut *Judicem secundario* invocat, vid. pluribus Angl. *Robert. Sanderson de juramenti promissor. obligat. pag. m.* 16. 17. *edit. Londin.* 1647. & *obligationem* involvit, *pag. m.* 24. 25.

V. Paulo ante mentionem fecimus, quod in juramentis *Veritas* adesse debeat, verum hoc discrimine putamus, quod ad juramentum *Assertorium* unica sufficiat Veritas de *præsenti*, cum in *Promissorio* duplex requiratur, una scil. de præsenti, altera de futuro. Veritas de præsenti respicit *ipsum Actum* jurandi, & consistit in hoc, ut jurans, quando jurat, verum dicat; hoc est, ut mens sit congrua verbis, & ut habeat intentionem servandi id quod promittit. Qui actus jurandi in *Promissorio*, quoad veritatem & falsitatem omnino convenit cum actu jurandi in *Assertorio*. Obligatio ergo illa, qua tenetur jurans de præsenti verum dicere, cadit super ipsum actum jurandi, estque illi actui inseparabiliter conjuncta: & proinde, solvi non potest, nec a Juramento separari: & juramenti *Assertorii* præter istam de præsenti nulla est ulterior obligatio, quia materia ejus est factum aliquod *præteritum* aut *præsens*. Sed in *Promissorio juramento*, cujus materia est res de futuro præstanda, requiritur etiam veritas altera *de futuro* sc. quæ respicit materiam *Juramenti*: & consistit in hoc, ut jurans id, quod promisit, efficiat esse verum; hoc est, ut adimpleat promissum. Cum igitur materia juramenti *promissorii*, nempe res de futuro præstanda, propter futurorum eventuum incertitudinem multiplici mutationi obnoxia sit: hinc fit, obligatio quæ cadit super illam Materiam, & qua tenetur jurans de futuro promissum adimplere, mutabilis sit, & a Juramento separabilis. Plura videnda sunt in libello de jurament. promissor. obligat *Sandersonii pag. m.* 209.

VI. Hinc non *nudam promissionem* dicimus, quando quis *signo* tantum jurat. Fuerunt qui æstiment nudam esse promissionem & non juramentum, nisi expresse adhibito verbo *juro* aut Dei nomine dicendo: Juro me facturum, vel *per Deum faciam*, *Deum testor*: ita *me Deus adjuvet*, & proinde non obliget sub pœna *perjurii* sed modo sub pœna mendacii, ita ut qui non fecerit, quod pollicitus, reus sit violatæ fidei, quæ & in promissionibus servanda sit, non autem Religionis, quæ in juramento sit. Dicitur & *Bartolus* in ea fuisse sententia ut putaret, verba saltem aliqua ad juramentum sic esse necessaria, ut nisi verbis prolatis fiat testificatio, non sit formaliter juramentum, nec eo nomine obliget. Sed merito hæc opinio rejicitur. Nam multi & qui ex gravi morbo, vel jam jam morituri sermonis usum amiserunt, si testamentum condunt, quod tantum nutu efficiunt & animi sensa explicant. Eadem prorsus & juramenti ratio est, in quo modo Deus quoquo modo testis invocetur sive expresse sive tacite fiat. Quo facit illud *Stobæi Serm.* 27. Firmum est juramentum, si vel annuero solum. Eodem modo res se habet cum juramentis *per cœlum terram*, *stellas*, *caput* & alia.

VII. Similiter juramentum per idola etiam obligat in conscientia, ut siquis juret per *caput Muhemmedis*. Quamvis hoc juramentum sit λατρεία & cultus divinus, & consequenter non supposito debito objecto potius recedat a Deo, quam ad Deum tendat, nihilominus ratione obligationis effectum suum habet. Nam obligatio etiam oritur ex conscientia erronea quæ vim obligandi habet. Unde recte *Robert. Sandersonius Theolog. Anglus in Academ. Oxoniens.* quondam Professor Regius *in lib. de jurament. Promissorii obligatione prælect.* 5. *sect.* 3. *pag. m.* 148. *edit. Lond. Etsi*, inquit, *Deus falsus revera non sit Deus* (quia ut verum convertitur cum ente, sic falsum convertitur cum non ente) *est tamen Deus opinione ipsius, qui jurat, quod sufficit ad inducendam obligationem: Et proinde tale juramentum est ex Hypothesi verum juramentum, supposita scilicet erronea jurantis conscientia sua id præstare quilibet quod* se-

ſecundum conſcientiæ ſuæ judicium juramento firmavit. Ratio hæc addi poteſt, quia ille, qui per fictitios Deos jurat, tamen pro erroneis non agnoſcit, & ſuos Deos veros putat, idcirco & per eos veluti teſtes infallibiles jurat, & promiſſis ſic firmatis ſtare cupit. Huc accedit aliud momentum, quod ponit *Hugo Grotius lib. 2. de jure Belli & Pacis cap.* XIII. §. 12. *pag. m.* 250. nimirum, Deum ipſum, ſi perjurus idololatra fiat, id in ſuam injuriam, interpretari, contra quod aſſertum ſe armare videtur Cl. Dn. *Caſpar Zigler.* in notis & animadverſionibus ſuper hunc locum. Non autem videmus prægnantes negationis cauſas, & potius dicimus: Deum levitate pejerantis Idololatræ ideo moveri ac offendi, quod perjurio ſuo in putativos Deos admiſſo ſatis declaraverit, quam ipſi parum cordi ſit, fidem Deo datam ſervare; Hæc idola Deos veros exiſtimat, & ipſis fidem rupit, quam neque vero Deo ſervaturus fuiſſet, ſi ipſum agnoviſſet. Unde *Auguſtin. ep.* 154. Et qui per lapidem jurat, ſi falſum jurat, perjurus eſt. Deinde non te audit lapis loquentem, ſed punit Deus fallentem. Huc pertinet caſus a *Luthero* propoſitus in *Explicat. Am. Tom.* 8. *Witteberg. pag.* 418. Hie wird gefragt / warumb der Prophet die Verunehrung und Läſterung dieſes Tempels / der in Jſral war / ſo hart straff t / da er ſie billich hätte loben und ehren ſollen / weil ſie dieſelben Gözen-Häuſer wider GOttes Wort und B fehl auffgerichtet / &c. Reſpondet: Auff die F age iſt zu antworten / ſolche und dergleichen unzehliche Straffen ſind den abgöttiſchen und gottloſen Leuten nicht derohalben von GOtt widerfahren / daß ſie ihre Abgötter nicht geachtet / ſondern dieweil nach Verachtung deß wahren lebendigen GOttes den ſie gar nicht kenneten / auch aller anderen Religion Spott und Läſterung bey ihnen erfolget / welche / ob ſie wohl an ſich ſelbſten GOttes Läſterung wahren / ſie gleichwohl für rechte und wahrhafftige Gottesdienſt hielten / und vermeineten damit dem rechten lebendigen GOtt zu dienen; Alſo ſynd dergleichen auch falſche Eyde under den Heyden gewiſſe Straffen erfolget / nicht darumb / als dörffte man *Jovis* oder *Caſtoris* Namen nicht mißbrauchen / ſondern darumb / weil ſie den rechten wahrhafftigen GOtt nicht erkenneten / und an deſſelben ſtatt ihrer G ken und Abgötter Namen gebrauchten / und als rechten Gott ehreten / und gleichwohl derſelben zu ihrem Nuk und Vortheil mißbrauchten / auß Spott und Verachtung aller Religion und Gottesdienſt. Ex quibus omnibus ſequitur, obligari illum, qui per falſos Deos juraverit, ſicuti, qui per Juramentum verum ſe Deo vero adſtringit. Plura hic de Juramentorum obligatione, ſcil. de juramentis Magnatum & Satraparum, Doctorum & ſtudioſorum in Academiis adducere poſſemus, quæ omnia in conſcientia obligant, ni brevitati ſtudere vellemus. Remittimus lectorem ad ſæpe citatum *Sanderſonium*, ubi de his ſcitu neceſſaria reperiet.

CAPUT XXI.

De Juramentorum uſu & abuſu.

I. QUod ad Juramentorum uſum attinet, ſane *Pelagiani* in Novo Teſtamento interdictum dixerunt, quod recte in illis notarunt *Janſenius*, *Maldonatus* & cl. *Voſſius hiſtor. Pelag. lib.* 5. *part.* 2. Quamvis iſtius erroris neque *Centuriatores Magdeburgenſes* Cent. V. neque *Nicolaus Sanderus* de viſibili Monarchia Eccleſiæ, meminerint; ſed & *Patrum* quidam *Pelagianis* hac in parte adſtipulati ſunt. *Baſilius ad Pſalm.* 14. *Chryſoſt. homil.* 17. *Theophylact. Auctor Operis imperfecti*, *Hieronym. ad Galat.* 4. alii apud *Sixtum Senenſem Bibliothec. Sanct. l.* 9. *annot.* 26. ſane levi de cauſa, cum longe alia mens ſit Salvatoris, non quaſi omnia juramenta, qua talia, damnet, cum non omnis diffidentia ſit irrationabilis, ut cui fides merito ſit ſuſpecta. Næc in Chriſtianis potius quam *Judæis*, quod volunt *Magiſtri Socinianorum*; aut unum magis, quam alterum: Sed cum hæc conſtans ſit vulgi Hebræorum opinio, quamvis erronea, eum, qui per res creatas jurat, non ἐπιορκεῖν, neque illud juramentum vanum eſſe & temerarium, ſed ὀυδὲν εἶναι indifferens, καὶ ὀυκ ὀφείλειν; aliter autem, ſi quis per Deum juraverit, tum ſi perjurium commiſerit, ſacrificio eſſe purgandum, ac poenas temeritatis luere debere, ut ex *Maimonid. cap.* XII. conſtat. Contra Chriſtus, non jurandum eſſe omnino per res Creatas, cum Deus aliquo modo interpelletur, eo ipſo jurejurando tanquam teſtis & judex, ac teneri lege perjurii, qui fefellerit, ſimpliciter autem vana eſſe ejuſmodi juramenta ac temeraria, quod etiam quidam ſapientes e Judæis agnoſcebant. Et ſane perquam eſt abſurdum, quaſdam Juramenti formulas putare vim habere obligandi, non tamen perjurii poenam mereri, ut ſecundum Judæos בקרבן & ἐν τῷ χρυσῷ τοῦ ναοῦ.

Diſputant equidem ex hoc loco *Thomas* 2. 2. *q.* 89. *a* 6. *Caſuiſtæ* & maxime *Canoniſtæ* ad *cap.* 8. conſidera & *cap.* 9. clericum 22. *q.* 1. an licet per creaturas jurare? de *jure Civili* nullum relinquitur. De *jure Divino*, ſunt qui affirmant, abuſi exemplis *Joſephi*, *Eliſæi*, non quidem ſimpliciter, ſed in ordine ad Creatorem, quatenus in illis elucet divina veritas, non explicite, tanquam per primam veritatem, ſed indirecte & re-

reductive. Arrisit hoc *Johanni Calvino Harmon. Evangel. cap.* 5. *Hugoni Grotio* §. 11. aliisque; merito tamen displicet *Andreæ Riveto prælect. in cap.* xx. *Exod. v.* 7. *q.* 3. *Guilielmo Amesio de conscientia & ejus jure lib.* 4. *cap.* 22. Cum Dominus non formulas approbet faciendas, sed factas doceat obligare. Certe, cum *Juramentum sit actus voluntatis imperatus religiosus, quo Deus vel simpliciter, vel cum imprecatione aliqua, in testem eorum invocatur, quæ adferuntur vel promittuntur;* sequetur, jurare per creaturam, in ordine ad Creatorem, esse religiose invocare creaturam, in ratione Creatoris, quod implicat. Alia tamen est ratio juramenti *Execratorii*, ubi per Deum directe juratur, devovendo res creatas. De *jure Canonico* videndus *Innncentius* III. *cap.* 26. *Etsi Christus. Ext. de jurejurando*, poenam nempe ἐξομολογήσεως incurrit, qui per creaturam jurat. Sicut qui capillum Dei vel caput ejus blasphemiæ *cap.* 10. si quis per capillum, stabat scil. blasphemus ex præscripto *Gregorii* IX. *cap.* 2. *Statuimus Extr. de maledicis*, præ foribus Ecclesiæ, hoc enim προσκλαίειν dicebatur, idque septem diebus Dominicis, jejunans in pane & aqua, postrema quidem die sine calceamentis ac sine pallio, ligatus corrigia circa collum, quo de ut & aliis Poenitentium Ordinibus eorumque stationibus ex *Gregorio Thaumaturgo* agunt *Meisnerus de legib. Joseph. Mede Angl. tr. Churches, that is* appropriate places for Christian Worship. seu de antiquitate Templor. *Isaac. Casaubon. Exercit.* 16. *ad annal. Baron. diatr.* 43.

III. Nos itaque contra Anabaptistas & Socinianos statuimus *Juramenti usum esse licitum*, id quod probamus ex usu Veteris Testamenti. Jurabant pii *Patriarchæ Gen.* XIV. 22. & 26. 35. & 31. 53. Jure jurando terminari controversias instituit in lege *Moses Exod.* XXII. 11. Conditiones in jurando observandas præscripserunt Prophetæ. *Jerem.* 42. Neque potest reddi justa aliqua ratio, cur piis sub Veteri Testamento jurare licuerit, fidelibus sub novo non item liceat; cum non pertinuisse jusjurandum ad legem Ceremoniarum per Christum abrogandam, & ex ejus *fine* patet, cujus est perpetuus usus; & ex *forma* quæ nihil videtur habere cum typo commune. *Secundo* ab exemplis *Dei Gen.* XXII. 16. *Psalm.* 140. 3. *Hebr.* 6. & 7. *Angelorum Dan.* XII. 7. *Apocal.* x. 6. *Apostolorum. Rom.* 1. 9. & 9. 1. qui omnes sæpe in Scriptura Sacra jurantes introducuntur. *Tertio* a consuetudine omnium populorum, qui ductu luminis naturæ ad fidem firmandam in civilis societatis commoditatem jurisjurandi religionem adhibendam censuerunt: quo nullum potest esse legis naturalis indicium certius. *Quarto*, a fine juramenti, quæ est fidei confirmatio in rebus dubiis, ubi aliæ probationes deficiunt. Qui finis cum sit necessarius ad tollendas & terminandas lites, media ad illum finem necessaria, necesse est, ut sint saltem licita. *Quinto* a natura juramenti, nihil in se continentis quod sit intrinsece malum. Neque enim malum est Actus religiosus, neque malum est rei dubiæ confirmatio; Neque malum est divini testimonii advocatio: ex quibus quasi membris integratur juramenti essentialis definitio. conf. *Dieter. Catechis.* aliosque.

IV. Illicitus Juramenti usus seu abusus in quotidiano sermone est. Probatur I. a natura juramenti. Quia actus omnis religiosus, cum sit pars cultus Dei, debet præstari cum debita reverentia & cum aliqua animi cum præparatione, tum attentione: quæ omnia abesse necesse est, cum temere adhibentur & sine judicio, vel incautis & incogitantibus excidunt verba juratoria II. a *fine* juramenti, quæ est rei dubiæ confirmatio. Cum in sermone quotidiano de rebus fere levibus colloquia ferantur, quæ aut non sunt dubia aut non tanti, ut egeant religiosa confirmatione. Aut si tanti essent, non multo confirmatior esset fides apud eos, qui cum agitur ex ejus hominis juramento, qui temere & multum jurat: cujus fere est apud plurimos existimatio, ut ei vel injurato credatur, si putatur vera dixisse, vel jurato non credatur, si putetur falsa. *Tertio* a causa unde promanant ejusmodi juramenta, quæ vel est vitiosus habitus ex longo usu & pessima consuetudine contractus da einer schwert wenn er das Maul aufftbut. Quo mihi videntur quasi peculiariter respicere verba illa *Jacobi cap.* 5. *v.* 12. Ante omnia nolite jurare neque per cœlum, neque per terram &c. Multas hic implere possemus paginas ex *Hebræorum*, *Græcorum* & *Latinorum* scriptis adversus hanc impium consuetudinem, ni brevitatis studiosi esse velimus. Accipite itaque ex plurimis unum vel alterum. Ex Hebræis sapientissimum virum *Siracidem cap.* XXIII. 9. 14. *Ne assuesce* os tuum ad jurandum. E *Græcis Eusebium* Philosophum *Gentilem* apud *Stobæum serm.* 37. Multi, inquit, hortantur homines ut verum jurent: ego autem existimo ut ne quidem omnino facile jurent. E *Latinis Augustinum lib.* 1. *de serm. Dom. in mont.* Jurationem cave quantum potes. Melius quippe nec ve-

verum jurare ---- non quia peccatum est verum jurare, sed quia gravissimum est, falsum jurare: quo citius cadit, qui jurare consuevit. Et alibi *in Psalm.* Falsa juratio exitiosa: etiam vera periculosa Sunt etiam alia, quæ juramentum prohibent & abusum, scil. quando non ex justa causa gravi & necessaria provenit; si injuste ab alio seu indebite exigitur, videatur de his *Robert. Sanderson. pag. m.* 242. *seq.* conf. *Guilelm. Pepin. de destruct. Ninive pag. m.* 134. *edit. Antverp.* 1656.

CAPUT XXII.

De Gravitate perjurii & pœna illius apud Hebræos, Græcos & Latinos.

I. MAimonides *libr. de juramentis cap.* XII. in hæc prorumpit verba: Tametsi vani vel falsi juramenti reus, flagellationis pœnam luat, & qui de deposito vel testimonio pejeravit, sacrificium offerat; non tamen iis omnimode juramenti talis iniquitas condonatur q. d. *Non dimittet Deus impunitum Exod.* XX. 7. Ad quæ verba & sequentia cl. *Joh. Frideric. Mieg.* 95. *Theol. quondam Doctor & Professor celeberrimus in annotationibus ex* aliis *Rabbinis* ita commentatur. Merentur hic apponi, quæ de vani falsique juramenti gravitate duo insignes Commentatores, *Bechai* & *Aben Ezra ad Exod.* XX. 7. annotarunt. Prioris verba hæc sunt: *Fundamentum prohibiti juramenti vani & falsi, quod ipsam fundamentalem veritatem subvertat, sitque fidei abnegatio; sive enim Pentateuchus a jurante manu teneatur, sive non, habetur, acsi abnegaret legem & eum, qui dedit ipsam Deum benedictum; Ejus enim verba æquipollent hisce; Quam certe Deus est veritas; tam certe sunt vera verba mea; quæ si adeo falsa sint, est acsi Deum falsitatis redargueret.* Posterior autem ita: Mos obtinet hodieque inter Ægyptios, ut qui per vitam regis juravit, nec servat juramentum, morte afficiatur, nec vitæ gratiam vel tanto auri pondere, quantus est ipse, redimere queat: Siquidem Regem publice sprevit: Quod si fiat propter Regem terrenum cujus principium vanitas, regnum vanitas, finis vanitas, quanto infinities æquius est, in juramenti divini Numinis Venerationem observari: Unde videmus, eo quod Israelitæ in negotio concubinæ publice *Gibeæ* jurarunt, præsente Phinea Sacerdote summo: transgressores illius juramenti, incolas *Jabes Gilead*, interfectos ad unum omnes fuisse, tam fœminas & parvulos, quam viros: qualis vindicta nunquam, ne quidem de violatoribus Sabbati sumta legitur: Videmus quoque quod *Saul Jonathanem* filium suum hoc ipso nomine morte afficere voluerit, quod non observasset juramentum 1. *Sam.* 14. 27. Et tamen *Jonathan* non proterve, sed ex ignorantia illud fecerat: Unde addiscimus, perjurum mortis reum esse, æque, ac eos, qui capitali supplicio in foro afficiuntur: quandoquidem & scriptura illud peccato adulterii æquat: ut pote de quo æque ac hoc dicitur: לא ינקה *Prov. 6.* Ideo & Deus, ptopter violatum a *Saulo* juramentum Gibeonitis præstitum, famem interram immisit. Summa in Decalogo nullum est præceptum, quod promissionem annexam habeat, præter illud de honorandis parentibus; nullum quod comminationem, præter illud, de Idololatria & juramento vano. Multi sunt, qui putant, non adeo graviter ab eo delinqui, qui nomen Dei in vanum usurpavit. Ego autem ostendam, omnium interdictorum sequentium hoc esse gravissimum: Homicidii enim adulterii perpetrandi rarior occasio est, metu cohibente voluntatem: At qui se ad usum divini nominis assuefecit, nullum diem præterlabi patietur, quin isto se peccato multoties commaculet: imo tanquam formula elegantiæ in omni sermone, utetur. Quod si non aliud, quam hoc unum peccatum, in Israele reperiretur, solum protrahendo exilio nostro & augendis calamitatibus nostris sufficeret. Insuper, ut magis stoliditas istorum hominum patescat, homicida, ex inimici sui nece, & ultione voluptatem percipit. Voluptate quoque aliqua, adulterium, ut furtum utilitatis spe, pellicere homines potest: & sicut testis mendax, vindictæ studio talis esse potest: At abusus divini nominis tanto utique culpabilior omni & voluptate & utilitate destitutus est. Quæ sane egregie dicta, non Judæis solum, sed & nobis ipsis, inter quos non minor, imo major divini nominis profanatio viget dicta putare debemus. Quam grave peccatum perjurium sit, *Guil. Pepin. l. c. p.* 188.

II. Græci, si hominem pessima nota exprimere volebant, utebantur vocabulo ἐπίορκος, qui *perjurius* est, uti pluribus demonstat *Francisc. Rous in Archæol. Attic. pag.* 288. *lib. 6. c. 7. edit. Oxoniens.* significans pessimum esse eum, qui pejeraret, & pœnas graves mereri. Audiamus *Xenophontem* de expedit. *Cyri lib.* 2. Hoc primum & præcipuum est, quod Deorum Sacramenta nos hostes invicem esse prohibent. Ea vero siquis neglecta sibi conscius est, illum ego nequaquam beatum existimaverim. Divinitus enim al-

allatum bellum, haud ſcio, qua quis aut celeritate effugere poſſit, aut quibus in tenebris latere, aut in quo munimento arcere. vid. de his *Guilielm. Stuckii deſcript. Sacrificiorum Gentilium fol. m. 96. edit. Tigur.* Ita etiam *Latini* perjurantes magna affecerunt pœna.

III. Ut igitur paucis plurima comprehendamus, ſciendum, quod *perjurium* militet contra omne *jus divinum* & *humanum*. Contra *divinum* cum Lex *Exod.* 20. & *Levit.* 19. expreſſe perjurium prohibeat: *Non* pejerabis in nomine meo. Contra *jus humanum decreta*, *decretalia* & Leges uti argumentis plurimis probat ſæpe citatus *Pepri in tract. de deſtruct. Ninive pag. m.* 139. 140. Perjurium etiam apud Ethnicos fuit execrabile; ita *Cicero lib.* 2. *de Legib.* dicit, qua poena perjurii ſit duplex, *divina* & *humana*. Poena divina illius eſt exitium, *Pœna humana* eſt *dedecus* ſive infamia. Unde etiam tales ſolent ab aliis Infames, vocari: nec quidem injuria: maxime cum jura Eccleſiaſtica eos declarent infames. Imo illi qui pejerant offendunt graviſſime Deum. Facit enim illi maximam injuriam, & ſimul eum blaſphemat turpiſſime, in hoc ſcilicet, quod adducit eum in teſtem ſuæ falſæ locutionis: volens eum involvere in ſuo mendacio. Offendit etiam ſe ipſum, quia peccando occidit animam ſuam. Hinc ob gravitatem perjurium punitur poena *civili*, *Eccleſiaſtica: ſpirituali*, *temporali*, *Corporali*, *Temporali* uti *Guil. Pepin. pag. m.* 143. *deſtruct. Niniv. pag. m.* 143. *ſeqq.* fuſius tractat ad quem Benevolum Lectorem mittimus. Jam autem huic labori finem imponimus, gratias Deo, quas poſſumus, agentes, quod tantas vires largiri clementiſſime voluerit, quo hic labor, qui cum Deo inceptus, ad finem quoque perductus fuerit, Cum ſit laus & gloria in ſecula ſeculorum, *Amen*.

JOHANNIS SELDENI
DISSERTATIO
DE
JURAMENTIS EXCERPTA
Ex ejus libro ſecundo de Synedriis.

I. Sequitur ut edendi, poſtulandi, actiones intendendi, excipiendi, teſtes adhibendi, cauſas diſcutiendi, ſententias ferendi, præjudicandi, formulas ſolennes, aliaque ad illas ſpectantia intueamur. Capitibus in ſuperioribus ſparſim id genus nonnulla, dum aliud agimus, inſerta ſunt. Etiam ejuſmodi aliqua in Uxoris Hebraicæ libro tertio. Fuere etiam agendi formulæ aliquot quibus per Synedria vigintitriumviralia ad Synedrium Magnum deducebantur actiones. Sed de eis libro proximo. Cum autem omnigenæ actiones, ut paſſim alibi, aut criminales ex lege eſſent, nec capitales, ſeu ad mortis pœnam tendentes, דיני קנסות *Judicia multatitia* dictæ, aut etiam capitales, quas דיני נפשות *Judicia animarum* vocitabant, in quibus ultimum ſupplicium irrogabatur (atque נפש eſt *anima* & *perſona*, & *vita*, unde etiam *amiſſio animæ* pro ultimo ſupplicio uſurpatur Juſtiniano, *Inſtit. tit. de Publicis Judiciis*, §. *ſunt præterea*, uti & animæ parilis ſignificatio vetuſtioribus aliis) aut demum tertii generis, ſeu mere civiles ac pecuniariæ, דיני ממונות nuncupatæ, & tam primum harum genus quam tertium & triumvirale eſſet & vigintitriumvirale, uti & generis ſecundi, cunctæ, in Synedrio Magno reſervatis non cenſitæ, vigintriumvirales, ſecundum ſuperius oſtenſa; videndum erit primo de formulis ad primum & tertium genus ſpectantibus, & deinde de eis quæ ad ſecundum attinent, id eſt de דיני נפשות *judiciis*, ut vocant, *Animarum*, nomine perquam conſono, ut diximus, veterum uſui τῆς ψυχῆς & *animæ* pro vita. Qua de re locus eſt egregius ille Tertulliani, *In Scorpiaco cap.* 11. ubi Chriſtum de Martyrio loquentem, *Luc.* 14. 26. *Matth.* 10. 39. *Johann.* 12. 25. inducit; *Qui pluris fecerit etiam animam ſuam quam me, non eſt* me

me dignus, *id eſt qui maluerit vivere me negando*, *quam mori confitendo*. *Qui animam ſuam invenerit perdet illam*, *qui vero perdiderit illam mei cauſa*, *inveniet illam*. *Proinde enim invenit eam qui negarit lucrifaciendo vitam*. *Sed perdet in gebennam*, *qui ſe putat negando lucrifacere eam*. *Perdet autem eam ad præſens*, *qui confeſſus occiditur*; *ſed inventurus eam in vitam æternam*. Et ſubjicit præſidum de vocis animæ notione ſenſum. *Ipſi denique Præſides quum cobortantur negationi*, *ſerva Animam tuam dicunt*, *& noli animam tuam perdere*. Et hujuſmodi vocis ψυχῆς & *Animæ* eſt alibi ſatis obvia. Priuſquam vero formulas ipſas agendi excipiendique & quæ inde pendeant, adgredimur; quoniam haud exiguus erat in actionibus, & judiciis juramenti (quod Ariſtoteli, *Rhetoric. ad Alexandrum cap.* 18. rectiſſime dicitur μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἀναπόδεικτος, *cum Divina ſibi aſſumtione dictio non demonſtrabilis*; aliis *Apud Philonem Jud. de Allegoriis lib.* 2. *& lib. de Sacrificiis Abelis & Caini & lib. de Plantatione Noe*, *lib. de Decalogo*. velut proverbio, μαρτυρία θεοῦ περὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου, *teſtimonium Dei de re qua de ambigitur*, & τὸ πίστεως βεβαιότατον σύμβολον, *Fidei firmiſſimum ſigillum*; autori ad Hebræos, *Cap.* 6. 16. πάσης ἀντιλογίας πέρας, εἰς βεβαίωσιν, *omnis controverſiæ finis*, *in confirmationem* aut ad ſtabiliendam eam, tollendamque, & Gajo, *Lib.* 1. *D. tit. de Jurejurando*. *remedium expediendarum litium*) quoniam inquam haud exiguus erat juramenti, ſcilicet litigantium & teſtium, uſus; Ideo viſum eſt, ut reliquis præviam hac de re Hebræorum diſciplinam exhibere; idque ita, ut juramentorum formulas, ac genera, perſonarum in juramentis præſtandis diſcrimen, abſolutionem juramenti, ac perjurii tum pœnas forenſes aliaſque tum expiatorias, uti etiam Paganorum & Mahumedanorum & Chriſtianorum, hanc circa rem, diſciplinam breviter repræſentemus. Neque enim ſine hiſce ſimul cunctis, diſciplinæ circa juramentum qua forenſe tantum erat, magis fere poteſt revera dignoſci, quam quadrans aliudve circuli ſegmentum ſine circuli totius ratione habita.

II. Juramenta forenſia, adeoque alia quotquot licita; rite præſtanda erant per nomen ſanctiſſimum Domini; quam ad rem, præceptum habent affirmativum ex illo, *Deut.* 6. 13. את יהוה אלהיך וגו׳ *Dominum Deum tuum timebis & illum coles*, ובשמו תשבע *& in nomine* aut *per nomen ejus jurabis*. Titulus eſt in Talmude utroque de שבועות *juramentis*, cujus præcipua, tum circa formulas tum circa reliqua heic advertenda, prout illic, ac apud Maimonidem Cotzenſem, alios Magiſtrorum, diligentius exhibentur, mox ſuis in locis trademus. Exemplum huc afferunt illud jurandi vetuſtiſſimum de Abraha adjurante ſervum, *Geneſ.* 24. 3. ad uxorem Iſaaco quærendam iturum; שים נא ידך תחת ירכי ואשביעך ביהוה אלהי השמים ואלהי הארץ: *Pone manum tuam ſubter femur meum*, *& adjurabo te per Dominum Deum Cœli & Deum terræ*; ubi Joſephus, *Lib.* 1. *cap.* 26. *ſeu* 24. miſiſſe ait Abrahamum ſervum illum, ἐγκυτάμενον μεγάλαις πίστεσι. γίνονται δὲ αὐταῖς τοῦτον τὸν τρόπον. ὑπὸ τοὺς μηροὺς ἀλλήλοις τὰς χεῖρας ἐπαγαγόντες ἐπικαλοῦνται τὸν θεὸν μάρτυρα τῶν ἐσομένων, *magnis fidei Sacramentis eum obſtringentem*, *quæ hæc modo fiebant*. *Utrique invicem manum ſub femora mittebant & invocabant Deum Teſtem eorum quæ futura eſſent*. Fedus item quod cum Gibeonitis iniebant Principes Iſrael (de quo dicitur primo generatim. Principes Congregationis eis juraſſe) pro jurandi tam Gentilibus quam ſuis apud Hebræos more jureque uſitato, firmabatur juramento, *Joſu.* 9. 15. & 18. ביהוה אלהי ישראל: *per Dominum Deum Iſrael*. Alia ejuſmodi ſunt obvia. Ajunt igitur, *Maimonides tract.* Shebuoth *cap.* 11. §. 1. *&c. Moſ. Kotzenſis Præcept. affirmat.* 123. מצוה עשה שישבע מי שנתחייב שבועת בבית דין בשם: *Præceptum eſt affirmativum ut cuicunque præſtandum fuerit in foro juramentum*, *is juret per nomen Dei*. Item, ואסור להשבע בדבר אחר עם שמו. וכל המשתף בדבר אחר שם הקב״ה בשבועה נעקר מן העולם: שאין שם מי שראוי לחלוק לו כבוד שנשבעין בשמו אלא האחד ברוך הוא: *& nefas eſt jurare per rem aliam cum nomine Dei*, *Scilicet quiſquis aſſociaverit aliquam rem aliam in jurejurando*, *cum nomine ſanctiſſimi illius & Benedicti*, *extirpatur e mundo*. *Neque enim nomen præter ſolum illum Benedictum*, *habetur nomen quod dignum eſt cui communicetur gloria*, ſeu *honos*, *per illud jurandi*. Adjiciunt autem, *Maimonides tit.* Shebuoth. *cap.* 2. etiam de Dei *cognominibus*, quæ per vocem הכינוין a nomine המיוחד *proprio*, id eſt tetragrammato, diſtinguunt; אחד הנשבע או שהשביעו אחר בשם המיוחד או באחד מן הכינוין כגון שנשבע במי ששמו חנון ובמי ששמו רחום ובמי ששמו ארך אפים וכיוצא בהן בכל לשון הרי זו שבועה גמורה: *Jus parile eſt*, *ſive quis juret aut ab alio adjuretur per nomen proprium*, *ſive per cognominum*, *De illis*, *videſis Maimonid.* More Nebochim *part.* 1. *cap.* 59. & 61. *aliquod*, *ut ſi juramentum fecit*, *per nomen*

ejus

ejus qui est Gratiosus, *per nomen ejus qui est misericors*, *per nomen ejus qui est Longanimis*, *per ejusmodi alia*, *quocunque modo*. *Atque hoc juramentum est perfectum*. Nec duntaxat verbis expressis clarisque declaratum juramentum pro præstito habebatur, verum etiam qualiscunque, inter jurandum, nominis seu verbi, depravata, curta, aliave ejusmodi prolatio velut balbutientis, modo de animi sensu satis constaret, pro juramento habebatur. Inde ajunt ולא השבועה בלבד אלא כל כנוי שבועה כשבועה: *Nec solum juramentum ipsum* (clarum, perspicuum, expressius) *verum etiam quicquid speciem juramenti præ se fert*, *velut juramentum censendum*; וכל האומר לאו לאו שני פעמים דרך שבועה או הן הן והזכיר שם או כינוי הרי זה כנשבע: *Ita etiam si quis dixerit non non bis modo* seu *animo jurandi*, *aut etiam etiam & mentionem fecerit nominis seu cognominis Dei*, *is censendus pro jurante*. Itidem si dixerit se hoc vel illud facturum & mentionem fecerit nominis cognominisve. אמר איסר לה' או למי ששמו חנון שאעשה או שלא אעשה הואיל והוציאו בלשון שבועה הרי היא כשבועה: *Si quis dixerit*, *etiam Domino interdictum sit seu eo cui nomen est Gratiosus*, *ut ego faciam aut non faciam*, *cum illud potulerit modo juramenti*, *etiam ut juramentum hoc habendum*. Qui alium expressim jurantem audiens; dixerit ואני מותך *& ego sicut tu*, הואיל ולא הוציא שבועה מפיו ולא השביעו חבירו הרי זה פטור: *cum ex ore suo neutiquam protulerit juramentum ipse*, *neque eum adjuraverit alius ille*, *obligatione juramenti liber est*. Scilicet זהו מתפיס בשבועה והוא פטור: *hic captat solum juramentum* alterius, *adeoque est liber* seu non obligatus, vi nempe juramenti. Captionem hujusmodi vocant התפיסה בשבועה *captationem juramenti*, quæ itidem, qua ipsum jurantem solummodo spectaret, locum habuit. Ut si quis juraret se carnem hanc non comesturum, & postea, sine expresso juramento dixerit legumen hoc ei fore, ut carnem illam, non tenebatur juramenti vi, quoad legumen, שהרי לא הוציא שבועה מפיו עליה אלא התפיסה: *quoniam non protulit juramentum de illo*, *sed* tantum *captationem*; unde tamen nefas erat ei comedere legumen illud, quoniam voti reus ex ejusmodi etiam captatione, sed non perjurii, ob non prolatum juramentum, nec expiationem perjurii nomine. Generatim etiam addunt de corde & ore, אינו חייב עד שיהיה פיו ולבו שוין: *non obligatur juramento* (ut scilicet perjurii pœnæ & expiationes sequantur) *nisi jurans idem in corde ac ore habuerit*, seu *nisi os & cor sint æqualia*. Parile insuper Jus docent esse sive quis juret מפי עצמו *ex ore sui* aut מפי אחרי *ex ore aliorum* eum adjurantium, quibus respondeat *Amen*, idque sive Minor, sive Gentilis eum adjuraret; שכל העונה אמן אחר שבועה כמוציא שבועה מפיו ואחד העונה אמן או האומר דבר שענינו כענין אמן כגון שאמר הן או מחוייב אני הרי זו שבועה: *quoniam quisquis adjuratus ab alio responderit Amen*, *parilis habendus est juris cum eo qui juramentum ex ore suo protulerit*. *Neque discrimen est sive quis Amen dicat sive aliud aliquod vocabulum tantundem innuens*, *ut etiam*, *seu reus sum*, *obligatus sum hoc juramento*. Ita illud, ex quo juramentum, pro obligante sumtum, in se consistebat, erat usus, inter jurandum, sive nominis proprii (quamdiu nomen illud pronuntiare licuit) sive cognominum alicujus Dei O. M. per quod juraret quis sive expressius (ut cum, verbis conceptis, juraret ipse) sive breviuscule, sed palam satis intellectus; ut cum ab alio adjuratus assensum, ut dictum est, præberet. Præter perjurii autem poenas forenses & expiationes (de quibus mox) vindictæ coelestes pejerantibus expectabantur ut debitæ, idque sive earum invocatio inter jurandum aliqua adjiceretur, sive non; adeoque exerationes, si perjurium admissum, velut necessario, atque ex sui natura, conjunctæ, in juramento, sive a jurante ipso sive ab adjurante, prolato, licet non expressæ, continebantur.

III. Atque ita quidem veteres Pagani Deorum suorum, pro discrimine cultus vario, generatimque sæpius Deorum & Dearum omnium nomina in juramentis usurpabant, adjectis solennioribus expressim plerunque, si veraciter jurarent, bonæ fortunæ ac felicitatis sibi, si vero pejerarent, contrarii, atque exitii invocationibus. Quod Juramentis tacite, si non expressim, semper inesse existimatum; unde Plutarchus: *Quæst. Rom. ubi de Flamine Dial.* πᾶς ὅρκος εἰς κατάραν τελευτᾷ τῆς ἐπιορκίας, *Jusjurandum omne in exsecrationem Perjurii terminatur*. Jurabant Pagani, & *Deus* suos, & *per eos*, & *coram eis*, & eos testabantur, adhibitis in formulis ipsis eorum nominibus. Sæpius item publice, ad Aram, super Exta, & per Sacra aliasque res, & in familiari vitæ commercio, per caput, salutem suam, Cæsaris genium, plura, quorum specimina egregia in Regum Juramentis, per sceptra sua *Aristot. Politic.* 3. *cap.* 14. in Socraticis illis per Canem, per Anserem, per Platanum, id genus alia, juramentis, in Zenoniano illo *Athæneus*

neus Dipnos. 9. per Kapparim; de quo etiam forte dicendum, Apollonius *Philostratus lib. 6. cap. 9.* de Socrate, ὄμνυ ταῦτα, οὐχ ὡς Θεοὺς ἀλλὰ ἵνα μὴ Θεοὺς ὄμνυ, *jurabat hæc non ut Deos, sed ne Deos* (ipsos) *juraret*; qualem disciplinam circa juramenta, velut ex Rhadamanthi lege obtinuisse scripsit Cratinus *Apud Suidam in* Ραδαμάνθυος ὅρκος. Et nunc per Jovem, nunc per Canem in eodem colloquio jurat Socrates *Plato in Hippia majore*. Nec voluit Pythagoras quemquam (*Julian. Orat. 7. pag. 439.*) ἐν τῷ ὅρκῳ χρῆσθαι προπετῶς τοῖς τῶν Θεῶν ὀνόμασι, *in juramento temere uti Deorum nominibus*. Atque de sectariis ejus, Jamblicus, *de vita Pythagoræ cap. 28.* Θεῶν ὀνόμασι χρῆσθαι πολλὴν φειδὼ ἐποιοῦντο, *Deorum nominibus* (in juramento) *parcissime utebantur*. Unde illa de religiosissima sua suorumque jurisjurandi ut observatione ita & abstinentia notatu dignissima, apud eum, Hieroclem, *In Carmina Pythagoræ pag. 29.* alios. Etiam ex hisce Paganorum scitis edoctus Julianus Augustus, impie exagitans Mosis Decalogum (in quo illud de non sumendo Dei nomine ἐπὶ ματαίῳ *in vanum*) & pleraque ibi, utpote cuique familiaria & receptissima, tanto legislatore ac populo peculiari indigna esse prætexens, ποῖον, inquit, *Apud Cyrillum adversus Julian. lib. 5.* ἔθνος ἐστὶ πρὸς τῶν Θεῶν, ἔξω τοῦ οὐ προσκυνήσεις Θεοῖς ἑτέροις, καὶ τοῦ μνήσθητι τῶν Σαββάτων, ὃ μὴ τὰς ἄλλας οἴεται χρῆναι φυλάττειν ἐντολάς ὡς καὶ τιμωρίας κεῖσθαι τοῖς παραβαίνουσι ἐνιαχοῦ μὲν σφοδροτέρας, ἐνιαχοῦ δὲ παραπλησίας ταῖς παρὰ Μωσέως νομοθετηθείσαις, ἐστὶ δὲ ὅπου φιλανθρωποτέρας. *Quænam gens est per Deos (modo hæc demseris, non adorabis Deos alios, & Memento Sabbatorum) quæ mandata cætera* (adeoque de nomine Dei in vanum non sumendo) *servanda non putet, adeo ut illa violantibus pœnæ constitutæ sint alibi quidem graviores, alibi vero similes eis quæ a Mosis lege constitutæ sunt, alicubi etiam humaniores*. Id genus sunt plura. Sed ita, ut Deorum etiam nomina & vindicta sive expressim sive tacite etiam in juramentis contineri cunctis admitteretur. Et notissima sunt apud Comicos curtatæ illæ formulæ Ædepol, Mecastor, Pol, Perpol, Mehercle, ejusmodi aliæ, quæ judiciariæ non erant, sed vulgaris in confabulationibus usus, satis Deorum suorum nomina sic indicantes, *Homer. Iliad* ξ. *in Junonis Juramento. Odyss. 5. Aristot. Metaphysic. lib. 1. cap. 3.* Diis etiam ipsis Styx fluvius singulare erat & maximum Juramentum, adjectis etiam Deorum inferorum nominibus. Etiam per illum Deos pejerantes poenis subjiciebant Poetarum figmenta. Unde Hesiodo, *in Theogonia*, dicitur fluvius ille,

---- μέγα πῆμα θεοῖσιν,

magnum Diis damnum; & Venus apud Apulejum, *Miles. 6.* ad Psychen, *Diis etiam, ipsique Jovi, formidabiles aquas istas Stygias, vel fando comperisti? Quodque vos dejeratis per numina Deorum, Deos per Stygis Majestatem solere?* Apud Hesiodum etiam quisquis Deorum per Stygem perjurus deprehenderetur,

Κεῖται νήϋτμος τετελεσμένον εἰς ἐνιαυτὸν
Οὐδέποτ' ἀμβροσίης καὶ νέκταρος ἔρχεται ἆσσον
Βρώσιος, ἀλλά τε κεῖται ἀνάπνευστος καὶ ἄναυδος &c.

Jacet velut Spiritus expers per annum integrum, nec Ambrosiæ & Nectaris attingens cibum; sed sine Spiritu jacet & mutus, lectis scilicet, in illam poenam, a Diis destinatis. Accedit ibi etiam post annum illum, Dei perjuri e veterno ejusmodi experrecti, exilium seu plane excommunicatio.

Εἰνάετες δέ θεῶν ἀπομείρεται αἰὲν ἐόντων
Οὐδέποτ' ἐς βουλὴν ἐπιμίσγεται οὐδ' ἐπὶ δαῖτας
Ἐννέα πάντ' ἔτεα· δεκάτῳ δ' ἐπιμίσγεται αὖτις
Εἰρέας, ἀθανάτων ------

Per novennium tunc relegatur a Diis immortalibus, nec interim Consilio eorum aut Epulis immiscendus per totum illud novennium. Anno autem decimo immiscetur iterum cœtibus immortalium, ut perjurus satis sic purgatus. Item ex Orpheo habet Servius, *Ad Æneid. 60.* quod *Dii pejerantes per Stygem paludem novem annorum spatio puniuntur in Tartaro*, licet ipse paulo ante ajat *dici, statuisse Jovem, ut si quis fefellisset ejus* (Stygis) *numen, uno anno & novem diebus ab Ambrosia & Nectare probiberetur*. Sed res ipsa de tempore, ex illis Orphei, & Hesiodi rite intelligenda. Addit Hesiodus, quoties Jupiter mendacii reum esse Deorum quenquam suspicaretur, Iridem accersiisse ut poculum aquæ Stygiæ afferrent, quæ juramenti esset materies. Et de Stygio juramento Deorum, Poetæ alii tam Latini quam Græci, Scriptoresque alii obiter. Etiam Vettius Valens Antiochenus; *Floridorum lib. IX. MS.* ἐστὶ καὶ inquit, ἐπὶ Θεοῖς

Θεοῖς ςύγιος ὅρκος φόβον ἔχων ϗ τιμωρίαν, *est & Diis Stygium juramentum nec sine timore & vindicta*. Quod sane videtur ab Empedocle intellectum ubi de necessitate & juramento apud Deos loquitur. *Apud Simplicium in Aristot. Physic. lib.* 8. *comm.* 14. Sed de Styge, si plura velis adi Natalem Comitem *Mytholog. lib.* 3. *cap.* 2. Etiam probatio (ut ex imminente reis numinis vindicta (juramentum, apud Paganos, continebat in se sive tacite sive expressim; qualis illa Uxoris apud Hebræos suspectæ, *Numer.* 5. 19. *& videsis Uxor. Hebraic. lib.* 3. *cap.* 5. & τῆς λίμνης δοκιμαςικῆς *Lacus probationis* usus apud veteres Indos, de qua Porphyrius *apud Stobæum Eclog. Physic. cap.* 7. *& Andream Schottum Observat.* 5. *cap.* 20. *& Lucam Hostenium in Porphyrianis*, qualis item per massam ferream, & ignem pergatio apud Sophoclem *in Antigone*, & per ignem & aquam seu ordalia apud veteres Christianos. Paganorum autem formulæ eminentiores aliquot, unde natura apud eos juramenti vera ritusque integer elici possint, animadvertendæ. Cernitur Formula vetustissima Græcorum in celebratissimo illo ab Hippocrate Medicis præscripto jurejurando. Ομνυμι Απόλλωνα ἰητρὸν ϗ Ασκληπιὸν ϗ Υγείαν ϗ Πανάκειαν ϗ Θεὰς πάντας ϗ πάσας, ἵςορας ποιεύμενος &c. *Juro Apollinem Medicum & Æsculapium, & Hygiam, & Panacæam, & Deos Deasque omnes testes faciens* &c. Et insertis quæ juranti ex promissione Sacra fuerint præstanda, optat bonam sibi cum felicitate existimationem uberrimumque artis fructum, si religiose observaverit juramentum, Παραβαίνοντι δὲ ϗ ἐπιορκῦντι τἀναντία τέτων, *violanti vero & pejeranti, hisce contraria*. Foederis autem juramentum quod præstitere Hannibal & omnes Senatores Carthaginienses commilitonesque ejus, Xenophani legato Philippi Regis Macedoniæ, fieri dicitur, *Polybius Hist.* 7. ἐναντίον Διὸς ϗ Ηρας ϗ Απόλλωνος· ἐναντίον δαίμονος Καρχηδονίων ϗ Ηρακλέυς &c. *Et coram Jove, & Junone, & Apolline, & Dæmone Carthaginiensium, & Hercule, & Jolao; Coram Marte, Tritone, Neptuno; Coram Diis expeditionis Comitibus, & Sole, & Luna, & Tellure: Coram Fluviis, Pratis, Aquis; Coram omnibus Diis qui Carthaginem imperio tenent; Coram Diis universis qui Macedoniam, & reliquam Terram Græciam imperio suo obtinent; Coram Diis omnibus præsidibus rei bellicæ*, ὅσοι τινὲς ἐφεςήκησαν ἐπὶ τῦ Ορκυ, *quotquot huic sanciendo federi præsentes interveniunt*. Fœdus item inter Carthaginienses & Romanos, *Idem lib.* 3. firmatum, ab hisce διὰ Λίθυ κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος *per Lapidem* (Jovem Lapidem) *secundum morem antiquum*, ἐπὶ δὲ τῦτο τ̃ Αρη ϗ Ενυάλιον, *atque insuper per Martem, & Neptunum*, ab illis, per Deos Patrios. Sanctissimum nutem Romanis habitum est, *A. Gellius lib.* 1. *cap.* 11. gravissimisque in rebus adhibitum jusjurandum illud per Jovem lapidem. *Silicem tenebant juraturi*, (*Festus in* Lapidem) *per Jovem, hæc verba dicentes, si sciens fallo tum me Diespiter, salva urbe arceque, bonis ejiciat, uti ego hunc Lapidem*. Et simul Lapidem manu ejiciebant; de quo Polybius, *Histor.* 3. item, Plutarchus *in Sylla*, alii. Habebatur apud eos etiam Sacramentum militare, quod per Fidem suam præstitum, (*Dionys. Halicarnas. lib.* 9. *&* 11.) & pro obligatione summa existimatum a jurejurando (*Livius lib.* 22. *cap.* 38.) distinguebatur. Sed nec minus in illo numinis, ut testis tacite invocati, vindicta expectabatur. Et de Romanorum veterum, circa juramenta, more omnimodo affatim vir præstantissimus Bernabas Brissonius. *Formularum lib.* 8. Sed animadvertenda singularia quædam huc de juramentis Forensibus spectantia in Jure Cæsareo; ut illud Ulpiani, *Lib.* 5. *D. tit. de jurejurando & Basilic. lib.* 22. *tit.* 5. *Omne omnino licitum jusjurandum, per quod voluit quis sibi jurari, idoneum est*. (Quod de juramentis forensibus dictum.) *Et si ex eo fuerit juratum, prætor id tuebitur*; etiam & illud e Divi Pii rescrito, *jurijurando quod propria superstitione juratum est, standum*, ubi *non standum* olim legabatur. Sed negativa illa carent Florentinæ. *At si quis*, inquit illic Ulpianus, *illicitum jusjurandum detulerit, scilicet improbatæ publicæ religionis, videamus an pro eo habeatur atque si juratum non esset? quod magis existimo dicendum*. Et *D. lb.* §. 1. *Si quis per salutem suam jurat, licet per Deum jurare videatur (respectu enim Divini numinis jurat) attamen si non ita specialiter eis jusjurandum delatum est, jurasse non videtur. Et ideo de integro solenniter jurandum est*. Quod tum in Digesto Justinianeo tum in Basilicis *lib.* 22. *tit.* 5. §. 33. habetur. Græcorum autem vetustiorum occurrunt publica aliquot insigniora, quorum pauca, præ aliis satis innumeris, memoratu non indigna, subjicio ut inde conceptum & naturam apud eos, non ita, si cultum disparem excipias, ab Hebræorum dissimilem dignoscere liceat. Fœdus inter Athenienses eorumque socios & Laconas ictum ita firmandum erat (*Thucydides hist.* 5.) ut quælibet civitas τ̃ ἐπιχώριον ὅρκον *juramentum patrium* seu *domesticum* juraret, idque τ̃

μέ-

μέγιστον τῆς ἑκάστης πόλεως, *quod maximum erat in unaquaque civitate* seu ἰσχυρότατον (ut Ulpianus Scholiastes interpretatur) *firmissimum*, *fortissimum*, nec sine Sacris. Ipsum juramenti subjectum breviusculum satis erat. Ἐμμενῶ ταῖς συνθήκαις καὶ ταῖς σπονδαῖς ταῖσδε δικαίως καὶ ἀδόλως, *Stabo his pactis & his fœderibus juste & pure*. Cippis item erectis incidi in Olympiis, in Pythiis, in Isthmo, Athenis intra urbem, & Lacedæmone in Amyclæo, conventum est. Athenis ipsis post exactos triginta tyrannos, ex psephismate jurandum unicuique erat: *Andocides Orat. 1. seu* περὶ μυστηρίων, *& videsis Samuel. Petit. Leg. Attic. lib. 3. tit. 2. & comment. p. 252.* idque super sacra Majora, occisurum se, sua ipsius manu, eum qui tyrannidem affectaret aut rempublicam invaderet, adjuncta clausula illa inprimis advertenda, utpote etiam rarissima, quæ pars erat formulæ jurandæ, ὁπόσοι δὲ ὅρκοι ὀμονται Ἀθήνησιν ἢ ἐν τῷ στρατοπέδῳ ἢ ἄλλοθί που ἐναντίοι τῷ Δήμῳ τῷ Ἀθηναίων λύω καὶ ἀφίημι, *Et quotquot juramenta jurata fuerint Athenis aut in castris alibive contra populum Atheniensem solvo & dimitto*. Accessit invocatio, εὐορκοῦντι μὲν εἶναι πολλὰ καὶ ἀγαθά. ἐπιορκοῦντι δὲ, ἐξώλη αὐτὸν εἶναι καὶ γένος, *recte, ex animo, juranti multa & felicia, pejetanti vero & generi ejus exitium*. Præstitum hoc πρὸ Διονυσίων paulo *ante* seu *pridie Dionysiacorum* seu *Liberalium vernorum festum*, Athenis celeberrimum, quod male vertit Alphonsus Miniatus, *ante Dionysii templum*. Heliastarum item seu summi Athenis ordinis Judicum juramentum erat (*Demosthenes Orat. in Timocratem*) Ἐπόμνυμι Δία, Ποσειδῶνα, Δήμητρα, *juro Jovem*, *Neptunum*, *Cererem*, ut alii Judices illic *Apollinem Patrium*, *Cererem & Jovem Regem*. Imprecatio autem Heliastarum solennis erat, ἐπαρῶμαι ἐξώλειαν ἐμαυτῷ καὶ οἰκίᾳ τῇ ἐμαυτοῦ εἴ τι τούτων παραβαίνοιμι, εὐορκοῦντι δὲ καλὰ πολλὰ κἀγαθὰ εἶναι, *imprecor exitium ipse & mihi & familiæ meæ si quid horum transgressus fuero; recte vero juranti ut Pulchra multa & Bona eveniant*. Testium Juramentum voluit esse Plato, *de Legibus lib. 11. per Jovem*, *Apollinem & Themidem*. Epheborum Athenis juramentum clausum ex cum illo, Ἵστορες Θεοὶ Ἀγραῦλοι, Ἐνυάλιος, Ἄρης, Ζεὺς, Θαλώ, Ἡγεμόνη, *Testes sunt Dii Agrauli*, *Enyalios*, *Mars*, *Jupiter*, *Thelo*, seu terra *Nutritia*, *Diana*, ut emendavit Pollucem *Onomastic.* 8. *cap.* 25. Petitus *Comm. ad leg. Attic. pag.* 144. Et a Solone juramentum præscriptum est *Pollux lib. 8. cap. 12. & vide Petit. ad leg. Attic. pag.* 349. Ἱκέσιον, Καθάρσιον, Ἐξακεστήριον, *per Supplicem*, *Purgatorem*, *Averuncatorem*. Item in fœdere illo vetusto Smyrnæorum & Magnetum *in Marmoribus Arundellianis pag.* 27. Magnetes jurabant διὰ Γῆν, Ἥλιον &c. *Terram Solem*, *Martem*, *Minervam Martiam*, *Dianam*, *Matrem Sipylenem*, *Apollinem in Pandis*, καὶ τοὺς ἄλλους Θεοὺς πάντας καὶ πάσας, τὴν τοῦ Βασιλέως Σελεύκου τύχην, *& reliquos Deos Deasque omnes & Seleuci Regis Fortunam*; qua de accessione, nos *ibid. p.* 147. ad dictum fœdus. Smyrnæi vero διὰ Γῆν, Ἥλιον &c. *Terram*, *Solem*, *Martem*, *Minervam Martiam*, *Venerem Stratonicidem*, *& reliquos Deos Dea omnes*. Utrisque dein eadem imprecatio, Εὐορκοῦντι μέν μοι εὖ εἴη, ἐφιορκοῦντι δὲ ἐξώλεια καὶ αὐτῷ γένει τῷ ἐξ ἐμοῦ, *Recte juranti, mihi bene sit; pejeranti vero, exitium & mihimetipsi & posteris meis*. Adnumeretur heic Taurus Mons qui Deus & jusjurandum Cappadocibus, ut Palus Mæotica Tanaisque Massagetis. *Maximus Tyrius dissertat.* 38. Alia ejusmodi apud Scriptores teri solitos, etiam de Gentibus veterum aliis. Habetur in autem Cretensi marmore *apud Gruter. Thes. p.* 505. fragmentum aut appendix, ut videtur, fœderis vetustissimis Hierapuntiorum & Priansiorum, Cretæ civitatum (quod ipsum etiam e Marmore Arundelliano V. doctissimus Joannes Prisæus *notis ad Apuleii Apologiam p. 59.* typis mandavit) ubi enumeratis a Priansiis in juramento, Vesta, Junone, compluribus aliis Diis (ut ὀμνύω τὰν Ἑστίαν *&c. Juro Vestam* &c.) subjungitur καὶ Θεοὺς πάντας καὶ πάσας, *& Deos Deasque omnes*, cum imprecatione sibi, si pejerarent, exitii pessimi, atque ut nec tellus nec arbores sibi fructum ferrent, μήτε γυναῖκας τίκτειν κατὰ φύσιν, τῷ τε πολέμῳ ἐνέχεσθαι, *nec mulieres secundum naturam parerent*, *atque ut bello opprimerentur*; recte autem jurantibus ut propitius esset Deus, καὶ γένεσθαι πάντα ἀγαθὰ, *& omnia fausta evenire*. Creticum aliud marmor e Creta a Francisco Molino insulæ præside, ad Dominicum Molinum fratrem, missum ac typis quidem, cum aliis simul aliquot, Venetiis circa annos abhinc triginta mandatum, sed raro nimis prostans, fœdus exhibet Latiorum & Olontiorum, populorum Cretensium, maxime de utrorumque finibus, ubi idem utrinque juramentum, in Dorismo Cretico (sed non sine exscriptoris plane hallucinationibus) ad hunc se habet modum;

OM-

ΟΜΝΕΩ ΤΑΝ ΕΣΤΙΑΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΖΗΝΑ ΤΟΝ ΚΡΗΤΟΓΕΝΙΑ ΚΑΙ ΤΑΝ ΗΡΑΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΖΗΝΑ ΤΟΝ ΤΑΛΛΑΙΟΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΠΟΣΕΙΔΑΝ ΚΑΙ ΤΑΝ ΑΜΦΙΤΡΙΤΑΝ ΚΑΙ ΤΑΝ ΧΑΤΩΝ Κ' ΑΡΤΕΜΙΝ ΚΑΙ ΑΡΕΑ ΚΑΙ ΤΑΝ ΑΦΟΔΙΤΗΝ ΚΑΙ ΤΑΝ ΕΛΕΥΣΙΝΑΝ ΚΑΙ ΤΑΝ ΒΡΙΤΟΜΑΡΤΙΝ, ΚΑΙ ΕΡΜΑΝ ΚΑΙ ΚΩΡΗΤΑΣ ΚΑΙ ΝΥΜΦΑΣ ΚΑΙ ΤΩΣ ΑΛΛΟΣΙΩΣ ΠΑΝΤΑΣ ΚΑΙ ΠΑΣΑΣ.

Juro Veſtam & Jovem in Creta genitum & Junonem, & Jovem Tallæum (Jovis τατετὲυ non raro mentio; ſed Heſychius, ταλαιὸς, ὁ Ζεὺς ἐν κρήτῃ, *Talæus eſt Jupiter in Creta*; & quod habet ille Ταλαιδίτης ἀγὼν γυμνικὸς, *Talædites certamen gymnicum*, de feſto ei eo nomine illic ſacro ſumit Johannes Meurſius, *Græciæ Feriata lib. 6. & Neptunum, & Amphitritem, & Chaton* (legendum ΛΗΤΩΝ *Latonam*) *& Dianam, & Martem, & Venerem, & Eleuſinem, & Britomartin, & Mercurium, Curetes, & Nymphas, & Deos alios* (fallor enim niſi ΑΛΛΩΖΙΩΣ ab exſcriptore depravatum fuerit ex ΑΛΛΟΥΣ *alios Deos*; nam nemo neſcit Σιὲς pro Θεὲς Laconice aliaſque Dorice uſurpatum, tametſi interim verum ſit, Θεὲς etiam in eodem fœdere pro Diis adhiberi) *cunctos cunctaſque*. Et dein ΕΠΙΟΡΚΟΥΝΤΙ ΜΕΝΗ ΜΕΝ ΠΟΛΛΑ ΚΑΙ ΑΓΑΘΑ ΕΦΟΡΚΟΥΝΤΙ ΤΑ ΕΝΑΝΤΙΑ, *Recte juranti ſint multa ac Bona. Pejeranti, contraria*. Subſcribitur ΟΡΚΟΣ ΟΛΟΝΤΙΩΝ ΟΑΤΤΟΣ, *Jusjurandum Olontiorum idem*.

IV. Philoſophi item, Theologi, Aſtrologique, apud Paganos veteres, formulas ſuas habuere quibus in Scholis ſuis diſcipulos adjurabant ne myſtica ſua evulgarent. Julius Firmicus, *Matheſ. lib. 7. in præf.* de Orpheo; *Cum ignotis hominibus Orpheus ſacrorum cæremonias aperiret* (MS. Collegii Lincolnienſis Oxoniis non habet *aperiret*) *Jurisjurandi neceſſitatem, & cum terribili quadam* (deeſt in MS. *quadam*) *autoritate religionis exegit, ne profanis auribus, inventæ ac compoſitæ religionis ſecreta* (MS. non habet *ſecreta*) *proderentur* &c. Unde & uſos ejuſmodi Pythagorei (*Jamblich. de Vita Pythagoræ cap.* 35.) tenaciſſimi fuere. *Unde & ego* (inquit Firmicus ad Movortium Lollianum Proconſulem) *horum virorum legem ſecutus, convenio te jurejurando, per Fabricatorem Mundi Deum, qui omnia neceſſitate perpetuitatis excoluit, qui Solem firmavit* (MS. *formavit*) *& Lunam, qui omnium Siderum curſus ordineſque diſpoſuit, qui Maris fluctus intra certos terræ terminos coartavit, qui ignem ad ſempiternam ſibi ſubſtantiam inflammavit, qui Terram in medio collocatam æquata moderatione* (MS. *æquatam morationem*) *ſuſpendit, qui Homines, Feras, Alites & omnia animantium genera* (MS. *qui omnes Feras alienantes, & ex omni animantium genere*) *divina artificii majeſtate compoſuit, qui Terram perennibus Fontibus rigat, qui Ventorum fluctus cum quadam facit neceſſitatis moderatione variari, qui ad Fabricationem omnium quatuor Elementorum, diverſitate compoſita, ex contrariis & repugnantibus cuncta perfecit, qui ortum ac Occaſum, ac omnium Terræmotuum* (MS. *Occaſumque Terræ motum omnium*) *per Animæ deſcenſum, & aſcenſum, immortalitate æternæ perpetuitatis ordinavit* (MS. *per immortalitate æternæ perpetuitatis ordinem*) *ne hæc Veneranda, Communia profanis vel imperitis auribus intimentur, ſed iis tantum* (in MS. deeſt *tantum*) *quos animus incorruptus* &c. Nulla quidem adjicitur pejeranti vindictæ divinæ imprecatio. Sed plane illa, ut in juramentis cunctis receptiſſima, innuitur, expreſſiuſque in Vettii Valentis (*Penes me MS. Anthologiarum lib. 4. Videſis Prolegom. de Diis Syris cap. 3. Notas ad Marmora Arundelliana pag.* 151.) Aſtrologi diſcipulorum ſuorum adjurationibus quas & alibi attulimus; Ἀδελφέ μου τιμιώτατε καὶ τοὺς μυσταγωγοὺς μου ταύτῃ τῇ συντάξει &c. Ορκίζω σε &c. *Adjuro te, honorate mi frater, & eos qui alios ſub me initiant huic Diſciplinæ, per Stellatum Cœli fornicem, per circulum Zodiaci, Solem, & Lunam, & quinque Stellas errantes, per quas vita univerſa gubernatur, ipſamque Providentiam, & Sacram neceſſitatem* (ſcribitur Ἱερὰν ἄγκην) *ut in ſecretis hæc conſervetis, nec eorum participes faciatis indoctos, niſi qui ſint digni & poſſint ea conſervare, & juſte viciſſim compenſare me valentem, qui eos introduxi, perpetua, & bona fama* &c. *Hæc obſervantibus, jam dicti Dii omnes propitii erunt, vita ſtrenua, & pro votis res ſuccedent*, Ἐπιορκοῦσι δὲ τὰ ἐναντία, μήτε γηβατὴ, μήτε θαλαττα πλωτὴ, μήτε τέκνων σπορά. τυφλός τε νοῦς καὶ πεπαιδευμένος ὑπάρχων ἀσχήμονα βίον καὶ ἀνεπιτήδεκτον ἀγαθῶν ἐπάγοι· ἐαν δὲ τις καὶ μετὰ θάνατόν ἐστι κακῶν τε καὶ καλῶν ἀμοιβὴ, κἀκεῖ τῶν ὁμοίων μεταλάβοιεν: *Pejerantibus vero contraria; nec greſſus eorum Terra patiatur, nec navigationem Mare, prole careant. Cæcus ſit eis animus, & etiamſi edocti fuerint, vitam ſordidam & bonis indigentem degant. Et ſi ſit poſt Mortem Malorum, & Bonorum compenſatio, etiam ibi ſimilium* par-

participes fiant. Et alibi idem; *Lib.* 7. Τὺς τὰς παραγγελίας ἡμῶν πειθομένυς, ὁρκίζω Ηλίυ μὲν ἱερὸν κύκλον καὶ Σελήνης ἀνομάλυς δρόμυς τῶν τε λοιπῶν ἀςέρων δυνάμεις καὶ κύκλον δυοκαίδεκα ζωδίων ἐν ἀποκρύφοις ταῦτα ἔχειν καὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις ἢ ἀμυήτοις μὴ μεταδιδόναι, τιμήν τε καὶ μνήμην τῷ εἰσηγησαμένῳ ἀπονέμειν· Εὐορκῦσι μὲν εὖ εἴη καὶ καταθύμιοι οἱ προκείμενοι θεοί. ἐπιορκῦσι δὲ τὰ ἐναντία. *Qui disciplinam nostram edocti sint eos adjuro per Sacrum Solis circulum, & inæquales Lunæ motus, viresque reliquorum siderum & circulum duodecim animalium, ut in secretis ea* (quæ didicerint) *habeant nec eorum participes facere rudes aut nondum initiatos, & demum honorem & famam tribuant institutori suo. Eis qui recte juraverint, bene sit, & Dii jam dicti benevoli, & propitii; Pejerantibus vero Contraria*. Et nobilissima est formula illa qua se invicem obligare, *Epist.* 6. Plato voluit Hermiam, Erastum, & Coriscum, atque ut videtur alios ejusmodi, studiorum socios, τὸν τῶν πάντων θεῶν ἡγεμόνα τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων, τῦ τε ἡγεμόνος, καὶ αἰτίυ πατέρα κύριον ἐπομνύνας, *Deum omnium, Ducem, seu Gubernatorem præsentium & futurorum, ac Ducis, & causæ Patrem dominum jurantes*; quem, adjicit. *Si vere Philosophemur cognoscemus aperte cuncti, juxta facultatem hominis fœlicis*. Quod Origenes ut expressim etiam dictum intelligit, *in Celsum lib.* 6. περὶ τῦ Θεῦ *de filio Dei*. Locum integrum citat. Sed pro ἡγεμόνος legit ἡγεμονικῦ. Maximum item erat Pythagoræis juramentum *Situs Empiricus adversus Mathematicos lib.* 4. & 7. *Plutarch. de Placitis Philosoph. lib.* 1. *cap.* 3. *Hierocles in Carm. Pythag. Porphyr. in vita Pythagoræ*, *Jamblich. de vita Pytag. cap.* 28. *Macrob. in somnium Scipionis lib.* 1. *videsis lib.* 2. *Syntag*: 2. *de Diis Syris cap.* 1. per Μαὶ & Οὐ,

---- Μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν.

eum qui dederit Animæ nostræ quaternionem, id est Pythagoram ipsum (ut Pythagoræi Platonici aliique explicant) quem ut Deum colebant, & sic jurabant, uti simul etiam sic ipsam Tetractyn cujus disciplinam ab eo acceperant. Pejerare vocabant Græci, (*Eustath. ad Iliad* δ. *pag.* 470. *edit. Rom.*) ut ἐπιορκεῖν, ita τὺς ὅρκυς seu τὰ ὅρκια παραβῆναι, δηλήσασθαι, ἀτιμάσαι, καταπατῆσαι, συγχέαι, ψεύσασθαι, *Juramenta transgredi, lædere, decipere, confundere, fallere*. Habebant etiam, ut passim, juramenta σοφιςικὰ & παραλογιςικά, *Idem ad Odyss.* 6. *pag.* 1870. seu ὅρκυς σοφισματώδεις, fallacia quidem juramenta, sed non tam ex violatione, quam verborum in ipso juramento prolatorum homonymia. Item adverbia ὁρκωμοτικὰ *Juramentis*, ut solennia, *inservientia* notantur, *Iliad* α. *pag.* 92. μὰ & μὴ & νὴ & ναὶ sive Deorum nominibus jurandorum, sive Actibus juratis præfigenda hoc affirmativo, negativo illud juramento proprium. Egregium autem erat sententiæ discrimen inter Scholæ Stoicæ illustre illud Philosophorum Par, Cleanthem, & Chrysippum ejus discipulum, circa obligutionem ex juramento, & perjurii naturam; idque cum primis animadvertendum. Cleanthes enim asserebat, (*Stobæus Serm.* 28.) τὸν ὀμνύοντα ἤτοι εὐορκεῖν ἢ ἐπιορκεῖν καθ' ὃν ὄμνυσι χρόνον. Εὰν μὲν γὰρ ὕτως ὀμνύῃ ὡς ἐπιτελέσων τὰ κατὰ τὸν ὅρκον, εὐορκεῖν. ἐὰν δὲ πρόθεσιν ἔχων μὴ ἐπιτελεῖν ἐπιορκεῖν, *Jurantem eo ipso quo jurat tempore* (de Juramentis Promissoriis dictis loquitur) *vere* seu *recte jurare aut pejerare. Nam si ita juret tanquam facturus* (animi sententia faciendi) *quæ in juramento continentur, vere & recte jurare* (officium εὐορκίας seu juramenti servandi integrum præstare) *sed si propositum ei* (tunc) *fuerit, non se facturum, pejerare*. Adeo quidem ut, juxta Cleanthem, juramentum quodlibet proprie & ex intima sui natura Assertorium esset dicendum, & in animi præsentis sola assertione consistere (licet insuper adjiceretur, pro materiæ subjectæ discrimine, futuri promissio) nec perjurium committi ex eo quod jurans promisso postmodum non steterit; quasi non de eventu futuro, sed de præsenti tantum quis jurare posset. At Chrysippus; διαφέρειν ἔφη τὸ ἀληθορκεῖν τῦ εὐορκεῖν, καὶ τὸ ἐπιορκεῖν, τῦ ψευδορκεῖν, *discrepare id quod est verum jurare, & bene seu sancte jurare, uti & pejerare, & falsum jurare*. Atque adjicit, τὸν μὲν γὰρ ὀμνύοντα καθ' ὃν ὀμνύει καιρὸν, πάντως ἢ ἀληθορκεῖν ἢ ψευδορκεῖν. τὸ γὰρ ὀμνύμενον ὑπ' αὐτῦ, ἢ ἀληθὲς εἶναι ἢ ψεῦδος ἐπειδὴ ἀξίωμα τυγχάνει ὄν. τὸν δὲ ὀμνύοντα μὴ πάντως καθ' ὃν ὀμνύει χρόνον, ἢ εὐορκεῖν ἢ ἐπιορκεῖν, ὅτι μὴ πάρεςιν ὁ χρόνος, εἰς ὃ ἡ ἀναφορὰ τῶν ὅρκων ἐγίγνετο. Ὃν τρόπον γὰρ λέγεταί τινα συντίθεσθαι ὐχ ὅτε συντίθεται ἀλλ' ὅτε οἱ χρόνοι ἐνίςανται, τὸν κατὰ τὰς ὁμολογίας. ὕτω καὶ εὐορκεῖν τις καὶ ἐπιορκεῖν ῥηθήσεται ὅταν οἱ καιροὶ παράςωσι, καθ' ὓς ὡμολόγησεν ἐπιτελεῖν τὰ κατὰ ὅρκυς. *Jurantem enim ipso quo jurat tempore aut verum jurare aut jurare falsum. Quod enim juratur ab eo aut verum est, aut falsum, cum sit enuntiatio. Jurantem autem tempore quo jurat, non omnino aut bene & sancte*

cte jurare, *aut male jurare* seu *Pejerare*; *quoniam nondum adest tempus ad quod jusjurandum refertur. Nam sicut aliquis dicitur bene pacisci vel male pacisci, non cum pactum ipsum initur, sed cum præscriptum conventa præstandi tempus accessit. Ita etiam bene & sancte jurare quis dicitur, & pejerare, cum adfuerint tempora in quibus ea quæ Juramento continerentur præstare promiserit*; ita Chrysippus, cujus sententia plerunque recepta. Certe qui eadem ipsa statis temporum intervallis denuo eisdem iterari juramenta voluere, sententiam Cleanthis hominum animis inhærere existimare visi sunt; quasi, ne opinionem illam, juramentum in futurum extendi nequire, imbibissent illi, timerent. In Fœdere Atheniensium & Laconum superius memorato, conventum est, τὸν Ορκον, *Thucydid. hist.* 5. ἀνανεοῦσθαι κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἀμφοτέροις, *juramentum quotannis renovari ab utrisque*. Quasi autumassent, id quod ex animi sententia vere sic juratum esset, licet in futurum, juxta Cleanthem, non, ex sui natura, jurantem obligaret, nihilominus (quantum ad verisimile ac probabile) per statum aliquod tempus ita in animo jurantis manere, ut juratum servaret. Sive autem per Deum unum, plures aut omnes, aliasve res juraretur, pœnæ cœlitus infligendæ perjuris expectabantur; quæ non omnino (juxta illud Ciceronis, *De legibus lib.* 2.) *perjurii pœna Divina exitium*, *humana Dedecus* aut rarissime eo nomine seculis vetustioribus, ab hominibus irrogatæ. Eumenides, Erinnyes, Furiæ, (sic in Theologia Græcanica creditum) quinta die cujuslibet mensis lunaris, perjuros in pœnam quæritabant. Hesiodus, de diebus infaustis.

> Πέμπτας δ᾽ ἐξαλέασθαι, ἐπεὶ χαλεπαί τε καὶ αἰναί.
> Εν Πέμπτῃ γὰρ φασὶν Ερινύας ἀμφιπολεύειν
> Ορκον τιννυμένας τὸν Ερις τέκε πῆμ᾽ ἐπιόρκοις.

Quintas vero evitato (maxime in conjugiis) *quia difficiles sunt graves que*. *In quinta enim ajunt furias*, *erinnyas*, *circum ambulare ut juramentum* (violatum, perjurium) *vindicent*, *quod eris* seu *contentio genuit exitium perjuris*. Moschopulus ibi interpretatur τιννυμένας per ἀπαιτούσας & ζητούσας *ut ad rationem exigant & inquirant*. Addit Johannes Tzetzes Hesiodum disciplinam illam e Melampode, poeta vetustissimo sumsisse, qui etiam scripserat, perjurii die quinta commissi pœnam divinitus infligendam, fuisse intra quinque dies mòrtem. Et σημειωσάμενος ποτὲ, inquit Tzetzes, εὗρον τοῦτο ἀληθὲς, *quod ex observatione nupera comperi esse verum*. Proclus autem ibi juxta disciplinam Pythagoricam, τὸν Ορκον sumit pro eo quod est τὸν Ορκον Θεὸν κολαστικὸν ὄντα τῶν συγχεόντων τοὺς ὅρκους ἐν τῇ πέμπτῃ γενέσθαι, καὶ τὰς τιμωροὺς δαίμονας τὴν γενέσιν αὐτοῦ πενταπλῆν οὖσαν περιέπειν, *orcum Deum, qui punit perjuros, die quinta natum, adeoque dæmones ultrices natalitia ejus quintana sic observare*. Ita quidem ille, quasi natum ex eride seu discordia orcum die quinta illic voluisset Hesiodus, ideoque die illa ita ad perjurii vindictam circumambulare, ut orco Deo juramentorum inservientes, Erinnyes. Certe Virgilius etiam Erinnyes (id est Eumenides) tunc natas, velut ex Hesiodo canit, *Georgic.* 1.

> ---- *Quinta fuge*: *Pallidus Orcus*
> *Eumenidesque satæ* ----

Et Celsus pro jurisjurandi Deo orcum ibi capit uti & Servius. Sed de loco illo Virgilii, qua Hesiodum spectat videsis doctissimum Cl. Salmasium de Annis Climactericis, *pag.* 828. Gravissimas autem utcunque perjuris debitas esse pœnas & divinitus ab eis exigi solitas, receptissimum erat. Unde evenit ut Diagoras ille Atheos ideo primum Deos esse negaret, ἀδικηθεὶς (*Sixtus empiricus advers. Mathematicos lib.* 8. ἀπό τινος ἐπιορκήσαντος καὶ μηδὲν ἕνεκα τούτου παθόντος *cum injuriam accepisset a quodam pejerante ne quid pœnæ nomine patiente*. Sed hæc tantum extra causam amoris. Velut irrita nec pœnis obnoxia amantium invicem fuisse juramenta, sed Diis ridenda, ut apud poetas obvium est, ita etiam a philosophis summis, ut sententia recepta, traditur. Apud Platonem, ubi de amantis privilegiis agitur, *in Symposio*, & *apud Stobæum Serm.* 61. ὃ δὲ δεινότατον, ὥς γε λέγουσιν οἱ πολλοὶ, ὅτι καὶ ὀμνύντι μόνῳ συγγνώμη παρὰ Θεῶν ἐκβάντι τὸν ὅρκον. Αφροδίσιον γὰρ ὅρκον ἔφασιν εἶναι, *Maximum autem est id*, *quod ferunt plerique*, *soli ex perjuris amanti Deos dare veniam*. *Nam juramentum venereum velut pro nullo habitum*. Idem tantundem alibi, *in Philebo*. Summa demum est, apud Gentiles veteres, tam Græcos quam Romanos tum numina communia, tum propria, tum res alias pariter & publice & privatim jurari solitas, nec rite quem jurasse nisi *ex animi sui sententia* sive expressa sive tacita, nec perjurii quempiam reum habitum, nisi qui ex animi sui sententia, ultro, sciens, fefellisset, *Videsis L.* 26. *D. tit.* de

de jurejurando & Cujacium lib. 1. *Observat. cap.* 21. *& Basilic.* 22. *tit.* 5. §. 26. Vindicta perjurii divina apud eos expectabatur, nec forensis aliave ex jure Cæsareo vetustiore irrogata est, quoties Deos quis jurasset. Si vero per Principem ejusve genium, venerationem, salutem, caput pejerasset, nisi *calore quodam*, nec ex sedati animi sententia id fecisset, *periculum corporis aut majestatis crimen inferri placuit*. Sic Alexander Severus, *l.* 2. *C. tit. de Rebus Creditis & Jurejurando & videsis Cujacium lib.* 2. *Observat. cap.* 19. idque ex decessornm constitutionibus. Unde etiam non modo in Codicem Justinianeum adeoque in Christianismum sed & in Basilica, *lib.* 60. *tit.* 36. sumtum est & in Jurisconsultos, *Harmenopulus in Prochiro lib.* 1. *titul.* 7. *Mich. Attaliate in Synopsi*, *tit.* 28. *Vide not. ad Marmora Arundelliana pag.* 150. recentiores etiam Orientis. Pœna vero spontanei neque ex calore, per Principis salutem &c. juramenti erat Fustigatio, quod periculum corporis dicebatur. In versione autem Michaelis Attaliatæ inde hac de re agentis male pro κατὰ βασιλέως per oscitantiam substituitur *adversus Imperatorem* pro *per Imperatorem*. Sed & inolevit tandem ut hisce adjectum, perjuriis aliquot forensibus infamiam irrogari, *l.* 41. *C. tit. de transactionibus*, uti & in Jure Orientis Cæsareo lex illa, *Ecloga Leonis & Constantini tit.* 28. §. 2. *& Harmenopulus Prochir. lib.* 1. *tit.* 7. testi seu Litigatori, qui in foro ἐφαπτόμενος τῶν ἁγίων Θεοῦ Ευαγγελίων καὶ ὀμνύμενος, ἐπίορκος δὲ μετὰ ταῦτα ἀποδεικνύμενος, γλωσσοκοπείσθω, *tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis juraverit, & dein perjurus esse probatus fuerit, lingua præciditor*. De Christianorum vero juramentis, plura mox. Hoc autem de Paganis haud prætereundum, monita apud eos esse singularia de non omnino jurando in vulgaribus collocutionibus, nec quidem, ubi res contrarium impense non exigeret, in foro. Chœrilus poeta, *apud Stobæum serm.* 27.

> Ὅρκον δ' οὔ τ' ἄδικον χρεὼν ἔμμεναι, οὔτε δίκαιον,

quod generatim dictum ab Epicteto, *in Enchiridio*, temperatur; *evitandum juramentum* εἰ μὲν οἷόντε εἰς ἅπαν, εἰ δὲ μὴ ἐκ τῶν ἐνόντων, *si quidem fieri potest, omnino, sin vero, saltem quoad fieri possit*. Qua de re perquam egregia habentur apud Platonem, *lib.* 11. *de Legibus*, & Hieroclem, *in Carmin. Pythagoric.* Quibus accedat illud e veteri Essenorum, inter Judæos, disciplina, *Joseph. de Bello Judaico* 2. *cap.* 7. τὸ ὀμνύειν αὐτοῖς περιίσταται. χεῖρόν τι τῆς ἐπιορκίας ὑπολαμβάνοντες. Ἤδη γὰρ ἤδη κατεγνῶσθαι φασὶ τὸν ἀπιστούμενον δίχα Θεοῦ. *Ipsum Jusjurandum quasi perjurio deterius vitant. Jam enim mendacii condemnatum arbitrantur, cui sine Deo non creditur*. Quod de colloquiis aut commercio magis vulgari tantum dictum. Nam & ipsis constitutum erat (*Ibidem*) ne quis in cibi communionem eorum admitteretur antequam ὅρκους φρικώδεις *Juramenta formidanda* præstitisset, se Deum colere, & erga homines Justitiam servare.

V. Quod ad Mahumedanos; legitur quidem in Latina Roberti Retinensis Alcorani versione, *Azoara* 2. *pag.* 14. *Jurans namque falsum confunditur. Utroque vero jurante, verum super Judæos transit*. Sed nihil omnino habetur in Arabicis quod verbis illis respondeat. Nec quid pars eorum posterior significet ariolari possum. Sed Codex MS. Retinensis concors est. Quæ etiam habentur postmodum ibi, *Azoar.* 12. *pag.* 38. *Nullus nisi per Deum juret. Sin autem, injuriam effecit*, in Arabico non sunt; nec disciplinæ Mahumedicæ consona. Nec quod alibi, *Azoar.* 26. *pag.* 29. illic legitur de Jurejurando præstando. Nec quamplurima alia in versione illa Arabice occurrunt. Et juxta Mahumedicam disciplinam ipsiusque Mahumedis exemplum, tum per Deum tum per Creaturas variatim jurari solitum. Lex habetur in Alcorano, *Azoar.* 34. *Lat.* 24. *Arab.* de Juramento forensi, in causa Adulterii. Viri accusantis, qui testibus careret, testimonio, quater invocando ac jurando, بالله انه لمن الصدقين *per Deum se verum dicere*, seu *ex veracibus se esse*, quinquies adjecta imprecatione, ان لعنة الله علية ان كان من الكذبين *ut maledicat ei*, *anathematizet eum*, *Deus*, *si mentiretur*. Uxoris accusatæ; quater similiter Deum testando virum suum falso jurasse, quinquies itidem imprecando, ان غضب الله عليها ان كان من الصادقين *ut irascatur ei Deus si is fuerit veridicus*; quo præstito, illa absolvenda. Jurat autem Mahumedes ipse, per Angelorum Ordines, *Azoar.* 47. *Lat. Arab.* 37. *De illis Avicenna Metaphysic. Tract.* 10. *cap.* 1. Per Alcoranum, *Azoar.* 48. *Lat.* 38. *Arab.* Per ventos, per nubes, per æquoris naves, per Cœlum, per Stellas, *Azoar.* 61. *Lat.* 51. *Arab.* item, *Azoar.* 62. *Lat.* 52. *Arab.*

والطور وكتاب مسطور في رق منشور والبيت المعمور والسقف المرفوع والبحر المسجور *Per Montem* (Sinai, ut interpretes) *Librumque lineariter in chartis ſubtiliſſimis ſcriptum* (ut Retinenſis; Mahumed Ben Achmed paraphraſtes exponit per Legem & Alcoranum) *per domum ſuperne ædificatam* (ſic Retinenſis; Gallus, *par les voutes des cieux*; paraphraſtes ille collocatam eſſe ait in Cælo ſive tertio ſive ſexto ſive ſeptimo, locumque eſſe ubi Angeli ſeptuagies mille, per vices, Mecæ felicitatem quotidie procurant) *& tectum excelſum* (Cœlum ipſum) *& mare repletum*, per Stellam veſpertinam, *Azoar.* 63. *Lat.* 33. *Arab.* per occaſum Stellarum, *Azoar.* 66. *Latin.* 56. *Arab.* (ubi adjicitur, وانه لقسم لو تعلمون عظيم *quod magnum eſt, ſi cognoveritis, Sacramentum*) per calamum, *Azoar.* 78. *Lat.* 68. *Arab.* يوم القيمة *per diem reſurrectionis* & بالنفس اللوامة, *Azoar.* 85. *Lat.* 75. *Arab.* *& per animam ream*, per Angelos juxta miniſteria ſua ſive bonos, ſive malos, ſimul & ventos, *Azoar.* 87. *Lat.* 77. *Arab.* per Planetas, & Lucem, & Noctem, *Azoar.* 91. *Lat.* 81. *Arab.* & *Az.* 96. *Lat.* *Arab.* 89. والفجر والبال عشر والشفع والوتر والليل اذا يسر, *per Az.* 99. 89. *Arab.* *Auroram* (paraphraſtes فجر كل يوم *Auroram quotidianam*) *pernocte decimam* اي عشر ذي الحجة *Decimam Dilchagiathi*; Retinenſis noctesque x. Gallus, *par la dixieme nuit de mois*; forte intelligitur decima nox decem dierum Peregrinationis ſolennis ad Mecam) *Per par, & impar* (Retinenſis, *& per Baſcha, biduumque præcedens*, Philippus Guadagnolus, *Apologia pro Chriſtianæ Religione tract.* 2. *cap.* 4. *per interceſſionem & cordas*) *& Noctis tranſitum*, per quæ & qualia nunc ſe, nunc Deum O. M. impie inducit quaſi jurantem, ut item & per Mecham, *Az.* 100. *Lat.* 90. *Arab.* per Solem, *Az.* 101. & 104. *Lat.* *Arab.* 91. & 92. & 103. *Lat.* *Arab.* 93. Lunam, Ignem, Cœlum, Terram, Noctem, Animæ creatione, per poma Perſica & Olivas, *Az.* 105. *Lat.* *Arab.* 95. Et de juramentis Alcoranicis videſis plura apud Guadagnolum. Adeo ut والله *per Deum* ita per res alias ex diſciplina hac ſemper licuerit jurare. Inde ad Jacobum Conſiliarium, cum ſe occidiſſe Ulwæum affimaret, Mahumed Almahadi Chalifa, qui idem juſſerat, *Elmac. in Saracenic. Hiſtor. lib.* 2. *cap.* 4. لحلف inquit, برأسي وللحلف *Jura per caput meum, & ita juravit ille*. Ita Abugiafar Haron Raſiiol Giafarem de ſtatu Jahiæ cuſtodiæ traditi reſpondentem, adjurat وبحياتي *an per Vitam meam*, inquit, *Ibid. cap.* 6. cui Giafar وبحياتك *Non per Vitam tuam*. Et Avicenna *Lib. Almabad cap.* 3. *Et vide ſis poetam Arabem anonymum apud Ed. Pocockium in notis ad Abul Farajium pag.* 100. *Juro per Vitam meam, quod ſi Deus mitteret aliquem prophetam &c.* Sic Achmetes Turcarum Imperator fœdus, inter ſe & Henricum quartum Galliarum Regem, Turcico-Gallicum firmat juramento, *per Deum Ann.* 1604. *Pariſiis* 1615. *omnipotentem creatorem Cœli & Terræ, & per Anima: Avorum noſtrorum proavorumque*. Pejerantes non memini eo nomine pœnis forenſibus ex lege Mahumedica obnoxios. At vero præſcribitur in Alcorano *Azoar* 15. *Lat.* 5. *Arab.* Perjurii pœna, quoad Deum, Expiatoria ſingularis, quam nuncupat Mahumedes كفارة ايمانكم اذا حلفتم *Expiatio juramentorum veſtrorum cum ea violaveritis*. Ut ſcilicet perjurus aut decem pauperes Muſulmanos bene paſcat او كسوتهم aut veſtiat eos, aut Muſulmanum captivum redimat, aut ſi hæc præſtando non ſit, per triduum jejunet; quam ut expiationem leviculam & ridiculam Mahumedanis exprobrat Johannes Cantacuzenus. *Orat.* 2. κατὰ τȣ̃ Μωαμέθ. §. 7. Certe qualia Pagani de juramenti abſtinentia, habent etiam Mahumedani, ut videre eſt in Proverbiis eorum Arabicis, *Centuria* 2. *Prov.* 38. & 40. ubi non modo perjurium omnino interdicitur, ſed juramentum collocutionibus excludi videtur. فلتكن كلمتك نعم لو لا لتكون حقانا عند جميع الناس *Eſto ſermo tuus Etiam vel non, ut ſis verax apud omnes homines*, nec jurando affirma aut nega. Et quicquid de expiatione perjurii dixerit Mahumedes in ſupra allatis, poſtmodum in Alcorano, *Azoar.* 58. *Arab.* 68. *Lat.* multo gravior ejuſdem ſit quoad Deum pœna.

VI. In Chriſtianiſmo vetuſtiori dubitandum non eſt quin diſciplina Juramentorum maxima fundata eſſet verbis D. N. Jeſu Chriſti, quibus Legem Judæorum ve-

veterem de Perjurio, commentis non paucis a Magistris antea inquinatam (qua de re, plura mox) ex Judaismo genuino ac vero explicavit, *Audistis*, *Matth.* 5. 33. *dictum esse antiquis* οὐκ ἐπιορκήσεις *non pejerabis*, *Levit.* 19. 12. (Syrus ܘܠܐ ܬܕܓܠ ܒܡܘܡܬܟ *quod non mentiaris in juramento tuo*, Arabes لا تحنث بيمينك *fidem non falle, perfidus non sis in juramento tuo*) *reddes autem domino juramenta tua. Ego autem dico vobis non jurare* ὅλως (Syrus ܣܟ Arabes البتة ullo modo, not at all, ne jures aucunement) *omnino*, μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, *neque per Cœlum, quia thronus Dei est, neque per Terram, quia scabellum pedum ejus est*, μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα &c. *neque per Hierosolyma, civitas est magni Regis; neque per Caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum.* Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν ναὶ, ναὶ, οὒ, οὔ, τὸ δὲ περισσὸν τούτων ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν, *sit vero sermo vester; est, Etiam, Non, non*, (Syrus) ܐܠܐ ܢܗܘܐ ܡܠܬܟܘܢ ܐܝܢ ܐܝܢ ܘܠܐ ܠܐ *sed sit sermovester, Ita, ita*, aut *Est, est, & Non, non*, quod Græcis consonum, uti & Arabes Romanus & Erpenianus, ولتكن كلمتكم نعم نعم ولا لا *Et sit verbum vestrum Etiam, Etiam, & Non, Non*; Jajanus Arabs, بل تكون قولك في النعم نعم نعم وفي الا لا *Sed sit verbum tuum seu quod loqueris per Etiam Etiam, & per non, non*) *quod autem his abundantius est, a malo est.* Totidem ferme verbis idem iterat S. Jacobus, *Cap.* 5. 12. ubi monet πρὸ πάντων *ante omnia* juramentis abstinere. Nec per Cœlum, nec per terram jurari jubet μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον, *nec aliud quodpiam Juramentum*. Certe id quod in Matthæo sic de Juramentis ab Christo interdictis legitur haud exiguam existimo fuisse causam, cur doctissimus ille Thomas Linacer nostras, circa 130. abhinc annos, medicus celeberrimus, cum studiis morbisque fractus & jam morti vicinus, novum Testamentum tum primo (licet etiam Sacerdos esset) in manus cepisset, & Matthæi capita quintum (ubi hoc de Juramentis) sextum & septimum percurrisset, *abjecto iterum* (sic Joannes Chekus, *Disput. de pronuntiatione Linguæ Græcæ p.* 282. & *apud Balæum ad Cent.* 8. *script.* 65. in literis ad Stephanum Episcopum Wintoniensem) *quantum potuit totis viribus, libro, jurasse, aut hoc non fuisse Evangelium, aut nos non esse Christianos.* Usus proculdubio frequentissimus temere adversum ipsa Christi verba jurandi apud Christianos etiam illius temporis, ut nostri, ita viguit ut, cum interdictum hoc legeret Linacer, abstinere sententia & eloquio ejusmodi nequiret. Jurare per Cœlum, terram, caput in more fuisse apud Judæos, ex verbis illis Christi non elicere nequimus; qua de re etiam plura inferius. Sed quisnam fuerit verborum sensus integer, controversum est. Si de non omnino Jurando, simpliciter, ut ab aliquibus veterum *Vide Chrysostom. Orat.* 1. *adversus Judæos &c.* capiatur, undenam aliquoties Testem Deum ejusque præsentiam (ut plane jurando) invocat S. Paulus, *ad Rom.* 1. 9. 2. *Cor.* 11. 30. *Galat.* 1. 20. ut scripta sua confirmet? Unde Augustinus, *in Epist. ad Galat. cap.* 1. *Apostolus noverat præceptum Domini & juravit tamen?* Atque Autor ad Hebræos, *Cap.* 6. 16. de Juramento expressim loquitur ut cujus in controversiis omnibus definiendis usus sit maximus, atque omnino legitimus. Ita etiam Christianis primitivis, qui per *Genium* aut *Fortunam* Cæsaris, quoniam pro Dæmonibus sumebantur voces illæ, jurare renuerent, *Origen. contra Celsum. l.* 8. *Tertullian. Apologetic. cap.* 32. *vide Prudent.* περὶ στεφάνων *hymno* 10. & *Collat. Carthagin. cap.* 5. & *Cassiodor. Variarum* 8. *formul.* 3. per *salutem* ejus libenter jurabant. Perinsigne postea est exemplum illud Athanasii de Deo palam ab eo jurato, ubi *in Apologia ad Constantium Tom.* 1. *pag.* 674. & 678. ad Constantium Cæsarem, μάρτυρα τὸν Θεὸν ἐπικαλοῦμαι ἐπὶ τῆς ἐμαυτοῦ ψυχῆς &c. *Deum testem invoco in animam meam* &c. *nunquam in te me malum fecisse, apud Constantem fratrem tuum* &c. Addit aliquoties ibi, μάρτυς ὁ Κύριος καὶ μάρτυς ὁ Χριστὸς αὐτοῦ *Testis est Dominus*, & *testis Christus ejus*, ad formulam illam Samuelis, 1. *Sam.* 12. 3. Etiam, Christianorum morem receptum indicans, ἃ γὰρ ὡς Θεοῦ παρόντος λαλοῦμεν, τοῦτον ὅρκον ἔχομεν ἡμεῖς Χριστιανοί, *In eis quæ, ut Deo præsente, loquimur, eodem Juramento utimur nos Christiani.* Et Synesius Ptolemaipis circa annum 400. Episcopus sæpius νὴ τὴν ἱερὰν σοῦ κεφαλὴν, *per Sacrum tuum caput* aliterque sic in Epistolis, *Epist.* 49. 95. 103. &c. jurat. Et quamplurima tam apud Patres Orientis Occidentisque, atque in Conciliis integris. *Toletan.* 8. c. 2. & *videsis Collat. Carthagine habitæ* 1. c. 5. *Caus.* 22. *q.* 1. &c. & *Sent.* 3. *Distinct.* 39. quam in Principum Christianorum Constitutionibus, ac adhibito pas-

passim tum in Foro tum in Fœderibus usu; apertissime ostendunt illud *ne Jurate omnino* non aliter acceptum esse quam ut id quo Jurationis genera omnimoda neutiquam interdicerentur. Et in Oriente, veterum (*Basilius Canone* 81. *Synod. in Trullo Can.* 94. *ubi vide Balsamonem & Zonaram*, *& Balsam. ad Photii Nomocanon. tit.* 13. *cap.* 18. *& videsis Samuel. Petitum Varianum lectionum lib.* 1. *c.* 16.) Canones ὅρκους quidem Ἑλληνικοὺς *per Gentilium numina juramenta* vetabant, alia interim ultro admittentes, tam per res alias (modo non per Dæmonas aut res pro Dæmonibus habitas) quam per Deum Opt. Maximum, ut, per caput, per vitam. Sed in Occidente, circa annos abhinc 850. non semel lege vetitum est, *Capitul. Caroli & Ludovici lib.* 3. *tit.* 42. *& Leg. Longobard. l.* 3. *tit.* 24. *per Vitam Regis & filiorum ejus jurare*. Summa demum est, verba illa Christi ita scriptores & Respublicas Christianas interpretatus esse ut non intelligant velut de interdicto omnimodæ jurationis, sed ejusmodi tantum quæ oscitantius, petulantius, levius, morosius, temere in confabulationibus, pollicitationibus, seu sermone familiari vulgarique (nam de λόγῳ seu *sermone* loquitur, veluti solo interdicti objecto) male committi soleret; non quæ circa res graviores sive publicas, sive forenses, sive privatas etiam, pro natura rei varia, adhiberetur. Augustinus, *in Epist. ad Galat. cap.* 1. *& caus.* 22. *qu.* 1. *cap.* 2. *intelligitur ita Dominum probibuisse a jurando, ut quantum in ipso est quisque non juret, quod multi faciunt, in ore habentes Jurationem tanquam Magnum aut Suave aliquod*; &, *probibemur ergo jurare cupiditate aut delectatione jurandi*. Nam faciles ad jurandum cito perjuri evadunt, quod & veteribus *Vide Dion. Prusæum Orat.* 68. aliquoties dictum manifestum est. Patres alii consoni. Adeoque idem illis asseritur quod Epicteto qui nollet jurari, nisi ubi res serio exigit; non omnino ex loquacitatis petulantia aliove usu. Cui satis concordes philosophi summi superius cum illo memorati, aliique obvii. Atque hac de re præ aliis consulas Hugonem Grotium in verba Christi superius allata. Postquam autem Christo nomen dederant Cæsares, Juramentum instituerunt militare *per Deum & Christum & Spiritum Sanctum & per Majestatem Imperatoris* (quod in locum illorum, *per Genium*, *fortunam*, *per salutem* successit) *quæ secundum Deum generi humano diligenda est & colenda*. Ita apud Vegesium, *de re millitare lib.* 2. *cap.* 5. Mittimus heic, Principibus Christianis, ut ex historiis satis obviis liquet, solennia fuisse & peculiaria juramenta, ut *per vultum S. Lucæ*, *per pedem Christi*, per Sanctum hunc vel illum, ejusmodi alia nimis crebra. Inolevit vero tandem ut quemadmodum Pagani Sacris ac mysteriis aliquot suis aut tactis aut præsentibus jurare solebant, ita solenniora Christianorum Juramenta fierent aut tactis Sacrosanctis Evangeliis, aut inspectis, (*Extra tit. de Juramento Calumnia cap.* 7. *Speculator lib.* 2. *Partic.* 2. *tit. eodem* §. 4.) aut in eorum præsentia manu ad pectus admota, sublata aut protensa. Atque id corporaliter (*L.* 1. *C. tit. Si adversus venditionem & l.* 3. *C. tit. Si Minor se majorem dixerit*) seu personaliter juramentum præstare dictum est, ut ab juramentis, per Epistolam, aut in scriptis solummodo, præstitis distingueretur. Inde in vulgi passim ore upon my Corporall Othe. Jurisconsulti Græci dixere item, eodem in sensu, σωματικῶς καὶ τῇ ἀληθείᾳ ὀμνύειν, *corporaliter Basilic. lib.* 10. *tit.* 25. §. 3. *Harmenopulus Procbir. lib.* 1. *tit.* 12. *& reapse* seu *veritate jurare*, ita discriminantes ab eo quod erat, ubi ἐνεγράφη τῷ συμβολαίῳ μόνον ὁ ὅρκος, *inscriptum est instrumento* seu *scriptis solum juramentum*, seu *in instrumento*, *l.* 3. *C. tit. Si minor se majorem dixerit*, *per Sacramenti religionem est adseveratum*. Ex Jure Cæsareo vetere, ut hodieque frequentius, jurabant in foro alibique, ubi solennior juramenti usus, ἁπτόμενοι *Justinian. Novell.* 124. *cap.* 1. *&c.* τῶν ἁγίων Εὐαγγελίων, *tangentes Sacra Evangelia*. Accessit dein clausula illa, *Ita me Deus adjuvet & bæc sancta Evangelia*, aut *& ea quæ codice in boc continentur*, &, pro persuasionis discrimine, *& omnes Sancti*. Ita quidem tam per Codicem, *vide caus.* 22. quam per Deum jurant. Et observandum est solenne illud procerum in Hispaniis de societate ac συμμαχίᾳ ineunda juramentum, in quo præibat pater patratus, & demum -- *Si prior defecero*, inquit, *Jo. Mariana de rebus Hisp. lib.* 15. *cap.* 18. *certo consilio*, *illo die vos superi corpus in hoc seculo*, *in futuro animam diris cruciatibus mactate; vires verbaque deficiant facite; in pugna equus*, *arma*, *calcaria*, *subditi*, *cum opus esset maxime*. Quo dicto societatem sic ineuntes dicebant Amen. *Nonnunquam etiam divinam hostiam divisam in duas partes*, *uterque sociorum libabat*. Alii item per res Sanctas, ut Sanctum aliquem, Reliquias, Crucem, Altare, Hostiam, jurandum solum volunt, alii (*Scholastici ad Sent.* 3. *dist.* 39. *& videsis Par. tit. Alphonsinam lib.* 3. *tit.* 11. *lib.* 1.) etiam

per

per res creatas alias, nec juramentum ſic conceptum non obligare; alii nec per creaturas, *Cauſ.* 22. *q.* 1. *cap.* 9. *&* 10. jurandum. In jurando autem, manus extenſionis, quæ ſæpius tum pectori adhiberi tum in aere fieri libero ſolet, exemplum videtur forſan vetuſtum in Apologia illa Athanaſii, *Apolog. ad Conſtantium tom.* 1. *p.* 674. quod ante memoravimus, ad Conſtantium Cæſarem. Καὶ τὰ χεῖρα ἐκτείνας, ὃ μεμάθηκα παρὰ τοῦ Ἀποστόλου, μάρτυρα τὸν Θεὸν ἐπικαλοῦμαι &c. *Et manum extendens, quod didici ab Apoſtolo, Deum teſtem invoco* &c. Sed Apoſtolicum illud non tam ad juramentum revera attinet quam ad Apologiam ipſam. Paulus, *Act.* 26. 1. ἀπολογεῖτο ἐκτείνας τὴν χεῖρα, *apologiam iniit extendens manum*, ubi Syrus ܗܝܕܝܢ ܦܫܛ ܐܝܕܗ ܘܡܦܩ ܗܘܐ ܪܘܚܐ ܘܐܡܪ *extendit manum ſuam & depromens Spiritum locutus eſt*. Obiter in Juris utriuſque ad notiſſimos titulos commentariis & ſcholaſticorum diſceptationibus, de recepto apud Chriſtianos adjurandi uſu habentur perplurima. Atque ſe inter ſuos adjurandi ſunt formulæ cuique ſatis familiares. Interdum item per Procuratores juratur, in aut *per animam Domini*: *Speculator lib.* 2. *Partic.* 2. *tit. de Juramento Calumniæ* §. 4. *& videſis ſupra cap.* 10. §. 7. aliorum etiam. Ita cum Iſabella Henrici Angliæ Regis Tertii ſoror Friderico Cæſari ſecundo deſponſanda erat, Legati, eam heic circa rem, Cæſarei, Weſtmonaſterii *confirmarunt* (*Matth. Pariſ. Ann. D.* 1235.) *matrimonium, in Animam Imperatoris interpoſito Juramento, offerentes ei ex parte ipſius Imperatoris annulum ſponſalem. Quem cum in ejus digito poſuiſſent, pronuntiaverunt eam Imperatricem eſſe Romani Imperii* &c. Primas ſi non ſolas Legationis illius partes egit Petrus de Vineis, Cæſaris Cancellarius, ut liquet ex Henrici literis ad ſororem ſuam Reginam Scotiæ ea de re tunc miſſis. *De conſilio Magnatum*: *Rot. Clauſ.* 19. *Henrici* 3. *dorſo, membrana* 18. *in Arcæ Londinenſi* 23. *Feb.* 1259. *noſtrorum ipſam ſororem noſtram Imperatori conceſſimus in uxorem & ipſa ſoror noſtra de voluntate noſtra in præſentia eorundem magnatum noſtrorum, per verba de præſenti, conſenſit in ipſum Imperatorem per Petrum de Vinea nuntium ipſius Imperatoris ad hoc ſpecialiter deſtinatum cum poteſtate conſentiendi in ipſam ſororem noſtram, nomine ipſius Imperatoris, qui quidem Petrus ipſam conſenſit & in Animam Imperatoris juravit quod idem Imperator eam ducet in uxorem.* Alia ſunt ejuſmodi exempla. Æquiparari etiam ſolet interpoſitio fidei, *Per Honorem, Fidem Andr. Gaill. lib.* 2. *Practic. Obſerv.* 59. *&c.* Juramento ſolenniori. Alienæ autem perſuaſionis homines per id quod venerantur illi, & juxta modum quo venerantur adjurari *Videſis DD. ad l.* 5. *D. tit. de Jurejurando* §. *Divus & Stephan. Forcatulum in Necyomantia Juris Dial.* 12. conſueverunt. Prodigioſum eſt ejuſce rei exemplum in Jure Græco-Romano *Tom.* 1. *p.* 119. ubi Judæorum quilibet in forenſi negotio, adjurandus, Rubo cingendus fuit &, καβαλλικεύειν τὸν ἀσκὸν καὶ ἐμβαίνειν εἰς τὴν θάλασσαν καὶ πτύειν τὴν περιτομὴν αὐτοῦ τρίτον, *Culleo* ſeu *Utri* (*Vide inferius*) §. 7. *inſidere, & mare ingredi* debuit *ac circumciſionem ſuam ter conſpuere*, ac dein jurare Μὰ τὸν Βαρασῆ, Βαραᾶ, Ἀδωναΐ, Ἐλωΐ, τὸν διαπεράσαντα τὸν ἐρυθρὰν θάλασσαν τὸν Ἰσραὴλ ἀβρόχως &c. μὰ τὸν νόμον ὃν δέδωκεν Ἀδωναῒ καὶ τὸν ἐμπτυσμὸν τοῦ σώματος τῆς περιτομῆς καὶ τὴν βάτον ἣν τῇ ἐμαυτοῦ ὀσφύϊ περιζώννυμαι. οὐκ ἐπὶ ψεύδους ὀμνύω τὸ ὄνομα Κυρίου Σαβαώθ. Εἰ δὲ ἐπὶ ψεύδους ὀμνύω, ἐπικατάρατα τὰ ἔκγονα τῆς κοιλίας μου. Ψηλαφήσω ὡς ὁ τυφλὸς τοῖχον, καὶ ὡς μὴ ὑπάρχων ἔχων ὀφθαλμοὺς, πεσοῦμαι. σὺν τούτοις πᾶσιν ἀνοιξάτω ἡ γῆ τὸ στόμα αὐτῆς καὶ καταπινέτω με, ὡς Δαθὰν καὶ Ἀβειρών. *Per Baraſe, Baara* (forte depravatum ex בורא השמים והארץ *Bora baſchamim vvearetz, Creatorem Cœli & Terræ*) *Adonai, Eloi, qui traduxit ſiccis pedibus Iſraelem per mare rubrum* &c. (adjectis ſcilicet beneficiis Divinis, aquæ e ſaxo, mannæ, Coturnicum) *Per eam legem quam Adonai dedit, & actum conſpuendi circumciſionem corporis mei, & rubum quo cinguntur lumbi mei. Non falſo aut mentiendo juro nomen Domini Sabaoth. Sed ſi falſo juro, execrandi ſint poſteri ventris mei; more cæci parietem palpando quæram, & inſtar ejus qui oculos non habet, cadam. Cum hiſce omnibus tellus aperiat os ſuum, meque abſorbeat ut Dathan & Abiron.* Aliud ibi ſequitur ex libro Eparchico ſeu Præfectorio conſimile, ſed brevius. Rubo autem ibi etiam Judæus jurans cingitur, & jurat κρατήσας ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸ μεγαλεῖον, *tenens in manibus ſuis rem magnam*, Auguſtam, id eſt, Legis Codicem. Ad tempora hæc attinent Baſilii Junioris & Conſtantini Porphyrogennetæ Imperatorum ſeu annum 980. aut circiter. Delatum quidem eſt in lite jusjurandum illud Judæis aliquot a neſcio quo Judæo paulo ante converſo, qui in libello ea de re ad Imperatorem ſupplice formulam exhibens, καὶ οὗτοι, inquit, τὸν ὅρκον τοῦτον ἀσμένως ἐδέξαντο, *& ipſi hoc juramentum libenter admiſerunt*, velut Judæis legitimum & ſolenne, licet in lite illa jura-

juramentum præstare renuerent. Absque autem ritibus illis rubi, cullei, maris, obtinuit apud Christianos posteros, ut adjurarentur Judæi in Christiano foro in quo, nec apud Seniores seu Presbyteros eorum, utcunque variatim permissos, dirimendæ, inter eos & Christianos controversiæ, *Lib.* 15. *Cap. tit. de Judæis & C. Theodosii l.* 16. *tit.* 8. *l.* 22. *Secundum legem suam, super decem præceptis Mosis*, vel sic, *Juras tu per Deum patrem omnipotentem Sabaoth?* vel *per Deum qui apparuit Mosi in rubo?* vel, *per verum Adonai patrem?* vel, *per Deum Elohim*, & hujusmodi, quibus respondendum a Judæo *Juro*, vel sic, *Si tu culpabilis es & perjurus, sis dispersus inter gentes, & moriaris in terra inimicorum tuorum, & sic te terra absorbeat, sicut Dathan & Abiron*. Cui respondendum, Amen. Vel sic, *te lepra apprehendat sicut Naaman Syrum*; vel sic, *veniant super caput tuum omnia peccata tua & parentum tuorum & omnes maledictiones quæ in Lege Mosaica & Prophetarum inscriptæ sunt, & semper tecum maneant*, respondente Judæo *Amen*. *Durandus in speculo lib.* 2. *tit. de Juramento Calumniæ* §. 3. *num.* 17. *Bartol. ad L. jurari D. tit. de Jurejurando, Marquardus de Susanes de Judæis part.* 2. *c.* 5. §. 10. Atque ad hunc modum usus forensis est in Camera Imperiali, (*Mynsingerus Centur.* 6. *Obs.* 20. *quem & vide Cent.* 5. *Observ.* 6.) uti olim in Anglia nostra, cum sæpius pro duodecimviris, juxta morem in forum, ut facti Judices, in Christiani alicujus simul & Judæi causa, evocandis, *sex* juberi Regio soleret *probos & legales homines & sex legales Judæos* (is stylus Archivorum in Arce Londinensi forensis est) *adesse*. Simplicior item multo sed in eundem sensum, Judæum in Christiano foro adjurandi formula habetur in Alphonsinis, *Partit.* 3. *tit.* 11. *lib.* 18. Mauris seu Mahumedanis deferri solebat in Hispaniis a Christianis juramentum in hunc modum ut in Alphonsinis etiam legitur, *Partit.* 3. *tit.* 11. *lib.* 21. Tam is qui deferret quam Maurus adjurandus sistebant se coram Mesquita Mahumedana, si loci opportunitas ferret, aliove in loco a Judice præstituto, ubi Maurus, in Meridiem versus, manu sublata sic etiam per Deum & sacra sua, adjurabatur, *Juras me tu Fulan Moro, por Aquel Dios, que non ha otro si el non, a quel que es demandador, e conocedor, e destruydor, e alcancador, de todas las cosas, e crio esta parte de Alquibla* (القبلة quod pro Austro, *Alcoran. Azoar.* 10. *Arab.* 20. *Lat. ubi vertitur* Oriens, usurpatur) *contra que tu faces oracion. Eotrosi juras me por lo que recibio Jacob de la fe de Dios, para si, e para sus fijos e por el omenaie, que fizo de la guardar. Epor le verdad que tu tienes, que puso Dios en la boca de Mahomat, fijo de Abdalla, quando lo fizo su propheta, e su mandadero, segun que tu crees, que esto que io digo, non es verdad, o que es assi como tu dizes. Esi mentira juras, que seas a partado de todos los bienes de Dios, e de Mahomat, aquel que tu dizes que fue su propheta, e su mandadero. E non ayas parte con el nin con los otros prophetas in ninguno de los paraysos. Mas todas las penas que dize en el Alcoran, que dara Dios a los que non creen en la tu ley vengan sobre ti.* Respondebat Maurus, *Assi lo iuro*, ipsique juramento prima persona ab illo repetito, subjiciebat, Amen. De Juramenti autem Judæorum fide, ubi per vetus Testamentum editionis alicujus Christianæ jurant, consulas Paulum Fagium in Exodi, *Cap.* 23. 1. paraphrasin Chaldaicam. Pœna item Judæo & Mauro perjuro inflicta est, non minus quam Christiano, licet pro locorum & seculorum discrimine dispar. Sed de Vetustiore ac simpliciore Judæorum jurandi formula forensi, plura mox. Atqui mira, quod obiter adnotare liceat, inoleverat apud Christianos disciplina de Temporibus etiam amplioribus, quibus in litibus Jurare prohibebatur. Unde legitur e Concilio apud S. Medardum habito *apud Burchardum Decret. lib.* 12. *cap.* 20. *Decrevit Sancta Synodus ut a Septuagesima usque in Octavam Paschæ, & ab adventu Domini usque post consecratos dies, nec non & in jejuniis quatuor temporum & in Letania majori, & in diebus Rogationum, & in diebus Dominicis, in fide, concordia & pacificatione, nullus super sacra jurare præsumat*, quod item transcripsit Gratianus, *Caus.* 22. *Quæst.* 5. *can.* 17. *& videsis Ivonem, in Pannormia lib.* 8. *c.* 12. excepto quod habet *ab adventu Domini usque in Octavam Epiphaniæ, & nullus super sacra Evangelia juret*. Tantundem habetur e Concilio Erphordiense sub Henrico Aucipe Cæsare & Joanne Papa XII. anno 932. celebrato, etiam & de diebus aliquot aliis; licet nihil de Juramentis illic dictum. Scilicet *Placita secularia & Potestas Judiciaria* (quæ sine Juramento manca est) per tempora illis interdicuntur, *Buchard. lib.* 3. *cap.* 21. *Ivo Decret. part.* 3. *cap.* 53. *Grat. Caus.* 15. *quæst.* 4. *Can.* 2. Glossa ad priorem canonem apud Gratianum, *huic tamen canoni & præcedenti* (id est Caus. 15. quæst. 4.) *obviat consuetudo præscripta*. Et ad præceden-

dentem illam, *hoc tamen hodie non servat Romana Ecclesia*. Nec quidem ullibi recepti ſunt canones illi de non Jurando, aliter atque pro loci ſeculique temperamentis variis. Vetus eſt non ita diſſimilis apud Romanos veteres (*Macrobius Saturnal.* 1. *cap.* 16. *&c.*) de Feriis ſolennibus diſciplina, qua de re etiam titulus in digeſtis & Codice utroque. Et de Sabbatis diebuſque priduanis, aliiſque feſtis hanc circa rem apud Judæos veteres, ſatis elicitur ex eis quæ de diebus illis Juridicis ſuperius dictum eſt. Certe & in Chriſtianiſmo olim obtinuit Honorii & Theodoſii Minoris AA. ſancitum (anno Chriſti 409.) quo, *die Sabbati ac reliquis ſub tempore quo Judæi cultus ſui reverentiam ſervant, neminem aut facere aliquid aut ulla ex parte conveniri debere præcipitur*, *Lib.* 3. *C. Theodoſ. lib.* 2. *tit.* 8. *&* *L.* 8. *tit.* 8. *cum Fiſcalibus commodis & litigiis privatorum conſtat reliquos dies poſſe ſufficere*. Quod generatim ſic dictum ad Judæorum hinc litium adeoque Juramentorum vacationem pertinere vult Aniani gloſſa. Sub vicennium ante, ſeu 389. reſcripto Valentiniani, Theodoſii & Arcadii AAA., *L.* 7. *C. Juſt. tit. de Feriis L.* 2. *C. Theodoſ. lib.* 2. *tit.* 8. vacationis intervalla etiam aliquot eis quæ in canonibus jam memoratis occurrunt ſatis ſimilia, præter dies Solis ſeu Dominicos quibus item interdicuntur lites a Conſtantino (*L.* 1. *ibidem & C. Juſtin. eod. tit. L.* 3. *& videſis Sozomen. lib.* 1. *cap.* 8.) & Principum natales ac Imperii ortus. Et explanatio ſeu gloſſa in Theodoſiano ſequitur, quæ in codice Theodoſiano meo MS. ipſius Conſtitutionis locum occupat cum titulo *Idem Auguſtus*, id eſt *Conſtantinus* qui Legis primæ illic autor eſt. Acceſſere aliæ Conſtitutiones Cæſareæ, *L.* 6. *&* 8. *Cod. Juſt. eod. tit.* ad intervalla firmanda, uti & Pontificiæ *Extr. tit. de Feriis cap.* 5. Etiam habetur in codicibus aliquot Juſtinianeis conſtitutio ſimilis Theodoſio Imperatori tributa. Sed ſuppoſititia potius illa, ſaltem non Theodoſii, a nonnullis exiſtimatur. Apud Anglos autem noſtros Leges ſimul & Canones illi de litium adeoque Juramentorum Vacationis intervallis eouſque recepti ſunt, ut illis proculdubio, dierum Feſtorum, quos *Terminos* dicimus quatuor, Origines partem maximam æquum fuerit deberi agnoſcere. Intervalla noſtra & Canones & temperamenta climati noſtro neceſſaria intuenti, id facile liquebit. Et tum in libris noſtris juridicis editis *Leg. Heinrici* 1. *cap.* 62. *Breton cap.* 53. *Statut. VVeſtmonaſt.* 1. 3. *Ed.* 1. *cap.* 51. tum in Archivis, *Rot. Clauſ.* 11. *Hen.* 3. *part.* 1. *membrana* 26. *Rot. Pat. part.* 1. 11. *Hen.* 3. *membran.* 13. *Clauſ.* 15. *Ed.* 3. *part.* 1. *in Dorſo* 40. *Regiſtr. Roberti VVinchelſeii Archiepiſcopi Cant. pag.* 141. *&* 273. obvia ſunt quæ litigiorum juramenta in Quadrageſima aliiſque ejuſmodi intervallis non præſtanda fuiſſe, extra quam ubi autoritate ſive Regia ſive parlamentaria expreſſim permitteretur, oſtendant. Sed diu eſt quod mores ejuſmodi prorſus evanuere. Sequitur ut de Juramentis tam in vetuſtiſſima Eccleſia Dei unde Judæi propagati ſunt quam de ipſorum circa ea, ſcita ſubtiliora, ſed interim vetuſta, porro videamus.

VII. Licet recepta fuerit diſciplina illa, juxta ſuperius, §. 1. tradita, Jurandi per nomen aut cognomen aliquod Dei O. M. nec ſimul aliam rem aliquam cum Juramento illo conjungendo (quale quidem Juramentum in Foro pro legitimo & obligante habitum eſt, modo infra oſtenſo, juxta etiam illud *Hierem. c.* 4. 2. *& jurabis* חי יהוה *vivit Dominus in veritate & in juſtitia & in veritate*) nihilominus ex uſu majorum vetuſtiſſimo, per res alias, ſed non cum Dei O. M. nomine aut cognomine conjunctas, Jurare in pollicitationibus colloquiiſque ſolebant. Moris illius vetuſtiſſimis exempla cernuntur in illo Joſephi Patriarchæ fratribus ſuis jurantis חי פרעה *vivit Pharao*, *νὴ τὴν ὑγιείαν Φαραώ*, per *vitam*, *ſalutem Pharaonis*, Gloſſa, ibi, אם חי פרעה: *ſi vivit Pharao* (quod graviſſimum Ægyptiis juramentum, & capite *Abenezra in Decalogum*, ſi falſo præſtitum, luendum) uti & in illo Uriæ, 2. *Samuel cap.* 11. 11. Davidi, חיך וחי נפשך: *per vitam tuam & vitam animæ tuæ*, quibus accedat illud بدم هبيل בדם הבל: *per ſanguinem Abelis*, quod Sethianorum juramentum ſolenne fuiſſe ſcribit, ex Orientalium monimentis Eutychius patriarcha Alexandrinus, *in Annalibus*. Poſtmodum vero per cœlum, terram, caput, Hieroſolyma, jurandi morem fuiſſe Hebræis, ſatis elicitur ex juramentorum interdictione Dominica, de qua ſupra. Item per Templum, per aurum Templi, per Altare & per Altaris aurum, *Matth.* 13. 16. Atque in ſcriptis Hebræorum vetuſtiſſimis occurrit, formulæ illæ בחיי המל *per vitam Regis*, *Gemara Babylonia ad t.* Rosh hashena *c.* 1. *fol.* 17. 2. velut familiaris; item veluti forenſis quandoque, ex delatione דור לי בחיי ראשך: *vove* ſeu *jura mihi per vitam capitis tui*, *Miſn. tit.* Sanhedrin *cap.* 3. *Gem. Babylon. fol.* 24. 1. ſeu ut gloſſa ibi,

ibi, דור לי לשון שבועה *vove mihi ad modum juramenti*, ubi quæſtio fit utrum qui detulerit (etiamſi nec perfectum nec forenſe revera eſſet Juramentum) perfectum poſtmodum & rite forenſe deferre potuiſſet. Etiam *per Templum*. Rabbi Jochanan *Gemar. Babylon. tit.* Kidoſchin *cap.* 4. *pag.* 71. 1. de familiis aliquot reſtituendis locutus היכלא, inquit, כידינו היא: *per Templum in manibus* ſeu *poteſtate noſtra eſt*, ubi gloſſa היכלא שבועה בהיכלו של מקום: *Templi nomen ibi, eſt Juramentum per Templum Dei;* pro quo dicebant item המעון הזה *per habitaculum hoc, ædes haſce, Matth.* 23. 21. Ita aliquoties in Miſna. *Tit.* Cerithoth. *cap.* 1. *Talm. Babylon. fol.* 8. 1. & *cap.* 6. *fol.* 25. 1. & *tit.* Kethuboth *c.* 2. *fol.* 27. 2. Et in Gemara Babylonia, *Tit.* Baba Bathra *cap.* 10. *fol.* 166. 1. Rabba Simeon Ben Gamaliel, המעון הזה אם אלין הלילה עד וגו': *Per Habitaculum hoc, ſi dormivero hac nocte donec &c.* ubi etiam Gloſſa de Templo explicat, licet nonnulli de Hieroſolymis ſumſerint. Cum vero, ex diſciplina eorum, nemini non ſatis nota, per Numinis ſanctiſſimi ſive Nomen aliquod ſive Cognomen, juxta ſuperius oſtenſa jurandum eſſet, & affirmationis negationeſve profeſſio cum jurandi animo, legitimum juramentum etiam ſine expreſſa, modo ſatis intellecta, Nominis aut Cognominis mentione obligaret, nec juramenta per res alias pro obligatoriis ſumerentur, exempla adjurandi afferunt, *Videſis Joan. Druſ. ad Mat.* 5. 35. משביע אני עליכם מצוה אני עליכם אוסרכם אני הרי אלו חייבין בשמים ובארץ הרי אלו בטורין באלף דלת ביו״ר הא׳ בשדי בצבאות בחנון ורחום בארך אפים ורב חסר ובכל הכינויים הרי זה חייב: *Adjuro vos ego* (ſi quis nempe ſive in Foro ſive alibi deferret alicui generatim juramentum) *jubeo vos, interdico vobis* falſum dicere (dum adjuramini; nam in Gemara Babylonia, *Exod. tit. fol.* 35. a. intelligitur ibi de Adjuratione ſeu Juramento legitimo & juſſu & interdictione שבתורה *legitima*) *hinc illi ſic adjurati obligabantur* (aſſentiendo nimirum; etenim de Juramento per Numen ipſum ſic verba capiebantur) *ſed ſi adjurarentur, per Cœlum & Terram, liberi erant nec Juramento ejuſmodi obligati. Per Aleph Daleth* (Adonai) *per Jod He* (*Tetragrammaton* ſeu *Jah*) *Per Sadai, per Zabaoth, per Gratioſum, per Miſericordem, per Tardum ad iram, Beneficentiſſimum, ſeu per omnia cognomina obſtringebantur*. Scilicet qui legitime juratum quenquam vellet, id eſt non ſine obligatione ad pœnam perjurii ſive forenſem ſive per ſacrificia (idque juxta expreſſam tantum lege pœnam) expiatoriam (qua de re plura mox) haud juramento ulli ſatis credendum exiſtimavit, quod minime per ſanctiſſimum Numen aut expreſſim aut tacite (juxta ante dicta) præſtaretur. Neque enim pœnæ publicæ illæ ad juramenta alia attinebant. Quæ ſane diſciplina Phariſaica aperte cernitur in verbis Domini, *Matth.* 23. 1. de Juramentis per Templum, per Altare, apud illos pro nihilo habitis, ubi interim Dominus ipſe ait, ὁ ὀμόσας ἐν τῷ ναῷ ὀμνύει ἐν αὐτῷ καὶ ἐν τῷ κατοικήσαντι αὐτόν, *Jurantem per Templum, jurare per illud, & per eum qui habitat in Templo*, uti & jurantem per Cœlum jurare, tum per thronum Dei tum per illum qui ſedit ſuper eum. *Videſis Samuel. Petit. Variar. Lection.* 1. *cap.* 16. Neque aliunde quam ex Diſciplina illa Phariſaica rite intelligendum illud Martialis, *Lib.* 11. *epigr.* 95. in Verpum, poetam æmulum; Hieroſolymitanam nempe ſeu Judæum Romæ degentem. Quod detraheret ſcriptis ejus eaque carperet Verpus, non curabat Martialis, & Ironice eum inde ſapere ait. Sed, inquit,

Illud me cruciat, Solymis quod natus in ipſis
Pædicas puerum, Verpe poeta, meum.
Ecce negas, juraſque mihi, per Templa Tonantis.
Non credo. Jura, Verpe, per Anchialum.

Vix aut ne vix quidem dubitandum, quin Martialis injuria ejuſmodi, a Judæo iſthoc affectus, didiciſſet inter Judæos reliquos ibi ſatis frequentes, quonam Juramenti genere Judæo ipſi legitimo, ſibi religioſius ſervando, & pro ſatis obligante habito, illum de puero adjuraret. Judæum quidem ei juraſſe, ex Epigrammate ſatis liquet, per *Templa Tonantis* in quibus nec nomen Numinis ſanctiſſimi nec cognomen ex eis quæ ſic Hebræis vocantur. Sed *per Templum* etiam *Hieroſolymitanum* facile, ne dicam neceſſario, intelligi poſſit in illis *per Templa Tonantis*, quibus tamen ſi Jovem Romanum ſeu Capitolinum Tonantis nomine notiſſimum intellexiſſet Martialis, in idem res recideret. Nam ut illicitum ac plagis luendum, ita & irritum habebatur Juramentum, *Maimonides Tract. de Idololatria cap.* 5. §. 13. per Gentilium aliquod idolum. Voluit igitur, ut, ſi fieri poſſet, non falleret, eum ita jurare ut, per Numen ipſum ſuum, expreſſius juraret, *Jura, Verpe, per Anchialum. Nam dicebant vulgo Romani* (inquit

Stephanus Forcatulus, *Necyomantia Juris, Dialog.* 12.) *Anchialum eſſe Judæorum numen Sanctiſſimum*. Nec male. Nugaciter nimis ad Martialem, ſuperioris ſeculi ſcriptores aliquod de Anchialo urbe heic ſomniabant. Sed primus Joſephus Scaliger, *in Prælogomen. ad libros de Emendat. Temp. edit.* 1598. ex Judæorum formulis voluit in Anchialum, per pronuntiationem Romanam, migraſſe חי אלה *Vide Hierem. cap.* 4. 2. *&* *Cauſ.* 22. *q.* 1. *cap.* 7. *Chi allah* aut *per viventem Deum*, *vivit Deus*, quod & viris doctiſſimis Petro Scriverio, Gerardo Voſſio, *Hiſtoria Pelagianæ lib.* 5. *part.* 2. & Dionyſio Filio, *Ad Maimonidem de Idololatria cap.* 5. §. 13. uti & Hugoni Grotio, *Not. ad Matth.* 5. 34. placuit. Atque ut recepta formula forenſi utitur Caiphas, *Matth.* 26. 63. Ἐξορκίζω σε κατὰ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, *adjuro de per Deum viventem*. Alii אם חי אלה *ſi vivit Deus* originem eſſe volunt, alii nuperorum aliter, ſed ex Hebræorum interim uſu variatim deducentes; qua de re etiam nos alibi, *in Prolegomen. ad lib. de Succeſſionibus pag.* 5. plura. Sic autem jurans, ſi perjurii reus, eo nomine apud ſuos puniendus; non item ſi per Templum, Caput, Cœlum; licet etiam Juramenta ejuſmodi, citra Dei ſive nomina, ſive cognomina, Conſcientiam ſatis obligarent, ut ante Legem, ſeu in exemplis illis vetuſtiſſimis ſuperius memoratis, & violatis pœne quidem, ſed cœlitus tantum infligendæ expectarentur. Et ſingularib huc ſpectantia meritoque advertenda habet Philo, *Lib.* 2. *de Allegoriis*, ubi de Deo per ſeipſum jurante loquitur. Ad illud, *Deut.* 6. 13. ובשמו תשבע *&* *per nomen ejus jurabis*, Ἀσεβεῖς ἂν νομισθεῖεν οἱ φάσκοντες ὀμνύναι κατὰ Θεοῦ, *Impii ſunt* (homines) *qui ſe ajunt per Deum Jurare*, quia nemini ſatis cognita ejus natura; ſed bonum eſt, inquit, ſi nominis ejus haud neſcii eſſe poſſimus ὅπερ ἦν τοῦ ἑρμηνέως λόγου, *quod erat interpretantis verbi* (ejus) & dein ſubdit, Οὗτος γὰρ ἡμῶν τῶν ἀτελῶν ἂν εἴη Θεός, τῶν δὲ σοφῶν καὶ τελείων, ὁ πρῶτος· καὶ Μωσῆς μέντοι, τὴν ὑπερβολὴν θαυμάσας τοῦ ἀγεννήτου, φησίν, καὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ὀμῇ οὐχὶ αὐτῷ. Ἱκανὸν γὰρ τῷ γεννητῷ πιστοῦσθαι καὶ μαρτυρεῖσθαι λόγῳ Θείῳ, *Hoc enim Verbum noſtrum qui imperfecti ſumus, Deus eſt; Sapientum autem & perfectorum, ille Primus. Certe Moſes ſummam ingeniti excellentiam admiratus dicit, & per Nomen ejus jurabis, non per illum ipſum. Satis enim eſt per Genitum fidem adſtrui & teſtimonium haberi a verbo Divino*. Quod quidem inprimis animadvertendum apud Judæum, nec dum Chriſtianum, cui alias τοῦ λόγου *Verbi* etiam & *Filii Patris* mentio quaſi Platonica, ſed interim notioni Chriſtianæ perquam conſon. Dum autem alibi, Περὶ ἀναφερομένων ἐν εἴδει ἐνόμων, *ſeu de* 3. 4. 5. *præcepto*, de Juramentis agit, Jurandum non eſſe voluit per Dei nomina, nec dubitans quin juramenta per res alias ſatis conſcientiam jurantis obligarent etiam & ad pœnas cœlitus expectandas. A jurandi autem uſu dehortans & ab omni mendacio, quoties, ait, Juramentum fuerit (in ſeria fidei interpoſitione) neceſſarium, πατρὸς ἢ μητρὸς, ζώντων μὲν ὑγιείαν καὶ εὐγηρίαν, τετελευτηκότων δὲ τὴν μνήμην, ὅρκον ποιητέον *præſtandum Juramentum, per Patris ſeu Matris ſanitatem & ſenectutem felicem, ſi ſuperſtites ſint, & ſi mortui fuerint, per eorum memoriam*. Rationem reddit, ἀπεικονίσματα γὰρ οὗτοί γε καὶ μιμήματα Θείας δυνάμεώς εἰσι, τοὺς μὴ ὄντας εἰς τὸ εἶναι παραγαγόντες, *Sunt enim hi effigies & imitamenta Divinæ poteſtatis, utpote qui eos qui non erant* (liberos ſuos) *in vitam produxerunt*. Adjicit dein, ἀναγέγραπται τις ἐν τοῖς νόμοις τῶν ἀρχιγενῶν καὶ ἐπὶ σοφίᾳ μάλιστα θαυμασθέντων, ὑπὲρ ὠφελείας οἶμαι τῶν ἔπειτα, καὶ διδαχῆς ἀναγκαίας ἵνα τοὺς γονεῖς ὃν χρὴ τρόπον τιμῶσι, στέργοντες ὡς εὐεργέτας καὶ εὐλαβούμενοι ὡς ἀπὸ φύσεως κατασταθέντας ἄρχοντας, καὶ μὴ ῥαδίως ἐπιχειρῶσιν ὀνομάζειν Θεόν, *Memoratur in antiquorum & maxime admirandorum legibus quidam qui jurabat, per Timorem ſeu religionem Patris, ut poſteris ſic prodeſſet, nec ſine diſciplina neceſſaria cultus ejuſmodi exhibendi parentibus, qui honorandi ut benefici, & obſervandi ut a natura conſtituti principes, nec temere* (ut in jurandi uſu vulgari) *nominarent Deum*. Religioſum tunc hanc circa rem uſum aliquorum laudat, qui a Juramentis adjurationibuſque qualibuſcunque etiam & in eis a Dei nominatione abſtinentiores, εἰώθασι ἀναφθεγξάμενοι τοσοῦτον νὴ τόν, ἢ μὰ τόν, μηδὲν προσλαμβάνοντες, προφάσει τῆς ἀποκοπῆς, τρανοῦν ὅρκον οὐ γενόμενον. ἀλλὰ καὶ προσλαβέτω τις, εἰ βούλοιτο, μὴ μὲν τὸ ἀνωτάτω καὶ πρεσβύτατον εὐθὺς αἴτιον, ἀλλὰ Γῆν, Ἥλιον, Ἀστέρας, Οὐρανόν, τὸν σύμπαντα Κόσμον. Ἀξιολογώτατα γὰρ ταῦτά γε καὶ πρεσβύτερα τῆς ἡμετέρας γενέσεως, καὶ προσέτι ἀγήρω διαιωνισθέντα τῇ τοῦ πεποιηκότος γνώμῃ. Τοσαύτῃ δέ τινες εὐχερείᾳ καὶ ῥᾳθυμίᾳ χρῶνται, ὥστ' ἐν γένεσει πάνθ' ὑπερβάντες, ἐπὶ τὸν Ποιητὴν καὶ Πατέρα τῶν ὅλων ἀνατρέχειν τολμῶσιν &c. *Solent, ubi hoc ſolum protulerint, Ita per Illum, aut non per Illum, nihil adjicere, abſciſſionem* (juramenti integri) *obtendentes, nec juramenti expreſſim proferentes formulam integram. Sed vero adjiciat quis, ſi libuerit,* non

non ſtatim ſupremam & antiquiſſimam cauſam (Rerum Omnium ; Deum O. M.) *ſed Terram*, *Solem*, *Aſtra*, *Cœlum*, *totum Mundum*. *Sunt enim hæc Præcipua & antiquiſſima Generationis noſtræ*, *& inſuper ſempiterna ex Creatoris decreto*. *Aliqui vero tam faciles*, *& negligentes*, *ut quæ generata ſunt* (creaturas omnes) *prætereuntes*, *ad ipſum Creatorem*, *& Patrem omnium* (ejus nomen aliquod) *recurrere audeant*. Et tunc infrequentiam, & temeritatem jurandi merito invectus, οὐ γὰρ, inquit, πίστεως ἡ πολιορκία τεκμήριον ἀλλὰ ἀπιστίας ἐστὶ παρὰ τοῖς εὐφρονοῦσιν. *Neque enim Fidei ſignum eſt frequens Juramenti uſus ſed perfidiæ*, *apud ſapientiores*. Et deinde Mendaciter jurante a quo invocantur Numinis ſanctiſſimi teſtimonium, ὁ τοῦτο, optime inquit, ποιῶν μόνον οὐκ ἀντικρύσ βοᾷ κἂν ἡσυχάζῃ, σοὶ χρῶμαι τοῦ ἀδικεῖν παρακαλύμματι, αἰδουμένῳ μοι τῷ δοκεῖν ἁμαρτάνειν, συνέργησον, ἀντ' ἐμοῦ πονηρευομένου τὴν αἰτίαν ὑπόστηθι. Μέλλει γάρ μοι πλημμελοῦντι μὴ φαύλῳ νομίζεσθαι. Σὺ δὲ τῆς παρὰ τοῖς πιστοῖς δόξης ἀλογεῖς, οὐδὲν εὐφημίας ἐπιστρεφόμενος. ὅπερ καὶ λέγειν καὶ ἐννοεῖσθαι ἀσεβέστατον, *qui hoc fecerit*, *non tantum Deo occlamat*, *ſed interim tacite dicit*, *Te utor pro tegumentis injuſtitiæ* (mendacii) *meæ*, *dum peccare quidem me pudet ; adjuva me*, *in te culpam mei peccantis recipe*. *Evenit ſic me utcunque tranſgreſſorem*, *malum non exiſtimari*. *Tu autem exiſtimationem eorum*, *qui fidem ſervant*, *negligis*, *nec bonam famam commutas*. *Quæ quidem ſive dicere*, *ſive cogitare perquam eſt nefarium*. Libentius ex Philone hæc adduximus, quoniam egregia ſunt ipſa, nec interpreti Latino ſatis quidem reddita. Et Pythagorica plane ſunt & Socratica uti, & Platonica, atque, ut ante notatur, Rhadamanthina hæc Philonis de Dei nomine ipſo juramentis neutiquam adhibendo, ſed interim Talmudicis haud parum adverſa. Conſonam ei diſciplinam heic habes ex veterum plurimis apud Stobæum, *Serm.* 27. & 28. Antonium, Maximum. *Serm.* 85. 86. 87. Jurandi autem, ſive in colloquiis ſive in pollicitationibus, neceſſarium juramentum non eſt, frequentiam quæ perjurio diſpoſitio eſt prævia ac primaria, tantum abeſt ut magiſtri Talmudici non etiam fugiendam moneant, ut quaſi ipſis Chriſti de Juramento evitando verbis utantur. טובה, inquiunt, *Maimonid. tract.* Shebuoth *cap.* 12. §. 12. גדולה היא לאדם שלא ישבע כלל: *Bonum eſſet homini*, *non omnino jurare*, ubi tamen maxime & ferme ſolum ſpectant juramenta ex legi ſermone præſtanda, id eſt per Dei, ſive Nomina, ſive Cognomina, quod Philoni ſatis eſt diſſonum. Adeo grave autem Juramenti, ſive Falſi, ſive Futilis (de quibus ſtatim plura) peccatum æſtimabant ut, præter pœnas alias ex lege præſcriptas (de quibus mox) Excommunicari protinus debere tradatur & jurantem, ab eo qui audierit, eumque, ſi officio huic defuerit, etiam ipſum Excommunicandum. Maimonides, *Ibid.* §. 9. *& videſis Gemaram Babyloniam ad tit.* Nidarim *cap.* 1. *fol.* 7. 2. השומע הזכרת השם מפי חבירו לשוא או שנשבע לפניו לשקר או שבירך ברכה שאינה צריכה שהוא עובר משום נושא שם יי׳ לשוא הרי זה׳ חייב לנדותו ואם לא נדוהו הוא בעצמו יהא בנידוי: *Qui audierit mentionem Nominis* ſeu *Dei*, *ex ore proximi ſui in vanum*, *aut eum falſo jurantem*, *aut maledictione non neceſſaria utentem ita ut ſic quoque tranſgrediatur aſſumendo nomen Domini in vanum*, *obligatur eum excommunicare* (Quid illud eſſet fuſius oſtenditur libro primo) *Si vero eum non excommunicaverit*, *ipſe eſt etiam Excommunicationi obnoxius* ſeu *a ſeipſo excommunicandus*. Abſolutio autem ſequi debebat עיר *ſtatim*. Quod interim de Excommunicatione ſic dictum, intelligit ſolummodo de perjuriis ejuſmodi ſcienter non ex Errore aut Ignorantia commiſſis. Per res autem alias, ne quidem ſanctiſſimas, præter Deum ipſum, aut ſimpliciter quod in Pentateucho ſcriptum, Juramenta præſtita credenda aut pro Juramentis civiliter haberi (ut ante etiam tactum eſt) volebant. Idem Maimonides, *Tract.* Shebuoth *cap.* 12. §. 3. & 4. *Moſes Mikotzi Præcept. Negat.* 241. aliique heic ſatis ſubtiliter מי שנשבע בשמים ובארץ ובשמש וכיוצא בהן אף על פי שאין כוונתו אלא למי שבראם אין זו שבועה וכן הנשבע בנביא מן הנביאים או בכתב מכתבי הקרש אע״פ שאין כונתו אלא למי ששלח נביא זה או למי שצוה בכתב זה אין זו שבועה ואע״פ שאין אלו שבועות מאיימין עליהם ומלמדים את העם שלא ינהגו קלות ראש בכך ומראין בעיניהם שזו שבועה ופותחין להם פתח ומתירין להם במה דברים אמורים בשאר כתבי הקרש אבל הנשבע בתורה אם נשבע במה שכתוב בה דעתו על ההזכרות ואם נשבע בה סתם דעתו על הגויל ואין כאן שבועה נטלה בידו ונשבע בה ה״ז כמו שנשבע במה שכתוב בה ואסור: *Si quis juraverit Per Cœlum*, *& Terram*, *& Solem*, *& ſimilia*, *tametſi cogitaverit tantum de eo qui ea creavit*, *Juramentum nihilominus* (legitimum) *non eſt*. *Ita etiam ſi per Prophetam aliquem ex Prophetis*, *aut Scripturam aliquam ex Sacris Scripturis*, *tametſi cogitarit tantum de eo qui prophetam hunc miſit*, *aut de eo qui per Scripturam hanc quid juſſit*, *Juramentum nihilo-*

bilominus (legitimum) *non eſt. Cæteaum licet hæc non ſint juramenta quibus fides habenda, monere tamen ſolebant populum ut nec hiſce temere uteretur, cum etiam ipſis Juramenta eſſe videantur. Et oſtium eis aperiunt, & abſolvunt eos. Quæ dicta ſic tamen temperanda, ut intelligantur de reliquis Sacris Scripturis. Sed ſi quis juraverit per Legem* (ſeu Pentateuchum) *ita ut juret per id quod in ea ſcriptum ſit, in mente habet* Nomina *in ea Divina. Sed ſi ſimpliciter per eam juraverit adeoque cogitans* (tantum) *de Volumine* (qua Volumen eſt) *haud ibi Juramentum* (legitimum) *præſtatur. Sed ſi ceperit eam in manus ſuas, & per eam juraverit, idem eſt ac ſi juraſſet per id quod ſcriptum eſt in ea* (cogitationis diſcrimine adhibito nullo) *& obligatur*. Atque hæc ex Gemara Babylonia. *Ad tit.* Nidarim *cap.* 2. *fol.* 14. 2. Adeoque legitimum Juramentum ſeu Perfectum, שבועה גמורה Talmudicis dici ſolitum, non habebatur ſine Dei Nomine aut Cognomine ſive expreſſim, ſive aſſentiendo, juxta ante dicta, tacite adhibito. Forenſis autem jurandi formula ſeu שבועה הדיינים a Moſe Maimonide, *Tract.* Shebuoth *cap.* 11. §. 8. & Mikotzi *Præcept. Affirmat.* 123. aliiſque, ex uſu & ſcriptis ſuorum vetuſtis, ita deſcribitur, חנשבע אוחז ספר חורה בזרועו והוא עומד ונשבע בשם או בכינוי או בשבועה או באלה מפיו או מפי הדיינים: *Qui jurat Librum prehendit brachio ſuo, & ſtans jurat, Per nomen ſanctiſſimum aut Cognomen, aut Juramentum aut Execrationem, ex ipſius ore aut ex Judicum ſeu Synedrorum ore*. Addiderunt item, Baal Aruch *in verb.* הסת Migdoloz *ad Maimonid. tract.* Shebuoth *cap.* 11. *fol.* 400. 1. in Juramentis forenſibus ſolennioribus quandoque Feretrum, Culleum, ſeu utrem inflatum (qualis forſan memoratur ſupra, in Chriſtiana Judæos adjurandi formula) & Candelas quæ Spiritu cullei emiſſo extinguerentur, non ſine execrationibus in pejerantem horrendis, ſive a Synedris ſive a miniſtris Synedrii proferendis, ut terrore ſic, ſi fieri poſſet, perjurium præveniretur. Unde & ad infamiæ timorem augendum, adhibiti, ſæpius, ut in Excommunicatione graviſſima & ſolenniori, Buccinarum clangores. Inter Judicum item monita, quibus perjurium amoliri ſic ſtudebant, a circumſtantibus in terroris augmentum, clamari eſt ſolitum, *Gemar. Babylon. tit.* Shebuoth *cap.* 6. *fol.* 39. 1. illud Moſis ad populum de cœtu Corah, Dathan & Abiram, סורו נא מעל אהלי האנשים הרשעים וגו׳. *recedite, Numer.* 16. 26. *quæſo, a tabernaculis iſtorum virorum impiorum, & nolite tangere quicquam quod eorum eſt, ne forte conſumamini omni peccato illorum*. Et dein Jurans ex ore ſuo exemplum ſeu formulam affert, הריני נשבע באלהי ישראל כמי ששמו רחום במי ששמו חנון שאיני חייב לזה כלום וכן אם אמר הרי הוא ארור לה׳ או ארור למי ששמו רחום אם יש לזה כלום אצל: *Ecce juro per Deum Iſrael, per eum cui nomen Miſericors, per eum cui nomen Gratioſus, me reum huic non eſſe. Atque ita ſi dicat ſe maledictum eſſe Domino aut maledictum ei cujus nomen Miſericos, ſi quid habeat quod adverſario debeatur*. Delati autem a judicibus juramenti forenſis formula erat hujuſmodi, משביעין אנו אותך בה׳ או בכמי ששמו חנון שאין לזה בידך כלום והוא עונה אמן כעניין שנאמר והשביע הכהן את האשה בשבועת האלה ואמרה האשה אמן אמן או שאמרו לו הרי פלוני בן פלוני ארור לה׳ אלהי ישראל או למי ששמו חנון אם יש לפלוני אצלו ממון ולא יורה לו והוא עונה אמן: *Adjuramus te nos per Dominum, aut per eum cui nomen eſt Gratioſus, quod in manu tua* (poſſeſſione, poteſtate tua) *nihil habes quod adverſarii eſt. Et reſpondeat ille Amen, juxta negotium illud* (de uxore ſuſpecta *Num.* 5. 21. 22.) *& adjuret Sacerdos fœminam per Juramentum & Execrationem, & dicat fœmina Amen, Amen. Aut ad hunc modum, Ecce, N. maledictus ſit Domino Deo Iſrael, aut ei cui nomen Gratioſus, ſi ſit apud N. res aliqua τȣ̃ N. quam non illi agnoſcit, atque is reſpondet Amen: Videſis Sam. Petit. Variar. Lect. lib.* 1. *cap.* 17. Morem item ajunt fuiſſe, eos qui in foro adjurarent, monere ſolitos jurantem, ſe illum non juxta conceptum ejus adjurare ſed ſecundum conceptum ipſorum adjurantium & Synedrii. Et ſeculis recentioribus, deſiiſſe in forenſibus Juramentis uſum nominis Sanctiſſimi, atque in locum ejus ſucceſſiſſe Execrationes alias legitimas. Illud autem de adjuranti more, juxta ſententiam (verbis declaratam) Synedrii, nec jurantis (ut pectore celatam) firmant *Gemara Babylonia tit.* Shebuoth *c.* 3. *fol.* 29. 1. *& c.* 6. *fol.* 39. 1. *& tit.* Nidarim *cap.* 3. *f.* 25. 1. exemplo Moſis populum adjurantis *Deuter.* 29. 14. in fedus Divinum. *Non autem vobiſcum ſolum ego ferio pactum iſtud & Juramentum iſtud*, כי את אשר ישנו פה עמנו עמד היום לפני יהוה אלהינו ואת אשר איננו פה עמנו היום *Sed & cum omni eo qui hodie apud nos heic ſtat coram Domino Deo noſtro, & cum eo qui hodie non eſt heic nobiſcum*, ut etiam Græci, Onkelos, Arabs Erpenianus, & MSS. apud me veteres bini; recentiores paſſim. Vulgata tantum, *ſed cunctis præſentibus, & abſentibus*

bus. Targum Hierosolymitanum, *sed & omnibus generationibus quæ fuere*, מן יומות עלמא ועד כדון עמך קיימין הכא יומא וגו׳ *a diebus seculi usque hactenus tecum stant* (seu *sunt*) *quasi hodie*, *coram Deo vestro & cum omnibus generationibus futuris quæ fuerint post nos quasi consisterent hodie nobiscum*; uti & Uzielides sic dictus, ויית כל דריא דעתידין למיקם עד סוף כל עלמא כולהן הינין קיימין הכא עמן יומא *& omnibus generationibus quæ futuræ sint usque ad finem totius mundi* (quæ quasi) *stant hic nobiscum hodie*. Arabs autem Jajanus habet, *& cum eo qui est hæic præsens nobiscum* إذا نفل البة *cum ei delatum fuerit hoc Juramentum*. Jam vero, ad hæc Talmudici, de adjurationibus forensibus, ajunt, כשמשביעין אותו אומר לו הוי יודע שלא על דעתך אנו משביעין אותך אלא על דעת המקום ועל דעת בות דין שכן מצינו במשה רבינו כשהשביע את ישראל אמרלה דעו שלא על דעתכם אני משביע אתכם אלא על דעת המקום ועל דעתי שנ׳ ולא אתכם לבדכם וגו׳ כי את אשר ישנו פה אין לי אלא אותן העומדין על הר סיני דורות הבאים וגרים העתידין להתנייר מנין ת״ל ואת אשר איננו ואין לי אלא מצות שקיבלו עליהם מהר סיני מצות העתידות להתחדש כגון מקרא מגילה וגו׳: *Cum adjurandum adjurabant*, *dictum est*, *Heus*, *scire oportet nos haud adjurare te juxta conceptum mentis tuum*, *sed juxta conceptum Numinis sanctissimi*, *uti & Synedrii*, *juxta id quod reperimus in eo quod fecit Moses magister noster*, *qui*, *cum adjuraret Israelitas*, *dixit eis*, *sciendum est vobis me neutiquam vos adjurare juxta conceptum vestrum* (vestram sententiam) *sed juxta sententiam Numinis sanctissimi*, *& sententiam Dei ipsius. Secundum quod dicitur*, *nec vobiscum solum &c. verum etiam eo qui est heic. Non comperio heic alios præter eos qui stant in monte Sinai. Generationes futuræ & Proselyti qui imposterum in Judaismum recipientur quid facient? Adjicitur*, *& qui non est heic*. Et compluria alia monita, quæ perjurium amolirentur, inculcare solebant. Ex veterum autem usu, adjurationes Judicum forenses lingua fiebant sancta, sed ita ut necessario lingua adjurato cognita statim explicarentur. Etiam introductum est a τοῖς Gaonim (contra quam voluere Rabbini vetustiores) ut rite adjurarent Judices, *Maimonid. Tract.* Shebuoth *cap.* 11. §. 8. & 14. בכל לשון שהוא מכיר *in quacunque lingua satis intellecta*. Et quantum ad Pentateuchum brachio, inter jurandum, tenendum, ritus ille non ita necessarius ut Juramentum neutiquam sic præstitum non obligaret. Verba & assensus illud satis conficiebant. Ajunt tamen Judices errasse, qui ex Lege adjurarent quempiam בלא נקיטת חפץ *absque re aliqua* (puto, sacra) *sic prebens a* aut *manibus* sive *tenta* sive *alligata*. Supplebat satis, maxime in Presbyterorum seu Sapientum Juramentis forensibus, Pentateuchum, manus phylacterium, *Deut.* 6. 8. in quo verba Sacra & Domini nomina. Sapientes etiam seu Presbyteri rite jurabans sedentes; qui ex vulgo, stantes. Neque vero שבועת הסת *Juramentum Impositionis*, etsi pro gravissimo habebatur (de quo plura mox) super Pentateuchum præstabat adjuratus. Sed id, inter jurandum, coram tenebat sive fori minister aliquis, sive alius ex eis qui adessent.

VIII. Genus autem Juramentorum, qua sive forum sive hominum alibi mores & commercium spectabant, Talmudici faciunt quadruplex. Distribuunt in *Maimonides Tract.* Shebuoth *cap.* 1. *Mos. Mikotzi præcept. negativ.* 239. שבועת ביטוי ושבועת שוא ושבעות הפקרון ושבועת הערות: *Juramentum futile* seu *temerarium*, *juramentum vanum*, *juramentum depositi*, *juramentum testimonii*. Genus primum seu quod est Juramentum ביטוי *futile* seu *temerarium*, habetur in illo legis, *Levit.* 5. 4. נפש כי תשבע לבטא בשפתים להרע או להיטיב לכל אשר יבבא הארם בשבועה וגו׳: *Anima*, *Persona*, *si juraverit inconsiderate pronuntiando labiis suis male facere aut benefacere*, *juxta omnia* (seu aliquod eorum) *quæ temere proferre solet homo cum juramento* &c. Et non rite rem cognoverit consideraveritve, ove femella aut turturibus aut columbis, aut simila, aut capra, ut hostia pro peccato illo, expianda erat. Hoc itidem in partes quatuor dividunt; שתים להבא ושתים לשעבר *Binas de futuro & Binas de præterito*. De præterito, ut quum non sine Juramento ejusmodi quis sive affirmaverit sive negaverit se comedisse, aut saxum in mare projecisse, aut Rubenum cum Simeone colloquium habuisse. Ita partes illæ Binæ sunt negativa, & affirmativa. Simili modo de futuro; se comesturum, saxum projecturum, aut se non comesturum, non projecturum, ואיו שבועת ביטוי נוהגת אלא ברברים שאיפשר לו לעשותן בין להבא בין לשעבר: *Nec versabatur Juramentum hoc temerarium*, *nisi tantum in rebus quæ sive facere sive non facere in potestate jurantis esset*. Si pronuntiatum sic in hisce aliquod, falsum de præterito, aut non præstitum de futuro esset, הרי זו שבועת שקר: *juramentum falsum dicebatur*. Nam de ejusmodi Juramentis sumitur illud *Levitic.* 19. 12. לא תשבעו בשמי לשקר

non jurabitis per nomen meum falſo; Græci ἐπ' ἀδίκῳ *injuſte*, Judæi Hiſpanienſis *a falſia*. Ita alii. Et vulgata *non perjurabis in nomine meo* ואם נשבע לשקר במזיד לוקה: *& ſi in hiſce ſcienter juraverit falſo, verberibus puniendus erat*. Sic ex errore aut ignorantia, præſcripta in lege, *Levitic.* 5. *6.* Expiatio tantum adhibenda erat. Juramentorum genus ſecundum, id eſt שיא *vanum* quadrifariam item tributum eſt. Species prima, ubi jurabat quis id quod nemo neſcit ſe non ita habere; ut virum fœminam, aut fœminam virum eſſe, aut columnam marmoream auream eſſe & ſimilia. Secunda, ubi quis jurabat, על דבר שאין בו ספק לאדם שהוא כן: *rem ita eſſe vel non eſſe, de qua nemo mortalium dubitat*, ut cœlum eſſe cœlum, ſaxum eſſe ſaxum, duo eſſe duo, & ſimilia. Tertia, cum quis jurabat, לבטל את המצוה ἀκυρῶν *vide Matth.* 15. *6. Marc.* 7. 13. *irritum facere* (non obſervando) *mandatum* aliquod, ut ſe non uſurum phylacteriis, Paſcha aut Scenopegiam non rite hoc vel illo modo celebraturum, jejunaturum ſe Sabbatis & diebus feſtis & ſimilia. Quarta denique ſecundi hujus generis ſpecies eſt quando quis jurabat, על דבר שאין כח בו לעשות *ſe facturum rem quæ in poteſtate ſua non eſſet*, ut ſe per dies noctesque tres continuos non dormiturum, aut per dies noctesque tres continuos ſe nihil guſtaturum. Speciem harum quamlibet interdicto illo Decalogi *Exod.* 20. 7. contineri ajunt, לא לא תשא את שם יי' אלהיך לשוא: *Nomen Domini Dei tui non aſſumes in vanum*, atque ita Græci, ὀ λήψῃ &c. ἐπὶ ματαίῳ & εἰς εἰκῆ, Onkelos vero, לא תימא בשמא וגו' למגנא: *non jurabis per nomen* &c. *fruſtra*, ſeu *ſine cauſa*, & Uzielides dictus לא ישתבע חד מנכון בשום מימריה דיי' על מגן ארום לא מזכי יי' ביום דינא רבא ית כל מאן דמשתבע בשמיה על מגן: *haud quis veſtrum jurabit per Nomen Verbi Domini fruſtra. Neque eum non reum habebit Dominus in die Judicii magni, qui, juraverit per nomen ejus fruſtra*. Syrus, *non jurabis* &c. ܒܕܓܠܘܬܐ *cum mendacio*. Sed Onkelo poſteriora illa ſunt, דיימי בשמיה לשיקרא *qui juraverit per nomen ejus falſo*. Atque ita Judæi Hiſpanienſes, *no jures a nombre de A. tu Dio a vanidad, que non a pardonara A. al que jurare a ſu nombre a falſedad*. Arabs Erpenianus, لا تحلف باسم لله ربك باطلا *non jurabis per nomen Dei domini tui fruſtra*. Nec aliter Jajanus. Si quis autem Juramenti ejuſmodi vani reus eſſet, ex diſciplina Talmudica Lege illa fundata, idque ultro ac ſcienter (במזיד) verberibus plectendus erat. ואם היה שוגג פטור מן הכלום: *Si vero ex errore aut ignorantia, omnino liber erat*; nec pœnæ forenſi nec Sacrificio Expiatorio, obnoxius. Tertium genus Juramenti הפקדון *Depoſiti*, circa depoſita ipſa ſic vulgo dicta, res alienas, mutuo acceptas, caſu repertas, aliterve in cujuſpiam poteſtate, ſed quales dici ſolent fungibiles, verſabatur. Quaſi prævia ac inſerviens ſit Juramenti generi huic lex illa, *Lev.* 19. 11. לא תכחשו *ne mentiamini* (ne *ſitis perfidi*) Quod pro אזהרה לכפירת ממנן *præmonitione* (divina) *ſumitur, ne quis neget ſibi bonâ credita aut aliena*. Simplex autem negatio verberibus non puniebatur. Si vero cum Juramento falſo negaſſet, reus erat perjurii ad tertium hoc genus ſpectantis, idque ex verbis proxime ſequentibus, לא תשקרו איש בעמיתו *nec fallaciter agaris veſtrum quis cum proximo ſuo*, ubi ſtatim etiam ſequitur, לא תשבעו בשמי לשקר: *nec jurabitis per nomen meum falſo*. Perjurus hujuſmodi ex ſententia forenſi præter rem ipſam, quintam ejus inſuper partem *Levit.* 6. 5. reſtituebat. Et ſive ſcienter ſive ex ignorantia juris, de non falſo in cauſa ejuſmodi jurando, pejeravera, ſacrificio commiſſum expiabat. At vero ſi ignarus eſſet mandati de Sacrificio hoc nomine præſtando, aut ſi revera poſſideret rem petitam, ſed oblitus id neſciret tempore quo juraret, liber erat tum a quintæ mulcta tum a Sacrificio expiatorio. Et in cauſa hac utraque Juramentum ejus veluti pro vi illato ſumebatur, ſeu irrito, quale quodlibet coactum Juramentum. Quale itidem ajunt de genere heic quarto quod Juramentum eſt העדות *Teſtimonii*. Lex, *Lev.* 5. 1. de eo, *Si peccaverit quis & audierit vocem Juramenti teſtiſque ipſe fuerit, aut viderit aut cognoverit*, אם לא יגיד: *Si non indicaverit, portabit iniquitatem ſuam*. Juramenta autem violata, quæ ſive verberibus luenda ſive Sacrificio expianda erant, ea ſola fuere in quibus expreſſim aut tacite inerat nomen aut cognomen numinis ſanctiſſimi. Qui juraverat, ſe hodie non comeſturum, אוכל פחות מכזית פטור שאין אכילה פחותה מכזית *& comederat quod oliva minus eſſet, liber erat, cum quod oliva minus eſt, in comeſtione, pro nihilo deputetur*. Quale ſexcenties dicunt de cibis comeſtis; uti de potatione, parili in caſu, loquitur Maimonides, jurantem ſcilicet, ſe non hodie potaturum, non violare juramentum, עד שישתה רביעית כשאר האסורין: *uſque dum potaverit* (Hauſtus uſitati) *partem quartam*. *Quale jus obtinet circa reliqua* in-

interdicta. Si quis juraverat ſe hodie non comeſturum, & biberat, liber non erat. Quoniam השתייה בכלל אכילה *potatio includitur in comeſtione*. Si vero, ſe non hodie bibiturum, comedere ei fas erat. Nam אין אכילה בכלל שתיה *comeſtio non includitur in potatione*. Et quamplurima ſubdunt ſubtilia de juramenti objectis, in quibus & illud ſingulare de re notiſſima jurata, ſeu Juramento vano. Exemplum afferunt, *Maimonid. tit.* Sanhedrin *cap.* 5. §. 22. Aſtronomis non dubitari ſolem tellure majorem eſſe centies ſeptuagies; unde jurabat quis e vulgo imperito, Solem tellure eſſe majorem. Is אינו לוקה משום שבועת שוא: *non vapulabat nomine juramenti vani*. שאף על פי שהדבר כן הוא אין דבר זה גלוי וידוע לכל העם אלא: לגדולי החכמים בלבד *quoniam tametſi res ſe ita habuerit, non adeo manifeſta & aperta eſt toti vulgo, ſed ſapientibus* (Philoſophis, Aſtronomis) *ſummis*. Neque, quantum ad hoc Juramenti genus, pro reo habebatur, aut flagellandus erat uſque dum juraret, על דבר שגלוי וידוע לשלשה בני אדם משאר העם כגון איש שהוא איש ואבן שהוא אבן וכן אם נשבע מהשמש קטנה מן הארץ אינו לוקה ואף על פי שאין הדבר כן מפני שאין זה ידוע לכל אדם ואינו כמי שנשבע על האיש שהוא אשה שהרי לא נשבע אלא על ראיית עיניו שהרי הוא רואה אותה קטנה וכן כל כיוצא בזה מדבר השבין חקופות מזלות וגימטריאות וכיוצא בהן מדברי חכמה שאינן נכרין אלא לאנשים אחרים: *De re qua manifeſta eſſet & nota tribus hominibus* (quibuſque) *ex reliquo vulgo, ut virum eſſe virum, ſaxum eſſe ſaxum. Ita, ſi juraret Solem minorem eſſe tellure, nec flagellandus erat* (*tametſi res ipſa ſe neutiquam ita habeat*) *quoniam hoc non cuique notum, & aliud eſt ab eo quo juratur virum eſſe fœminam. Neque enim jurabat* (de ſole) *aliunde quam ex oculi conſpectu, quo viſus eſt ſibi minor. Parile jus de ſimilibus in Arithmetica, calculo aſtronomico, Geometria, id genus aliis Philoſophicis, quæ ignota ſunt aliis præter homines aliquot ſingulares*.

IX. Addunt de Juramenti futilis ſeu temerarii (per incogitantiam, iram, aut ejuſmodi animi affectum prolatum) in futurum de hoc vel illo præſtando ſeu vitando prolati, abſolutionis modum; quoties ſcilicet qui ſive ſic temere, ſive ob aliud quid quod inter jurandum non cognoſceret, juraverat, pœnitentia ductus, vinculo Juramenti ſe abſolvi deſideraret. Quod itidem jure parili in votis ſic conceptis obtinebat. Adeundus jurandi erat aut ſapiens ſeu Presbyter, aut, ubi is deerat. Tres aliquot ex vulgo, quorum, veluti in Juriſdictionis voluntariæ actu, munus habebatur legitimum, eum pœnitentem & abſolutionem petentem abſolvendi. Maimonides, *Tract.* Shebuoth *cap.* 6. §. 1. *&c. Sic. Talmudici Tit.* Nidarim *cap.* 3. *fol.* 21. 1. *& tit.* Becoroth *cap.* 5. *fol.* 37. 1. *Tit.* Nazir *cap.* 9. *fol.* 62. 1. *Tit.* Chagiga *cap.* 1. *fol.* 10. 1. הרי זה נשאל לחכם אחד או לשלשה הדיוטות במקום שאין שם חכם ומתירין לו שבועתו ויהיה מותר לעשות דבר שנשבע שלא לעשתו או שלא לעשות דבר שנשבע לעשותו וזהו הנקרא היתר שבועות: *Is rogare debuit Sapientem unicum aut in loco ubi is deerat, tres ex vulgo, & ab eis ſic nanciſci abſolutionem. Et tunc licitum erat rem quamcunque ſibi Juramento ejuſmodi interdictam facere, uti & eam prætermittere quam juraverat ſe facturum. Atque hoc dictum eſt Juramentorum abſolutio*. Hiſce e veteribus, ut reliqua, ſubdit, ודבר זה אין לו עיקר כלל בתורה שנכתב אלא כך למדו ממשה רבינו מפי הקבלה שזה הכתוב לא יחל דברו שלא יחלל הוא בעצמו דרך קלות ראש בשאט נפש כענין שנ׳ וחללת את שם אלהיך אבל אם נרם וחזר בו חכם מתיר לו: *Diſciplina autem hæc in ipſa non omnino Lege ſcripta fundatur. Cæterum ita didicimus a Moſe Magiſtro noſtro e Cabala* (traditionibus e Moſis tempore ad nos tranſmiſſis) *ſcriptum illud, Numer.* 30. 3. *is non violet* ſeu *non faciat irritum verbum ſuum* (de vovente & Juramento dictum) *ita intelligi, ut is per ſe non violet, idque impudenter & contemtu animi, juxta interdictum illud, Levit.* 19. 12. *de non profanando nomine Dei tui. Sed interim ita ut, ſi eum pœnituerit & ad meliorem mentem circa rem juratam redierit, Sapiens eum legitime abſolvere poſſet*. Ideoque: אין אדם יכול להתיר שבועת עצמו *nemo ſeipſum Juramento poteſt abſolvere*. Nec quis rite abſolutione ejuſmodi alterius uſus eſt in præſentia ſapientis ſe, eo nomine, eminentioris, aut ubi Magiſter ſuus præſens erat, citra Magiſtri aſſenſum. Neque per nuntium res hæc tranſigenda; ſed omnino coram. Et adſtanti qui abſolvi petebat, dicendum erat, Juravi hoc vel illo modo, & me pœnitet. Et conſcius mihi ſum me hucuſque doluiſſe hanc ob rem, nec me voluiſſe ſic jurare ſi rem ſatis intellexiſſem. Sapiens tunc aut triumvirorum primarius interrogabat illum, וכבר נחמת *& jamne te pœnituit?* Illo affirmante, reſpondendum erat שרוי לך או מותרלך או מטול לך וכל כיוצא בענין זה בכל לשון אבל אם אמר לו מופר לך או נעקרה שבועתך וכל כיוצא בענין זה לא אמר כלום שאין מיפר אלא הבעל או האב אבל חחכא אנו אומר אלם לשון התר ומחילה: *Solutus es, aut liber es, aut re-*

mittitur tibi, *aut ejusmodi quid aliud quocunque loquendi modo* idem significante. *Sed si dixerat* (sive sapiens ille sive triumvirorum primarius) *Irritum est tibi*, *aut pro nullo habendum* (quasi juramentum ab initio non obligasse assereret) *pro nihilo dictum censebatur*. *Id enim genus absolvendi ad Maritum & Patrem tantum* (ex Lege sacra ea de re lata, *numer.* 30. 9. *&c. attinet*. *Sed sapienti heic* (& absolventibus) *usurpandæ erant tantum voces quæ solutionem obligationis & remissionem denotarent*. Nimirum in causis Filiæ & Uxoris, Pater & Maritus plane ab initio irritum reddebant, non pro contracto habitum Juramentum dissolvebant; ut heic sapiens ille & triumviri, qui ligatum solvebant. Actus hujusmodi, jurisdictionis voluntariæ instar, nec tamen pro forensi censitus, a propinquis æque fiebat atque ab aliis, & tam noctu quam die, etiam diebus Festis & Sabbatis. Temperamenta autem heic habebantur; ut, absolutionem hujusmodi locum non habuisse, ubi quis ab alio in Juramentum ejusmodi adjuratus, absolvi desideraret, nisi etiam qui adjuraverat, præsens fuisset. Idem si quis על דעת רבים *ex consensu plurium*, veluti urbis, oppidi, eis juraverat אין מתירין לו לעולם אלא לדבר מצוה: *perpetuo ligatus manebat*, *nec absolvebant eum*, *nisi tantum in re aliqua*, *in juramento contenta quæ ex præcepto penderet*. Veluti שלא יהנה מבני העיר: *se nolle sibi acquirere ex urbis beneficio commodum omnino aliquod*. Si, hac in causa, per urbem illam opus esset prælectioni Legis aut circumcisionis aut Sacrificii ritibus quenquam præficere, nec quis alius præter hujusmodi duntaxat juratum ibi reperiretur idoneus, הז נשאל להכם או לג׳ הדיוטות ומתירין לו שבועתו ועושה להם מצות אלו ונוטל שכרו מאותן האנשים שנשבע שלא יהנה מהם: *Is impetrare potuit a sapiente aut triumviris* (quales dicti sunt) *ut eum absolverent a juramento suo*, *& tunc præstare præceptiva illa*, *adeoque mercedem accipere ab hominibus illis a quibus se commodum percepturum nullum juraverat*. Sed quoad causas non ejusmodi, absolvendum non omnino erat, *Videsis Maimonidem Tract.* Shebuoth. *cap.* 12. §. 12. Si quis juratus, ad Synedrium se contulisse לקיים שבועתו *ut firmaret* seu *præstaret Juramentum suum* (animi sui sententiam ea in re ostenderet) *& visum esset Synedrio absolutionem Juramenti ejus pietatis pacisque causam fore*, *præstationem vero seu obligationem Juramenti fore in causa transgressionis ac contentionis*, פותחין לו ונושאין ונותנין עמו בדבר ומודיעין לו דברים שגורמת שבועתו עד שיתנחם אם נחם נדבריהם מתירין לו אם לא נחם ועמד במריו הרי זה יקיים שבועתו: *Ostium ei aperiebant*, *& exhortabantur*, *argumentis ex eis quorum in causa fuerit Juramentum ejus petitis*, *ut se pœniteret*. *Et si pœniteret secundum monita illa*, *eum absolvebant*. *Sin vero persisteret*, *præstandum ei erat Juramentum suum*. Nec absolvendus erat. Juramentorum, in hoc de Synedrio casu, exempla sunt, se uxorem repudiaturum, Israelitarum neminem ex bonis ejus commodum aliquod percepturum, carnem se non comesurum, vinum non bibiturum per 30. dies, ejusmodi alia qui Juramentum ejusmodi effuderat, & postmodum etiam juraverat se nolle absolvi, & dein pœnituerat, primo impetrare debuit absolutionem Juramenti secundi, & tunc primi. Se non habiturum cum N. colloquium, & postea, si impetraverit hujus Juramenti absolutionem, se nunquam postmodum vinum bibiturum. Pœnitenti absolvendum primo primum, dein secundum, שאין מתירין נדר או שבועה שעדיין לא חלו: *quoniam absolvendum non erat sive votum sive Juramentum aliqua* (cujus tempus) *nondum incœptum*. *Ut si quis in mense Nisan juraverat se a carnibus abstenturum per triginta dies a mensis Jiar novilunio &* pœnituerat, ante initium Jiar absolutio impetranda non erat. Si idem ipsum juraverat quis ter, impetrandæ erant totidem absolutiones, ita ut prima, secunda, tertia ordine suo succederent. Et demum mirum est quod habent de effectu absolutionis, etiam Juramenti de futuro jam violati, *Maimonid. Tract.* Shebuoth *cap.* 6. §. 18. sive flagellationis pœnas sive expiatorias spectes; מי שנשבע שבועת ביטוי להבא ושקר בשביעתו כגון שנשבע שלא יאכל פת זו ואכלה ואחר שאכלה קודם שיביא קרבנו אם היה שוגג או קודם שילקה אם היה מזיד נחם ונשאל להכל והתירה לו הרי זה פטור מן הקרבן או מן המלקות ולא עוד אלא אפילו כפתוחו ללקות ונשאל והתירו לו קודם שיתחילו להלקותו הרי זה פטור: *Cum juraverat quis Juramentum futile de futuro & illud violaverat* (*ut si juraverat*, *se non comesturum buccellam istam*, *& comederat*) *& postquam comederat eam*, *& antequam obtulerat sacrificium suum*, *ubi ex errore aut ignorantia reus esset*, *aut priusquam flagris cæsus esset*, *ubi reus scienter*, *pœnituerat*, *& a sapiente absolutionem impetraverat*, *is nec ad Sacrificium hoc nomine obligabatur*, *nec flagris obnoxius erat*. *Imo quod plus est*; *si jam flagellandus impetraverat absolutionem*, *idque priusquam flagellare eum cœptum est*, *etiam inde liber erat*: Advertendum autem, quæ de absolutione

ne ſic impetranda dicta ſunt, ubi juramenta per Legem ſimpliciter aut ſimiliter (juxta ante memorata) præſtita, nec interim pro ſatis obligantibus habita abſolvenda erant, ad vulgus, non ad חכמים *ſapientes* ſeu Presbyteros eorumve diſcipulos neceſſario ſpectaſſe. Expreſſim Maimonides, הנשבע בתורה סתם אם תלמיד חכם הוא אינו צריך שאלה לחכם ואם עם הארץ הוא צריך שאלה לחכם כדי שלא ינהיג קלות ראש בשבועות: *Si etiam per Legem ſimpliciter juratum fuiſſet, ſapientis Diſcipulos ſic juranti neceſſe non erat Sapientem de abſolutione conſulere, quod tamen facere debuit quiſque e vulgo ſic jurans, ne frequenter nimis temeraria fierent Juramenta*. De pœna tum forenſi tum expiatoria, uti & abſolutione Juramenti & futilis & vani dictum eſt. De eo quod eſt depoſiti; flagellationem ad illud non attinuiſſe ajunt, הנשבע שבועת הפקדון במזיד אף על פי שנשבע לשקר והתרו בו עדים בשעת שבועתו אינו לוקה אלא מביא אשמו בלבד שהרי הכתיב מיציאו מכלל חייבי מלקות והייבו אשם בין בזדון בין בשגגה: *Qui juraverat Juramentum Depoſiti ſcienter, etiam ſi pejeraſſet nec ſine teſtibus eum præmonentibus tempore juramenti, flagellandus non erat. Sed Sacrificium tranſgreſſionis ab eo duntaxat offerendum erat. Scriptura enim excipit ejuſmodi jurantem e numero flagellandorum. Et reum eum facit Sacrificii pro tranſgreſſione; idque tam ubi ex errore quam ſcientia pejeraverat*. Depoſiti nomine nihil continebatur quod erat, פחות מפרוטה או משוה פרוטה: *minus nummo minimo aut ejuſdem valore*; unde ſi quis de hoc impetitus cum juramento negaret, liber erat a juramento Depoſiti, ſed interim (ſi falſo) juramenti futilis reus.

X. Quod ad Teſtimonii Juramentum violatum aut negatum attinet; lege de ea ſingulari neminem teneri ſcribunt, ubi petebatur Fundus, Servus, Syngrapha, aut quæſtio erat de Natalibus ſive puris, ſive inquinatis, ſeu de re aliqua, ſive male, ſive bene geſta, aut ſimilibus (extra cauſam zelotypiæ, *Num.* 5. 13.) ſed tantum, *Idem ibid. cap.* 9. §. 3. & *cap.* 10. §. 3. על כפירת עדות ממון שדומה לפקדון ותשומת יד וגזל ואבדה שפרטן הכתוב בפרשה שהן מטלטלין שגופן ממון: *ob negalionem ſeu violationem teſtimonii circa rem quæ Depoſiti fuerit inſtar, commodati, ſurrepti, deperditi, qualia particulatim enumerantur in Lege, Levit.* 6. 5. & *vide cap.* 5. 1. & *in rebus ſunt quæ fungibiles dici ſolent*. Nec locum habuit violati aut negati Juramenti hujus Lex circa קנס *mulctam*, veluti Dupli, Quadrupli, Quintupli; ſed tantum circa קרן ſeu actionis aut quæſtionis *rem principalem*. Atque is, cujus intererat, rogabat, & adjurabat, etiam extra forum, teſtem ut de re atteſtanda teſtimonium ſuum præberet, ad quod faciendum ex Lege ſacra tenebatur. Nec reus heic quis, niſi adjuraretur in lingua ei nota. Juramentum hoc extra caſus jam dictos proferens, licet minime teſtimonii Juramenti violati nomine teneretur, nihilominus Juramenti Futilis erat obnoxius. Qui vero Juramenti teſtimonii rite reus erat, illo duntaxat nomine is, non Juramenti Futilis, reus habebatur. Nec alia heic pœna quam per Sacrificium expiatoria; non Flagellatio. Teſtimonio idonei neutiquam fuere quales Judiciis impares fuiſſe ſuperius eſt oſtenſum, nec propinquiores. Juramenta jam memorata cuncta, quoties eſſent in foro delata, ſolenni nomine vocabantur, *Idem ibid. cap.* 11. §. 4. & 7. & *videſis Buxtorf. Lexic. Talmudic. col.* 626. & *Maimonid. Tract.* Toajon Wenetajen *cap.* 1. שבועות הדיינים *Juramenta Judicum*, qui itidem alio interdum, juxta Talmudicorum veterum diſciplinam, utebantur quod שבועת הסת *Juramentum Impoſitionis*, dictum, & gravius erat, & verbis variatim, & ſæpius repetitis; ſive Reo, ſive Teſtibus, ſive utriuſque delatum; ad extorquendum veritatem; veluti per interrogationum, & pœnarum comminationum torturam. Nec tamen hoc, nomine *Juramenti Judicum* ſolenni venire volunt. Carmina fuere in adjurationibus illorum forenſibus perquam horrenda, etiam ubi Juramentum Impoſitionis non adhibitum. Sed præter hæc Juramento huic acceſſere moleſtiſſimæ, *Gemar. Babylon. tit.* Shebuoth *cap.* 6. *fol.* 39. 1. Baal Aruch *in* חסף & *Maimonid. tract.* Shebuoth *cap.* 11. & ſæpius iteratæ variatæque adjurationis formulæ quibus tandem, ſi fieri poſſet, veritas erui quiret. Nec dubitandum quin generis hujus Juramenta fuerint illa, de quibus Johannes Chryſoſtomo, *Orat.* 1. *adverſus Judæos*. Locutus eſt Chriſtianus ille qui fœminam illuſtrem, etiam Chriſtianam, adegerat, Εἰς τὰ τῶν Ἑβραίων εἰσελθεῖν κἀκεῖ παρασχεῖν ὅρκον περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων αὐτῷ πραγμάτων, *in Hebræorum* (Synedria, veluti quæ, in Palæſtina utraque, *Lib.* 17. C. *tit. de Judæis*, ipſo Chryſoſtomi tempore fuere; & τὰ ibi τὰ Συνέδρια denotare palam eſt ex ſequentibus) *ibique jusjurandum de negotiis ſibi controverſis præſtare*. Hic a Chryſoſtomo rogatus cauſam δι᾽ ἣν τὴν ἐκκλησίαν ἀφεὶς ἐπὶ τὰ Ἑβραίων εἷλκε συνέδρια, ob quam, *eccleſia relicta eam in Hebræorum Synedria traxiſſet*, reſpondet πολλοὺς

πρὸς αὐτὸν εἰρηκέναι, φοβερωτέρους τοὺς ἐκεῖ γενομένους ὅρκους εἶναι, multos ei dixisse, formidabiliora esse juramenta ibi adbibita. Sed gravissime est hoc nomine a Chrysostomo reprehensus. Atque ita demum juramenta illis erant partim של תורה *ex ipsa Lege* partim של דברי סופרים *ex verbis* seu *disciplina Scribarum*, id est Sapientum, superinducta, quæ itidem in שבועות דאורייתא *Juramenta Legis* & שבועות דרבנן *& Juramenta Rabbinorum nostrorum* discriminantur, *Gemar. Babylon. tit.* Sebuoth *cap. 6. fol.* 41. 1. Et satis respondent Juramentis jam dictis, genera illa in Jure Cæsareo, *Lib.* 1. *D. tit. de Jurejurando.* Tria, Voluntarium, Judiciale, Necessarium, quod Græcis, *Hesychius*, *Suidas*, *Zenobius in* Ἐπακτός, dicitur Ἐπακτὸς ὅρκος *Jusjurandum ad actum*, & οὐκ ἐγχώριος ἀλλ' ἀπὸ ξένης ἐπηγμένος, *non vernaculum* seu ex jure ordinario seu patrio, *sed aliunde adactum*, quale quidem *Juramentum Impositionis* Magistris dictum. De horum omnium simul pœnis, ait Maimonides, *Tract.* Shebuoth *cap.* 11. §. 20. דבר ברור וגלוי שכל הנשבע שבועת הדיינין או שבועת הסת בשקר שיהא חייב משום שבועת הפקדון ואינו לוקה: *Juris est exploratissimi, quicunque juraverit Juramentum Judicum aut Juramentum Impositionis falso, reum eum esse Juramenti Depositi* (violati, juxta varias ante ostensas ejus notiones) *nec flagellandum esse*, sed sacrificio tantum expiandum. Quantum vero ad forum cœleste seu Numinis sanctissimi tribunal, ajunt perjurium, & nominis Divini abusum ejusmodi omnimodum peccatorum esse gravissimum, utpote cum Dei profanatione communem. Unde Maimonides, *Ibid. cap.* 12. §. 2. אעפ שאין בו לא כרת ולא מיתת בית דין יש בו חילול השם המקודש שהוא גדול מכל העונות: *tametsi neque excisio* (divinitus infligenda) *neque moris forensis ei præstituatur, attamen in eo est Profanatio Nominis sanctissimi quod peccatorum cunctorum est gravissimum.* Accedit autem de Servis, eos Juramentis suis de futuro, non omnino obligatos esse, quoniam neutiquam in potestate sua ipsi. Idem; *Ibidem* §. 6. עבד שנשבע אין רבו צריך לכפותו והרי הוא אחר שנשבע בקודם שנשבע לפי שאין גופו קנוי לו כדי שתחול עליו שבועתו ונאמר בשבועות לאסור אסר על נפשו מי שנפשו ברשותו יצא עבד שהוא ברשות אחרים ונמצא זה כמו שנשבע על נכסי אחר: *Si servus juraverat* (de futuro quopiam præstando) *dominus ejus non obligabatur ad cogendum eum. Et sane ipse ejusdem postquam juraverat conditionis habebatur, cujus ante. Quoniam corpus, Personam suam ipse non ita possidebat ut in se Juramentum suum præstandum reciperet. Et dici solet de Juramentorum obligatione, obligationem esse super ipsos jurantes seu animam, Vide Athanasii Juramentum, supra* §. 6. *ipsorum, quod intelligendum de eo qui sua est in potestate. Excipitur ita servus quia in aliorum est ille potestate. Et revera Juramentum illiusmodi haud aliud erat, quam si quis de bonis juraret alienis.* Sed de Juramentis eorum ut, & jurandi usu forensi plura Capite proximo.

BERN. LUDOV. MOLLENBECII
DISSERTATIO
DE
JURAMENTO
Per genium Principis.

APHORISMUS I.

GRande illud actionum in vita civili vinculum *Jusjurandum*, ab omni utique ævo mortales sancte pariter ac religiose habuerunt: vel ipso Ethnico Cicerone 3. *officior. nullum esse vinculum ad stringendam fidem jurejurando arctius*, asserente. Nimirum fundamentum humanæ societatis illud esse recte credidere, ideo introductum, ut dictorum fieret factorumque fides stabilis atque certa. Etenim cum per naturæ pravitatem, nil apud homines fere esset certius, quam ut fides data falleretur, nil contra incertius, quam ut servaretur, omnino reipublicæ interesset, ut tale aliquod medium interveniret, quod pondus dictis factisque adderet; tale aliquod vinculum inveniretur, quo simplex promissio assertiove stabiliretur solide ac confirmaretur: At vero arctius nullum visum fuit, nullum cui majus inesset pondus, nullum cui major reverentia deberetur, nisi quo quis Dei O. M. qui actuum humanorum testis ac arbiter, malorumque vindex & ultor severus est, misericordiæ gratiæque renuncians, gravissimis suppliciis in hac & futura vita ferendis, se devoveret, si aut falsum esset, quod assereret, aut quod promissum non servaret: Dn. Joan. Schilter, *in introduct. philos. moralis adver. nec simul jurispr. cap.* 2. §. 14 *p. m.* 54.

II. Hinc est quod jurijurando eos characteres tributos videas, ea non minus elogia, quæ non possint nisi vel singularem venerationem persuadere, vel timorem horroremque mentibus hominum incutere: Ita *Jus Sacratum* dicitur, apud *Virg.* 2. *Æneid. v.* 157.

Fas mihi Grajorum *Sacrata* resolvere *Jura*.

Sacramentum (1) *l.* 12. 13. *C. de reb. cred. l.* 2. §. 3. *de his qui not. infam. l.* 1. *pr. l.* 2. *C. de jurejur. propter calumn. l. ult.* §. 10. *C. de jure delib. l.* 14. *pr. C. de judic. l. ult. C. de fideicomm. l.* 8. *C. de legat. l.* 21. *C. de fide instrum.*

Juris jurandi Religio. *l.* 2. *C. de reb. cred. l.* 1. *ff. de jurejur.*

Et simpliciter *Religio l.* 24. 25. *ff. de jur. l.* 4. §. 1. *de in litem jurando*.

Forte quod mentem jurantis ita religet arctetque, ut tremorem ei timoremque injiciat, juxta *l.* 8. *de condit. Inst. l.* 1. *C. de jurejur. propter calumn. dand.*

III. Inprimis autem Romanis hanc præ aliis deberi laudem contendunt omnes, quod juris jurandi inviolabilitas, sancta ipsis adeo fuerit, ut si vel in minimo læderetur, maximum id esse nefas crediderint: Unde Cicero 3. *offic.* nulla de re diligentius judicasse scribit Censores, quam de jure jurando, si scilicet hoc fuisset violatum, imo eos omnibus hac in re gentibus palmam præripuisse, *Polybius* testis est, ap. Rosin. *Antiq. Rom. p. m.* 1298. *al.* 1297. quo etiam facit *lib.* XII. *Tabb.* fragmentum, *ut jurisjurandi ad fidem adstringendam præcipua vis esset*: Nec non Gaji in *lib.* 1. *ff. de jurejur.* responsum, *maximum expediendarum litium remedium jurisjurandi religionem esse*.

IV. Ut ut vero hoc forte ita sit, interim tamen dubium quoque non est, quo major honor juramentis ab ipsis Romanis habitus fuit, eo magis in iis concipiendis formandisque fluctuasse illos ac variasse: jurabant aliquando per vitam, per salutem, per caput suum liberorumque, per Deos immortales, interdum per Castorem, interdum per Pollucem, nonnunquam per Herculem: inde in comœdiis illa pervulgata: *Pol*, *Ædepol*, *Ecastor*, *Hercle*, *Mehercle*: jurabant & per Jovem Lapidem, idque sancto omnino (sanctissimum enim hoc jusjurandum habitum fuisse Gellius testis est *Noct. Att.* (2) 21.) ac peculiari ritu, nec minus his conceptis solennibus verbis: *Si sciens fallo, ita me Diespiter* (3) *salva urbe arceque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem*:

dem: quem statim, qua poterat vi projiciebat; vid. Perez. *in Cod. de rebus cred. num.* 3. Oldendorp. *Class.* 1. *act.* 9. §. *porro.* 3. *p. m. Edit. noviss.* 96. Tandem etiam, ut taceam alia, per *Genium Principis* juramentum conceperunt.

V. De quo quidem, per *Genium Principis* jurandi modo, cum eximius extaret apud Ulpianum in *lib. si duo* 13. §. *fin. ff. de jurejur.* locus, dubiaque desuper non nulla deprehenderem, quæ in diversas ingenia sententias traxerunt, non lusurum me operam credidi, si jurisjurandi hujus naturam, originem, effectum, affinia atque huc non impertinentia, opera saltem summaria, & per indicem quasi ostenderem.

VI. Et primo ergo *Genius* quid fuerit, dicendum est. Nimirum suum cuivis Dæmonem Laremve agnasci superstitiose antiquitas credidit: qui ut vel nulli, vel paucis admodum visus, ubique tamen præsens & omnium non modo actorum, verum etiam cogitatorum testis esset. Dæmonem hunc *Genium* appellabant, a *gignendo*, seu potius antiquo *genendo*, quod quasi *Deus naturæ* vel nascatur nobiscum, vel genitos nos suscipiat tueaturque: *Genius ita assiduus nobis observator est*, sunt verba Censorini apud Rosin. *Antiquit. Rom. lib.* 2. *cap.* 14. *ut ne puncto quidem temporis longius abscedat, sed ab utero Matris acceptos ad extremum vitæ diem comitetur. Appellatur autem hoc Numen Genius, sive quod in ejus tutela, ut quisque natus est, vivit: sive quod, ut generemur, curet: sive quod una gignatur nobiscum: sive etiam quod nos genitos suscipiat ac tueatur.*

VII. Qua quidem in re mirandum foret, inter medias Gentilium tenebras, simulacrum aliquod veritatis emicare; cum certe nec alienum adeo a scriptura sit, aut probabilitate careat, suum unicuivis piorum Angelum, Deum assignasse, qui a nativitatis statim ortu custodiat hominem servetque: quo pertinet, quod Hieronymus *sup.* 18. *cap. Matth. Magna est*, inquit, *dignitas animarum nostrarum, quarum unaquæque habet ab ortu nativitatis, in custodiam sui, deputatum Angelum*, nec non quod Bernhardus *semones* 12. *in Psal.* 91. *in omni loco*, dicit, *in omni angulo reverentiam habe Angelo tuo, neque illo præsente facias, quod me præsente erubesceres.* Si non tot figmentorum, tot etiam superstitionum ambages, insimul hic deprehenderentur: Enimvero non omnium hominum modo, sed & Regnorum, Regionum, urbiumque suos esse *Genios* Deosque credebant; Indeque & illud forte est, quod urbem obsessuri Romani, quam capi jam posse confidebant, certo prius carmine *Genios* sive tutelares Deos evocarent, vel quod capi urbem non aliter posse crederent, vel siquidem posset, nefas tamen putarent, Deos habere captivos. Gotofr. *in not. ad lib.* 9. §. 3. *ff. de divis. rer. lit. g.* certum enim est, Deorum numero ab ipsis, *Genios* habitos fuisse, divinoque quemlibet suum *Genium* honore mactasse: quo vere pertinet, quod vulgo Deum Genium invocare, Genio litare, ac sacrificia offerre, qua de re Tibullus *lib.* 4. *ad Corinth.*

> *Magne* Geni, *cape thura libens, votisque faveto*

& alius

> .... *Tu cespite vivo*
> *Pone focum,* Geniumque *loci, Faunumque, Laremque*
> *Salso farre voca.*

Quin imo rogare, obtestari, & quæ singularis Deorum prærogativa est, *jurare* per Genium alicujus solebant.

VIII. Imprimis vero Principibus hoc datum legimus, ut per eorum *Genios* maxime juraretur: Quod vel inde evenisse probabile est, quia licet proprium cuivis agnasci *Genium* existimaverint, alium tamen alio valentiorem excellentioremque esse statuerunt, quod cujus *Genius* potentior esset, cæteros is omnes antecelleret: Cumque ergo Augustis Principibus augustior inesse spiritus *Geniusque* crederetur, qui inter *Genios* omnes, quemadmodum inter homines ipse Princeps, summus esset, arctissimum utique jusjurandum ipsis videri poterat, quod per *Genium Principis* conciperetur; quin imo decreto a Senatu facto cautum fuisse, ut per Cæsaris Genium juraretur, ex Dione Cass. Refert Phil. Caroli *Antiq. Rom. lib.* 1. *cap.* 7.

IX. Qua rursus in re, uti ab omni omnino errore Romanos non libero, ita ab omni etiam eos deviasse vero, vix dixerim. Utique enim in eo rem acu tetigisse videntur, quod singularem quandam divinamque Principibus insitam virtutem esse, eorumque Spiritum Geniumque cæteros superare omnes crediderunt. Ecquis enim etiam vel nostrum est, qui grandi illo cœlitus demisso merito, *Majestatem* puto, præditis, divini, quid inesse negare audeat? Sunt sane *Divini* Principes, *Sacratissimi*, *Sanctissimi*, *lib.* 87. §. *ult. ff. de leg.* 2. *lib.* 11. *C. de his quib. ut indign. lib.* 8. *pr.* & §. 12. *ff. de transact. lib.* 5. *C. de divers. rescript.* &

& in tit. de concept. ff. §. 1. Imo ab ipso *Deorum Deo*, Sacratissimo Principum Principe, *Dii* vocantur *Psalm.* 82. *v.* 2. Dei sunt Vasalli Principes, *Sap. cap.* 6. *v.* 4 Dei gratia regnant. *Prov.* 8. *v.* 15. Adde, quod a Supremo omnium rerum Numine, nunc cœlestibus donis, nunc naturalibus, & Genitivis insignibus notisque, ita condecorari ornarique communiter soleant, ut divinus eorum vigor, cœlestis oculorum fulgor, veneranda quoque, & grata omnibus Majestas, non perstringat solum & adspectus invitet, sed & reverentiam singulis ac venerationem imperet: vid. post alios Sveton. *in Octav. cap.* 79. *ubi de oculis claris & nitidis Augusti, quibus divini quiddam inesse vigoris scribit*, & qui pluribus rem illustrat exemplis Theodor. Hopping. *meditat. Hist. de not. natur. genit. & gentilit.* §. 5. *pag.* 16. 17. *seqq. Divinitus* inquit Franciscus Scribanius *in Princip. Musc. p. m.* 534. *quædam amplitudo impressa est Principibus, qua adducti homines, tacita quadam & ineffabili veneratione, Principem suum, tanquam aliquem ex Deorum societate prosequuntur*. Apposite quoque M. Terentius Eques Romanus apud Tacitum *lib.* 6. *Annal. cap.* 8. *Non est*, ait, *nostrum æstimare, Tiberi Cæsar, quem supra cæteros, & quibus de causis extollas: Tibi summum rerum judicium* Dii *dederunt, nobis obsequii gloria relicta, abditos Principis sensus, & si quid occultius parat, exquirere inlicitum, anceps, nec ideo assequare.*

X. Præterea grandia illa & divina quibusdam Principibus concessa charismata, queis varios persæpe morbos, stupendo plane modo, sanandi facultatem habent, quid quæso evincunt aliud, quam Divino Principes Genio esse, & ab ipsius Divini, cujus vicem gerunt, Numinis, sacratissima quid virtute participare? Enim vero de *Imp. Vespasiano*, quæ Romanarum rerum scriptores Tacitus (4) 4. *Histor. cap.* 81. Sveton. *in Vespas. cap.* 7. Dio Cassius *Histor. Rom. lib.* 66. *in Vespas. vers. idem Vespasianus cæcum hominem*, aliique tradunt, eum cæcis visum, & manu vel crure debilibus, sanitatem cœlesti plane favore, & Numinum quadam inclinatione restituisse, quem in admirationem non rapiant? Lucem rei afferant ipsius Taciti saltem initialia verba: *Per eos*, inquit ille, *menses multa miracula evenere, queis cælestis favor, & quædam in Vespasianum inclinatio Numinum estenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam, oculorum tabe notatus, genua ejus advolvitur, remedium cæcitatis exposcens gemitu &c.*

XI. Imo non personis saltem singulis (quarum referri plurimæ possent) sed & integro sæpe Regum Principumque Ordini, totisque familiis illustribus, divina hæc dona competiisse, unde Divinus eorum Genius nosceretur, Historicorum tradita inculcant. Sane de *Christianissimis Galliæ Regibus*, fama constans est, raro quodam certoque Dei privilegio concessum eis esse, ut si morbo strumarum infectos, Rex legitime succedens, ac antiquis & receptis ceremoniis coronatus, manu tetigerit, verbis aliquot certis & solennibus recitatis, velut: *Le Roy te touche, Dieu te guarisse: tangit te Rex, sanet te Deus:* (Le Mercure François addit verba: *au nom du Pere, du Fils, & Sainct Esprit*) valetudinem recuperent. Limn. *in not. Regn. Franc. lib.* 2. *cap.* 5. Johann. Tilius *in comm. rer. Gallic. de Sacris Regum Reginarumque & eorum coronatione lib.* 2. Crusius *de univers. jur. προεδρ. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 76. *& seq. p. m.* 445. Sic & *Angliæ Regibus*, percurandæ Elephantia σεως divinam vim quandam inesse, ex *Polyd. Virgilio*, *Chopino*, *Valdesio*, *Piccarto*, *Bizarro*, Hoppingius nos docet. *cit. tr. de not. nat. Genit. & Gentilit.* §. 7. Similiter & *Arragoniæ Reges* morbo strumarum afflictis, salutem contulisse, *Hispaniæ Reges* crucis signo Dæmonia expulisse, ex *Chassanæo*, *Carolo Tapia*, *Valdesio*, *Beutero* idem Hoppingius *c. l. p.* 29. & Crusius *cit. tr. pag.* 447. *num.* 89. memorant. Quin & Potentissimos Austriæ Archiduces, cælitus hac concessa prærogativa gaudere, ut strumosis sanitatem, & balbis loquelam restituere possint, Dn. du May testis est, *dans son livre de l' Etat de l' Empire: dialogue* 3. *p. m.* 128. verbis: *Les Princes de cette Maison, ont receu de grandes graces de Dieu, de la nature, & des hommes. De la nature, en ce qu' ils ont tous le menton long, & les levres grosses, ce qui temoigne leur piete, constance, & integrite. De Dieu, en ce que donnant de leur main, un verre d' eau à ugoi treux, ils le guerissent; & baisant un begue, ils denouent sa langue.*

XII. Sic ergo divini quid non raro Principibus inesse, certæ veritatis res esto. Ad juramentum per *Genium Principis* revertor: Illud tanti Principes nonnulli fecerunt, ut peculiare decus, ac singularem quandam prærogativam, si per eorum Genium juraretur, contra dedecus, Majestatisque quandam imminutionem esse, si non juraretur, existimaverint. Sane Cajus Caligula Imp. *Svetonio* teste, cum divinitatis cultum sibi adsereret, multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum

tum notis, ad metalla, aut viarum munitiones, aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more cavea coercuit, aut medios serra dissecuit, hac fere præscriptione, quod nunquam per *Genium* ejus dejerassent. Nec aliorsum forte trahendum illud Corn. Tacit. 1. *Annal.* 73. *Rubrio crimini dabatur, violatum perjurio nomen Augusti*. Quin & jurantes ipsi, grandiusaliquod juramentum, quodque magis jurantem stringeret, nullum putaverunt, quam quod per *Genium Principis* præstaretur, quo *Alex. Neapolitani* locus pertinet, exhibitus a Spiegelio in *Lexic. jurid. voc. Genii*. *Per salutem & Genium Principis dejerare, longe præstantissimum jusjurandum haberi cœptum, cui nulla vi, nulloque imperio contra ire fas erat*. Unde non immerito ipsis a S. Patribus, *Tertulliano* imprimis, objectum, *Majori ipsos formidine Cæsarem observare quam Deum: Esse illis tutius, per omnes Deos, quam per unum Genium Principis pejerare:* vid. Schonborn. 2. *Polit.* 21. Rauchbar. *quæst. jur. civ. p.* 2. *q.* 2. *n.* 23. Phil. Carol. *lib.* 1. *Antiquit. Rom. cap.* 6. *num.* 26. Quanquam tamen Christiani, qui sub Gentilium Principum imperio vixerunt, veriti ne idololatriam committerent, religiose ab hoc juramento abstinuerint. Henel. *in Otio Uratis l. c.* 2.

XIII. Et sane recte: Est namque juramentum divini cultus species, qui non imaginariis fictitiisque tribuendum Diis est: Solus Deus T. O. M. ut omnipotens adorandus, solus ut omniscius in conscientiæ nostræ testem, perfidiæque ultorem invocandus venit. *Deut.* 6. *v.* 13. *& cap.* 10. *v.* 20. *Jerem.* 5. *v.* 7. *Hebr.* 6. *v.* 16. *Matth.* 5. *v.* 33. vid. Balduin. *de Cas. consc. lib.* 2. *cap.* 9. *Cas.* 2. *pag.* 331. Ergone vero macula laborare *lib.* 13. §. *fin. ff. de jurejur.* dicendum? in qua, *si quis*, inquit Ulpianus, *juraverit per Genium Principis, dare se non oportere, vel intra certum tempus juraverit se soluturum, nec solvit, Imperator noster cum Patre rescripsit, fustibus eum castigandum dimittere, & ita ei superdici*; προπετῶς μὴ ὄμνυε, *h. e. petulantur ne jurato:* Minime: Et ut ut insignis erroris illam legem arguant multi, vix tamen errorem, quo minus inde, ad servandum illud juramentum, obligatio inducatur, invenire poteris. Sane enim per *Genium*, seu fictitium Numen Principis jurare, nec præcipit jus Justinianeum, nec approbat: Saltem & quando juratum ita fuerit, servari jubet; quia etsi in abstracto & qs. in idea, non possit nomen mereri juramenti, nisi ubi invocatur verum Numen, & sic revera non juraverit, qui per Genium, quippe in quem nec religio cadit, nec vindicta, juravit, considerata tamen opinione jurantis, qui dum, quantum in ipso fuit, vere jurare voluit, ideo haud aliter ac si vere jurasset obligabitur: Quo pertinet, quod Divus Pius, *jurejurando, quod propria superstitione juratum est, standum esse* rescripsit. Ulpian. *in l.* 5. §. 1. *ff. de jurejur.* Et similiter, *quamvis non sit per creaturam jurandum, si tamen juretur per creaturam, servandum est. c. etsi Christus* 26. *v. & quamvis* x. *eod.* Cumque jurans sub falsa licet nota, generali tamen complexione verum Deum respexerit, verus etiam Deus, si pejeratum sit, in suam injuriam id factum interpretabitur. H. Grot. *D. J. B. & P.* 2. *cap.* 13. §. 12. Deutamm. *de jurament. membr.* 1. *num.* 30. Balduin. *de cas. consc.* 2. *cap.* 9. *cas.* 3. Strauch. *de jur. Nat. & Civ. conven. thes.* 30.

XIV. Unde facile responderi & illis potest, qui absurde LL. Statutum esse asserunt, ut per *Principis Genium* pejerantes gravissime puniri, per Deum vero perjurium committentes, vel nulla, vel saltem leviori pœna coerceri debeant: vid. Henel. *in otio Uratis l. c.* 2. Rauchbar. *quæst. jur. Civ. & Sax.* 2. *part.* 2. *n.* 24. Etenim ostendendum prius erat, dispositum ita in jure esse, antequam ad eam asserendi temeritatem prolaberentur: Sane ex ante *cit. l.* 13. §. *fin. de jurejur.* frustra id colligas: Nec magis id ipsum evincit textus (5) in *l.* 2. *C. de reb. cred. jurisjurandi contemta religio satis Deum ultorem habet: periculum autem corporis, vel Majestatis crimen secundum constituta Divorum Parentem meorum, etsi per Principis venerationem quodam calore fuerit pejeratum, inferri non placet*. Quæ enim inde illatio? jurisjurandi contemta religio satis Deum ultorem habet: Ergo per Deum pejerans legibus non punitur: Quasi vero delicta, quæ Deum ultorem habent, quæque se puniturum ipse in Verbo suo minatur, ea in foro propterea impunita relinquantur: Quasi, si certa delicto statuta pœna non est, aut ordinaria accusatio non competit, extra ordinem eo nomine agere, & delinquentem punire non liceat: Quasi, v. g. stuprum committens, quando jam *satis* a Politico Magistratu punitus dicitur, nihilominus non Ecclesiasticæ censuræ adhuc reus maneat: Præterea verba illa, *jurisjurandi contemta religio in d. l.* 2. satis generalia sunt, ad quodlibet juramentum applicari apta, ut absurdus proinde non fuerit, qui etiam, juramenti per Genium Principis præstiti contemtam

re-

religionem, Deum ultorem habere, dixerit.

XV. Sed fac: (citra tamen præjudicium veritatis *vid. l.* 41. *C. do transact.* & ibi Brunnem. *num.* 4. Gœhauf. *p.* 1. *peric.* 7. *quæst.* 54. *Ord. crim. Carol. art.* 107. & 108. Perjurium per Deum, legibus vel plane non, vel non adeo graviter puniri, puniri vero gravius, quod per *Genium Principis* commissum: propetereane talis contra rationem, absurdaque lex fuerit? Absit! Nam si in pejerantem per Genium Principis graviter adeo animadverti Leges voluerunt, utique quoque perjurium per Deum punivere, cum qui per Genium Principis pejeraverit, per Deum perjurium commisisse dicendus sit: Saltem in eo discriminis aliquid subesse æstimavere, quod in perjurio per Genium Principis, ipse offendi Princeps, securitasque publica & sancta majestas violari videretur, quod fieri pariter non putabatur, per eum, qui omissa Principis mentione per Deum pejeraverit, quare juxta illud, quod Tiberius apud Tacitum inquit 1. *Annal.* 74. *in fin. Suæ Diis curæ sunt injuriæ*, satis puniri eum crediderunt Principes, qui quoniam nullo digno satis pœnarum genere affici poterat, *Dei* horrendo judicio, quippe cujus æternis suppliciis se devoverat, unice reservaretur, cum perjuria impunita non sinat *Deus*; *Exod.* 20. *v.* 7. *Deut.* 5. *v.* 11. conf. Carpz. *in pr. crim. quæst.* 46. *num.* 4. & *multis seqq.* Pariter & in læsæ Majestatis crimine comparata res est: Illi enim, qui in Principem quid nefarie patraverit, præterquam quod bona ejus fisco addicantur, gladii statuta poena est, memoria ejus post mortem *damnata*, (6) filiisque insimul, non a materna saltem, vel avita omnium etiam proximorum, quin & extraneorum hereditate exclusis, sed & infamia notatis, sic, ut ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta pervenire, sed perpetua quasi egestate sordentes tales esse debeant, ut mors solatium, & vita sit ipsis supplicium, (7) juxta rescriptum DD. AA. Arcadii & Honorii in *l.* 5. *C. ad L. Jul. Maj.* cum contra in eum, qui in Divinam quid Majestatem commiserit, nil adeo durum statutum quid reperiamus: non quod eandem pœnam non mereatur, sane enim longe gravius est æternam, quam temporalem Majestatem offendere: *Auth. Gazaros C. de hæret. & Manich.* Sed quia satis adhuc atrociter cum ipso agi Principes crediderunt, si divinis suppliciis scelestus ille, mactandus relinqueretur. Similiter nec in liberos in Deum delinquentis animadverti poterat: quoniam licet Princeps offensus metuere possit, ne delicta parentum sint imitaturi filiis, proindeque, ne noceant, suorumque necem vindicent, recte in eos quasi ex infortunio quodam obligatos, animadvertat; Non pariter tamen Deus, quod in posteris delinquentis metuat, habet. vid. Gomez. *variar. resol. cap.* 2. *num.* 13.

XVI. Sic ergo recte voluerunt Principes per eorum *Genium*, pejerantem fustibus castigari, insimulque ei ita superdici, προπετῶς μὴ ὄμνυε, *petulanter ne jurato*, *d. l.* 13. §. *fin. ff. de jurejur.* Nimirum recepti apud veteres moris erat, ut supplicium de reo sumentes, causam simul pœnæ solenni ritu exprimerent, idque vel per proclamationem præconis, qui publice ita supplicii causam edicebat, cujus exemplum extat in *lib.* 6. *C. ex quibus caus. infam. irrog. Fustibus cæsum*, *cui per præconem ita dictum est*, ἐσυκοφάντησας, i. e. *calumniatus es*, *ut calumniatorem videri notatum manifestum est*: Et pertinet huc illud Spartiani in Severo: *Fustibus eum sub elogio præconis cæcidit*, *Legatum Popul. Romani homo plebejus temere amplecti noli*. Item Trebell. Pollionis in *Gallien. Polycarpus tertio confessus est se Christianum esse*: Nec non Eusebii, 4. *cap.* 5. *Agnes sacrilega virgo*, *Diis blasphemiam inferens*, *scortum lupanaribus nota*. Vel etiam ipsi supplicii loco, ἐπιγραφὴ quædam affigebatur, qua & supplicii causa innotesceret populo, & mali a simili flagitio patrando revocarentur: Hinc Tranquillus: *Canibus eum objecit cum titulo*: *Impie locutus Parmulanus*. Quin & ipsam crucis Salvatoris nostri inscriptionem, *Jesus Nazarenus*, *Rex Judæorum*, communiter huc referunt. Itaque quando nunc, per *Genium Principis*, pejeranti superdici jubetur, προπετῶς μὴ ὄμνυε, *petulantur ne jurato*, num de verbali illud, an de scripta superindictione intelligi deberet, dubitari poterat: Et utut scriptam intelligant *Duarenus* & qui eum sequi videtur N. a Salis in *Sicilim. juris ad. d. lib.* 13. §. *fin. de jurejur. p. m.* 38. potius tamen de verbali textum loqui, & ipsum verbum *superdici*, & tradita Cujac. 8. *observ.* 7. evincunt, adde Godofr. *in not. ad d. l.* 13. §. *fin. de jurejur.* & *ad l.* 17. *C. ex quibus caus. infam. irrog.*

XVII. Tantum nunc de juramento per *Genium Principis*. Liceat adhuc paucis & extremo, quod ajunt, digito, alia huic nostro affinia juramentorum genera, quippe queis æque maculam juri Sacratissimo nostro adspergi, visum nonnullis est, ὡς ἐν παρόδῳ & coronidis loco attingere. Sint illa sequentia: quæ fiebant per salutem Prin-

Principis *l.* 41. *C. de transact.* per caput suum, *l. ait prætor.* 3. §. *fin. de jurejur.* per caput filiorum *l.* 4. *ff. eod.* per salutem suam, *l.* 5. *eod.* inprimis vero per Sanctam & Gloriosam Dei Genitricem & semper Virginem Mariam, & per sanctos Archangelos Michaelem & Gabrielem, *Nov.* 8. *in fin.* de qua ultima juramenti specie antequam quid afferam, de prioribus quid sentiendum putem, indicabo.

XVIII. Et ergo illæ ita comparatæ sunt, ut affirmare ausim, in illis vix reperiri posse, quod reprehensione aliqua dignum: Nimirum duplici ratione per *aliquid jurari* Romani dicunt, semel enim id significant, *cujus vindictæ* jurans sese devovet, deinde illud: *quod devovetur*. In priori notatione, non nisi per *solum* Deum jurandum esse, recte Romani crediderunt, quos ab Ethnicismi superstitionibus Christiana religio liberaverat. In altera tamen notatione etiam per alia sine vitio jurari sunt arbitrati, ut nempe, majoris venerationis timorisque injiciendi causa, nonnulla in jurejurando *Deo* devoverentur, ejusque vindictæ submitterentur: Hinc soliti fuerunt non se ipsos tantum, sed quicquid ipsis carum esset sacramento Deo offerre; Eoque nunc pertinent pervulgatæ istæ formulæ, *per caput*, *per salutem*, *per vitam*, *per salutem Principis*, *per liberos* &c. Enim vero, non nisi absurdus dixerit, capiti, vitæ, saluti Principis, liberisque suis Romanos sese devovisse, cum ita jurassent, aut in assertionis suæ testes perfidiæque vindices invocasset; proindeque aliter statui non potest, quam in his ipsis formulis, divini Numinis invocationem implicite contineri, creaturas vero has non *invocatas* a Romanis, sed tanquam Divinæ vindictæ instrumenta, subjectas *Deo* fuisse, quibus ita in perfidia ulciscenda uti posset. Quare recte Ulpianus in *l.* 33. *ff. de jurejur.* *Qui*, inquit, *per suam* (vel etiam Principis, juxta *l.* 41. *C. de transact.*) *salutem jurat*, *per Deum* (cui salus devovetur) *jurare videtur*. Et Herman. Vultejus (vere Majorum Gentium JCtus, elogio Henelii *in otio Uratisl. cap.* 2.) *discept. schol. cap.* 3. *sive quis*, dicit, *per suam sive per Principis salutem juraret*, *salutis Authorem*, *qui unus est Deus* (*homine quippe nec capitis sui nec salutis Domino*) *appellare censeretur*. Nimirum qui ita jurant, hoc videntur sensu, exponente Mejero *in C. I. A. tit. de jurejur. th.* 14. jurare: Ita salvus sit Princeps: Ita *Deus* Principem præstet salvum: Ita salvus sim, vel ita salvi sint liberi mei, id est, Ita me *Deus* & liberos meos salvos præstet. Sic etiam *juramentum per caput suum*, nil utique impietatis superstitionisque involvit: Idem enim est, ac jusjurandum per salutem suam, quo jurans, si perfidiam sit commissurus, caput suum, tanquam principaliorem corporis sui partem *l.* 44. *de relig. & sumpt. fun.* offert *Deo* devovetque. Nil utique obstante textu *Matth. cap.* 5. *vers.* 36. qui quomodo intelligendus veniat, accurate ostendit ante laud. Mejerus in *C. I. A. citat. loco*.

XIX. Quantum vero nunc attinet jurisjurandi in *d. Nov.* 8. *in fin.* præscriptam formulam, (ab ipso Justin. propter tremendas & diras forte additas devotiones, *omnium horrendissimam* vocatam, in *Nov.* 102. *de moderatore Arabiæ*) qua per *gloriosam* Dei *Genitricem semper Virginem Mariam*, *perque sanctos Archangelos Michaelem & Gabrielem*, jurare Divus Justinianus præcipit, de ea aliud dicendum videbatur, postquam interpretes fere omnes orthodoxos, eam ut impiam damnasse ac improbasse certum est: ideo quod jusjurandum sit aliqua cultus divini species, quæ per creaturas fieri præstarique haud debeat, inque Angelos nec religio cadat, nec perfidiæ etiam vindicta, ipsorum, sed solius Dei sit, vid. Rauchbar. *part.* 2. *quæst. jur. civ.* 2. *num.* 33. Henel. *in otio*. *Uratislav. cap.* 2. Rittershus. *part.* 9. *Novellar. cap.* 20. *num.* 2. Donell. 24. *comment. cap.* 13. Wissenb. *ad ff. part.* 1. *disp.* 24. *th.* 19. Deutamm, *de juram. memb.* 1. *num.* 33. *ubi ait*, *neminem ignorare textum in d. Nov.* 8. *LL. divivis e diametro contrariari*. Verum enim vero, cum non castigare, sed abstergere legum errores, si qui irrepsisse videntur, boni civis, jurisque imprimis Sacerdotis sit: Tabor (8) *part. Elem. p. m.* 276. Utique & nobis, huic nostro *Sacratissimarum Legum* (9) operi, maculam hac in materia adspergere, ipsumque adeo Imperatorem idololatriæ præter meritum insimulare, merito religio esse debet. Etenim, ut, quod res est, cum Excell. Dn. Schiltero, *manud. Phil. moral. ad veram nec simul*. *Jurispr. cap.* 2. §. 27. dicam, nil adeo in *d. Nov.* 8. pietati contrarium continetur: Sane enim non juratur ibi per Angelos, tanquam assertionis nostræ testes, perfidiæque futuræ vindices, quippe cum per se soli peccata hominum non vindicent; neque etiam honor, qui soli *Deo* debetur, hic simul Angelis tribuitur, sed saltem *Deo* subjunguntur, tanquam *vindictæ divinæ instrumenta*, per quos, si velit *Deus*, suam ultionem exercere possit. Et certe ita rem esse, ex penitiore & attentiore textus perlectione apparebit: Quam maxime vero ex conclusio-

ſione Novellæ, quippe ubi ſolius *Dei* ſe vindictæ jurans ſubmittit, ibi: *Si vero non hæc omnia ita ſervavero, recipiam hic & in futuro ſeculo in terribili judicio Magni Domini* Dei *& Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & habeam partem cum Juda, & lepra Giezi, & tremore Cain: inſuper & pœnis, quæ lege eorum pietatis continentur, ero ſubjectus:* Ecce nulla hic fit Glorioſæ *Dei* Genitricis, nulla Michaelis & Gabrielis mentio: certo ſane indicio, in principio textus, alio ſenſu per Deum, alio per Angelos fuiſſe juratum.

XX. Sed hæc uti dixi, ὡς ἐν παρόδῳ. Interim prædictas juramentorum formulas & ſimiles, quæ ſuperſtitionis ſpeciem præ ſe ferre videri poterant, hodie in orthodoxorum foris exulare, & cum lance, ut dicitur, & liceo ab aula receſſiſſe, non ambigo; Inſuperque lubens & ultro largior, ſatius eſſe, ut iſtis abſterſis, aliis atque aliis inter Chriſtianos magis uſitatis utamur formulis, v. c. So wahr mir Gott helffe ꝛc. externoſque tales adhibeamus ritus, qui in ſenſus incurrant & unde religio injiciatur hominibus, & a perfidia magis illi abſterreantur: Quo referri maxime meretur, ut jurans ſi vir eſt, levata dextra manu, ſurſum exſertis duobus digitis anterioribus cum pollice, ſin vero fœmina, illis digitis ſub mammillis lævi pectoris, ubi cordis ſedes eſt, firmatis, juretur. Weſenb. *παρατ. ff. de jurejur. n. 6. ibique Hahn. in not.* Scheffer. *p. 2. q. 9.* Stando erecto corpore, nonnunquam etiam flexis genibus, incenſis duabus candelis cereis, prout in Supremo Conſiſtorio Electorali Dreſdæ obſervari teſtis eſt Barſchamp. *Rad. clauſ. cap.* 30. Quandoque apertis januis, feneſtris, nudatis capitibns eorum, qui adſunt, & ſtantibus iiſdem. Hahn. *ad VVeſenb. ff. de jurej. num. 6. in fin.* Confer omnino Balduin. *de Caſib. Conſc. lib. 2. cap. 9. caſ. 6.* Et ſicut olim, ita etiamnum tactis SS. Evangeliis jurari poterit, ſi conſuetudo permittat: qua ſolennitate innuitur, quemadmodum Evangelium noſtræ religionis fundamentum nulla de cauſa violari debet, ita jusjurandum nulla de cauſa frangendum eſſe: Polyd. Vergil. *de invent. rer. lib. 4. cap.* 13. Groenevv. *tract. de legib. abrog. ad l. 12. §. 4. C. de jud.* add. Matth. Steph. *ad Nov.* 8. *num.* 17. Sic & Judæi per legem Moſaiſam & ſuper 10. *Dei* præcepta jurent. *Ord. Cam. p. 1. tit.* 86. Mynſ. *cent. 6. obſ.* 10. Quanquam parum referat, quales pro more Regionum ſolennitates rituſque uſurpentur, ſi modo *vere* juremus, *juſte* & *liberate*, *c. animadvertendum 2. cauſſ. 22. q. 2.* per *ſolum Deum* omniſcium & veraciſſimum: *Huic* enim *Soli* non de aſtris, non idolis, nec creaturis, uti & ſupra monui, *hic honor, hæc reverentia debetur*.

NOTÆ.

(1) Unde Sacramento interrogari dicebantur, qui mediante juramento adigebantur, ut veritatem dicerent, ceu ex *Feſto* & *Paulo Grammat.* tradit Balduin *de caſib. conſc. l. 2. c. 9. in princ.*

(2) Quas Noctes Atticas multijugæ eruditionis penum vocat Voſſenholen de *Neutralit. cap.* 2. *th.* 6.

(3) Ita Jupiter dictus vel quod Diei & Lucis Pater ſit, ut Roſinus 2. *c.* 4. Hildebr. in *comp. Antiq. Rom. voc. Iupiter*, aliique conjiciunt: vel a Δίος, quod corruptum erat Διός, & antiquo Latinorum *Piter*, pro quo nunc *Pater* dicimus, quod *Deorum Pater* Jupiter eſſet, quæ derivatio Kippingii eſt *in Recenſ. Antiq. Rom. lib. 1. c. 1. p.* 48.

(4) Prudentiſſimus ille annalium conditor, & aulicarum rerum vaſerrimus, encomio Henelii *in otio Vratislav. c. 2. p.* 16. Quo nihil ſublimius, nihil perfectius tota Gentilium habuit eruditio: judicio Voſſenhol. *de Neutralit. c. 1. in fin.*

(5) Quem alias in quæſtione *an perjurium LL. impunitum ſit?* mire Dd. torquent & retorquent, ut imprimis videre eſt apud Carpz. *pr. crim. p. 1. quæſt.* 46. cui jungi poſſunt Pacius *cent.* 3. ἐναντιωϼ q. 79. Bronchorſt. *cent. 3. aſſert.* 25. Cujac. 2. *obſ.* 19. Donell. *tract. de jurejur. c.* 9. Ummius *diſp.* 14. *num.* 34. *th.* 6. Perez. *ad tit. C. de reb. cred. n. ult.* Mihi Acutiſſimi JCti (ut laudatur a Brunnem. *in d. l. 2. C. de cred. cred.*) Antonii Matthæji *in tract. crim. lib. 47. n. ult.* explicatio arridet: Alexandrum Imperatorem hoc non velle, non poſſe extra ordinem accuſari perjuros, ſed non eſſe proditam publicam accuſationem, fruſtraque adeo timeri pænam L. Juliæ Majeſt. Quod vero adjicit, Jurisjurandi centemtam religionem, ſatis Deum ultorem habere, id ad inconſulta & calore facta perjuria referendum eſſe, ad quæ temetſi jus Civile connivet, Deum tamen Optimum Maximum impunita ea non relinquere, add. Dn. Struv. *Exerce, ad ff. 17. th.* 54.

(6) Que *damnatio*, interprete Harprechto ad §. 3. *l. de publ. jud.* ſic fieri conſuevit, ut ejus, cujus damnabatur memoria, ex Magiſtratuum albo nomen eraderetur: effigies & ſtatuæ dejicerentur, titulique luto detegerentur, nec lugebatur, nec filii ejus ſepulchrorum jus habebant. *l. 11. §. non ſolent. ff. de de his qui not. infam. l. 1. §. interdum ff. de ſuis & leg. hered. adde* Heinden *concluſ. crim. cap. 1. concluſ.* 18. Perez *in Cod. ad. L. Iul. Majeſt. n.* 19.

(7) Satis ut videtur durum: unde Brunnem. *ad d. l. 5. C. ad L. Jul. Majeſt.* Imperatores aliquid humani hac in re paſſos eſſe, & Wieſſenbachius *diſput. ad ff. 34. part.* 2. conſtitutionem hanc, à lege divina pariter ac naturali æquitate, prorſus abhorrere, ait. Quibus accedunt Grotius *de l. B. & P. 2. c. 21. num.* 13. ibique Ziegl. *p.* 490. *& ad Lancellott. Inſtit. Jur Cam. p.* 498. Bachovius *ad Treutl. vol. 2. D.* 32. Eckoldtus *ad tit. ff. ad L. Jul. Maj. n.* 12. & alii. Interim tamen, nihil hic conſtitutum eſſe cum Perezio *in Cod. ad L. Jul. Majeſt. n. 17. &* 18. Summoque JCto Dn. Struvio. *Exerc. ad. ff. 49. th.* 20. aliiſque dicemus, quod defendi non poſſit.

(8) De quo JCtiſſimus Dn. Malcomeſius in *Diſp. de Illuſtri foro Spirenſi* §. 32. *p.* 38. *In hunc virum*, inquit, *profecte quadrat, quod Cicero de Servio ſcriptum reliquit: Sic Brute exiſtimo, juris Civilis magnum uſum, & apud Scævolam & apud multos fuiſſe, artem in hoc uno.*

(9) De quibus vere & eleganter Princeps JCtorum Weſenbecius *in parat. ff. de l. & l. n.* 17. ait, *quod ſi omnium Gentium populorumque inſtituta, mores, leges in unum conferantur, nequaquam tamen ſint cum his Romanor. legibus & inſtitutis, prudentia, pondere, ubertate ullo modo comparanda.*

JOHANNIS SPENCERI
DISSERTATIO
DE
JURAMENTO
PER ANCHIALUM.

PRÆFATIO.

CUM in eo jam ſim, ut ritus moreſque Judæorum, a Gentibus acceptos, & in juramentis ipſorum uſitatos illuſtrarem; cum re præſenti conjunctum eſt, jam dicto *Martialis* diſticho lucem fœnerari, cum præſertim argumento meo cognatione propinqua jungatur, & carminum eorum ſenſus & intentio tot virorum doctorum indaginem eluſiſſe videatur. Ut autem carminibus hiſce lux clarior affulgeat, par eſt ut rei totius exordium altiuſcule repetatur.

Sic itaque ſe habuit res tota quæ carminibus illis occaſionem adminiſtravit: Rumor in vulgus Romæ ſpargebatur, poetam quendam Judæum, *Anchialum*, *Martialis* puerum Sodomitice corripuiſſe. Arguit eum *Martialis*, quod ipſe ſcelere tam tetro ſeipſum contaminaret, cum præſertim in ipſis *Solymis* natus eſſet, adeoque ſanctior & purior haberi vellet. Judæus interim, ut criminis tam horrendi, forſan etiam capitalis, odio ſeipſum liberaret; factum negavit, & verborum ſuorum fidem, juramento per Jovem Tonantem concepto, firmare ſtuduit. *Martialis* (1) autem, cum ſubleſtam Judæi fidem probe ſciret, hujus juramentum pro nihilo habuit, addens:

> *Non credo: jura, verpe, per* Anchialum.

Rem hanc *Martialis* diſticho cauſam præbuiſſe, lector e verbis proxime præcedentibus haud ægre colligat.

> *Illud me cruciat, Solymis quod natus in ipſis;*
> *Pædicas puerum, verpe poeta meum.*
> *Ecce negas: juraſque mihi per* Templa *&c.*

Cum autem ex antedictis verborum occaſio ſatis intelligatur, nodos qui ſuperſunt, hoc ordine ſervato, conabor expedire. I. Doctorum ſententiæ de juramento per *Templa Tonantis* erroris arguuntur. II. Illius juramenti ſenſus genuinus explicatur, & ratio redditur cur *Martialis* illud nullius æſtimavit. III. Sententiæ de *Anchialo*, paſſim receptæ, recenſentur, & rejiciuntur. IV. Auctoris opinio de *Anchialo* Theſibus aliquot exponitur & confirmatur. V. Cur *Martialis* juramento per *Templa Tonantis*, tam facile præferendum cenſuit. De his omnibus ordine diſſerendum eſt.

SECTIO I.

Doctorum ſententiæ de juramento per Templa Tonantis, *erroris arguuntur.*

CIrca ſenſum horum verborum inter doctos multum diuque diſceptatum eſt. Eos autem tres opiniones præcipue diviſos habuere:

Prima, *Seldeni*, *Farnabii*, (2) *Hammondi*, & aliorum eſt; nempe Judæum poetam per *Templa Tonantis*, templum Hieroſolymitanum intellexiſſe, & auguſtum ejus incolam, qui ſolus de cœlo tonare novit. Nam *per Templum Dei*, vel *Dei Tonantis*, inquit (3) Seldenus, *mihi juraſſe videtur*, id eſt בבירת אלה הרועם *quod Hebræi de Templo Hieroſolymitano intelligebant*. Atque huic opinioni ſuſtentandæ fulcrum non unum excogitavit: nam I. Hujuſmodi jusjurandum ad illius Judæi perfidi rationes maxime aptum erat & accommodatum. Sententia ſcilicet impia, diu ante *Martialis* ætatem, inter magiſtros inoleverat, juramentum per Templum plane inane fuiſſe, nec jurantis conſcientiam obligaſſe. Hoc e (4) Domini verbis conſtat: *væ vobis duces cæci, qui dicitis, ſi quis per Templum juraverit, nihili eſt*. II. *Tonantis*

tis nomen Judæo illi præsto esse potuit, eum tonandi facultas Deo, eique soli, in Scriptura non raro tribuatur. Id scire licet e 1. *Sam.* 2. 10. *Psal.* 29. 3. *Job.* 40. 9. *Psal.* 77. 18. & 104. 7. & aliis Scripturæ locis: III. Non erat e more Romano, per Jovis templa jurare; sed per ipsum Jovem aut Jovem Lapidem: ideoque consuetudo Romæ recepta locutionem illam, *Templa Tonautis*, de Jovis delubris interpretari vetat. IV. Cum hac sententia bene quadrat responsio *Martialis*. Cum enim Judæus ille, pæderastiæ suspectus, crimen illud, per *Templa* jurans, denegasset; *Martialis* ei fidem abnuit, statim respondens, *non credo*. Hujus autem responsi sensus, aut fallor, huc redit: probe novi, vos Judæos gentem esse ad omne genus libidinis projectissimam: scio itidem, vos per Templum juratos, nulla religione vel perjurii metu teneri solitos, vosque hoc juramento frequenter incautos fallere. Cum itaque juramento illi specioso nihil non doli & perfidiæ subesse soleat; palam & aperte profiteor, me nihil fidei tibi, per Templum tuum jurato, tribuendum existimare.

Quamvis autem hæc opinio tot patronis & argumentis innitatur, non possum a meipso impetrare, ut ei assensum præbeam. Nam. I. Vix est ut credamus, quenquam e Judæis per Templum Dei jurare voluisse *Martialis* ævo, qui *Domitiano* σύγχρονος erat; cum *Titus* diu antea Templum funditus evertisset: verisimile est enim quemvis opinionem sinistram de tali juramento habiturum. II. Creditu difficile est, juramentum hac verborum formula conceptum (*per Templa Tonantis*) inter Judæos olim in usu fuisse; cum nulla istius vestigia, vel in veteri Testamento, vel in scriptis Hebræorum hodie reperiantur. III. Judæus ille sibi persuadere vix potuit. *Martialem* poetam quid fidei juramento mere Judaico dare voluisse, cum ille totam Hebræorum fidem cultumque dicteriis incesseret, ipsum Judæum jam *verpum* vocaret, & eo nomine præcipuum religionis Judaicæ sacramentum in contemtum traheret.

Sententia secunda eorum est, qui per *Templum Tonantis*, Capitolium, Templum Jovi Tonanti sacrum, intelligendum sentiunt. Ea sententia præ cæteris arrisit (5) autori nupero, qui cum repetita dedisset illa carmina *Martialis*, continuo addit, *per Templa Tonantis intelligo Jovem Capitolinum, cui juramento sacro obligabantur Romani: at Judæorum conceptum jusjurandum erat per Deum viventem*. Ad hanc sententiam firmandam rationes afferri possunt haud facile contemnendæ: nam I. Capitolium templum erat Romæ structum, Jovi tonanti sacrum, quod etiam templa quævis alia sanctitate & magnificentia superare, eaque omnia in se uno quasi complecti, censebatur. Hisce consona *Maronis* illa, *Æn.* 3. v. 84.

> *Templa Dei saxo venerabar structa*
> *vetusto*,

Templa Dei, i. e. Delubrum magnificum, Romæ structum, & Jovi Capitolino dedicatum. II. Titulus ille *Tonantis*, Jovi datus, aliique similes, in scriptis Græcis & Romanis passim obvius est; cum tamen Deus, eo titulo notatus & discretus, nusquam in Scriptura reperiatur. Jupiter, in scriptis Græcis ζεὺς βροντῖος, & ζεὺς ὑψιβρεμέτης, in scriptis Latinis, *tonans*, *fulgurator*, *fulminator*, frequenter appellatur. (6) *Horatius* exemplum nobis exhibet, his verbis.

> *At cum tonantis annus hibernus Jovis*
> *Imbres nivesque comparat:*

Cum hisce non parum cognati habent (7) *Apuleii* illa, *Jupiter -- dicitur & fulgurator, & tonitrualis, & fulminator*. Hisce plane gemina & germana habet (8) *Arnobius*, sic e more Romano gentes alloquens; *ergone, iterum dicam*, Jupiter *tonans*, *fulgurans*, *fulminans*, *& nubila terribilia conducens*. His, ne in re trita nimius sim, addam tantum inscriptionem altaris a (9) *Grutero* memoratam; JOVI FULMIN. FULG. TONANTI RUSTIUS &c. *dedicavit*. Adeo ut, quantum e jam dictis intelligo, titulus ille merum ethnicismum sapere, & inde principium petere videatur. III. Probe norat Judæus ille sua multum interesse, ut *Martialis* gratiam & favorem obtineret, & ita juraret ut illius verba fidem apud *Martialem*, æmulum ejus, invenirent. Ut autem hoc effectum daret, necesse habuit, ethnici personam induere, Judaismum ejns dissimulare, & (cum Romæ jam ageret) Jovem Capitolinum, non *Deum Hebræorum*, innocentiæ suæ testem advocare. Se nempe persuasum habuit, *Martialem* juramento tam sacro fidem facilius adhibiturum, & hac ratione se *Martialis* ethnici gratiam facilius initurum.

Quamvis autem hæc omnia veri speciem ferant, multa faciunt quo minus pro certis & indubitatis habeantur. Nam I. Judæorum lege non magis vetitum erat

erat pejerare, quam Deorum exterorum nominibus inter jurandum uti. Sic enim (10) lege ſacra ſancitum legitur, *non memorabitis nomen Deorum alienorum: non audietur ex ore tuo*. Non eſt autem vel ſimile vero, Judæum illum, timidum licet & nullius fidei virum, legem ſuam violare ſimul & pejerare voluiſſe. II. Non minus a fide alienum eſt, Judæum illum, per *Jovis Templa* jurantem, contribules ſuos Romæ degentes irritare voluiſſe. Norat enim proculdubio, plagas multas, e (11) legis forenſis præſcripto, ei debitas cujus ex ore שם עבודה זרה *nomen Dei alieni* audiretur; & gentem illam zeloticam plagas eas infligere voluiſſe, nec conſultum eſſe (ſi cutem ſuam curaret) crabrones illos irritare. III. Ne quidem veri ſpeciem præſefert, Judæum illum poetam, *Martialis* æmulum & adverſatium, eum tam ſtudioſe colere voluiſſe, ut ejus gratia non verbis tantum, ſed etiam Juramentis ad gratiam comparatis uteretur. Norat nempe Martialem *petulanti ſplene cachinnonem* eſſe, & hoc vel aliud quodvis jusjurandum, pro joco tantum & ludo habiturum.

Tertio: quidam, hiſce forte rationibus inducti, ſe perſuaſos habent, Judæum illum, non per Jovem tantum Capitolinum, ſed Deos Deaſque omnes, juramentum præſtitiſſe. Nam per *Templa* jurans, Deos Deaſque, Templorum illorum incolas intelligere, eoſque teſtes advocare cenſeatur. Alias enim (uti probabilius interpretor) per *Templum* potius quam *Templa* jurare voluiſſet. Deinde: cum *Martialis* Judæum illum crimine tam infami oneraſſet, ut nec ora nec oculos hominum ſuſtinere potuerit, ſi pro vero haberetur; conſentaneum eſt exiſtimare, eum per Jovem, per templa, per Deos Deaſque omnes, jurare voluiſſe, ut ſe purgaret, & a *Martialis* æmuli ſcommatis ſeipſum liberaret. Quamvis autem & hæc opinio colore ſuo minime deſtituta ſit, ei nil firmi vel ſolidi ſubeſſe judico: nam (12) lege ſacra proſpectum erat, ne Judæi *nomen Deorum aliorum* religioſe *commemorarent*, *neque jurarent per eos*, *aut ſervirent eis; ſed Domino Deo ſuo adhærerent*. Noluit itaque Judæus ille, ſi quid ei ſanæ mentis inerat, in legem & religionem patriam tam graviter committere, ut Deorum Dearumque omnium nomina commemoraret, & eorum omnium fidem teſtaretur: nam hac ratione ſe peſſimi nominis idololatram probaſſet, & facinus non niſi ſanguine ſuo purgandum admiſiſſet.

SECTIO II.

Juramenti per Templa Tonantis *ſenſus illuſtratur*, & *ratio redditur cur* Martialis *illud nullius æſtimavit*.

DUctis argumentis jam allatis, opiniones antedictas de ſenſu & ſcopo juramenti hujus, ut argutiora tantum commenta, rejiciendas arbitror. Proximum eſt, ne forte lectoris expectationi jam deſim, ut ſententiam meam de re tam perplexa & impedita in medium proferam. Si itaque fas eſſet verum conjecturis aſſequi, dicerem, Judæum illum, per *Templa Tonantis* jurantem, perfide & doloſe ſe geſſiſſe, nec ſenſum aliquem certum & determinatum in animo continuiſſe; cum id unum curaſſe & ſtudioſius egiſſe videatur egregius ille fallendi artifex, ut verbis ad fraudem & fucum faciendum maxime accommodatis uteretur. Ut expediam paucis: Juramenti ſui formulam ſic ad Romanorum, Judæorum Romæ viventium, & *Martialis* forte, guſtum & ingenium attemperare ſtuduit; ut apud Romanos religionem fidemque ſuam diſſimularet, apud Judæos (omnia candidius in fratribus eorum intespretari ſolitos) gratioſus eſſet, & apud *Martialem*, æmulum & accuſatorem ejus, gratiæ forſan & fidei nonnihil obtineret. In hanc ſententiam variis inducor argumentis: nam

Primo: Hæc jurandi formula (ſi quis curatius attendat) frontem tam dubiam & incertam præſefert, ut ad fraudem dolumque facta & quaſi nata videatur. Cum enim per *Templa*, & *Templa Tonantis*, juraret, apud Romanos proculdubio, verba illa de *Jove* capientes, religionem fidemque ſuam ſubdole diſſimulabat, & pro Gentili habebatur: norat etiam ſe tali juramento Judæorum ſuorum malam gratiam nullatenus initurum, cum ſolus Deus ſupremus dignus ſit qui *Tonans* audiat; & Templum nuper Hieroſolymis exciſum *Templa*, potius quam *Templum*, dici meruit, ſi gloriæ & magnificentiæ ſuæ ſingularis ratio habeatur: cum etiam gentium delubra *Templum* nomine dignari, adeoque Deos Deaſque omnes teſtari, eoſque juramenti temerarii vindices agnoſcere videretur; id egit, ut eundem cum *Martiale* Deum & ſacra colere crederetur, & hac arte felleum illius animum emolliret, & a ſeipſo minus averſum redderet.

Secundo: Huic opinioni pondus addit ipſa Judæorum conſuetudo, qui Romæ vitam agebant ætate *Domitiani*, qui religio-

gionem & originem suam tegere solebant & dissimulare, ne fiscum sibi gravem, aut Romanos infensos, experirentur. Hoc intelligere licet e (13) *Suetonii* verbis: *præter cæteros Judaicus fiscus acerbissime actus est: ad quem deferebantur qui veluti professi, Judaicam intra urbem viverent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent.* Hæc autem historiola causam opinandi præbet, hunc etiam Judæum vafre & subdole se gerere, & ipsius naturam, fidem, originem & mores infames, ullis simulationum involucris tegere voluisse.

Tertio: Martialis ipse nullam huic Judæo, vel Juramento suo, fidem adhibendam censuit. Hoc e verbis ejus (*non credo*) clare satis intellectum est. Cur autem *Martialis* hujusmodi juramentum nullius æstimaret, & illius Judæi fidem, juramento licet tam sacro firmatam, suspectam haberet, hæc sola ratio videtur assignanda. Promtum erat *Martiali* Judæi hujus ingenium e dolosæ gentis usu metiri, cum præsertim hoc ipsum juramentum sensus tam varios admitteret, ut vel inde suspicioni locus esset, illud ad fraudem potius quam fidem inducendam excogitarum fuisse. Cum itaque *Martialis* juramento suo tantum *non credo* tam morose regerit, nil vetat quo minus illius verba sic interpretemur; „ nullus dubito quin dolis instructus & „ arte Judaica ad jurandum accedas, cum „ *verpus* audias, & juramentum jam præ„ stes, facies varias & sensum ubique „ fallacem ferens: si enim *Templa To-„ nantis* de Templo tuo, nuper Hiero„ solymis exciso, capiantur, mihi fraudi „ foret; cum notum sit, magistros ve„ stros impostores juramentum hujusmo„ di omni virtute vacuum & plane nul„ lum judicare. Nec meliore loco res „ erit, modo verba tua de Jovis no„ stri templis intelligantur; cum pro„ be norim, (14) apud vos profana es„ se omnia, quæ apud nos sacra; & ni„ hil vos prius imbui quam Deos exte„ ros contemnere, & Deum solummodo „ vestrum vereri; adeo ut te nulla hic „ religione vel perjurii metu teneri pu„ tes. Tibi itaque, tam perfido & fal„ laci, aram licet ipsam tenens jurave„ ris, fidem nullam adhibebo.

SECTIO III.

Celebriores doctorum sententiæ de Anchialo *recensentur, & rejiciuntur.*

NON satis erat *Martiali*, Judæi juramento per *Templa Tonantis* fidem derogare, sed aliam ipse proponit jurandi formulam, *per Anchialum* nempe, qua fidem ejus exploraret. De *Anchialo* variæ inter Doctos opiniones invaluere, ut circa res longa vetustate prope obliteratas usu venit. Inter eas autem hæ sex principatum tenent.

Prima sit ea quæ originem debet (15) *Domitio Calderino*, qui *Anchialum* intelligit de *Sardanapali* statua & numine, quæ in *Anchiala*, urbe *Ciliciæ* litorali, & *Solymis* finitima, colebantur. Per *Anchialum* autem Judæum jurare postulat, non serio sed joco; ut scilicet illius Judæi patriam & mollitiem ostenderet simul & exprobraret. Ab hac autem sententia liceat assensum cohibere, cum hactenus de *Anchialo*, illo *Sardanapali* numine, ne verbum legerim.

Sententia secunda (16) *Rigaltii* est, quam lector accipiat ipsis auctoris conceptam verbis: *rumor erat Anchialum puerum Martialis a poeta quodam Judæo pædicari. Arguit eum Martialis quod natus in ipsis Solymis, adeoque sanctior & castior putaretur, tamen pædicaret. Negabat ille simul & per Deum jurabat. At proterve Martialis, Jura, inquit, per ipsum Anchialum, puerum meum. In odium Judaicæ religionis. Nec assentior viris doctissimis qui aliter interpretantur.* Hanc viri docti sententiam, utpote probatione simul & explicatione omni destitutam, in medio relinquo, eique (in præsens) lapidem nec album nec nigrum apponendum censeo.

Sententia tertia (17) *Scaligeri* est, quam ipse suis verbis exprimat; „ sanctissimum Judæis jusjurandum erat חי „ אלה vel חי יהוה Chajala vel Chajado„ nai. Sed tempore Martialis pronun„ ciabant Chiala, *Jura verpe, per An-„ chialum*. Quia Judæos audiebat Chiala „ jurare: propterea putavit esse Anchia„ lum, quod vox Anchialus sit notior „ quam Chiala. " Cum autem hæc sententia doctis innotesceret, omnes omnia bona dicere, & *Scaligeri* fortunas laudare, qui sententiam tali acumine commendatam inveniret. Tanta habita est istius conjecturæ felicitas, ut statim theatri pene totius literarii plausibus acciperetur. Nonnulli tamen assensum cohibebant, quod illis incredibile visum esset, *Chajala* in

An-

Anchialum transire potuisse. Nec minus a fide alienum censebatur, *Martialem* poetam quicquam Hebraice calluisse. Deinde, cuivis *Martialis* Epigramma perlegenti pateat, eum in Judæum illum quem pæderastiæ reum egerat, iniquiorem fuisse; nec verisimile videri, *Marsialem* hujusmodi juramentum excogitare voluisse, quo præstito, *Martialis* ipse fortis tantum calumniator, & Judæus ille castus haberetur.

Sententia quarta (18) *Farnabii* est, qui sententiæ *Scaligeri* editionem secundam, eamque (si credas) magis auctam & emendatam, in lucem protulit. Nam hæc assuit *Scaligeri* sententiæ, denuo repetitæ: hujus *ingeniosissimi viri expositioni subscribo, nisi quod poetam posuisse Anchialum* tanquam notius vocabulum, *inficias eam. Quinimo totum hoc & integrum fuisse Judæorum juramentum contendo.* אם *enim Hebræis sonat* si, *in juramentis usitatum, ut Jerem.* 5. 2. ואם חי יהוה: & si vivit Dominus, *atque alibi pluries in Scriptura sacra. Quin & אם absolute positum in jurando negat*, Psal. 89. 36. & 1. Reg. 17. 1. *Quum itaque poeta ex pronunciatione τῶ* אם חי אלה si vivit Deus, *advertisset Judæos jurasse, Hebræa non intelligens, esse has distinctas voces unius Dei nomen credidit, atque ita usurpavit*, m *ante* ch *in* n *verso, ad Græcas & Romanas literarum dispositionis leges. Erit itaque hic poetæ sensus; -- Quoniam* fidem tuam suspectam *habeo, -- non credo tibi neganti per Jovem jurato: verum adigo te ad juramentum per Deum vestrum, per quem jurato tibi credam.* His omnibus operose refellendis nil opus est immorari, cum vocabulum *Anchialum* ad originem longe aliam referendum esse, satis e jam dictis, & postea dicendis, elucescat.

Sententia quinta *Seldeno* patrono gaudet, qui fidens asserit, *Martialem* hic ipsissimum Hebræorum juramentum, sed nonnihil contracta pronunciatione, exacte satis expressisse. Nam apud Martialem, ait (19) ille, integra videtur mihi fuisse hæc *jurandi* „ formula; יפרע חי עולם „ *iperan chi olam*, id est, *ulci-* „ *scatur*, aut *vindictam sumat is, qui* „ *vivit in æternum*, si pejeraverim. Adeo „ ut *ita* potius scripserit Martialis,

> „ *Non credo; jura verpe*, iperan chi olam.

„ Quod quam facile a Librariis, qui „ ignota sibi vocabula in ea, quæ co- „ gnati soni notiora sunt, vertere so- „ lent, in *per Anchialum* mutari posset, „ nemo non videt. Ut autem fides eo „ certior accedat ante dictis, observatum „ est ei, hanc ipsam juramenti formu- „ lam in Daniele reperiri: nempe Cap. „ 12. 7. וישבע בחי העולם & *juravit* „ *per chi haolam* seu *per chi olam*, id „ est, *per eum qui vivit in æternum*; „ unde cognomen illud juramentis adhi- „ beri solitum *est*.

Hæc & alia farinæ consimilis, ad sententiæ suæ fidem firmandam, attulit autor ille præstantissimus. Ea vero omnia telis ex ipsius armario petitis confodi & prosterni possunt: asserit enim I. *Ipsam juramenti formulam*, hisce *verbis conceptam*, se *nondum* in Scriptis Hebræorum, *compertam* habuisse. At proculdubio vir ille, qui in literis humanioribus ætatem pene totam egisse videtur, Juramentum illud in magistrorum scriptis invenire potuerat, si tale aliquod in sermone quotidiano tam frequens habuissent. II. Significationem illam *verbi* פרע *ex Syriaco seu Chaldæo, in Rabbinicum ac Talmudicum sermonem* fluxisse dicit, & verbum illud *alia notione in sacrarum literarum Hebræo passim* usurpari. Sed anne credibile est, magistros olim linguam Hebræam & Chaldæam, in tam brevi præsertim & familiari juramento, commisceri voluisse; cum etiam principium ejus e *Daniele* peteret, si *Seldeno* credimus? III. Utraque illa juramenta Romanam formam gerere, & jurare *per Anchialum*, τῷ *per Templa Tonantis* opponi, eique juramento ex adverso *respondere videatur*. Et ita sane viri docti, nullo non ævo, se persuasos habuerunt. His alia cum *Seldeni* sententia non minus ἀσύςατα subjungi possent, nisi quod honoris aliquid ipsis etiam erroribus & cineribus virorum insignium deferendum existimarem.

Opinio sexta (20) *Vossii* ingenium singulare sapit, quam verbis autoris (ne quis fraudi sit locus) accipiat lector: *optimus codex Thuanæus jam ante octingentos annos exaratus, qui excerpta continet Martialis epigrammata, legit hoc loco* anchalium. *Omnino legendum est*.

> Non credo; jura verpe per ancharium.

Ancharius vel ancarius est asinus. -- Utitur hac voce Lucilius; ---- Unice vero confirmat hanc conjecturam versiculus ille Petronii, ex quo liquet, Judæos olim male audiisse, quod crederentur per Asinum jurare.

> Judæus licet & porcinum numen adoret,
> Et cilli summas advocet auriculas.

Inc-

Inepti sunt qui de veritate hujus lectionis dubitant. Cillus enim *est asinus*, &c. Si quis conjecturis hisce juvenilibus genii quicquam inesse censeat, illius opinioni refragari nolo. Me quod attinet, ipse nomen meum inter *ineptos* illos numerari patiar, qui de lectionis utriusque veritate dubitare solent; cum probe norim, nec hanc nec illam testimonio aliquo, cui niti liceat, confirmari posse.

SECTIO IV.

Autoris opinio de Anchialo *proponitur, & fuse confirmatur.*

UT sententia mea de *Anchialo* clarius intelligatur, necesse est ut quæstionibus hisce quatuor responderem: I. An vox *Anchialus* pro nomine proprio vel appellativo haberi debeat? II. Quis eo nomine (*Martialis* puer, an alius aliquis) intelligendus est? III. Quid sit jurare per *Anchialum*. IV. Quare *Martialis* Judæum illum ad istam juramenti formulam adigere voluit eamque aliis omnibus præferendam censuit.

Primo: an vox *Anchialus* pro nomine proprio vel appellativo haberi debeat? Hac de re Criticorum natio studia in contraria scinditur. Ipse me persuasum habeo, vocem *Anchialum* hic nominis proprii vicem obire, adeoque personam aliquam eo nomine denotari. Sic judico, non tantum quod e jam dictis appareat, eorum sententias perplexas, incertas, & impeditas esse, qui vocem illam nomen appellativum censeri volunt; sed quod variis exemplis evinci possit, *Anchialum* nomen proprium fuisse, in veterum usu (21) frequentissimum. Primum nobis exhibet *Epigramma* vetustissimum, quo *Lesbia* sic hospitem affari dicit:

(*a*) HOSPES. STA. ET. LACHRVMA. SI. QVICQVAM. HVMANITVS. INTEST
OSSVA. DVM. CERNIS. CONSITA. MAESTA. MIHI
QVOIVS. LAVDATI. MORES. ET FORMA. PROBATAST
ANCHIALO. QVEM. CVRA. ANXIA DEBILITAT
SEI. NOMEN. QVAERIS. SVM. LESBIA. SI. DVO. AMANTES
ANCHIALVS. DVLCIS. CVM. (*b*) SVAUE. HOMINE. SPVRIO

(a) Vid. *Gruter. Inscript.* pag. 799. 8.
(b) *Almeloveen* legit SUO.

Sic etiam *Orator* nominis ejusdem, ceu proprii, mentionem ingerit; (22) *L. Egnatio -- vel familiarissime utor. Ejus Anchialum servum, negotiaque, quæ habet in Asia, tibi commendo*, &c. (23) *Homerus* etiam *Anchialum* quendam inter pugiles suos notæ clarioris numerat versu illo,

Ναυτεύς τε Πρυμνεύς τε, καὶ Αγχίαλος, καὶ Ερετμεύς.

Nauteusque, Prymneusque, & Anchialus, & Eretmeus.

Cum re præsente conjunctum videtur, *Michaelem Anchialum*, inter Patriarchas Constantinopolitanos numeratum, hoc in loco memorare. Si quis ingenio magis curioso sit, quam ut exemplis in medium allatis possit acquiescere; (24) *Phavorinum* adeat, e cujus exemplis fides paulo firmior & certior accedat ante dictis.

Si quis rem hanc adhuc in incerto manere sentiat, quod nulla constet ratio cur nomen *Anchialus* hominibus tam frequenter imponeretur; responsio promta est; *Anchialus*, mari vicinus, ad mare situs, litoralis, Græce denotat; voce Αγχίαλος ab ἄγχι *prope* vel *juxta*, & ἅλος *mare*, originem accipiente. Nec a vero alienum est, nomen a maris vicinia multis olim inditum fuisse, quod iis juxta mare nasci vel vitam agere contigisset. Hoc & eo credibilius existimetur, quod ob eandem rationem viri quidam clariores, aut eorum majores, nomina illa cognata, (25) *Paralus*, *Enalus*, *Eurialus* (a mari vicino sumta) reportarent. Nec promtum est rationem assignare, cur tot urbes, apud *Strabonem*, *Stephanum* de *Urbibus*, *Pomponium Melam*, aliosque memoratæ, nominibus illis affinibus ((*c*) (26) Αγχίαλος, (27) Αγχιάλη, (28) *Anchialos*, & hujusmodi,) antiquitus innotescerent; nisi quod urbes litorales essent, & in maris vicinia struerentur.

Id proximo succedit investigandum, quis *Anchiali* nomine (*Martiali* puer, an alius aliquis) hic intelligendus est; Ne quæram ambages, promte respondeo, me non posse ab animo meo impetrare ut censeam, quemvis alium hic intelligendum præter *Martialis* puerum, quem Judæus ille misere deperibat, quem etiam pædicasse ferebatur. Nam,

(c) Apud *Strabonem*: L. 14. p. 988. C. & *Stephanum*, legitur ΑΓΧΙΑΛΗ urbs scil. quam *Sardanapalus* condidisse fertur. *Arrianus* vocat eam Αγχίαλο *Exped. Alex.* L. 2. p. 66.

I. Hac ſententia, nihil expeditius, captu facilius, cum ſeipſa vel ratione magis conſtans, excogitari poteſt. Qui contendunt, ut *Anchialus* vox hybrida (partim Hebræa vel Syra, partim Romana,) cenſeatur; hærent, algent, ſudant, & nil certi, probati, vel veri proferunt. Cum primum enim *Scaligeri* pia mater notionem illam de *Chiala* peperiſſet, Criticorum παῖδες ingenii ejus felicitatem impenſe mirabantur, & illius opinioni palmam humile deferebant. Poſtea vero ingenii *Scaligerani* fœtum lambere, & in formam paulo concinniorem fingere ſtuduerunt, & ita ſe geſſerunt, quaſi inventionis tam egregiæ laudem & honorem *Scaligero* ſoli non parum inviderent. Poſtquam enim *Scaliger*, e voce *Anchialus Chiala* procudiſſet; *Farnabius*, ut inventis adderet, vocem illam in אם חי אלה: *Im chai alah*; *Salmaſius* in החי עלם: *hachai olam*; *Seldenus* rem in *Iperan chi olam*, emendavit. Interea temporis, in hac opinionum pugna veritas non parum lædebatur: certum eſt enim', Judæorum juramentum (29) olim non fuiſſe חי אלה *Chai Ala*, ſed חי יהוה *Chai Adonai*, i. e. *Vivit Dominus*, quo & hodie utuntur frequentiſſime. Manifeſtum eſt autem, ſententiam meam incommodis hiſce maxime laborare.

II. Martialis, in verbis præcedentibus, *pueri* tantum ſui mentionem fecerat: niſi itaque puerum illum, *Anchiali* nomine, denotaverit; fieri non potuit, ut Judæus ille *Martialis* mentem ſenſumque certo deprehenderet.

Apud ethnicos & Hebræos, jusjurandum concipientes, uſu vetere receptum eſt, per res aut perſonas jurare quas maxime charas habuerunt. Inde factum eſt, ut gentes utræque per ſuas aut amicorum (30) animas, utpote res chariſſimas, jurare ſolerent. Eadem de cauſa *Byzantii* juramento per nummos ipſorum (31) ferreos concepto ſeipſos obligarunt. Judæos antiquos juramento per liberos ſuos concepto ſeipſos obſtrinxiſſe, teſtimonio eſt Juramenti Judaici formula, in (32) *Jure Græco-Romano* memoriæ prodita; εἰ δὲ ἐπὶ ψεῦδος ὀμνύω, ἐπικατάρατα τὰ ἔκγονα τῆς κοιλίας μου. *Si mendacii cauſa* nomen Domini jam fumo, *execrationi ſint liberi e ventre meo prodeuntes*. Alia moris hujuſce teſtimonia ſtudioſi petent ex (33) *Hanſenii* libro de *Jurejurando Veterum*. Eſt itaque mori ſimul & rationi conſentaneum, ut *Martialis* Judæum illum ad juramentum per *Anchialum*, (perſonam quam in deliciis habuit) adigere voluiſſe cenſeatur.

Tertio: curandum eſt, ut ſenſus hujuſce locutionis, *Jura per Anchialum*, paulo clarius innoteſcat. Veteres enim hujuſmodi juramenta ſenſu non uno & eodem ſolebant interpretari: & nobis in obſcuro & ambiguo eſt locutionis hujus intentio, *jura verpe per Anchialum*, cum ſenſus tam varios & diverſos capiat. Nam *jurare per Anchialum*, eſt, illius genium, tanquam perjurii vindicem, advocare, ſi quis fidem fallat: vel hæc verba ritu ſolenni fundere, *Dii perdant Anchialum*, *ſi pejeraverim*; vel *ita Dii ament Anchialum*, vel *ita Deos ei propitios velim*, ut ego jam verum aſſero: vel *ita me amet Anchialus*, ut ego illum ſemper honeſtis & amico dignis tractavi modis. Quamvis autem hujuſmodi juramentum in ſenſus hos & alios inflecti poſſit, probabile judico *Martialem* id in animo habuiſſe, ut Judæus ille Diis & diris omnibus *Anchiali* caput devoveret, ſi jam datam fidem perjurio violaret. Si enim criminis tam tetri conſcius fuiſſet, verimile eſt, amorem *Anchiali*, vel timorem *Martialis*, eum ab hujuſmodi juramento cohibere voluiſſe.

Quarto: dicendum ſupereſt, cur *Martialis* Judæum illum ad hujuſmodi juramentum adigere ſtuduit, & illud aliis omnibus præferendum cenſuit. Si quis enim rem totam conſiderate penſitaverit. mirum videri poſſit, *Martialem* juramentum infimum (per *Anchialum* nempe, puerum ſuum) juramento maximo (per *Templa Tonantis*) præſertim nullum hujuſmodi juramento in ſcriptis ethnicis invenire detur. Sed hujuſce rei rationes quatuor, ſi recte judico, poſſunt aſſignari:

Primo: Martialis hujus Judæi religionem turpem & odioſam, fidem etiam ſuſpectam & fallacem habuit. Ei itaque, vel per Templum Judaicum, vel Numen Romanum juranti, fidem nullam tuto adhibendam cenſuit; cum præſertim probe ſciret lubricam Judæorum fidem, eamque juramentum nec hoc nec illud obſtringere potuiſſe. Judæo itaque autor erat, ut per *Anchialum* juraret; ut ſenſus tam certi & aperti juramentum indicio eſſet eum bona fide jam agere, & ethnicum hujuſmodi jusjurandum, ſe, verpum licet, legem cultumque Judaicum ejuraſſe teſtaretur.

Secundo: Apud ethnicos olim jurare per amaſios ſuos, (eorum nempe capita, crines, oculos, vitam, & hujuſmodi) religioſiſſimum habebatur. Ethnicos, præcipue molliores hujuſmodi juramenta dare ſolitos, plurima (34) *Briſſonii* teſtimonia extra dubium ponunt. *Martialis* itaque deriſor Judæum illum per *Anchialum*

lum jurare monet forsan ut innueret, *Aochialum* illius amasium & delicias esse, nec aliud juramentum lascivo illi Judæo tam belle convenire. Novit etiam *Martialis*, istiusmodi juramentum Judæum illum Gregalium suorum odio, & Romanorum dicteriis exponere voluisse.

Tertio: Martialis, Judæum illum ad hujusmodi jusjurandum adigens, cum vilipendere, & hisce verbis probrosis affari videatur. „ Novi te verpum esse, nullius „ fidei, frontis, aut honoris, homuncionem, & nullo non genere vitiorum „ infame caput; jures itaque *per Jovem*, „ aut *per Anchialum*, mihi perinde est: „ tibi non credam ipse; ne mortuo quidem.

Quarto: Non temere credidit *Martialis* eum qui juraverat *per Templa Tonantis*, juramentum *per Anchialum* honeste recusare minime potuisse. Novit autem, Judæum illum *Anchialum* sibi maxime infensum & adversum habiturum; si pejeraret, eumque diris omnibus devoveret. Haud itaque credibile fuit, se tale juramentum præstare voluisse, ne *Anchialus* infensus, illius Judæi *Ganymedes*, nudam veritatem proderet.

Si quis hæc omnia diligentius expendet, ei liquidum erit, autores plerosque, non spernendæ licet eruditionis viros, ab *Epigrammatis* hujusce mente & scopo prorsus aberrasse.

Non ingratum fore arbitror in medium proferre, de *Anchialo* sententiam doctissimi *Jo. Savage* de *Clothal.* in Comit. *Hertford.* S. T. P. Sentit ille vocem *Anchialum* esse technicam, & verbis Judæorum Juramenti Hebraicis כה יעשה לי אלהים originem suam acceptam referre. Meminit enim, cum *Græcam Missam* Romæ agi videret, sacerdotes Romanos, linguæ nescios, sermone quodam incondito Græcos deridiculo habuisse: nil mirum itaque si *Martialis*; cui lingna Hebræa magis erat ignota, כה יעשה לי אלהים verteret *Anchialum*, parte desumta ab initio vocum, *viz.* יע-לי אלים quæ *Anglicæ* sonant, *God do so to me*.

NOTÆ.

(1) Libr. XI. *Epigram.* 95.
(2) *Annot.* in *Mat.* 23. 16.
(3) *Lib.* de *Successionibus*: *Proleg. pag.* 10.
(4) Ap. *S. Mat. c.* 23. 16.
(5) *Henric. Kipping. Antiq. Roman. l.* 1. *p.* 50.
(6) *Epod.* 2.
(7) Lib. de *Mundo*: p. 752.
(8) *Advers. Gent.* lib. 4. p. 140.
(9) *Inscript.* Lib. pag. 21. 6.
(10) *Exod.* 23. 13.
(11) *Selden.* de *Succes. Proleg.* pag. 10.
(12) *Joseh.* 23. 7. 8.
(13) In *Domitian.* cap. 12.
(14) Vid. *Tacit. Histor.* Lib. 5. p. 115. 116.
(15) *Observat.* in *Martial.* p. 507.
(16) *Rigaltii Not.* ad *Martial.* l. 11. Ep. 96.
(17) *Prolegom.* ad Lib. de *Emend. Temp.* p. 40.
(18) *Comment.* in *Martial. Epigr.*
(19) *Prolegom.* ad *Leges Ebræor.* de *Succession.* p. 5. 6.
(20) *Isaaci Vossii Observat.* ad *Mel.* Lib. 1. p. 48.
(24) In Αγχιάλεια & Αγχίαλος Col. 29. & Col. 127.
(21) *Id nominis Anchialus erat valde commune Ethnicis pueris, servis; & viris*, *Thom.* de *Pined.* in *Stephan.* de *Urbib.* p. 20.
(22) *Epistol.* L. 13. *Epist.* 45. *Appuleio.*
(23) *Odyss.* Lib. 8. vers. 112.
(25) Vid. *Harpocrat.* ad voc. Πέρμαλος.
(26) *Strab.* l. 14.
(27) *Steph.* de *Urb.* ad voc.
(28) *Pomp. Mel.* de *Sit. Orb.* l. 2. c. 2.
(29) Vid. *Jer.* 4. 2. & 5. 2. & c. 12. 16. *Hos.* 4. 15.
(30) *Voss.* de *Physiolog. Christ.* & *Theolog. Gent.* L. 5. cap. 46.
(31) Id. ibid.
(32) Tom. 1. pag. 119.
(33) Cap. 12. & c. 14. & c. 26.
(34) Lib. de *Formul.* L. 8. p. 736. 737





JOH. CASIMIRI MIEGII
CONSTITUTIONES
SERVI HEBRÆI.
PRÆFATIO.

Quantum vel ornamentum, vel emolumentum ex prudentis domesticæ tum institutione, tum administratione eccedat reipublicæ, sana ratio & quotidiana experientia evidenter nos edocent. Eam proinde pro suis adjuvare viribus, uti cujusvis boni civis, ita præcipue Patrum & Matrum familias, Principum, atque Doctorum officium est. Priores suo rite funguntur munere, quando, quid sibi, quidve cæteris dictæ societatis membris vere prodesse queat, sollicite explorant, & huic scopo singula singulorum negotia, quantum pote, adcommodare student. Principes rei familiari prospiciunt, ubi leges statui domestico salutares promulgant, easdemque præmiis & pœnis muniunt. Doctorum partes sunt, utrisque parare viam, eumque in finem regulas œconomicas tradere, easque tum rationibus firmare, tum exemplis inlustrare. Huc redit præsens institutum meum, quo insigne prudentiæ domesticæ specimen vestris, Lectores, expono oculis. Facillime potuissent leges de servis Hebræis ad amussim & normam artis politicæ probari, earumque utilitas ad oculum demonstrari, sed tempori & spatio parcendum fuit. Aliæ tamen rationes accedunt, quæ mihi præsentem imperarunt laborem. Multa S. Scripturæ loca hinc suam mutuantur lucem. Quare mihi, qui Theologiæ me totum consecravi, hoc Scripturæ genus haud poterit vitio verti. Præsens denique thema Antiquitatum pars est, quas me profiteri Serenissimi Principes quam clementissime voluerunt, atque jusserunt. Et tandem nulli non obvium esse puto, quam varii, variaque eruditione referti tractatus de servis reliquarum gentium publicam conspexerint lucem. Ne quid proinde servorum historiæ deesse videatur, pauca de servis Hebræis proferre malui, quam prorsus tacere. Et licet Cel. Cremerus in Exercitationibus Prophetico Typicis: & Cl. Abicht, in Diss. de acquisitione servorum Hebræorum huic materiæ suam quodammodo commodarint operam, neminem tamen novi, qui (א) statum servitutis antelegalem accurate delineaverit, quique (ב) historiam servorum sub lege absolutam tradiderit, quique (ג) Rabbinorum dogmata de omnibus. quæ servos concernunt, nobis exposuerit. Vidi equidem Seldeni tractatum de servis Hebræis alicubi allegatum, verum si hic differat a brevi

vi illo capite, quod hac de materia Juri Naturæ & Gentium inseruit, fateor me satis infelicem fuisse, quod mihi eundem consulere haud licuerit. Ordine & nexu naturali potissimum delector, prout tractatio ipsa testabitur. Certitudini, quantum fieri potuit, studui, eaque de causa Magistrorum testimonia a Scripturæ dogmatibus separavi, quæ methodus Doctissimo Goussetio *jam ante me quam maxime arrisit. Quæ futura sint mei libelli fata, mea prævideo mente. Plerique enim in rebus dijudicandis ignorantiam, Autoritatem, adfectus, temperamentum, seculi gustum, & illud studiorum genus, quod callent, sequuntur duces. Rari sunt in gurgite nantes, qui dictamen sanæ rationis & regulas artis constituunt judicii normam. Verum his placuisse sufficit.*

CAPUT PRIMUM.

De Statu servituti Antelegali.

I. NUllam fuisse gentem, puta mansuefactam, & ad elegantiorem vitam excultam, quæ non suos aluerit servos, inter Historiographos indubitatæ constat esse sententiæ. Quid aliud declarant servilia nomina; Romanorum Statii, Dyonisii, Stichi, & Heræ; Atheniensium & Getæ; Syrorum Damæ; Paphlagonum Tybii; Phrygum Manes & Midæ; Laconum Helotæ; Argivorum Gymnetæ; Cretensium Epharmiotæ & Callyrii; Mariandinorum Doriphori; Lycioniorum Corynephori? Hinc Veterum scripta innumeris servorum ministeriis & suppliciis referta sunt, prout nos luculenter edocet tersissima *Pignorii* Præfatio Tr. de Servis Romanorum præmissa. Nec minus moderni Scriptores, qui veterum & recentiorum gentium Historias condiderunt, servorum ubique mentionem inferunt. *Indis equidem & Taprabonæ incolis nullam fuisse servitutem, omnesque una ingenuitate teneri Alex.* ab *Alex. testatur. Dier. Gen. lib.* III. *cap.* 10. *f.* 158. Sed interpretis adinstar *Arrianus* nobis erit, qui clarius hac de re suam expressit mentem: *In Tr. de rebus Judicis pag.* 529. *Ed. Blancardi*: εἶναι δὲ, inquit, καὶ τὸ δὲ μεγα ἐν τῇ Ἰνδῶν γῇ παντας Ἰνδους εἶναι ἐλευθερους. ουδε τινα ἰνδον εἶναι δοῦλον. Τουτο μεν Λακεδαιμονιοισιν ἐς τωυτο συμβαινει καὶ Ἰνδοισιν. Λακεδαιμονίοις μὲν γε οἱ εἵλωτες δουλοι εἰσι, καὶ τα δουλων ἐργαζονται. *Hoc etiam memorabile est, omnes Indos liberos, nec ullum ex ipsis servum esse, qua quidem in re Indis cum Lacedæmoniis convenit. Lacedæmoniis enim Helotes tantum servi sunt, serviliaque munia obeunt.*

II. At non par fuit ubique servorum numerus. Gentes præ cæteris bello insignes, voluptati obsequentes, & rei mercatoriæ operam navantes numerosam, variisque officiis descriptam, familiam habuerunt. Hinc Romæ, cujus incolæ sub initium nullos habuerunt servos (1) in progressu paucis fuerunt contenti, *Lib.* VI. *de ipnos p.* 270. *Val. Max. lib.* IV. *c.* 3. post eversam Carthaginem & Corinthum tanta propter luxum irrupit servorum copia, ut numerus venalium in Deliaco expositorum ad paradoxon videretur accedere, *Strabo lib.* XIV. *p.* 460. ipsique contra civitatem tam amplam bellum subinde fuerint meditati. *Liv. A. R. lib.* III. *cap.* XV. *p.* 102. & 103. Athenis, quum Demetrius Phalereus servorum censum ageret, numeratæ sunt quadraginta servilium capitum myriades. *Athen. lib.* VI. *p.* 272. Persis nimiam fuisse servitutem varii produnt Authores. *Alex. ab Alex. dier. Gen. lib.* III. *cap.* XX. *f.* 158. *Xenoph. lib.* VIII. παιδ. *p.* 183. Lacones tot servos habuerunt, ut ipsis plurimum negotii fuerint in illis custodiendis. *Thucyd. lib* VIII. *p.* 581. In Sicilia propter servorum multitudinem seditio fuit exorta. (2) Volsinenses, a servis oppressi, coacti fuerunt auxilia petere a Romanis. *Florus lib.* I. *cap.* XX. *p.* 42. *Ed. Græv.* Tyriorum Lares occuparunt servi, qui simul Dominos interfecerunt, conjugesque mortuorum duxerunt. *Justinian. lib.* XVIII. *cap.* 2. Solos Hebreos, gentem utut bellicosissimam, non tanta circumstetit servorum privatorum turba (3), qua nec indigebant. Regio non fuit magna, cives fuerunt numerosi, non in luxum effusi, sed laboriosi, qui liberos a teneris unguiculis ad labores sollicitarunt, quorum fidei sua fidentius commiserunt negotia, quibusque alimenta debuerunt, etiamsi nihil præstitissent. Ad hæc facilius erat pascere paucos ventres bene institutos, & nihil aliud desiderantes, quam impleri.

III. Nec eadem apud gentes dominandi ratio obtinuit. Severi Lacones intemperanter & propterve laxatis omnibus pudoris habenis in servos suos debacchati fuerunt. Unde Proverbium enatum δουλότερος Μεσήνης, quod, *Erasmo* teste, *in coll. Proverb. Francof. f.* 404. de minime libero dicitur. Et patet exinde, quo jure *Pluth.* ipsis hanc Tyrannidem exprobret dicendo: *In vita Lycurgi pag.* 57. ὁσε τους λέγοντας ἐν Λακεδαιμόνι καὶ τὸν ἐλεύθερον μάλιστα ἐλεύθερον εἶναι, καὶ τὸν δοῦλον μάλιστα δοῦλον, οὐ φαύλως τεθεωρηκέναι, τὴν διαφοραν.

Qua-

Quare, qui ajunt, liberum lacedæmone maxime liberum, & ſervum maxime ſervum eſſe, non male conſideraverunt diſcrimen. Similiter Romani in ſuos ſervos fuerunt crudeliſſimi, ſuperbiſſimi, & contumelioſiſſimi teſte *Seneca*; *Epiſt.* XLVII. *p.* 126. & judicat *Potterus*, *In Archæol. græca lib.* I. *cap.* X. *pag.* 55. duriorem fuiſſe ſortem ſervorum Romanorum, qua Græcorum. Aliquoties tamen natura hanc caliginem diſcuſſit, prout videre eſt apud *Priſcum* in excerptis legationum, qui Romanos Scythis & Barbaris præferre non dubitavit. Paululum leniores fuiſſe Perſas, Babylonios & Germanos *Alex.* ab *Alex.* obſervat. Præ cæteris tamen laudem merentur Athenienſes, apud quos ſolos plus erat clementiæ quam crudelitatis; quare *Plautus* ſervum ita loquentem introducit: *In Stich. Act.* III. *ſc.* I. *v.* 37.

---- Homines Servulos
Potare, amare, atque ad cœnam condicere.
Licet hoc Athenis nobis.

IV. Iſraelitæ Athenienſibus clementia non ceſſerunt, verum in ſapienti ejus adminiſtratione & juſta temperatione eos ſuperarunt, cujus rei non alia cenſeri debet ratio, quam quod ad juſtiſſimi Legiſlatoris legem ſuum in ſervos compoſuerint dominium. Libet hic in medium proferre *Abarbanelis* teſtimonium (4): אין ספק מבניהם מי שקנה עבר קנה גופו עד יום מותו ולא יהיו מזונות אשתו ובניו מוטלות על ארון העבר אבל משפטי יהוה הם מיוסדים על הרחמים והטוב בלי ספק: *Nullum eſt dubium, quin inter gentiles qui ſervum emit, corpus ejus emat, nec alimentatio uxoris & liberorum ſervi Hero incumbat, ſed judicia Jehovæ dubio procul in miſericordia & benignitate ſunt fundata.* Quare cum Viri eruditi ex uſu eſſe judicarint, ut cæterarum gentium ſervi ad illuſtrationem profanorum Authorum in lucem protrahantur, ſpero lectorem boni conſulturum, ſi præſtantiſſimum ſervorum Exemplum ex ea re publica, qua nulla præſtantior, nulla ſanctior, nulla bonis Exemplis ditior unquam extitit, ipſius a me ſubjiciatur oculis, non alio fine, quam ut variis Scripturæ locis lux adfundatur.

V. Servus Hebræis dicitur עבר, cujus mihi nunc origo & cauſa dicenda erit. עבר deſignat primario hominis actiones *Eccl.* V. II. illas in ſpecie, quæ in uſum alterius, ad ejus honorem & teſtandam ſubmiſſionem inſtituuntur, & quia ſervorum opera ita ſunt comparata, hinc nomen illud ipſis impoſitum fuit. Non deſunt, qui ab Hebræo עבר derivant germanicum Knecht ב mutantes in כ & ר in ח. At nobis videtur vox germ. deſcendere vel a קנה acquiſivit ita, ut ſignificet miniſtrum pretio vel alio modo acquiſitum. Haud in frequens enim eſt permutatio ה in ח, quodſi deinde addas terminationem t, habes Knecht/ vel a כנגר ita ut Knecht appelletur, is qui circa aliquem diſcurrit, coram aliquo ſtat ad mandata excipienda paratus. Sed redeamus ad nomen Hebræum, & diſpiciamus, quam notionem uſus huic voci junxerit. In Sacris paginis עברים vocantur omnes Miniſtri tam honorati, (5) quam ſubjecti. (6) Frequentius tamen de conditione dutiori ſumitur, oppoſite ad Hebræorum שרת, aut Chaldæorum שמש, quæ ſignificant ſervitium voluntarium I. *Reg.* XIX. 21. levius, I. *Reg. lib.* 4. 15. *Eſt l.* 10. *&c.* & in præſentia Domini præſtitum, *Gen.* XXXIX. 4. qua de cauſa שרת non raro cum פנים conjungitur, I. *Sam.* II. II.

VI. Plures ſervi, qui ſub unius dominio vivunt, veniunt ſub nomine עבדה *Gen.* XXVI. 14. Haud equidem ignoro, quod Arabs, Targum, LXX. & R. Iſaacides hanc vocem vertant per agriculturam, ſed omne punctum mihi ferre videntur, qui ſignificatum famulitii eligunt. Etenim (א) Iſaacus, qui in terra Canaan peregrinus fuit, nec fixam ibi ſedem habuit, agris haud ita dives eſſe potuit (7). (ב) Divitiæ, quas Iſaacus ex agricultura ſibi paravit, ſupra memorantur, quod ſi proinde hic denuo earum inferretur mentio, ſcriptor ſacer vel ταυτολογίας, vel confuſionis poſtulari poſſet. (ג) Aliis in locis, quæ Patriarcharum facultates exhibent, ſervorum mentio nunquam non fuit facta. *Vid. Gen.* XII. 16. 14. XXX. 43. Quidni & hic illi commemorentur? (ד) Quando *Job.* I. 3. ad divitias Jobi refertur עבדה רבה, haud improbabile eſt, deſignari magnum famulitium, quia in reiteratione earum divitiarum, quæ ſub finem, *cap.* I. facta eſt, de agricultura altum ſilentium, cum econtra recenſeantur נערים pueri, paſtores, ſervi, quos in prima *cap.* parte vel nuſpiam vel per עבדה notatos fuiſſe oportet. (ה) Quia ſcriptor pecoris in præſenti loco meminit, a vero non abludit, eundem per עבדה ejus paſtores, Iſaaci ſervos indigitare voluiſſe. Accedit (ו) convenientia hujus vocis cum Græcorum θεραπεία, qua plures miniſtri unius Domini notantur, (8) & Latinorum famulitio (9), ſervitio, quæ poſtrema vox a Scriptoribus medii ævi hoc ſenſu adhibetur. Nam obſervante du *Freſne* (10) ſer-

ſervitium Chariſio eſt multitudo ſervorum.

VII. Reſtat, quod primo loco nominandum fuiſſet, nomen נערים, quod, ſi ſenſum ſpectamus, & a Græcis, & a Latinis Scriptoribus tam Sacris, quam profanis, ſervis tribuitur. (11) Variæ ſunt rationes hujus denominationis. Primam nobis ſubminiſtrat *Kimchius* (12) לפי שדרך הקטון לשרת את הגדול נקרא המשרת נער ואף על פי שהוא גדול בשנים: *Quia moris eſt, ut minor ſerviat majori, vocatur ſervus puer, quamvis annis ſit provectior*. Quocum convenit, quod *Athenæus* tradit. *Pag.* 264. Ε'ιϑιραι γάρ ἐν τοῖς οἰκιάκοις διακονεῖν τοὺς νεωτέρους τοῖς πρεσβυτέροις. *Conſuetum eſt inter domeſticos, ut junior ſerviat ſeniori*. Neſcio annon lux hinc adfundi poſſit loco Paulino *Rom.* IX. 12. Altera ratio inde petitur, quod juventus horrida brachiis ut ad militiam (13), & miniſterium ſacrum (14) ita ad commune ſervitium maxime idonea fuerit viſa. Hin Galatis nonniſi pueri juniores ætate tenera miniſtrarunt, *Diod. Sic rer. Ant. Lib.* VI. *cap.* 9. & Julius Cæſar ſervitia recentiora, politioraque magno pretio comparavit. (15) Idipſum ſuo quoque teſtimonio confirmat *Ulpianus* L. XXXVII. *De ædil. edict.* qui mancipia novitia, tamquam ad miniſterium aptiora veteranis præferenda eſſe cenſet. Hanc excipit tertia, quod veteres ἀφαιροῦντες τὸ πίκρον τῆς προσηγορίας ad declinandam invidiam nomen non tam a ſervitute, quam ætate petere amarint (16): quamvis, *Tertulliano* teſte, *Adv. Marc. L.* I. *p.* 368. *Ed. Rigaltii*, ſervorum conditionem nomina meliorem non reddant. Si enim communio nominum præjudicat, quantum nequam ſervi regum nominibus inſultant, (ſunt ejus verba.)

VIII. Nominibus delibatis ſervitutis origo inveſtiganda. Pauca alibi hac de re monui. Sed nonnulla addenda judicavi. Primum qualiſcunque ſervitutis veſtigium in hiſtoria lapſus deprehendiſſe mihi videor; *Deus* enim, quum viro ſemel a muliere ſeducto videret, quam miſer ſit homo ſub imperio vivens uxorio, fœminam omni poteſtate exuit, eique præter obſequii laudem nihil reliquit, dicendo *Gen.* III. 16. תשוקתך אל אישך והוא ימשל בך: *Accurſatio tua erit ad virum tuum, & ipſe dominabitur tibi*.

IX. In verbis laudatis ſervitium mulieri denuntiatum fuiſſe, nullus dubito. (א) Ea certe eſt emphaſis vocis תשוקה, quæ a שוק jugiter ambulare derivata, notat accurſum fœminæ ad virum, tum appetitus, (17) tum cohabitationis, (18) tum ſervitii ergo (19) (ב) In verbis annexis והוא ימשל בך viro expreſſe Dominium tribuitur, quod ſine authoritate viri ab una, & ſubjectione mulieris ab altera parte concipi vix poteſt. Nec eſt, cur dicas, indigitari ſervitium ex amore præſtitum; Ad illud enim uxor in ſtatu naturali æque ac poſt lapſum fuit obligata. Verum officium naturale pœnæ vicem ſuſtinere non poteſt; (ג) Quam cauſam allegabimus reverentiæ a probatiſſimis fœminis marito præſtitæ, ſi huc non deveniamus? Conſtat *Petrum* hoc nomine Saram laudaſſe, quæ Abrahamum Dominum ſuum vocavit, 1. *Petr.* III. 5. 6. & *Rebecca* Polona hoc exemplo ſimiliter fœminas Judaicas ad ſubmiſſionem exſtimulat, dicendo: *In* מנקת רבקה *Part.* 2. *f.* 14. *Ed. Prag.* Und auch lernen wir von unſer Mutter Sara, daß ſie ihren Mann hat geheiſſen: Mein Herr / wiewohl ſie is mehr in der נביאות geweſen als er &c. (ד) Hæc denique opinio ſedit *Paulo* & *Petro*, qui huc reſpicientes, mulieribus in mandatis dederunt, ut propriis viris ſubjectæ ſint 1. *Cor.* XIV. 34. in omnibus, *Eph.* V. 22. 24. omni ſubjectione, 1. *Tim.* II. 11. eo quod mulier ſit ex viro 1. *Cor.* XI. 8. propter virum, *Ib. v.* 9. viro poſterior condita, 1. *Tim.* II. 13. & prior lapſa *Ib. v.* 14. Hinc quoque derivandum videtur, quod mulier velamen in ſignum ſervitutis ſuper capite habere debuerit (20) Unde manifeſtum eſſe puto, quam vere dicat *Auguſtinus*, *in comm. ad Gen.* L. XI. *cap.* 37. Recte accipi poteſt, hanc ſervitutem ſignificatam, quæ conditionis eſt potius, quam dilectionis, ut etiam ipſa talis ſervitus, qua homines poſtea ſervi eſſe cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta.

IX. Hæc tamen ſervitus perſonæ libertatem non ſuſtulit, nec fuit hactenus ſocietas Heros inter & ſervos inſtituta. Quem itaque huic aſſignabimus ortum? Honeſta Sethi ſoboles ex naturæ conſortibus ſervos facere neſcivit, ſed forte Caino ſcelerato illi capiti ſervitus accepta ferenda eſt, eo magis, quod profugus factus in terram Nod ſibi novam nequitiæ officinam, omniumque flagitiorum domum paraverit. Quod aliis ita viſum fuit, mihi minus probabile videtur. Cainum diffidentia eremitam fecit, nec alio fine civitatem exſtruxit, quam ut ſecurus ibi deliteſcat. Cui prima vice Tyrannis male ceſſit, is altera experiri noluit, quam periculoſum ſit, alios injuria afficere, bello laceſſere, & in Deorum, hominumque offenſionem incurrere. Liberis proinde vindicamus, quod Parenti denegamus; Κακοῦ κόρακος κακὸν ὠὸν; Naturæ

turæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ. Nephilæi, poſteri Caini, primi coætaneis injuſtam & moleſtam ſervitutem impoſuiſſe videntur.

XI. Ad ea progredior tempora, quæ diluvium tum præceſſerunt, tum ſubſecuta ſunt. Aſſem hic para, mi lector, & accipe auream Rabbinorum fabulam, quæ primo ſtatim intuitu ſe nobis offert. Referunt Judæi (21) Ogum vixiſſe ante diluvium, & ne fides huic dicto derogetur, ex eo, quod præter Noachi familiam nemo arcam intraverit, hoc fingunt commentum; Og, ajunt, inſedit ligno cuidam ex arcæ ſcalis, & quo facilius a Noacho admitteretur, ei promiſit, ſe fore ipſi filiiſque ſuis in ſervum perpetuum. Quæres procul dubio unde miſer hic janitor ſibi vitam reperierit? Reſpondent Magiſtri: Noachus fecit in arca foramen quoddam, & ſingulis diebus ei cibum ſuum porrigebat; Hinc Og fuit diluvio ſuperſtes

Hoc ne locutos ſine mercede exiſtimes?

verum, quotuſquiſque eris, mi lector, mirari deſine. Si enim Judæorum documenta vel a limine ſalutaveris, exploratiſſimum habebis, hanc gentem fabulis anilibus penitus emancipatam eſſe. Inprimis hoc ipſis in more poſitum eſt, ut ſi quando loca Scripturæ ſint difficiliora, fabulares excogitent hiſtorias, quibus conceſſis nihil reſtet difficultatis (22). Has autem recitaſſe eſt refutaſſe, & inſanæ temeritatis arguiſſe.

XII. Poſt diluvium ſervitus pœnalis fuit introducta, ſiquidem Noachus filio & nepoti, qui Parentis nuditatem aſpexerunt, eaque propter ipſum deriſerunt, hanc portendit pœnam: *Vid. Gen.* IX. 25. 26. 27. ארור כנען עבד עבדים יהיה לאחיו ויאמר ברוך יהוה אלהי שם ויהי כנען עבד למו : יפת אלהים ליפת וישכן באהלי שם ויהי כנען עבד למו : *Maledictus ſit Canaan, ſit ſervus ſervorum fratribus ſuis; Benedictus ſit Jehova* Deus *Semi, & Canaan ſit ſervus ejus. Alliciat* Deus *Japhetum, ut habitet in tentoriis Semi, & ſit Canaan ſervus ejus.* Hæc verba Interpretes jam dudum exercuerunt, quare nec lectori ingratam, nec ab inſtituto meo alienam fore exiſtimavi paulo fuſiorem eorum elucidationem. Poſtulat autem ordo naturalis, ut attendamus (א) ad ſervitutem Canaam denuntiatam, (ב) ad Dominos Canaanis (ג) ad pœnam & maledictionem in ſervitute latentem, (ד) ad juſtitiam hujus pœnæ a parte tam Canaanis, qui illam perpeſſus fuit, quam Noachi, qui ipſam intentavit.

XIII. Qui in licentiam convertit libertatem, libertatis pœnam pependit ſervus factus a Noacho: עבד עבדים יהיה וגו׳ : *Sit ſervus ſervorum &c.* (23) Turpiter ſibi aliiſque imponunt, qui per עבדים : Canaanis fratres Ægyptios atque Æthiopes intelligunt (24), quibus Eſajam ſervitutem vaticinatum fuiſſe perhibent, *Eſd.* xx. 3. Ubinam proſtant documenta Hiſtorica, quæ Ægyptios ac Æthiopes Cananæis dominatos fuiſſe evincant? Quo tempore dicemus, Cananæos hoc ſervitio fuiſſe functos? Quis non ut inconcinne dicta hæc rejiceret, ſit Canaan ſervus fratrum ſuorum fratribus ſuis? Sed hunc ſenſum verba fundunt, quando per עבדים Ægyptios atque Æthiopes per אחיו vero Semitas & Japetitas intelligimus. Nec minus a vero aberrat *Abeneſra*, qui verba laudata ita explicat: יהיה עבד כאחד העבדים *Sit ſervus ſicut unus ex ſervus*. Num enim Ellipſis voculæ כ citra prægnantem rationem admittenda, maledictio a ſpiritu *Dei* dictata contra ejus intentionem extenuanda, frigida denique, & inutilis in re clara ταυτολογία fingenda ſit, penes cordatum lectorem, qui verum a falſo diſcernere potis eſt, judicium eſto. Mihi ſaltem ſimpliciſſima, & genio linguæ ſanctæ adcommodatiſſima videtur expoſitio R. *Sal.* ben *Melech* (25): עבד עבדים עבדות חזק ונפלא והוא כמו קדש קדשים : *Servitium durum ac ſtupendum indigitatur his verbis* עבד עבדים *ſimiliter ac dicitur ſanctum ſanctorum*. Adeoque notatur hac Phraſi ſervus abjectiſſimus, ſerviliſſimus, ſit (veniа voci a *Fagio* adhibitæ,) mediaſtinus, qui medius quaſi in ædibus ſtat paratus ad omnia obſequia, ita, ut quiſquis in eum incidat, eo pro ſervo abutatur, perpetuus denique, qui nunquam manumittitur.

XIV. Servus non eſt, qui Dominum non habet: Canaani debebant dominari Sem & Japhet: ברוך יהוה אלהי שם וכנען יהי עבד למו וגו׳ *Benedictus ſit Jehova Deus Semi & Canaan ſit ſervus ejus &c.* Recutitæ gentis Magiſtri hic denuo nodum in ſcirpo quærunt; Obſervant acutiſſimi Grammatiſtæ, vocem למו, quæ eſt numeri pluralis, reſpectum habere ad Sem, quod eſt nomen ſingulare; Hoc, niſi alia ſubeſſet ratio, impingeret in regulas Grammaticas. Ne proinde ſacer ſcriptor vitium grammaticum commiſiſſe exiſtimetur, varia pro more ſuo fingunt ad nodum ſolvendum. *Abarbanel* denuo Canaanis fratres ſubintelligit dicendo (26): והנה אמר עבד למו בלשון רבים בהיות שם לשן יחיד למגיד שיהיה הכנען עבד לשם ועבד לאחיו וגו׳ *Et ecce dixit: ſit ſervus*

ipſis

ipſis in numero plurali, *cum Sem ſit nomen ſingulare ad indicandum*, *Canaanem ſervum fore tum Semo*, *tum fratribus ſuis*. Quantum huic ſententiæ ſit deferendum ex præcedenti §. ſatis liquere puto. Nec *Abeneſra*, utut *M. Cocceii* authoritate & conſenſu ſtipatus (27), hic audiendus eſt, qui למו illud ad Jehovam & Semum ſimul refert. Optime enim *R. Moſe ben Nachman* monet (28): פי׳ רבי אב׳ למו שיהיה כנען עבד לאלהים ולשם כי הוא יכריחנו לעבור האל ובשני פירש שהיה העבר לופת ולשם ואם כן לקוב אויביו בא והנה ברך שהיה כנען עבד לאלהים *Explicat R. Abeneſra illud* למו, *quod Canaan ſervus ſit futurus Deo & Semo*, *eo quod hic ipſum ſit coacturus ad ſerviendum Deo*. *Et alterum* למו *exponit*, *quod ſervus futurus ſit Japheto & Semo*. *Si res ita ſe habet*, *Noachus ad maledicendum venit*, *& reipſa benedixit*, *cum futurus eſſet ſervus Dei*. Certe quis grave putaret ſervitium, obſequi Deo? Dei ſervum eſſe potius gloriæ loco habetur, & omnium benedictionum coronis eſt. Nihil itaque supereſt, quam ut dicamus voce למו ſimul reſpici ad poſteros Semi & Japheti (29), nec carnales duntaxat, ſed & ſpirituales.

XV. *Proprio pane veſci & ſedere melius eſt*, *quam aureo cingulo accinctum ſervitio adſtare*, ut ſcribit *Sadi* (30). Servitutem maledictionis fructum eſſe, docent verba præmiſſa: ארור כנען *Maledictus ſit Canaan*. Nec hoc inficias ibit, qui perpendit infimam ſemper ſervorum fortunam fuiſſe. Imperantis ira ſubdito jus eſt, & ad libitum Domini vocem non habet conditio ſervitutis. Raro evenit, ut quod *Paulus* Jure Conſultus tradit (31), difficile ſit dignoſcere liberum a ſervo. Plerumque ſervus habetur pro pecude (32), pro nullo (33), & pro mortuo. Quare *Abarb.* dixit: *In Paral. Miſchp. f.* 144. 2. והראשון מין הרציחה הוא כשיקנה אותו לעבדות בהשתעבוד בו כל ימיו כיזו היא רציחה בחיים וגו׳ *Prima homicidii ſpecies eſt*, *ſi quis alterum emit ad ſervitium*, *ita ut eum cogat ſervire in perpetuum*, *quia hoc ipſum eſt homicidium in vita*. Quinimmo ab alieno pendere arbitrio, cum tui Dominus eſſe poſſis, corpus in nervum ac ſupplicia dare, capite obſtipo a diluculo ad veſperam & quidem vili mercede operam navare, humeris ſæpe majores labores, non qui tibi, ſed domino placeant exantlare, tot privilegiis privari, tot tormentis ſubjici, quot *Ariſtophanes* recenſuit, Βατραχ. *Act.* II. *ſc.* VI. *v.* 85. *&c. pag.* 469. ſimulque ab omnibus contemtim haberi, quis hæc omnia ingravate ferret? Nec modo quoad corpus ſtatu ſervili nihil miſerabilius eſt, ſed & ipſa anima ex eo maculam contrahit teſte Poeta (34):

> Ἡμίσυ γὰρ τῆς ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύ-
> οπα Ζεὺς
> Ἀνέρος εὖτ' ἂν μὲν κατὰ δούλιον ἦμαρ
> ἕλῃσιν.
> *Domidium enim virtutis aufert late*
> *ſonans Jupiter.*
> *Viro quando ipſum ſervilis dies occupat.*

Hinc libertas omnibus rebus favorabilior, (35) imo inæſtimabilis habetur. (36) ejuſque æſtimatio infinita judicatur (37). Nec alia de cauſa Cato mori, quam uni parere maluit, & *Lucanus* cenſuit: *Lib.* IV, 576.

> *Quam ſit non ardua vireus,*
> *Servitium fugiſſe manu.*

Inde quoque derivari debet, quod libertas nulli non grata, ſervitus vero omnibus inviſa nullo non tempore fuerit viſa (38).

XVI. Juſta tamen fuit hæc peccati pœna. Imprudenti expedit eſſe ſub imperio, & æquum eſt, ut ut ſervili ſubjectione prematur, qui filialem ſuavem naturalem ſubjectionem violare non dubitavit, *oculumque ejus*, *qui Parentem ſubſannat*, *eruant colli vallis*; *Prov.* XXX. 17. quibus verbis *B. Lampe* ad Chamum reſpici opinatur (39). Hinc mirari non ſatis potui, quod Doctiſſimus *Jurieu*, (40) & Hermannus van der *Hard* (41) proportionem inter peccatum Chami & pœnam videre vel non potuerint, vel noluerint, cum ipſi pagani irriſionem parentum, qualis hic non poteſt non intelligi, commemorent inter grevisſima ſcelera. Ita *Heſiodus*: ἐργ. *v.* 329. Ὃς τεγόνηα γέροντα κακῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ νεικείῃ, χαλέποισι καθαπτόμενος ἐπέεσσι τῷ δή τοι Ζεὺς αὐτος ἀγαίεται εἰς δὲ τελευτὴν ἔργων ἀνθ' ἀδικῶν χαλέπην ἐπέθηκεν ἀμοιβήν. *Qui parentem ſenem miſero in ſenectutis limine probris affecerit*, *gravibus inceſſens verbis*, *huic certe Jupiter ipſe iraſcitur*, *tandem vero pro operibus iniquis gravem dabit talionem*. Cæterum non dubito, attento lectori idem quoque ſuccurſurum, quod mihi hanc hiſtoriam percenſenti miraculo fuit, cur a Canaane, non Chamo peccante, pœnas repetierit Noachus. Simile veri eſt, hoc factum fuiſſe, non propter cognationem ſui (42), nec propter benedictionem a Deo in filios Noachi pronuntiatam (43), ſed quia Canaan correus, hujuſque peccati conſors fuit, at-

atque ex justo *Dei* judicio in filio puniri debuit, qui ipse probi Parentis filius degener fuit (44) inprimis tamen, quod Noachus occasione peccati a Chamo commissi atrocissima posterorum scelera prævidens, ea perstringere & vindictam ipsis imminentem notare voluerit. (45)

XVII. Non minus juste Noachus hanc pœnam intentavit, utpote, qui hoc non vitio, aut rancore quodam fecit, sed laudando justitiæ zelo, agitatus spiritu Prophetiæ. Etenim hæc paterna, heroica, inimitabilis maledictio non tam mali imprecatio, quam futuri status Prophetica denuntiatio fuit (46). Quod ut pateat in tabella quadam analytica implementum exhibebo.

DEUS

I. Benedixit Semo filio Noachi charissimo, in posteris tum
- א Carnalibus, quos
  - α ex servitute Ægyptia redemit,
  - β in deserto custodivit,
  - γ in Canaane portavit, bajulavit & quidem
  - δ Omnibus diebus vitæ. Es. LXIII. 9.
- ב Spiritualibus, sive filiis promissionis, quorum
  - A DEUS & summum bonum Jehova factus est in CHRISTO, Jer. XXXI. 31. quibusque
  - B Benedixit, ἐν πάσῃ εὐλογίᾳ πνευματικῇ ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν χριστῷ. Eph. I. 3.

II. Japhetum ad tentoria Semi allexit in posteris
- *a* Carnalibus, iisque tum
  - 1 Proximis, ut Melchisedeco Japetita, qui ut rex justitiæ, & Sacerdos Altissimi Hierosolymæ, quasi in medio Tabernaculorum Semi habitavit, seque cum Abrahamo in fide conjunxit.
  - 2 Remotis, quando Hittæi Japheti posteri adducti sunt Num. XXIV. 25. quod factum ubi
    - א Græci, ex Japheto oriundi, sub Alexandro ejusque successoribus Syriæ regibus Canaanem possederunt, & inhabitarunt.
    - ב Romani similiter Japetitæ magnam Asiæ partem occuparunt, imo ipsam Judeam sibi obnoxiam habuerunt.
- *b* Spiritualibus, quatenus gentes Europæ & septentrionalis Asiæ ex Japeto ortæ ad fidem CHRISTI, & in tentoria SEMI, veram Ecclesiam, fuerunt adductæ. Vid. Ps. II. 8. LXX. 11. LXXXVI. 9. Jes. XLIII. 5. XLIX. 3. & conf. Acta Apostolorum.

III. Canaani maledixit iu posteritate
- *x* carnali, eaque
  - *o* subjecta semitis, quippe qui
    - a Cananæos maximam partem ex regione ejecerunt,
    - b Eos ultimo supplicio adfecerunt, Deut. XX. 17. XXV. 19. conf. JOS. Ant. Jud. L. IV. c. 8.
    - c Cæteros ad infima, & abjectissima servitia destinarunt, ut Gibeonitas. Jos. IX. 21. 26. conf. EPIPHANIUS hær. LXVI.
  - *oo* Subjecta Japetitis, quando post plurium sæculorum tractum Tyrus, Thebæ, & Carthago, in quibus rebus Publicis Phœnicum reliquiæ a funesta clade servatæ insigniter floruerunt, a Græcis & Romanis Japeti posteris deletæ destructæque sunt. Vid. SPONDANUS ad AN. CIƆIƆCLXIX. num. 3.
- *xx* Spirituali, nempe Judæi infidelibus, qui terrestri Canaani tantum inhiantes, & Cananæorum vestigia prementes similia cum ipsis fata experiri debuerunt. Quapropter in exemplum divinæ maledictionis constituti, servique omnium gentium miserrimi facti sunt. Vid. Cel. VITRINGA in Comm. ad Apoc. c. 1. v. 20. §. 28. 29. p. m. 53. 54.

XVIII. Posito uno alterum non tollitur. Manserunt post diluvium præter servitutem pœnalem bellica atque spontanea jam ante, ut visum fuit, consuetæ. Non defuerunt, qui Nephilæorum vestigiis insisterent. Hos inter præ cæteris caput extulit Nimrod, qui Sacris literis attestantibus fuit נבור ציד לפני יהוה *Potens venator coram Domino*; *Gen.* x. 9. nimirum venator primo animalium, post etiam hominum. Animalium enim venationem sæpe præludium fuisse artis bellicæ jam dudum abservarunt *Pollux* qui τὴν κυνηγίαν εἰρηνικῆς τε καρτερίας ἅμα καὶ πολεμικῆς τόλμης μελέτημα, id est, *venationem tam placidæ fortitudinis quam militaris audaciæ specimen vocat. Philo*; juxta cujus testimonium, *In lib. de vita Mos. p.* 612. *quod in pascendo & venando omnibus, quibuscum commercium haberet, nagnam de se opinionem præbuerit, se ad imperandum, quam parendum, natum potius esse* (47). Hominum autem venationem hic excludi non posse, sequentia evincunt. (א) Verba valent, quantum valere possunt. Jam vero vox ציד in Sacris tabulis utramque venationem designat (48), nec pugna inter eas interce-

cedit. Sed potius sibi invicem subordinatæ sunt, nulla denique circumstantia in textu, antecedentibus & consequentibus occurrit, quæ vocis significatum restringat. Nihil itaque obstat, quo minus utraque venatio intelligatur. (ב) Subjecti notionem ex adjunctis prædicatis eruendam esse omnes fatentur. Nimrod autem vocatur potens venator לפני יהוה *coram Domino*, quibus verbis haud obscure docetur, factum Nimrodi fuisse publicum, nefandum & cum contemtu *Dei* conjunctum (49), quæ prædicata soli animantium venationi haud commode conveniunt. (ג) *Nimrod potens fuit in terra* juxta versum præcedentem. Verum an is potens dici meretur, cujus imperio nonnisi animalia subsunt. Ante diluvium Nephilæi audiebant גבורים. Post diluvium Nimrod cœpit esse גבור, certe non alia ratione, quam priores, nimirum homines subjugando, dominiumque suum longe lateque extendendo. (ד) Fructus venationis fuit acquisitio regni Babel, quod suæ potestati subjecit; Nollem equidem negare, Nimrodum animalium venatione sibi insignem parasse famam, & Babyloniis tum metum tum amorem hac via inspirasse, quod *Cl. Perizonius* maxime urget (50), gratis tamen assumitur, hac sola ipsum efficere potuisse, ut cæteri omnes se ipsi dedant. Etenim divino quodam naturæ instinctu omne jugum potius aversamur & depellimus, quam sponte suscipimus. Alia quoque venationis suæ specimina dedisse videtur, quando in *Assyriam processit* eam *nimirum* bello oppugnaturus (51), nec non excelsam turrim magnis molibus atque cæmentis ædificare adgressus est, ut se muniret subditosque extenuaret. Si quis tamen mavelit authoritate quam rationibus pugnare, ei opponimus authoritatem *Abarbanelis*, *In Comm. ad Pentat. Par. Noach. f.* 40. *c.* 4. aliorumque.

XIX. Utut autem per ציד venationem hominum pariter ac animalium intelligamus, non ea tamen nobis cum *Josepho*, *Ant. Jud. lib.* 1. *cap.* IV. *p.* 22. & *R. Isaacide*, *in comm. ad Legem Par. Noach. f.* 7. *cap.* 6. sedet mens, ac si animas hominum venatus, easque a *Deo* alienas reddere conatus fuerit. Non interpono, Nimrodum suo consortio multorum bonos corrupisse mores, suoque Exemplo varios religionis contemtores effecisse. Illud tamen a me impetrare non possum, ut credam, omnem ejus operam in eo sitam fuisse, aut ex nostris verbis ejusmodi animarum venationem exsculpi posse. Ferox ille venator religionem curæ non habuit, parumque ei visum fuit, an quis *Deum* colat, an minus; contentus, modo jugo, quod imposuit, submiserit collum. Ad hæc robur & venatio. de corporibus proprie, de mentibus improprie dicuntur. A proprio autem vocum significatu tamdiu recedendum non est, donec necessitas quædam nos urgeat. Regnum denique statuitur consequens hujus venationis; At quid regno cum animarum venatione commune est? Hæc aliave me adducunt, ut phrasin cum *Augustino lib.* XVI. *de civit. Dei cap.* IV. *de oppressione, & captivitate hominum*, quibus servitus, ut plurimum comes it, exponam.

XX. Non videbor Nino injuriam facere, si ipsum pariter naturæ consortes subjugasse dicam. Fuit natura bellicosus, nec dominandi cupiditate nec potentia Nimrodo cessit, res secundæ ipsi ingesserunt majorum cupiditates, hinc bella finitimis intulit, omnesque maritimas ac propinquas gentes suo imperio subjecit. (52) Quis proinde dubitaret ipsum bello captos sub potestatem suam redegisse & ad servitutem volentes nolentes adegisse? De uxore ejus Semiramide *Diod. Siculus* refert, (53) quod *insulas ac urbes in flumine sitas ceperit ad centum millia hominum in servitutem redactis*, quibus postmodum metallorum, quæ prima invenit, & magna collegit copia, tractationem mandavit. Hinc liquere puto, quot servos Ninus ac Semiramis vi belli sibi comparaverint. Neque tamen cum iis facio, qui a Nimrodo & Nino servitutis primordia ducenda esse existimarunt. (54)

XXI. Superest, ut pauca de regimine domestico hujus ætatis moneamus. Sed prospectu opus erit, ne certa amittamus, dum incerta petimus. Familiis post exstructam turrim Babylonicam dispersis, singulas juxta fines a se intentos peculiarem regiminis formam adoptasse haud improbabile est. Posteri Chami sub initium feroces & bellicosi videntur & plures habuisse servos & majorem in ipsos adfectasse tyrannidem. Si enim fides habenda *Diod. Siculo*, *pag.* 61. 62. 63. ipsi integros populos sibi subjecerunt, & in eos potestate αὐτοκρατικῇ καὶ ἀνυπευθύνῳ usi sunt. Excipit quidem ibi memoratus Author Ægyptios, sed sine ratione: Nam *coma*, Luciano teste, (55) *ab omni tempore Ægyptiacæ nobilitatis & libertatis signum fuit*. Quare Reges fere ab incunabulo hujus regni nomine Pharaonis, quod a פרע cæsarie sive capillo promisso descendit, insigniti fuerunt εἰς τεκμήριον suæ libertatis. Contra *populus extra casum luctus barbam & caput tondere solebat* (56) Quod argumento

to eſt, ſolum regem fuiſſe liberum, populum ipſi obnoxium ſervum. Cæterum conſtat ex S. S. abſolutam & plenariam poteſtatem Reges Ægyptiorum non ante tempora Joſephi obtinuiſſe. Semi poſteros ſimpliciorem vixiſſe vitam, nec tot ſervos aluiſſe, nec ita in eos deſæviiſſe exiſtimamus. Maximam enim partem pecoris paſtores fuerunt, bella finitimis raro intulerunt, a Tyrranide magis alieni, ad clementiam econtra proni fuerunt. Quare nullum eſt dubium, ipſos ſervis ſuis per totam vitam τὰ ἐπιτήδεια ſuppeditaſſe.

XXII. Quæ fuerint ſervitutis primordia a mundo condito ad diluvium, quis ejus progreſſus a diluvio ad Patriarcharum tempora, hactenus expoſui, res quum vetuſtate nimia obſcuras, velut, quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur, tum quod Sacra Scriptura, una fidelis cuſtodia rerum geſtarum, de multis ſileat. Clariora deinceps certioraque de ſervis Patriarcharum exponentur.

XXIII. Patriarchæ uſi ſunt familia, ſi numero judicandum eſt, ſatis ampla; ſi utilitate, optima; ſi forma, vix mediocri. Iſaaco fuit עבורה גרולה *famulitium magnum Gen.* XXVI. 14. Jacobus poſſedit ingentem ſervorum & ancillarum copiam *Gen.* XXXII. 15. *coll.* XXXIII. 11. Solus Abrahamus aluit 318. vernas ſuæ poteſtati ſubjectos, *Gen.* XIV. 14. ex quo haud immerito *Cajetanus* colligit, numeroſam admodum fuiſſe Abrahami familiam, cum præter hos, qui armati fuerunt, dubio procul adhuc ſenes, mulieres, parvulos ad bellum ineptos & ad curam animalium domi relictos habuerit. Ne vero numerus ille Luciano aut Porphyrio cuidam incredibilis videatur, notentur ſequentia: I. Abrahamus revera non tam privatus, quam Princeps ſua ætate fuit, atque a cæteris regibus nonniſi in eo diſtulit, quod propriæ familiæ rex eſſet, nec ſuperbum ejuſmodi titulum adfectaret. II. illa ſervorum copia fuit fructus divinæ benedictionis ut bene obſervavit Eliezer *Gen.* XXIV. 35. 3. Numerus ſervorum haud parum adauctus fuit per prolem ſervilem. *Deus* enim ventri ancillarum benedixit. IV. Abrahamus admodum dives fuit pecore, quare multis indigebat ſervis. V. Exſtant etiam apud alias gentes exempla privatorum, qui magnum poſſederunt famulitium, velut ex *Pignorii* præfatione luculenter adparet. Nullam tamen rationem video, quæ jubeat hunc numerum amplificare, ut fecit *Joſephus*, *Ant. Jud.* VI. 11. qui vernas illos militum duces fuiſſe ſtatuit. Neque etiam cum *Barthio* *in Adverſ. pag.* 2269. cenſemus, alios inexercitatos ſimul in aciem proceſſiſſe. Cæterum nugæ Judæorum, qui ſolum Elieſerem cum Abrahamo exiiſſe contendunt, eo quod illud nomen per Gematriam numerum 318. vernarum efficiat (57); & Chriſtianorum, qui in illo numero ſignum crucis *Chriſti*, (58) vel typum 318. Epiſcoporum in Synodo Nicæna præſentium (*Vid. Pererius in Geneſ.* XXVI. 14.) inveniunt, derideri potius, quam refutari merentur, utpote quas nemo, niſi qui cum ratione inſanit, probabit.

XXIV. Status ſervitutis Patriarchalis conformis fuit dictamini ſanæ rationis, id eſt, juri naturæ. Nemo in alios pro lubitu dominatur niſi inſipiens aut injuſtus fuerit. Juſti enim eſt, ſuum cuique tribuere, adeoque non quod placet, ſed quod competit; ſapientis eſt, non ex mero beneplacito, ſed juſta ex ratione agere. Verum quis Patriarchas ſtultitiæ vel injuſtitiæ accuſare vellet? Dicendum potius, eos ad certam normam ſuum in ſervos compoſuiſſe dominium. Norma eſſe debuit vel hominis vel *Dei* voluntas: Hominis poteſtati in his terris ſubjecti non fuerunt. Homo proinde ipſis leges ferre, aut dominandi rationem præſcribere non potuit. Divina itaque voluntas fuit, ut cæterarum actionum, ita dominii Patriarchalis menſura. Verum nec *Dei* voluntas obligat hominem, niſi manifeſtata. Manifeſtatur autem vel intus in corde per inſitas boni atque mali, turpis & honeſti notiones, vel extus per ſcripturam, aut adlocutionem oralem. Leges a *Deo* Patriarchis de juſto dominandi modo latæ non exſtant, nec proſtat teſtimonium, quod evincat *Deum* oraliter hunc ipſis revelaſſe. Ex adverſo lex naturæ omnium animis digito *Dei* inſcripta eſt. Unde conficitur, hanc legem communem fuiſſe normam dominii, quo Patriatchæ in ſervos ſuos uſi ſunt. *Philonem* teſtem habemus, qui de Patriarchis aſſerit, *quod a ſe ipſis inſtituti, doctique ordinem naturæ ſecuti ſint*, quæ lex eſt omnium antiquiſſima (59). Cæterum non negamus, ex conſuetudine gentium multa Patriarchis priva fuiſſe, quæ fruſtra quæres apud alias gentes. Eo tantum tendit hæc noſtra theſis, ut in dubiis normam habeamus, ad quam dijudicari poſſint.

XXV. Ætas, quæ homines acuit, ſervorum uſum magis magiſque perſpectum reddidit. Hinc tempore Patriarcharum ſervi divitiis accenſeri cœperunt. Etenim ubicunque ſacer Scriptor ovium, boum, cæterorumque animantium mentionem intulit,

tulit, ibi ſervos, ut partem bonorum adjecit. Hoc obſervare licet in Hiſtoria Abrahami, *Gen.* XII. 5. & 16. Iſaaci *Gen.* XXVI. 14. Jacobi, *Gen.* XXX. 43. Verum ex nullo loco evidentius illud claret, quam ex *Gen.* XXIV. ubi Elieſer Rebeccam Iſaaco ſponſam petiturus refert, quod *Deus* Abrahamo benedixerit, eumque maximis auctarit opibus, & ne ipſos lateat, quænam fuerit divina benedictio, ſpeciatim divitias recenſet dicendo: *v.* 13. ויתן לו צאן ובקר וכסף וזהב ועבדים ושפחות *Et dedit ipſis oves, boves, argentum, aurum, ſervos & ancillas*. Nec apud Hebræos duntaxat, ſed & alias gentes mancipia haud poſtremam conſtituerunt opum partem. Ita Ægyptii, *Gen.* XII. 16. incolæ Gerari, *Gen.* XX. 14. Syri, *Gen.* XXXV. 2. præter alia bona multos ſervos poſſederunt. Nec mos ille poſthac abrogatus fuit, ſed indies invaluit. Hinc Eliſæus, quando puerum ſuum ob divitias a Naamane petitas & acceptas reprehendit, ſervorum & ancillarum oblitus non fuit. Audiamus ipſum loquentem, 2. *Reg.* v. 26. העת לקחת את הכסף ולקחת בגדים וזיתים וכרמים וצאן ובקר ועבדים ושפחות: *An tempus fuit accipiendi argentum, aut accipiendi veſtes, aut oleas, aut vineas, aut greges & armenta, aut ſervos & ancillas*. Et quis ignorat a Græcis, Romanis, aliisve ſervos non modo magno numero fuiſſe comparatos, ſed & nutrimentum atque alimentum ſuperbiæ magis magiſque evaſiſſe. (*60*) Immo adhuc hodie a Turcis viri cujuſdam facultates ex multitudine mancipiorum æſtimantur, & adduxit *Busbequius*, in epiſtol. Exot. 3. p. 265. Turcarum proverbium, quo docetur, neminem pro inope habendum eſſe, qui vel unum poſſidet mancipium. Nec eſt, cur miremur veteres ſervos magni æſtimaſſe. Eorum operæ æquivalent argenti pretio. Ipſi dominorum vitam famamque tuentur. Per eos bona noſtra maximam partem acquiruntur, conſervantur, adminiſtrantur, augentur. Quidni igitur ſervi in bonis noſtris ſibi primas vindicent partes?

XXVI. Servi, qua pars divitiarum, in dominorum proprietate fuerunt. Eſſe in alterius proprietate proprius mancipiorum character eſt, quo a mercenariis diſtinguuntur (*61*) Mancipia proinde, non mercenarii fuerunt Patriarcharum ſervi. Potuerunt Patriarchæ de ſervis & ancillis pro lubitu diſponere, eorum liberis ſerviendi neceſſitatem imponere, utroſque ex familia ejicere. (*62*) Sed quis hæc aliave Domino in mercenarios licere putaret?

XXVII. Haud ignoro, quod *Maldonatus* עבד & שכיר δῦλον καὶ μισθώτον promiſcue habeat, *in com. ad Luc.* XVII. 10. Verum in eo ὑποθέσει δουλεύει. Rectius *Corn.* a *Lapide* differentiam inter utrumque agnovit, *in comm. ad Exod.* XXI. 2. Mercenarius conduci, ſervus emi vendique ſolet, *Matth.* XX. 1. *coll. Ex.* XXI. 2. Prior nonniſi interdiu, poſterior etiam nocte ſervitium præſtare tenetur. Hinc Rabbini in Gem. Kidd. f. 15. a. שכיר אינו עובד אלא ביום עבד עברי עובד בין ביום בין בלילה וכי תעלה על רעתך שעבד עברי עובד בין ביום ובין בלילה והלא כבר נאמר כי טוב לו עמך במאכל עמך במשתה ואו׳ יצחק מכאן שרבו מוסר לו שפחה כנענית: *Mercenarius non ſervit niſi interdiu, ſervus Hebræus autem ſervit tam die, quam nocte. Sed quomodo tibi in mentem venire poteſt ſervum die & nocte ſervire, cum ſupra dictum ſit ipſum proſpere acturum tecum tam in cibo quam in potu?* (adde etiam in lecto) *Reſpondet R. Izchak, eatenus, quatenus Dominus ipſi adjungit ancillam Cananæam*. Mercenarius ad breve tempus hero operas ſuas addicit prætereaque nihil ſervus præter operas etiam corpus vel ad ſupremum vitæ diem vel ad diuturnum temporis ſpatium domino ſubjicit. (*63*) Servum occidente ſole, nil niſi umbra & virium recollectio, mercenarium merces, qua dignus judicatur, manet. (*64*) Chriſtiano proinde oculatior fuit paganus, (*65*) qui utriſque diſtincta nomina impoſuit, homines liberos, qui pro mercede aliis operam ſpondent θῆτες, ſervos autem δμῶες παρὰ δαμασθαι vocando.

XXVIII. Fuerunt ex præſtantiſſimis œconomis nonnulli, qui in communi, aliis tamen obnitentibus, ad promovendam rem ruralem mancipia præ mercenariis præſtare judicarunt (*66*), quod ita omnia minori pretio haberi poſſint dum ſervi viliori aluntur victu, durioribus laboribus tolerendis aſſueti ſunt, ad dominorum nutum omnia ſive grata, ſive ingrata, ſive facilia, ſive difficilia, præſtare tenentur, nullam denique mercedem accipiunt. Putem ego hanc theſin pro differentia regionum, nationum, temporum, conditionis limitandam & in Germania hoc inprimis ſæculo utrique ſtatui tum mancipiorum, tum mercenariorum ſervitutem temporariam præferendam eſſe, quamvis ea ſuis non careat abuſibus.

XXIX. Illud tamen haud difficulter ab unoquoque impetrabo, œconomiæ Patriarchali ſervos magis fuiſſe adcommodatos, quam mercenarios. (א) Patriarchæ paſtoritiam egerunt vitam, & hinc bonæ frugi paſtoribus indiguerunt. Μισθώτος autem φύγει, καὶ ὀυ μέλει περὶ τῶν

προ-

πρόβατα *Job.* x. 12. proinde huic muneri tam idoneus non eſt, quam ſervus. (ב) Sancti illi Patres divinæ vocationi obſequioſi, patria terra relicta, per varios terrarum tractus vagabundi oberrarunt, nec ubique fidos mercenarios reperire potuerunt, quare ſervos ſibi parare conſultius duxerunt, quod illis heris, quocunque etiam tendunt, indivulſo nexu conjuncti maneant juxta illud jureconſultorum: Acceſſorium ſequitur ſuum principale. (ג) Patriarchæ non minus boni Patres familias, quam religioſi *Dei* cultores fuerunt habiti. At ſignum non ſolum continentiæ, ſed & diligentiæ eſt ſervos habere dominatos, domique factos. *Sunt Verba Corn. Nep. in vita Atici cap.* XIII. Viro vere religioſo ea potiſſimum incumbit cura, ne familia maculam contrahat ex frequenti conſortio cum idololatris, niſi ſpes converſionis ſuperſit. Sed hocne caviſſent Patriarchæ, ſi homines Polytheiſmo infectos mercede conduxiſſent, qui nec ſponte Patriarcharum religionem in ſe ſuſcepiſſent, nec ad eandem cogi potuiſſent? Quanto proinde ſatius fuit acquirere ſervos, quos nullo labore fecere proſelytos.

XXX. Alios homines natura ſervos non habemus, ſed facimus, eos nimirum comparando, quod ipſum R. *Aben Tybbon* ſuo confirmat calculo, dum ſcribit *in Phyſ. Hebr., cui titulum fecit* רוח החן *cap.* XI. *p. m.* 144. וכן תאמר בארון ובעבר ששנויה ארונה אינו לו בטבע רק מפני שהוא מיוחס לדבר אחר והוא עבר שקנאו בדמים: *Sic quoque dici poteſt de Domino & ſervo, quoniam mutatio Domini non eſt in natura ipſius, ſed propterea modo convenit, quia ipſe ad aliam rem comparatur videlicet ſervum, quem pecuniis ſuis emit.* Id ipſum in Sacris literis obſervatur, quando de Abrahamo dicitur, *Gen.* XII. 5. לקח אברם את הנפש אשר עשו בחרן: *Aſſumſit Abrahamus ſecum animas, quas fecerunt in Charane.* Per animas illas Rabbini maximam partem intelligunt proſelytos. Prolixe hanc ſententiam nobis exponit Rab. Simeon dicendo *in Jalkut. f.* 17. *conf. Sanh. cap.* II. *& Bereſch. Rabba ad loc. cit.* Animæ ſunt proſelyti, quos fecerunt. Cur autem dicit Moſes? אשר עשו: ad docendum te, quiſquis gentilem adducit, vel convertit, de eo Scripturam loqui, ac ſi ipſum genuiſſet. At dicendum videtur עשה cur itaque in plurali עשו fecerunt? Dixit Raf Huna: Abrahamus proſelytos fecit mares, Sara proſelytas fecit fœminas. Verum enim vero adverſatur huic hypotheſi authoritas tum Scripturæ, tum Grammaticæ. Quare aliis placuit נפש explicare de ſervis & ancillis (68), quibus favere videtur, quod non modo *Ezechiel.* XXVIII. 13. *Apoc.* XVII. 13., ſed & in ſcriptis profanorum Authorum hæc animæ notio occurrat. Ita *Epictetus: apud Stobæum Tom.* 2. *tit.* 5. Ἄτοπον γὰρ ὀλίγοις ςίβασιν πολλὰς δουλεύειν ψύχας. Abſurdum enim eſt, ut exiguis toris multæ inſerviant animæ. *Plato lib.* VI. *de legibus.* ὑγιὲς ὃδεν ψύχης δȣ́λης. Nihil ſani ineſt animo ſervili. *Tacitus* Lib. IV. Hiſt. cap. XXXII. *Vos Treveri & ceteræ ſervientium animæ.* Nobis tamen videntur hac voce ſimpliciter notari homines. Hoc enim ſenſu נפש & ψύχη frequentiſſime adhibentur. Quare *David* de *Pomis* Medicus Hebræus נפש explicat per נשמה וגוף עם נשמה Italice *ſignifica anima, corpo animato* (69) Nec video, cur citra neceſſitatem ſignificatus alicujus vocis ſint multiplicandi. Cæterum cum ſubjectum tale ſit quale a prædicato ſuo eſſe permittitur, ex adjunctis demum colligi poteſt & debet, quales homines heic intelligantur.

XXXI. Quia proinde adnexa deſcriptio אשר עשו בחרן: demum declarat, quos homines Sacer Scriptor notare voluerit, eam phraſin ut enodemus, neceſſe eſt. Si Abrahamo fuiſſent tum temporis liberi, forte nemo dubitaret, eorum mentionem hic fieri, ſed cum adhuc improles eſſet, quando ex Charane profectus eſt, de alia vocis עשה notione cogitandum erit. Obſervamus autem in Sacris non minus quam profanis ſcriptis, quod facere ſubinde idem ſit ac comparare, acquirere. Ita Jacobus *Gen.* XXX. 30. מתי אעשה גם אנוכי לביתי *Quid faciam & ego* [id eſt, acquiram] *domui meæ.* Laban, *Geneſ.* XXXI. 1. עשה את כל הכבד הזה: *comparavit ſibi omnem gloriam iſtam.* Græcis ποιεῖν ἀργύριον, βίον eſt *comparare argentum, victum.* Similiter Cicero dixit *orat. in Verrem. Maximam uno anno pecuniam facere poſſet.* Quid quæſo ibi facere deſignat, quam aggerare, undique colligere? Et quando *Quintilianus* longe florentiſſimus Author ſcripſit, *Vires faciamus*; Quid aliud ſignificat, niſi vires nobis paremus? *lib.* X. *cap.* III. Similiter Phædrus *lib.* III. *Fab.* VII. 7. 5.

Aut quo cibo feciſti tantum corporis.

Proinde נפש אשר עשו בחרן: *ſunt homines, quos acquiſiverunt in Charane* nimirum ad ſervitium, adeoque mancipia, id eſt, ſervi & ancillæ.

XXXII. Ad rem ipſam veniamus propius, & ſpeciales acquirendi modos perlu-

luſtremus. Patriarchæ ſervos ſuos acquiſiverunt.

(א) Emtione. Ita ex hiſtoria circumciſionis & aliis locis evidenter adparet, inter ſervos Abrahæ fuiſſe מקנת כסף *ſive ære emtos*, *Geneſ.* XVII. 12. & 23. Et ſi conjecturæ locus eſt, tales maximam partem fuerunt animæ, quas Abrahamus ex Syria aſportavit. Nam T. H. ibi ופש tranſtulit per מלוכים. Maluch autem & Malchus non a מלך ſed מלך vendere deſcendunt, adeoque ſervum pecun*i*a acquiſitum denotant. Quapropter adhuc hodie ſervus emtus, & in diſciplinam Turcicam traditus vocatur Mammeluch.

(ב) Donatione. Patriarchæ & ob ſummam, qua valebant authoritatem, & ob divinam benedictionem, quæ aliorum perſtrinxit oculos, varia acceperunt munera, & in his ſervos atque ancillas. Sic Pharao & Abimelech Abrahamo ſervos dono dederunt, *Gen.* XII. 16. & XX. 14. quos recte appellaveris נתונים ſive נחינים donatitios, dono datos.

(ג) Bello. Qui enim victas dederunt manus vel ſponte vel neceſſitate coacti, in colendis agris & id genus aliis miniſteriis operam navare tenebantur. Quare *Gen.* XLIX. 15. היות למס עובד *eſſe in tributum ſerviens*, id eſt, ſervum tributarium a LXX. redditur eſſe εἰς ἄνδρα γεωργόν hominem agricolam. Rabbini per מס ibidem intelligunt עבודה בגוף ובממון *Servitium corporale æque ac ſubſidiarium*. His mancipiis a nonnullis adnumerantur fœmellæ Sichemiticæ a Simeone & Levi abductæ, *Gen.* XXXIV. 29. Verum non certo conſtat, an Jacobus eas dimiſerit, nec ne: Illud interim manifeſtum eſt, Patriarchis ſæpius juri ſuo renunciaſſe, & quos juxta victoriæ leges ad ſervitium cogere potuerunt, liberos dimiſiſſe, cujus exemplum præbet generoſus ille heros Abrahamus, qui, cum juſto adortus eſſet bello reges vindicandi fratris ergo, & victoriam reportaſſet, generoſe magis, quam ex debito prædam oblatam recuſavit, neminemque ſervum fecit, *Gen.* XIV. 23.

(ד) Titulo nativitatis. Proles enim ſervilis ceſſit Patriarchis, quia acceſſorium ſequitur ſuum principale. Hinc in hiſtoria Abrahami mentio infertur ילידי ſive בית *vernarum*, *Gen.* XVII. 12. & 23. quales etiam fuerunt tyrones milites, quos Abrahamus ſecum in bellum eduxit. *Gen.* XIV. 14. Neſcio, an non in horum numerum referri debeant נערים *ſive pueri*, quos Abrahamus ſecum aſſumſit, quando Iſaacum mactare voluit. *Gen.* XXII. 3. & 5.

(ה) Titulo dotis. Mos enim erat mulierum tum temporis enubentium, ut inter cæteras res dotales dotale quoque famulitium e domo paterna adducerent, quorſum reſpexit *Tertullianus*, *lib. de anima cap.* 41. *conf.* Dougt. *in Anal. Sacr. V. T. exerc.* XVIII. qui animam vocavit, *dotale carnis mancipium*, quod in reſurrectione adjectitiæ dotis inſtar animæ aſſociabitur. Proſtant quoque exempla, veluti quando Laban primogenitæ ſuæ Silpam & Racheli Bilham ancillas ſuas dotis dedit. *Gen.* XXIX. 24. & 29. Judæi hos ſervos dotales diſtinguunt in עבדי צאן ברזל & עבדי מלוג: Per priores intelligunt ſervos, quorum opera & officiis dominus uti potuit, ſed quos nec alienare nec divendere licuit. Poſteriores autem Rabbinis ſunt illi ſervi, quos maritus certa pecuniæ ſumma in literis matrimonialibus deſignata, ſi morerentur, redimere debuit. *Jevemot. f.* 66. 1. & *Bavakama f.* 89. 1. *conf.* Maim. *tr. Jevamoth. cap.* VII. §. 1. & 2. Num illa diſtinctio ante legem, vel ſub lege introducta, an potius a Judæis excogitata fuerit, in præſentiarum non diſquiremus.

(ו) Hereditate, quandoquidem liberi vel ab inteſtato, vel legatione parentum omnia eorum bona & hinc etiam ſervos atque ancillas acquiſiverunt. *Gen.* XXV. 5.

XXXII. Verum non ubique Patriarchis commoda fuit occaſio ſervos acquirendi. Una regio, quam altera, ſervilibus ingeniis fertilior eſt, & nationes aliæ aliis ad ſervitutem aptiores ſunt. Quare *Ulpianus l. Quodſi* §. *qui mancipia ff. de Ædil. Edict. præſumtum eſſe ait* (70), *quoſdam ſervos bonos eſſe*, *quia natione ſunt non infamata*, *quoſdam vero malos videri*, *quia ea natione ſunt*, *quæ magis infamis eſt*. Ætate Patriarcharum præcipua ſervorum officina fuit Syria. Ita ex Sacris tabellis conſtat Abrahamum multas animas ſerviles ex Charane adduxiſſe. *Gen.* XII. 5. Charan autem fuit urbs Meſopotamiæ inter Chaboram & Euphratem ſita. Meſopotamia autem pars erat Syriæ, utpote quæ tum temporis in duas partes diviſa fuit regionem cis Euphratem & Meſopotamiam. Similiter Elieſer ſervus Abrahami fuit Syrus origine. Erat enim Damaſcenus, *Gen.* XV. 2. id eſt, ex Damaſco oriundus. Damaſcus autem fuit urbs Syriæ. Mancipia Jacobi ex Syria ortum traxiſſe nemo ignorat. *Gen.* XXXII. 6. Nec deſiit memorata regio poſt hæc communis ſervorum taberna eſſe. Quare *Xenophon. lib.* 2. *de dictis & factis Socr. Livius*, *Ant. Rom. lib.* XXXVI. *cap.* 17. & *Cicero*, *orat. de Provinc. conſ. cap.* 5.

T. 5. *pag.* 455. *Edit. Graev. Syros nationem servituti natam* vocarunt & alibi Flaminius apud eundem *Livium* testatur : *Lib.* XXXV. *cap.* 59. *Syros omnes esse haud paulo mancipiorum melius propter ingenia servilia, quam militum genus*. Immo observat Oratorum Princeps varias servilis conditionis notas in Syris, quando in Lucium Pisonem ita invehitur : *Nemo queritur Syrum nescio quem de grege novitiorum factum esse consulem. Non enim nos color iste servilis, non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt*. Addi potest, quod *Petronius*, *Martialis*, *Plautus* aliique servorum ex Syria adductorum frequentissime mentionem faciant. Adauxit autem Abrahamus mancipiorum suorum numerum in Ægypto, *Gen.* XII. 16. prout e.g. Hagar ancilla fuit Ægyptia. *Gen.* XVI. 1. Cæterum & post illa tempora servos frequentissime ex Ægypto fuisse advectos docent *Statius* quando scribit. *Lib.* II. *Sylvar.* I. *v.* 72. 73.

> *Non te Barbaricæ versabat turbæ catastæ,*
> *Non mixtus Phariis venalis mercibus infans.*

Et *Juvenalis*, cui Crispinus dicitur: *Sat.* I. *v.* 26.

> *Pars Niliacæ plebis, Verna Canopi.*

Huc quoque respexit *Martialis*, lib. XII. Epigr. 75. in verbis. Conferri potest Capit. in Vero, qui tam de Syria quam Ægypto idem refert verbis sequentibus: *Adduxerunt secum & fidicinas, & tibicines, & histriones, scurrasque mimarios & præstigiatores & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria pascitur voluptate.*

> *Cum tibi Niliacus portet chrystalla Catastus.*

Canaanem quoque Patriarchis haud pauca mancipia subministrasse haud improbabile nobis videtur.

XXXIII. Servi Patriarcharum in Sacris tabellis distinguuntur in ילידי בית & מקנת כסף domi natos & ære emtos, quod discrimen non modo ante legem, *Gen.* XVII. 24. & 27. & sub lege, *Lev.* XXIII. 11. sed & post *Christum* natum receptum fuit. Quapropter *Philo* scribit, *in lib. quod omnis probus liber sit p.* 867. *Edit. Francof.* Ἀνελόντες οὖν ἐκ ποδῶν τὰς προφασιστικὰς ἐλευθερίας, καὶ τὰ φυσέως μὲν ἀλλοτρεία, δόξης δ᾽ ἠρτημένα ὀνόματα οἰκοτρίβων καὶ ἀργυρωνήτων αἰχμαλώτων τὸν ἀψευδῶς ἐλεύθερον ἀναζητῶμεν. *Omissis igitur altera illa libertate fortuita, & altenis a natura, pendentibusque ex sola opinione nominibus vernarum, venalitiorum, captivorum vere liberorum quæramus.* Nec aliis gentibus hæc differentia ignota fuit. Hinc *Quintilianus Declam.* CCCXI. *pag.* 563. *Servus est aut dominatus, aut hæreditate relictus, aut emtus.* Et *Bractonius Lib.* I. *cap.* 6. §. 4. *apud du* Fresne *in Gloss. inf. & med. Lat. T.* 2. *in voce nativus p.* 725. *Servi nascuntur, aut fiunt.* De singulis pauca notasse juvabit.

XXXIV. Verna Hebræis vocatur בן בית *Job.* XIX. 17. opposite ad בן בטן sive ad בר נדר & בר בטן, *Prov.* XXXI. 1. Græcis nuncupatur οἰκοτρίψ *Ælianus var. hist. lib.* XX. *cap.* 15. *p.* 562. οἰκογενὴς, οἰκοτράφης, *in Glossa Cyrilli. Verumtamen Thomas* τὸ οἰκοτράφης *& Phrynichus* τὸ οἰκογενὴς *damnat.* item ὃς δοῦλος ἦν, *Ælian. lib.* XII. *cap.* 43. *pag.* 609. ὃς δοῦλος καὶ ἐκ δούλων ἐστι, *Lysias Orat. contra Agorat.* ἐκ γένους δοῦλος, *Philo in libro modo cit. p.* 870. *&c.* Singula nomina nos edocent, vernam esse, quem ex mancipiis nostris natum in propria domo & familia educavimus. Quæri solet, num servorum liberi æque ac proles ancillarum ad vernas pertineant? Negant Rabbini, quare *Abarbanel* scribit *in Comment ad legem f.* 52. *c.* 6. כל ילידי ביתו הם בני שפחותיו שנולדו בביתו: *Omnes vernæ ipsius fuerunt liberi ancillarum, qui nati erant in domo Abrahæ.* Nos contraexistimamus distinctione opus esse. Si Pater fuerit incertus, filius conditionem matris secutus est. Si vero sufficiens præsumtio patrem indicasset, paterna sorte filius gaudere debuit. Hæc sanæ rationis dictamini sunt conformia, jus naturæ autem tempore Patriarcharum Dominii normam fuisse supra adstruxi. Observant præterea recutitæ gentis magistri, quod si mater jam gravida fuerit, priusquam Dominus illam conduxerit, gnatus ad מקנת כסף, si vero in domo demum conceperit, ad ילידי בית pertineat. *Vid. Maim. Jad. Chasaka t.* 1. הלכות מילה *cap.* 1. *f.* 128. *c. b. & Joreh Deah* הלכות עברים *f.* 236. *c. a. & b.* Non dubito, quin hæc observatio multis videatur subtilis, sed vereor, ut æque solida sit, siquidem in hoc servorum discrimine non tam conceptionis, quam nativitatis tempus respicitur. Quare uterque in domo domini natus ad vernas referendus erit.

XXXV. Alteram servorum speciem constituunt ære emti, Hebræis מקנת כסף, græcis ἀργυρώνητοι dicti. Hic acquirendi mo-

modus (nimirum emtio) præ cæteris antiquitatem redolet, nec tantum Hebræis sed & Græcis fuit usu receptus. *Homerus* ejus meminit dicendo: *Odyss. lib.* XIV. v. 115. *p. m.* 402.

> Ω' φίλε τὶς γάρ σε πρίατο κτεάτεσσιν ἑοῖσιν.
>
> *O amice, quis te emit rebus suis?*
> *Conf. Iliad. l.* XXI. *v.* 39. *&* 40. *p. m.* 738.

Non defuerunt autem tum temporis, qui mancipiis negotiarentur. Etenim invidi Josephi fratres, quam primum viderunt negotiatores ea via transeuntes, protinus de fratre vendendo cogitarunt *Gen.* XXXVII. 18. *&c.* quos perfecto certos fuisse oportet, quod illi hominum mercaturam exerceant. Proinde *Philo* ipsos pro rei veritate ἀνδραποδιστὰς vocavit, *quos in alienos homines conspirasse* asserit, *in lib. de Josepho p.* 129. Experimentum quoque suæ negotiationis fecerunt, quando in continenti Josephum Midianitis, Midianitæ hunc ipsum paulo post Eunucho Regis vendiderunt, quo utrique testati sunt, se hunc puerum non in proprium usum, sed ut quæstum ex ejus venditione faciant, comparasse. Ejusmodi mercatores autem ante omnia de pretio cum emtoribus suis convenerunt. Quanti servi ea ætate fuerint æstimati, ex S. S. haud satis liquere puto. Nonnulli 30. alii 20. Siclis servos veniisse statuunt. Verum nec priores illud ante legem obtinuisse evincent, nec posterioribus favet historia Josephi, quem fratres pro 20. argenteis venum dedisse legimus. *Gen.* XXXVII. 28. Locus sua difficultate non caret, quare LXX. hoc pretium nimis vile existimantes temerario ausu pro argenteis posuerunt aureos, parique audacia *Josephus* substituit 20. minas. *Ant. Jud. lib.* II. *cap.* III. §. 3. *p. m.* 87. Qui hoc pretium fuisse juvenum ejus ætatis contendunt, siclos Sacros cum vulgaribus confundunt. Maxime credibile est, Josephum infra pretium fuisse venditum, ut mercatores ipsum illico emant. *Ita in Baal. Hatt.* הם שמכרוהו בסתר הוצרכין לזלזל בן Ipsi (memorati fratres Josephi), quia Josephum in occulto venum dederunt, coacti sunt viliori pretio eum vendere. Remotis proinde aliorum conjecturis meam de pretio servorum depromam sententiam. Videtur illud pacto demum fuisse constitutum, quia jus naturæ, quod, ut supra monui, norma fuit Status servitutis antelegalis, illud pretium non determinat, sed liberæ paciscentium voluntati relinquit quinimmo pro diversis personarum qualitatibus, statura, ætate, sexu, donis modo augendum modo imminuendum esse docet. Et quis inficias iret, servos hac in parte ob rationis paritatem mercenariis comparari posse? Mercedem autem, quæ mercenariis fuit eroganda libero dominorum arbitrio tum temporis permissam fuisse suo comprobavit exemplo Laban, qui Jacobi mercedem decies immutavit. *Gen.* XXXI. 41. Pretium, quod quis spopondit, statim solvit. Græca enim fide mercari olim fuere soliti, prout ex Josephi historia conjici potest. Addunt nonnulli servorum venditores antiquitus coactos fuisse emtori sponsionem dare, quod ipsos furati non sint, & sub his sponsionibus Potipharem ab Ismaelitis Josephum emisse. *Vid. Bereschb. Rabba. Sect.* 86. Verum nobis supra id, quod scriptum est, sapere nec licet, nec libet.

XXXVI. Vernæ non minus, quam ἀργυρώνητοι dominorum potestati fuerunt subjecti. Quis proinde Patriarchis denegaret jus disponendi de servorum actionibus? Sane dominus sine tali authoritate & servus sine obedientia concipi non possunt, quinimmo de cœlo Patriarchis hæc potestas fuit confirmata, quando Angelus *Dei* Hagarem a Sara ob severitatem aufugientem protinus redire, Matronæque in ingratis non minus quam gratis patienter obsequi jubet, *Gen.* XVI. 9.

XXXVII. Frustra injungitur obedientia, nisi contumaciam pœnis arcere liceat. Proinde Patriarchæ etiam jus habuerunt eos, qui obsequium exuerunt, castigandi. Gratis a Judæis assumitur, fuisse tum temporis dicasterium a Semo constitutum, quod ut cœteras lites ita quoque controversias domesticas dijudicaverit. *Vid. Talm. Bab. Bava Kama cap.* 8. Scriptura non modo ejus non meminit, sed & causæ decisionem Patriarchis relinquit, qui servos pro facinorum diversitate debitis potuerunt adficere pœnis. Primas autem mariti in castigatione servorum vel ancillarum fuisse partes ex colloquio Saræ cum Abrahamo liquet, ubi marito committit emendationem Hagaris dicendo: *Gen.* XVI. 5. חמסי עליך quorum verborum hic sensus esse videtur. Ancilla mea me despicit ob sterilitatem, atque ita injuria afficit. Vides, sed silentio premis. In quo inique agis. Quæ silendi causa? Nulla ne in te injuria redundat? Tu caput es, ego corpus, Tu Dominus hujus ancillæ. Hoc ne capitis, mariti, domini officium est? An non potius tibi incumbit injuriam mihi uxori ruæ illatam propulsare? Notandum autem hic est, quod nobis particula על

jus & obligationem maxime deſignare videatur. Hoc enim ſenſu in Sacris literis, *Jer.* I. 35. *Pſ.* LVI. 3. & a Rabbinis adhibetur, quibus familiare eſt illud הרי עלי *Conferri poterit phraſis illa in N. T.* αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς v. g. הרי עלי נזירות Ita in Talm. *Bava Mezia cap.* 7. quis operarios conducens eis hanc propoſuit conditionem על מנת שאין לכם עלי אלא פת וקטנית: *Hac conditione vos conduxi, ut vobis non ſit ſuper me præter bucellam panis & legumen*. Licuit tamen fœminis ex mariti conceſſione mancipia propter admiſſum crimen caſtigare, inprimis ſi fuerit ancilla eaque vel dotalis vel dono uxori data. Hinc Abraham Saræ reſpondet: *Gen.* XVI. 6. אמתך עשה לה אשר טוב בעיניך quaſi diceret: En tibi ancillam, tua eſt dominio, (poſt patrem enim matrifamilias maxime competit dominium in domeſticos) donatione, Tui enim cauſa mihi donata fuit. Tua quoque ſit diſpoſitione; fac ipſi, quod bonum videbitur in oculis tuis, ſervata ſaltem juſtitiæ & æquitatis ratione.

XXXVIII. Non licet tamen hanc poteſtatem eouſque extendere quaſi ipſum jus vitæ & necis in ſe complectatur. Hoc nec *Deus* nec natura ipſis conceſſit, nec ſine temeritatis & tyrannidis macula ſibi propria authoritate illud arrogare potuerunt. An veroſimile eſt ſeverius a Patriarchis in ſervos fuiſſe ſtatutum, quam ab Ægyptiis, penes quos ultimum ſervorum ſupplicium tum temporis fuit carcer. *Gen.* XXXIX. 20.

XXXIX. Quos non interficere, eos ſaltem alienare potuerunt Patriarchæ. Ad bona ipſorum pertinuerunt ſervi. Sed bona mea quo minus vendam, nemo prohibere poteſt. Nec injuſtitiæ idcirco accuſari poſſunt, cujus alias non minus ſe reos feciſſent ſervos coemendo. Tam ille peccat, qui malum perpetrandi occaſionem præbet, quam qui ipſum ſcelus committit. Nec infrequens fuit, eo tempore aliis mancipia donare. Ita Jacobus Eſavo ſervos & ancillas dono dedit. *Gen.* XXXIII. 17. *coll.* v. 29. *&c.* Donatio autem æque eſt alienandi modus quam venditio.

XL. Dominorum jura excipiunt ſervorum operæ. Omnes enumerare non licet, quia innumeræ & libero dominorum arbitrio relictæ fuerunt. Operam tamen dabo, ut præcipua & ordinaria fere eorundem miniſteria breviter, & quantum pote, accurare, recenſeam. Gregis curam paſtionemque primo collocamus loco, quia maxima divitiarum pars ex ovibus, bobus aliiſque animalibus conſtitit. Et fuerint Dominorum filiæ atque fili, *Gen.* XXXIV. 5. *Gen.* XXXVII. 12. *Gen.* XXIX. 9. (illi inprimis, quos *Deus* per animalium paſtionem explorare conſtituit) Subinde pecoris cuſtodes; *Schemoth Rabba Sect.* II. §. 2. 7. ולמי בוחן לצדיק יהוה צדיק יבחן ובמה הוא בוחנו במרעה צאן ברק לדוד בצאן ומצאו רועה יפה ונו': *Quem explorat? juſtum. Nam (dicitur) Dominus explorat juſtum. Quomodo explorat eum? Paſtione ovium, ita de Davide experimentum cepit grege ipſi commiſſo & invenit ipſum paſtorem dignum (pulchrum) &c.* Non fuerunt tamen ſoli. Etiam ſervis hæc cura commiſſa fuit, quare *Chriſtus* ait: *Luc.* XVII. 7. *Quis veſtrum habet ſervum paſcentem aut arantem?* Nec eſt cur ad *Chriſti* ætatem hoc reſtringamus. Etenim ex Sacris tabellis conſtat Abrahami, Iſaaci, Jacobi ſervos maximam partem fuiſſe gregis paſtores. *Gen.* XXVI. 20. XXXII. 16. Judæi paſtores diſtinguunt in primarios & ſecundarios; primarii plerumque ſecundariis ſuum detulerunt officium דאורחיה דרועה למימסר לברזיליה: *quia conſuetudo paſtoris eſt, ut gregem tradat diſcipulo ſive vicario ſuo. Vid.* בבא קמא *cap.* 6. §. 2. *& commentatores ad illum locum. Tales primarii paſtores Pharaonis in Ægypto fuerunt Jacobus ejuſque filii, qui hinc Gen.* XLVIII. 6. שרי מקנה *vocantur*. Multa fuerunt paſtorum negotia. Gregem ſuæ fidei creditam primo mane ad veſperam paſtum, *Gen.* XXIX. 7. bis de die, inprimis ante veſperam aquatum, *Ibid. conf. Ex.* II. 16. 17. ipſo meridie ad quietem ſub umbra capiendam ducere, *Pſ.* XXIII. 2. *Cant.* I. 6. de nocte excubias agere, *Exech.* XXXVI. 20. *Conf. Luc.* II. 8. *& Hebr.* XIII. 17. pecus tondere non deglubere, *Gen.* XXXI. 19. *Sic tritum eſt illud Titi ad Veſpaſ.*

Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere.

Cuique ſuum tribuere debuerunt. *Hoc nomine Rabbini Davidem laudant vid. Schemot. Rabba Sect.* II. §. 2. Maximæ eorundem moleſtiæ fuerunt, quas in compendio exhibet Jacobus: *Gen.* XXXI. 38. *& ſeqq. Arietes gregis non comedi, diſcerptam pecudem non retuli ad te, ego illud luebam, de manu mea repoſcebas furto mihi ſublatum noctu. Fui, quum interdiu me abſumeret æſtus, & gelus noctu, profugeretque ſomnus ab oculis meis.*

XLI. Paſtores ovium militiæ quoque fuerunt adhibiti, nec ſine ratione. Quid non illi, qui pro conſervatione gregis projecerunt animam, pro dominorum vita tentarent? Cur non, quæſo ii, qui lu-

lupos leonesque subjugarunt, feras dominis infestas propulsare auderent? Prudenter itaque Patriarchæ, ut se ab interitu, suaque a spolio & deprædatione vindicarent amicis denique & agnatis in casu necessitatis auxilium ferre possint, servos suos rem militarem non tam per regulas quam exercitium docuerunt. Huc spectat quod de Abrahamo dicitur: *Gen.* XIV. 14. וירק אברם את חניכיו ילידי ביתו *Clericus* inverecundus sacrarum literarum interpres loco חניכיו legendum esse חניתיו & vocem ילידי in dativo sumendam conjicit, unde postmodum hunc sensum exsculpit: Dedit Abrahamus vernis suis hastas. *Vid. ejus comm. ad h. l.* Verum an adserti rationem habet vel adducit? Nullam. An testimonio Authoris fide digni confirmat? Nullo. Num ejus varietatis aliquod in exemplaribus authenticis, vel in Masora Keri & Ketibh, Tikkun Sopherim aliisve Hebræorum Criticis reperitur vestigium? Nullum. Quare itaque voces permutat & ל notam dativi citra rationem supponit? Latet anguis in herba. Scripturam corruptionis arguere ei animus fuit. Absit proinde, ut ejus explicationi nostrum addamus calculum. Quærit equidem in eo temeritatis suæ præsidium, quod diversæ sint interpretum sententiæ de vocum significatu & genuino loci sensu. Sed an propterea Scripturæ verbis sui cerebelli phantasmata substituere & ex Sacris literis nasum cereum conficere licet? Id potius nobis incumbit, ut inquiramus in verum verborum significatum, atque sensum. Sed videamus, num quid certi possit statui. Vocem חניכים Onkelos per עולמוהי pueros ejus, Arabs per מצחא fidos, LXX. per ἰδίους, vulgatus per expeditos milites, Judæi per תלמידי חכמים vertunt. *Vid. Massechet Nedarim cap.* III. §. 2. Cum postremis quodammodo facit *Bohnerus*, qui hanc initiationem refert ad Catecheticam eorum institutionem. *In institutionibus Theologiæ Catecheticæ*. Bolducus, *in tract. de Ecclesia ante legem lib.* III. 3. explicat de familiæ suæ religiosæ in *Deo* genitis sive de alumnis sodalitatis Hebræorum, & proselytis. Verum quisquis eas versiones ad unam omnes accurato subjiciet examini, observabit illas vel contextui atque connexioni, vel vocis emphasi & usui adversari, vel nimis contortas & ex hypothesi enatas esse. Quodsi econtra hæc tria notentur, primo in loco vexato sermonem esse de militia, hisque verbis non posse non militarem Abrahami expeditionem designari, cum ejus in seqq. nulla fuerit illata mentio. 2. voce חנך ordinario notari initiationem & primum rei usum. 3. eandem pro variis subjectis, quibus tribuitur, diversis quoque modis sumendam esse, unde si ad domum refertur, ejus consecrationem, si de homine adhibetur, primum ejus tentamen dicitur, tum sua sponte patescit חניכים vocari tyrones milites, juvenes prima vice miliciæ adhibitos, prout bene observat *Gousetius*. Sed magis adhuc interpretes exercuit altera vox וירק. Arabs transtulit per הרר concivit, Onkelos per זריז expedivit armavit LXX. per ἠρίθμησε & vulgatus per numeravit. Nos cum paucis aliis ad primarium & generalem vocis significatum recurrendum esse censemus, רוק nimirum significat evacuationem, quæ postea de variis rebus prædicatur. Hic possunt commode subintelligi ædes, quas Abrahamus vacuas & destitutas reliquit partim hominibus, partim instrumentis bellicis: unde hic verbotum sensus enascitur. *Abrahamus tyrones milites suos vernas armavit*, Conf. Mal. III. 10. Lev. XXVI. 33. *& ex ædibus ad bellum eduxit*. Vid. *Abenesra* in comm. ad hunc loc.

XLII. Patriarchæ denique servorum ministerio usi sunt in suscitandis atque eliciendis fontibus. Etenim regio Canaan fuit admodum sicca, prout Scriptura præeunte, *Jud.* I. 15. veteres & recentiores historiographi uno fatentur ore. *Joh. Baptista Tavernier in Itiner. p.* I. *l.* II. *cap.* III. *p.* 60. *&* 62. *J. Vinc. Stochove Itiner. p.* 415. Pluviæ perraro deciderunt, nec multi putei sub initium fuerunt reperti. Maxima proinde aquæ penuria laborarunt, quæ eo molestior fuit, quo magis hoc elemento indigebant ad gregem potandum, suamque familiam sustentandam. Hunc tamen timorem ratione minuerunt, dum servis subinde negotium dederunt, ut reliquis operibus intermissis ad fodiendos puteos animum conferrent, *Gen.* XXI. 25. XXVI. 20. *&c.* qui postmodum aqua inventa dominis suis hoc renuntiarunt, quo puteis effossis imponerent nomen, ut ita a cæteris fontibus distinguantur. *Gen.* XXVI. 32. 33. *& alibi*. Hoc facto servi ingentem lapidem super os putei posuerunt, si loci natura situsque postularent, *Gen.* XXIX. 2. 3. & ad latus aquaticulum collocarunt, in quod aquam hydria haustum infuderunt, ut armentum, quod huc aquatum duxerunt, eo commodius potari possit. *Gen.* XXIV. 20. Casas quoque juxta fontes videntur exstruxisse, *huc refert* Almeloveenius *Gen.* XXXVIII. 14. *uvi per* פתח עינים *januam talis casæ intelligit*, *ast Camp. Vitr. in Obs. S. lib.* I. *cap.* IV. §. 10. *vertit per aperturam fontium*, tum ut homines se ab

ab injuria cœli tueri queant (Aquam enim haurire cupientibus persæpe propter populi multitudinem diu exspectandum fuit, quare etiam de ordine aquationis sortiti sunt, *vid. Cel. Schultens animadv. in Job. p.* 173.) tum custodis gratia, qui observare tenebatur, ne præter illos, quibus jus erat ad aquandum, venirent (Certi enim homines eo jure gaudebant, qui ad unum omnes dicebantur φραόρες. *Conf. Casaub. ad Aristoph. equit. p.* 79.)

XLIII. Unicum adhuc servorum officium notatu dignum restat, videlicet procreatio sobolis in usum & sorvitium Domini. Haud memini quidem expressam ejus ante legem mentionem fuisse factam. Nihilo tamen minus per legitimam consequentiam ex Scripturæ verbis infertur. Etenim in Historia Patriarcharum inter alios servos commemorantur vernæ. *Gen.* XIV. 14. XVI. 27. Vernæ sunt & servorum liberi & servi. Adhæc jus naturæ prolem servilem addicit dominis, eo quod ad accessoria parentis spectet, & hinc ejusdem sortis cum parente particeps fieri debeat. Patriarchas autem hoc salutari naturæ privilegio gavisos fuisse quis negare ausit? His aliisve præsidiis instructa positio nostra non indiget pugione plumbeo Judæorum, qui ex conditione ancillarum (quas fœminæ steriles maritis eum in finem adjunxerunt, ut sibi per ipsas excitetur semen) inferunt, Domino multo magis potestatem fuisse servos cum ancillis conjungendi, gnatisque servitutem imponendi.

XLIV. Herus hero, servoque servus est prior, prout alia servitia sunt honoratiora, alia magis necessaria. Hoc Stagiritæ enuntiatum, (*vid. Aristoteles. Pol. lib.* 1. *p.m.* 425.) *qui scribit*, τὰ μὲν ἐντιμότερα ἔργα τὰ δ' ἀναγκαιότερα καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν δοῦλος πρὸ δούλου. *Alia ministeria sunt magis honorata, alia magis necessaria & juxta commune proverbium servus servo prior:* merito servis antelegalibus adplicamus. Domini namque ejus ætatis singulis sua distribuerunt munia, & universis præfecerunt Atriensem quendam, quod institutum laudari meretur. Mancipia sunt genus hominum gratuito malum, & *vulgus servorum heros dolis deludere non dubitat*, Terent. *Andr. Act.* III. *sc.* IV. *v.* 3. quare inspectore opus est, qui absente domino attentum omnibus adjiciat oculum, reique familiaris curam gerat. Hanc spartam ornarunt in domo Abrahami Eliefer Damascenus; *Gen.* XV. 2. 3. *coll.* XXIV. 2. in domo Potiphari Josephus; *Gen.* XXXIX. 4. in domo Josephi האיש אשר על בית יוסף *Vir qui familiæ Josephi præfectus erat. Gen.* XLIII. 19.

XLV. Ad hanc præfecturam ex omni servorum numero delecti fuerunt (א) Senes, nec male; *Columella* quippe monente, *lib.* 1. *de re rust. cap.* 8. *requiritur, ut is, qui villicus instituendus, transcenderit ætatem primæ juventæ, ne authoritatem ei detrahat ad imperium, cum majores dedignentur parere adolescentulo*. Hinc Eliefer fuit & audit זקן ביתו *Senior domus*, *Gen.* XXIV. 2. id est non modo שליטא senior respectu dignitatis, sed & ratione ætatis, quia olim in dignitatis collatione potissima ætatis habebatur ratio. (ב) Prudentes. Quodsi prudentis est τὸ δυνάσθαι καλῶς βουλεύσασθαι *Aristot. Eth. Nicom.* VI. 5. nemo sanus negabit, hanc bene consultandi artem in præfecto maxime desiderari, eandemque præ cæteris calluisse illos atrienses. Declarant profecto Elieseris sermones, facta, legatio in Mesopotamiam, eum fuisse vere φρόνιμον & servile ingenium longe superasse. De Josephi prudentia quid multa commemorem? Ea in juvene adparuit, in viro pelluxit. *Quod si gubernator præcipua laude fertur, qui navem in hyeme marique scopuloso servat, cur non singularis ejus existimetur prudentia, qui ex tot tamque gravibus procellis ad incolumitatem pervenit? Sunt verba Cornelii Nepotis in vita Attici* cap. x. Nonne plurima ejus specimina præbuit solerti granarii cura e prævisa septennali annonæ caritate, non voto penuriæ, sed antidoto, non aggravationi, sed subsidio in conservationem boni publici, non compendii privati, nomine Regis, non suo dispensanda pretio æquo, non veteratorio, nec non mancipatu subdiorum regi acquisito, quo Niloticorum luxum, ignaviam, futurique incuriam mulctavit. Verum mea laude superior est, qui suæ prudentiæ encomiastas habet *Pharaonem*, *Gen.* XLI. 38. הנמצא כזה איש אשר רוח אלהים בו: *Ubi reperitur Vir sicut hic divino spiritu afflatus* & v. 39. אין נבון וחכם כמוך: *Non est vir tam prudens & sapiens, quam tu: Josephum, Ant. Jud. lib.* II. *cap.* IV. *pag.* 88. *Philonem, in tr. de Josepho, pag.* 543. aliosque (ג) Homines exploratæ fidei & probitatis. Exempla fidelitatis subministrant Eliefer, qui polliceri noluit, de quo dubitavit, an præstare possit, *Gen.* XXIV. 5. & Josephus, qui respuit fœda ministeria ab impudica muliere delegata dicendo: Non esse justum, hujusmodi sibi imponi servitium, unde emtorem, a quo tanta dignitate fuerat honoratus, contingeret injuriam sustinere. *Gen.* XXXIX. 9. 12. *conf.*

Jo-

Joseph. Antiq. Judaic. lib. II. *cap.* IV. *pag.* 89.

XLVI. Atriensis servus esse non desit. Elieser enim & Josephus nominantur servi, *Gen.* XXIV. 2. XXXIX. 17. & prior plus una vice Abrahamum Dominum suum vocavit. *Gen.* XXIV. 27. 35. 37. & alibi. Nihilo tamen minus inter cæteros eminebat, ut luna inter stellas minores. Immo cæteris omnibus fuit præpositus qui proinde ut servi ejus spectantur. Ita Jacobi filii se servos vocarunt Arriensis Josephi, qui ipse non respuit, sed sibi vindicavit hoc dominium dicendo: *Gen.* XLIV. 10. אשר ימצא אתו יהיה לי עבד: *Penes quem invenietur poculum, is mihi servus erit.* Clerico equidem hic servus heri nomine loqui videtur, quod probabile non sit, Atriensem hoc sibi juris tribuisse, ut servos haberet, qui furati essent heri utensilia. Verum cur non, quæso, is, qui Dominus erat omnium facultatum, etiam hanc facultatum partem sibi subjectam haberet? Annon servi inferiores omnia ad hujus nutum præstare tenebantur? Hoc ipsum autem servitutis essentiam constituit. Regeris ei saltem titulum Domini non fuisse dari solitum, adeoque cæteros servos non posse vocari ejus servos. De priori non disputabo. Illud saltem subinde accidit, ut servis tribuantur servi. Ita *Theophilus* Romanorum ordinarios vocat τȣ̀ς πρώτȣς οἰκέτας, vicarium autem τὸν τȣ̃ οἰκετȣ οἰκέτην. *Vid. Popma de operis servorum pag.* 14. Ex illa atriensis eminentia derivamus, quod honestiori conditione gavisus sit, quæ proinde per שרת exprimitur, *Gen.* XXXIX. 4. quodque in majori honore, quam reliqui, fuerit habitus, prout Josephus de se ipso testatur, *ibid. vers.* 9. איננו גרול בבית הזה ממני *Nemo me major est in hac domo.* Utrumque de Josepho refert Josephus *Ant. Jud. lib.* II. *cap.* IV. *pag.* 88. Ἰωσήπον δὲ πωλȣμενον ὑπὸ τῶν ἐμπορῶν ὠνησαμένος Πετέφρες ἀνὴρ Αἰγύπτιος ἐπὶ τῶν φαραῶθȣ μαγείρων τȣ̃ βασιλέως εἶχεν ἐν ἁπάσῃ τιμῇ, καὶ παιδείαν δὲ τὴν ἐλευθέριον ἐπαιδέυη, καὶ διαίτῃ χρῆσασθαι κρέιττονι τῆς ἐπὶ δȣ́λῳ τυχῆς ἐπέτρεψεν. *Josephum autem venditum a negotiatoribus comparans Petephres Vir Ægyptius, qui erat super coquos Pharaonis Regis, habebat in omni honore, doctrinamque liberalium artium edocebat, & cum meliori uti cibo, quam fortunæ servili conveniret, jubebat.* Terentius eleganter ejusmodi præfectum *familiæ columen* vocat, *ita enim in Phorm. Act.* I. *Sc.* II. *v.* 57. *p. m.* 802. scribit:

Bone custos salve columen vero familiæ.

Nam ut columen in ædificio totius culminis fastigium occupat, ita servus primarius proxime & secundum herum ipsum supremum in familia administranda locum obtinet, & ut omnes cantherii ab extremo tecto ducti undique in unum culmen conveniunt, ita familia universa ad servum primarium assidue recurrit, ventitat, illum respicit, & ex ejus consilio ac moderamine pendet.

XLVII. Primatus Atriensis ex operis potissimum, queis defungi tenebatur, elucebat. Malo hanc thesin *Abarbanelis* quam meis explicare verbis. Ita autem scribit de Josepho *in Comm. ad legem. Par.* וישב יעקב *f.* 85. *b.* הגדיל ארוניו עבודתו בשלשה דברים הא׳ שהיה משרת את ארוניו ר״ל מלבישו ומאכילו וזהו ישרת אותו והב׳ שהפקידו על כל הבית שהוא הפקיד ומצוה לכל עבדי הבית לעשות כל אחד העבודה הראויה לו לעבוד והשלישי שכל אשר לו נתן בידו כי עשאו שומר אוצרותיו ועשרו והיה מהשגחת השם שמאד הפקיר אותו בביתו על כל אשר יש לו: *In tribus Josephi herus ejus servitium eminere fecit; primo in eo, quod domino immediate a servitiis fuerit, eum nimirum induendo atque cibando & hinc dicitur. Serviit ipsi; secundo, quatenus ipsum tori familiæ præfecit* (i. e.) *ipse eum præposuit* (*cæteris*) *& servis suis domesticis universis præcepit, ut singuli eo fungantur ministerio, quod ipsi fuerit visum; tertio quod omnia, quæ possedit, in ejus tradiderit manus, eumque custodem fecerit thesauri sui & divitiarum suarum, & fuit, ut Deo providente eum adhuc ulterius præficeret domui suæ, iisque omnibus quæ ad ipsum pertinuere.*

XLVIII. Fugiat honorem, qui odit onus: Honore suo Atrienses fuere digni, siquidem molesto Oeconomorum munere defungi tenebantur. Oeconomi namque dicuntur, ὀυς κατέστησεν ὁ κύριος ὑπὲρ θεραπέιας αὐτȣ̃ τȣ̃ διδόναι αὐτοῖς τὴν τροφὴν ἐν καιρῷ, *quos Daminus constituit super famulitium suum, ut singulis* (*servis*) *alimenta præbeant justo tempore, Matth.* XXIV. 45. quique parta tueri, ne auferantur, meliorare, ne quid decrementi, sed incrementum capiant, prospicere, ne quid desit ad munditiem & vitæ necessitatem, nihilque supersit ad luxum, totam denique domum circumire, ne ignorent, quid fiat, quidve fieri debeat, servis suas assignare operas, bonorum diligentiam remunerari, petulantium malitiam vel emendare vel frangere debuerunt. Sunt, qui huc referunt nomen Elieseri impositum בן משק *Kimchi & alii Rabbini. Vid. Fullerus Misc. Sacr. lib.* III. *cap.* XV. *p. m.* 421.

421. Derivant enim vocem משק a שקק ita, ut hac phraſi notetur הולך ובא qui domi egreditur, ingreditur, ultro citroque commeat, dum rei familiaris curam agit. Sed obſtat non modo ſignificatus verbi שקק quod aſſiduitatem in officio non exprimit, at χολυπραγμασίαν, ſed & contextus. Quare aliis alia videntur, quorum ſententias recenſet *Kubnius*, *in qu. Philol. Pentade* 2. *Q.* 1. Duæ conjecturæ mihi in mentem venerunt, quas cum orbe litterato eo fine communico, ut accuratiori examini, ad quod mihi, nec vires, nec tempus, nec media ſuppetunt, ſubjiciant. Juxta primam verba illa hunc fundunt ſenſum; בן משק ביתי הוא רמשק: *Filius irrigans domum meam* (qui liberis ſuis eam fœcundam reddit & per quem prole abundat) *is eſt Elieſer Damaſcenus*. Hunc vocis ſignificatum poſtulare videtur textus. *Deus* enim Abrahamo ſemen promiſit. Abrahamus liberis hactenus orbus dubium quoddam obmovet dicendo: Quomodo illa promiſſio impleri poteſt, cum hactenus fuerim infœcundus, nec liberos habeam niſi ex ſervo meo prognatos? Radix quoque ejuſmodi ſignificatum admittit. Sive enim a שוק ſive a שקה derivetur, utrumque irrigandi notione gaudet, nec grammatica adverſatur, ſiquidem per acopopen משק pro משקה legitur ut הרף pro הרפה: Nec metaphorica illa locutio, qua irrigare adhibetur pro fœcundare inuſitata prorſus eſt. Etenim Eſai. I. 3. *Judæi ſteriles* comparantur *cum horto, cui nulla eſt aqua*, & *ſponſa cum ſcaturigine* confertur. *Cantic.* IV. 12. Cui hæc minus arrident, ei perpendendum relinquimus, annon per בן משק poſſit filius deliciarum deſignari, ita ut hunc verba exhibeant ſenſum: Filius in quo familia & domus mea delectatur eſt &c. משק enim percommode originem ſuam mutuari poteſt, a שקק ſicut מכס a כסס & ממר a מרר. Verbum שקק autem non modo diſcurrere ſed & appetere, in re quadam delectari notat. Connexio pariter hunc ſenſum non reſpuit, dum Abrahamus *Deo* proponit ſibi hactenus non alias eſſe delicias, quam in ſervo ſuo. Phraſis denique ſimilis de pueris atque ſervis adhibetur, ita *Jer.* XXXI. 20. *Deus* Ephraimum appellat ילד שעשועים ex translatione Targ. Hieroſ. *puerum delicatum*, ſive ut Græcis vocatur παίδιον ἐντρύφων. Conf. cum hoc loco *Prov.* VIII. 13. A profanis quoque authoribus pueros minutos & ſervos delicias fuiſſe vocatos probat *Caſaubonus*, *in not. ad Svet. in Vit. Aug. c.* 83. *p.* 256.

XLIX. Alia denique Arrienſium officia acceſſerunt. Fuerunt enim (א) dominorum amanuenſes, quos ad manus, id eſt, promtos paratoſque ad cultum uſumque ſuum habuerunt, quare Dominos veſtire, amictum diloricare, cibum potumque iis præbere debuerunt. Hæc eſt emphaſis illius phraſis quæ in hiſtoria Joſephi occurrit: *Gen.* XXXIX. 4. וישרת אותו & ſerviit ipſi nimirum immediate atque coram (ב) Theſaurarii, quorum fidei domini pretioſa æque ac viliora bona, quæ ruri domique poſſederunt, ut paucis dicam omnes facultates ſuas commiſerunt. In Joſephi hiſtoria plus una vice hoc traditur veluti *Gen.* XXXIX. 4. כל יש-לו נתן בירו: *Qicquid ei fuit, in manum ipſius tradidit* v. על כל אשר יש לו מאז הפקיד אותו: *Magis adhuc eum præfecit omnibus, quæ poſſedit*, conf. v. 9. &c. (ג) Arcarii, ſiquidem expenſa & recepta retulerunt. Hinc Joſephi fratres argentum pro frumento præfecto domus obtulerunt, quod mandato domini illis reſtituit, *Gen.* XLIII. 20. *&* *ſeqq. conf.* XLIV. 1. (ד) legati. Quoties enim dominis negotia ponderoſa inprimis cum abſentibus interceſſerunt, hos atrienſes tanquam legatos miſerunt ad illa peragenda. Hinc Elieſer ab Abrahamo in Syriam fuit ablegatus ad deſponſandam ipſius filio unam ex agnatis; *Gen.* XXIV. tandem (ה) tricliniarchæ, qui hoſpites excipere, neceſſaria ſubminiſtrare, eorumque negotia curare debuerunt. *Gen.* XLIII. 24.

L. Servilis induſtriæ fomes eſt pietas. Hujus poſitionis Patriarchas gnaros fuiſſe ipſe effectus atque eventus demonſtrat. Sui enim officii eſſe quam maxime exiſtimarunt, ut nexu ſibi deditos ad veritatis agnitionem perducant, & convertant. Signa & ſigilla proſelytiſmi, externa videlicet, fuerunt ea ætate circumciſio atque baptiſmus. Primus qui ſervos domi natos æreque emtos circumcidit, fuit Abrahamus *Gen.* XVII. 27. Controverſia agitatur inter eruditos, num coactioni locus fuerit, quando ſervi ſponte ad fœdus cum Deo tranſire noluerunt. Parti affirmanti præter alios Judæorum Magiſtros accedit quoque *Rabi Elieſer c.* 29. *p.* 66. *ex verſ. Vorſt.* Servi, ait, non circumciduntur in ipſorum commodum, neque ex illorum beneplacito. Ad quæſtionem illam ita decidendam, ut ab una parte exceſſus, ab altera defectus evitetur, ſequentia notanda videntur. (א) Deus Abrahamo mandatum univerſale dedit de circumcidendis omnibus maſculis ſive liberi, ſive ſervi fuerint *c.* 29. *p.* 66. *ex verſ. Vorſt.* בן שמונת ימים נמול לכם כל זכר לדרתיכם יליד בית ומקנת

ומקנת כסף מכל נכר אשר לא מזרעך הוא *Natus octo dies circumcidetur vobis, omnis masculus per vestras ætates, domi natus & aere emtus de quibuscunque alienigenis qui non (erit) ex semine tuo.* (ב) Abrahamus non potuit citra transgressionem præcepti divini quendam præputiatum in familia sua tolerare. Integra enim & sincera non est ejus obedientia, qui mandato non in totum sed ex parte obsequitur (ג) vernæ juniores invitis parentibus ab Abrahamo & Patriarchis circumcidi potuerunt, quia proles servilis non tam parentis, quam heri potestati fuit subjecta. (ד) Ἀργυρωνήτους econtra & adultos vi externa ad circumcisionem admittendam adigere non licuit, cum ita peccandi necessitas fuisset imposita. Quem quis colit invitus non melior est eo, qui sponte idolis servit: & bene monuit *Tertullianus* in Apol. cap. XXIV. *Videte nc & hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis & interdicere optionem divinitatis, ut non liceat mihi colere, quem velim, sed cogar colere, quem nolim. Nemo se ab invito cogi vellet ne homo quidem.* Quodsi proinde (ה) nonnulli circumcisioni nullum prorsus locum voluissent dare, reliquum nihil erat, quam ut in familiam non recipiantur, vel ex illa ejiciantur: Unde (ו) manifestum esse puto. Abrahami servos, quos ad unum omnes circumcisos fuisse legimus, sponte hoc fœdus iniisse. Frustra denique Judæi negant, servos hac circumcisione fœderi fuisse initiatos & populo Israelitico adscriptos. Huc spectant, quæ traduntur in Jalk. f. 23. c. a. כל העבדים שנמולו עם אבינו אברהם לא נתקיימו לא הם ולא זרעם בישראל ולמה מלן בשביל טהרה שלא יטמאהו אדוניהם במאכליהם ובמשתיהם: *Omnes servi, qui cum patre nostro Abrahamo circumcisi sunt, non fuerunt in Israele stabiliti, nec ipsi, nec semen eorum. Quare itaque eos circumcidit? propter puritatem ne polluant dominum cibis suis & potu suo.* Scriptura namque in ipsa circumcisione fœdus constituit. *Gen.* XVII. 10. Circumcisum itaque fœderatum esse dubitare non licet. Ad mandatum *Dei* omnis præputiatus ex populo exscindi debuit. *Ibid. v.* 14. Quis proinde inficias ire ausit, circumcisum populo fuisse accensendum? Baptismi originem acceptam ferimus Jacobo, qui familiæ suæ sequens præscripsit mandatum: *Genes.* XXXV. 2. הסירו את אלהי הנכרים אשר בתככם והטהרו: *Removete a vobis* Deos *alienos, qui in medio vestro, & purificate vos.* Postremam vocem non male *Abenesra* interpretatur שירצחו הגוף *ut corpus lavent*, nimirum per baptismum. Quos Patriarchæ intercedentibus his signis in fœdus cum *Deo* miserunt, iis pariter præceperunt, ut observent viam Jehovæ exercendo justitiam & jus. Nec minus spectat ad religionem, quod servos in actionibus majoris momenti adjurarint. Posuerunt autem adjurati manum sub femore dominorum, *Gen.* XXIV. 2. *conf. Ditmari Præf. ad tract. de juramentis*, quod factum vel in signum submissionis, vel ad honorem circumcisionis vel in testimonium, quod si scientes fallant per gladium femoti adjacentem, sive per sterilitatem aliosve morbos puniri velint. Suppetunt quoque specimina servilis fidei & probitatis. Ita Eliefer ardentissimo adfectu *Deum* veneratur, quo velit susceptum iter in Mesopotamiam, legationemque secundare. Nec minus Hagar supremum Numen hunc in modum fuit adlocuta: (*Gen.* XVI. 13. 14.) אתה אל ראי וגו: *Tu es* Deus *fortis providens omnibus &c.*

LI. Pietatis fructus fuit divina benedictio. Non dubitamus hanc famulitii probitatem inter præcipuas referre causas quarum ope Patriarchæ tantis abundarunt divitiis, omniaque eis feliciter cesserunt. Non fugit hoc ipsum Labanem, qui Jacobi pietati suas adscripsit opes dicendo: *Gen.* XXX. 27. יברכני יהוה בגללך *Benedixit mihi Deus propter te.* Immo Ægyptius, Potiphar scilicet, non potuit non reale ejus rei testimonium deponere, quandoquidem Josephum familiæ suæ præfecit, eo quod viderit כי יהוה אתו וכל אשר הוא עשה מצליח בידו: *Jehovam ei adesse, atque omnia, quæ fecit, secundare in ejus manu. Gen.* XXXIX.

LII. Servi, quos honore Dominos, fide fratres, eos amore & dilectione habuerunt Patres. Mite admodum & lene fuit Patriarcharum regimen (א) quoad labores. Non intolerabiles, aut minus necessarias ipsis injunxerunt operas, nec iis ad luxum vel pompam, a qua maxime fuerunt alieni, sed ad rei domesticæ & pecuariæ curam usi sunt. Ipsi subinde manus admoverunt. Ita Abrahamus, qui satis amplam servorum familiam aluit, ipse divinis hospitibus aquam ad pedes lavandos attulit, cibos præparavit, adposuit, atque convivis aperto capite serviit *Gen.* XVIII. 6. *& seqq.* quo ipso tamen suam hospitalitatem simul commendare voluit. (ב) quoad τὰ ἐπιτήδεια victum & amictum nec non cætera, quorum usus est in vita, quæ omnia ipsis abunde suppeditarunt. *Vid. Maim. Jad. Chasaka. T.* IV. הלכות עבדים *cap.* 9. *f.* 148. (ג) Quoad jus servorum quod æqua-

æqualitate naturæ & judicii permoti non ſpreverunt, prout Jobus, qui circa illa tempora vixiſſe videtur, de ſe teſtatur. *Job.* XXXI. 13. *quem locum Maimon. loco cit. explicat* : לא יבזהו ביד ולא בדברים לעבדות מסרן הכתוב ולא לבושה ולא ירבה עליו צעקה וכעס אלא ידבר עמו בנחת וישמע טענותיו וכן מפורש בדרכי איוב הטובים שהשתכת בהן אם אמאס משפט עבדי וגו׳ : *Non confundet eum vel poteſtate ſuæ*, (ſive facto) *vel verbis. Ad ſervitium enim, non pudorem Scriptura eum tradidit* (aut ejus addictionem permiſit) *nec multiplicabit ejus clamores & indignationem ſed loquetur cum ipſo ſuaviter* (ſive ſubmiſſe) *& audiet rationes ejus, veluti exponitur in bonis Jobi viis, ob quas laudatus fuit. Si ſprevero judicium ſervi mei &c.* (ד) Quoad caſtigationes. Haud equidem nullo remedio contra contumaciam uſi ſunt : veruntamen caſtigationes & modicæ & moderatæ fuerunt. Delicta ſuppliciis coercuerunt, veluti Sara Hagarem adflixit, *Gen.* XVI. 6. id eſt caſtigavit ad ſuperbiam ejus imminuendam & contumaciam emendandam; ultima nihilo minus, qua eos adfecerunt, pœna fuit ejectio ex familia. *Gen.* XXI. 14. Neminem interfeciſſe leguntur. (ה) quoad eorum bona, quæ ipſis non abſtulerunt ſed adauxerunt partim donationibus, partim legationibus. Patriarchis enim in more poſitum fuit, nulla prole relicta ſervos, ſeniores in primis, hæredes inſtituere, eorumque liberis legata relinquere. *Gen.* XV. 2. 3.

LIII. De duratione ſervitutis antelegalis pauca dicenda ſuperſunt. Servitus ea ætate perpetua fuiſſe videtur. Nam Patriarcharum ſervi mancipia fuerunt, quæ in dominorum poteſtate ad ſupremum vitæ halitum permanere tenentur. Nec manumiſſio legalis tum temporis obtinuit, quippe quæ poſtea demum fuit inſtituta: Veruntamen, cum quilibet ſuo juri pro lubitu renuntiare poſſit, manifeſtum eſt, ſervos a Patriarchis manumitti potuiſſe & quidem ſine libello dimiſſionis ſola voluntatis declaratione, qua ipſos liberos pronuntiarunt. At fuit ſubinde manumiſſio non tam præmium quam pœna prout ex Hagaris exemplo conſtat, quæ propter petulantiam Iſmaelis ex domo Abrahami fuit ejecta. *Gen.* XXI. *v. cit.* Jus manumittendi vel ejiciendi mancipia penes viros, non fœminas fuit, niſi forte ſervi ad uxoris dotem pertinerent. Hinc Sara Abrahamum rogavit, ut Hagarem ejiciat, quod ſub initium renuit, poſtea tamen ex mandato *Dei* fecit. *Ibid. v.* 10. *& ſeqq.* Cæterum & illud notatu dignum eſt, nonniſi hoc unicum dimiſſionis exemplum extare, ſiquidem hoc ipſum declarat tam ſervorum probitatem, quam Dominorum clementiam & lenitatem.

N O T Æ.

(1) Ipſi enim fuerunt ſervi & exules *Liv.* Ant. Rom. l. 1. p. 8. *Plut.* in vit. Rom. p. 22. nec victos ſubjugare ipſis licuit Id. Ibid. Conf. *Tac.* Annal. lib. XI. c. 24. p. 123. & *Dion. Halic.* Ant. lib. 11. p. 88. Ed. Sylb.

(2) *Athen.* loc. cit. conf. *Diod. Sic.* in excerptis Peireſc. p. 263. & *Appianus* bell. civ. lib. 1. p. 354.

(3) Vid. *M. Fleury* van de Zeeden der Iſraeliten. pag. 59.

(4) Extat in Par. Miſchp. f. 144. c. 2. ed. Hanov. Conf. *Henr. Hotting.* de Heb. leg. p. 55.

(5) Ex. v. 21. VII. 10. Conf. *Geyer.* in Pſ. 139. & *Heeſer* in Propr. crit. ad vocem עבר.

(6) Mich. VI. 4. Exod. XX. 2. Ineptit *Novarinus*, qui per עברים etiam Dominos intelligit. Phraſis בית עברים hoc non evincit, utpote in qua concretum pro abſoluto ponitur.

(7) Agri, de quibus v. 12. agitur, non fuerunt Iſaaco proprii, ſed videtur illos ad certum tempus conduxiſſe.

(8) Vid. Luc. XII. 42. *Ælian.* Var. Hiſt. lib. 11. cap. 2. p. m. 63. & Cel. *Elſnerum* in Obſ. ad loc. modo cit. p. 235.

(9) Vid. *Pignor* in tract. de Serv. Rom. p. 41. 42.

(10) In Gloſſ. ad Script. med. & inf. lat. T. III. p. 828.

(11) In V. T. Gen. XIV. 12. XXII. 3. 2. Reg. IV. 22. a LXX. fere ubique Gen. IX. 26. 27. XII. 16. &c. In N. T. Matth. VIII. 6. coll. Luc. VII. 2. ad quem l. vid. *Dougt.* in Anal. Sacr. N. T. exerc. 33. & *Elſnerum*. A græcis Authoribus ut *Polluce* Onom. III. 8. &c. A Latinis vid. *Bulenger.* conviv. L. IV. 7. *Gonſal.* ad Petr. p. 72. *Spanh.* ad Callim. pag. 52. Ettam a Germanis olim ſervus nuncupatus fuit knave, quod a Saxonico cnapa vid. *Henr. Spelmanni* Gloſſ. Arch. p. 346.

(12) In Sepher Scharſchim voce נער.

(13) Vid. *Maſſon* dans l' Hiſtoire Critique de la Republique des Lettres T. 2. Art. 1. p. 54.

(14) Ex. XXII. 5. ad quem locum *Abarb.* f. 150. בחורים אשר כח בהם לעמוד לשרת באותו הזבחים שהיו מקריבים פרים גדולים : *Juvenes electos, qui ſufficienti robore inſtructi erant ad miniſtrandum in ſacrificiis, eo quod offerrent magnos juvencos.*

(15) *Sveton.* in vita Jul. Cæſ. c. 47. p. 63.

(16) Vid. *Grot.* I. B. & P. L. III. c. XIV. §. 5. & in Comm. ad Matth. VIII. 6.

(17) Cant. VII. 10. & hinc Targ. vertit per תאובת Kimchi per תאוה חושק.

(18) Ita Rabbini Jevamot. f. 62. b. reddunt תשמיש deſiderium concubitus.

(19) Hinc *Abeneſra* תשוקתך משמעתך והטעם שתשמעי כל אשר יצוה עליך כי את ברשותו לעשות חפצו h. e. תשוקתך *Obedientia tua, ſenſus proinde eſt : Obedies ipſi in omnibus, quæ tibi præceperit, eo quod ſubjecta his ejus poteſtati ad faciendum ejus beneplacitum.*

(20) 1. Cor. XI. v. 5. &c. Non poſſum hic ſubſcribere Doct. *Cremero* qui in prodr. Typ. p. 82. per ἐξυσίαν comam intelligit eamque pro ſigno poteſtatis non quidem in fœmina ſed in viro habet. Nam 1. quod ἐξυσία non comam denotet inde apparet, quia Apoſtolus κεφαλὴν ἀκατακάλυπτον a τῇ ἐξυρημένῃ diſtinguit, & non tam calvum quam nudum caput prohibet, nec patrocinantur ipſi v. 14. 15. in quibus argumentum a pati continetur. 2. Nihil obſtat, quo minus pro ſigno ſubmiſſionis babeatnr. Nam (α) notatur velamen mulieris, quod differt a pileo; ſalva proinde manet ipſius aliorumque ſententia, qua pileus pro ſigno libertatis habetur (β) notatur tale velamen, quo ipſa facies ſimul obtegitur; hæc enim emphaſis eſt vocis κατακαλυψέσθαι, jam vero nec ipſe negat tale velamen ſubmiſſionem ſignificaſſe, nec negare poteſt ob *Ex.* III. 16. *Jeſ.* VI. 11.

(21) Vid Pirke *R. Eliefer* cap. XXIII. p. 52. ex verf. Vorft. Fabula ibi *R. Tzadok* adfcribitur.

(22) Hoc bene obfervavit *Conftant. L'Empereur* ad Jachi ad. in Dan. p. 186.

(23) Injuriam faciunt Pontifici Romano, qui ipfius titulum ex hoc loco derivant. Nam (א) Pontifices non fimpliciter fe vocant fervos fervorum, fed fervos fervorum *Dei*, ut bene obfervat *Corn.* a *Lapide* ad *Gen.* IX. p. 135. (ב) Patres etiam ufi funt hoc titulo ita *Auguftinus* in Ep. ad Vitalem de orando fe fervum *Chrifti*, & per ipfum fervum fervorum ipfius vocavit. Conf. *Barthius* adverf. lib. 29. cap. X. p. 1373. (ג) Quivis optimus verborum fuorum interpres jam vero ipfi nunquam de fervitute maledicta, fed humili, fideli, titulum illum interpretantur, quoad hiftoriam vid. Diff. *Mayeri* de hoc titulo & Gloff. Med. & inf. lat. Tom. III. p. 841. ad tit. fervus fervorum *Dei*.

(24) Vid. *Abarb.* Par Noach. f. 39. b. & *Petr. Martyr.* in comm. ad h. l.

(25) In Michlal. Jophi Par. Noach. f. 5. c. a. Edit. Amftel. Notandum enim eft, quod apud Hebræos fubftantivum fe ipfum vel aliud ejus Synonymum regens auxefin & fuperlativam locutionem inferat. Vid. Andr. *Sennert.* Diff. de Idiotifmis linguarum Orient. Sect. I. can. X.

(26) In Par. Noach. l. cit.

(27) In not. ad h. l. & Job. XX. §. 10.

(28) In ביאור על התורה Par. Noach. f. 16. c. 6. Edit. Wilmersd.

(29) Vid. *Rab. Sal. Ben Melech.* Par Noach. fol. 5.

(30) In Rofario Perfico cap. I. p. 134. & 135. Edit. Amft.

(31) Lib. 5. ff. de contr. emt.

(32) *Sen.* Epift. XLVII.

(33) Lib. 2. §. 2. ad Legem Aquiliam.

(34) *Homerus* Odyff. lib. XVII. v. 323. 314. p. 502. Conf. *Longin.* de fubl. Sect. 43. pag. 231. Edit. Toll.

(35) Lib. 122. de R. I.

(36) Inft. lib. I. tom. 6. §. 7. lib. 106. ff. de R. I.

(37) Lib. 176. ff. §. I. eod. I. Conf. lib. 56. §. 3. C. de Epifc. & Cler.

(38) Vid. *Reinhard* ad Lipf. Pol. lib. 2. c. 2. §. II. num. 4. & ad ejufd. lib. 5. cap. 59. §. 15. num. 3.

(39) In fœdere gratiæ Tom. II. p. 372.

(40) Dans l'Hiftoire Critique Livr. I. ch. XI.

(41) In Ephemerid. Sacr. earumque vind. pag. 205.

(42) Hoc placuit *Jofepho* Ant. Jud. lib. I. c. VI. §. 4. p. 31.

(43) Ita fentiunt *Abulenfis*, *Chryfoftomus*, & alii.

(44) Vid. *Gennad.* in Cat. Græc. Fumani ad hoc loc.

(45) Potiffimam hanc rationem allegat Cel. D. *Melchior* in Diff. IV. de muliere adulterii fufpecta Th. 3. §. 6. Lubet huc pauca fubjicere ad vindicandam juftitiam pœnarum hæreditariarum. Putamus autem fequentia notanda. I. In judiciis divinis effe feveritatem non fævitiam. II. Severitatis Exempla in N. T. fuiffe data Rom. IX. & alibi. III. Hanc feveritatem effe fine omni injuftitia, quia judicium *Dei* eft fecundum veritatem. IV. Aliam effe pœnam fenfus, aliam pœnam damni, priorem in pofteris rarius habere locum. V. In pœnis damni aliam, quæ bono temporali, aliam, quæ fpirituali privat. VI. In fpiritualibus aliam, quæ neceffaria ad falutem, aliam quæ media externa aufert. VII. Aliud quid effe pœnam, ubi præter dolorem ex parte *Dei* vindicta in peccata, quam ordo juftitiæ poftulat, & ex parte hominis in totum contraria voluntas accedunt, aliud effe damnum in bonum finem tendens Hebr. XIII. 10. 2. Sam. XII. 23. VIII. Neminem effe fine peccato, faltem originali. Gen. VI. 5. IX. Accedere fæpius malum actuale & habituale, quod oritur ex concupifcentia carnis, mala educatione, malove exemplo. X. Aliud effe damnum illatum fine peccato, aliud ex peccato. XI. Diftinguendum effe inter caufam impulfivam & occafionalem. Peccata liberorum caufam impulfivam, parentum vero occafionem tantum effe eorum judiciorum, quæ liberos manent.

(46) Notari hic meretur canon, quem viri docti in Prophetiarum interpretatione commendat. Futura quandoque prænuntiantur forma optandi & imprecandi, vid. Auth. cit. a Cel. *Rambachio* in Inft. Herm. Sacr. lib. IV. cap. I. in not. ad §. 7. pag. 745.

(47) Proinde ineptiunt *Saresberienfis* & Thom. *Morus*, quando prior lib. IV. Policrat. pofterior lib. II. Utop. p. 198. venationem vix homine, nedum Chriftiano, minus Principe dignam cenfent.

(48) De venatione animalium Gen. XXI. 3. hominuminum Thren. III. 32. IV. 18. adhibetur

(49) Vid. Gen. VI. II. & conf. *Mart. Delrio* in adag. Sacr. p. 17.

(50) In Orig. Bab. Diff. 7. ubi contendit, verba de fola animalium venatione explicanda effe.

(51) Vid. I. Sam. II. I. & conf. *Fullerus* in Mifc. Sacr. lib. I. c. I. IV.

(52) Vid. *Diodorus Siculus* Rer. Ant. lib. III. c. I. p. 118. & p. 129.

(53) Vid. Idem ibidem p. 149.

(54) Ita fentiunt *Joh. Saresberienfis* lib. I. Policrat. cap. IV. p. 13. & lib. VIII. p. 559. *Pererius* lib. XV. in Gen. *Rittershufius* in fcholiis ad Oppianum aliique.

(55) Dial. 2. 2. in navig. feu vot. p. 667.

(56) *Herod.* in Euterpe lib. II. cap. 15. p. 103. Iungermanni.

(57) Vid. Pirke *R. Eliefer.* cap. 27. pag. 61. ex verf. Vorft. Jalk Par. לך לך f. 29. c. b. & R. *Sal. Ifaac.* ead. Par. f. 9. cap. 4. Ed. Venet.

(58) Ita *Clem. Alex.* Strom. lib. VI. XI. p. 781.

& 781. Verba latina dabo : *Dicunt Dominici quidem signi typum, quod ad figuram attinet, esse elementum, quod significat trecentos nempe T, Iῶτα, autem & ἦτα* (quæ denotant octodecim) *significare nomen salutare* Ἰησοῦν *significari ergo eos esse Abrahæ domesticos, & ei conjunctos, quod ad salutem attinet, qui ad signum & nomen Domini confugerunt, & superasse eos, qui in captivitatem adducebant plurimas gentes infideles, quæ eos sequebantur*.

(59) Vid. ejus opera & in illis lib. de conf. ling. pag. 350.

(60) Vid. *Marc. Anton.* de rebus suis lib. I. §. 16. & *Mer. Casaub.* in not. ad h. l.

(61) Vid. Diss. meam I. de Serv. §. 23. Add. *Abarban.* f. 153. cap. I.

(62) Vide de his juribus infra quædam notata.

(63) Lev. XXV. 39. Hinc mercenarii a Judæis distinguuntur in diurnos, nocturnos, mercenarios horaruum septimanæ, mensis & anni.

(64) Job. VII. 2. conf. Deut. XXIV. 14. 16. & *Maim.* hilch. Schechirut. cap. XI. §. 2.

(65) *Homerus*, ut docet *Everard. Feith.* Ant. Hom. lib. 2. cap. 17.

(66) Wilh. Baro a *Schroeder.* in seiner Fürstl. Schatz-und Renth-Kammer & alii.

(68) Ita *R. Becchai* Par. לך לך f. 22. cap. 6. edit Cracov. similiter. *Crot.* & *Vitr.* in Comm. ad Apoc. XVII. 13.

(69) In Zemach. *David.* f. 996.

(70) Lib. Quodsi §. qui mancipia ff. de Ædil. Edict.

CAPUT II.

De statu servitutis Legali.

SECTIO I.

Continens Observationes quasdam generales.

I. Servitutis facies per legem paululum fuit immutata, prout reipublicæ ratio & utilitas postulavit. Ex paucis Patriarcharum familiis ingens populus fuit enatus. Crescente numero crevit malitia, nec potuisset integra omnium potestate vel fratrum dignitas, vel salus reipublicæ salva sartaque manere. Sui proinde juris esse meruerunt Patriarchæ, qui sponte officium fecerunt, non posteri, quos libertate abusuros esse probabile fuit. Horum tyrannis per Magistratum vel emendari vel frangi debuit. Prioribus sat normæ fuit ratio, ad quam suum unice composuerunt Dominium. Sed cum rationi prævalerent affectus, lex fuit ferenda improbis, qua ad justitiam & æquitatem exstimulentur. Frustra Patriarchis prohibita fuisset fratrum oppressio, quorum nulla tum fuit subjugatio, sed instituta republica, in qua populares nativam libertatem potuerunt amittere, servorum cura supervacua censeri non debet.

II. Quis fuerit servorum sub lege status, leges a *Deo* latæ & a Mose consignatæ nos edocent. Parum interest, ad quam classem illas referamus. Occurrunt in illis, quæ ad mores spectant, veluti lex de lenitate & clementia erga servos observanda &c. Possunt aliæ cæremoniales dici, ut leges de servi perforatione & privilegio Jubilæi. Maximam tamen partem forenses fuisse quis inficias iret? *Jobus* appellat jus servorum. *Job.* XXXI. 13. Sed jura ad forum spectant. Alibi vocantur משפטים, *Exod.* XXI. I. qua voce ut in genere judicandi actus, *Ps.* I. 5. *& alibi*, vel judicii norma, sive lex, *Jerem.* LII. 9. ita in specie judicia forensia, non est, cur a sententia *Bezæ*, *Coccei*, *Burmanni*, aliorumque discedamus. *Vid. Deut.* IV. 8. 13. 14. II. *Chron.* XIX. 10. notantur. Iis enim, qui nullam inter מצות חקים & משפטים differentiam agnoscunt, *ut Deyling. Obs. Sacr. p.* 2. *Obs.* 24. *& Joh. Jac. Cramer in* גואל ישראל *Lib.* I. *cap.* I. accedere religioni duco, quia omnes ταυτολογίας ex Sacris literis eliminandas esse judico.

III. Digitum *Dei* vel in eo agnoscimus, quod in judiciis primo compareat loco

loco jus ſervi Hebræi. Errat *Lutherus*, *in præf. ad libros* V. T. qui Moſen confuſe, nullo certo ordine leges tradidiſſe putat, ejuſque rei hanc rationem allegat, *quod liber Moſis ſit forma & imago politicæ vitæ, & in eo omnia ita deſcribantur, prout in politia geri ſolent*. Accuratius inſpecta lege ordinem obſervamus, & hinc *Deum* authorem ordinis, ejuſque ſapientiam deprædicamus. Vidit hoc ipſum *Abarbanel*, qui propterea quærit, *in Comm. ad legem Par. Miſchp. f.* 178. cur jura ſervi præferantur reliquis? & duas ibidem adducit rationes 1. moralem, nimirum ut Judæi ex domo ſervitutis a *Deo* educti meminerint ſervos Hebræos ad perpetuum ſervitium cogendos non eſſe 2. myſticam, quia hoc judicium eſt fundamentum innovationis mundi. Mihi videtur illud judicium ideo præmiſſum eſſe, ut homines videant, quantum de ſervis deſpectis ad Deorum ſummum cura pervenerit; judices diſcant jus omnibus æque dicere nec ingenuos ſervis præferre juxta illud monitum ſupremi Legislatoris: *Deut.* I. 17. לא חכירו פנים כקטן כגדל חשמעון: *Non eſtote* προσωπολήπτοι *in judicio, æque parvum ac magnum auditote*. Denique ut Iſraelitæ ſervitutis Ægyptiacæ & divinæ ab ea liberationis memores tyrannidem exuant, ſuæque libertatis vindicem imitentur; tandem ut ſervi injuria ab Heris adfecti, ſe judicem in cœlis habere cogitent, ſeque hoc ipſo ſolentur, quod ejus cura & providentia præ cæteris digni ſint.

IV. Prima hominum apud Judæos diviſio erat in liberos ſervos & libertos. *Aliis quoque gentibus hoc diſcrimen receptum fuiſſe docet* Juſtinianus *Inſt. tit. de libert.* Jure gentium tria hominum genera eſſe cœperunt, liberi; & his contrarium ſervi; & tertium genus, libertini, qui ſervi eſſe deſierunt. Liberi dicuntur, qui qua privati ſui fuerunt juris, nec alterius imperio paruerunt. Proinde ſubditi regum, licet eorundem mancipia fuerint, (1. *Sam.* VIII. 11. &c. *Conf. Illuſtris* Thomaſius *in Diſſ. de hominibus propriis & liberis Germanorum* §. 35. *pag.* 19.) quia privati tamen manſerunt liberi. Servi audiunt, quotquot privati cujuſdam imperio & voluntati corpus vel actiones ſuas ſubjecerunt. Liberti appellantur, qui juſta ſervitute finita priſtinam libertatem recuperarunt.

V. Hebræi nullo non tempore libertatis tam publicæ, quam privatæ maxime fuerunt ſtudioſi. Quot querulas voces ejus cauſa ad *Deum* miſerunt? *Vid. Jud.* III. 9. 15. IV. 3. VI. 7. *& alibi.* quot prælia ſuſceperunt pro libertate communi? *Liber Judicum illis refertus eſt.* Quantum de illa gloriati ſunt ſub ipſo Romanorum dominatu? *Liberi ſumus*, ad *Chriſtum* dixerunt, *Joh.* VIII. 33. *nec ullius ſervi unquam fuimus*. Quam ſollicita fuit muliercula illa in tuenda libertate filiorum ſuorum? Non habuit, quo ſibi ſuiſque filiis reperiret vitam, nihilominus miſeram libertatem auræe ſervituti longe prætulit. 2. *Reg.* IV. 1. *& ſeqq.*

VI. Juſtum fuiſſe hoc libertatis deſiderium quis dubitaret? Omnes perfectionem & dignitatem noſtri ſtatus conſervare & promovere ſtudemus. Nulli genti conveniens viſum fuit, ut citra rationem natura pares fiant fortuna impares. Judæi inprimis mala ſervitutis fuerunt in Ægypto experti. Jugum hominum *Dei* ſervis, ſemini Abrahæ non potuit non intolerabile eſſe. *Vid. Lighfotus in horis Hebr. ad Joh.* VIII. 33. & *Seldenus in Jur. Nat. & Gent. lib.* VI. *cap.* 19. *p.* 816. *& ſeqq.* Privilegia libertatl annexa nemo citra facinus ſpernere potuit. Tandem libertas temporalis præfiguravit ſpiritualem. Prioris neglectus fuit poſterioris contemtus.

VII. Verum juſto huic deſiderio non fuit adcommodatum Judæorum ingenium pluſquam ſervile. Mendicitas & aſſentatio quid ſunt niſi ſervilis animi notæ & characteres? His fuiſſe Hebræos notatos *Juvenalis* refert. *Sat.* VI. Prodiderunt quoque ingenium ſuum, quando præ minimis moleſtiis libertatis in deſerto ſociis præoptarunt ſervitutem Ægyptiacam, ſeque ſuis ſceleribus plus una vice libertate, quam maxime voluerunt reſtitutam, indignos reddiderunt; & libertatis pertæſi Regem poſtularunt. Nullam proinde injuriam ipſis facit *Cicero*, quando *gentem* vocat *ſervituti natam in Orat. de Prov. conſ. cap.* 5. *p.* 455. *T.* 5. *ed. Græv.* Nam & ipſe Apoſtolus gentium Judæos cum Hagare ancilla Ægyptiaca comparavit, *Cal.* IV. 25. & *Deus* huic indoli ſuum attemperavit Dominium.

VIII. Vides proinde rationem, cur *Deus* ſervitutem in republica Iſraelitica juſtis potius cancellis circumſcribere, quam penitus interdicere voluerit, quod ipſum luculentius apparebit, quando ad varia ſervorum genera, beneficia, officia, incommoda, diverſos acquirendi & manumittendi modos noſtros convertimus oculos.

IX. Servi Hebræorum a Gentilium pediſſequis fortuna; (*vid. Abarb. Par. Michp. fol.* 177.) ab ancillis ſexui a miniſtris publicis quoad ſtatum, negotia, & dominos, a ſe invicem, variis differunt modis. Primaria tamen eorum diſtinctio eſt, qua diſtinguuntur in ſervos Hebræos, qui

qui ex Hebræis parentibus prognati fuerunt, & exteros, qui aliunde ſuum traxerunt ortum: *Vid. Ex.* XI. & *conf. Lev.* XXV. 35. 44. Ab Hebræis incipiemus & poſtea de Cananæis quædam adnotabimus.

SECTIO II.

De Servis Hebræis & quidem privatis juxta S. S. delineatis.

I. QUinam fuerint modi ſervos Hebræos acquirendi primo *κατ᾽ ἄρσιν* ſecundo *κατὰ θέσιν* demonſtrabo.

II. Iſraelitæ in bello hoſtili capti ab exteris ad ſervitium ſubeundum juſte potuerunt obligari. Hic enim valet communis victoriæ lex a *Paulo* & *Petro* propoſita: *Rom.* XIII. 5. 2. *Petr.* II. 19. *A quo quis vincitur, ejus ſervus eſſe tenetur*. Quocum convenit, quod legatus Athenienſium apud *Thucydidem*, *lib.* V. *fere circa finem*, dixit: Ἡγούμεθα γάρ τε, τῇ θεῶν δόξῃ, τὸ ἀνθρώπειον τε σαφῶς διαπαντος ὑπὸ φύσεως ἀναγκαίας, οὗ ἂν κρατῇ, ἄρχειν. *Exiſtimamus autem, & divinitus conſtitutum videri, & ita rationem comparata eſſe vitæ naturæque humanæ, ut is haud dubie ei dominetur, quem vicerit*. Et quis negaret, quod juxta jus naturæ & gentium par pari referre liceat? Jam vero licuit Iſraelitis gentiles captos facere ſervos, quidni idem licuerit aliis gentibus in Iſraelitas? Proſtant qucque Exempla. Puella enim ex terra Iſraelis a Syris abducta admintſtra fuit uxori Naamanis. 2. *Reg.* V. 2. 5.

III. Econtra Iſraelitæ in bello civili devicti nec in captivitate diu retineri, nec ad ſervitium populari addici potuerunt. Idcirco Propheta Hoded nomine *Dei* Iſraelem ex bello contra Judam victorem redeuntem hunc in modum alloquitur. 2. *Chron.* XXVIII. II. השיבו השביה אשר שביתם מאחוכם *Reſtituite prædam* (id ſt, tum captivam multitudinem, tum ejus bona) *quam abduxiſtis ex fratribus veſtris*. Ex poſteris Judæorum Eſſeni maxime a fratrum ſubjugatione alieni fuerunt *Joſ. A.* I. XVIII. 2. *p. 618*. Romani in bello civili captos nonniſi proſcripſerunt: *Vallejus Paterc. Hiſt.* II. 28. Græcum Græco ſervire prohibuit *Plato*; *vid. Euſeb. in Præpar. Evang. lib.* XII. *cap.* 24. Similiter Illyrii, Triballi & Bulgari a violenta popularium ſubjectione abſtinuerunt, ut ex Gregora refert *Grot. in* I. B. & *p.* III. VII. 9. Nec Muhamedani Sodales bello captos ſervire cogunt *Busbequius Epiſt. Exot.* III. Chriſtianos a Chriſtianis devictos non amplius ſervos fieri conſtat ex *Rec. Imp. de* A. 1570. *Art.* 95. Huic mandato Iſraelitæ promte non minus ac generoſe fuerunt obſecuti, ut ſubſequens hiſtoria docet. Et oportet hanc legem de captis fratribus non ſubjugandis jam ante Achazi tempora innotuiſſe. Alias non potuiſſet Propheta citato loco eos, qui tale facinus meditati fuerunt, tanto zelo coarguere, & divinæ indignationis reos agere. Nam lex non publicata neminem obligat. Expreſſa quidem ejus mentio in Pentateucho non exſtat; Sed quid obſtat, quo minus dicamus eam incluſam fuiſſe generali mandato: *Lev.* XXV. 42. 43. לא ימכרו ממכרת עבד לא תרדה בו בפרך *Ne vendas eum venditione ſervi, neve affligas ipſum per potentiam* id eſt, vel violenta ſubjugatione vel ſævo dominio.

IV. Quiſquis in rationem legis ſedulo inquirit, & legis æquitatem & Legislatoris prudentiam demirari tenetur. Æquum profecto fuit, ut *Dei* ſervi quantum pote a jugo hominum liberi, & fratres, qui unum duxerunt ſanguinem, ſtatu permaneant æquales. Salutarem quoque fuiſſe hanc legem, non eſt, cur negemus. *Pirke Avot.* מרבה שפחות מרבה זמה מקנה עבדים מרבה גול *cap.* 2. §. 7. *Qui multiplicat ancillas, adauget malas machinationes, qui ſervos multiplicat, promovet rapinam*: Multitudo ſervorum, diſcordia fratrum, intolerabile populorum dominium, ad ruinam reipublicæ viam ſternunt. *Chryſoſtomus lib.* II. *de providentia*. Οἶσθα δὲ ὅτε πανταχοῦ μὲν ἡ δουλεία πικρόν· ὅταν δὲ τις παρὰ τοῖς ὁμοτίμοις τὰ τῶν οἰκετῶν ὑπομενεῖν ἀναγκάζεται, ἀφορητὸν γίνεται. *Noſti autem ſervitutem, cum ſemper moleſta ſit, tum demum videri moleſtiſſimam, quando quis propinquis & paribus ſervire cogitur*: Ea proinde præcavere prudentis legislatoris eſt.

V. Hebræi quatuor modis nativam libertatem amiſerunt, & in ſervilem ſtatum pervenerunt (א) Spontanea ſui mancipatione, *Lev.* XXV. 39. *coll. Deut.* XV. 11. (ב) fori addictione, *Ex.* XXII. 2. (ג) Patris venditione, *Ex.* XX. 7. (ד) ſervili nativitate. *Ex.* XXI. 4.

VI. Hebræis petmiſſum fuit ſeipſos in caſu extremæ neceſſitatis popularibus addicere: *Lev.* XXV. 39. כי ימוך אחיך עמך ונמכר לך *Si attenuatus*, h. e. ad extremam paupertatem redactus fuerit; מוך enim ſignificat attenuatum eſſe tum potentia, tum facultatibus, & convenit cum דלה, דלל *Frater tuus tecum* (id eſt, qui tecum in una rapublica degit,) & *tibi venditus*. Hac permiſſione *Deus* declaravit & miſericordiam ſuam, qua pauperi medium vitam conſervandi ſupereſſe voluit, & juſtitiam, qua negligentiæ & igna-

ignaviæ pœnam ſtatuit ſervitutem, quo ſenſu *Salomo* ſcribit: *Prov.* XXII. 7. עשיר ברשים ימשל: *Dives pauperibus dominabitur*. Græcis antiquitus ſpontaneam venditionem non fuiſſe receptam teſtatur Tymæus Tauromenites apud Athenæum. Οὐκ ἦν πάτριον τοῖς Ἕλλησιν ὑπὸ ἀργυρωνήτων διακονεῖσθαι. *Non fuit uſitatum Græcis ab ære emtis miniſtrari*. Primi Chii barbaros ſervos pecunia numerata mercati ſunt, quare iram Deorum contraxiſſe dicuntur. Poſtea tamen in Græcia idem invaluiſſe narrat *Dio Pruſæenſis Orat.* XV. μύριοι δήπου ἀποδίδονται ἑαυτοὺς ἐλεύθεροι ὄντες, ὥστε δουλεύειν κατὰ συγγραφήν. *Innumeri, cum liberi ſint ſe in ſervitutem dant ut ex contractus formula ſerviant*. Romanis ſpontaneam ſui addictionem permiſſam fuiſſe *Seldenus in* I. N. *&* G. *lib.* VI. *cap.* 7. *p.* 738. *&* *Sigon.* A. R. I. 6. *obſervant*. Germanis idem licuiſſe refert *Tac. de mor. Germ. lib.* XXIV. De Gallis audiamus *Jul. Cæſarem lib.* VI. *p. m.* 209. *Plerique ex plebe, quum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premuntur ſeſe in ſervitutem dicant nobilibus. In hos eadem omnia ſunt jura, quæ Dominis in ſervos*. Ex his omnibus conſtat apud alias quoque gentes hoc paupertati reliquum fuiſſe remedium.

VII. At nemo gratis intolerabile ſervitutis jugum in ſe ſuſcepit; pro certa pecuniæ ſumma ſeipſos vendere fuerunt ſoliti. Hinc ſervus כספו *argentum* domini, *Ex.* XXI. 21. קנין כספו *argento emtus*, *Lev.* XXII. 11. dicitur, & cum domino ſuo מכסף ממכרו *dr argento venditionis ſuæ* ſubtrahere jubetur, *Lev.* XXV. 50. ad quem poſtremum locum reſpexiſſe videtur Jeſaias dicendo *cap.* LII. 3. חנם נמכרתם ולא בכסף תגאלו: *Gratis venditi eſtis, gratis proinde vendicabimini* (redemtio enim fieri debuit ſubtrahendo de argento venditionis, quo retento ab hero non potuit non ea gratuita eſſe). *Vid. ad h. l.* Sanderſon *in Serm.* 7. *ad Aulam, ubi aliarum gentium conſuetudines ſimul confert*. Pretium in Sacris tabellis non exprimitur, ordinario tamrn 30. ſicos argenteos fuiſſe, ex eo conjicitur, quia Domino, cujus ſervus ab alterius bove percuſſus fuit, 30. ſicli debuerunt rependi. *Ex.* XXI. 32. Quare Zacharias cum alluſione ad pretium ſervi 30. ſiclos pro *Chriſto* ſolutos per ironiam *magnificum ſive egregium pretium* vocat. *Cap.* XI. 13. Subinde tamen hoc pretium adauctum vel imminutum fuiſſe inde claret, quia ſervus non tanti fuit æſtimatus Jubilæo inſtante, quam ſi adhuc remotum fuerit, quorſum ſpectat ſequens Legislatoris mandatum *Lev.* XXV. 14. 15. אל תונו איש את אחיו במספר השנים אחר היובל תקנה מאת עמיתך: *Ne frater fratrem decipiat. Juxta numerum annorum a Jubilæo* (res quaſvis) *emes a proximo tuo*.

VIII. Illud ſervis Hebræis & quidem præ cæteris peculiare fuit, quod ultra 6. annos nec ſe addicere, nec a Domino in ſervitio potuerint retineri. Hinc legimus *Exod.* XXI. 2. כי תקנה עבד עברי שש שנים יעבד: *Si emeris ſervum Hebræum, 6. annos tibi ſerviet*. *Conf. Deut.* XV. 12. Quia Scriptura non reſtringit, hinc nec nos illud privilegium reſtringimus, & omnibus ſervis tam ſpontaneis, quam propter furtum addictis tribuimus. Nec eſt, cur miremur. Servitus enim humana perpetua eſſe non potuit, nec debuit in illis, quos *Deus* liberavit, ſibique vindicavit. *Lev.* XXV. 42.

IX. Deus, qui paupertati Iſraelitarum ſubvenit permittendo ſervitutem ſpontaneam, eorum quoque dignitati proſpexit arcendo ſervitutem indignam. Huc referimus præceptum de redimendis ſervis Hebræis ſub exterorum poteſtatem redactis, *Lev.* XXV. 47. 55. ad cujus illuſtrationem pauca adferre mihi conſtitutum eſt.

X. Perſonæ miniſterio Iſraelitarum haud dignæ fuerunt ſequentes (א) גר תושב *Proſelytus portæ*, id eſt gentilis, qui Judaicam fidem quidem in ſe non ſuſcepit, veruntamen præceptis Noachicis debitum obſequium præſtitit, qua de cauſa ipſi habitatio in Judæa conceſſa, nec commercium cum cæteris denegatum fuit (ב) עקר משפחת גר id eſt, *gentilis, qui in familia proſelyti radices egit*, vel quatenus antea fuit membrum hujus familiæ & proſelytus fieri recuſavit, vel poſtea huic familiæ affinitate conjunctus fuit & ita gentilis permanſit. Hanc vocis עקר emphaſin eſſe colligo tum ex radice עקר quæ ſignificat radicare, radicem agere tum ex contextu, qui haud obſcure docet de pagano, gentili, & quidem non extraneo, ſed domeſtico agi, tum quia Targum reddit לארמי Nemo enim ignorat per ארמי in verſione N. T. & alibi deſignari gentilem, Ethnicum (ג) omnes pagani, qui extra Judæam in aliis quoque regionibus commorati ſunt. Expreſſa quidem eorum mentio facta non eſt, quia Hebræorum poteſtati ſubjecti non fuerunt, & hinc ad illas leges obligari non potuerunt. Veroſimile nihilominus videtur ſervos Hebræos, qui in exterorum poteſtatem pervenerunt, cum bona dominorum venia fuiſſe & redimendos & ſubinde redemtos.

XI. His ſe vendere nefas fuit, nec li-

licuit ulli Hebræo. Notanter enim dicitur : כי ימכר לך *Si venditur tibi* non alienigenæ. Deinde idem per קל וחמר id eſt argumentationem a majori ad minus conficitur. Si redemtio venditorum mandata eſt, multo magis venditio liberorum prohibita cenſeri debet. Et cur, quæſo, negaremus id ſingulis dictum, quod toti Iſraelis injunxit *Deus Deut.* XVII. 15. לא תוכל לחת עליך איש נכרי אשר לא אחיך הוא: *Non poteris tibi præficere virum extraneum, qui non ſit frater tuus.* Accedit tandem viri graviſſimi *Joſephi* teſtimonium. *Ant. lib.* XV.

XII. Si quis tamen hoc non obſtante ære alieno aut paupertate oppreſſus ſe addixerit proſelyto aut gentili, redimendus fuit. *Similiter Conſtant. in lib.* 2. *C. de parent. qui liberos diſtraxerunt, diſpoſuit, ut ii, qui extrema neceſſitate eſſent venditi, ad ingenuitatem ſtatim redeant, cum redemtionis facultas data, ſive pecunia emtori reddita fuerit.* Poſſumus autem hic attendere (א) ad perſonas redimentes, (ב) ad modum redimendi (נ) ad conſequens redemtionis (ד) ad caſus, qui exceptionem patiuntur.

XIII. Ante omnia ipſe fuit obligatus ad ſe redimendum, ſi facultates ad redemtionem neceſſarias miniſterio, hæreditate, vel alio modo fuerit nactus, quod indigitatur verbis השינה ידו ונגאל *ſi fuerit aſſecutus, ſe ipſum redimet*, & tum cæteris ab officio ſuo fuerunt exemti. Verum, ſi ipſi deeſſet nervus rerum gerendarum, proximi ejus agnati ad pretium redemtionis procurandum tenebantur; & quidem quo quis ſervo conjunctior fuit, eo magis hoc ipſi debuit officium, cæteris hunc ordine excipientibus pro diverſo conjunctionis gradu. Si nemo ex proximis agnatis potis fuerit, quilibet ex ſervi familia, cui facultates ſupetebant, ad redemtionem ejus fuit obligatus v. 49. nos edocet. או דדו או בן דדו יגאלנו או משאר בשרו ממשפחתו יגאלנו: *Aut Patruelis, aut hujus filius eum rediment, vel quivis ex reliquis ſuæ familiæ membris ipſum redimet*, Quod ſi integra familia ob paupertatem aliaſve circumſtantias non potuerit non a religione officii declinare, quivis Iſraelita lege adſtrictus fuit ad ſervum redimendum. Huc referimus verba : אחרי נמכר נאלה תהיה לו אחד מאחיו יגאלנו : *Poſtquam venditus fuerit, redemtio ipſi erit, unus ex fratribus ipſum redimet.*

XIV. Quo modo ſervi redemti fuerint, præeunte Scriptura Sacra exponam. Quando ſervus ſe Domino in perpetuum vel ad Jubilæum addixit, & mercedem pro integro miniſterio reportavit, tum ſi intra annos ſuæ ſervitutis velit ſe redemtione a ſervitute liberare, Herus & ſervus præſente redemtore, vel minus, ad calculos revocabunt, quantum faciat integrum ſervi pretium ab anno venditionis uſque ad Jubilæum, poſtea diſpiciunt, quot annos ſervus ſuo miniſterio fuerit functus, quotve ſuperſint ad Jubilæum, tandem ſervus pretium annorum, quibus emtori a miniſterio fuit, ſubducit, ſibique ſervat, reliquam partem pro annis ad Jubilæum reſiduis domino reſtituere tenetur. Cæterum, quia facile evenire potuit, ut Dominus ſua abutatur poteſtate, & ſervo in illa ſupputatione vel vi vel fraude injuriam faciat, hanc *Deus* redemtori injunxit curam, ne emtorem ſervum arte deludere aut injuſte tractare patiatur, utque proſpiciat, quo ſervo non minus ac mercenario pro ſingulis annis miniſterii debita exſolvatur merces.

XV. Conſequens redemtionis fuit plenaria libertas. Non enim exiſtimamus, ſervum poſtmodum ſui redemtoris poteſtati ſubjectum fuiſſe. Nam (א) nulla ejus rei mentio facta eſt in lege Moſaica; Scriptura autem tacente loqui erubeſco (ב) opera amicorum non debet eſſe mercenaria (נ) adverſatur talis reiterata ſubjugatio ſapientiſſimo *Dei* inſtituto, quo ſervitutem in republica Judaica voluit imminui non multiplicari (ד) comparatur hæc redemtio cum manumiſſione Jubilæo facta. *v.* 55. *cit. cap.* Proinde uti poſteriori plena perfectaque libertas fuit reddita, ita nec priorem alia ſervitus comitari potuit.

XVI. Quæ hactenus de redemtione monui, applicari non poſſunt ad illos caſus; ubi 1. ſervus ſe domino ad certos annos mancipavit quorum ultimus præceſſit Jubilæum; Tum enim juri naturæ conveniens fuit, ut ſupputatio fiat a die venditionis ad annum miniſterii finalem, non ad Jubilæum, quod illum ſubſecutum eſt 2. quando ſtipendium adhuc in manu emtoris fuit; tum enim nulla reſtitutio a ſervo facta eſt, ſed ſervus ab emtore accepit, quod ipſi debuit : 3. Si Hebræus extra Judæam gentili in alia provincia fuit venditus. Hoc enim caſu ſervus, Hero pretium recuſante, redimi non potuit.

XVII. Quod ſi Hebræus, ſervus proſelyti vel alterius gentilis in Judæa commorantis, modo memorato non fuerit redemtus, ſe ipſum dolo gentilis dominio ſubducere non potuit, ſed permanere debuit in ſervitio ad Jubilæum uſque, quo adveniente ſervus una cum liberis ſuis liber exiit. *Ibid.* Cæterum vel me tacente quivis ex hac legiſlatoris ſapientiam

tiam perſpicit ; cum ita nec honori populi *Dei* aliquid deeſſet , quia Iſraelitæ tandem jugum hominum exuerunt , & ad ſervitium, quod *Deo* debuerunt; regreſſi ſunt ; ſimul vero adverſus infimos & peregrinos juſtitia fuerit ſervata.

XVII. Fori addictione fures , non tamen omnes , in aliorum poteſtatem fuerunt traditi. Ordinaria quidem furti pœna fuit mors aut reſtitutio. Morte mulctati ſunt , qui hominem furto ablatum vendiderunt; *Ex.* XXI. 16. duplum reſtituebant, qui animal rapuerunt , quod adhuc vivum penes ipſos fuit repertum; *Ex.* XXII. 3. quod ſi autem animal a fure fuerit aut venditum aut mactatum in furto bovis quintuplum , alterius jumenti quadruplum reddere tenebatur. *Ex.* XXI. 37. Si fur ſolvendo non eſſet , illi, cui furtum erat factum addici debuit . אם אין לו ונמכר בגניבתו *Si non poſſideat facultates , vendatur ob furtum ſuum . Ex.* XXII. 2. Hæc lex parum differt a notiſſima Jure conſultorum regula. Luat in corpore , qui non habet in aere. Ex locis citatis *Joſephus* ſua tranſcripſit, *Ant. Jud. Lib.* IV. *cap.* 8. Apud alias quoque gentes ob delictum quidam ſervi facti ſunt, ſiquidem antiquitus hoc permutationis genus juſtum judicarunt , cum ſervitus ſit pœna morte mitior. Furibus in ſpecie hanc pœnam fuiſſe irrogatam *Aulus Gellius* nos edocet *noct. Attic. Lib.* II. *cap.* 18. *Decemviri autem noſtri, qui poſt Reges exactos leges , quibus P. R. uteretur, in XII. Tabulas ſcripſerunt , neque pari ſeveritate puniendis omnium generum furibus , neque remiſſa nimis lenitate uſi ſunt. Nam furem , qui manifeſto furto prehenſus eſſet , tum demum occidi permiſerunt , ſi aut , cum faceret furtum, nox eſſet , aut interdiu ſe telo, cum prehenderetur , defenderet . Ex cæteris autem manifeſtis furibus liberos verberari, addicique juſſerunt ei , cui furtum factum eſſet , ſi modo id luci feciſſent , neque telo ſe defendiſſent* , quæ ita ſonant : ἐπ ἀνθρώπȣ μὲν κλόπη θανατος ἔςω ζημία. Ο᾽ δὲ χρύσον ἢ ἀργύελον ὑφελόμενος τὸ δίπλȣν ἀποτιννύτω. Βοσκήμα δὲ ὁ κλεψας τετραπτὴν τὴν ζημίαν ἀποτιννυτω πλὴν βούς πεντάπλην δὲ ὑπὲρ τούτου καταβαλλετω. ὁ δὲ τὸ Ε᾽πιτίμιον ἄπορος διαλύσασθαι δούλος ἔςω τοῖς καταδικασαμένοις. *In furto hominis , pœna ſit mortis ; ſi quis vero aurum & argentum abſtulerit , condemnetur in duplum . Quodſi jumentum rapuerit, damno quadrupli condemnetur præter bovem , pro hoc enim quintuplum ſolvat. Qui vero ad ſolvenda multa fuerit inops , ſit ſervus eorum, quibus eſt condemnatus.*

XVIII. Fœminis æque ac viris hanc pœnam fuiſſe irrogatam a vero non abludit . Nam (א) furtum a quocumque ſexu fuerit commiſſum , impunitum dimitti non potuit . Verum quas pœnas dediſſet mulier , ſi ob inopiam ablatum non reſtituere , nec per legem alteri addici potuiſſet . (ב) Uxor expilatoris ob flagitium ſui mariti vendi potuit, & ſervitutis jugum ſubire debuit. *Matth.* XVIII. 25. Quanto magis fœmina, quæ ſuo proprio ſcelere hoc ſupplicium fuit merita? (ג) *Deut.* XV. 2. non tantum de ſpontanea ſed & fori addictione agitur; Nam quia Scriptura non reſtringit, nos verborum ſenſum reſtringere non poſſumus , ibi autem Hebræa comparatur & jungitur Hebræo, proinde Hebræa æque ac Hebræus a foro addici potuit.

XIX. Eadem quoque pœna ſecuta fuit malum debitum, quæ furtum. Aliis quoque gentibus in uſu fuit eos, qui verſuram fecerunt , nec ſolvendo fuerunt , creditoribus addicere. (Bochoris equidem apud Ægyptios peculiari lege id ipſum prohibuit , ut refert *Diod. Siculus Rer. Ant. lib.* I. *cap.* 3. Solutio , inquit, *ex bonis debitoris ſolum fiebat, corpus non poterat addici creditori . Putabat enim oportere bona tantum ſubdita eſſe debitis, corpora, quorum opera bello & pace uterentur civitatibus addicta eſſe*. Athenis econtra malus debitor ſervus fiebat creditoris uſque ad tempora Solonis , qui primus conſtituit ἐπ᾽ σώματι μὴ δανέζασθαι *ne corpus pro credito obligaretur ; Plut. in Sol. pag.* 86. *Romæ ex Lege* XII. Tabularum inops debitor creditori per Magiſtratum adjudicabatur , quæ lex poſtmodum non fuit abrogata . Hinc tam frequens nexorum mentio ſit . Nexi autem ſunt, qui vel ultro, vel judicis ſententia ob æs alienum operas præſtabant. *Sic Heracleas, cum judicatum non faceret, Hermippe addictus & ab hoc ductus* . Cicero *in Orat. pro Flacco cap.* 20. *T.* IV. *pag.* 151. *ed. Græv. conf.* LIV. L. II. *c.* 24. & 27. Varro. 6. *de Lib.* L. 82. Addictus autem a ſervo quid differat docet *Quintilianus Lib.* VII. *Servus, qui manumittitur , fit libertinus , addictus recepta libertate eſt ingenuus* . Poſtea tamen Imperatores nullum bene natorum ex ſupplicio ſervum fieri ulterius permiſerunt. *Nov.* 22. *cap.* 3.) (א) Par enim utriuſque ſceleris ratio eſt. Alterum eſt furtum manifeſtum , alterum occultum , adeoque priori longe perículoſius; Utrumque injuſta alienæ rei detentio citra legitimi poſſeſſoris conſenſum . (ב) Luculenta ſunt Scripturæ teſtimonia , ita ut Judæorum hanc veritatem negantium pervicaciam ſatis mirari non poſſim. Queri-

ritur Vidua Prophetæ, quod creditor filios suos ob debitum ad servitium trahere velit. 2. *Reg.* IV. 1. Ille exactor autem sive Judæus sive paganus potestati Judaicæ subjectus fuerit, legibus Judaicis se accommodare debuit. Excipiunt equidem Judæi peregrinum fuisse; sed nulla veritatis specie se commendat, Judæum & quidem Prophetam a pagano extraneo mutuum accepisse. Et posito hoc ipso, at non concesso. Quid juris fuisset huic peregrino in terra Judaica? Elidant denique, si vires suppetunt, Salomonis testimonium, qui scribit, *Prov.* XXII. 7. ועבד לוה לאיש מלוה *Debitor creditoris servus*. Et annon ipse *Deus* hoc indirecte indigitavit, quando per Jesajam populo suo hanc proponit quæstionem? מי מנושי אשר מכרתי אתכם לו: *Quis est exactor meus, cui vos vendiderim*? Christianis omne dubium eximit *Christus* in parabola de rege servum debitorem vendente. Ex ipsis quoque Judæis nostræ sententiæ accedit R. Simeon prout legimus in Veikra Rabba f. 121. אמר שמעון בן לקיש דרכו של לוה להיות עבד למלוה *Asseruit Simeon filius Lakischi, moris esse, ut debitor fiat servus creditoris.*

XX. Jus fures aut debitores addicendi penes forum fuisse multæ suadent rationes. Neque enim in potestate furis relinqui debuit, utpote qui nunquam sponte servitutem subiisset, nec creditor in propria causa judex esse potuit, nec nisi legislatori causæ cognitio competebat. Tandem uti reus in foro accusari, ita ibidem ob furtum commissum condemnari debuit: A foro autem nec gentili, nec proselyto, sed Judæo duntaxat, nec illi nisi ad 6. annos addici potuit. *Lev.* XXV. 44. *Ex.* XXI. 1. 2.

XXI. Patris venditione nonnulli suam amisere libertatem, aliorumque servi facti sunt. Similiter *Thebani infantes*, sive masculi sive fœmellæ fuerint, *aliis hoc pacto alendos tradiderunt, ut pro educationis mercede eorum accipiant operas*: Ælian. II. var. 7. Phrygibus patrium quasi fuit liberos addicere *Philostratus* in vita Apollonii Thyanæi L. VIII. hæc forte Onesimi sors fuit. *Athenis lex non vetabat liberos in casu necessitatis distrahere*. Plut. in Sol. pag. 85. Solon tamen *filias & sorores vendere prohibuit*. Ibid. pag. 91. Romanis liberos non semel tantum, sed & secunda ac tertia vice venum exponere licuit, quam legem & refert & improbat *Dion. Halicarnasæus lib.* II. 28. *p.* 97. Postea tamen *Constantinus* in *l.* 2. C. de patribus, qui filios distrahunt, prohibuit, ne filii extra casum extremæ paupertatis a parentibus vendantur. Germanis urgente necessitate filium in servitutem dare permissum fuit, quod ex Theodoro Cantuariensi probat du *Fresne* in *Gloss. T.* 3. *pag.* 23. Quod lex Mosaica de hoc acquirendi modo sileat, mirum videri non debet. Naturæ lex est, quæ proinde alia manifestatione non indiget, nec desunt in S. L. similes casus, ex quibus id ipsum colligi potest, Judæorum dissensus veritati nocumento esse nequit. Ipsorum enim somnia lymphatica omni ratione destituta certitudinis norma & mensura non sunt. Inconcussa manet hæc thesis, quia firmis stat talis. Etenim (א) natura jus dat ad illud omne, sine quo obtineri non potest, quod ipsa imperat. Quodsi Pater fuerit inops pariter ac ægrotus, nec filias habeat, quas vendat. Quidni liceret ipsi filios in summo necessitatis casu vendere? (ב) Licuit Parenti in summa paupertate filias aliis addicere. Filii conditione meliores non sunt filiabus Liberis enim filii non minus quam filiæ accensentur. Quare non video, quomodo parium in pari causa dispar possit esse ratio. Quinimmo Pater non magis adstrictus erit filio, quam sibi ipsi. Amor enim incipit a se ipso, proinde cum Pater sæpe egestate pressus ad servitutem fuerit adactus; cur non, quæso, liceret ipsi vendere filium? (ג) Patria potestas tum temporis se ultra hæc, quæ adhuc minora videri possunt, extendit. Ruben enim non dubitavit duos filios suos oppignerare, & Jacobo committere, ut morti tradat, si non reduxerit Benjaminem. *Gen.* XLIII. 37. Mors autem gravius malum est servitute. Quis proinde parenti in summis angustiis constituto denegaret jus filium ad servitutem dicandi? Sed quid opus est aliis argumentis, cum Exemplum ad manus sit. Plebs enim, quando injurias a ditioribus illatas recenset, simul conqueritur de necessitate liberos addicendi his verbis: *Neh. vers.* 5. ועתה כבשר אחינו בשרנו כבניהם בנינו והנה אנחנו כבשים את בנינו ואת בנותינו לעבדים ויש מבנותינו נכבשות: *Jam vero ut caro fratrum nostrorum ita caro nostra, & ut filii ipsorum ita nostri filii, & ecce necessitate impulsi subjicimus filios nostros & filias nostras ad serviendum ipsis, & sunt ex filiabus nostris quædam ipsis subjectæ*. Locum proinde damus conjecturæ *Grotii*, qui observat, Legem Thebanam, quæ filium oppignerare, & si necesse sit, vendere Patri permisit, a Phœnicibus, ac porro ab Hebræis traxisse ortum. Interim illud certissimum est, nonnisi in casu extremæ paupertatis exercitium hujus juris patri competere. Num autem filii tantum על עסק המזונות

num etiam ob alia debita publica vel privata, quæ bona jam abſumſerant, fuerint venditi non ſatis liquet.

XXII. Ultimus acquirendi modus fuit ſervilis nativitas; Domini liberos ſervorum Hebræorum ex ancilla Cananæa prognatos jure ſibi vindicarunt, prout apparet ex lege ſequenti *Ex.* XXI. 4. (*Conf.* Grot. *lib.* II. *de I. B. & P. C. V.* §. 29. & III. *Boehmer* in Diſſ. de commodo ſervitutis perpetuæ præ temporaria *cap.* II. §. 7. qui probant idem in Jure civili & canonico fuiſſe ſtatutum adde Mev. vom Zuſtand der Nauren *q.* 2. *n.* 19. & *Iſ.* Gaſaubonum in Animadverſ. ad Athenæum pag. 288.) אם ארוניו יתן לו אשה וילדה לו בנים ובנות האשה וילדיה תהיה לארניה והוא יצא בגפו : *Quodſi Dominus ei uxorem dederit, eaque pepererit ipſi filios filiaſque, tum uxor gnatique ejus erunt Domino, ipſe vero exibit ſolus.* Noſtrum eſt, hanc legem juxta regulas ſanæ interpretationis explicare, quare pauca notabimus I. de lege ordinaria II. de privilegio Domini III. de ancilla, quæ IV. de ſervo, cui jungi potuit, V. de ipſo matrimonio VI. de cauſis divortii & tandem VII. de exitu & fructu.

XXIII. Juxta legem ordinariam haud licuit ulli Reipublicæ Judaicæ civi cum extranea vel ancilla inire matrimonium. Prius interdicitur *Deut.* VII. 2. לא תתחתן בם בתך לא תתן לבנו ובתו לא תקח לבנך : *Affinitatem cum ipſis* (nimirum gentilibus) *non contrahes, nec filiam tuam dabis filio ejus, nec ipſius filiam deſponſabis filio tuo.* Poſterius neſas fuiſſe diſcimus ex *Joſephi Ant. Jud. lib.* IV. *c.* VIII. §. 23. δȣ́λας δὲ μὴ γάμεσθαι τοῖς ἐλευθέροις μήδ᾽ ἂν ὑπ᾽ ἐρῶτος πρὸς τȣ̃το τινες ἐκβιάζονται; κράτειν τὸ τῆς ἐπιθυμίας τὸ ἐμπρέπες καὶ τοῖς ἀξιώμασι πρόσφορον. *Ancillas liberi non ducent uxores, nec ſi per amorem aliqui ad hoc compellantur. Etenim concupiſcentiam retinere decorum & liberæ dignitati congruum eſt.*

XXIV. Dominus potuit ſervo uxorem dare, cujuscunque etiam fuerit ſortis', ſive ipſe ſe ſponte ſive ſuorum ipſum propter furtum addixerit. Sunt equidem ex interpretibus nonnulli, qui negant ſervo ſpontaneo uxorem ab hero adjungi potuiſſe; ſed fundamento nituntus valde lubrico Gratis enim aſſumunt Exod. XXI. de illis duntaxat ſervis, quos forum vendidit, ſermonem eſſe. Quo argumento hanc hypotheſin fulcire poſſint, non video. Scriptura profecto non reſtringit, proinde nec nobis licet memoratas leges reſtringere. Servos Hebræos citatum caput nobis ſiſtit, non peculiarem eorum ſpeciem. Sed his non immoramur. Invitis quoque ſervis uxorem ab hero obtrudi potuiſſe noſtra eſt ſententia. Nam privilegium dominis fuit irrogatum, ſed hoc irritum & vanum fuiſſet, ſi a conſenſu ſervi ejus pependiſſet exercitium.

XXV. Uxor, quæ ſervo dari potuit, non eſt niſi ancilla Cananæa. Hebræam ſervo nubere haud fuit permiſſum. Etenim (א) lege cautum fuit, ne quis ancillam Hebræam, quam conduxit, alteri, quam ſibi aut filio ſuo deſponſet, ſi quis judicaret ex re haud fore, ut ipſam uxorem ducat, eam dimittere, vel ſaltem redemtionem ejus promovere & procurare tenebatur. En tibi verba legis *Ex.* XXI. 8. & 9. אם רעה בעיני ארניה אשר-לא יעדה והפרה לעם נכרי לא ימשל למכרה בבגדו בה ואם לבנו יערנה כמשפט הבנות יעשה לה וגו׳ : *Si ancilla mala videbitur in oculis ejus, ita ut eam ſibi non deſponſet, tum eam redimi curet; Jus non habebit eam vendendi extraneo perfide agendo cum ipſa. Si filio ſuo deſponſet ipſam, ei faciat juxta, jus puellarum.* (ב) Uxor, quam Dominus ſervo adjunxit finitis 6. annis in poteſtate Domini permanſit, e contra Ancilla Hebræa non minus ac ſervus Hebræus poſt 6. annos libertatem recuperavit *Deut.* XV. 11. כי ימכר לך אחיך העברי או העבריה ועבדך שש שנים ובשנה השביעית תשלחנו חפשי מעמך : *Quando tibi venditur frater tuus Hebræus aut Hebræa, tibique a ſervitio fuit per 6. annos, tum ſeptimo anno ipſos liberos dimittes a te.* (ג) Ratio legis ita melius conſtat; Ancilla enim peregrina non potuit cum marito ſub finem ſexti anni libera exire, quia de mancipiis Cananæis lex generalis ſancita fuit, vi cujus in perpetuum ſervire tenebantur. Accedit (ד) teſtimonium Onkeloſi, qui verba legis *Deut.* XXIII. 18. לא תהיה קדשה מבנות ישראל ולא תהיה קדש מבני ישראל : *Ne ſit meretrix inter filias Iſrael, nec ſcortator inter filios Iſrael* ſequentem in modum explicat לא תהי אתתה מבנות ישראל לגבר עבד ולא יסב גבר מבני ישראל לאתתה אמה : *Non erit fœmina ſeu uxor de filiabus Iſrael viro ſervo, neque vir ex filiis Iſrael uxorem ducet ancillam.*

XXVI. Diſquirunt Chriſtiani pariter ac Judæi, num ſervo cælibi an uxorato ancilla Cananæa fuerit jungenda. Ex verbis *Ex.* XXI. 3. אם בגפו יבוא בגפו יצא : *Si ſolus venerit, ſolus exibit*; ſequi videtur, ſervo, qui fœminam non habuit. uxorem dari non potuiſſe; Venerandus Præceptor *Jo. Chriſtianus Kirchmeier* vir acerrimi judicii hanc forte ra-

rationem illi traditioni, ſi vera ſit, ſubfuiſſe judicat, nimirum quod Legislator iniquum cenſuerit Iſraelitam cogere, quo per generationem in ſervitute augeat alterius familiam, antequam ſibi ſemen excitaſſet *Vid ejus Diſſ. de perp. Hebræorum ex aurium perfeſſione ſervitute ad Sponſorem Chriſtum non referenda* §. VIII. *p.* 7. Ratio nobis valde arridet, ſed ipſius traditionis veritatem non poſſumus non in dubium vocare. Nam (א) ex verbis citatis illud modo inferri poteſt, quod uxor, ſi quæ ſervo intra tempus miniſterii datur, non libera cum ipſo exeat, verum (ב) non eſt, cur eo confugiamus. Videntur Ex. XXI. 3. 4. rres memorari caſus, quorum primus ſpectat ad ſervum, qui cælebs & ante ſervitutem fuit & in ſervitio permanſit. His autem verbis exprimitur: אם בגפו יבוא בגפו יצא *Si ſolus venerit, ſolus exibit:* ſecundus concernit ſervum, qui ante ſuſceptum ſervitium fuit maritus uxoris Iſraeliticæ. Huc ſpectant verba: אם בעל אשה הוא ויצאה אשתו עמו *Si fuerit uxoratus, uxor ejus cum ipſo exibit;* Tertius agit de ſervo, qui antea fœminam non habuit, ſed cui Dominus ancillam Cananæam in uxorem dedit juxta v. 4. אם ארניו יתן לו אשה וילדה לו בנים ובנות האשה וילדיה תהיה לארניה והוא יצא בגפו *Si dominus ei uxorem dederit, eaque pepererit filios ac filias, uxor & gnati erunt Domini & ipſe ſolus exibit liber*. Ea eerte emphaſis eſſe videtur particulæ אם, ut non modo novum quid addat, ſed & antecedens excludat. (ג) Huic ſervo non prius fuiſſe uxorem Iſraeliticam, inde quoque colligo, quia de ipſo prædicatur שהוא יצא בגפו *quod ſolus txeat*; Conſtat enim ex verſu antecedenti & Deut. XV. 2. uxorem Iſraeliticam, ſi quam habuiſſet, ſimul dimittendam fuiſſe cum ipſo & quia Scriptura non reſtringit, dici non poteſt ancillam Cananæam heic tantum excludi (ד). Inter cauſas, quæ ſervum impulerunt ad ſervitium iterato ſuſcipiendum, recenſetur uxoris nimirum Cananeæ amor *Ex.* XXI. 5. Sed annon uxori Iſraeliticæ, quam adverſarii ei tribuunt, injuriam feciſſet, ſi ab ipſa maluiſſet ſeparari, quam a Cananæa, aut ſi ipſam propter hujus amorem a ſervitutis jugo liberare non ſtuduiſſet? Tandem (ח) *Maimonides* refutabit ipſum *Maimonidem*. Scribit ille הלכות עבדים c. 3. §. 5. f. 141. t. IV. אינו יכול ליתן לו שתי שפחות *Non poterit* (Dominus *ipſi duas adjungere ancillas*. Sane ſi hoc prohibitum fuit, multominus legitimæ uxoris ancilla Cananæa ſuperinduci potuit.

XXVII. Conjugium ſervi Hebræi cum ancilla Cananæa non fuit veri nominis matrimonium, ſed contubernium Similiter apud Romanos conjugium cum ancilla pro vero matrimonio non fuit habitum hinc *Alex.* ab *Alex. Dier. Gen. L.* II. *c. V. f. m. ſcribit: Si Romanus cum peregrina, vel Latini nominis muliere aut ſerva vel barbara jungeretur, nullum fuiſſe jus nuptiarum neceſſitudiniſque*. In Græcia tamen, & Apulia & Carthagine ſerviles ſæpe nuptias curari idem *Alex.* author eſt l. cit. Ob rationam allegatam ſolebant matrimonia ſervorum vocari contuberuia. Ita *M. Seneca contr.* XXI. *Servorum proprie non ſunt nuptiæ, ſed contubernium* & Petron. *c.* 56. *Servorum contubernales ſunt eorum uxores*. Nam 1. Conſenſus ſervi non neceſſario requirebatur, nec ſemper adfuit; ſed citra conſenſum tum maſculi tum virginis non datur verum matrimonium. 2. Liberi, quamvis tribuantur ſervo, quia ab ipſo prognati ſunt, reipſa tamen a patria poteſtate exemti Hero paruerunt, atque ejus poteſtati per totam viram ſubjecti fuerunt 3. Vinculum matrimoniale non fuit indiſſolubile, ſed ſervus libertate ſexto anno recuperata ab obligatione conjugali fuit ſolutus.

XXVIII. Juſtas autem huic divortio ſubeſſe cauſas, qui cœcus non eſt, haud difficulter videbit: (ὑποθετει δουλέυει *Corn. a Lapide qui in comm. ad Ex.* XXI. 4. *ſcribit Matrimonia in lege veteri valde imperfecta fuiſſe, cum conjuges tam facile potuerint ſeparari, nec aliud ejus imperfectionis fundamentum fuiſſe tradit, quam quod tum temporis matrimonia nondum habuerint rationem Sacramenti, utpote quæ ea in nova lege reddat plane indiſſolubilia.*) (A) Repudium Judæis jure civili ob cordis duritiem fuit permiſſum (B) Uxor, quam herus jure dominii ſervo dedit, fuit alienigena, quacum in conjugio poſt ſervitutem exactam vivere non potuit. Saltem tale matrimonium nec legitimum, nec *Deo* gratum fuiſſet *Neb.* XIII. 3. *Eſr.* X. 2. (C) Ipſa quoque ſervitus juſta fuit cauſa dirimendi hoc conjugium, prout ex legibus aliarum gentium luculenter apparet *Alex. ab Alex. Dier. Gen L.* II. *c. V. f.* 58. *b. Apud Hetruſcos in conjunctione nuptiali, viri ſublimes porcam immolant, quaſi Diis teſtibus illud bene ceſſurum & futurum inviolabile. Quod quidem dirimere non licebat, niſi divortio, morte, captivitate vel ſervitute*. (D) Procreatio ſervilis ſobolis fuit officium ſervi, quo cum intra dies miniſterii ſui functus eſſet, matrimonium ultra conſtare non debuit,

buit, quia ex fine actionum qualitates metimur.

XXIX. Consequens hujus matrimonii erat perpetua servitus uxoris & liberorum. Mater fuit Cananæa, partus sequitur matrem *Auth. modo cit. f. 61. Nati liberi sub patris jure aut familia non erant, sed matrem sequebantur*. Idem de Germanis tradit & evincit du *Fresne* in *Gloss. T. 3. p.* 838. In Anglia tamen Patris conditionem sequuntur velut adparet ex legibus *Henr.* 1. Regis Angliæ *c.* 77. *&* 68. proinde filii filiæque ejus non potuerunt non pro Cananæis haberi. Cananæis per legem indictum fuit perpetuum servitium. Proinde nec matri nec liberis injuria facta est, quando ipsis negabatur liber exitus. *Cajus L.* 10. *de acq. rer. Dom. & Paulus L.* 14. *de ritu nuptiarum. Qui in potestate alterius est nihil suum habere potest, itaque filios etiam servos procreabat. Inter ipsos enim non matrimonium, sed contubernium erat. Hi sunt qui vernæ vocantur.*

XXX. Hæc quoque lex declarat imperscrutabilem *Dei* σοφίαν Finis enim hujus contubernii fuit, ut servus suscipiat liberos, qui cedant in usum Domini, ejusque servi fiant. Ita autem voluit *Deus* damnum dominis illatum per privilegium servis de libertate sexto anno recuperanda concessum, denuo gratiose compensare & servitutem saltem in semine & prole servi Hebræi perpetuare.

XXXI. Servi Hebræi omnes, si modo discesseris ab illis, qui ab ancilla Cananæa fuerunt prognati, & hinc ad Cananæos magis quam Hebræos referri merentur, dominorum mancipia nequaquam fuerunt: Conferri hic meretur, quod *Grotius* observat in 1. *B. & P. L.* 11. *c. V.* §. 30. *Præter perfectam servitutem sunt & imperfectæ ut quæ aut in diem sint, aut sub conditione, aut ad certas res. Talis est libertorum, statuliberorum, nexorum, addictorum, adscriptorum Glebæ: septem annorum servitus apud Hebræos & altera ad Jubilæum usque; Penestarum apud Thessalos; eorum, quos manus mortuas vocant, ac postremo mercenariorum. Vid.* Commentatores ad illum locum. *Potgieser de Stat. & Cond. serv. l.* 1. *c.* 3. *Joann. Ern. Knichen* in opere politico *L.* 1. *c.* III. *th.* III. *&c. Cl. D. Muller in J. N. c.* XIV. §. v. XI. (א) Liberantur enim *servi Hebræi* a servitio mancipii per interdictum divinum *Lev.* XXV. 39. לאֹ תעבד בו עבודת עבד *Non coges ipsum servire servitium servi*. Respicitur his verbis ad Canaanem, quem servum servorum (Hebr. עבד עבדים) futurum esse Noachus prænuntiavit *Gen.* IX. 25. Supra autem notavi phrasin ibi adhibitam de infimo mancipio explicandam esse. Proinde his quoque verbis insinuatur, servos Hebræos pro mancipiis habendos non esse, nec ita tractandos. Hanc interpretationem confirmat v. 46. hujus cap. ex quo apparet per עבד in sensu strictiori designari personam, quæ in domini possessione est, id est mancipium. II. Servi Hebræi in Sacris tabellis cum mercenariis & inquilinis comparantur *Lev.* XXV. 40. at nemo sibi unquam jus corporis in mercenarium vel alienigenam citra evidentem injustitiæ notam arrogavit. III. Servi Hebræi opponuntur cananæis; *Ibid.* v. 44. Cananæos mancipia fuisse sequentes versus evidenter declarant. Alius itaque ac mancipiorum status Hebræis assignari debet. IV. Hebræi ultra 6. annos in servitute detineri non potuerunt. *Deut.* XV. 12. *Ex.* XXI. 2. Econtra mancipii servitus perpetua est, quia ejusmodi servus sui corporis dominus amplius esse nequit. V. Merces non datur mancipio, erogari tamen debuit servis Hebræis. *Deut.* XXV. 13. 14. *& alibi*. Tandem. VI. Deus plus una vice testatur, Israelitas suos esse servos; Unde colligimus, ipsis potestatem non fuisse suam personam aliis addicendi, nec potuisse Hebræos servorum servos aut mancipia esse.

XXXII. Unum tamen est, quod obstare videtur, nimirum, quod servus vocetur כספו *argentum Domini*, *Ex.* XXI. 11. adeoque bonis, quæ in possessione sunt, æquiparetur. Quid Judæi respondeant, haud me fugit. Contendunt illi, in loco citato de Cananæo, non Hebræo sermonem esse, verum meretur hoc commentum somniis Judæorum lymphaticis accenseri. Legislator sub initium hujus capitis leges tulit de servis Hebræis, non Cananæis. Quis proinde putaret in fine Hebræos excludi & Cananæos solos notari, cum tamen Scriptura hactenus non meminisset ejus distinctionis? Privilegia v. 19. 20. irrogata non possunt non Hebræis cum Cananæis communia esse, quia *Deus* in privilegiis servorum Hebræorum potissimam rationem habuit. Quid nobis itaque videatur, exponam. Argentum servus metaphorice dici potuit, quia argento fuit paratus. Quando autem sacer scriptor exinde conficit, Herum ob servum castigatum & ex castigatione post unum alterumve diem mortuum non posse pœna ordinaria adfici, hinc colligi non debet, Legislatorem cum bonis servum conferre voluisse, ac si Dominus de servo ut de cæteris bonis disponendi jus habeat, sed in eo vis argumento collocan-

canda, quod Dominus ſervi equidem juxta ſtatuta ordinaria pœnam fuerit meritus, nihilominus in præſenti caſu ab illa liberandus ſit, quia pœnæ adinſtar fuit, quod una cum operis ſervi argentum pro ipſo erogatum perdiderit & ita ſibi nocumento fuerit.

XXXIII. Poteſtati dominicæ jura dominorum adcommodata fuerunt. Jus vitæ & necis Hebræis in Hebræos nequaquam competebat, Legi Hebræorum reſpondet lex Ægyptiorum: *Qui mortem intulit vel ſervo ſponte, morte luebat homicidium. Scelera enim conſilio factorum, non conditione hominum æſtimanda cenſent.* Vid. leges & conſuetud. *Franciſci Robertelli* L. XV. *ed. Bonon. & Diod. Sic. R. A. L. I. cap.* XVII. Paucis ex Græciæ populis hac in re conveniſſe cum prioribus docet *Athenæus* L. VI. & VII. De Romanis refert *Priſcus* in excerptis legationum: ἤδη γάρ ἐδεν αὐτοῖς θάνατον, ὥσπερ σκύθαις, ἐπάγειν θέμις. *Neque enim ipſis jus eſt ſervos occidere, ut apud Schythas.* Saltem temporibus poſtremis *Divus Pius, Hadrianus* & alii ſervos a Dominis occidi vetuerunt. Vid. *Alex. ab Alex. Dier. Gen. lib.* 3. *cap.* 20. *f.* 158. Quid aliis gentibus hac in parte placuerit, obſervavi in *Diſſ.* I. de Servis §. *26.* præterquam enim, quod illud cum ſanæ rationis dictamine adverſa pugnet fronte, acceſſit lex divina, qua ſervi occiſio pœna mortis mulctatur, En tibi verba legis: *Exod.* XXI. 20. כי יכה איש את עבדו או את אמתו בשבט ומת תחת ידו נקם ינקם: *Si quis percuſſerit ſervum aut ancillam virga, ita ut ſub manibus ejus fuerint mortui, vindicando vindicabitur.* Poſtrema phraſi mors indigitatur. Ea enim ordinaria homicidii pœna fuit. Quodſi vero Legislator extraordinariam voluiſſet ſtatuere, exprimere illam debuiſſet. Judæi quidem hæc ad ſolos Cananæos referunt. Sed non modo hypotheſis illa falſa eſt ob rationes ſupra citatas, verum etiam, ſi vel maxime vera eſſet, noſtram ſententiam non evertit, ſed confirmat. Nam ſi herus fuit morte puniendus ob ſervum Cananæum, quem interfecit, quanto magis ſi Hebræum necaſſet? Nec minus aberrant cœci illi duces, quando literæ inhærentes non aliam percuſſionem quam virga factam intelligunt, veruntamen, ſi & hoc ipſis concedamus, nihil derogat illa traditio noſtræ theſi. Etenim ſi ultio ſumi debuit de eo qui virga ſervum percuſſit, quantomagis vindicabitur, is qui gladio vel alio inſtrumento lethali quem interfecit?

XXXIV. Unicum tamen eſt, quod theſin noſtram haud parum infringere videtur, nimirum quod Patrifamilias jus devotandi perſonas poteſtati ſuæ ſubjectas relictum fuerit prout apparet ex lege ſequenti: *Levit.* XXVII. 28. *29.* כל חרם אשר יחרים איש ליהוה מכל אשר-לו מאדם ובהמה ומשדה אחזתו לא ימכר ולא יגאל כל חרם קדש-קדשים ליהוה: כל חרם אשר יחרם מן האדם לא יפדה מות יומת: *Omne devotum, quod quis devovebit Jehovæ ex omnibus, quæ in ejus poteſtate, hominibus beſtiis & agris ſuæ poſſeſſionis, non vendetur, nec redimetur; Illud omne Deo ſacroſanctum erit. Omne devotum, quod devovebitur ex hominibus, non redimetur, ſed morte afficietur.* Si cum *Capello* hæc verba de furibundo & temerario voto irati patris aut domini, qui hoc vel illud caput morti conſecrare ſtudet, explicemus, negari nequit, furori hominum impotentium nimium quantum frœna fuiſſe laxata & tragicis caſibus patentiſſimam feneſtram fuiſſe datam. Quod ſi enim omnes furibundi Patris aut domini anathemate percuſſi ita fuiſſent conſtricti neceſſitate obeundæ necis, ut exitus pateret nullus, funeſtiſſima materia exiſtere debuit malorum ac ſcelerum, & in quacunque familia cor & linguam Patris vel Domini ira invaſiſſet & in votum furiale præcipitaſſet, rivi cruoris fluere debuiſſent & omnes urbes atque agri ſanguine innocuo fuiſſent contaminati.

XXXV. Hæc aliave interpretes adduxerunt, ut aliam in citati loci expoſitione viam ingrediantur. Verum nec idem omnes hac in parte ſentiunt. Aliorum autem ſententias hac vice non morabor. retulit illas *Joannes Nicolai* in tr. de Synedrio Ægyptiorum *cap.* 5. §. *6. pag.* 88. *& ſeqq.* Meam paucis ſubjiciam. 1. In his verbis integra lex devotationis exhibetur, utpote quæ alibi nuſpiam tota traditur, ſed partes ejus tantum memorantur. 2. Devotatio diſtingui debet in religioſam & profanam. Niſi enim inanem ταυτολογίαν ſcriptori adfingere velimus, dicendum erit, de alio caſu v. *29.* quam v. 28. agi. Verum alia differentia admitti nequit, quam quæ ex verbis elicitur. Quando verba inſpicimus, obſervamus in v. 28. ליהוה adjici in v. *29.* illud omitti; in illo ſubjectum devotationis eſſe omnia quæ in poteſtate viri ſunt, in hoc ſimpliciter homines; in priori aliam devotandi rationem notari quam in poſteriori. Hæc ſi conferantur, inde fluit diſcrimen devotationis religioſæ & profanæ. 3. Devotatio religioſa ita a nobis concipitur. Si quis ea, quæ poſſedit, *Deos* Sacra dixiſſet, veluti ſervos Cananæos, jumenta & proventus agri, tum

non

non amplius ipsius potestati subjecta fuerunt, sed *Deo* cesserunt, eaque propter *Dei* ministris sacerdotibus tradi debuerunt, ut ad ministerium & cultum publicum adhibeantur convenienter suæ naturæ. Adeoque servi ad servitia publica in sanctuario vel alibi præstanda, jumenta sacrificiis proventus agri tum oblationibus, tum sacerdotum conservationi inservierunt. Quæ semel hoc modo devota fuerunt, nec vendi vel a possessoribus vel a sacerdotibus, neque etiam redimi (nimirum oblato & exhibito Sacerdotibus pretio pro rebus devotis) potuerunt. *Conf. Num.* XVIII. *Luc.* XXI. 4. 5. Devotationem profanam quod attinet, notandum certos homines potuisse devoveri & morti consecrari, veluti idololatras, *Exod.* XXII. 20. hostes, *Deut.* VII. 2. XX. 17. immo etiam homines alicujus potestati subjectos in casibus extraordinariis, veluti si insignis victoria a *Deo* fuerit sub voto petita & concessa, quorsum referimus votum Jephtæ. *Jud.* XI. 30. 31. coll. V. 34. Et videntur mihi hoc sensu explicanda verba, quæ Pontifex Maximus tempore *Christi* elocutus est. Satius est, ut unus homo moriatur, quam ut totus populus pereat. Qui vero ita devoti fuerunt, non redimi potuerunt, sed morte necessario affici debuerunt. Ex allatis autem liquere puto servum Hebræum devotari non potuisse, quia is quoad corpus dominorum potestati subjectus non fuit, sed tantum quoad operas nec ut hostis aut idololatra considerari potuit.

XXXVI. Non licuit Hero servum Hebræum alteri vendere. Nam (א) corpus servi non possedit, sed tantum operas ejus, proinde personam alteri addicere non potuit; (ב) expresse hoc commercii genus prohibetur *Lev.* XXV. 42. לא ימכרו ממכרת עבד: *Non venditis eos venditione servili*, id est, servi communes sive mancipia jure gentium a Dominis pro lubitu divendi possunt, quia sua servitute ut cætera omnia ita se ipsos perdiderunt. Sed ea non erit sors servi Hebræi. Is vobis quidem serviet, aliis autem addici non poterit. Ratio adjecta non est de nihilo: כי עבדי הם אשר הוצאתי אותם מארץ מצרים: *quia mei servi sunt, quos eduxi ex terra Ægyptiorum*, q. d. Multis variisque beneficiis, in quibus primum locum occupat eductio ex Ægypto, servitutis domo, Israelitas tanquam pretio quodam mihi vindicavi & comparavi. Mei proinde servi sunt, & ego supremus eorum Dominus pariter ac vindex sum. Consequenter mihi soli competit jus de his servis meis disponendi. Jam vero mea dispositione vestri servi facti sunt, quod fieri permitto, quia cedit & in vestrum & in servorum usum. Vos itaque non estis nisi domini vicarii. Vicario non competit facultas bona domini directi & primarii in alterius potestatem pro lubitu tradendi. Vobis itaque citra meum consensum, quem hac in parte denego, non licet cum meis servis negotiari. (ג) Mercenarii a conductore nunquam possunt divendi. Mercenariis servi Hebræi assimilantur, adeoque nec hos aliis addicere licuit (ד) ultra *6.* annos Hebræus in servitio detineri nequit. Quod si quis autem per unum alterumve annum domino fuisset a servitiis, postea alii venditus adhuc *6.* annos ministrare debuisset, servitium sane statutum annorum numerum excederet. Tandem (ו) a pari argumentamur. Lege cautum fuit, ne Herus ancillam Israeliticam alteri ad servitium tradat: *Exod.* XXI. 8. לעם נכרי לא ימשל למכרה: *Extero ne quis audeat eam vendere*. Quo minus idem servis Hebræis adplicemus, quantum ego novi, nihil obstat.

XXXVII. Hactenus, κατ' ἄρσιν quædam de Dominorum Hebræorum juribus monui, nunc κατὰ θέσιν illa explicabo. Ante omnia ipsis tribuenda facultas injungendi operas domesticas & reliquas. Hæc enim constituit potissimum potestatem dominicam & jure gentium omnibus dominis competit. Ab illa centurio *Christi* potentiam deprædicaturus simile fuit mutuatus dicendo: *Matth.* VIII. *Ego homo sum, sub potestate constitutus habens sub me milites & dico huic: Vade & vadit; & alteri: veni & venit: & servo meo: Fac hoc, & facit*, (quanto magis itaque tu, qui es dominus dominorum, servis, discipulis tuis mihi aut aliis committere potes, ut servum meum sanent.) Et quis negaret tantum domino in servum licere, quantum conductori in mercenarium licet? Dicitur enim: כשכיר יהיה עמך: *Sicut mercenarius erit tecum*. *Lev.* XXV. 40. At mercenarius tenetur operas præscriptas exequi. Quidni & servus? Verum, quia monente *Salomone Prov.* XXIX. 19. II. Conferri meretur illud *Menandri*:

> Δουλογενομένου δοῦλε δουλεύειν φοβοῦ.
> Ἀμνημονεῖ γὰρ ταῦρος ζυγοῦ.

> *Servire servo metue, qui servus fuit.*
> *Jugo absoluti semet non norunt boves.*

Servi מנער ob animi teneritudinem delicatius a Dominis habit tandem ipsos tractant ut infantes, hinc verbis non mo-

modo sed & verberibus subinde castigari debent, qui suo officio desunt. Hanc castigandi potestatem Dominis Hebræis denegare non possumus. Patrisfamilias est curare, ut familia sit incorruptis moribus, servi a contumacia & negligentia, liberi a corruptione præserventur, necesse itaque est, ut media, quæ ad hunc finem obtinendum conducunt, in ipsorum potestate sint posita. Et quando *Deus* prospexit, ut moderatæ sint pœnæ. *Exod.* XXI. 20. 26. 27. Annon hoc ipsum supponit facultatem servorum malitiam vel emendandi vel frangendi. Nec desunt Exempla. Elisæus puerum suum propter talentum citra ipsius consensum a Naamane acceptum punivit 2. *Reg.* V. 27. *Idcirco*, ait *lepra Naamanis adhæreto tibi & semini tuo in sæculum. Sic egressus est a conspectus ejus affectus lepra alba, sicut nix.*

XXXVIII. Potestati dominicæ in servis respondit obediendi necessitas. Cl. *Abicht*, *in Diss. de Serv. Hebr. æquisitione* §. 7. *pag.* 27. de debito servorum obsequio explicat verba Davidis: *Ps.* CXXIII. 2. כעיני עבדים אל יד אדוניהם כעיני שפחה אל יד גברתה: *ut oculi servorum spectant ad manum Dominorum suorum, ut oculi ancillæ ad manum heræ suæ &c.* q. d. Sicut servi cum omni attentione atque expectatione mandata dominorum excipiunt & exequuntur. Aliud tamen *Maim.* placuit, qui locum illum sequentem in modum exponit: *Hilch. avod. cap.* IX. §. 8. f. 148. *cap.* IV. חכמים הראשונים היו נותנין לעבד מכל תבשיל ותבשיל שהיו אוכלין ומקרימין מזון הבהמות והעבדים לסעודת עצמו הרי הוא אומר כעיני עבדים וגו׳: *Sapientes veteres de quovis cocto, quod comederunt servis suis dederunt, & prius quam ipsi cibum sumserunt, pecudes & servos suos cibarunt. Hinc Psaltes dixit: sicut oculi servorum &c.* Verum neuter mentem Scriptoris Sacri fuit assecutus. In Psalmo memorato nec de mandatis domini, nec de servorum cibatione sermo est, sed David *Deum* ibi veneratur, ut tandem cesset ipsum per aliorum contemtum & injurias castigare, quod declaratur verbis postremis hujus v. & v. *seq.* oculi mei ad te respiciunt, donec gratiam feceris mihi. חנני יהוה חנני כי רב שבענו בוז: *Miserere mei, Domine, gratiam fac mihi, quia satis est, saturi sumus contemtu.* Is proinde verborum sensus est, quem *Augustinus* nobis exhibet: *enarr. in hunc Psalm. Qui sunt*, inquit, *servi isti & ancillæ, qui sic habent oculos in manum Domini directos, nisi qui jubentur cædi*, & paulo post. *Fac ergo aliquem Dominum jussisse servum suum cædi, vapulat servus, sentit plagarum dolores, attendit ad manus Domini sui, quoad usque dicat parce. Manus enim potestatem dicit.* Aliæ tamen phrases suppetunt, quæ hanc obedientiam involvunt, veluti servire, stare coram Dominis, *Jer.* LII. 12. *coll.* 2. *Reg.* XXV. 8. quo notatur, quod servi in Dominorum potestate constituti teneantur dominorum mandata expectare & exequi.

XXXIX. Ex generali servorum obligatione ad obedientiam derivari debent specialia eorum servitia. Fuerunt autem ea partim servis Hebræis communia cum Cananæis, partim ipsis priva. Ad priora spectant agricultura & custodia gregis sibi commissæ. Utriusque meminit *Christus*: *Luc.* XVII. 17. Τὶς δὲ ἐξ ὑμῶν ἔχει δοῦλον ἀροτριῶντα ἢ ποιμαίνοντα. *Quis vestrum habet servum arantem aut pascentem?* Hinc *Raschi* ad verba: Quasi mercenarius & advena erit tecum. עבודת קרקע ואומנות כשאר שכירים תתנהג בו: *Operi ruri faciundo, artique exercendæ non aliter ac mercenarios aliosque conductitios adhibeto.* Servorum quoque fuit negotia domestica curare, convivas ad epulas tum ante justo tempore, tum etiam sub ipsam cœnæ horam invitare, *Prov.* IX. 1. 8. *Matth.* XXII. 3. *Luc.* XII. 4. si cæteris præfecti essent, ipsis alimenta & alia justo tempore præbere debuerunt. *Luc.* XII. 4. Fuerunt denique servi ad mercaturam adhibiti, quod ex *Christi* parabola, *Matth.* XXV. 14. conjici potest. Opinatur equidem *Cl. Abicht*, *in Diss. cit.* §. 4. *p.* 33. sub nomine δούλων ibi venire liberæ sortis ministros, sed non video, cur a proprio vocis significatu sit recedendum. Nulla enim documenta prostant, quæ doceant mercaturam liberorum hominum privilegium fuisse, multo minus probati potest famulos sive liberos ministros apud Judæos in usu fuisse. Nec emphasi caret, quod ἴδιοι αὐτοῦ δοῦλοι vocentur, qua phrasi innuitur, ipsos fuisse servos more consueto & legitimo acquisitos, ipsique proprios. Accedit, quod pœna servis propria illi servo, qui talento suo abusus fuit, jussu Domini fuerit inflicta. *Conf. Diss. m.* 1. *de Servis not. a. ad* §. 29. *p.* 30. Ministerium servo Hebræo proprium fuit procreatio sobolis in usum Domini. *Exod.* XXI. 3. Verum quidem est, prolem servi Cananæi similiter domini potestati addictam fuisse, sed negamus Cananæo invito ancillam jungi potuisse, ut procreet servilem sobolem. Tandem huc referri debent officia, quibus servi regum defungi tenebantur, quæque satis accurate describuntur. 1. *Sam.* VIII. 11. &c. בניכם יקח ושם לו במרכבתו ובפרשיו ורצו

ורצו לפני מרכבתו ולשום לו שרי אלפים ושרי חמשים ולחרש חרישו ולקצור קצירו ולעשות כלו מלחמתו וכלי רכבו ואת בנותיכם יקח לרקחות ולטבחות ולאפות: *Filios vestros accipiet & disponet in curribus & equitibus suis, ut currant ante cursum suum, & ad disponendum sibi chiliarchos & præfectos quinquagenis, & ad arandum arva sua, & ad metendum messem suam. Similiter filias vestras accipiet in unguentarias, coquas & pistrices.* Huc denique referimus armigeros, 1. *Sam.* XIV. 1. equites & tandem sitarchos, quorum officium fuit mensæ regis prospicere, & per mensem ministerio mensæ fungi, nec non hordeum & stramen in equos & in angarias adferre ad locum ubi erant. 1. *Reg.* IV. 26. *& seqq. Conf.* Schikard. *de Jure Reg. Hebr.* De Operis servorum apud alias nationes alii pluribus egerunt, & quidem de Romanis *Pignorius* & *Popma*; de Græcis *Meursius*, *Cragius*; & *Petitus*, de Helotis in speciali Diss. *Carolus Schlægerus*; de Germanis *Potgieser*, *Thomasius* & alii legi possunt.

XL. Tres potissimum virtutes in servis ejus ætatis desideratæ & laudatæ fuerunt. (א) Obedientia, qua opus injunctum promte & diligenter perficitur. Hanc *Christus* commendat dicendo: *Luc.* XII. 43. *Beatus ille servus, quem Dominus, quum venerit, inveniet ita facientem* (nimirum, prout a Domino mandatum fuit). (ב) Prudentia, qua quis commodis domini cum fructu invigilat. Ejus præstantiam deprædicat prudentissimus *Salomo* tum *Prov.* XIV. 35. רצון מלך לעבד משכיל: *Benevolentia Regis erga servum prudentem*: *tum* Prov. XVII. 2. עבד משכיל ימשל בבן מביש: *servus prudens dominatur in filium pudefacientem*. (ג) Fidelitas, qua quis res domus sibi commissas sine fraude, sedulo & accurate curat. Hanc vehementer laudat Rex memoratus, quando scribit: *Prov.* XXVII. 18. נצר תאנה יאכל פריה ושמר אדניו יכבד: *Qui custodit ficum, fauctum ejus comedet, & qui Domino fidelis est, honorabitur.*

XLI. *Deus*, qui prospexit Dominis servos ad officium exstimulando, servorum non minus causam egit, quando Dominis præter officia naturalia injunxit lenitatem declaranda in emtione venditione, operarum exactione, pœnarum inflictione, victus & amictus supeditatione, & tandem remuneratione.

XLII. A venditione legislator omnem severitatem removit his verbis: *Lev.* XXV. 42. לא תמכור ממכרת עבד *Non vendito eum venditione servili*. Hinc patescit verum esse, quod *Plato* scribit Epist. 9. *Moderata est servitus, quæ* Deo *placet; immoderata, quæ ad hominum libidinem exigitur.* Cum illa Hebræorum lege *Eusebius* confert Platonis interdictum, *quo Græcum Græco servire prohibuit, ut Græcia ad Barbaros versa facilius a se ipsa abstineat.* Vi. ejus Præp. Evang. lib. XII. cap. 24. Similiter apud Thessalos, qui non genere, sed fortuna erant servi, non servili venditione venditione venditi sunt, sed media inter liberos & servos conditione habebantur & hinc πνεύσθαι pauperes dicebantur potius quam δοῦλοι. Romanorum addictos, qui privatim heris operas suas addixerunt serviisse, at non servos fuisse observat *Fabius*. Nec desunt, qui Christianis a *Paulo* 1. *Cor.* VII. 23. verbis: Μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων idem injunctum esse censent. Verum explicat Apostolus mentem suam *Eph.* VI. 5. 6. οἱ δοῦλοι ὑπακούετε τοῖς κυρίοις μὴ κατ᾽ ὀφθαλμοδουλείαν ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, ἀλλ᾽ ὡς δοῦλοι τοῦ Χριστοῦ. Quid sibi illa phrasis velit, tum demum adparet, quando significatus vocis עבד accurate constat. Per illam vero heic servum communem vel mancipium nota riantecedentia, consequentia & res ipsa docet. Eo enim sensu illud nomen adhibetur ver. 39. ubi עבודת עבד opponitur servitio mercenarii cujus mentio fit v. 40. & v. 44. ubi servos ex gentibus circumjacentibus petendos esse monetur. Hos autem mancipia fuisse subsequentia evincunt. Et tandem, cum hic servus opponatur servo Hebræo, ejus quoque conditio multo deterior sorte Hebræi supponetur. Quis proinde non videt, mancipii statum eo vocabulo exprimi? Verum ut pateat, quid sit venditio talis mancipii, oportet notare, qua de causa, quo modo, & sub quibus conditionibus servi communes fuerint venditi. Pagani sive prælio sive obsidione devicti tanquam captivi in servitutem fuerunt redacti, *Deut.* XXI. 10. *Num.* 26. *Josephus Archæol. lib.* IV. *cap.* 7. & quidem publice, præcone præcedente, qui eorum venditionem proclamavit, in platea vel ad locum mercatus: Judæis illud extra controversiam positum est. In Scriptura non aliud publicæ illius venditionis documentum occurrit, præter solennem perforationis ritum, quo ipso Hebræus, qui privilegio renunciavit עבד עולם mancipium quasi perpetuum publice factus & declaratus est. Aliis tamen gentibus publicam servorum venditionem receptam fuisse manifestum est. *Græcis, ubi venalia perducuntur mancipia cicli, ubi vero conscendunt, ut essent conspicua omnibus, trapezæ dictæ sunt.* Alex. ab Alex. Dier. Gen. lib. III. cap. XVI. f. 152. b. Hinc

He-

Hesychio dicitur *τόπος ἐν ἀγορᾷ, ἔνθα σκεύη καὶ σώματα πιπράσκεται locus in foro, in quo vasa & mancipia vendebantur*, & Harpocration Κύκλοι ἐκαλοῦντο οἱ τόποι, ἐν οἷς ἐπωλοῦντο τινες. Apud Romanos præco lapidem ascendebat & venales proclamavit, qui postmodum de lapide emti dicti sunt. *Vid. Erasm. Adag. Chil.* II. *cent.* X. *num.* 77. *& conf. Plaut. in Asin. Act.* I. *Sc.* I. *v.* 16. *& in Bacchidibus Act.* IV. *Sc.* VII. *v.* 16. 17. Alii pileati fuerunt expositi, quorum nomine emtori venditor nihil præstabat. *Aul. Gell. Noct. Attic.* L. VII. *cap.* IV. quibusdam titulus fuit inscriptus, ita ut intelligi potuerit, quid vitii morbive cuique sit, quis fugitivus errove sit &c. Idem *lib.* IV. *cap.* 2. Nonnulli stigmatibus sunt notati, ut Dominus nosceretur. *Ultr.* ad *Apoc.* XIII. 16. Alii sub hasta aut corona vendebantur *Alex.* ab *Alex.* loc. cit. subinde de catasta emti fuerunt. Vid. *Gollingii Diss. Philol.* de Catasta servorum, ea simul conditione, ut in perpetuum Dominis serviant, & ab eorum nutu toti pendeant. *Lev.* XXV. 45. 46. Hac ratione Hebræos vendere prohibuit Legislator: Non vendes ipsos venditione servili, i. e. I. Non subjugabis Hebræum in bello civili captum, nec eum vel conterraneis vel aliis addices. Victoria enim pretium est, quod pro mancipio pagano, non vero pro fratre solvitur. *Vid.* supra §. 3. II. In ipsa autem venditione fratris honori parcendum erit. Quapropter non publice servorum more ipsum vendes, puta, quod super lapide sistatur & præco alta voce exclamet: Hic vænum exponitur servus, III. nonnisi ad 6. annos vel Jubilæum poterit addici. Mancipia enim sunt perpetua, sed servi Hebræi fuerunt temporarii, *Exod.* XXI. 2. & alibi, IV. cum tibi non idem jus competat in Israelitam, quam quidem in paganum, hinc nec Hebræum, qui tuæ potestati subjectus est, alteri de novo vendere poteris, *Vid. supra* §. 36.

XLIII. Ad operas denique, quas injunxerunt, lenitas illa fuit extendenda. LXX. huc referunt sequens interdictum, *Lev.* XXV. 43. לא תרדה בו בפרך *Non dominaberis in eum cum sævitia*, ex eorum versione, οὐ κατατείνεις αὐτὸν ἐν τῷ μόχθῳ. *Non conficies eum labore*. Mallem ego cum *Philone*, *lib.* II. de specialibus legibus ad *Deut.* XV. Conferri hic meretur dictum *Salomonis* quod exstat *Prov.* XIV. 3. עשק דל חרף עשהו ומכבדו חנן אביון: *Qui opprimit pauperem, spernit creatorem ejus, qui hunc autem glorificat, miseretur egens*, transferre per κατακόρως χρῆσθαι τῆς ἐξουσίας κατὰ τῶν οἰκέτων, quia non ad solos labores sed & ad pœnas servorum in verbis citatis respicitur. Vi hujus legis non licuit Hebræis imponere labores I. indeterminatos, quorum finem, modum, tempus, locum servi ignorarent. Neque enim nares porcinæ ipsis sunt, ut odorari possint, quid his in partibus domino placeat: II. frustraneos, unde nullum commodum ad Dominum, ejus familiam & œconomiam redundaret. III. infinitos, qui eorundem vires superarent, sive absolute fuerint impossibiles, cujus generis fuit servitus Ægyptiacæ, quæ hinc *liquefactio in ferro catini* dicitur, *Deut.* IV. 20. (α) quia Ægyptus fuit regio extremi caloris, (β) quia Israelitæ subjecti fuerunt, שרי מסים præfectis liquefactoribus, & tandem (γ), quia sub immensis laboribus eorum anima fuit liquefacta; sive relative, quatenus servi ministeria sibi injuncta non calluerunt, huc spectat exemplum Domini, peregre abeuntis, qui servis suis bona sua commisit, ut cum illis negotiarentur, & quidem uni 5. alteri 2. talenta tertio unum dedit, ἑκάστῳ κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν *cuivis pro viribus suis*, ita ut nec absolute, nec relative impossibilia ab ipsis exigeret. IV. illicitos, qui conscientiam læderent, & in *Deum* aut proximum injurii fuissent.

XLIV. Verum quia *Deus* insuper discrimen quoddam inter servos Hebræos & paganos statuere voluit, hinc prohibuit labores his proprios ab illis exigere. En tibi verba legis, *Lev.* XXV. 39. לא תעבוד בו עבודת עבד: *Ne cogas ipsum servire servitium mancipii*: sive ut *Raschi* explicat: לא תעבוד בו עבודה שיהא ניכר בה בעבד: *Non injunges ipsi ministerium turpe & vile, quo, agnoscitur esse servus*. Referuntur autem ad ministerium servi communis (א) solutio calceorum. Teste namque *Theophylacto*: *in Hom. ad Job. lib.* 27. plura *in seq.* parte hac de re monebo, Τὸ λύειν τὸ ὑπόδημα τῆς ἐσχάτης διακονίας ἐστι *solvere calceum infimum ministerium est*. (ב) Functio ostiarii. Ad portas enim excubare vilissimorum hominum officium fuit, quare veteribus hujusmodi servi canes vocantur, *Vid.* Saubertus *de Sacrif. Veterum cap.* XIV. *pag.* 337. nec desunt, qui servos ostiarios Epulonis in illa *Christi* parabola, *Luc.* XVI. 22. per canes intelligendos esse judicant. Amelius *in Diss. ad h. l.* Ejus autem cogitata de *h. l.* & illo Paulino 2. *Chor.* XI. 23. *examinat* Gabr. Fischer. *in Diss. Philol.* Regiomonti 1712. edita. (ג) Molæ circumactio. Hinc *Deus*, quando Mosi indicat, se Ægyptiorum primogenitos a maximo ad mini-

nimum interfecturum esse, his utitur verbis: *Exod.* XI. 5. ומת כל בכור בארץ מצרים מבכור פרעו הישב על כסאו עד בכור השפחה אשר אחר הרחים: *Et morietur omnis primogenitus in terra Ægyptiorum a primogenito Pharaonis, qui sessurus erat super thronum ejus usque ad primogenitum ancillæ, quæ est post molas*. Sunt qui memoratis officiis alias adjungunt operas, veluti Dominum induere, portare instrumenta in balneis adhibenda, devestire, lavare, ungere, fricare &c. *Gem. Bab. Kidd. f.* 22. 2. Sed de his infra. Justo denique modo operas fuisse exigendas dubium nullum est; si verparum Magistris fides habenda, non licuit mulierum servitia viris injungere, nec ministeria noctis cum operis diurnis confundere. Moses Mikotzi *præc. negat.* 174. 175. & alii *Vid. infr.*

XLV. Et tandem cum ratio valetudinis simul habenda sit, siquidem corpus ægrum laboribus impar est, hinc suo quoque tempore quies fuit concedenda. *Deus* cæteris hac in parte præivit, quando præcepit, ut servi singuli & universi die septimo ab operibus suis quiescant, *Exod.* XX. 10. *Deut.* V. 14. *Conf. lib.* 26. *ff. de operis libert.* quo instituto supremus Legislator miseræ servorum conditioni subvenire. Judæorum fastum supprimere, quippe qui hac lege monebantur, se natura & origine a servis nihil differre, nec non cavere voluit, ne quies Sabbathi per illos homines turbetur.

XLVI. Lege quoque cautum fuit, ne domini in pœnis se immites præbeant, & modum excedant: *Exod.* XXI. 26. 27. וכי יכה איש את עין עבדו או את עין אמתו ושחתה לחפשי ישלחנו תחת עינו ואם שן עבדו או שן אמתו יפיל לחפשי ישלחנו תחת שנו: *Quum quis percusserit oculum servi sui vel ancillæ suæ, liberos dimittet ipsos pro oculis suis. Et si dentem servi sui vel dentem ancillæ suæ excusserit in libertatem dimittet ipsos pro dente*. Hebræis proxime in lenitate accedunt Athenienses, quorum servi, si crudelius fuerint habiti, injuriarum actionem contra heros instituere, eosque eo adigere potuerunt, ut mitiori domino ipsos venderent. Vid. *Plutarchus* de superstitione *pag.* 166. & si hoc remedio uti noluerint, licuit ipsis ad templa Thesei & Furiarum tanquam ad asyla confugere, unde abigi non potuerunt *Aristophanes* in equitibus *v.* 1309. Similiter *Anton. Pius* servos ab injuria defendit §. 2. Inst. de his, qui sui vel alieni juris sunt. *Germanis veteribus nefas habebatur servum verberare*. Alex. ab Alex. Dier. Genial. lib. III. cap. XX. *Tacitus* Hist. cap. 14.

Placuit mihi sequentia notare, ut verbis exigua quædam lux adfundatur.

XLVII. (א) Subjectum, cujus mentio infertur, est servus, non modo Chananæus, sed & Hebræus. Judæi quidem Hebræos heic excludunt, & legem strictius de Cananæis interpretantur. Verum ignorat hanc limitationem contextus non modo hujus versiculi, sed totius capitis, ignoravit eandem accuratus hujus legis interpres *Philo*, loco mox citando, respuit denique hanc restrictionem mensura probabilitatis. Quis enim verosimile putaret, a *Deo* Hebræi populi Rege ac vindice majora privilegia servis Chananæis, quam Hebræis concessa fuisse? inprimis cum aliis in casibus clementia erga Servos Hebræos multis commendata, & severitas prohibita fuerit.

XLVIII. (ב) Castigatio utriusque servi fuit permissa, si saltem justa adesset causa. Non modo dictamen sanæ rationis tantum juris dominis in servos tribuit, sed nulla quoque specialis lex servorum vitia pœnis coerceri vetuit, unde ad minimum colligitur, impune servos ab heris fuisse castigatos; Accedit tandem, quod certi ponantur limites servorum suppliciis, quod omni ratione careret, si omnis censura fuisset prohibita. *Conf.* præter supradicta *Prov.* XXIX. 19. *Syr.* XXIII. 10. XXXIII. 27. *& seqq.*

XLIX. (ג) Excessus tamen in illa castigatione vitari debuit. *Prov.* XIV. 11. *Syr.* VII. 22. Nefas fuit membrum quoddam servi vel ancillæ ita lædere, ut hinc inutile reddatur ad officium suum præstandum. Nemini mirum videri potest, quod verbis latiorem tribuamus sensum, cum tamen specialis in illis notetur casus. Etenim, *Levit.* XXV. 43. privilegia, non principium, ut Jure consulti ad assentationem eruditi philosophari amant, sed hominum miserorum, servorum &c. late sunt interpretanda. (b) Fons hujus privilegii fuit lex generalis לא תרדה בו בפרך: *Non dominaberis in ipsum cum sævitia*. Sævitia autem non minor occurrit in læsione reliquorum membrorum, quam dentis & oculi. (c) Nihil obstat, quo minus his quam præcedentibus verbis eandem latitudinem tribuamus. Jam vero a v. 22.-26., ubi jus talionis exponitur, expresse monetur, non tantum oculum pro oculo, dentem pro dente reddendum esse, sed & manum pro manu, pedem pro pede. Quidni hinc concludamus servis a dominis non modo pro oculis corruptis aut dentibus excussis, sed & pro manu abscissa aliisve membris libertatem fuisse reddendam? (d) Parium par ubique habetur ratio. At *Paulo* teste,

ſte, 1. *Cor.* XII. 19. 20. 21. πολλά μὲν μέλη, ἓν δέ σῶμα. Οὐ δύναται ὀφθαλμός ἔιπειν τῆ χειρὶ σόυ ὀυκ ἔχω ἢ πάλιν ἡ κεφαλὴ τοῖς ποσι χρείαν ὑμῶν ὀυκ ἔχω. Α᾽λλά πόλλο μάλλόν τὰ δοκόυντα μέλη τῦ σῶματος ἀσθενέςερα ὑπαρχέιν ἀναγκαία ἔςι. *Multa quidem membra ſunt, unum vero corpus. Non poteſt autem oculus manui dicere, Te mihi non eſt opus, aut rurſum caput pedidus. Non eſt mihi vobis opus. Immo multo potius, quæ videntur membra corporis infirmiſſima eſſe, ſunt maxime neceſſaria.*

L. (ד) Non tamen ratione ſua caret, quod oculi & dentis præ cæteris mentio fiat. Nimirum voluit *Deus* hoc ipſo duplex damnorum genus notare & arcere, alterum, quod membris externis, & alterum, quod internis infertur. In externis merito oculus primas ſibi vindicat partes, ſiquidem corporis lucerna eſt. *Matth.* VI. 22. Quapropter cæterorum loco ponitur & nominatur. Ex internis dentes nobis maxime ſunt perſpecti, quia labiis remotis ſtatim adparent, & uſus eorundem maxime familiaris & communis, hinc etiam in caſtigationibus magis læſioni obnoxii ſunt, quia irati facillime manum verſus offenſoris faciem extendunt, & alapis, quas vehementius infligunt, vel oculos corrumpunt, vel dentes excutiunt.

LI. (ה) Pœna feris illis heris irrogata nec ultra modum ſevera nec remiſſa nimis, ſed ſceleri adcommodata fuit. Extat in hanc rem pulcher locus *Philonis*, qui haud parum hanc legem illuſtrat. *in lib.* 2. de Legibus ſpecialibus ad *Ex.* XXI. Οὕτω γάρ, inquit, ὃς μὲν ἀνθ᾽ ὧν ἔδρασε, διττὴν ἐκδέξεται ζημίαν, ἅμα τιμὴν καὶ τὴν ὑπηρεσίαν ἀφαιρεθείς, καὶ τοῦτον ὁ τῶν λεχθέντων χαλέπωτερον ἀναγκαζόμενος ἐν τοῖς μεγίςοις ἐυεργέτειν ἔχθρον, ὃν ἴσως ἤυχετο κακῶν ἀει δύνασθαι, ὅδε, ἀνθ᾽ ὧν ὑπέμεινε, παρηγορίαν ἕξει διπλὴν, ὀυ μόνον ἐλευθερωθεὶς, ἀλλά καὶ ἀργαλέον καὶ ὠμὸν δεσπότην ἐκφυγων. *Sic ille pro facto duplicem pendet pœnam, amiſſis & operis & ſervi pretio, & adhuc tertium his duobus gravius, quod cogatur in rebus maximis benefacere homini exoſo, & quem optaſſet ſemper vexare poſſe, alter autem pro malo, quod pertulit, duplex habet ſolatium non libertatem tantum adeptus, ſed a tam fero ſævoque domino exſolutus.* Ad hanc legem videtur alludi verbis *Jeſajæ cap.* XVIII. 6. הלא זה צום אבחרהו פתח הרצבות רשע התר אגדות מוטה ושלח רצוצים חפשים: *Nonne hoc eſt jejunium, quod eligo, ut ſolvatis nexus improbitatis, & diſſolvatis faſces loris vinctis & liberos dimittatis conquaſſatos?* (i. e. ſervos, quorum membra a vobis ſunt conquaſſata & violata) Hinc quoque explicari debet phraſis, quæ occurrit *Luc.* IV. 18. ἀπόςιλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει.

LI. Familiæ ut bene ſit provideto, ne algeat, neve eſuriat. Non magis Iſraelitæ ſuam in ſervos voluntatem atque lenitatem teſtatam facere potuerunt, quam victum & amictum præbendo. Nec eſt, cur dubitemus hoc in officiis Judæorum haud fuiſſe poſtremum. Extat hac de re lex generalis & ſymbolica, quæ ad ſervos & mercenarios æque ac miniſtros publicos ſpectat; nimirum, *Deut.* XXV. 4. לא תחסם שור בדישו *Bovi trituranti os ne occludas*, quibus verbis innuitur, æquum non eſſe rei cuipiam operam dare, neque tamen ex ſua opera fructum colligere ad ſui conſervationem & ſuſtentationem. Quod non parum confirmat *Syracidis* monitum *Cap.* XXXIII. 25. *Pabula, virgaque & onera ſunt opus aſino, cibus, & caſtigatio, operaque famulo.* Accedit, quod ancillæ Hebreæ alimentum vel operimentum denegare nefas fuerit, *Exod.* XXI. 20. cur autem hac in parte melior ancillæ, quam ſervi conditio eſſe debeat, non video. Rabbini inſuper hoc probant ex comparatione ſervi cum mercenario, quia de poſtremo dicitur ישב עמך *ſit tecum*, *Deut.* XXIII. 16. nimirum in potu, cibo, veſtimentis & lecto. At potiori jure huc referuntur verba *Deut.* XV. 16. כי טוב לו עמך quibus verbis docetur, cauſam ſervitutis perpetuandæ ſimul fuiſſe mite heri dominium, vi cujus ſervus proſpere egit, ſiquidem ei nec cibaria ad vitam ſuſtendandam, nec veſtimenta ad frigus arcendum defuerunt. Verum cum ſervus nihil proprium habeat, hinc nec uxori nec liberis ſuis proſpicere poteſt, quapropter eorum cura incumbit hero, qui ipſis ſimiliter neceſſaria vitam ſervandi media ſubminiſtrare debuit. Videtur primis temporibus mulierum potiſſimum officium fuiſſe cibare ſervos & ancillas; hinc *Prov.* XXXI. 14. ad ipſum virtutibus mulieris accenſetur verbis ſequentibus: ותקם בעוד לילה ותתן טרף לביתה וחק לנערתיה: *Et ſurgit, cum adhuc nox eſſet & dat eſcam familiæ ſuæ & dimenſum puellis aſſignat.* Cæterum nemo non videt ſervos oportuiſſe contentos eſſe cum iis, quæ Domini voluntas conceſſit; Nam ut in genere *pietas cum animo ſua ſorte contento magnus quæſtus eſt*, 1. Tim. VI. 6. 8. *quare habentes alimenta & quibus tegamur, hæc nobis ſatis erunt:* ita in ſervis præprimis hoc deſideratur, quippe qui jure perfecto ultra neceſſaria nihil a dominis exigere poſſunt. *Elle Schemot Rabba Sect.* 19. *& Berachot. fol.* 58. 1. Nul-

Nulli hac in parte liberaliores fuerunt, quam Lacedæmonii. Audiamus *Plutarchum in Instit. Lacon. pag.* 239. Οἱ εἵλωτες τοῖς Λακεδαιμονίοις ἐργάζοντο τὴν γῆν, ἀπόφοραν τὴν ἄνωθεν ἐσαμένην. Ἀπαράτον δὲ ἦν πλείονός τινα μισθῦσαι. *Helotes Lacedæmoniorum colebant agros, pendebantque reditus antiquitus constitutos. Exsecrabile autem erat, si quis pluris prædium locasset.* Plut. hoc factum esse perhibet ἵνα εἵλωτες κερδαίνοντες, ἥδεως ὑπέρετωσιν, *ut Helotes lucrum facientes eo libentius serviant.* Sed probabilius est, hanc subesse rationem, ne Lacones effœminati fiant pecuniæ abundantia. Nec servis Atheniensium aliquid defuisse non modo ad sustentationem, sed & ad luxum docet locus *Plauti* supra allegatus. Videntur etiam certæ ciborum species servis propriæ fuisse. Hinc *Persius Sat.* IV.

> *Tunicatum cum sale mordens cæpe*
> *Allium quoque cibus servorum Græcorum.*

Servis Romanis contra Dominos ipsos fame torquentes auxilium præbet *Antoninus* §. 2. I. de his, qui sui vel alieni juris sunt. *Lib.* I. §. 3. *C. de Latinit. lib. toll.* Demensum sive σιτόμετρον tempore Senecæ constabat 5. modiis & 5. denariis Vid. ejus *Epist.* LXXX. Nihilominus in universali fame fraudabant parte diurni cibi servitia LIV. IV. 12. *Conf Laurent. de prand.* & cœna veterum. Apud Germanos adhuc laxior erat servitus, dum sibi acquisiverunt, & proprium peculium habuerunt. *Alex.* ab *Alex.* loc. cit. Recentius adhuc *Clemens Const. Ap.* IV. *prohibuit ne ab ejusmodi sævis & sanguinariis hominibus, qui fame, verberibus, & acerbo dominatu familiam vexarent, oblata recipiat Episcopus. Damnatur ab historicis crudelitas Siculorum, qui captivos fame necabant.* Vid. *Diod. Sic. rer. ant. l.* XII.

LII. Ultimum lenitatis documentum cernitur in manumissione, siquidem servus Hebræus non vacuus fuit dimittendus, sed muneribus, quæ de grege, area & torculari sumenda fuerunt adficiendus *Deut.* XV. 13. 14. *coll. cum v.* 18. de quibus infra plura recurrent.

LIII. Scriptura, quæ in tradendis servi Hebræi privilegiis satis prolixa fuit; in exponenda liberorum prærogativa præ servis admodum parca est, quod ideo dubio procul factum, quia Domini natura sua proni sunt ad supprimendos subditos, eorumque jura imminuenda, quapropter legibus non tam heris, quam miseris servis fuit prospiciendum. Quædam nihilominus ad ductum Scripturæ & *Josephi* hic notanda veniunt. Reliqua Rabbini in cap. sequenti suppeditabunt. Discrimen quoddam sub lege fuisse inter liberos & servos vel inde satis evidenter adparet, quia *Paulus* plus una vice Œconomiam novam præ veteri & legali eo quoque nomine commendat, quod nunc omnis differentia Judæos inter & gentiles, liberos atque servos sublata sit *Gal.* III. 28. I. *Cor.* XII. 13. *Col.* III. 11. Quibus lucem fœnerantur alia duo loca, nimirum I. *Cor.* VII. 22. & *Eph.* VI. 8. Magnam autem libertatis præ servitute prærogativam fuisse nemo sanus in dubium vocabit. Nonne præstat sui quam alieni juris esse? Nonne illa pro privilegio fuit reputata? Quanto nisu illam & conservare & recuperare Israelitæ studuerunt? Quantum de illa gloriati sunt? Contra servitus ut jugum spectatur, quod maxime premit nostra colla. Verum non est, cur in re tam evidenti adeo prolixus sim. Discrepat autem sors servi a conditione liberorum tum in naturalibus, tum in civilibus, tum in ecclesiasticis, tum denique indifferentibus.

LIV. Naturalia concernunt vel animam vel corpus vel statum externum divitias, honores &c. Anima maculam contrahit ex servitute. Dimidium enim virtutis aufert latesonans Jupiter servo teste *Homero*, *Odyss. lib.* XVII. *v.* 323. & 324. *pag.* 502. sive servi spiritu servitutis impulsi sibi metuunt, *Rom.* VIII. 15. *conf. Diss.* Avi mei de Spiritu servitutis sub lege, in minutiis & externis hærent, neque ad excelsa animum erigunt, affectus sequuntur & rationi valedicunt: Vitiis indulgere animi servilis, non liberi & generosi est. Hinc veteribus servi σώματα a parte potiori dicta, quia parum rationis in ipsis observatur. *Vid. Apoc.* XVIII. 13. & *alibi*. παρρήσια nec in sermonibus, nec in actionibus pollent. Cum allusione ad statum naturalem hæc & similia bona in S.S. veræ & spirituali libertati appropriantur. *Vid. Hebr.* X. 16. &c. inprimis *v.* 19. Apud Persas famulo nec loqui, nec hiscere, nec spuere licuit. *Ammian. Marc. lib.* VI. *cap.* 23. *p.* 415. Corpus continuis laboribus, verberibus, cibis ad paratum non satis adcommodatis aliisve modis affligitur. Huc quoque respiciunt phrases de spirituali servitute adhibitæ, veluti quando servi peccati & legis *Matth.* XI. 28. ut κωπιόντες καὶ πεφορτισμένοι & *Matth.* XX. 12. *Pondus diei & æstum portantes* describuntur. Maxime autem status externus multis incommodis fuit obnoxius. Dignitas eorum fuit imminuta. Οὐκ ἔστι δοῦλος ὑπὲρ τὸν κύριον αὐτοῦ.

τ8. Ἄρκετον τῷ δȣ́λῳ ἐαν γένεται ὡς ὁ κύριος αὐτȣ̃. *Non est servus major Domino suo. Sufficit ipsi*, (immo superabundans quid est) *si æquiparetur Domino suo*. *Matth.* x. 24. 25. Ubique autem servi pro infimis habentur. Quare *Florus* non dubitavit novum hominum genus ex iis conficere. Rem extra dubitationis aleam constitutam testimoniis obscurare nolo. Beneficii loco habetur, quod servus Hebræus assimuletur mercenariis & indigenis *Lev.* XXV. 40. Quocum loco conferri meretur illud *Ciceronis in off. lib.* I. *cap.* XIII. *Est autem infima conditio & fortuna servorum, quibus non male præcipiunt, qui ita jubent uti ut mercenariis, operam exigendam, justa præbenda*. Hos ipsos autem fuisse ex postremis Judaicæ reipublicæ membris nemo ignorat. Ipsa denique servitus fuit reale testimonium extremæ inopiæ: Jure Romano servus nihil proprii habet *Sen.* VII. *ben.* 4. *Thuan.* 12. *p.* 254. administratio bonorum quidem ad ipsum, sed dominium vel possessio ad dominum pertinet *lib.* 16. *ff. de pecul.* quandoquidem nonnisi ob extremam paupertatem vel propter res alienas furto ablatas, qnas restituere non potuerunt, addicti sunt.

LV. Nec minora fuerunt servitutis incommoda in statu civili. *Paulus lib.* 3. *ff.* de capite minutis: *Caput servile nullum jus habet, caret nomine, censu, tribu*. Hæredes enim institui non potuerunt; ὁ ὑὸς γὰρ ἐςι κληρόνομος, *Gal.* IV. 7. Similiter ex *Inst. Tit.* XIV. *lib.* 2. de *Hærd. Instit. liquet*, servum non potuisse hæredem institui, quia in calatis comitiis comparere non potuit, nec mancipatio circa ipsum locum habuit: ab omnibus officiis & muneribus publicis fuerunt exclusi, non modo quia his indigni censebantur, sed & quod alias suo ministerio non potuissent defungi: Hoc etiam apud alias gentes obtinuit, inprimis tamen prohibitum fuit, ne servi militiæ nomen darent, quorsum spectat edictum *Mariani l. ab omni* 11. *ff. de re militari*. De Græcis idem refert *Jos. Laurent. de re vestiaria cap.* III. excipitur tamen casus necessitatis *Livius lib.* XXII. Jure Ecclesiastico servi invito domino ordinari & clerici fieri non possunt. *Vid. Frid. Spanhem. Misc. Sacr. lib.* VII. *p.* 896. & 897. & Ill. *Bohemer. in Jur. Eccl. lib.* I. *tit.* XVIII. *de servis non ordinandis*: hinc, quando *Jeremias* deploratum reipublicæ statum depingere voluit, hoc exttemæ miseriæ documentum allegat, *Thren.* v. 8. עבדים משלו בנו: *Servi nobis dominantur*. Denique ad testimonium servi admissi non sunt. Audiamus *Josephum*: Γυναικῶν μὴ ἐςω μαρτυϱία διὰ κυφότητα ϗ̀ θράσος τȣ̃ γένȣς αὐτῶν. Μαρτυρήσονται δὲ μήτε δȣ́λοι δια τὴν τῆς ψύχης ἀγενείαν ȣ̀ς ἡ διὰ κέρδος ἔικος ἢ διὰ φόβον μὴ τ' ἀλήθη μαρτυρήσαι. *Mulierum testimonium recipiendum non est propter levitatem & procacitatem generis earum. Sed neque servi testimonium perhibeant propter ignobilitatem animi, quos aut propter lucrum, aut propter timorem verosimile est non vere testaturos esse*. Ita Servis Græcis testimonium dicendi authoritas non competebat. *Vid. Joach. Stephanus de Juridictione veterum Græcorum cap.* X. Apud Romanos sub initium, cum alia indicia non adessent, ad testimonium dicendum admissi fuerunt, *lib.* 22. *Tit.* 3. *de probat. & præsumt. postea tamen Nov. Just.* 90. *cap.* 6. & *Nov. Leonis constit.* 49. ab omni testimonio exclusi fuerunt. Apud Wisigothos servis non licuit testari *L. W. Lib.* 2. *tit.* 4. §. 4. Tandem in judiciis non tanti fuerunt æstimati servi, quam quidem liberi. Hinc si quis liberum interfecisset, mortis pœna adficiendus fuit, etiamsi alter post unum alterumve diem adhuc in vivis esset. At si servus esset occisus ab hero suo, tum tempore illo præterlapso, de ipso vindicta sumi ulterius non potuit. Similiter quando quis oculum liberi corrupit, aut dentem ipsi excussit, jure talionis ejus membrum æque lædi potuit, vel etiam debuit, at servus pro membri sui læsione nonnisi libertatem recuperavit. *Exod.* XXI. 19. 20. 26. 27.

LVI. In Ecclesiasticis multa quidem servi privilegia cum liberis communia habuerunt; Ita utriusque licuit Sacris interesse, officiis pietatis defungi, quiete Sabbati frui, *Exod.* XX. 10. *Deut.* V. 14. (Nescio, an cum hac lege conferri debeat placitum aliarum gentium, quæ die festum instituerunt, quo domini cum servis non modo vescebantur, sed honores illis in domo gerere permiserunt. *Vid. Sen. Epist.* 47. *Alex. ab Alex. Dier. Gen. lib.* 11. *cap.* 22. *f.* 228. *Macrobius in Saturn.* & alii:) de fructu septimi anni & de Sanctis comedere, *Lev.* XXV. 6. & XXII. 11. agno paschali vesci, *Exod.* XII. 44. legem audire, quam post septennia quævis Pontifex Maximus in festo Scenopegias coram toto populo, & cujuscunque ætatis & conditionis hominibus, si a peregrinis discesseris, ab umbone recitavit, *Josephus Ant. Jud. lib.* IV. *cap.* VIII. *pag.* 289. in festis lætari modo nimirum præscripto, *Deut.* XII. 12. 18. XVI. 11. 12. Unde sponte sua liquet, servis licitum fuisse ingredi atrium, in quo Græcis cum Hebræis convenit. *Demostenes* enim contra Neæram testatur, Τοῖς ξέ-

vois

νοις καὶ τοῖς δούλοις ἔλθειν ἐξεῖναι εἰς τὰ ἱερὰ δημοτελῆ, καὶ θεασαμένους καὶ ἱκετεύοντας ἀπιέναι. *Peregrinis & servis licitum esto ingredi sacra publica vel videndi vel supplicandi causa*. Conf. de Romanis Inst. de his qui sui vel alieni juris sunt: & quæ sunt plura. Quædam nihilominus his concessa, illis autem denegata fuerunt. 1. Nemo servus ad officium ecclesiasticum promoveri potuit, etiamsi fuerit ex familia Levitarum. Hominum servi *Dei* ministri esse haud commode potuerunt *Lev.* XXV. & alibi, nec devoti nisi pristina servitute sublata ad ministerium sacrum admissi fuerunt. 2. Non consummata fuit servorum spes atque fides, siquidem servitus ipsorum *μνημόσυνον* quasi pristinæ in Ægypto servitutis esse debebat, quapropter *Deus* illam perpetuam esse noluit, eo quod sui servi sint, quos eduxit ex Ægypto, *Deut.* XV. 12. 15. *Lev.* XXV. 42. & quatenus naturali libertate gavisi non sunt, eatenus simul privati fuerunt symbolo & pignore veræ libertatis, *Es.* XI 1. 2. & LXI. 1. 2. *a servili legis disciplina*, Gal. IV. 5. 6. 7. Col. II. 16. 20. 31. *a mortis metu*, Hebr. II. 15. *a pædagogis*, Gal. IV. 2. 7. Hebr. II. 2. & XII. 9. 10. nec 3. tam plena aut perfecta eorundem cum cæteris communio in cultu *Dei* esse potuit, ac si sui juris, suarumque actionum domini fuissent.

LVII. In indifferentibus quoque quædam cernitur differentia. Fuerunt liberis sua peculiaria vestimenta, quibus ornari solebant; Vocantur illa בגדי חפשי. *Exech.* XXVII. 20. Possent hic plura adduci, si de servis Græcorum vel Romanorum sermo esset. At de servis Hebræorum hac in parte eadem non liquent. Scriptura enim has minutias maximam partem intactas reliquit. Qui conjecturis delectantur, iis permittimus ut ex ingenio suo fœcundo plura addant pluraque fingant. Videntur autem huc referri posse toga alba, quapropter Viri insignes in Sacris literis audiunt בני חורים, 1. *Reg.* XXI. 8. *Eccl.* X. 17. *Jer.* XXVII. 19. Judæis ingenuos ita dici infra notamus. *Conf. Woken. de albis Judæorum pag. 6.* Græcis similiter albam vestem libertatis signum fuisse probat d'Outrein in *Obs. Misc. p.* 175. nec non Romanis. *Vid. Abram. in not. ad Cic. Orat. in Luc. Pisonem c.* 38. Item annuli aurei, quorum mentionem injicit *Jacobus* in epistola sua, quam ad fideles Israelitas ἐν τῇ διασπορᾷ direxit. En tibi verba ejus. *Jac.* II. 2. Ἐὰν γὰρ εἰσέλθῃ εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν ἀνὴρ χρυσοδακτύλιος ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ &c. *Nam si quis in Synagogam vestram ingrediatur aureos in quovis digito gestans annulos veste splendida &c.* De illis viris χρυσοδακτύλους communiter dictum fuit: *In quocunque digiti articulo lucet gemma*. Conf. Cel. *Elsner.* in Obs. ad Luc. XV. 22. Calcei denique; *Vid.* Bynæus *de Calceis Hebræorum &* Balduinus *de calceo antiquo cap.* XXIII. *pag.* 210. *& seqq.* & tandem pileus. Huc respicitur 1. *Petr.* II. 16. ὡς ἐλεύθεροι καὶ μὴ ὡς ἐπικάλυμμα ἔχοντες τῆς κακίας τὴν ἐλευθερίαν ἀλλ' ὡς δοῦλοι Θεοῦ, quorum verborum hic sensus esse videtur. *Ambulate ut liberi, sed ne libertate illa abutamini* εἰς ἐπικάλυμμα *pro colorato pileo* (qui libertatis signum atque pignus fuit) *vel tegmine* Exod. XVI. 14. *malitiæ* tum in communi, ac si a lege *Dei* soluti essetis, eamque possitis adhibere εἰς ἀφορμὴν (ita Græcis quartus & summus concupiscentiæ gradus dicitur) carni *Gal.* V. 13. vel in specie odii, invidiæ, iræ, rebellionis in superiores, quæ in proverbio רשעה vocatur. *Vid.* 1. *Sam.* XIV. 14. Apud Græcos pariter servis Pileus non concessus fuit *Meurs. in Misc. Lacon. lib.* 1. *cap.* XVII. & de Romanis legi merentur Octav. *Ferrarius* de re vestiaria & Theoph. *Raynaudus* de pileo cæterisque capitis tegminibus tam sacris quam profanis. Alius econtra fuit servorum habitus, qui nudipedes, lintes succincti ministrarunt dominis suis, *Joh.* XIII. *Vid. Ligtfotus in hor. Hebr. ad h. l. D. Wolf. in Cur. crit. ad eund.* De vestitu servorum Romanorum *Vid. Jos. Laurent. de re vestiaria cap.* III. & certis signis apud veteres notati fuerunt. Similiter Domini prius cibum sumere fuerunt soliti, quam quidem servi, qui mensæ adstantes Dominis ministrarunt; *Luc.* XXII. 27. prout Salvator noster observat: *Luc.* XVII. 7. 8. Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν δοῦλον ἔχων ἀροτριῶντα ἢ ποιμαίνοντα, ὃς εἰσελθόντι ἐκ τοῦ ἀγροῦ ἐρεῖ εὐθέως Παρελθὼν ἀνάπεσαι: Ἀλλ' οὐχὶ ἐρεῖ αὐτῷ, ἑτοίμασον τί δειπνήσω, καὶ περιζωσάμενος διακόνει μοι, ἕως φάγω καὶ πίω: καὶ μετὰ ταῦτα φάγεσαι καὶ πίεσαι σύ *Quis autem vestrum habet servum arantem, aut pascentem, qui regresso ab agro dicat statim; Accede & recumbe? Nonne dicit ei, Para, quod cœnem & præcinctus ministra mihi, usque dum edero & bibero; postea & edito tu & bibito?* Maim. equidem in הלכות עברים *cap.* IX. §. 8. *f.* 148. contrarium testatur dum scribit חכמים הראשונים מקדימים מזון הבהמות והעבדים לסעודת עצמן הרי הוא אומר כעיני עבדים אל יד אדוניהם כעיני שפחה אל יד גבירתה: *Antiquiores nostri sapientes cibum dederunt jumentis & servis ante prandium suum. Idcirco David dixit: Sicut oculi servorum ad manus Dominorum suorum,*

rum, & oculi ancillarum ad manus dominæ ſuæ directi ſunt &c. Inſuper non licet ſervis de benefactis gloriari, cum omnes operas ſuas debeant dominis, quod ibidem innuitur. Μὴ χάριν ἔχει τῷ δούλῳ ἐκείνῳ, ὅτι ἐποίησε τὰ διαταχθέντα αὐτῷ· Οὐ δοκῶ. Οὕτω καὶ ὑμεῖς, ὅταν ποιήσητε πάντα τὰ διαταχθέντα ὑμῖν λέγετε ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν. Ὅτι ὃ ὀφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν. *Num gratiam habet ſervo illi, quando fecit, quæ ipſi* (præter operas ordinarias) *edicta fuerant? Non puto: ita & vos, quum feceritis omnia opera ſupererogatoria*, (wann ihr alle neben-Commiſſiones ausgerichtet habt) *dicite: ſervi inutiles ſumus; nam quod debuimus facere, fecimus*.

LVIII. Magna ſunt ſervitutis incommoda, quæ hactenus expoſui; at longe majora forent, ſi nulla libertatis recuperandæ ſpes ſupereſſet. Servis Hebræis fortuna adfulſit, quippe quæ medium ſervitutis tempeſtatem effugiendi ipſis reliquit. Variis autem modis in libertatem adſerti ſunt, quorum alii ſunt naturales, alii legales.

LIX. Ad naturales referimus (א) manumiſſionem ſtricte ſic dictam, qua Dominus vel domina ſervitutis vinculum, quo ſibi ſervi obligati fuerunt, libera voluntatis declaratione ſolverunt, iiſque liberum exitum propter fidelem & bonam, quam ſibi præſtiterunt, operam citra ullam compenſationem conceſſerunt. Hoc manumittendi jus heris Iſraeliticis, nemo, qui ſanæ mentis compos eſt, denegabit, ſiquidem nulli non licet juribus & commodis ſuis renunciare. Hinc legimus de Juditha, quod ancillam ſuam Abram manumiſerit, ſive in libertatem dimiſerit. *Jud.* XVI. 28. (ב) Redemtionem contractu vel pacto bilaterali conſtitutam & firmatam. Fatemur equidem nec propinquos potuiſſe obligari ad redimendum ſervum Hebræo addictum, nec dominum ad acceptandum redemtionis pretium. Quodſi tamen uterque ſe pacto obligarit, dominus ad libertatem reddendam, ſervus ad pretium ſolvendum, promiſſis ſtare tenebantur. Immo ſpectat ad officia domini, ne ſervo libertatis cupido obicem ponat, quo minus voti ſui compos fiat. Huc tendit Syracidis monitum *Syr.* VII. 21. *Famulum intelligentem diligito anima tua, neve ejus libertati viam intercludas*. Cui non diſſimilem eſſe puto legem de ancilla latam: *Exod.* XXI. 8. *Si mala videbitur in oculis ſuis, ita ut eam non deſponſet ſibi, illam redimi curabit*. Quo cum loco conferri meretur exemplum Diogenis Cynici, qui Manem ſervum, cum aufugiſſet, non modo verbere non adfecit, ſed liberum ire juſſit ac dimiſit, turpe exiſtimans Manem ſine Diogene vivere poſſe, non autem Diogenem ſine Mane *Ælian. var.* XXIII. 28. *Alex. ab Alex. lib.* III. *cap.* XX. (ג) liberationem ſervitutis ac moleſtiæ morte paratam. Mors ſervi ſuſtulit obligationem, ſiquidem ad impoſſibilia nemo tenetur, & hinc nec mortuus ad operationes vitales voluntati domini conformandas obligari poteſt, quia ejus vires ſuperant. Mors domini finem impoſuit juri & poteſtati dominicæ. Sublata poteſtate tollitur obligatio, quippe quæ juris correlatum eſt. Regeri quidem poſſe, ad filium, Patris imaginem & ſucceſſorem, in poſteriori caſu tranſiiſſe poteſtatem, & ita ſervitutis nexum nondum eſſe ſolutum. Sed, quamvis conceſſerim. In mancipiis hæreditariæ poſſeſſioni locum fuiſſe, *Lev.* XXV. 40. 2. liberos ſervorum dominorum filiis ceſſiſſe 3. pactis quoque talem poſſeſſionis continuationem potuiſſe decerni, immo 4. nihil certi hac in parte determinari poſſe, quia non expreſſa lex ea de re in Sacris tabellis extat, nihilominus perquam probabile mihi videtur, ſervos Hebræos cum eſſent temporarii & mercenariis æquiparandi, a Dominio liberorum patre mortuos fuiſſe exemtos, non tam ob phraſin, qua eorum venditio deſcribitur אם ימכר לך *Quando tibi* (non filiis tuis,) *venditur* &c. (quo argumentandi genere Judæi utuntur,) ſed quia de ſervis Cananæis in oppoſitione ad Hebræos prædicatur, illos demum jure hæreditario poſſe acquiri. En tibi verba legis *loco modo citato*. והתנחלתם אותם לבניכם אחריכם לרשת אחזה לעולם בהם תעבדו ובאחיכם בני ישראל איש לא תרדה בו בפרך: *Et jure hæreditatis poſſidebitis ipſos*, (*nempe Cananeos*,) *& filii veſtri poſt vos*, (*ſiquidem*) *eorum poſſeſſionem acquiretis, & in perpetuum eorum ſervitio utemini; at fratres veſtros Iſraelitas quod atinet, nemo in fratrem ſuum dominator cum ſævitia*. Morte proinde finitur ſervitus, quod ipſum teſtatur *Jobus* III. 18. *Parvus ac magnus illic* (nimirum in ſepulchro) *eſt; Servuſque liber a Domino ſuo*.

LX. Libertatis ſpeciem quandam eſſe fugam, obſervant Jure conſulti; *Vid. D. lib.* 21. *T.* 1. *de Ædil. edict. lib.* 17. §. 10. Eſt autem fuga remedium naturale, quo a poteſtate dominica de præſenti ſaltem liberamur. Hinc in quæſtionem venit, an Servis Hebræis licuerit a Tyrrannis ſive dominis durioribus aufugere an minus. Quod mihi videatur, paucis dicam. (א) Fugam proprie ac ordinario fuiſ-

fuisse illicitam jus naturæ & lex divina testantur. Pactum enim, quo servus Domino suas addixit operas, violatur. Hinc *Deus* ne quidem servo Hebræo permittere voluit, ut a pagano vel proselyto citra redemtionem aufugiat: *Lev.* XXV. 54. אם לא יגאל באלה ויצא בשנת היבל *Si modo memorato non fuerit redemtus, in anno Jubilæo* (demum) *exibit*, (in fugam se non conferet). Quanto minus proinde Hebræi dominio se subducere licuit? *Conf.* de servis fugitivis aliarum gentium *Alex. ab Alex. Dier. Gen. lib.* III. *cap.* XX. *p.* 158. *Petron. in Sat. cap.* 111. *p.* 480. *edit. Surmann. Hoppii Diss. de servis litteratis* §. 4. *& seqq.* Nec (ב) quævis castigatio aut dura tractatio justa & sufficiens fugæ causa fuit. Utut enim Sara Hagarem adflixerit, nihilo tamen minus Angelus eam redire jubet: *Gen.* XVI. 9. שובי אל גבירתך והתעני תחת ידיה׃ *Revertere ad heram tuam, & patere te affligi sub manibus ejus*. Nec nb quasvis læsiones, sed unice ob membra corporis violata, servos in libertatem dimitti voluit Deus. *Exod.* XXI. 26. 27. Hinc (ג) sua sponte fluit, eum, ad quem confugit, in tali casu obligatum fuisse ad reddendum servum domino suo, siquidem communis Salvatoris regula, quæ juris naturæ est, ad hoc officium quemvis obstringit, nimirum, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Accedit lex *Dei* generalis ad servos æque ac alias res referenda: *Deut.* XXII. 1. 2. 3. *Videns bovem fratris tui, aut pecudem ejus devios, non occultabis te ab ipsis, sed omnino reducito eos ad fratrem tuum. Quod si frater tuus non erit propinquus tibi, aut non nosces eum: tum recipies illum intra domum tuam, ut sit apud te, donec quærat frater tuus illum, & eum ipsi restituas. Et sic facito asino ejus, sic etiam vestimento ejus, & sic facito omni rei amissæ fratris tui, quum perierit ei, & inveneris illam; non poteris ab ipso occultare*. In eo quoque *Paulus* nobis exemplum præivit, qui Onesimum Philemoni & quidem cum lucro restituit. *Vid. Epistola Pauli ad Philemonem, inprimis v.* 10. 11. 12. 16. *&c.* Veruntamen (ד) evidens est, casum immanis sævitiæ hic excipi, illisque servis, qui nulla sua culpa in eam calamitatem devenerant, perfugium fuisse, non modo quia jure naturæ servis quoque moderamen inculpatæ tutelæ competit, & sævitia illa compensationis instar fuit pro eo, quod Domino debetur, sed & propter expressa *Dei* mandata, quæ huc spectant: לא תסגיר עבד אל אדוניו אשר ינצל אליך מעם אדוניו׃ Non trades servum Domino suo, qui ad te (velut asylum) confugit præ domino suo (id est, præ sævitia domini sui.) Nec est, cur ad servos gentilium cum *Franc. Burmanno* aliisve restringamus, siquidem humanitas vetat servos fugitivos iratis reddere heris, si forte nostram appellent fidem, nostrumque præsidium; officia humanitatis autem omnibus debemus. Sunt, qui hunc simul referunt dictum *Salomonis*: *Prov.* XXX. 10. אל תלשן עבד אדוניו פן יקללך ואשמת *conf. M. Coccejus ad h. l.* Verum ex collatione Psalmi CI. v. 5. manifesto liquet, per vocem הלשין notari illum linguæ abusum, quo quis proximo clam lingua sua detrahit, nec non intempestive, aut calumniatorie, ex mera dicacitate, aut petulantia, aut nocendi libidine alterius dicta & facta prodit. Rectius forte cum priori loco conferuntur dicta Prophetæ: *Esai* XVI. 3. XXI. 14. סתרי נדחים נורר אל תגלי *Abscondite propulsos, vagantem ne prodite*. ישבי ארץ תימא בלחמו קדמו נדר׃ *Incolæ regionis Thema cibo suo præveniant vagantem*: quamvis lubens concesserim, in locis citatis de servis proprie sermonem non esse. Illud tamen (ה) notandum venit, fugæ non prius fuisse locum, donec Magistratus malo mederi vel non potuerit, vel noluerit. Quamdiu remedium civile reliquum est, naturale adpetere nefas habetur, siquidem in societate civili non privatis, sed judici vindicta competit. Quodsi tamen (ו) servus eo saltem fine ad alios confugerit, ut ibi tamdiu commoretur, donec commoda reconciliationis ratio iniri possit, injusti nihil commisisse censendus erit. Ita enim Apostolus pro Onesimo fugitivo intercessit, *In Epist. cit.* & Johannes fugitivo adolescenti omnem spopondit clementiam atque indulgentiam: *Eusebius lib.* III. *Hist. Eccl. cap.* XXIII. Atque huc potissimum pertinet versus sequens *cit. cap.* XXXIII. *ex Deut.* ubi de secura habitatione servo prospicitur.

LXI. Ad legales manumittendi modos me converto, quos inter primum sibi vindicat locum privilegium a supremo Legislatore servis Hebræis irrogatum, vi cujus anno septimo suam recuperarunt libertatem. Extat illud *Exod.* XXI. 2. כי תקנה עבד עברי שש שנים יעבד ובשביעית יצא חפשי׃ *Quum emeris servum Hebræum, 6. annos tibi serviet, & septimo liber exibit. Conf. Deut.* XV. 12. *Jer.* XXXIV. 14. Occasione hujus privilegii duo potissimum quæri solent 1. quis fuerit annus ille septimus, quo libertas fuit reddenda. 2. Quam servorum speciem concernat memoratum privilegium.

LXIII.

LXII. Ratione prioris quæſtionis eruditi in diverſas abeunt partes. *Corn.* a *Lapide*, in comm. ad locum ſupra cit. & Cel. *Cremerus*, in Comm. literali ad *Ex.* XXI. *p.* 5. *& ſeqq.* inſerto ejus exercitationibus Prophetico-Typicis. (Vide plures Authores allegatos apud *Lund.* in ſeinen Jüdiſchen Heiligthümer *lib.* IV. *cap.* XXIV.) aliique per ſeptimum annum intelligunt annum Sabbathicum ſive Schmitah. Rabbini, *Fagius* & *Vatablus*, *ad Deut.* XV. nec non Authores magno agmine a *Lundio* citati explicant de ſeptimo ſervitutis anno. His accedere nullus dubito. Verum ut pateat non ſine ratione hoc a me fieri, noſtram prius ſententiam graviſſimis & firmiſſimis argumentis adſtruere conabor, poſtea adverſariorum hypotheſin examinabo, eorumque objectiones pro viribus enervabo.

LXIII. Differentia temporis primum nobis ſubminiſtrat argumentum. Fateor equidem, utramque legem, tam illam de anno Sabbathico, quam alteram de ſervi manumiſſione a *Deo* Moſi in monte Sinai fuiſſe promulgatam, attamen prior Iſraelitas non obligavit ante occupationem & inhabitationem terræ Canaan, prout exordium legis evidenter nos edocet: *Lev.* XXV. 2. דבר אל בני ישראל ואמרת אלהם כי תבאו אל הארץ אשר אני נתן לכם ושבתה הארץ שבת ליהוה: *Loquere ad filios Iſrael & dic ipſis: Quum venerint ad terram, quam ipſis dabo, tum quieſcet illa terra, eritque Sabbathum Jehovæ.* Lex poſterior autem in deſerto non modo ſancita fuit, ſed & valuit, tum quia nulla reſtrictio ei adjecta eſt, tum quia ſeniores & alii ſervos Hebræos jam ante ingreſſum in terram Canaan poſſederunt, qui non potuerunt non hoc privilegio gaudere, tum quia *Jeremias* hoc ipſum inſinuare videtur verbis ſequentibus: אנכי כרתי ברית את אבותיכם ביום הוצאי אותם מארץ מצרים מבית עבדים לאמר מקץ שבע שנים וגו׳: *Ego pepigi fœdus meum cum patribus veſtris eo die, quo ipſos eduxi ex regione Ægypti, e domo ſervitutis, dicendo: In fine ſeptem annorum &c.* Omne autem fœdus obligat a die inſtitutionis, niſi ſpecialis exceptio occurrat. Hinc manifeſtum eſſe puto, ſervos Hebræos in deſerto non potuiſſe in anno Sabbathico, ac debuiſſe proinde ſeptimo ſervitutis anno in libertatem dimitti. Temere autem adſeritur, hanc conſuetudinem poſtmodum fuiſſe immutatam, cujus rei nulla in Sacris literis mentio fit.

LXIV. (ב) Gratis aſſumitur per שביעית annum Sabbathicum deſignari. Illud quidem extra dubitationis aleam conſtitutum eſt, anno ſeptimo Sabbathum in lege memoratum fuiſſe celebratum, ſed hinc non ſequitur eo quoque nomine in ſacris tabellis venire, ſiquidem vocabula, quæ numeros exprimunt, ſunt relativa, quæ pro diverſitate initii, a quo calculantur, diverſos notant annos. Quapropter nunquam hic vel ille dies, hic vel ille annus ſimpliciter poteſt dici ſeptimus, niſi forte uſus ſpecialiter hoc ei nomen proprium fecerit; Alius enim annus in relatione ad aliud quid ſimiliter ſeptimus eſſe ac vocari poterit. Uſus non declarat annum Sabbathicum audire ſeptimum, dum ubique vocatur Schmita, *Lev.* XXV. *Deut.* XV. *&* XXXI. ſi diſceſſeris ab his locis controverſis. Inde colligo, poſſe in locis vexatis æque alium annum juxta alium calculum, quam quidem Sabbathicum indigitari. In illud proinde ſedulo inquirendum erit, quæ relatio Scriptori Sacro fuerit obverſata, & pro ſabſtrata materia numerus erit explicandus. Jam vero quiſquis loca huc ſpectantia apertis oculis inſpicit, facile videt de ſervi venditione & emtione in locis citatis agi & ad hanc ipſam reſpici voce שביעית prioribus proxime adnexa, econtra altum de Sabbatho ibidem ſilentium eſſe. Quapropter non poteſt non ſeptimus ſervitutis annus, minus autem Sabbaticus, intelligi.

LXV. (ג) Ex locis huc ſpectantibus evidenter liquet eum indigitari annum, quem *6.* integri ſervitutis anni præceſſerint, hinc toties dicitur: שש שנים יעבד ובשביעית יצא וגו׳ *Per 6. annos ſerviet, & in ſeptimo exibit.* Quodſi autem anno Sabbathico liber exitus fuiſſet concedendus, non potuit non fieri, quin multi vix duorum aut trium annorum miniſterio fungerentur pro diverſo ſervitutis initio, quod vel remotum a Schmita, vel ei proximum fuit. Et ſic Domini adverſus clarum & perſpicuum legislatoris mandatum fuiſſent obligati ad manumittendum ſervum ante *6.* annorum decurſum. Haud me fugit, quid excipi poſſit ad hoc argumentum, nimirum verbis שש שנים יעבד id ſaltem innui, ſervitutem ſpatio *6.* annorum, quod antecedit annum Sabbaticum, licitam ac permiſſam fuiſſe, & hinc intra *6.* illos annos potuiſſe quemvis pro lubitu ſuo ſervitium obire, parum autem intereſſe, num miniſterium ſervi integrum temporis memorati ſpatium exhauriat nec ne. Et videtur huic interpretationi haud parum roboris conferri per ſimilem fere locutionem, quæ in Decalogo extat: *Exod.* XX. *9.* ששת ימים תעבד ועשית כל מלאכתך: id eſt, non neceſſario per *6.* in-

integros hebdomatis dies ſervies, ſed ſaltem 6. illis diebus licitum tibi erit ſervire, & opera ſervilia perficere. Verum enim vero non modo contorta nimis hæc explicatio mihi videtur, ſiquidem 1. gratis aſſumitur per שש שנים notari ſpatium quod anno Sabbatico prævium eſt 2. fruſtra quoque aſſeritur verba Decalogi permiſſionem duntaxat, non vero mandatum exhibere, quis enim negare auſit ſervum ſingulis illis diebus teneri ad nutum Domini ſuas componere actiones 3. haud obſervatur differentia, quæ inter imperativum & indicativum intercedit. Mandatis enim ſubinde pro rei natura talis reſtrictio ſubeſſe poteſt, ſed ſimplex relatio eam reſpuit 4. nulla habetur ratio explicationis, quam ipſa Scriptura ſuppeditat, quando dicitur: *Jer.* XXXIV. 14. תשלחו איש את אחיו העברי אשר ימכר לך ועבדך שש שנים: quæ verba ejuſmodi ſenſum non admittunt. Sed accedit inſuper, quod ipſa ſervitus 6. annorum, quæ æquiparatur miniſterio duplicis mercenarii, pro ratione adducatur, propter quam dominus haud gravate ſervo dimiſſionem concedere debeat. En tibi verba Scriptoris Sacri: *Deut.* XV. 18. לא יקשה בעיניך בשלחך אתו חפשי מעמך כי משנה שכר שכיר עבדך שש שנים: *Non durum videatur in oculis tuis, quum liberum ipſum dimittes a te. Duplum enim eſt mercedis mercenarii, quo tibi ſervivit 6. annis*. Bene autem Cl. *Altingius*, *in C. ad h. l.* & ex eo Cel. *Cremerus* obſervant, mercenarios fuiſſe diurnos, *Job.* XIV. 6. *Matt.* XX. 1. annuos, *Jeſ.* XXI. 16. & triennales, *Jeſ.* XVI. 14. & hinc ſervos, quibus dabantur bis ter id eſt 6. anni, conſiderari debere ut duplices mercenarios. Hinc autem ſua ſponte ſequitur, in verbis citatis miniſterium 6. annorum ſpectari, ut fundamentum dimiſſionis. At fundamento ſublato non potuit non ceſſare ipſum privilegium, quod ei inædificatum fuit. Regerit equidem Cel. *Cremerus* non inde ſequi, omnes ſervos fuiſſe obligatos ad ſerviendum 6. annos, ſed illos, qui 6. annos ſerviunt, conſiderandos eſſe ut mercenarios duplices, & ſeptimo fuiſſe dimittendos. Ratio, quam adjungit, inde petita eſt, quod pro diſſeritate paupertatis ac furti debuerit differre venditio ad plures vel pauciores annos. Sed, quod cum venia viri doctiſſimi dictum ſit, videntur mihi haud pauca latiorem verborum ſenſum poſtulare. 1. An hoc durum videri potuit ſervum, qui ad 6. annos tantum ſe addixit, anno ſeptimo dimittere? Neque enim tum aliud quid præſtitit herus, quam quod vi pacti cum ſervo initi præſtare debuit. Ad 6. annos ſervus operas promiſit, & dominus adſtipulatus fuit. Ergo ultra 6. annos eas exigere non potuit, quia promiſſis ſtare eſt juris naturalis. Naturæ officia autem nemini dura videri poſſunt. (ב) Non video, qua de cauſa illi potius, qui 6. annos ſerviit, quam qui ad decem vel plures ſe addixit, libertas ingravate fuerit concedenda. Hujus enim ſervitium adhuc diutius duravit, adeoque præſtantius fuit miniſterio duplicis mercenarii. (ג) Nemo inficias ire poterit hoc mandato reſpici ad v. 12. hujur capitis, quocum conveniunt *Ex.* XXI. *v.* 2. & *Jer.* XXXIV. 14. Sed haud facile quis mihi perſuadebit in locis citatis de illis ſervis, qui ad 6. annos ſe addixerunt, unice agi, cæteris omnibus excluſis. Etenim (α) verba, quæ huc ſpectant, tam generalia ſunt, ut ad omne ſervorum genus referri non modo poſſint, ſed & debeant, veluti כי ימכר לך אחיך העברי או העבריה: Quod ſervorum diſcrimen hic occurrit? Nec eſt cur abutamur verbis ſequentibns ועבדך שש שנים quaſi his ipſis certa ſpecies eorundem exprimatur. Etenim, quæ heic in indicativo ponuntur, alibi per modum imperativi proponuntur: כי תקנה עבד עברו שש שנים יעבד: Quum emeris ſervum Hebræum 6. annis ſerviet. Fingamus autem eam ſervitutis ſpeciem ſubintelligi, cujus Cel. Author mentionem fecit, tum non alius verborum ſenſus eſſe poteſt, quam qui ſequitur: Quum emeris ſervum Hebræum, qui 6. annos ſerviit, 6. annos ſerviet. At non puto, hanc viri doctiſſimi mentem eſſe. (β) Inter omnes convenit, jura & privilegia ſervi Hebræi in locis citatis exponi. Verum nulla probabilitatis ſpecie ſe commendat ea ſententia, quam Author hic adoptare tenetur, ac ſi ea ſingula & univerſa uni ſervorum generi priva eſſent, ad reliquos autem non ſpectarent. Cur his, qui 6. annos ſervierunt potius, quam cæteris munera fuiſſent eroganda, aures perforandæ &c. Ejuſmodi limitatio profecto ex ſacris tabellis evinci non poterit. (γ) Quam rationem ſubeſſe judicabimus, quod *Deus* maluerit ſervitutem 6. annorum, quam aliam ſervitii ſpeciem deſcribere. Immo (δ) videtur potius hæc ſervitus per 6. integros annos præſtanda haud bene convenire cum dimiſſione anno Sabbatico ex hypotheſi priva, quacum nihilominus immediate conjungitur. Etenim, ut ſupra monui, non potuerunt non plures juxta hunc calculum ante 6. annum ſuam recuperare libertatem. Nec (ה) dubium, quod ipſe Author obmovet, removetur per ipſius hypotheſin, ac

si alias nulla ratio fuisset habita diversorum graduum paupertatis & furti. Etenim id saltem ipse Author concedere tenetur, ad plures quam 6. annos servos Hebræos vendi non potuisse, quia ex 7. annis unus saltem fuit Sabbathicus, qui omnes servos liberos fecit. Hoc nisi admittere velit, adfirmare tenetur, ab illo privilegio fuisse exemtos omnes illos, qui se ad plures quam 6. annos addixerunt. Sed non video, quomodo hoc respondeat instituto ac fini legislatoris qui servituti Hebræorum certos limites ponere proposuit. Manet proinde adhuc controversum, quod remedium paupertati aut furto fuerit adhibitum, si ejus pretium superaret mercedem, quam herus servo pro ministerio 6. annorum debuit. Quod vero ad pauciores quam 6. annos potuerit vendi, illud authorem parum juvat, siquidem in hoc casu pretium 6. annorum multo magis sufficiens fuit ad paupertatem sublevandam & furtum compensandum. Sed de his infra.

LXVI. (ד) Haud videbor probabilitatis leges transgredi, si ex ipso Scripturæ silentio argumentum depromsero, quo nostra firmetur sententia. Quisquis enim secum reputat, in iis locis, quæ Jubilæi beneficia exponunt servorum dimissionem, qua præcipuum hujus festi privilegium, diligenter fuisse notatam, omnibusque civibus Israeliticæ reipublicæ serio mandatam, *Lev.* XXV. 10. non potest non in eam incidere opinionem, tantam anni Sabbathici præ cæteris prærogativam haud fuisse, ut servis nativam redderet libertatem, siquidem nulla hujus rei mentio facta est in iis Scripturæ locis, quæ privilegia anni Sabbathici accurate recensent. Haud dubito, fore, qui, meo me posse jugulari gladio, heic sibi persuadeant, quandoquidem *Deut.* XV. manumissio servi Hebræi cum lege anni Sabbathici proxime conjungitur. Verum nihil metuo, siquidem non is est verborum nexus, quem adversarii fingunt, cum lex de servitute non legi anni Sabbathici, sed illi de fratre egeno subjungatur. Absonum proinde foret, ad remotiora referre, quæ longe commodius ex proximis derivantur. Dicam itaque, quid mihi de nexu hujus capitis videatur. Tria potissimum in citato capite occurrunt subjecta. Primo debitores, ad quos spectat lex anni Sabbathici a v. 1. ad 7. Secundo pauperes, quorum indigentiæ duplex procuratur remedium. Alterum est pecunia promutua, quæ ipsis non obstante anni Sabbathici propinquitate a ditioribus erogari debuit a v. 7. ad 12. Alterum vero est servitus non perpetua, sed temporaria, non dura & intolerabilis, sed moderata, a v. 12. ad 19. Tertio primogenitura, cujus ritus & jura exponuntur a v. 19. ad finem usque. Quam parum itaque primogenituræ consuetudines, & cætera servorum jura ad legem anni Sabbathici spectant, tam parum eorundem manumissio huc referri potest. Accedit, quod in ipso anno Sabbatihico dominis adhuc servi & ancillæ tribuantur: *Lev.* XXV. 6. והיתה שבת הארץ לכם לאכלה לך ולעבדך ולאמתך: *Sed erit* (fructus) *Sabbathi ipsius terræ vobis ad comedendum, tibi, & servo tuo, & ancillæ tuæ*. Non video, qui hoc fieri potuisset, si hoc ipso anno servi fuissent dimittendi. Posset equidem regeri sub finem anni Sabbathici servos exiisse, sed tum omnem vim probandi amittit argumentum, quo Cel. *Cremerus* nostram opinionem conficere conatur. *Videntur quoque* (inquit) *Servi esse oneri Heris, si ipso in Sabbathico anno, ubi nihil serebatur, atque agricultura cessabat, in sua perseverassent servitute, aut saltem operibus inutilibus & peccaminosis adhibendi propter agriculturæ cessationem*. Nec est, cur ad solos Cananæos restringamus legem modo citatam. Hanc enim limitationem Scriptura ignorat. Tandem in eadem nobiscum sententia fuisse videtur *Josephus*, quando scribit: *Ant. Jud. lib.* IV. *cap.* VIII. §. 28. *pag.* 307. πραϑεὶς δὲ ὁμοφύλῳ τὶς ἓξ ἔτη δουλευέτω, τῷ δὲ ἑβδόμῳ ἐλεύϑερος ἀφείσϑω. *Si quis fuerit contribuli venditus, sex annos serviat, septimo autem liber discedat*.

LXVIII. Sunt tamen nonnulla, quæ hoc privilegium anno Sabbathico vindicare videntur. Huc potissimum spectat *Jerem.* XXXIV. in quo capite ex sententia adversariorum refertur, *Deum* ad normam illius legis, quæ in monte Sinai de servorum manumissione lata fuit, fœdus pepigisse cum Israelitis, eosque obligasse ad servos dimittendos; Huic stipulationi Israelitas in continenti satisfecisse, postmodum vero denuo servos reduxisse & subjugasse. Hinc jam colligunt, annum, quo servum dimitti *Deus* voluit, fuisse Sabbathicum, siquidem juxta nostrum calculum singulis annis libertas promulganda & servi quidam dimittendi fuissent. Fateor huic argumento primo intuitu speciem veritatis haud vulgarem inesse, quodsi tamen veritates illius capitis justo ordine collocentur, evidenter adparet, hanc rationem non sufficere quo missa naturali explicatione ipsarum legum contrariam adoptemus sententiam. Faxo, ut hoc in omnium incurrat oculos. Narratur in citato capite (א) legem fuisse la-

latam de ſervis anno ſeptimo manumittendi *v.* 14. ſeptimum autem ſervitutis annum intelligendum eſſe, ex eo pateſcit, quod ſervus dicatur ante manumiſſionem *6.* annos completos ſerviſſe (ב) hanc legem veteres Hebræos tranſgreſſos fuiſſe ibidem: לא שמעו אבותיכם אלי ולא הטו את אזנם: (ג) Zedekiam vero ad compenſationem hujus iniquitatis in *Deum* Legislatorem & ſervos injuriæ novum cum populo fœdus pepigiſſe de promulganda libertate *v.* 8. (ד) hoc fœdus non ad normam prioris fœderis *Dei* cum populo in monte Sinai inſtitutum fuiſſe. Utut enim utrumque in eo conveniret, quod ſervis libertatem reddat, diſtulit tamen in modo. Nam prioris cauſa fuit ratio & utilitas Reipublicæ, poſteriori occaſionem præbuit prioris negligentia, illius Author fuit *Deus*, hujus Rex Zedekia *v.* 8. *coll. v.* 13. illud fuit ordinarium hoc extraordinarium ibid. Illo libertas non ante ſeptimum annum, hoc autem omnibus ſervis illa uno die fuit reſtituta, quapropter non ibi, ſed heic libertas publice promulgari debuit. Tandem poſt manumiſſionem ordinariam haud fuit prohibita reiterata ſervitus, ſed poſtremo fœdere illa fuit denegata *v. 9.* (ה) vi hujus fœderis extraordinarii non vero ordinarii omnes heros fuiſſe obligatos ad ſervos quoſvis Hebræos ſimul atque ſemel dimittendos. Quotquot enim illam legem quæ *v.* 14. proponitur, pro norma hujus fœderis habent, aberrant, ſiquidem ejus occaſio duntaxat ibi notatur, quæ fuit illius tranſgreſſio. (Hinc ſequitur ex eo quod tempore Jeremiæ ob mandatum Zedekiæ omnes ſervi uno quaſi die manumiſſi fuerint, male concludi, vi divinæ legis in monte Sinai datæ eodem modo ſervos fuiſſe dimittendos) (ו) Fœdus illud ſub initium ab omnibus Iſraelitis fuiſſe ſervatum *v.* 10., hocque *Deo* placuiſſe *v.* 15. at (ז) hos ipſos poſtmodum ad priora ſcelera rediiſſe, quatenus ſervos denuo ad ſervitium reduxerunt *v.* 11. quo ipſo fœdus violarunt, *vid. v. 9.* & *Dei* indignationem provocarunt *v. 16.* & hinc (ח) Prophetam ipſis nomine *Dei* debitas pœnas fuiſſe minatum.

LXVIII. Videtur denique Cel. *Cremero* libertas anni Sabbathici melius cum politia populi Iſraelitici conſpirare. Verum non dicam hac vice, argumenta, quæ hinc petuntur maximam partem hypotheſes, & conſequentias eſſe, quæ nullam neceſſitatem imponunt a claro & perſpicuo verborum ſenſu diſcedendi, ſed illud ſaltem demonſtrabo, noſtram ſententiam tam bene cum politia Judaica conciliari poſſe quam contrariam. Etenim (a) manumiſſio ſeptimi anni commodum ſignum & pugnus fuit liberationis a ſervitute Ægyptiaca. Utrobique occurrunt ſervi. Apud hos non minus, quam illos certus & determinatus ſervitutis annus, idem amborum vindex *Deus*, idem eorum privilegium, libertas a ſervitute, eædem perſonæ privilegii capaces Hebræi ſoli atque omnes, nec obſtat, quod horum liberatio publica & ſimultanea fuerit; ſiquidem hujus rei non manumiſſio ſeptimi anni, ſed Jubilæum ſignum & memoriale eſſe debuit. (b) Manumiſſio ſeptimi anni magis adhuc convenit cum Sabbatho dierum, quam annus Sabbathicus. Sex enim dies ſeptimanæ dicati erant operibus, ita & heic ſex anni ſervituti erant conſecrati, quod non potuiſſet ſemper obtinere, ſi juxta annum Sabbathicum calculus fuiſſet inſtituendus. In Sabbatho & ſeptimo ſervitutis anno quies hominum, in anno Sabbathico quies terræ fuit mandata. Utrobique etiam fixum & determinatum tempus occurrit, ibi reſpectu omnium, hic reſpectu ſingulorum. (c) Fruſtra objicitur, ſervos heris in anno Sabbathico oneri fuiſſe, ſiquidem pecoris cura & alia officia ipſis committi potuerunt. Hæc denique exceptio non minus Scripturæ quam nobis opponitur, quippe quæ ſervos hoc ipſo tempore dominis adſcribit, (d) publicas tabulas faciendas fuiſſe gratis aſſumitur, ſiquidem per teſtimonium aliorum de primo & ultimo ſervitutis anno conſtare potuit. Quærit (e) Cel. Author; unde victus & amictus ſervo fuiſſet, ſi ſeptimo ſervitutis anno dimiſſus eſſet? Reſpondemus, munera ipſum non modo accepiſſe intra tempus ſervitii, ſed & in ejus fine, quæ primo anno ipſi ſufficere potuerunt, ſed & pretium pro miniſterio ſuo ei ſolutum fuiſſe, quo mediante laborum initium facere, & laborando alimenta & alia comparare potuit. Simile exemplum nobis ſuppeditant hodierni famuli, quorum hac in parte eadem ratio eſt ac ſervorum Hebræorum.

LXIX. Hactenus in genere demonſtravi, ſeptimo ſervitutis anno libertatem ſervis Hebræis fuiſſe redditam, ſed nunc ſpecialius illa temporis particula, qua manumiſſi fuerunt, notanda venit. Nonnulli interpretes initio ſeptimi anni hoc privilegium vindicant, quos videntur Scripturæ phraſes in hanc opinionem adduxiſſe, ſiquidem ſervi *6.* annos ſerviiſſe, & poſtmodum libertatem recuperaſſe perhibenrur, verum, quia obſervarunt verba: מקץ שבע שנים ſibi adverſari, hinc varia excogitarunt ad ſolvendam hanc difficul-

ficultatem. *Abeneſra* monet, קץ ſignificare extremum temporis, extremum autem duplex dari, prout in linea duplex datur terminus, a quo, & ad quem. In verbis citatis intelligi extremum a quo ſive initium. *Riveto* authore illa verba ita erunt vertenda: Quum advenerit annus ſeptimus. Is enim in ſubſidium vocat regulam, quam viri docti in Scripturæ interpretatione commendant; nimirum impletum aliquando dici, quod tantum inchoatum eſt. Aliis videtur מקץ ſignificare ante finem, quandoquidem præpoſitio מין hinc inde non in ſed ante notat, quo ſenſu etiam venit *Mich.* v. 1. מימי עולם: ante dies ſæculi. Verum nihil obſtat, quo minus hæc verba ſenſu communi atque ordinario interpretemur, nimirum. *In fine ſeptimi anni*; nihilominus & illud verum manet, ſervum per *6.* tantum annos nempe completos a miniſterio fuiſſe, quia ſeptimus annus conſiderarur ut annus libertatis: Nihil autem inſoliti heic video. Nam & Germani hoc privilegium non aliter exprimerent. Ein Jüdiſcher Knecht ſoll *6.* Jahr dienen / und zu End des ſiebendten frey ausgehen. Quis non videt hæc verba ſenſum minime incommodum fundere?

LXX. Cur *Deus* ſeptimum præcipue annum libertati dicarit, haud certo conſtat; variæ tamen conjecturæ in medium heic proferuntur. Sunt, qui id ipſum derivant a ſervitute Jacobi, qui *6.* annos pro grege Labani ſerviit, & ſeptimo nativam dignitatem denuo adeptus fuit: Probabilius tamen videtur, *Deum*, qui ſeptimo die quievit ab omnibus operibus ſuis, ejus quietis ſignum & memoriale in republica Judaica ſtatuere voluiſſe, eumque in finem Sabbathum terræ, hominum, & ſervorum ſeptimo tum anno, tum die, ad ipſius nutum celebrandum fuiſſe. Video *Abarbanelem* ejuſdem nobiſcum ſententiæ eſſe, quare ipſius teſtimonium adponere placuit: *in Par. Miſchp. f.* 178. b. וירוע במשפט הזה כמה הוא אלהים בענינו שהגביל ומנו בשש שנים יעביד ובשביעי יצא לחפשי כענין השמיטה שצוה בה שש שנים תעבור ובשביעיה תשמטנה וכמו מצות השבת שנאמר בה המספר הזה בעצמו ששת ימים תעשה מלאבה וביום השביעי שבת להוריע שהמשפשים האלה אשר ישים לפניהם היו אלהיים ויסודם הוא אמונת חרוש העולם כי אין המשפט הזה מהדינים בהחלט אבל יש לו סדר עמוק בחדוש הבריאה ומי ידענו ונו׳: *Adparet ex hoc judicio, quantus ſit* Deus *in ſua ratione*, (quippe) *qui tempori limites poſuit: ſex annos ſerviet, & ſeptimo exibit liber, ad normam Schmitæ, de qua præcepit, 6. annis, (terram) coles & ſeptimo eam quieſcere facies, nec non convenienter præcepto de Sabbatho, in quo ſimiliter hic numerus exſtat: Sex dies opus (tuum) facies & die ſeptimo erit Sabbathum, ad manifeſtandum, quod judicia quæ poſiturus eſt coram ipſis, ſint divina; quodque ipſorum fundamentum ſit fides creationis mundi, ſiquidem hoc judicium non eſt ex juribus abſolutis, verum eſt ipſi profunda diſpoſitio in nova creatione. Et quis nobis hæc nota faciet?*

LXXI. Reliqua adhuc eſt altera quæſtio, qua quæritur, quinam ſervi hujus privilegii capaces fuerint. In eo eruditi conveniunt, quod nemo non potuerit hoc privilegio frui, ſiquidem is, qui *6.* annos ſerviit, ſub finem ſeptimi liberam ſui dimiſſionem exigere, ac diſcedere potuit, prout ex legibus jam ſæpius allegatis pateſcit. Unde certo conſtat, Hebræos ad plures quam *6.* annos nec ſe addicere, nec a Magiſtratu propter furtum vendi potuiſſe, quia 1. illa venditio fuiſſet fruſtranea. Etenim per privilegium illud pactum potuit annihilari 2. pugnat cum utraque ſententia ea non minus, qua Schmita, quam altera qua ſeptimus ſervitutis annus pro tempore manumiſſionis legitimo venditatur. Nam ex octo annis non potuit non unus eſſe Sabbathicus. Quodſi itaque in Schmita omnes ſervi fuerint dimittendi, non potuerunt ultra *6.* vel *7.* annos addici. Illud autem adhuc in dubium vocari poteſt, an nulli ante ſeptimum annum exire licuerit. Fatemur ordinario & regulariter omnibus ſervis fuiſſe expectandum tempus libertatis ſtatutum, quodſi tamen alia interveniſſent, quæ ipſos in libertatem aſſeruerunt, huic privilegio per caſus illos extraordinarios nihil deceſſit, econtra finis & ſcopus privilegii, qui fuit vindicatio Iſraelitarum ex ſervitute, tum eo citius fuit obtentus. Hinc lubentes largimur, ſervos, qui propter debita fuerunt addicti, in anno ſabbathico, quando præceſſit annum ſervitutis finalem, dimitti potuiſſe, quia tum omnia debita fuerunt remittenda, & hinc debitorum cauſa ſerviens retineri non potuit. *Ceſſante* enim cauſa, ceſſat effectus. Idem de furibus dicendum videtur, ſi minori pretio, quam quod ſervitute *6.* annorum paratur, damnum illatum compenſari potuit. Veruntamen, quia Scriptura hæc ſilentio præterit, cavendum erit, ne propter conſequentias, & opiniones, in quas ratio nos adducit, ea quæ clare & evidenter in Scriptura traduntur, pervertamur, & ita ſenſum potius inferamus, quam efferamus.

LXXII. Utut maxima pars hominum

na-

naturalem libertatem expetat & oblatam utrisque amplectatur manibus, reperiuntur tamen nonnulli adeo servili ingenio, qui sordes, quibus assueti sunt illi præferunt. Non potuit autem hic libertatis contemtus laudibilis censeri, siquidem & creaturam rationalem, & Judaicæ reipublicæ membrum dedecet. Servitus enim naturalis non modo sed & politicæ sive acquisitæ dignitatis imminutio fuit, quæ proinde non tantum æqualitate, sed multis insuper privilegiis & juribus hominem subjectum privat. *Vid. quæ supra hac de re monui, & conf. Cel. Kirchmejeri Diss. cit.* §. 12. *p.* 11. Quare hujus appetitus fuit propriæ salutis neglectus. Idem nobiscum sentiunt Josephus, *Ant. Jud. lib.* v. *cap.* 1. & qui ejus vestigia munt *Richard. Montacutius*, atque *Spencerus*, quibus hinc servitus Ægyptiaca *Jos.* v. 9. tanquam חרפת מצרים describi videtur, quod ipsum tamen propter συναφείας textus adhuc in dubium vocari potest. Longe evidentius hoc perspicitur ex lege Perforationis, qua *Deus* displicentiam suam testatus fuit. Hanc paulo plenius explicare operæ pretium erit. Notabimus autem primo occasionem; secundo ipsum perforationis ritum; tertio hujus effectum.

LXXIII. Perforationi occasionem præbuit servi voluntas, qua libertatem septimi anni acceptare recusavit, servitutem autem, qua Hero alligatus fuit, sponte continuare decrevit. Hanc exprimunt verba: לא אצא חפשי *liber non exibo*, (sive exire). Verum quia omnis voluntas per motiva flectitur, hinc evidens est, nec hanc servi voluntatem potuisse suis destitui causis. Ratio autem continuandæ servitutis alia esse non potuit, quam amor eorum, quibuscum tempore servitii in societate vixit, nimirum 1. heri, qui ipsi benefecit, omnem injuriam ab ipso arcendo, necessaria & debita vitæ alimenta suppeditando, immo indebitam quoque æquitatem & lenitatem erga ipsum servando, nec non hujus familiæ 2. ancillæ Cananææ, quam Dominus ipsi in uxorem dedit, quæque cor ipsi furata fuit, ita ut maluerit cum ipsa servire, quam solus liber esse. 3. Liberorum, quos ex illa ancilla procreavit, & ut pignora sui amoris, quo charissimam thori sociam complexus fuit, pariter in deliciis habuit, ita ut ipsorum curam & educationem prætulerit suæ libertati. Huc spectant verba: *Ibid.* אהבתי את-ארני את-אשתי ואת-בני: *Amo Dominum meum, uxorem meam, & liberos meos*, quibuscum conferri meretur sequens dictum: *Deut.* xv. 16. אהבך ואת-ביתך כי טוב לי עמך *Amo te & familiam tuam, quia bene mihi est tecum*. Quamvis autem hæc primo intuitu in servi virtutibus commemoranda esse videantur, siquidem amor est vinculum societatum, non possunt tamen non ea penitius inspecta, partim infamia, partim humilia, & ab honestate remota judicari, quia amor rationalis non aliam agnoscit normam, quam *Dei* amorem, sui potius quam aliorum felicitatem promovere studet, nec versus illicita dirigitur, neque in carnis & sensuum delectatione fundatur. At nemo non videt servi amorem ita comparatum non fuisse, & hinc pro irrationali amore habendum esse.

LXXIV. Voluntas servi nulla fuit, quamdiu non publica ejus declaratio accessit: *Exod.* xxi. 6. והגישו ארוניו אל-האלהים *Et adducet ipsam Dominus ipsius ad Deos*, quibus ex versu præcedenti adjungi debent illa duo verba אמר יאמר *dicendo dicet &c.* Oportet autem ante omnia nosse, quinam sub nomine אלהים heic veniant. Quem in finem observamus (א) hanc vocem in Emphasi sumtam nonnisi soli vero *Deo* competere, *Vid. Deut.* iv. 35. *coll.* v. 39. & innumera alia loca: (ב) in singulari nuspiam de Angelo vel judice, sed solo *Deo* adhiberi. *R. Samuel Zirza in* מקור חיים *f.* 4. *cap.* 1. *l.* 28. ולא מצאנו שיקרא המלאך או הדיין אלוה: אלא הבורא יתב': *Nuspiam invenimus, quod Angelus aut judex quidam* אלוה *sit vocatus, sed solus* Deus *benedictus*. (ג) In plurali saltem primario & principaliter sive juxta primam impositionem *Deo*, aliis autem vel abusive, vel tropice tribui, abusive, quando regibus & idolis datur, vel cum particula imminuente & alienante vel ex opinione & judicio nunc proprio nunc cultorum, *Ezech.* xxviii. 13. 14. *& conf. Lactant. de ira Dei cap.* xi. *p.* 740. tropice de Angelis & Magistratibus occurrit, quatenus venerandi Numinis vestigia in ipsis exstant, vel ejus inter homines vices & munia gerunt, *Psalm.* lxxii. 1. *ubi Targ.* במצע דיינין *Conf. Gousset. ad v.* אלוה, (ד) ultimum significatum heic voci אלהים tribuendum esse substrata materia evincit. Servus enim non ad *Deum* immediate, sed ad Judices ejus in terra vicarios adducendus fuit. Nec probabile est ipsum divinum judicium heic notari, prout visum fuit LXX., qui reddiderunt πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ Θεοῦ & *Abarbaneli*, qui multis hanc sententiam adstruere conatur. *In Comm. ad legem f.* 5. *cap.* 3. & 4. (ה) Hoc judicium ex tribus ad minimum constitisse universalis Judæorum sententia est. Hinc R. Chalpeta de vico Cha-

Chanajæ probaturus, *Deum* tribus in ipſius honorem congregatis intereſſe, provocat ad verba hymni Davidici, *Pſal.* LXXII. I. בקרב אלהים q. d. *in medio trium Judicum judicat*, quocum conferri meretur id, quod in N. T. exſtat: Ubi duo vel tres in meo nomine congregati ſunt, in eorum medio ero. Huc etiam ſpectat illud *Maimonidis* ב״ד לא יהיה פחות משלשה והם נקראים אלהים לעניין המשפט: *Synedrium non ex paucioribus, quam tribus conſtat, & illi vocantur Dii reſpectu judicii.* (1) Ad hos judices dominus ſervum adduxit, qui coram iis ſerio voluntatem ſuam teſtari debuit, a qua poſtmodum diſcedere non potuit. Hæc eſt emphaſis verborum אמר יאמר *dicendo dicet* i. e. non tantum joci cauſa, ſed certo declarabit &c.

LXXV. Servus, qui voluntatem in ſervitio permanendi declaravit, haud fuit coactus ad acceptandam libertatem. *Deus* enim qui nemini beneficia ſua obtrudit, multo minus Judæis propter ipſorum σκληροκαρδίαν poteſtatem huic juri ſuo renuntiandi denegare voluit. Hoc ipſum *Joſephus* tradit *Ant. Jud. lib.* IV. *cap.* VIII. §. 28. *p. m.* 307. Ἐὰν δὲ τέκνε αὐτῷ γενομένε ἐκ δέλης παρὰ τῆ πεϱαμένε διὰ τὴν εὔνοιαν καὶ τὴν πρὸς τὰ οἰκεῖα φιλοστοργίαν βέλητσι δελεύειν ἐνςάντος τῦ Ἰωβήλε, πεντέκοςος δὲ ἐνιαυτὸς ἐςιν, ἐλευθερέσθω, καὶ τὰ τέκνα καὶ τὴν γυναῖκα ἐλεύθερα ἐπαγόμηνος. *Quodſi vero filio ei ex ancilla nato apud emtorem propter affectum ejus ex familiaritatis dilectione ſervire voluerit, inſtante anno Jubilæo, qui eſt quinquageſimus, liber efficiatur una cum uxore & liberis.*

LXXVI. Non tamen hoc ipſo *Deus* illud ſervi factum probavit. Signum enim diſplicentiæ dedit in perforatione hujus ſervi injuncta, qua vere heri mancipium factus eſt, quia hujus manu captus & januæ adfixus fuit. En tibi verba legis de perforatione: *Exod.* XXI. 6. והנישו אל הדלת או אל המזוזה ורצע אדניו את אזנו במרצע: *Et adducet ipſum ad januam vel ad poſtem, & ſubula aurem ejus perforabit.* Quum ſenſus verborum literalis, ſi non quoad omnia, ſaltem pleraque verba planus atque perſpicuus ſit, in rationes hujus ritus potiſſimum erit inquirendum, ſed ut ordine heic procedamus oportet diſtincte conſiderare א ipſam perforationem, ב cauſam ejus efficientem, ג teſtes hujus ſolennitatis.

LXXVII. In perforatione ſpectamus (α) ſubjectum patiens, (β) paſſionem, quam ſuſtinere debuit, (γ) locum, quo hæc fieri ſolebant.

LXXVIII. Subjectum patiens fuit in genere ſervus tam furti cauſa, quam propter extremam egeſtatem addictus. Haud quidem ignoro, totam hanc legem ad priores unice referri, ſed quo jure, mihi nunc perinde eſt. In ſpecie auris ſervi, qui ſeptimo anno exire noluit, non utraque, ſed alterutra, num vero dextra, an potius ſiniſtra perforanda fuerit, ex Sacris haud conſtat. Quærunt Judæi non minus, quam Chriſtiani, cur ſervus per aurem potius, quam aliam corporis partem fuerit terebrandus? Rabbini ad unum omnes reſpondent aurem hanc pœnam fuiſſe meritam, ideo quod in monte Sinai audierit: Filii Iſraelis erunt mihi ſervi. Non erit ipſis alius dominus coram facie mea, neque tamen huic divino mandato obſequens fuerit. Si *Corn.* a *Lapide* fides habenda, *Vid. ejus Comment. ad Exod.* XXI. 6. ſervus hoc ſymbolo monebatur, ſe teneri multa dura, gravia atque moleſta heri imperia audire & obire, quæ non ſecus ac ſubula terebrarent aures ejus. Subtilior eſt *Cl. Almeloveenius* in indaganda hujus ritus ratione, qui aures ideo poſti alligatas fuiſſe ſcribit *in Amoenit. Theol. Philol. p.* 14. eo ut indicarent, perpetuam ipſis eſſe illarum legum, quæ oſtiis poſtibuſve erant inſcriptæ, ſervandam memoriam æque ac obedientiam. Conſtat enim aures memoriæ olim conſecratas fuiſſe, ut recordarentur eorum, quæ audierunt; item Minervæ, ut indicetur, ſapientiam auribus eſſe percipiendam, veluti id etiam docet ipſa ſapientia, cum toties filium, ut aures arrigat, legatur adhortari. Quid mihi videatur, dicam, poſtquam de perforatione nonnulla monui, quia hæc duo ab invicem ſeparari non poſſunt.

LXXIX. Illa ſervi auris oſtio fuit applicata, quo ſignificabatur hunc ſervum domui heri jugiter & fixe mancipari, ita ut nunquam domo illa exire poſſit abſque venia domini ſui. Applicationem inſecuta fuit perforatio, quæ ſubula facta eſt. Hanc aurium inciſionem pœnam fuiſſe hujus libertatis contemtui adcommodatam *Ven. Kircmeierus*, pro more ſuo ſolide evincit, *in Diſſ. ſæpius laudata*, ex eo, quod 1. doloris plena 2. ignominioſa fuerit, tum ſingulis & univerſis, ſiquidem templi & rerum ſacrarum violatoribus aures olim findebantur, tum ingenuis in ſpecie, eo quod mancipiorum ſignum & character fuerit, prout loca ab authoribus magno agmine citate evidenter probant, (*Ibid. conf. Dougt. Anal. Sacr. V. T. excurſ.* 37. *p.* 65. & *Friſchmuthum atque Cel. D. Jungſtium in Diſſ. ad Pſ.* XL. 7.) tum Judæis ſpecialiſſime non modo quia integritas corporis,

qua

qua requisitum Sacerdotum eo majori in pretio fuit habenda, sed & quia hæc nota carni impressa erat indicium exclusionis & rejectionis a sanctitate fœderali, 3. quod circumstantiæ hujus perforationis ejusque rationes haud obscure innuant inobedientiæ pœnam fuisse hunc ritum. Quibus omnibus Cel. Author tandem adjungit testimonia Rabbinorum.

LXXX. Sed nec locus silentio prætereundus, qui, Scriptore Sacro observante, in genere domus, in specie ostium, specialissime postis januæ fuit. Sunt, qui per domum intelligunt curiam, sive domicilium, in quo Magistratus convenire consuevit, eo quod servus ad illum a Domino fuerit ductus, & in ejus præsentia perforatus. Sed quamvis propter silentium Scripturæ nihil certi possit statui, probabile tamen nobis videtur, domum heri heic designari, tum quia porta urbis & curiæ שער non דלת dicitur, tum quia ita ratio hujus ritus facilius demonstrari potest. Fuit nimirum hoc ipso indicatum, servum domui heri perpetuo affixum & mancipatum fore. Quod vero in ostio atque poste potissimum, non vero aliis domus instrumentis servi auris fuerit perforata, ejus rei variæ ab interpretibus adducuntur rationes. Rabbini utplurimum hoc factum esse perhibent, quia janua & postes fuerunt testes in Ægypto, quando Deus ad conspectum sanguinis ædes Judæorum transierat, & filios Israel sibi vindicaverat. (*In seq. cap. loca quædam producam.*) Sunt tamen qui servi ignominiam hac re notari malunt, eo quod legis divinæ jugum excusserit, quo hominis jugum subeat. Huc collimat illud in Midrasch *ad Exod.* XXI. 6. *& quidem in specie ad verba: adducet eum ad ostium.* אמר הקבה אני פתחתי לו פתח הבית לצאת חפשי והוא סגר עליו פתח הבית להיות עבד לפיכך ילקח בפתח *Ego, dicebat Deus Benedictus, recluseram illi ostium domus, quo liber exeat, & ipse clausit januam post se, quo servus maneat. Idcirco plectetur in ostio.* Alii hanc auris terebretionem in ostio ejusque poste factam eo spectasse judicant, ut servus hinc agnoscat, se teneri ad portas excubare & totam domum custodire, non aliter, ac canis qui posti alligatur. Ego cum Cel. Almeloveenio *loc. supra cit.* auguror, hanc ritui subesse rationem, quod servi hoc modo sua quasi nomina postibus inscripserint, nisi malis, legibus illis postibus adfixis subscripserint se in æternum, id est, ad mortis diem lubenter præceptis domini ejusque mandatis aures apertas & obsequentes præbituros. Si cui tamen videatur, rationes memoratas secum invicem conciliari, & universim subintelligi posse, me non adversarium experietur.

LXXXI. Debuit autem perforatio ab ipso servi hero peragi. ורצע ארניו אזנו וגו' *Et perforabit dominus ipsius aurem.* Nec desunt, inter Judæos potissimum, qui hoc denuo ad labeculam ignominiæ hero adspersæ revocant, eo quod dominus hoc pacto carnificis officium sustinuerit. Idcirco autem herum hac pœna affectum fuisse contendunt, ne blanditiis & promissionibus servum induceret, sed ut eum potius deserat. Ita R. Bechai observat *in Comm. ad legem, ad Levit.* XXI. 15. hero & servo sic fuisse insinuatum, quod Deo serviendum sit.

LXXXII. Testes ex eorum sententia, (qui statuunt servo præponenti vincula libertati, in quam semen Abrahamidarum erat vindicatum, ignominiæ notam publice in curia inuri debuisse,) fuerunt omnes qui civitatem ingressi & egressi sunt, sed juxta alios soli judices. De postremis dubium nullum superest, siquidem servus, qui ad judices fuit adducendus, & coram illis voluntatem suam declaravit, etiam inspectante Magistratu fuit perforandus, tum ut sententiæ legislatoris, qua ad sextos annos tantum venditus fuit, satisfieret, tum ne per oppressionem fratris opera exigeretur gratis, quod crimen fuit Judæorum tempore Zedekiæ, tum ne servus a domino in servitio detineatur sub prætextu, quod egredi nolit (servo namque, quamdiu in potestate domini fuit, non licuit hero contradicere,) tum ut dominus habeat, quo æquitatem suam tueatur, si ei objiceretur, servum ab ipso ultra terminum in lege statutum fuisse detentum.

LXXXIII. Perforatione servus heri mancipium factus est, ut docent verba ועברו לעולם *& serviet ipsi in æternum. Exod.* XXI. 6. *conf. Deuter.* XV. 17. Mirum in modum vox עולם Interpretes exercuit. Josepho visum fuit, Jubilæum ea significari, quare de servo perforato scribit *loc. supra cit.* Ἐνιαυτὸς τοῦ Ἰωβήλου ἐλευθερούσθω. Ei adstipulantur Rabbini fere omnes, quorum partes nonnulli Christianorum tuentur, veluti Hieronymus qui observat *in Comm. ad Gal.* I. עולם quando cum vau scribitur sæpius notare æternitatem, quodsi vero scribatur sine vau, ut in loco præsenti, tum significare sæculum. Jubilæum. Buxtorfius quo Authore עולם non necessario significat æternitatem, nisi ei conjungatur עד vel עד & quidem vel post priorem vocem ut עולם ועד vel ante illam ut עד עולם Utrosque conficit unus idemque locus, qui extat

Gen.

Gen. III. 22. ubi vocabulo olam nec עד jungitur, nec vau inseritur, quo non obstante evidenter liquet æternitatem ibi notari. Quapropter alii, qui pariter significatum Jubilæi huic voci in præsenti loco tribuendum esse existimant, eam pro substrata materia vertendam esse censent; Unde ipsi videtur olam ordinario designare tempus perpetuum συνεδοχικῶς vero hinc inde sumi pro parte temporis continui tum indeterminata, tum finita. In casu postremo Jubilæi significatu ex ipsorum sententia guadet: *Vid. Saubert. in Diss. ad Jes.* IX. 6. 7. *Galat. de arc. cat. verit.* XI. 5. *f.* 293. *c.* I. *&* *alios*. Ab his discedit Ainswortus, qui de morte domini interpretatur. Verum omne punctum ferunt, qui illud olam cum Goussetio & aliis (*Vid. B. Lampii Diss. de Pœn. ætern.* §. VI.) ad mortem servi referunt. Quo sensu autem Alardus de Raat hunc locum illustrissimum in hanc rem (dogma nimirum de pœnarum æternitate) exemplum nuncuparit, mihi non satis liquet.

LXXIV. Ne videar frustra priorum sententiam deseruisse, & illam Goussetii laudasse & adoptasse, rationes, quæ me eo induxerunt, exponere constitui. Suppeditant mihi illas tum radicalis vocis significatus, tum ejus usus, tum circumstantiæ & Jubilæi & perforationis, (א) עולם descendit a עלם quod abscondere & occultare significat, adeoque notatur hac voce tempus, cujus vel uterque, vel saltem alteruter, terminus occultus & absconditus est, quod ipsum ex multis Scripturæ locis confirmari potest *Psalm.* XC. 2. CXIX. 93. I. *Sam. l.* 23. 28. Jam vero nemo ignorat, Jubilæum fuisse quinquagesimum quemvis annum, & hinc tempus certum, determinatum, omnibusque Hebræis perspectum. Hinc non video, qui fieri possit, ut Jubilæum sub illo nomine veniat. Diem mortis e contra nemo novit; Hic itaque commode עולם vocari potuit. (ב) Quando Legislator servos Cananæos heris in æternum addixit verbis sequentibus *Lev.* XXV. 46. והתנחלתם אותם לבניכם אחריכם לרשת אחזה לעולם: tum omnes interpretes uno fatentur ore, עילם hic notare tempus perpetuum ad supremum obitum usque, quod ipsum evidenter liquet ex collatione hujus loci cum v. 40. ex quo patescit nonnisi servis Hebræis privilegium Jubilæi concessum fuisse. Temerarium itaque foret, aliter vocem in lege perforationis, quam hic interpretari, cum tamen nulla discriminis ratio suppetat. (ג) Potissima ratio, quam propter Deus servum anno Jubilæo liberum exire jussit, fuit Tyrannidis declinatio, ne herus cum sævitia dominetur in servum Hebræum. Verum quomodo sævus aut crudelis esse potuit dominatus, quem quis sponte elegit, & quidem ea de causa, quod prospere agat cum domino suo. (ד) Lex de Jubilæo eo tempore, quo perforationis ritus Israelitis fuerunt propositi, nondum fuit lata, siquidem ea præcepta, quæ *Exod.* XXI. capire occurrunt ante fœdus Sinaiticum, illa vero quæ Leviticus exhibet, post μοσχόλατρειαν demum injuncta & enarrata fuerunt. Proinde non potuit ibi per עולם Jubilæum designari (ה) Deus summopere indignatus fuit & improbavit libertatis contemtum in servo Hebræo, quapropter hic servus non modo in perforatione servilis ingenii pœnas luere, sed & spes libertatis recuperandæ ejus contemtori præcidi debnit. Quare nulla veritatis specie se commendat ea sententia, quæ Jubilæi privilegium perforatis adjudicat, (ו) Quodsi ponamus, annum servitutis septimum, quo servus dimittendus fuit, proxime præcessisse Jubilæum, & servum egredi nolentem tum temporis perforatum fuisse, tum admissa illa sententia de Jubilæo perforatos liberante, dicendum foret, vcce עולם unum, duos, tresve annos posse significari, sed quis non videt hæc usui vocis maxime adversari?

LXXXV. Antequam servi Hebræi perforationem missam facerem, placuit duo subjicere Scripturæ loca, quæ ex communi interpretum sententia ad hunc ritum respiciunt, quamvis alii hanc allusionem in dubium vocent. Huc autem primo referuntur verba Davidis *Psalm.* XL. 7. זבח ומנחה לא חפצתה אזנים כרית לי: *Sacrificium & munus non placuerunt tibi aures perfodisti mihi*. Ex iis, qui de perforationes heic cogitarunt. Doctissimus Altingius præcipue nominari meretur, qui in peculiari Dissertatione *Quæ* VI. *est heptad.* VII. hoc dictum ex illa lege inlustrare conatus fuit. Verum non sine ratione ab ejus sententia discedunt Viri Celeberrimi Joannes Christianus Kirchmeier, *In Diss. cit.* Albertus Schultens & alii, quorum alteri ob Theologiam & Philosophiam novo lumine hinc inde illustratam, alteri propter solide jacta Arabismi & Antiquitatum fundamenta, & reliquis multis aliis nominibus Ecclesia & orbis literatus gratias agunt. Et sane argumenta partis negantis tam varia, tamque gravia sunt, ut non possint non assensum nobis imperare. Observatur enim disconvenientia (א) in verbis. *Exod.* XXI. capite adhibetur verbum רצע quo terebratio & perforatio quædam notatur.

tatur. Sed Pſalmo XL. occurrit vocabulum כרה quod parare, fodere, ſignificat (כ) in circumſtantiis. Ex priori loco haud injuſte colligitur, unicam ſaltem ſervi aurem fuiſſe perforatam, ſiquidem in ſingulari exprimitur, ירצע אזנו. Sed in poſteriori loco plurium aurium mentio facta eſt; gratis autem heic aſſumitur, dualem loco ſingularis poni, quia nulla neceſſitas nos urget a proprio vocis ſignificatu recedere. Myſterium quod Cel. Roellius *in Diſſ. de Oecon. ſervi Dei* hic latere putat, ac ſi per duas aures duplex Chriſti natura, humana, & divina, nec non utriuſque obedientia fuerit inſinuata, poterit equidem pro ſpecimine elegantis ingenii admitti, ſed ſolidi argumenti vicem non præſtabit (ג) in perſona. Perforationis ſubjectum fuit ſervus ilibertatem ſeptimi anni ſpernens, eaque propter heri mancipium factus, ſed perſona quæ in cit. Pſ. loquitur, fuit Rex Meſſias, poſt ſervitutem exactam exaltatus, & cum iis omnibus, quos Pater ipſi dedit in priſtinam dignitatem & libertatem reſtitutus (ד) in factis. Servi propoſitum fuit peccaminoſum & Deo diſplicuit, prout omnes particulares circumſtantiæ evincunt, e contra Meſſiæ obedientia Deo & hominibus grata fuit. (ה) In ipſa paſſione & ejus ſequela. Servus non fuit innocuus, ſed pœna ipſi aſſignata dignus. Contra Chriſtus mortem ſuo ſcelere meritus non fuit. Ille poſt perforationem non exiit. Hunc mors liberavit. Accedit tandem explicatio LXX. interpretum & Pauli *Hebr.* x. 5. qui verba Davidis reddunt σωμα δὲ κατηρτισω μοι Novi equidem edverſarios his verbis abuti ad ſtabiliendam ſuam ſententiam, illiſque hunc ſenſum adfingere. *Corpus mihi ad ſervitutem præparabo*. Verum cum σῶμα in Sacris literis rariſſime mancipium, frequentiſſime corpus denotet, κατηρτίζειν autem nuſpiam ad ſervitutem præparare ſignificet, evidens eſt, contortam nimis eſſe hanc verborum translationem. Accedit, quod σῶμα heic opponatur ſacrificiis, quod, qua ratione fieri poſſit, ſi mancipium hac voce indigitaretur, non video: Hinc aliis viſum fuit alludi Apoſtoli verbis ad גוף של כבש פסח *Corpus agni paſchalis*, q. d. nunc corpus victimarum minime deſiderari, ſed ipſius Meſſiæ (*Joh. Henr. Mayus Obſ. S. P.* II. *p.* 60 & *Cel. Taco Hayo van den Honert in libro Belg.* Waaracħtige Wegen. *p.* 1199.) Nobis tamen videtur eo confugiendum non eſſe, ſed poſſunt textus Hebræus & Græcus commode inter ſe componi, ſi modo cum Rambachio notemus. 1. כרה guadere generali notione parandi & formandi, quæ ſi ad foveæ formationem transfertur, neceſſario ſignificatum fodiendi obtinet. 2. In textu Hebræo exprimi partem nempe aures, in Græco totum nimirum corpus, ut ſenſus emergat: *Præparaſti & formaſti mihi corpus auribus inſtructum & ad extremam obedientiam paratum*. Adeoque non male conjiciunt, qui exiſtimant Metaphoram petitam eſſe a ſtatuariis, qui quando ſtatuas perficiunt, aures & nares ſubinde excavant, ut ars & imago perfectior atque accuratior ſit. *Vid. Leidekker de Rep. Hebr. c.* x. Et forte LXX. qui verbo Καταρτίζω uſi ſunt, huc reſpexerunt.

LXXXVI. Alter locus, cui ex perforationis ritu *Leiſildus* & *Gatakerus in adverſ. Miſc.* LII. *cap.* XI. lucem adfundunt, extat *Pſalmo* LXXXIV. II. בחרתי הסתופף בבית אלהי מדור באהלי רשע: *Malo alligatus poſti eſſe in domo Dei mei, quam libere verſari in tentoriis improborum*. Ex communi ſententia hæc verba reſpiciunt ad ſervos janitores, quos heri non aliter ac canes cuſtodes vinculis ad limina affixerunt, prout conſtat ex hiſtoria tam Sacra, 2. *Reg.* XI. 9., quam profana. Hinc *Ovidius* ſcribit: *Lib.* I. *Elog.* VI.

Janitor indigna dura relegate catena.

& Maro: *Æn. lib.* IV.

Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum exſpectant.

Nituntur autem hujus ſententiæ patroni eo potiſſimum fundamento, quod סף limen ſignificet. Sed quamvis hoc certum ſit, poteſt tamen etiam hæc vox per poſtem verti, prout nonnulla Scripturæ teſtimonia nos edocent: *Amos* IX. I. *Ez.* XL. *6. &c.* דור autem quod a דרר deſcendit, deſignat חירות ſive libertatem, & quidem plenariam libertatem qualis Jubilæo promulgata fuit, ut *Raſchi* teſtatur verbis ſequentibus: *Vid. ejus Comment. ad Lev.* XXV. 10. & *conſ. Jalk. Part.* I. *fol.* 191. *col.* I. Dixit R. Juda: Ecquid ſignificat דרור? Res ſimilis eſt viatori מדייר qui divertit, quocunque vult, qui דר i. e. divertit, in quovis loco pro lubitu ſuo, nec ipſe in aliorum poteſtate eſt. Hinc ille enaſcitur verborum ſenſus: *Malo in domo Dei mancipium & infimum & perpetuum agere, atque poſti, ut ſervus, cujus auris perforatur, adfixus eſſe, quinimmo ſimilis eſſe Sacerdotibus excommunicatis, qui ad limina relegabantur*, (Ezech. XL. 6. & XLIII. 8.) *quam cum plena libertate verſari in tentoriis improborum*.

LXXXVII. Tandem Jubilæum servis Hebræis plenariam restituit libertatem, quo spectant verba legis *Lev.* xxv. 40. כשכיר כתושב עד שנת היבל יעבד עמך: *Ut inquilinus & mercenarius erit tecum, ad annum Jubilæum usque serviet penes te.* Hoc fundamento nititur, quod *Josephus* tradit *Ant. Jud. lib.* III. *cap.* XII. §. 3. *p.* 231. Καλεῖται δὲ ὑπὸ Ἑβραίων ὁ πεντεκοστὸς ἐνιαυτὸς Ἰωβηλος ἐν ᾧ οἵ τε χρέωσται τῶν δανείων ἀπολύονται, καὶ οἱ δουλεύοντες ἐλεύθεροι ἀφίενται, οὓς ὄντας ὁμοφύλους καὶ παραβάντας τι τῶν νομίμων τῷ σχήματι τῆς δουλείας ἐκόλασε, θάνατον οὐκ ἐκδεχομένους: *Annus quinquagesimus ab Hebræis vocatur Jubilæus, in quo & debitores a credito relaxantur, & servi liberi dimittuntur, quos, cum contribules essent,* (Deus) *propter quandam legum transgressionem, servitii schemate castigavit, mortem econtra sustinere prohibuit.* Possumus autem hic distincte considerare (א) personas privilegiatas, (ב) privilegii tempus, (ג) solennitatem, (ד) rationes sonticas, & tandem (ה) durationem.

LXXXVIII. Personæ, in quorum gratiam annus Jubilæus fuit institutus, sunt debitores & servi. Illos a debitis, hos a servitio liberavit. Utrosque ad pristinum reduxit statum. Et quidem, si a perforaris discesseris, omnes servorum species libertate donavit. (א) illos, qui paupertate pressi se ipsos vendiderunt, aut furtum commiserunt, & hinc venditi sunt: *Lev.* xxv. 39. 40. כי ימוך אחיך ונמכר לך ונו' עד שנת היבל יעבד עמך: *Cum attenuatus fuerit frater tuus tibique venditus &c., tum serviet tibi ad annum Jubilæum usque* (ב) servorum liberos: *Ibid. v.* 41. ויצא מעמך הוא ובניו עמו: *exibit a te ipse una cum liberis suis.* Et quamvis lex uxoris non meminerit, traditio tamen hunc defectum supplet, quod in Jalkut observatur: תלמוד לומר הוא ואשתו ובניו *Traditio habet. ipse (egrediatur) & uxor ejus & liberi ipsius.* (ג) Servos, qui alienigenæ venditi & non redemti fuerunt, eorumque liberos. *Lev.* xxv. 5. אם לא יגאל באלה ויצא בשנת היבל הוא ובניו עמו: *Si modo memorato non fuerit redemtus, anno Jubilæo exibit ipse & ejus liberi cum ipso.* Quin immo posset videri ipsos perforatos ab hoc privilegio non fuisse exclusos, siquidem singulis terræ incolis libertas adjudicatur: *Ibid. v.* 10. וקראתם דרור בארץ לכל ישביה יובל היא תהית לכם ושבתם איש אל-אחזתו ואיש אל-משפחתו תשבו: *Et proclamate libertatem in ipsa terra omnibus habitatoribus ejus: Jubilæi annus ille esto vobis, revertamini quisque ad possessionem & quisque ad familiam suam.* Quodsi tamen legis sensum penitius inspiciamus, haud difficulter observamus, hæc verba non tam stricte & juxta literam esse explicanda, siquidem 1. non omnes Judææ inhabitatores libertati proclamatione indiguerunt, cum non omnes essent debitores aut servi, & 2. Servi Cananæi, quamvis inquilini essent, tamen anno Jubilæo non fuerunt dimissi. Quapropter hic verbis tribuendus erit sensus, quod libertas in tota regione Judaica coram omnibus ejus incolis nullo non loco promulgari debeat iis omnibus, qui fato & fortuna, non sponte serviunt. Etenim cum beneficia nemini obtrudantur, probabile non est, servos nolentes volentes ad familias & possessione suas debuisse regredi. Adeoque cum perforati essent servi voluntarii, & lubenter huic privilegio renuntiassent, dubitari nequit, illos ad acceptandam libertatem haud fuisse obligatos vel potius coactos. Tandem nulla regula est tam universalis, quæ non patiatur suam exceptionem. Quia itaque ipse Deus perforatos excipit, hinc universalitati suos posuit limites, quos nos haud removebimus.

LXXXIX. Tempus nobis describitur *Lev.* xxv. 8. & *seqq.* וספרת לך שבע שבתת שנים שבע פעמים והיו לך ימי שבע שבתות השנים תשע וארבעים שנה והעברת שופר תרועה בחודש השביעי בעשור לחרש ביום הכפרים תעבירו שופר בכל ארצכם וקרשתם את שנת החמישית ונו': *Numerabis tibi deinceps septem aunos Sabbathicos, septem annos septem vicibus, ita ut tempus septem septimanarum annorum sint tibi 49. anni & tuba personabis mense septimo die decimo illius mensis ipso expiationis die personabiris tuba per totam terram, ita ut sanctificetis annum 50. &c.* Nostram haud faciam hac vice controversiam Chronologicam de justo Jubilæi tempore, quod flos & honor Chronologorum *Scaliger*, puta, *lib.* 5. *de emend. temporum*, Calvisius, *in Isagoge cap.* XXV. immo gravis Scaligeri adversarius *Petavius lib.* 9. *de doctrina temporum cap.* XXVIII. septimum annum Sabbathicum sive annum 49. fuisse judicant. *Usserius* econtra, *Spanhemius* & alii pro anno quinquagesimo stant. Priori sententiæ contradicere haud plane sustineo, veruntamen posteriori subscribere tutius censeo, siquidem Hebrææ veritati, loco inprimis citato, magis conformis est. Etenim (1) in hoc loco evidenter septimus Sabbathicus sive quadragesimus nonus a quinquagesimo distinguitur. Tantundem itaque foret, ac si quis diceret in sermone communi septimo anno hoc faciam, & alter hoc interpretaretur de anno octavo. (2) Libertatis promulgatio

tio die decimo menſis ſeptimi, adeoque dimidia parte anni quadrageſimi noni jamjam præterlapſa, facta eſt, non potuit itaque ipſe 49. annus Jubilæus eſſe. Accedit (3) quod publica annunciario Jubilæi ſaltem aliquot menſes ante Jubilæum fieri debuerit, quo ſe omnes præpararent ad cæremonias hujus anni celebrandas neque enim tam promte poſſeſſiones alienatæ & multorum annorum tractu divenditæ antiquis dominis reddi potuerunt. Cætera argumenta authores citati ſuppeditabunt. Id ſaltem addo, fuiſſe plures, qui a libertatis reſtitutæ privilegio huic anno nomen יובל impoſitum eſſe exiſtimarunt. Hinc *Joſephus* ſcribit *loco modo citato*: ἐνςάντος τȣ̃ Ἰωβήλȣ, ἐλευθερίαν δὲ σημαίνει τȣ̈́νομα &c. *Inſtante enim Jubilæo, quod nomen libertatem ſignificat &c.* Quæ ſententia nititur dicto *Jeremiæ*: *cap.* XXXI. 9. Benevolentiæ ergo ipſos reducam ac reſtituam, ἐν παρακλήσει ἀνάξω αὐτȣ̀ς, בתחנונים אבילם Quodſi ad genuinam vocis Etymologiam magis, quam Jubilæi beneficium attendere velimus, obſervamus, hoc thema in hiphil nimirum הוביל Synonymum eſſe verbi הביא adduxit, hac tamen differentia, ut prius pompam ſimul, magnificentiam & celebritatem ex magno confluxu ortam denotet, prout varia loca teſtantur, *Pſalm.* XLV. 16. *Eſai.* LV. 12. *Hoſ.* XVI. 7. in quibus pompam & celebritatem tum nuptialem tum funebrem ſignificat. Poſſumus itaque יובל exponere annum pompantem, magnifica quadam celebritate inſignem cnm omnium ordinum atque ætatum incredibili confluxu conjunctum.

XC. Solennitates, quæ comitatæ ſunt hanc nativæ dignitatis reſtitutionem, aliæ a Rabbinis notantur, aliæ in Sacris literis memorantur. Priores ſuo reſervamus loco. Ad poſteriores referimus inſignem clangorem cujus lex meminit: *Lev.* XXV. 9. והעברת שופר תרועה & tuba perſonabis. Quales fuerint tubæ clangentes diſceptatur; juxta ſapientes quibuſcunque cornibus præter bubula, juxta R. Judam ταῖς αἰγέαις, juxta alios ταῖς κεραπίναις clangebatur. Verum cujuſcunque etiam generis fuerint, illud certo conſtat, nihil buccina Jubilæi validius, nihil productius audiri inter voces humanas, quorſum ſpectant loca ſequentia, *Exod.* XIX. 13. במשוך היובל: quod redditur: ὁ πότε πρόμηκες σαλπίγξη ſive ad inſtar clangoris Jubilæi & alibi: *Joſ.* VI. 5. במשוך בקרן היובל: Acceſſerunt deinde confluxus hominum & publica libertatis promulgatio וקראתם דרור בארץ לכל ישביה *Et proclamabitis libertatem in terra omnibus ejus inhabitatoribus*. Qua facta omnibus ſervis licuit ex ſervitio diſcedere & ad familiam ſuam regredi.

XCI. Variæ & graves fuerunt rationes, quæ *Deum* impulerunt ad concedendum ſervis Hebræis hoc privilegium. Hac enim lege proſpexit I. ut Iſraelitæ memores ſint & maneant libertatis in quam *Deus* ipſos aſſeruit, liberando Hebræos a ſervitute Ægyptiaca. Hinc tam frequenter addit, *Lev.* XXV. 55. *&* 42. כי לי בני ישראל עבדים עבדי הם אשר הוצאתי אותם מארץ מצרים: *Quoniam mihi Filii Iſrael ſunt ſervi, mei ſervi ſunt, quos eduxi ex terra Ægyptiorum*. II. Ne multitudo ſervorum rebellioni occaſionem præbeat. Nihil enim magis rempublicam turbare poteſt, quam numerus & copia ſervorum, atque civium liberorum inopia. Quis enim ignorat, quid deſperata ſervitus valeat, efficiatque & quantum bella ſervilia Romanos, Volſinenſes, Tyrios & Siculos exercuerint, atque adflixerint. III. ut familiarum dignitas & totius populi æqualitas conſerventur. Huc ſpectant verba *Lev.* XXV. 10. ואיש אל משפחתו תשבו: *Et quivis ad familiam ſuam revertetur*, IV. ut domini dediſcant Tyrannidem atque ſævitiam, nec non cogirent ſe ipſos ſervos fuiſſe in Ægypto *Deut.* XV. 15. & tandem V. ad notandam lætitiam & libertatem a Meſſia præſtandam, vi cujus tempore jubilæi ſpiritualis liberari debuerunt a jugo Diaboli, peccati, legis & hominum. *Vid.* Flaccius Illyricus *ad vocem Jobel*.

XCII. Quamdiu Jubilæa & una cum his jura ſervorum duraverint, ex Scriptura certo determinari nequit, ſed Rabbini nobis materiam hac in parte ſuppeditabunt, quapropter ſequenti capite hac de re pauca monenda erunt.

XCIII. Qui ſervorum curam egit per totum miniſterii tempus, eorum commodis in ipſo quoque exitu invigilavit. Hinc non modo prohibuit manumiſſionis pretium a ſervo exigere verbis *Exod.* XXI. 2. יצא חפשי חנם *Liber exibit gratis*, ſed ex adverſo muneribus eum adficere juſſit: *Deuter.* XV. 13. 14. וכי תשלחנו חפשי מעמך לא תשלחנו ריקם: העניק תעניק לו מצאנך מגרנך ומיקבך אשר ברכך יהוה אלהיך תתן לו: *Et quum dimiſeris ipſum liberum abs te, non dimittes ipſum vacuum. Veluti torque ipſum cinges muneribus de grege tuo, de area tua, & torculari tuo. Prout Jehova* Deus *tuus tibi benedixit, ita dabis ipſi*. Poſſet videri ac ſi huic loco contradiceret alter: *Exod.* XXI. 3. בגפו יצא *cum corpore ſuo exibit*, quaſi his verbis notaretur ipſum nu-

nudum discessurum esse, atque indonatum, sed facile hæc inter se conciliantur, si modo observetur, נוף ibi significare personam, quo significatu etiam apud Rabbinos gaudet. Sensus itaque erit: quoad suam personam id est solus exibit. Verum paulo accuratius hæc lex de donatione servi manumissi erit enodanda. Possumus autem hic attendere (א) ad ipsa munera, (ב) ad donationis modum, & (ג) ad mensuram, nec non (ד) ad ejus rationes.

XCIV. Munera fuerunt desumenda de grege, area, & torculari. Noluit *Deus* servo pecuniam aut alia ejus generis erogari, quibus facile ad luxuriam vel intemperantiam abuti potuisset. De necessariis vitam conservandi mediis ei prospiciendum fuit. Indiget homo tum alimentis ad corporis nutritionem, & vestimentis ad frigus arcendum. Alimenta sunt duplicis generis, alia partes solidas humani corporis in suo esse conservant, & sanguinis nutrimentum sunt, alia succum præbent. Priora sub esculentorum, posteriora sub potus nomine veniunt. Neutrum servo deesse voluit Legislator. Esculenta fuerunt panes ex proventu areæ confecti & caro gregis; potum subministravit torcular. His accesserunt vestimenta quæ ex lana & pelle ovium sibi præparare potuit. Nollem tamen inficias ire, fuisse hæc munera tum temporis ordinaria & consueta, siquidem in his maxima divitiarum pars penes Israelitas fuit posita.

XCV. Modus donationis describitur verbis: העניק תעניק לו quibus verbis (א) munerum ratio, (ב) eorundem præstantia, & (ג) abundantia notatur, ענק enim designat torquem, sive ornamentum, quod collo adpenditur. Verum I. Ejusmodi torques apud veteres, Ægyptios, Chaldæos aliosque, nonnisi a liberis & quidem viris maximæ authoritatis gestari solebant, *Dan. v. 7. Psalm.* LXXIII. *6.* quapropter verba citata hunc sensum admittunt. *Honorando honorarium ipsi dabis* id est Munera illa erunt quasi signum & indicium manumissionis & pristinæ dignitatis, in quam hic Judaicæ reipublicæ civis restitutus est. II. Torques constabant ex pretiosissimo auro & splendidis gemmis, hinc merito colligitur, non de eo, quod vitiosum fuit ex proventu areæ &c. sed de præstantissimis fructibus fuisse sumenda. Ideo Targum verba illa reddit: אפרשה תפרש להּ separando separabis illi de grege tuo &c. III. Torques circumquaque cingebat collum; quod indicat munera non tam parce, sed liberaliter & in sufficienti copia servo manumisso fuisse eroganda ita, ut his quasi undiquaque cinctus abierit.

XCVI. Mensura donationis fuit divina benedictio: *Deut.* xv. 14. אשר ברכך יהוה אלהיך תתן לו: *Prout Deus tibi benedixit, ita eum donabis*. Haud quidem ignoro *Abarbanelem* in ea esse sententia, quod in his verbis contineatur motivum liberæ donationis. Quare scribit *in com. ad legem Par.* ראה *f.* 290. והנה אמר אשר ברכך יהוה אלהיך תתן לו לומר שאל ירע לבבו בתתו אל העבד ההוא היצא מעמו מאשר יש לו כי לא ממסונו הוא נותן אליו ומעניקו אם מאשר ברכו יהוה יתן לו כמו שרכרתי למעלה שהאדם נותן בהצדקה מהשאינו שלו כי אם מהשי׳: *Et ecce dixit:* quia benedixit tibi Jehova Deus tuus, dabis ipsi, *vult dicere. Ne ipsi displiceat in corde suo, quum dederit servo a se exeunti ex eo, quod possidet, siquidem non ex suis facultatibus ipsi erogabit, eumque donabit, sed ex eo, quo ipsi* Deus *benedixit, dabit ipsi, prout supra monui, quod homo non ex suo, sed ex eo quod* Dei *est, eleemosynam eroget*. Verum licet res heic proposita in dubium vocari nequeat, illud tamen obstat, quo minus doctissimo Magistro accedam, quod sensus potius in scripturam inferri, quam ex illa efferri deprehendatur. Quare mihi probabilius videtur, his verbis mensuram donationis notari, q. d. non tantum quod sufficit, sed quo carere poteris, non pro servi indigentia, sed pro tuis facultatibus ipsi dabis, siquidem pro divinæ benedictionis mensura vel largiori vel minori munera modo augebis, modo imminues. Benedictio enim non immediate, sed mediate facta est mediante sevi ministerio. Servus proinde, qui plura acquisivit, majus honorarium fuit meritus, quam qui exiguas tantum divitias paravit suo servitio. Cæterum non dubitamus, sapientissimo Legislatori haud defuisse rationem, quando noluit numerum & exactam mensuram munerum exprimere, (quam proinde Judæi temere determinant.) Forte voluit ita cavere, ne domino cui parva suppellex fuit, de necessariis alimentis quid decederet, si magnam copiam ei præscriberet, & ne servus conquerendi occasionem habeat, si huic donationi nimis arctos poneret limites.

XCVII. Hujus legis de donatione manumissorum tres in Sacris tabellis allegantur rationes. Primo fuit instituta in memoriam liberationis a servitute Ægyptiaca, prout docent verba sequentia *Deut.* xv. 15. וזכרת כי עבד היית בארץ מצרים ויפדך יהוה אלהיך על כן אנכי מצוך את הדבר הזה היום: *Ut memineris*

vis te ſervum fuiſſe in terra Ægyptiorum, & Jehovam Deum *tuum te redemiſſe, ideirco præcepi tibi hodie hanc rem.* Primo intuitu hæc verba cum verſu præcedenti haud bene cohærere videntur, Neque enim ſtatim adparet, quomodo ſervi donatio eductionis ex Ægypto memoriale eſſe poſſit. Verum qui penitius contextum inſpicit, obſervat in prioribus agi tam de manumiſſione ſervi quam de modo manumittendi. Utroque libertas, in quam *Deus* Iſraelitas aſſeruit, fuit ſignificata. Servi dimiſſio vel ſeptimo anno, vel Jubilæo facta fuit ſignum & pignus divinæ liberationis & redemtionis a ſervitute Ægyptiaca. Munera ſervis data in memoriam revocabant ſpolia Ægypti, quæ Iſraelitis in exitu ex Ægypto providente *Deo* ceſſerunt. Etenim Scriptore Sacro notante haud vacui exierunt Hebræi. *Loquere* (inquit Jehova ad Moſen, *Exod.* XI. 2.) *audiente hoc populo: ut petant quiſque ab amico ſuo, & quæque ab amica ſua inſtrumenta argentea & inſtrumenta aurea. Reddideratque. Jehova gratioſum populum illum in oculis Ægyptiorum:*

XCVIII. Secundo voluit legislator, ut illa donatio ſit remuneratio quædam & compenſatio quaſi fidelis operæ quam ſervi præſtiterunt; Huc ſpectant verba *Deut.* XV. 18. לא יקשה בעינוך בשלחך אותו חפשי כי משנה שכר שכיר עבדך שש שנים: *Ne tibi malum videatur in oculis tuis, quum ſervum liberum dimiſeris, ſiquidem duplum eſt mercedis mercenarii, quo tibi ſervivit 6. annis.* Variæ ſunt interpretum ſententiæ de hoc loco. *Vid.* Poli *Biblia Crit. ad h. l.* Nonnullis duplex merces idem eſt, ac merces copioſa & liberalis, juxta alios ſervus dupla mercede dignus judicatur, vel quia neceſſaria ſervitute defunctus fuit, vel quia majori fidelitate ſervivit, quam peregrinus, nec potuit ſervitium ſuum domino cunctanter & negligenter præſtare. Quidam obſervant, mercedem fratris ſpectatam in relatione ad mercedem aliorum duplicem eſſe. Verum rem acu tetigiſſe videntur, qui contendunt, mercenarium triennalem hic intelligi, & ſervum ut mercenarium duplicem conſiderari, qui dupla mercede dignus ſit (*Vide quæ ſupra monui*, q. d.) Ne tibi grave videatur ſervum anno ſeptimo liberum cum donis dimittere. Cogita, quid mercenario per triennium daturus fueris, & cogita hunc alterum tantum temporis tibi inſerviiſſe & invenies te multum lucrum feciſſe.

XCIX. Tandem proſpexit *Deus* hac lege ſervo de viatico, quod innuitur verbis *Deuter.* XV. 13. לא תשלחנו ריקם *Non dimittes vacuum.* Servus propter extremam paupertatem iterum operam ſuam in ſexennium addicere debuiſſet, niſi *Deo* placuiſſet alio modo ſubvenire hujus paupertati; Hac de cauſa juſſit benigniſſimum Numen, ut ſervo exeunti ea concedantur munera, quæ ad corpus nutriendum & veſtiendum inſervire poſſint. Huc oculos ſuos direxiſſe videntur LXX. quando verba: העניק תעניק לו tranſtulerunt ἐφόδιον ἐφοδιάσεις αὐτὸν viaticum ei ſuppeditabis. Saltem *Abarbanel* hoc ipſum ut potiſſimam hujus mandati rationem commendat *in Par.* ראה *f.* 290. שהעניק תעניק לו מצאנך מגנך ומיקבך לפי שביאתו משם יהיה לו מה שיאכל: *Onerando onerabis ipſum muneribus de grege tuo, de area tua & torculari tuo, ea de cauſa, ut ſtatim in exitu ſuo habeat, quod comedat.*

SECTIO III.

Continens Dogmata Rabbinorum de Servis.

I. RAbbinis membra reipublicæ Judaicæ diſtinguuntur in בני חורים עבדים ומשוחררים: liberos, ſervos, & manumiſſos. Prout enim in Sacris literis homines ex illuſtri proſapia prognati, ita in ſcriptis Talmudicis ingenui חורים audiunt. Hinc in Gemara plus una vice ſcribitur (*Vide Bava Kama cap.* I. §. 3.) חורים למעוטי עבדים: *ingenui, excipe ſervos.* Hunc vocis ſignificatum *Maimonidis* interpres notavit: *Karo in Keſeph Miſchne ad hilch. tepb. cap.* XIII. §. 4. ומשאמר ובני חורין מדאמרין בפ׳ר שולח שר׳ג נכנס לבית הכנסת ולא מצא עשרה שחרר עבדו להשלים לעשרה: *Quod vero dicat Maimonides, illos decem debere eſſe* בני חורין, *illud ex eo eſt, quod cap.* IV. *Cod. Gittin. legatur, R. Gamalielem, cum aliquando intraſſet ſcholam, nec decem inveniſſet, illico ſervum ſuum manumiſiſſe ad ſupplendum numerum denarium.*

II. Servorum duplicem conſtituunt ſpeciem verparum Magiſtri. Prima ſub ſe complectitur ſervos Hebræos, altera nobis ſiſtit ſervos Cananæos. De illis agitur in *Kidduſch. c. l.* §. 2. עבד עברי נקנה בכסף וגו: *Servus Hebræus emitur argento &c.* Obſervante autem *Abeneſra* ſervus Hebræi peregrinus nunquam vocatur עבד עברי. Hinc ſcribit: הנה בכל המקרא לא מצאנו מלת עברי כי אם על בני יעקב: *Ecce in tota Scriptura non reperimus nomen Hebræi de aliis adhibitum quam quidem de filiis Jacobi.* Cananæorum mentionem injicit §. 2. *cap. cit.* עבד כנעני נקנה בכסף ובשטר וגו׳: *Servus Cananæus emitur argento & contractu &c.*

Heic

Heic autem notandum venit omnes ſervos e quacunque gente Ethnica a Judæis coemtos adpellari ſervos Cananæos. Hinc adplicant ipſis dictum, quod omnes ſervos peregrinos concernit: והתנלחם לבניכם אחוזה: *Et jure hæreditario relinquetis ipſos filiis veſtris poſt vos, ita ut eorum poſſeſſionem acquiratis*. Rationes hujus denominationis potiſſimæ ſunt, quod Canaan ſervus ſervorum fuerit dictus, & ex Cananæis ut gentibus vicinis maxima ſervorum pars deſumta ſit. Hoc eſt, quod haud obſcure *Abarbanel* nos edocet, in Comm. ad legem & quidem ad *Gen.* IX. 25. &c. והנה נח ברוח הקרש ראה כל אשר ראוי להיות על כנען מהעבדות והכנעה והנרוש מארצו ולכן קללו וגו: *Et ecce Noachus in Spiritu Prophetico prævidit, quicquid Canaam eventurum ſit, (poſterorum) ſervitutem, depreſſionem, & ejectionem ex terra, hinc ipſi maledixit &c.*

III. Quid de ſervi Hebræi acquiſitione Magiſtri ſtatuant, modo exponam. Negant nobiſcum Hebræum bello devictum potuiſſe ſubjugari, novum autem argumentum ex Oratione Sacerdotis ad populum in prælium exeuntem exſculpunt, quo memoratam theſin evictam dare conantur. Tranſcribam illud ex tract. Sotah. *Cap.* VIII. *Miſchn.* 2. ונגש הכהן זה כהן משוח אל המלחמה ודבר אל העם בלשון הקודש ואומר אליהם שמע ישראל ונומר על אויביכם ולא על אחיכם לא יהודה על שמעון ולא שמעון על בנימין שאם תפלו בידם ירחמו עליכם כמה שנאמר ויקומו האנשים וגו׳: „ *Et* „ *accedit Sacerdos*, qui eſt Sacerdos ad „ bellum unctus *&* *alloquitur populum* „ lingua ſancta (i. e. Hebræa) *&* *dicit* „ *ad ipſos: Audi Iſrael &c.* Contra ini„ micos veſtros (expeditionem ſuſcipie„ tis) non contra fratres veſtros. Non „ Juda contra Simeonem nec Simeon „ contra Benjaminem. Ideo, ut ſi in „ ipſorum manus incideritis, veſtrum „ miſereantur, prout ſcriptum eſt (2. „ *Chron.* XXVIII. 15.) *Et ſurrexerunt* „ *viri &c.* „ Huic tamen argumentandi generi quo ex certa ſubjecti vel prædicati determinatione alterius excluſio colligitur, perexiguam ineſſe vim nullo labore agnoſcimus. Quippe cui non modo duo Logicorum axiomata, quorum alterum verba valere docet, quantum valere poſſunt, alterum hujus fere tenoris eſt: Uno poſito non negatur alterum; ſed & varia Scripturæ exempla adverſantur.

IV. Duobus tantum modis ſervus Hebræus ex ſententia Rabbinorum acquiri potuit, nimirum addictione tum ſpontanea; tum fori. Audiamus *Maimonidem*: *Hilch. avod. cap.* I. §. I. *f.* 139. *T.* IV. *Jad Chaſaka*. עבד עברי האמור בתורה זה ישראלי שמכרו אותו בית דין על כרחו או המוכר עצמו לרצונה: *Servus Hebræus in Scriptura memoratus eſt Iſraelita, quem invitum vendidit forum, aut qui ſe ipſum ſponte addixit*. Ad priorem referunt leges, quæ *Exod.* XXI. capite traduntur. De poſteriori explicant *cap.* XXV. *Lev.* Ne ſine teſte loquar, R. *Iſaacidis* monitum in medium proferam (*Vid.* ejus *Comment. ad Exod.* XXI. I.) הוא אומר כי ימוך אחיך עסך ונמכר לך הרי מוכר עצמו מפני דחקו אמור ומה אני מקיים כי תקנה בנמכר בבית דין: *Quando Scriptura dicit* (Lev. 39.) *Cum frater tuus fuerit attenuatus, de eo, qui propter neceſſitatem ſe vendidit, id ipſum dictum eſt. Sed quid inde ſtabilio? Quod verba* כי תקנה *quando emes &c.* (quæ extant Ex. XXI.) *de ſervo quem forum vendidit, debeant intelligi*. Hac hypotheſi nititur illa inter מכר עצמו & מכרוהו בית דין differentia, quæ in Gem. Kidduſchin, *f.* 14. b. fuſius exponitur. המוכר עצמו נמכר לשש ויתר על שש מכרוהו בית דין אינו נמכר אלא לשש המוכר עצמו אינו נרצע מכרוהו ב״ד נרצע מוכר עצמו אין מעניקים לו מכרוהו ב״ד מעניקים לו המוכר עצמו אין רבו מוסר לו שפחה כנענית מכרוהו ב״ד רבו מוסר לו כנענית: *Servus, qui ſe ipſum vendit ad 6. & plures, quam 6. annos venditur, is vero, quem forum addicit, nonniſi ad 6. annos venditur; ille non perforatur, hic perforatur; illi non dantur munera, at huic erogantur; Priori dominus ancillam Cananeam non adjungit, ſed poſteriori illam tradit*. Noſtram quiſquis ἐπιχείρησιν heic deſiderabit, ei paucis dicimus, Judæos hac in parte ſapere ultra id, quod ſcriptum eſt.

V. Spontanea ſervi addictio primo loco erit explicanda. Poſſumus autem heic diſtincte notare (א) perſonam, quæ ſe potuit addicere, (ב) perſonam, cui ſe potuit vendere, (ג) modum, quo in alterius poteſtatem pervenit, (ד) tempus, ad quod ſuam ſervitutem ſpondere permiſſum fuit.

VI. (א) Non fœminis, ſed tantum viris ſervitutis jugum ſponte ſubire licuit. Evidens hujus rei teſtimonium occurrit in Mechilta *Fol.* 29. *a. col.* I. *lin.* 19. איש מוכר את עצמו ואין האישה מוכרת את עצמה שהיה בדין: *Vir vendit ſe ipſum, at non fœmina, quod continetur in jure*. Conſentit Maimonides *Hilch. avod. c.* I. §. 2. *f.* 139. אשה אינה מוכרת את עצמה: *Fœmina ſe ipſam vendere nequit*.

VII. Verum (ב) nec viris niſi in caſu extremæ paupertatis ſe in ſervitutem dicare permiſſum fuit. Teſtis eſt R. Simeon

meon *in Jalkut. Par. bebar. Sinai fol.* 194. *qui ſua exſcripſit ex Siphre ſiphri.* מנין שאין אדם רשאי לםכר עצמו ולהצניע פונדתו וליקח לו בהמה וליקח לו כלים וליקח לו בית אלא אכ׳ העני ת״ל כי ימוך וגו׳: *Unde* (*conſtat,*) *quod nemini liceat ſe vendere, quo pretium abſcondat, aut beſtias, vel vaſa, vel domum ſibi compararet, ſed tantum, ſi ſumma egeſtate fuerit preſſus? Scriptura dicit, cum fuerit attenuatus.* Addit Maimonides *avod. c.* 1. §. 1. nec ad hoc ſe vendere potuiſſe, ut creditori debitum ſolvat. Forte noſſe cupis; cur ad ſervitutem obeundam extremam illam paupertatem requirant Judæi? Illud eo nititur fundamento, quod Lev. xxv. diverſi notentur paupertatis gradus, eorumque ultimus atque ſupremus habeatur, is quo quis ad ſui venditionem adigitur. En tibi Abarbanelis teſtimonium, *in Par. Bebar Sinai f.* 217. *p.* 2. quod ex Gem. Kidduſchin f. 20. 2. deſumtum eſt אחר שצוה על העני שירד מן נכסיו עד שמוכר אחוזת שדהו וכרמו וצוה אם ישפל ענינו וינדל דלותו עד שיבא למכור את ביתו שהיא מדרגה שנית מהדלות וצוה עוד אם יגדל דלותו במדרגה שלישת עד שימשכן משכנותיו בער מעות או מאכל בהלואה צוה עוד אם יגדל דלותו יותר במדרגה רביעית עד שימכור עצמו לעבד או יגנוב ונמכר בגנבתו: *Poſtquam leges tuliſſet de egeno, cujus pecuniæ in tantum defecerunt, ut poſſeſſionem ſuam, agrum* (*nempe*) *& vineam vendere* (*coactus ſit,*) *præceptis proſpicit illi qui majori egeſtate fuit preſſus, cujuſque paupertas in tantum crevit, ut neceſſe habuerit vendere domum ſuam, in quo ſecundus paupertatis gradus conſiſtit, his alia mandata addit de iis, quorum paupertas ad tertium devenit gradum, ita ut pignora ſua oppigneraverint, quo proximum ipſis mutuo det argentum vel cibum, & tandem præcipit nonnulla de illis, quorum paupertas ad quartum aſcendit gradum, ita ut vel ſe ipſos aliis addixerint, vel furati, & propter furtum venditi ſint.*

VIII. Sed licet quis tanta premeretur inopia, ut præter ſervitutem nullum ſupereſſet remedium, non potuit tamen fœminæ ſuas ſpondere operas, ne videatur ſub illicita conditione ejuſmodi pactum conditum eſſe, quod ipſum Maimonides teſtatur ſcribendo Avod. c. 1. §. 2. האישה אינה קונה לא עבד עברי ולא עבד כנעני מפני החשד: *Fœmina non emit ſervum Hebræum, nec ſervum Canaanæum propter ſuſpicionem ſcortationis.* Multominus licuit ſe gentili vel proſelyto addicere, prout infra ex Rabbinorum teſtimoniis evincam.

IX. Modus venditionis deſcribitur in Kidduſchin c. 1. *Miſchn.* 2. עבד עברי נקנה בכסף ובשטר: *Servus Hebræus emitur argento & contractu.* His tertium addit Maimonides qui ſcribit *Avod.* c. 11. §. 1. f. 140. המוכר עצמו נקנה בכסף ובשוה כסף ובשטר: *Servus ſpontaneus emitur argento, argenti pretio,* (ſive eo quod argento acquiparatur,) *& ſcripto obligatorio.*

X. Argento ſervos Hebræos fuiſſe paratos Sacræ tabellæ ſatis evidenter nos edocent, quo non obſtante Rabbini prolixo admodum argumento (quod גזרה שוה ipſis vocatur,) hanc theſin probare ſolent. En tibi male ſanorum ratiocinia, *Petita ſunt ex Gem. Kidduſch. f.* 14. *p.* 2. עבד עברי נקנה בכסף מנלן א״ק מכסף מקנתו מלמד שנקנה בכסף אשכחן עבד עברי הנמכר לנכרי הואיל וכל קנינו בכסף נמכר לישראל מנלן אמר קרא והפדה מלמד שמגרע פדיונה ויוצאה אשכחן אמה העבריה הואיל ומוקדשה בכסף מיקניה בכסף עבד עברי מנלן אמר קרא כי ימכר לך אחיך העברי או העבריה ועבדך שש שנים מקיש עברי לעבריה אשכחן מכרוהו ב״ד הואיל ונמכר בעל כורחו מכר עצמו מנלן יליף שכיר שכיר: *Unde* (*probatur,*) *ſervum Hebræum argento emi? Scriptura dicit* (Lev. xxv. 50.) *ex argento venditionis ſuæ, quo docetur, ipſum argento parari. Hoc* (*dictum*) *reperio de ſervo, qui extraneo venditur, ſiquidem omnis emtio* (*peregrini*) *argento fit. Unde* (*idem conſtat*) *de ſervo quæ Iſraelitæ venditur? Scriptura dicit* (Exod. xxi. 8.) *& curet eam redimi, quo docetur, quod redemtionem ſuam ſubtrahat atque exeat. Hoc* (*notatum*) *invenio de ancilla Hebræa; ea enim, quum argento deſponſetur, etiam argento emitur. Quomodo* (*idem*) *de ſervo Hebræo* (*probabo?*) *Scriptura dixit:* (Deut. xv. 12.) *Quando tibi venditur frater tuus Hebræus, aut Hebræa & ſerviit tibi 6. annos. Heic comparatur Hebræus cum Hebræa. Ita deprehendo ſervum a foro addictum* (*argento emi*), *quoniam is invitus venditur. Unde* (*evincam,*) *idem de ſervo, qui ſe ipſum vendidit* (*dicendum eſſe*)? *Unus alteri æquiparatur, quia uterque cum mercenario confertur.*

XI. Servos Hebræos ſcripto obligatorio vendi ex Rabbinorum ſcriptis ſupra demonſtravi. Supereſt, ut argumentum, quo hanc ſententiam ſuam ſtabilire conantur, in medium proferam. Depromam hoc ipſum ex Gem. Kidduſchin: *fol.* 16. a. בשטר מנלן אמ׳ עולה א״ק אם אחרת יקח לו הקיש הכתוב לאחרת מה אחרת מקניי׳ בשטר אף אמה העבריה מקניי׳ בשטר: *Unde* (*probatur,*) *contractu* (*ſervum emi?*) *Reſpondet Olab in Sacris literis ſcriptum eſſe* (Exod. xxi. 10.)

10.) *Quodſi aliam duxerit &c. Comparat proinde Scriptura (ancillam Hebræam) cum alia (virgine,) ſicut alia (virgo) per contractum (deſponſatur,) ita & ancilla Hebræa ſcripto obligatorio acquiritur.* Non eſt, cur mireris, ſervi Hebræi heic nullam mentionem fieri. Etenim jam ſupra notavi, hunc alibi cum ancilla Hebræa conſerſi, atque ita idem ipſi adplicandum eſſe. Quomodo tale ſcriptum obligatorium confectum fuerit, *Maimonides* refert *Avod. cap.* 11. §. 1. כיצר בשטר כותב לו על הנייר או על החרס הרינו מכור לך הרינו קנוי לך ונותן לו השטר: *Quomodo ſcripto obligatorio (acquiritur?) Scribit ſervus ſuper charta, aut teſta: Ecce me: Tibi venditus ſum, a te emtus ſum, & porrigit ei (nempe Domino) hoc ſcriptum.*

XII. Monui, ſervos Hebræos quoque argenti pretio coemi potuiſſe. Forte rationem hujus dogmatis deſiderabis! Eam nobis ſubminiſtrat *Joſephus Karo: in Keſeph Miſchne ad Maim. avod. cap.* 11. §. 1. בכל מקום הוי שוה כסף ככסף דילפינן מנזיקין: *Ubique id quod argento æquivalet, habetur pro argento, veluti diſcimus ex Tract. de damnis.*

XIII. Ad quod tempus ſervus ſpontaneus ſe addicere potuerit, diſpiciendum erit. Ex mente Hebræorum fere omnium hujuſmodi ſervo a *Deo* nullus venditionis terminus fuit conſtitutus. Audiamus *Abarbanelem Par. Miſchp. fol.* 144. אמנם הנמכר מעצמו יש לו רשות למכור לשנים רבות ומועטות כרצונו: *Verum is, qui ſe ſponte vendit, poteſtatem habet ſe vendendi ad plures vel pauciores annos pro lubiou ſuo.* Quocum conſentit, quod *Maimonides* tradit *Avod. cap.* 2. §. 3. המוכר עצמו יש לו רשות למכור עצמו ליותר על שש: *Et, qui ſe ipſum vendit, licet ſe ad plures quam 6. annos addicere.* His oculatior fuir *R. Elieſer*, qui jure contrarium ſtatuit in Gem. Kidduſch. *T.* 14. *pag.* 2. אף על גב דרבי אליעזר פליג התם ואמר זה וזה אינו נמכר אלא לשש פסק כתנא קמא: *Licet R. Elieſer controverſiam heic moviſſet & dixiſſet: Uterque nonniſi ad 6. annos venditur, deciſio tamen juxta priorem doctorem facta eſt.*

XIV. Ratio, qua ſententiam ſuam ſtabilire conantur, ex verbis ועבדך שש שנים depromitur, ſiquidem primam vocem ad ſervum a foro addictum non vero ſpontaneum referunt. En tibi verba *Gem. loco modo cit.*: מט׳ דתק׳ דאמר מכר עצמו נמכר לשש ויתר על שש מיעט רחמנ׳ נכי מכרוהו ב״ד ועבדך שש שנים זה ולא מוכר עצמו: *Quæ eſt ratio Doctoris primi, qui aſſerit, quod ſervus ſpontaneus ad plures, quam 6. annos vendi poſſit? Reſtringit Deus (verba:)* ועבדך שש שנים *ad illum, quem forum vendit. Proinde hic (ad 6. annos unice venditur,) non is, qui ſe ipſum addicit.* Quam infirmum hoc Rabbinorum argumentum ſit, vel me tacente nemo non videt. Etenim (א) affixum in voce עבדך ad dominum, non ſervum ſpectat. Quodſi proinde reſtrictio quædam heic locum haberet, dicendum foret, domini hæredes, non ſervos ſpontaneos, ibi excluſos fuiſſe, quod ipſum ex Magiſtris quidam agnoverunt. ואירך ועבדך ועבדך לך ולא ליורש: *Nonnulli (vocem)* ועבדך *(ita interpretantur ſerviet) tibi, non hæredi tuo.* (ב) Illa argumentatio, qua affixis ſenſus excluſionis tribuitur, non ubique obtinet, ſiquidem data occaſione aliquidem data occaſione de uno aliquid adfirmatur, quod ea propter de altero non negatur. (ג) Hypotheſis, qua argumentum nititur, vacillat; quandoquidem *cap.* xv. *Deut.* non tantum ad ſervos a foro addictos ſpectat, prout Judæi opinantur. Nam (1) jus ſervi ibi ſubjungitur juri pauperum, quo innuitur, eos quam maxime ſervos notari, qui extrema paupertate ad miſerum hunc ſtatum pervenerunt. (2) Conjunguntur in citato capite ſervus Hebræus & ancilla Hebræa: עברי או העבריה *Hebræus aut Hebræa.* Aut juxta propriam Judæorum confeſſionem fœmina propter furtum non addicitur, unde ſua ſequitur ſponte, ſervos a foro propter furtum venditos non poſſe heic potiſſimum indigitari. (3) Cum pauper intra 6. annos ſibi neceſſaria vitæ alimenta potuerit parare, non eſt credibile *Deum* ipſi ulteriorem ſervitutem concedere voluiſſe. Cæterum una cum Judæis in errore verſatur *Lundius*, qui exiſtimat, (*Vid.* Die Jüdiſche Heiligthümer. *cap.* xxx. *pag.* 1077.) ſervos ſpontaneos fuiſſe obligatos ad ſerviendum uſque ad Jubilæum, niſi agnatus ipſum redemiſſet, aut herus fuiſſet mortuus.

XC. Servus Hebræus populari venditus potuit ſe ipſum redimere, at non potuit ab agnatis ſuis vel aliis redimi. Prius nos edocet *Maimonides in avod. cap.* 11. §. 8. אחד המוכר עצמו בין לישראל בין לגוי ואחד שמכרוהו בית דין הרי זה מגרע מפדיונו ויוצא כיצד הרי שמכריהו בששים דינרים ועבד ארבע שנים ומצאה ירו הרי זה מגרע ארבעה דינרין לכל שנה שעבד ונותן לו הנשאר ככף או שוה כסף: *Sive qui ſe ipſum vendiderit, & quidem tum Iſraelitæ tum gentili, ſive forum ipſum addixerit, ſubtrahit de pretio redemtionis ſuæ & liber diſcedit. Quomodo? E. g. ubi quem forum vendidit [puta, ad 6. annos] pro ſexaginta denariis, & [ſervus] ſerviit*

viit quatuor annos, tum si fuerit assecutus, reddit domino viginti denarios, & liber exit. Similiter, si quis seipsum vendiderit pro quadraginta denariis, ad 10. *annos, tum servus pro quolibet anno sui ministerii quatuor denarios sibi subtrahit & residuum sive argentum sive argenti pretium domino. reddit.* Posterius traditur in Gem. Kiddufchin : *fol.* 20. עבד עברי הנמכר לישראל נגאל לקרובים או אינו נגאל אליבא דר׳ לא תבעי לך דאמ׳ מי שאינו נגאל באלה נגאל בשש: *An servus Hebræus, qui Israelitæ fuit venditus, per agnatos redimitur, nec ne? Juxta sententiam Magistrorum hac quæstione tibi non est opus, quippe qui dicunt, eum, qui per agnatos non redimitur, per (decursum) 6. annorum redimi.* Consentit Maimonides *Avod. cap.* 11. §. 7. אבל הנמכר הקרובים פודין אותו ואינו לווה וגואל: *Verum servum Israelitæ venditum nec agnati redimunt, nec ipse mutuum accipit, quo se redimat.* Duobus autem fulcris hæc Rabbinorum positio nititur, primo *Lev.* xxv. 5. ubi ex verbis נגאל באלה exsculpunt, per agnatos non redimi, qui anno septimo dimittitur, nec hoc anno liberari, qui per priores redimitur. *Vid. Kesepb. Mischn. ad cit. Maim. loc.* Secundo *v.* 45. hujus capitis, in quo redemtio duntaxat ad servos exteris addictos refertur. En tibi argumentum prout in Gem. Kiddufchin exhibetur *L. modo cit.* עבד עברי הנמכר לישראל לא אע׳ הנמכר לנכרי בהדי׳ כתיב בידה או דודו יגאלנו או בן דודו יגאלנו: *Servus Hebræus, qui Israelitæ venditur, non est servus Hebræus, qui peregrino venditur. Jam vero de servo Hebræo qui alienigenæ venditur, (tantum) scriptum est: Aut agnatus ipsius, aut hujus filius ipsum redimet.* Argumento priori parum roboris inesse nemo non judicabit, posteriori vim probandi tribuendam esse mecum agnoscent omnes, qui nullis præjudiciis laborant. Proinde erravit *Lundius*, qui asserit servum Hebræum per agnatos potuisse redimi.

XVI. Veruntamen Hebræorum Domini esse vel saltem permanere non potuerunt גר ועקר למישפחת גר *Proselytus & gentilis, qui in familia proselyti radices egit.* De priori voce nulla movetur controversia. Quid vero per עקר significetur, Rabbini disquirunt. Plerique in eo conveniunt, notari idololatram, vel potius ipsum cultum idololatricum. Hinc in Bava Kama, *fol.* 113. *a.* & Kiddufchin, *fol.* 20. *a. & b.* illud verbum sequentem in modum explicatur לעקר זה הנמכר לעבודת אלילים: *h. e. venditus ad cultum idolorum.* Clarius mentem Magistrorum nobis exprimit R. Isaacides *in comment. ad Lev.* xxv. 47. זה נמכר לע״ז עצמה לחטוב עצים לא לשם אלוהות: *Qui venditus est ad ipsum cultum idololatricum, ut ligna cædat, & reliqua ministeria necessaria exequatur, non ut idolo serviat.* Rationem hujus denominationis subministrat R. Salomo ben Melech *in Michlal Jophi ad Lev.* xxv. 47. quando servum ita vocatum esse scribit, eo quod ab omnibus aliis negotiis fuerit eradicatus, quo cultui idololatrico serviat. Non est, cur moneam hunc significatum & a notione radicali & a contextu maxime remotum esse, quippe quod vel oculis clausis perspici potest.

XVII. His se vendere nefas habebatur; Hinc Author Sepher Siphra scribit *Par. Behar. Sinai cap.* 6. *cap.* 219. *unde R. Simeon in Jalk. Par. ead. f.* 194. *cap.* 4. *sua transcripsit*: ומניין כשיהא נמכר אינו נמכר אלא לך תלמוד לומר כי ימכר לך: *Undenam evincitur, quod servus, quando venditur, nonnisi tibi soli vendatur? Scriptura dicit* כי ימכר לך *Quum tibi fuerit venditus.* Accedit Maimouides *Avod. cap.* 1. §. 3. המוכר עצמו אינו רשאי למכור עצמו לגוי ואפילו גר תושב: *Ei, qui se ipsum vendit, non licet se addicere gentili, etiamsi fuerit proselytus portæ.* Rationes, propter quas *Deus* lege prospexit, ne paganus atque proselytus Hebræis dominentur, in medium protulit *Abarbanel* quando nexum *cap.* xxv. *Lev.* cum *Cap.* xxvi. demonstrat: כי לי בני ישראל עבדים ולמה אם כן הגר או העקר ירדה בעבדי בפרך ואם יעמוד עבדי עם הגר או העקר אולי שיצוהו לעשות אלילים ולהקים מציבה ולתת לאבן משכית ולחלל את השבת ומפני זה ססך לזה אסורי עכו״ם לא תעשו וגו׳ כי בלי ספק הישראלי הנמכר לגר או לעקר עם כך היתה מכירתו לעשות את כל התועבות האלה ולזה אמר ג״כ את שבתותי תשמורו ואת מקדשי תיראו שהישראלי הנמכר לגר או לעקר לא ישמור את השבת כראוי ולא ילך למקדש להשתחוות ליהוה: *Quoniam filii Israel mei sunt servi. Quodsi proinde proselytus vel idololatra meo servo dominaretur cum sævitia, atque Hebræus in societate pagani vel proselyti viveret, ipsi fortasse in mandatis daret, ut idola faciat, statuam erigat, & lapidem figuratum ponat, nec non Sabbathum profanet. Hinc (dicto citato) adnectitur interdictum de vitanda idololatria: Non facite vobis idola &c. Siquidem dubio procul Israelita idololatræ vel proselyto hac conditione fuit venditus, ut faciat omnes istas abominationes, eademque de causa dixit quoque: Sabbatha mea observate & sanctuarium meum reveremini, eo quod Israelita proselyto aut pa-*

pagano addictus non sit Sabbathum observaturus, prout oportet, nec sanctuarium visitaturus, quo se incurvet coram Jehova.

XXIII. Israelita non ante venditionem servi Hebræi ad dehortationem, sed post illam ad redemtionem fuit obligatus. Audiamus Maimonidem *in Gem. Kiddufchin. fol.* 15. *b.* בא ואמר לך הריני מוכר עצמי לגוים אין אתה זקוק לו עד שנמכר אבל לאחר שנמכר לגוי אף על פי שעבר ועשה שלא כהוגן מצוה לפרותו ולא יטמע בהם שנאמר אחרי נסכר גאולה תחיה לו: *Quum quis venerit, tibique dixerit. Ecce me vendam gentilibus, ante venditionem nullo obligationis vinculo ipsi adstrictus eris* (i. e. non teneris ad eum dehortandum) *sed post quam gentili venditus fuit, tibi, non obstante quod legem transgressus sit, & injuste egerit, injunctum est, ut ipsum redimas, ne inter gentiles abscondatur. Etenim dicitur: Post venditionem redemtio ipsi erit.*

XIX. Quæuam fuerint personæ ad servum redimendum obligatæ Magistri ex *Lev.* xxv. 49. nos edocent: או דודו או בן דודו יגאלנו זה גאולת קרובים או השינה ידו זו גאולת עצמו ונגאל זו גאולת אחרים: *Aut patruelis, aut ejus filius ipsum rediment; hæc est redemtio agnatorum. Aut ipse assequitur; hæc est redemtio propria. Et redimetur; hæc est redemtio aliorum.* Verum falluntur heic Rabbini, quando verba postrema, quæ arctissimo vinculo colligeta sunt, ab invicem separant, & duplicem redemtionem ex illis exsculpunt. Non par fuit omnium obligatio. Hic enim ordo in redemtione fuit servatus, ut primo ipse, postea proximi agnati, hinc reliqua familiæ membra & tandem alii redemtionis pretium procurarent. Testem habemus amplissimum, puta Maimonidem: *Avod. cap.* 11. §. 7. *fol.* 149. *a.* הנמכר לגוי אם לא השינה ידו לגאול קרוביו פודין אותו וקרוב קרוב קודם שנאמר או דודו או בן דודו יגאלנו לא פראוהו קרוביו או שאין ידם משג' מצוה על כל אדם מישראל לפרותו: *Quando quis gentili fuit venditus, nec habet, quo se redimat, agnati ejus ipsum redimunt: & quidem, quo quis ipsi conjunctior est, eo prius tenetur ad servum redimendum, quia dicitur: Aut patruelis aut hujus filius ipsum redimet. Quodsi autem agnati ejus ipsum non redemerint, nec facultates* [*ad hoc opus*] *requisitas possideant, cuivis Israelitæ hoc redimendi officium incumbit.*

XX. Quo modo quave ratione servus Hebræus redemtus fuerit, Rabbini satis prolixe nobis exponunt. Præcipua tantum heic loci notabo.

XXI. (א) Observant servum gentilis vel proselyti potestati subjectum argento duntaxat, non vero eo, quod argento æquivalet, redimi potuisse. Huc spectat, quod legimus in תורת כהנים *Par. Behar Sinai ad Lev.* xxv. 50. הוא נגאל בכסף ואינו נגאל לא בתבואה ולא בכלים: *Argento redimitur & non redimitur proventu (agri) vel vasis.* Quocum consentit, quod *Maimonides* tradit *Avod. cap.* 11. §. 1. *f.* 140. *b.* לא תבואה ולא כלים שנאמר כסף ממכרו בכסף הוא נגאל מיד הגר ואינו נגאל בשוה כסף: *Nec fructus nec vasa (pro redemtione dari possunt,) quia dicitur: De argento suæ venditionis. Argento ipse redimetur a potestate gentilis, non vero argenti pretio.* Qua difficultate hæc ipsorum positio prematur, Rabbini animo suo præviderunt, quam propterea solvere omni nisu & animi contentione studuerunt. Audiamus eorundem verba: *Vid. Kesepb. Mischn. ad loc. Maim. cit.* בכל אתר את עביר שוה כסף ככסף והכא לית את עביר שוה כסף ככסף אמר רבי אבא מהי שניא היא ששנה עליו כסף בכסף: *In omni loco argenti pretium ponis in locum argenti, at heic non comparas id quod argento æquivalet cum argento: Dixit proinde R. Abba. Quid hoc rei est? Intercedit diversitas quædam, quia hac in causa Scriptura argentum cum argento permutavit (vel comparavit.)*

XXII. (ב) Docent Magistri, nonnisi accurata supputatione hanc redemtionem procurari potuisse. Huc spectat lex generalis *Kiddusch. cap.* 1. *Mischn.* 2. עבר עברו קונה את עצמו בשנים ביובל בגרעון כסף: *Servus Hebræus se ipsum redimit annis, Jubilæo & supputatione.* Postremus redimendi modus in sequentibus Scripturæ verbis fuudatur: וחשב עם-קנהו משנת המכרו לו עד שנת היבל והיה כסף ממכרו במספר שנים כימי שכיר יהיה עמו אם עוד רבות בשנים לפיהן ישיב גאלתו מכסף מקנתו ואם מעט נשאר בשנים עד שנת היבל וחשב לו כפי שניו ישיב את גאלתו: *Supputabit autem cum emtore suo ab anno, quo vendidit se ei usque ad Jubilæum, ut sit pecunia dierum mercenarii. Si adhuc multi supersunt ex illis annis ante Jubilæum, pro eorum numero restituito pretium redemtionis sui. Sin autem parum superest ex illis annis ad Jubilæum usque, ubi supputaverit cum eo pro numero annorum, restituito redemturam suam.* Hanc legem fusius & quidem satis accurate nobis exponit *R. Isaacides* dum scribit *in comm. ad h. l.* לא תבא עליו בעקיפין מפני חלול השם אלא ליגאל ידקדק בחשבון לפי המגיע בכל שנה ושנה ינכה לו הגוי מן דמיו אם היו עשרים שנה משימכר עד היובל וקנאו בעשרים מנה נמצא שקנה הגוי עבודת שנה במנה ואם שהה זה אצלו חמש שנים ובא ליגאל

לינאל ינכת לו חמשת מנין ויתן לו העבד חמשה עשר וזהו והיה כסף ממכרו בשנים: *Non fraudulenter servus (cum emtore suo) aget, ne nomen (Dei) profanetur, sed quum venerit ad se redimendum sollicite cum ipso supputabit juxta convenientiam. De quovis anno, (qui ad Jubilæum adhuc superstes erit,) detrahet herus servo de pecunia (qua emtus fuit.) v. g. si viginti fuerin anni a temporo venditionis ad Jubilæum, & ipse viginti miois fuerit acquisitus, deprehenditur, quod gentilis una mina servitium alicujus anni comparaverit. Quedsi proinde servus quinque annos penes herum moratus fuerit, & postea se redimere velit, tum detrahet quinque minas & dabit servus (emtcri suo) quindecim minas & illud est quod dicitur: Et erit pecunia venditionis suæ pro numero annorum.* Conferri meretur locus *Maimonidis* §. XIII. hujus capitis citatus.

XXIII. Tandem referunt Judæi, hanc supputationem servo modo emolumento, modo noxæ fuisse. Nititur autem hoc ipsem illa hypothesi, qua statuitur, solutionem non semper simul atque semel, sed haud raro successive fuisse factam. Quapropeer, cum pretium personæ pro temporum differentia modo adauctum, modo imminutum fuerit, nonj potuit non supputatio servo mox commoda mox molesta esse. Explicat nobis Magistrorum mentem *Maimonides* verbis sequentibus: הנמכר לגוי הואיל ויש לגאול עצמו לחצאין כמו שביארני פעמים יהיה להקל ופעמים להחמיר כיצד להקל קנה אותו במתי' ונחשף והרי הוא עתה שוה מאה ונתן לו חמשים חצי דמיו והכריא והרי הוא שוה מאתים נותן לו מאה שהן חצי דמיו הנשאר ויצא כיצד להחמיר קנה אותו במאתים ונתן לו חצי דמיו שהן מאה ונחשף והרי עתה שוה מאה נוחן לו חמשים שהן דמי חציו הנשאר ומצא שנתן מאה וחמשים אף על פי שהוא עתה שוה מאה: *Servo, qui se pagano addixit, eo quod se ipsum per partes redimere possit, ut exposuimus, sui redemtio modo facilitatur, modo difficilis (sive molesta) redditur. Quomodo facilitatur? Quando herus ipsum comparavit ducentis (florenis,) servique pretium fnit imminutum, ita ut de præsenti constet centum (florenis,) dabit ipsi 50. & postea fuit adauctum ita ut denuo ducentis constet, dabit ipsi centum florenos qui residuam partem dimidiam efficiunt, & liber exibit. Quomodo aggravatur? Quando herus servum acquisivit ducentis florenis & servus ipsi dedit dimidiam pecuniæ partem videlicet* 100. *florenos, & postea pretium ejus minuitur, ita ut* 100. *florenis constet servus, & hinc dabit ipsi quinquaginta florenos dimidium residuum, tum deprenditur, quod servus dederit centum & quinquaginta florenos, quamvis hoc ipso tempore non nisi centum florenis constet.*

XXIV. Hujus privilegii participes facti sunt omnes & soli Hebræi pagano addicti, ea tamen conditione, ut in eorum redemtione ordinis ratio fuerit habita. Nimirum cum quilibet sibi proximus sit, hinc singuli se prius quam cæteros, parentes præ alienis, sapientes præ idiotis, Levitas præ Israelitis, Israelitas præ spuriis redimere soliti fuerunt. Hinc profecto ordo in captivorum redemtione fuit observatus (*Vid. Gem. Horajot. f.* 13. *a.* & Maim. *in Mat. not. aniym. cap.* VIII.) nec ut spero, male heic a me adplicatur.

XXV. Hoc redimendi officium summe necessarium fuisse R. *Isaacides* observat, quando verba גאולה תהיה hunc in modum explicat *in Comm. ad Lev.* XXV. 48. מיד אל תניחהו שיטמע עד שנת היובל שהרי כל עצמו לא קנאו אלא לעבדו עד היובל שהרי ביובל יצא כמו שנאמר למטה: *Extemplo (redimetur,) ne patiaris ipsum abscondi ad annum Jubilæum usque. Quivis enim non alter emit servum, quam ut sibi serviat ad Jubilæum usque, siquidem in Jubilæo quivis exit, ut inferius dicetur.* Hæc desumta sunt ex Gem-Kiddufchin. ubi sequentia leguntur *f.* 21. *a.* עבד עברי הנמכר לנכרי בהדי בתיב ביה או דודו יגאלנו או בן דודו וגאלנו ההוא לקובעו חובה: *De servo Hebræo, qui peregrino venditus fuit, scriptum est: Aut patruelis aut hujus filius ipsum redimet, quo ipso debitum (agnatorum) determinatur.* Posset lectori in illo R. Isaacidis loco significatus vocis יטמע obscurus aut ambiguus videri, quare necesse erit, ut ejus explicationem ex schiphte chachamim addamus, רצה לומר אל תניחהו עד שיהא טמון בין עבודת אלילים: *Rasche vult dicere, ne relinquatis eum, donec sit occultatus in cultu idolorum.*

XXVI. Ex illa redemtionis necessitate ut fonte sequentes Judæorum observationes velut rivi profluxerunt. Nimirum. (א) quod agnati vi potuerint compelli ad servum redimendum. Audiamus *Maimonidem Avod. cap.* II. §. 7. 7. *f.* 140. *a.* בית דין כופין את קרוביו לפדותו שלא יטמע בגוים: *Forum cogit agnatos ad ipsum redimendum, ne inter gentiles abscondatur;* (ב) quod servis licuerit pecuniam commodare, & se per vices sive successive redimere. In Gem. Kiddusch. *f.* 20. prolixa disputatio hac de re inter R. Schefchet & R. Chunam fuit habita, cujus finalis decisio parti adfirmanti favet. Qua-

propter *Maimonides* non dubitavit idem aſſerere *Avod. cap.* II. §. 7. יש לו ללוות לנאול את עצמו מן הווי וניאל לחצאין: *Eſt ſervo poteſtas accipiendi mutuum, quo ſe redimat, & per vices ſe redimendi,* (נ) quod ſervus, qui ſecunda vice ſe addixit, altera quoque vice redimendus, non vero, ſi poſthac venditus fuerit. Huc ſpectat ſequens in Miſchnajor *Gittin. cap.* IV. §. 9. *ſive ult.* locus: המוכר את עצמו ואת בניו לעא׳ אין פודין אותו אבל פודין את הבנים לאחר מיתת אביהן: *Quando quis ſe ipſum & liberos ſuos vendit* (tertia nimirum vice) *cultui idololatrico, tum ipſum non redimunt, at liberos redimunt poſt obitum eorundem patris.* Explicat hæc verba *Maimonides in Matnot. aniym. cap.* VIII. §. 13. מי שמכר עצמו ובניו לגוים או שלוה מהן ושבו אותן או אסרוהו בהלואתן פעם ראשונה ושנייה מצוה לפרותן שלישית אין פודין אותו אבל פודין את הבנים לאחר מיתת אביהן ואם בקשוהו להורגו פודין אותו אחר מירם אפילו כמה פעמים: *Ubi quis prima & altera vice ſe liberoſque ſuos gentili addicit, aut ab eo mutuatur, & hinc captivus abducitus, vel propter mutuum in vincula conjicitur, Hebræis injunctum eſt, ut ipſos redimant. Tertia vice venditum non redimunt, ſed parente mortuo liberos redimunt. Quodſi gentilis eum interficere ſtudeat, liberant eum ab ipſius poteſtate etiam poſt plurimas vices.*

XXVII. Neque tamen hac ipſa lege gentili aut proſelyto injuria fuit facta, ſiquidem is, qui ſe ipſi addixit, legitimus ejus ſervus fuit teſte *Maimonide Avod. cap.* I. §. I. *f.* 139. *a.* ואם עבר ומכר עצמו אפילו לעובר ע״ז ואפילו לע״ז עצמה הרי זה מכור שנאמר או לעקר וגו׳: *Quod ſi tranſgrediatur* (præceptum) *ſeque ipſum vendat etiamſi idololatræ, quin immo ipſi idololatriæ; Ecce venditus eſt* (*& manet,*) *quia dicitur aut gentili.* Hinc ſua ſequitur ſponte, ipſum, niſi redemtus fuerit, non ante Jubilæum ſuam recuperaſſe libertatem, quod Scriptura præeunte idem tradit *Maimonides ibid. cap.* II. §. 6. המוכר עצמו לגוי אם לא נפדה אינו יוצא אלא ביובל שנאמר ואם לא יגאל באלה ויצא בשנת היובל הוא ובניו עמו: *Qui ſe ipſum gentili vendit, niſi redimatur, non exit præterquam in Jubilæo, quia dicitur, ſi non redimetur per agnatos, exibit in anno Jubilæo ipſe una cum liberis ſuis.* Quiſquis proinde ante hoc tempus aufugit, is non modo injuſte agit ſed & damnum illatum compenſare debuit ut teſtatur *Joſephus Karo* in Keſeph Miſchne ad loc. modo cit. שם תנא מנין לבורח שחייב להשלים: *Exinde diſcimus de profugo, quod teneatur compenſare* (*illos annos.*)

XXVIII. Verum uti nulla datur regula ſine exceptione, ita & heic notandum venit Hebræos pagano extraneo venditos non potuiſſe redimi aut per Jubilæum liberari. Ita ſentiunt Magiſtri in Gemar. Kidduſchin: *f.* 15. *a. & b.* ויצא בשנת היובל בגוי שישנו תחת ידך או אינו אלא בנכרי שאינו תחת ידך וכי מה אפשר לעשות לו הכתוב אינו מדבר בנכרי שאינו תחת ידך: *Exibit in anno Jubilæo* (*nimirum*) *a gentili, qui tuæ poteſtati ſubjectus eſt, vel forte res ita ſe non habet, ſed ſimul* (*id referendum erit*) *ad extraneum, qui a poteſtate tua exemtus eſt? Verum quid ipſi facies,* (*quando obedire recuſat: Vides proinde Scripturam non loqui de pagano, qui tuæ poteſtati non ſubjacet.* Conſentit R. *Iſaacides, in comm. ad Lev.* XXV. 47. בגר שתחת ידך הכתוב מדבר: *de proſelyto, qui tuæ poteſtati ſubjectus eſt, Scriptura loquitur,* quem locum R. *Jebuda Leo* ita explicat *in Gur. Ariel ſive not. ad Iſaac. f.* 159. *cap.* 3. *ſi gentilis non fuerit ſub poteſtate Iſraelitarum, quis coget illum, ut Judæum liberum dimittat in anno Jubilæo?*

XXIX. Fur, qui ſolvendo non fuit, propter furtum commiſſum vendi non modo potuit, ſed & debuit, prout Scriptura præeunte teſtantur Rabbini. Ita *Maimonides Aniba cap.* III. §. II. *f.* 19. *a. Tom.* IV. דין הגנב לשלם הקרן והכפל או תשלומי ארבעה וחמשה מן המטלטלין שלו אם לא נמצאו לו מטלטלין בית דין יורדין לנכסיו וגובין הכל מן היפה שבנכסיו כשאר הנזקין שנאמר בהן מיטב שדהו ואם אין לו לא קרקע ולא מטלטלין ב״ד מוכרין אותו ונותנין דמיו לניזק שנאמר אם אין לו ונמכר בגניבתו: *jus furis eſt, ut reſtituat ſummam atque duplum vel etiam quadruplum & quintuplum ex bonis ſuis mobilibus, ſi non poſſederit ejuſmodi bona, tum forum ad reliquas facultates ſuas ſe convertit, & tollit id quod potiſſimum eſt de facultatibus ipſius, prout in reliquis damnis fieri ſolet, de quibus dicitur: ex optimo proventu agri* (*reſtitutio fiet.*) *Quodſi nec fundum nec bona mobilia poſſideat, forum vendit ipſum & ejus pretium læſo adjudicat quandoquidem dicitur. Si non fuerit ſolvendo, vendetur propter furtum ſuum.*

XXX. Fœminam propter furtum commiſſum vendi potuiſſe Judæi temere non minus quam obſtinate negant; prout ex Tract. Sota, *cap.* III. §. 8. evidenter adparet: האיש נמכר בגניבתו ואין האשה נמכרת בגניבתה: *Vir venditur propter furtum ſuum, ſed fœmina non item.* Veruntamen circa hanc ipſum theſin Magiſtri

gistri

giſtri in partes abeunt, quorum alii ex traditione alii ex Scriptura illam derivant. Prioribus accedit *Maimonides* (*vid. ejus Comm. ad Miſchn. cit. & Avod. cap.* VI. §. 1.) האישה אינה נמכרת בגניבתה ודבר זה מפי הקבלה: *Fœmina non addicitur propter furtum, quam theſin traditioni acceptam ferimus*. Poſterioribus calculum ſuum adjicit R. *Iſaacides in com. ad Deuter.* XV. 13. אין האשה נמכרת בגנבתה שנאמר בגנבתו ולא בגנבתה: *Non venditur fœmina propter furtum ſuum, quia dicitur propter furtum ab ipſo non ab ipſa commiſſum*. Verum errant & illi, qui ſuæ traditioni nimis fidunt, & hi, qui pro more ſuo nihil non ex Scriptura eliciunt.

XXXI. Rabbini per גניבה in loco citato duntaxat furtum ſtricte ſic dictum intelligunt. Teſtis eſt *Maimonides avod. cap.* 1. §. 1. אין לך איש בישראל שמוכרין אותו בית דין אלא הגנב בלבד: *Non eſt vir in Iſraele, quem forum vendit, præterquam fur*. Ex illa Pſeudermeneja ſequentes theſes profluxerunt (א) neminem propter debita ad ſervitium addici poſſe, prout loca a doct. *Altingio* citata confirmant. (ב) Falſos teſtes, qui furti quendam poſtularunt, hujus loco vendi non potuiſſe, qua de re prolixa diſputatio extat in Gem. Macoth: *cap.* 1. *f.* 2. *c.* 2. אין נמכרין כעבד עברי סבר רב המנונא למימר הני מילי היכי דאית ליה לדידיה ומיגו דאיהו לא נזדבן אינהו נמי לא מזדבנו אבל היכא דלית ליה לדידיה אפע״ג דאית להו לדידהו מזדבניה אמר ליה רבא ולימרו ליה אי אנת הוה לך מי הוה מיזדבנת אנן נמי לא מיזדבנינן אלא סבר רב המנונא למימר הני מילי היכי דאית ליה או לדידיה או לדידהו אבל היכי דלית ליה לא לדידיה ולא לדידהו מזדבני א״ל רבא ונמכר בגניבתו אמר רחמנא בגניבתו ולא בזממו: (*Falſi teſtes*) *non venduntur. Opinatur R. Menuna id poſſe dici, ſi* (*accuſato*) *fuerint facultates, quas pro ſua perſona poſſit ſolvere, quia enim hoc in caſu* (*accuſatus*) *non venditur, nec* (*falſus teſtis*) *vendendus erit* (*quippe qui in prioris locum ſuccedit.*) *Reſpondet ei Rabba dicendo; ſi tu fueris ſolvendo, quis te vendidiſſet? ita & nos falſum teſtem* (*cui ſuppetunt facultates*) *non vendimus. Verum putat itaque R. Menuna illud dici poſſe, ſi utriſque fuerint facultates, ſed ſi utriſque deſint, tum ad minimum falſum teſtem venditum iri. Reſpondet Rabba:* (Dicitur Exod. XXII. 2.) בגנבתו *quo Deus innuit, ob furtum non ob falſum teſtimonium vendi* (ג) Servos non pro duplo, quadruplo vel quintuplo, ſed tantum pro re ipſa ſive ſumma furti ſervire. Paucis hoc traditur in Gem. Kiddu-ſchin: בגניבתו ולא בכפילו *propter furtum ſuum & non propter duplum vendetur* & fuſius idem exponitur a R. *Ezechiele Hechaiim in Hilch. Gonev. Mammon. c.* 1. אין גנב נמכר על כוה״ה רק על הקרן הקרן מאה ודמיו ג׳ נמכר ושאר הקרן חוב עד שיעשיר: *Fur non venditur propter quadruplum aut quintuplum, ſed tantum propter ſummam. Quodſi ſumma furti centum florenis conſtet, & ipſe pretio quinquaginta florenorum æſtimetur, tum venditur & reliqua pars ſummæ manet debitum, donec diteſcat*. Et in Mechilta *Par. Miſchp. Sect.* 13. *f.* 32. *cap.* 3. *in fine*. נמכר בגניבתו ולא פחות ולו יתר רבי יהודה אומר אם גנב פחות ממה ששוה אינו נמכר יותר ממה ששוה הרשות ביד בעל הגניבה אם רצה למכור ימכר ואם לאו כותב לו שטר רבי אליעזר אומר גנב פחות ממה ששוה אינו נמכר יתר ממה ששוה דין להשתכר מחצה ולהפסיד מחצה: *Venditur ob furtum ſuum, nec vilius, nec carius. R. Jehuda dixit: ſi furatus eſt minus, quam valet, non venditur, ſi plus, quam valet, tum in furis arbitrio poſitum eſt. Quodſi velit ſe vendere, ſe vendit; Sin minus, ſcribit Domino ſcriptum obligatorium. R. Slieſer dicit: ſi minus furatus eſt, quam valet, non venditur, ſi plus, quam valet, furatus eſt, jus eſt ut furti partem recipiat, partem perdat*. His poterit adjungi teſtimonium, quod Gemar. Kidduſchin: *fol.* 18. 2. ſubminiſtrat: ת״ר גניבו אלף ושוה ח״ם מאות נמכר וחוזר ונמכר גניבו חמש מאות ושוה אלף אינו נמכר כלל ר״א אומר אם היה גניבו כנגד ממכרו נמכר ואם לאו אינו נמכר אמר רבא בהא ר״א לרבנן זכנהו דמ״ש גניבו ה׳ מאות ושוה אלף דאין נמכר דנמכר כולו אמר רחמנא ולא חציו הכא נמי נמכר בגניבתו אמר רחמנא ולא נמכר בחצי גניבתו: *Docuerunt Rabbini, ſervum, qui mille florenos furatus eſt, & quingentis conſtat, vendi, & quando revertitur, denuo vendi, quodſi vero quingentos furatus fuerit, nec niſi mille florenis valeat, non venditur, quæ regula generalis eſt. R. Elieſer reſpondet, quando ipſius furtum reſpondet pretio ſuæ venditionis, venditur, ſin minus, non venditur. Dixit Rabba: In eo R. Elieſer vicit Rabbinos. Prouti enim ipſi dicunt, ſervum, qui quingentos furatus fuit & millenis conſtat, non eſſe vendendum, eo quod* Deo *notante totus vendi debeat, non ejus dimidium, ita & heic* Deus *dixit, ſervum vendendum eſſe propter furtum ſuum* (*nempe integrum*), *non propter dimidiam furti partem*. Quod ſi hæc ita ſe haberent, prout Judæi narrant, ſane perpauca forent exempla ſervorum, qui propter furtum aliis fuiſſent addicti. Verum his ſingulis

gulis falſitatis ſuſpicionem ſubeſſe vel inde colligimus, quia in ſacris literis ne gry quidem hac de re occurrit.

XXXII. Hujuſmodi fures (1) a Synedrio & quidem (2.) ſolis Hebræis, nec (3.) his niſi ad 6. annos fuerunt addicti. Primum vel inde ſatis evidenter adparet, quia ſervus ob furtum venditus Hebræis perpetuo nuncupatur מכרוהו בית דין is, quem Synedrium vendidit. Alterum *Maimonides* ſuo confirmat teſtimonio *Avod. cap.* 1. §. 5. עבד עברי שמכרוהו בית דין אין מוכרין אותו אלא לישראל או לגר צדק: *Quando Synedrium ſervum Hebræum vendit, tum eum nonniſi Iſraelitæ aut proſelyto juſtitiæ addicit.* Tertium traditur in Gem. Kidduſchin: *f.* 14. *c. b.* מכרוהו ב״ד אינו נמכר אלא לשש: *Servus a foro addictus non venditur, niſi ad 6. annos.* Quod ipſum in Gloſſa exponitur ratione ſimul notata. מכרוהו ב״ד וגו׳ דכתיב ועבדך שש שנים אבל במוכר עצמו לא כתיב דכי תקנה עבד עברי מיד אחרים משמע: *Servus, quem forum vendit &c. quia de ipſo ſcriptum eſt, & ſerviet tibi 6. annos, verum de illo, qui ſe ipſum vendit, hoc ſcriptum non eſt.* (*Quando enim dicitur*: Ex. XXI. 2.) *Quum emeris ſervum Hebræum &c. tum ſubintelligitur ex manu aliorum.*

XXXIII. Quia Sacræ tabellæ non meminerunt, quid faciundum ſit, ubi ſervus vel gentili, vel uni ſæpius, vel pluribus ſimul furatus fuit, hinc Rabbini illos caſus determinare operæ pretium judicarunt. Placuit hæc ex Maimonidis loco jamjam citato veſtris ſubjicere oculis *Aniba c.* III. §. 23. *& ſeqq.* גנב את הגוי או הקדש אינו נמכר על הקרן אלא הרי זה עליו חוב עד שיעשיר גנב ונמכר וחזר וגנב אם לשני גנב הרי זה נמכר פעם שנייה ואפילו גנב למאה אנשים נמכר מאה פעמים ואם לראשון גנב פעם שנייה אינו נמכר שנייה אלא ישאר עליו הכל חוב גנב לזה וחזר וגנב לזה וחזר וגנב לזה כולם שותפין בו אם היו דמיו כנגד הקרן של שלשתן או פחות מן הקרן נמכר ומחלקין ביניהן ושאר הכפלות חוב עליו ואם היו דמיו יתר אינו נמכר והכל חוב עליו עד שיעשיר שותפין שגנבו כאחד משלשים ביניהן וכל אחד מהן נמכר בחלקו מן הקרן וכל מי שדמיו יתר על חלק הקרן שנתחייב בו אינו נמכר: *Qui furatus fuit gentili aut ſanctuario, non venditur propter furti ſummam, ſed manet illa debitum, donec diteſcat. Qui propter furtum fuit addictus, & poſtmodum denuo furatur, is ubi duobus furtum fecit, utraque vice venditur, & ſi vel centum viris furatus eſſet, centies venditur, ubi vero priori bis fuit furatus, huic altera vice non venditur, ſed manet ſuper ipſo debitum. Quando huic furatur, & poſtea redit ac furatur alteri, & denuo revertitur, ac furatur tertio, tum omnes de ipſius pretio participant, ſi pretium ſuæ venditionis æquivalet furti ſummæ. Quodſi fuerit infra ſummam, venditur, & partiuntur (illi tres ſervi pretium) inter ſe, reliquorum duplorum debitum reſtat furi ſolvendum. Quando pretium ſervi ſuperat (furti ſummam), tum totam ſummam ablatam tamdiu debet, uſque dum facultates acquirit. Socii fures ſunt ſicut unus, quando furta inter ſe deponunt. Eorum quivis venditur propter ſummæ ablatæ partem, verum quando ipſius pretium ſuperat partem ſummæ ablatæ, quam debet, tum non venditur.*

XXXIV. Capite ſuperiori notavi, potuiſſe filios in caſu extremæ neceſſitatis a Patre aliis addici. Verum hoc ipſum eſt, quod Judæi literæ ſtricte inhærentes ſtrenue negant, prout ſatis luculenter claret ex Mechilta *Par. Miſchp. f.* 29. *cap.* 1. וכי ימכר איש וגו׳ האיש מוכר את בתו ואינו מוכר את בנו שהיה בדין מה אם הבת שאינו נמכרת על הגניבה אביה רשאי למכרה הבן שהוא נמכר על הגניבה אינו דין שיהא אביה רשאי למכרו ת״ל וכי ימכר איש את בתו האיש מוכר את בתו ואינו מוכר את בנו: *Et ſi quis vendet &c. Vir vendit filiam ſuam, non filium ſuum, quod continetur in jure. Quid? ſi Patri licet filiam addicere, quæ non venditur propter furtum. Nonne juris erit ut ipſi (multo magis) liceat vendere filium, qui propter furtum addicitur? Scriptura dicit. Si quis vendet filiam ſuam; adeoque Pater vendit, filiam, non item filium ſuum.*

XXXV. Nativitate alios ſervos fuiſſe factos Scriptura ſatis evidenter nos edocet, quando liberos ſervi Hebræi ex ancilla Cananæa prognatos dominis adjudicat *Exod.* XXI. 4. Quid Judæi ad inluſtrandam hanc legem conferant, diſpiciendum erit.

XXXVI. Ex eorum ſententia non licuit (1.) Iſrælitis liberis matrimonium inire cum ancilla Cananæa. Audiamus Maimonides *Avod. c.* III. §. 3. המוכר עצמו אסור בשפחה כנענית כשאר כל ארשלי *Servo, qui ſe ipſum vendidit, non minus ac cæteris Iſrælitis univerſis ancilla Cananæa probibita eſt*, nec (2.) ſervo ſpontaneo talis ancilla in thori ſociam adjungi potuit, prout prolixe traditur in Gem. Kidduſchin. f. 15. a. מ״ט דת״ק מוכר עצמו אין רבו מוסר לו שפחה כנענית מיעט רחמנא נבי מכרוהו ב״ד ואם אדוניו יתן לו אשה לו ולא למכר עצמו ואידך לו באל כורחו ואידך מכי משנה שכר שכיר עבדך שכיר אינו עובד אלא ביום עבד עברי עובד בין ביום בין בלילה וכי תעלה על דעתך שעבד עברי עובד

עובר בין ביום בין בלילה והלא כבר נאמר כי טוב לו עמך במאכל ואו׳ יצחק מכאן שרבו מוסר לו שפחה כנענית : *Quæ est ratio Doctoris primis, qui dicit : servo spontaneo Dominus non associat ancillam Cananæam? Excludit Deus omnes præter servum a foro addictum* (*dicendo* Exod. XXI. 14.) *Si dominus ejus ei dederit uxorem, ipsi,* (*quem forum addicit,*) *non ei, qui se sponte vendit. Nonnulli tamen illud ita explicant. Ipsi, nempe invito. Sunt denique, qui ex verbis : duplum est mercedis mercenarii, quo tibi serviit,* (*eliciunt hanc positionem.*) *Mercenarius non servit, nisi interdiu, sed servus Hebræus tibi servit tam die, quam nocte Quodsi tibi in mentem venerit, quomodo servus noctu & interdiu servire possit, cum supra dictum sit: prospere tecum aget in cibo* (*& iu lecto*). *Respondet R. Izchak prius eo respicere, quod Dominus servo ancillam Cananæam in thori sociam adjungat*. Quinimmo (3.) ne quidem is, qui ex parte servus & ex parte ingenuus fuit, hanc ancillam ducere potuit, prout notatur in Schulchan aruch *Hilch. avod. fol.* 218. *b.* מי שחציו עבד וחציו בן חורין אינו יכול לישא לא שפחה ולא בת חרין לפיכך כופין רבו לשחררו: *Qui partim servus, partim ingenuus est, non poterit uxorem ducere nec ancillam, nec liberam, quapropter dominum cogunt, ut ipsum dimittat liberum.*

XXXVII. Servus, qui potuit obligari ad ducendam Cananæam & prolem servilem ex ea procreandam fuit is, quem Synedrium vendidit, ut Maim. testatur *L. cit.* בין הארון בין בנו של ארון הרי זה נותן לו שפחה וכופהו על זה כדי שיוליד ממנה עבדים : *Tum Dominus tum ejus filius servo ancillam in uxorem dant, eumque cogunt ad hoc ipsum, ut ex illa liberos procreet, qui sint servi*. Nec ratio habetur in hoc casu interdicti quo alias cautum fuit, ne Judæus cum pagana & ancilla jungatur. Etenim nec Sacerdoti, cui alias maxime matrimonii puritas commendata esse debuit, si addictus fuerit, tale contubernium illicitum fuit, ut idem Maimonides observat *Ibid.* §. 4. ודבר זה קבלה הוא ואפילו היה הנמכר כהן הרי זה מותר בשפחה כנענית כל ימי עבודתו : *Per traditionem illud accepimus, quod, quamvis Sacerdos sit addictus, ei permissa sit ancilla Cananæa intra dies servitii*.

XXXVIII. Sunt, qui ne ab hoc quidem servo ancillam Cananæam ductam fuisse judicant, si non ante fuerit maritus fœminæ Israeliticæ, & ex ipsa sibi procrearit liberos. Huc spectat illud in Gem. Kiddudschin f. 20. 2. א״ר נחמן בר יצחק ישלו אשה ובנים רבו מוסר לו שפחה כנענית אין לו אשה ובנים אין רבו מוסר לו שפחה כנענית: *R. Nachmanides filius Isaaci dixit: Quod si servo fuerint uxor Hebræa, & ex illa liberi, tum Dominus ipsi ancillam Cannanæam dare poterit; sin minus, non dabit*. Ne autem gratis hoc assumi videatur, argumentum quo suam thesin stabiliant, petunt ex verbis אם בגפו יצא בגפו יבא qui solus venit, solus exibit. Huc nos manu quasi ducit R. Salomo bel Melech, quando verba citata explicat, ut sequitur *in Michial Jophi ad Exod.* XXI. 3. (*Conf. Kidd. f.* 20. 2.) ר״ל אם בגופו לבדו יבא שלא בא גוף אחר עמו והוא אשתו : (*Scriptor Sacer*) *vult dicere. Se solus venerit, ita ut non aliud corpus nimirum uxor una cum ipso venerit,* (*tum etiam solus exibit*. Noluit tamen his suum addere calculum Abarbanel qui in Comment. ad Exod. XXI. statuit, non nisi servo cælibi ancillam Cananæam dati potuisse. Nec diffiteor, me hac in parte plus hujus, quam Magistrorum sententiæ deferre.

XXXIX. Servi contubernalis ancilla Hebræa esse non potuit, sed tantum cananea. Hoc uno omnes Rabbini adfirmant ore. Sufficiat hac vice testimonium Isaacidis: *In Comm. ad. Exod.* XXI. 4. (*Conf. Kidd. f.* 68. *b. Jer. f.* 21. *b.*) אם ארוניו וגו׳ מנין שהרשות ביד רבו למוסר לו שפחה כנענית להוליד ממנה עבדים או אינו אלא בישראלית תלמוד לומר האשה וילדיה תהיה לאדניה הא אינו מדבר אלא בכנענית שהרי העבריה אף היא יוצאה בשש אפילו לפני שש אם הביאה סימנין יוצאה שנ׳ אחיך העברי או העבריה מלמד שאף העבריה יוצאה בשש : *Si Dominus &c. Hinc adparet, quod Dominus habeat potestatem servo associandi ancillam Cananæam, ut ex illa servos progignat : sed forte de ancilla Israelitica illud erit intelligendum. Scriptura dicit: Uxor, ejusque gnati erunt Domino. Unde patescit eam heic nonnisi de extera loqui, siquidem Hebræa in fine sexti anni exii, quinimmo ante 6. annos exit, ubi signa suæ virginitatis adduxerit. Dicitur enim* (Deut. XV.) *frater tuus Hebræus, quo docetur ipsam quoque Hebræam exire sexto anno*.

XL. Liberi in hujusmodi contubernio prognati matris conditionem fuere secuti, & hinc servitio una cum matre ad extremum halitum usque defungi tenebantur. Testimonium, quo thesis mea confirmatur, extat in Schulchan Aruch *Hilch. avod. f.* 219. 2. ישראל שבא על שפחה אפילו שפחתו הולד עבד וי״א שאם בא על שפחתו או קדשה הולד בן חרין לכל הדברים ויש מי שאמר שאע״פ שלשאר דברים דינו כבן חורין אינו מותר בבת ער שיקבל גט שחרור: *Quando Hebræus concumbit cum ancilla uxus propria,*

pria, tum gnatus erit servus. Alii tamen contendunt, infantem ex propria ancilla vel meretrice prognatum esse liberum ex omni parte. Nonnemo dixit, quod in cæteris quidem pari jure gaudeat cum homine liberæ conditionis, veruntamen cum virgine Hebræa non possit matrimonium inire, nisi prius libellum manumissionis acceperit. Dissimulare quidem haud possum in loco citato de illicito congressu civis Hebræi cum ancilla aut meretrice, non vero de concontubernio servi sermonem esse, verum hoc non obstante argumento vis sua remanet, non modo quia parium par debet esse ratio, sed & quod sufficienter inde patescit, sorte matris guadere liberos. Accedunt alia dicta, quæ huc specialius referri merentur, ut Abarbanelis *In Comm. ad 2. Sam.* XIII. *fol.* 156. c. 2. & 4. כי אין הבן הבא לישראל מן השפחה או מן הגויה קרוי בן ישראל ולכן אמר בפרשת משפטים בבנים שיולדו לישראל מן השפחה הכנענית שהם עבדים כמותה ולא ישראלים כאביהם: *Filius, quem ancilla vel pagana Hebræo peperit, non vocatur filius Israel. Hinc in Parascha Mischpatim dicitur, quod liberi Israelitæ ex ancilla Cananæa prognati sint servi sicut mater, non Hebræi, ut ipsorum Pater.* Ex hac liberorum cum matre connexione profluit, quod juris matrimonialis sint incapaces non minus ac ipsa mater, quæ est ancilla. Audiamus Magistros *In Gem. Kiddufchin f.* 68. *a.* שפחה כנענית אשכחן דלא תפסי בה קידישי ולדה כמותה מנלן ראק האישה וילדיה תהיה לארוניה: *Ita deprebendo, quod ancilla Cananea (cum libero cive reipublicæ Israeliticæ) sponsalia celebrare non possit. Sed unde evincam eandem esse liberorum sortem? Scriptura dicit: Uxor ejusque liberi erunt Domino.*

XLI. Proles ancillæ Cananææ dum Cananæis accensetur, non potest non indissolubili servitutis jugo subesse, quod Rabbini plus una vice fatentur ut Maimonides *Hilch. avod. c.* 9. §. I. ישראל שבא על שפחה כנענית אף על פי שהיא שפחתו הרי זה הולד כנעני לכל דבר ונמכר ונקנה ומשתמשים בו לעולם כשאר העברים: *Quando Israelita concumbit cum ancilla Cananæa, etiamsi propria, 'gnatus Cananæis adnumeratur in omnibus rebus, adeoque venditur, emitur, parique dominio in perpetuum subest, ac cætera mancipia.* Nec non Abarbanel *Par. Mischp. f.* 178. *b.* cujus verba latine ita sonant: „ Quodsi „ Dominus servo dederit uxorem, ancil„ lam Cananæam puta eaque filios aut „ filias ipsi pepererit, liberi non una cum „ patre exibunt, quia sunt heri manci„ pia. De mancipiis Cananæis autem di„ ctum est, quod omnibus vitæ diebus „ servire teneantur, filiisque in hæredi„ tatem cedant.

XLII. Quot modis servis patentur, ex Rabbinorum documentis hactenus demonstravi. Postulat ordo, ut quam dominis in servos potestatem tribuant iidem Magistri, dispiciamus. Erit autem in antecessum notandum, potestatem dominicam differre, quatenus vel corpus seu ipsa persona hero mancipatur, vel tantum operæ ei locantur. Servi, quorum corpus possidetur, mancipia, illi vero, quorum operæ potestati heri subsunt, mercenarii adpellantur. Nec invitis Hebræis hoc discrimen notatur, quippe qui עבודה בגוף servitutem personalem seu personæ adhærentem distinguunt במעשה ידיו מעבודה a servitute ad solas operas restricta. *Huc spectat illud in Baal Hatturim. ad Ex.* XXI. 20. *in Bibl. Buxt. f.* 86. המוכר עבדו לשלשים יום רבי מאיר אומר ראשון ישנו בדין יום או יומים ולא שני דקניין פירות לא כקניין הגוף: *Ubi quis servum suum vendit alteri ad* 30. *dies, ibi servus ratione prioris, si eum occidisset, judicatur judicio diei vel bidui, 'at non respectu posterioris, siquidem operarum emtio similis non est corporis seu personæ acquisitionis.* Hinc in quæstionem venit. Num servi Hebræi mancipia, an vero mercenarii fuerint. Operam dabo, ut Judæorum mentem distinguere exponam.

XLIII. (א) Discrimen, quod inter utrumque ministerium mancipiorum videlicet & mercenariorum intercedit, non ex jure naturæ, sed Hebræo derivant. Personalem enim servitutem non nisi Mosaica lege constitutam fuisse, & lege naturæ sive dictamine sanæ rationis servorum operas duntaxat acquiri contendunt *Vid.* (*Gittu. c.* II. *f.* 45. *&* 40.) Quo ipso satis superque produnt, quam parum naturæ leges perspectas habeant. Proprie enim jus naturæ omnem servitutem ignorat, quandoquidem æqualia omnibus tribuit jura, at ea semel introducta tam parum ministerium personale, quam operarum sponsionem prohibet, quia pacto corpus, non minus quam operæ, heris addici potest.

XLIV. Paganis denegant jus disponendi de persona servi, sive Ethnicus, sive Israelita, sive emtus, sive bello captus fuerit. De servo gentili idipsum adseritur in Gemara Babylonica *Gittin. c.* IV. *f.* 58. a. לא הם קונים זה מזה לגופו אלא למעשה ידיו: *Gentilium alter alterius personam non acquirit, sed tantum ejus operas.* De servo Hebræo Gentili vendito idem testatur *R. Isaacides in comm. ad Lev.* XXV. 48. גאולה תהית לו מיד אל תניחהו שיטמע עד שנת היובל שהרי כל עצמו

עצמו לא קנאו אלא לעבדו עד היבל שהרי ביובל יצא: *Redemtio ipsi erit: statim. Ne sinas eum immergi usque ad annum Jubilæum. Nam ecce (Ethnicus) totum illum non comparavit (id est, corpus ejus non acquisivit,) sed tantum ut ei serviat usque ad Jubilæum, quandoquidem in Jubilæo egreditur.* Huc refert Seldenus *in Jure Nat. & Gent. L.* VI. *c.* 19. *p.* 816. & 817. responsum, quod Christo dederunt Judæi *Joh.* VIII. 32. Semən Abrahæ sumus, καὶ οὐδένι δεδουλεύκαμεν πώποτε & nemini servivimus unquam q. d. servitus nostra, qua aliorum dominio parere coacti sumus, non fuit servitus perfecta, aut personalis, proinde veri nominis libertate nunquam privati fuimus. Servos a pagano tam emtos, quam captos a ministerio personali liberos declarat Maimonides *Avod. c.* IX. §. 5. 147. *b.* I. IV. גר שקנה עבד לעבדות לא קנה גופו ואין לא בה אלא מעשה ידיו: *Gentilis, qui alterum ad servitium sibi comparat, non ejus corpus seu personam, sed tantum operas acquirit.*

XLV. Hebræis e contra Rabbini adjudicant jus absolutum in servos, eorumque personam non minus quam operas, quos proinde ut eorundem mancipia spectant. Testis est Maimonides loco modo citaro. ואף על פי כן אם מכרו לישראל הרי גופו קנוי לישראל: *Hoc non obstante, ubi servus venditur Israelitæ, ejus corpus ab hoc acquiritur.* Dubia, quæ hanc positionem premere videntur, optime solvit Maimonidis interpres *Josephus Karo in Keseph. Mischne sive not. ad loc. cit.* קשה שהרי כהדיא אמרינן בפרק החולץ דלוקח עבד מן הגוי לא קנה גופו משום דגוי לא מצי מקני לישראל אלא מאי דאית ליה ביה דהיינו זכות מעשה ידיו וכתבו רבינו בפרק שקוד' זה והיאך כתב כאן גוי שקנה גוי לעבדות וכו' אף על פי כן אם מכרו לישראל הרי גופו קנוי לישראל וי"ל דהק' גוי שמכר עצמו לגוי לא קנה הגוי גופו ואעפ"כ אם הגוי מכר עצמו לישראל הרי גופו קנוי לישראל כדאמרינן בגמרא אתם קונים מהם ויותר נ"ל דהק' גוי שקנה גוי לעבדות לא קנה גופו אעפ"כ אם בא הגוי הקונה הזה ומכרו לישראל הרי גופו קנוו לישראל אחר שיטבילנו לשם עבדות דלא אמרו דאין גופו קנוי לישראל אלא קודם שיטבילנו לשם עבדות אבל אחר שהטבילנו לשם עבדות קני ליה לגופיה: *Heic difficultas quædam occurrit. Perspicue enim in Gem. cholin dicitur, quod servum a gentili paraturus non acquirat ejus corpus, eo quod gentilis nihil possit Israelitæ vendere, nisi quod sui juris est (sive ad ipsum spectat,) & hinc non nisi ministerium & operas servi, (quo non obstante) scribunt Rabbini capite præcedenti & heic etiam Maimonides scribit: Gentilis, qui alterum gentilem acquirit ad servitium „ &c. Veruntamen ubi Israelitæ venditur, „ servi corpus ab Israelita acquiritur. „ Poterit dubium ita solvi. Quando gentilis seipsum vendit alteri pagano, hic illius personam non acquirit, e contra ubi gentilis se ipsum Hebræo addicit, servi corpus ab hoc acquiritur, prout refertur in Gemara (quæ ita incipit) vos parabitis ex illis &c. Deinde, poterit etiam hoc modo conciliari. Paganus, dum alterum gentilem emit, in ejus personam nullum prorsus jus obtinet. Ubi vero Ethnicus comparat servum & hunc ipsum Israelitæ vendit, tunc postquam addictus servitii nomine fuerit baptizatus, ejus persona domino cedit. Neque enim alia ratione dicitur: servi corpus non acquiri domino Hebræo, quam antecedenter ad baptismum servi, sed post baptismum jus in corpus servi Israelitæ competit.*

XLVI. Veruntamen (ד) nec hujus, (puta Israelitæ,) potestati subjicitur corpus servi Hebræi, sed tantum Cananæi. Prius tradunt Maimonides *Avod. c.* I. §. 7. לא תעבד בו עבדת עבד אינו נוהג בו אלא כשכיר שנאמר כשכיר כתושב יהיה עמך: *Non coges ipsum servire servitium mancipii, id est, non aliter eum tractabis, quam ut mercenarium, siquidem Scriptura dicit: Ut mercenarius & ut inquilinus erit tecum. Nec non R. Isaacides in Comm. ad Lev.* XXII. 10. איזהו תושב זה נרצע שהוא קנוי לו עד היובל ואיזהו שכיר זה קנוי קנין שנים שיצא בשש בא הכתוב ולמדך כאן שאין גופו קנוי לאדוניו לאכול בתרומתו: *Quis est ille inquilinus? Is est servus perforatus, qui possidetur ad annum Iubilæum usque. Et quis mercenarius? Hic est servus, qui ad certos annos acquiritur, nimirum qui 6. annis finitis egreditur. Venit hic Scriptura, ac docet te, quod corpus ejus non acquiratur domino, quapropter nec de sancto comedere potest &* puallo post *Ibid. ad v.* 11. וכהן כי יקנה נפשו עבד כנעני שקנוי לגופו: Sacerdos autem, „ si emerit aliquem nimirum servum „ Cananæum, qui quo ad ipsum corpus „ a Domino emitur.

XLVII. Licet autem servus Hebræus ministerio personali non defungatur, nec proprie mancipiis accenseri queat, non poterit tamen (ה) servitio servi communis se penitus subducere. Hanc in rem notatu dignum est testimonium quod exstat in Sepher Siphra *Par. Behar. Sinai c.* 7. *f.* 45. *c.* 3. אחיך שתנהוג בו באחוה יכול אף הוא לנהוג בעצמו באחוה ת"ל עבד יכול אף את תתנהג בו כעבד ת"ל אחיך הוא הא כיצד את נוהג בו באחוה והוא נוהג בעצמו בערבות: *Frater tuus:*

proinde fraterne cum ipso conversaberis. Forte ipse etiam se uti frater erga te poterit gerere? Scriptura dicit: Servus. Forte tu poteris ipsum tractare ut servum? Scriptura dicit. Frater tuus ille. Ecce uti tu cum ipso fraterne ages, ita ipse se erga te ut servum geret.

XLVIII. Potestate dominica cætera dominorum jura nituntur. His ordinario accensentur jus vitæ & necis, jus alienandi, jus disponendi de servorum actionibus, eosque propter inobedientiam castigandi. Priora Magistri dominis Hebræis denegant, posteriora iisdem vindicat. Faxo, ut asserti veritas in omnium incurrat oculos.

XLIX. Rabbinis in eo nobiscum convenit, quod servi Hebræi occisionem prohibitam fuisse judicent. Id ipsum patescit ex regula generali, quam præeunte Talmude Maimonides notavit: הלכות רוצח ושמירת נפש: *cap.* 2. §. 10. *f.* 52. *b. tom.* IV. אחד ההורג את ישראל או ההורג עבד כנעני הרי זה נהרג עליו: *Sive quis Israelitam sive servum Cananæum occiderit, ejus loco morte mulctandus erit.* Nemo non videt, servum Hebræum sub nomine Israelitę simul venire. Inde est, quod R. Isaacides legem de occisione civis Hebręi latam hujusmodi servo adplicare nullus dubitet, dum scribit: *In comm. ad Exod.* XXI. 20. *Omnes etiam servos percussos exceptis Cananæis contineri sub regula illa. Si qui percusserit aliquem, ita ut moriatur.* Hanc denique positionem confirmant, quæ ex Maimonide recenset Henr. Hottingerus, *in Trat. de Jure Hebr. pag.* 60. quæque argumentum a minori ad majus referunt: Quod jubeamur, inquit, occidere transgressores quorundam pręceptorum legis, gladio. Atque hoc supplicium vocatur a Rabbinis nostris occisio, quę mors facilis est. Unus autem eorum, qui hoc supplicio tollendi sunt, est, qui servum suum percusserit, etsi Cananęus fuerit, si sub manu ejus moriatur, sicut dicitur, vindicando vindicator. Exod. XXI. id est, occidatur occisione gladii. Ratio hujus praecepti est, quod ita Deus benedictus de medio populi sui sancti eradicare voluerit malitiam cordis, & magnam illam crudelitatem. Mandavit propterea, ut omnis, quem forte iracundia effervescens ita vicerit, ut lethali ictu servum suum, quem domi suae alit, percutiat, neque sit, qui eum liberet, occidatur. Quodsi tamen herus inscius & invitus servum occidisset, non aliter ac caeteri homicidæ involuntarii in civitatem refugii sese recipere debuit. Veluti liquet ex Gem. Macoth: עבד וכותי גולה על ידי ישראל וישראל גולה על ידי כותי ועבד: *Servus & Cuthæus aufugiunt propter Israelitam (ex improviso interfectum, & Israelitæ fuga se salvat propter Cuthæeum aut servum occisum.*

L. Nihilo tamen secius a nobis discedunt in explicanda illa lege, quæ specialius servi interfectionem concernit: Si quis (sunt verba legis) percusserit servum suum vel ancillam virga, ita, ut mortui fuerint in manibus ejus, vindicando vindicator &c. Hanc ipsam non ad servos Hebræos, sed tantum Cananæos relatam volunt. Ita R. *Isaacides*: *lib.* modo citato. וכי יכה איש את עבדו בעבד כנעני הכתוב מדבר או אינו אלא בעברי ת״ל כי כספו הוא מה כספו קנוי לו עולמית אף עבד הקנוי לו עולמית: *Si quis percusserit servum suum &c. De servo Cananæo Scriptura loquitur. Vel forte res ita se non habet, sed de hebræo hic sermo est? Scriptura dicit, quia argentum ipsius est. Sicut argentum perpetuo possidetur ab ipso, ita & servus ejus, qui ab eo in perpetuum emtus est.* Hinc inferunt, dominum servi Hebræi non judicari judicio unius diei aut bidui, sed, ubi eum ita percusserit, ut ex percussione mortuus sit, homicidii reum fore, etiamsi servus per integrum annum adhuc superstes fuerit.

LI. Non possum hic silentio transmittere varia Judæorum commenta, queis legi Mosaicæ de servi occisione lucem adfundere conantur, quæve tum servum occisum, tum tempus, tum instrumentum, quo fuit interfectus, tum pœnam homicidæ concernunt.

LII. Servus, cui necem attulit herus, vel fuit ei proprius, vel ad alium pertinuit. Propter utrumque morte mulctandus fuit interfector, ea tamen differentia, ut, si proprius esset servus, biduo præterlapso vindicari non potuerit, si vero alienus esset, dominus per longum tempus mortis reus permaneret. Hæc notata reperio apud *Maimonidem*, *Rozeach. cap.* 11. §. 11. 12. &c. אחד ההורג את עבד אהרים או ההורג עבדו הרי זה נהרג עליו שהעבד קבל עליו מצות ונוסף על נחלת ה׳ מה בין עבדו לעבד אחרים שעבדו יש לו רשות להכותו לפיכך אם הכהו הכאה שיש בה כדי להמית ונטה למות ועמד ארבעה ועשרים שעות ואחר כך מת אינו נהרג עליו אף על פי שמת מחמת חמכה שנאמר לא יוקם כי כספו הוא אבל המכה עבד שאינו שלו אפילו מת לאחר כמה ימים מחמת המכה הואיל והכהו כדי להמית הרי זה נהרג עליו כשאר בני הורין: *Sive quis servum alienum, sive proprium occidisset, cædis hujus nomine morte plectendus erit, si modo servus in se receperit præceptorum observantiam,*

tiam, & ita hæreditati seu possessioni Dei *adjectus sit. Quænam igitur inter servum proprium & alienum (hac in causa) differentia intercedit? Si proprius fuerit, dominus potestatem habuit eum plectendi, proinde ubi eum percusserit percussione, (vehementi) ferme usque ad mortem, ita ut (servus) morti proximus, neque tamen nisi post quatuor & viginti horas mortuus esset, (dominus) morte adficiendus non fuit, etiamsi ex percussione decessisset, quia dicitur: Non vindicabitur, quandoquidem argentum ipsius est. Si quis autem percusserit servum alienum, is, licet post multos demum dies percussio ipsi necem attulerit, morte erit mulctandus propter servum occisum æque ac propter ingenuos, eo quod ad mortem usque ipsum percusserit.* Dantur denique alii casus, qui exceptionem formant circa legem de judicio unius diei vel bidui, veluti si servus alteri esset addictus, & priori adhuc a servitio fuerit, si quis & servus & ingenuus simul esset, vel etiam duobus ministerium suum locasset. Paucis hæc singula exequitur Author modo citatus: *ibid.* המוכר עבדו ופסק עמו שישמשנו שלשים יום והכהו אחד מהן בתוך השלשים יום והמיתו הרי זה נהרג עליו ואינו בדין יום או יומים הראשון לפי שאינו כספו המיוחד לו והשני לפי שאינו עדיין תחתיו וכך מי שחציו עבד וחציו בן חורין ועבד של שני שותפין אינן בדין יום או יומים שהרי אינו לאחד מהן כספו המיוחד לו ולפיכך נהרג עליו כשאר העם: *Qui servum suum alteri vendit, atque cum ipso paciscitur, ut ejus ministerio adhuc per triginta dies frui possit, intra quos postmodum unus ex duobus (nimirum vel venditor, vel emtor) servum ita percutit, ut moriatur, (percussor) morte erit plectendus, nec gaudet privilegio diei vel bidui. Non prior, (qui ipsum vendidit,) quia non est argentum ipsius proprium, nec posterior (qui ipsum acquisivit,) quia illius potestati nondum subjectus est. Similiter si quis fuerit partim servus & partim ingenuus vel servus duorum sociorum, tum domini, qui ejusmodi servos interficiunt, non judicantur judicio diei vel bidui, quia ad neutrum spectant argentum ipsis proprium, & proinde hujus cædis ergo morte adficiuntur, non aliter ac reliqui homicidæ ex populo.*

LIII. Tempus quod intercedere debuit, donec herus servum ad mortem percutiens a pœna ordinaria absolvi potuit, in citata lege describitur יום או יומים: quod verbotenus sonat per diem vel duos dies. Verum Rabbini alium verbis sensum tribuunt, ne videatur sacer Scriptor superfluum quid inseruisse. Nimirum per יום intelligunt tempus 24. horarum adeoque diem perfectum, qui noctem includit, per יומים vero dies imperfectos sive quoad partem absolutos. Hinc *Abenesra* scribit: *in Comm. ad Exod.* XXI. 20. חכמים ז״ל אמרו כי טעם יום או יומים שתהיינה השעות מארבעה ועשרים שעות ביום: *Sapientes nostri b. m. dicunt, eum esse verborum* יום או יומים *sensum; ut, si ad horas referatur tempus, viginti quatuor horæ unius diei notentur.* His accedit R. *Isaacides loc. cit.* אך אם יום או יומים יעמוד לא יוקם אם על יום אחד הוא פטור על יומים לכ״ש אלא יום שהוא כיומים ואי זה זה מעת לעת: *Verum si per diem aut biduum steterit, non vindicabitur &c. Si per unum diem liberatur (a pœna,) nonne multo magis per biduum? (Quem in finem itaque additur alterutrum?) Rs.* per יום *intelligitur dies, qui est quasi biduum. Quis ille? Qui de tempore ad tempus durat (i. e. dies 24. horarum)* Nescio, annon & hinc argumentum peti possit, quo interpretum sententia de triduo *Christi* sepulti firmetur: Conferri meretur Doctissimi & Cel. D. *Schrammii* Collegæ desideratissimi Diss. de hoc triduo.

LIV. Notatur etiam in lege memorata instrumentum, quod in percussione adhiberi solet, sub voce שבט, qua tum virga tum baculus communiter designantur. Sunt ex Rabbinis, qui verba κατὰ τὸ ῥητὸν interpretantur, & negant hanc legem illos simul complecti casus, ubi dominus alio instrumento, ferro nimirum &c. usus fuit. Hujus sententiæ fuisse *Maimonidem*, evidenter adparet ex sequenti ejus testimonio: Extat in Hilch. Rozeach. *cap.* 11. §. 14. יראה לי שהסכה את עבדו בסכין וסייף או באבן ואגרוף וכיוצא בהן ואמדוהו למיתה ומת אינו בדין יום או יומים אלא אפי׳ מת לאחר שנה נהרג עליו לכך נאמר בשבט שלא נתנה תורה רשות להכותו אלא בשבט מקל ורצועה וכיוצא בהן ולא בחכאת רציחה: *Mihi videtur, quod si quis servum suum percusserit cultro, gladio, lapide, pugno aut simili instrumento, eumque interficere existimarit, ubi servus obierit, non judicetur judicio diei aut bidui, sed etiamsi post annum demum servus (ex percussione) mortuus esset, hujus cædis ergo morte plectendus sit, hinc dicitur* בשבט, *siquidem lex non dedit (hero) potestatem (servum) aliter percutiendi, quam virga, baculo & subula, minus autem percussione mortifera.* Aliud tamen placuit *Isaacidi* qui per שבט omne instrumentum ad alterum necandum idoneum intelligit, prout sequentia ejus verba testantur: בשבט בשיש בו כדי להמית דכתוב מדבר או אפי׳ אין בו כדי להמית

תל' בישראל ואם יד באבן אשר ימות בה הכהו והלא דברים קל וחומר מה ישראל חמור אין חייב עליו אלא אם כן הכהו בדבר שיש בו כדי להמית ועל אבר שהוא כדי למות בהכאה זו עבד הקל לכ"ש: *Virga &c. Scriptura loquitur de quovis inſtrumento ad interficiendum idoneo, vel forte loquitur de re, quæ non eſt ſufficiens ad occidendum? Scriptura de Iſraelita dicit & ſi manus lapide, quo morietur, percuſſerit illum. Nonne hic a majori ad minus argumentari licet? Si aliquis propter Iſraelitam, qui eſt res gravis, non (homicidii) reus fit, niſi illum percuſſerit inſtrumento ad interficiendum idoneo, ut & propter membrum (abſciſſum), quod per iſtam percuſſionem mortem conſciſcere poteſt, quanto magis id obtinebit, ſi quis ſervum, qui eſt res levior, percuſſerit?*

LV. Pœna, qua talis homicida affici debuit, fuit capitalis, ut teſtantur verba נקם ינקם: *vindicando vindicabitur*, quæ Samaritanus reddit מות יומת *morte morietur*. Judæi pœnam gladii his verbis indigitari contendunt, ad quod probandum alii traditionem, alii ipſam Scripturam in ſubſidium vocant. Ex prioribus allegari meretur ſæpe laudatus *Maimonides*, qui ſcribit *Rozeach. cap.* I. §. I. *f.* 15. *b.* כל הורג נפש אדם מישראל עובר בלא תעשה שנאמר לא תרצח ואם רצח בזדון בפני עדים מיתתו בסייף שנאמר נקם ינקם מפי השמועה למדו שזו מיתת סייף בין שהרג את חבירו בברזל בין ששרפו באש מיתתו בסייף: *Quiſquis interficit hominem ex Iſraele interdictum* Dei *tranſgreditur, quoniam dicitur: Non occides Et ſi eum conſulto præſentibus teſtibus occidit, gladii pœna afficitur, quia* (Exod. XXIV. 20.) *dicitur: Vindicando vindicator. Ex traditione autem diſcimus, his verbis notari ſupplicium gladii. Quare hac gladii pœna mulctandus erit, ſive ferro ſocium interfecerit, ſive igne eum cremaverit.* Ex Scriptura argumentatur *Chaſkuni* (notata reperies apud *Wagenſeilium* in Sota *cap.* IX. *pag.* 916. *Conf.* Iſaac. *loc. cit.*) דין מיתת רוצח בסייף מקל וחומר דעבד השתא קטל עבדא דינו בסייף דהוא חמור כדכתיב נקום ינקם ואין נקמה אלא חרב כדכתיב חרב נוקמת נקם ברית קטל בן חורין לכ"ש: *Supplicium mortis, quo homicida plectendus, eſſe pœnam gladii argumentando a minori ad majus evincimus. Etenim quiſquis virum ſervum interimit, gladii pœna, quæ ſtrangulatione gravior eſt, afficitur, ut ſcriptum eſt, vindicando vindicator. At non exercetur vindicta niſi gladio, ſiquidem ſcriptum eſt* (Lev. XXVI. 25.) *gladium vindicantem ultionem fœderis. Quanto magis proinde hanc pœnam ſubire debet, qui hominem liberum interfecit?*

LVI. Non obſtat memoratis dogmatibus lex devotationis, qua omne devotum ex hominibus internecioni fuit dandum. Eam enim Rabbini ita interpretantur, ut cum illa altera lege de ſervi nece vendicanda commode poſſit conciliari. Statuunt quippe (א) non ſervos Hebræos vel ancillas Hebræas devoveri potuiſſe, eo quod juri & poteſtati dominorum non quoad corpus, ſed quoad operas tantum ſint ſubjecti, prout fuſius docetur in Tract. Talm. Erachin, *Fol.* 28. *b.* & in Gur. Arieh, *Fol.* 162. *c.* I. (ב) ad Cananæos proinde ſpectare, quod dicitur: *Lev.* XXVII. 28. כל חרם אשר יחרם איש ליהוה מכל אשר לו מאדם ובהמה וגו': *Omne devotum, quod quis devovebit ex facultatibus ſuis, ſive fuerit homo, ſive pecus &c.* Eam profecto ſententiam præter alios adoptavit *R. Iſaac.* quando in not. ad vocem מאדם ſcribit: כגון שהחרים עבדיו ושפחות הכנענים: *Veluti ſi quis devoviſſet ſervos ſuos & ancillas ſuas Cananeas* neque tamen hinc (ג) ſequi hos ipſos Cananæos morte fuiſſe adficiendos. Quodſi enim anathema conſtaret ex perſonis & rebus devoventis poteſtati ſubjectis ad uſus Sacros deſtinatæ ſunt perſonæ devotæ, veluti ad cædenda ligna, hauriendam aquam & ſimilia miniſteria morte vero plecti non potuerunt quemadmodum in ſuis ad h. l. commentariis teſtantur *R. Moſes Nachmanides*, *R. Bechai*, *R. Levi* ben *Gerſon* & *Abarbanel*, eaque de cauſa (ד) verſum ſequentem, qui devotis mortem indicit, de alia anathematis ſpecie volunt loqui, puta de hominibus & animantibus vel ex mandato ſpeciali *Dei* vel ex Regis aut Synedrii ſententia vel ex alia cauſa perdendis atque occidendis, prout iidem Authores locis citatis obſervant. Sunt tamen (ה) qui his verbis alium adfingunt ſenſum, notantes eorum heic unice prohiberi redemtionem, qui morti proximi, & hoc ipſo mortuis adnumerandi ſunt. Hos inter nomen ſuum profitetur *Maimonides in* הלכות ערכין וחרמין *cap.* I. §. 13. *& ſeqq. f.* 48. *a. tom.* 3. הגוסס אין לו לא ערך ולא דמים הואיל ורוב הגוססין למיתה הרי הוא כמת וכן מי שנגמר דינו בבית דין של ישראל להורגו על עבירה שעבר והעריכו אחר או שהעריך עצמו או שאמר דמו עלי או שאמר אחר דמי זה עלי אינו חייב כלום שזה כמת הוא והמת אין לו ערך ולא דמים ועל זה נאמר כל חרם אשר יחרם מן האדם לא יפדה כלומר אין לו פדיון אלא הרי הוא כמת: *Ei, qui in mortis articulo conſtitutus, nec æſtimatio nec pretium eſt, nam*

quo-

quoniam eorum, qui morti proximi, plurimi ad mortem abeunt, hinc pro mortuo habetur. Similiter ubi Synedrium Israeliticum in quem pœnam mortis statuit propter transgressionem, cujus se reum fecit, & postmodum alter ejus æstimationem in se suscepit, aut ipse hoc fecit, vel dixit: Ero obligatus ad pretium meum (solvendum,) aut alter elocutus fuit. Pretium ejus mihi incumbat, nihil prorsus debent, quod sit quasi mortuus, cujusmodi (homini) nec æstimatio nec pretium est. Idipsum in Scriptura traditur verbis. Omne devotum, quod devovebit ex hominibus, non redimetur, id est, nulla ei erit redemtio, at mortuis adnumerabitur.

LVII. Negant denique Magistri dominis Hebræis jus & facultatem servum, Israelitam inprimis, alteri vendendi, quod tamen maxime de traditione ejus in potestatem gentilis intelligunt. Nihil namque magis aversantur, quam paganorum dominium atque Tyrannidem. Hinc Talmudici *Seldeno* referente *in Jur. Nat. & Gent. juxta Discipl. Hebr. lib.* IV. *cap.* 3. *pag.* 499. אסור למסור ישראל ביד הגוים בין בגופו בין בממונו: *Nefas est Israelitam tradere in potestatem gentilium, quod tam de bonis ejus sumendum quam de persona.* Hinc etiam negant traditori sortem fore in futuro sæculo & simul adjiciunt: מותר להורג המוסר בכל מקום ואפילו בזמן הזה שאין דנין דיני נפשות ומותר להרגו קודם שימסור: *Fas est occidere traditorem ubivis, etiam hoc ipso tempore, quo (Israelitæ) non amplius exercent judicia capitalia, quinimmo licet eum occidere, antequam Israelitam tradiderit.* Alia quoque pœna plectendus fuit, cum servum tradiderit, videlicet servi tum redemtione, tum dimissione. Huc spectat illud *Maimonidis: Gittin. cap.* IV. §. 6. המוכר את עבדו לגוים יצא בן חורין וכופין את רבו לחזור ולקנותו מן הגוים עד עשרה בדמיו וכותב לו גט שחרור ואם לא רצה הגוי למכרו אפילו בעשרה בדמיו אין מחייבין אותו יתר וקנס זה אין גובין אותו ודנין אותו אלא בב״ד מומחין ואם מת המוכר אין קונסין את היורש להחזיר את העבד לשחרור: *Domino vendente servum suum gentilibus, hic liber discedit, quinimmo cogunt herum ipsius, ut revertatur, eumque redimat ex potestate gentilium vel decima facultatum suarum parte, posteaque ipsi libellum manumissionis scribat, quo facto exit. Quodsi noluerit paganus servum vendere etiamsi pro decima illa parte opum, herum ad ulteriora non obligant. Cæterum hanc mulctam nec tollunt, nec dijudicant nisi probata Synedria, & mortuo traditore, eam non imponunt hæredi, ut is abeat, servumque in libertatem pristinam restituat.* Nec heic discrimen occurrit inter gentilem & proselytum portæ. Neutri vendi potuit, venditus autem ab utroque liberari debuit. Quinimmo ne mutuum quidem accipere sub sponsione tradendi servum fas habebatur, & si non tantum operæ servi, sed & persona pro mutuo fuerit addicta, plenariam suam libertatem recuperavit. De eo tamen dubitant Magistri, Num servus, qui ad 3. tantum dies ac eo quidem tempore quo & ab operis seu servitio suo & a praeceptorum observantia vacare ipsi licuit, nec Festum aut Sabbathum celebrare necesse habuit, pagano fuit traditus, manumittendus fuerit, nec ne. Veruntamen hac posita conditione, quod scilicet dominus ei securitatis & certi exitus fidem sufficienter fecerit, in negativam potissimum inclinare videntur. Hæc aliave plura, quæ tanti momenti non sunt, & ex fœcundo Rabbinorum cerebello enata fuerunt, apud *Maimonidem* citato loco notata reperies. Sed nec Hebræo servum vendere licuit uti *Jos. Caro* nos edocet *in not. ad Maim. avod. cap.* 11. §. 12. *f.* 140. *b.* עבד עברי עבוד את הבן ואינו עובד את הבת ובברייתא אחרת אמרו דאינו עובד את האח וכתב רבי לוי בן גרסון בפרשת משפטים שיתבאר מזה שאין האדון שליט למכור עבדו ולתתו לאחר: *Servus Hebræus servit filio heri, at non filiæ & in alia traditione Talmudica dicunt Tannaim, quod nec fratri serviat. Hinc scribit R. Levi ben Gerson, manifestum exinde esse, quod Dominus non habeat jus servum vendendi, aut alteri tradendi.*

LVIII. Servi Hebræi, utut in omnia obnoxia non fuerint, potestati dominicæ nihilominus subesse debuerunt. Eam vero Magistri non ultra jus exigendi operas condictas, quod jure gentium omnibus dominis privum est, extendere solent. Inde est, quod ne quidem castigationem servi Hebræi licitam fuisse putent. Testis est *Abenesra in Comm. ad Exod.* XXI. 20. והכתוב שאמר זו המיתה במלת נקסה כי הארון מחנולל בעבור היותו ברשותו כי לא יוכל להכות ככה ישראל אחיו וגו׳: *Et Scriptura exprimit hanc mortem voce* נקסה, *quia dominus sese devolvit super servum suum proprium (nempe Chananæum) eo quod potestati suæ subjectus sit. Ita enim non licuit hero percutere fratrem suum Israelitam.* Et forte haud multum a vero aberrabit, qui hanc judicaverit subesse rationem illi Rabbinorum hypothesi, qua solum Cananæum, non vero Hebræum propter oculos & dentes excussos (sive ut ipsi loqnuntur, propter viginti quatuor membra) dimissum fuisse statuunt.

tuunt. Ratio enim communis, quam utplurimum desumunt ex verbis לא תצא בצאת העבדים: tanto laborat defectu, ut nec ipsis singulit atque universis arrideat.

LIX. Uti dominorum est imperare, ita servorum officium est obedire, obediunt, quando servitiis injunctis debito modo defunguntur. Hebræos autem nonnisi ad operas mercenariorum obligatos fuisse, communis est Rabbinorum sententia; Audiamus hac vice *Isaacidem*: *in Comm. ad Lev.* XXV. 40. כשכיר כתושב עבודת קרקע ומלאכת כשאר שכירים תתנהג בו: *Agris colendis (seu operi ruri faciundo) artique exercendæ non aliter ac alios mercenarios ipsum adhibeto*. Consentit *Maim. Avod. cap.* I. §. 7. אינו נוהג בו אלא לשכיר שנאמר כשכיר כתושב יהיה עמך ומותר לספר לו שערו ולכבס לו כסותו ולאפות לו עיסתו אבל לא יעשה אותו כלך לרבים: *Non aliter ac mercenarium eum tractabit, quia dicitur: ut mercenarius & inquilinus erit tecum; proinde permissum est servo, ut ipsi barbam detondeat, vestimenta lavet, & panes coquat. At pluribus hæc non faciet*. Excipiunt tamen procreationem sobolis in usum domini, quam servo Hebræo privam fuisse agnoscunt, teste eodem *Isaacide*: *in Com. ad Deut.* XV. 18. משנה שכר שכיר׳ מכאן אמרו עבד עברי עובד בין ביום בין בלילה וזהו כפלי׳ שבעבודת שכירו יום ומהו עבודתו בלילה רבו מוסר לו שפחה כנענית והולדות לאו וז: *Duplex merces mercenarii: Hinc dicunt servus Hebræus servit tam interdiu, quam nocte, & hoc est duplum ejus, quo mercenarius diurnus servit. Sed quodnam ejus servitium nocturnum est? Dominus tradit ei ancillam Cananæam, cujus liberi spectant ad dominum*. Huic obedientiæ comitem adjungunt fidelitatem, quam pariter in servis desiderant. Idcirco non tantum Gehasi infidelis pœnam diligenter notarunt, sed & servo *Dei* fidum ministrum comparant. Ita enim *Abarbanel* ad *Jes.* XLII. I. הוא דבור המשליי כמו המלך הנשען בעבדו נאמן ביתו: *Est simile petitum a Rege, qui nititur servo suo fideli in domo sua*. Cui accedit *R. D. Kimchi in comm. ad Es.* XLII. I. דרך משל כמו המלך הנשען בעבדו הנאמן לו: *Est similitudo desumta a Rege, qui innititur servo suo fido*. Verum cum ad hæc officia stimulus sit animus sua sorte contentus, hinc eundem servis imperant tum in Schemot Rabba, *Sect.* 19. tum in Berachot, *fol.* 58. I.

LX. Ne vero Domini limites justitiæ & æquitatis transgrediantur in exigendis operis, Rabbinis observantibus, lege divina tam scripta quam orali cautum fuit. Officia ea in parte præscripta spectant partim ad operas, partim ad modum eas exequendi. Operas quod attinet, nefas fuit servis imponere (א) labores indeterminnatos, veluti *Maimonides* docet *Avod. cap.* I. §. 6. *fol.* 139. אי זו היא עבודת פרך זו עבודת שאין לו קצבה מכאן אמרו חכמים שלא יאמר לו עדור תחת הגפנים עד שאבא שהרי לא נתן לה קצבה אלא יאמר לו עדור עד שעה פלונית או עד מקום פלוני: *Quodnam est sorvitium durum? Illud quod non determinatur (seu cui nulli ponuntur limites.) Hinc monent sapientes nostri, quod hero non liceat dicere: Sarri inter vites, donec venero, nam nullum ei constituit terminum; & diret ipsi, Sarri ad hanc vel illam horam, ad hunc vel illum locum usque*. Nec (ב) labores frustraneos quibus nec ipse, nec ejus familia, nec res domestica indigent. Quare *Isaacides* ad verba לא תרדה בו בפרך scribit: מלאכה שלא לצורך כדי לענותו אל תאמר לו החם לי את הכוס הזה והוא אינו צריך עדור תחת הגפן עד שאבא שמא תאמר אין מכיר מדבר אם לצורך אם לאו ואומר אני לו שהוא לצורך הרי הדבר הזה מסור ללבו לכך נאמר ויראת: *Opus, quo tibi non est opus, nisi ad servum affligendum, ne injungas. Ne dicas ipsi: Calidum fac mihi poculum istud, cum tamen necesse non habeas, sarculo fode sub ista vinea, donec venero. Nec dicas, non est qui rem cognoscit, utrum illud servitium sit necessarium, nec ne, quare ipsi dicam, eo opus esse. Hæc res ipsius cordi tradita est, quapropter dicitur (in fine hujus loci) & timebis*. Nec (ג) servitia ab honestate paululum remota atque infimæ conditionis hominibus priva teste *Maimonides loc. cit.* §. 7. ואם היתה אומנותו זאת קודם שימכר הרי זה יעשה אבל לא ילמדנו בתחלה מלאכה כלל אלא אומנות שהיה בה היא שעושה כשהיה עושה מקודם במה דברים אמורים בעבד עברי מפני שנפשו שפלה במכירה: *Si quis arte quadam fuerit eruditus ante addictionem suam, eam & postmodum exercebit. At non de novo opificium quoddam addiscet, verum illud, quod prius ipsum districtum seu occupatum tenuit, post ut ante continuabit. De quibus hoc dictum est? De servo Hebræo, cujus anima depressa est propter venditionem*.

LXI. Quo modo operæ fuerint exigendæ, dicendum nunc erit. Servitia primo personis, secundo tempori, & tandem viribus attemperari debueruut, quapropter nec servitia virorum atque mulierum, nec ministeria diei ac noctis confundi, nec servi sua quiete privari potuerunt. Primum, quod posui, & secundum

dum *Maimonides* ſuo confirmat aſſenſu *in not. ad avod. cap.* 1. §. 6. ילפינן פרך מפרך האמור במצרים תניא בפרך שהיו מחליפין עבודת אנשים לנשים ועבודת נשים לאנשים עבודת יום ללילה ועבודת לילה ליום: *Quæ durities ſit intelligenda, ex ſævitia Ægyptiis tributa diſcimus. Ea enim, ut traditio habet, conſiſtebat in eo, quod quæ mulieribus convenerunt, viris, quæque viris priva ſunt, mulieribus injuncta fuerint, quodque ſervitia nocte præſtanda die, & operæ diurnæ nocte exigerentur.* Ex eo in interdictis Judæorum *in præc. neg. num.* 175. 176. *&c.* & illud continetur: „ Iſraelita non dure imperet fratri ſuo, neve abutatur ſervis „ Hebræis, ita ut ipſis mulierum ſervitia injungat. „ Tertium ſeu poſtremum abunde firmatur ex eo, quod quietem Sabbathi ſervis Scriptura præeunte non tam concedant, quam injungant Rabbini. Ejus rei teſtimonium extat in Schulchan Aruch *Tit. Schabbat cap.* 104. אדם מצווה על שביתה עבדו שמל וטבל לשם עבדות וקבל עליו מצות הנוהגות בעבד: *Cuivis Iſraelitæ imperatum eſt, ut ejus ſervus Sabbathum obſervet, ſi nimirum circumciſus, ac nomine ſervi baptizatus fuerit, nec non in ſe receperit præcepta, quæ ex more ad ſervos attinebant.*

LXII. Verum non tantum in operis ſed & cæteris lenitas fuit declaranda, & quidem (א) in venditione. Publice enim Hebræum vendere nefas fuit. Audiamus *Maimonidem Avod. cap.* 1. §. 1. אחד המוכר את עצמו או שמכרוהו בית דין אינו נמכר בפרהסיא על אבן המקח ולא בסימטא כדרך שהעבדים נמכרין שנאמר לא ימכרו ממכרת עבד אינו נמכר אלא בצנעה ודרך כבוד: *Sive quis ſe ipſum vendiderit, ſive a foro addictus fuerit, non venditur publice ſuper lapide emtionis, nec in ſemita more ſervorum communium, qui ita vendi ſolent. Dicitur namque: Non væneant venditione ſervili. Proinde ſervus Hebræus nonniſi in occulto & honeſte vendendus erit.* (ב) In ſuſtentatione tam ipſius ſervi, quam ejus uxoris atque liberorum. De priori quædam notantur in Gem. Kidduſch. *fol.* 22. 2. דתניא כי טוב לו עמך עמך במאכל עמך במשתה שלא תהא אתה אוכל פת נקייה והוא אוכל פת קיבר אתה שותה יין ישן והוא שותה יין חדש אתה ישן על גבי מוכים והוא ישן על גבי התבן: *Docetur ipſi bene fore tecum, tecum in cibo, tecum in potu. Neque enim tu comedes panem purum & ipſe furfuraceum, nec tu bibes vinum vetus, & ipſe recens, nec tu jacebis in lecto molli & ipſe ſuper ſtramen cubabit.* De poſteriori prolixe & accurate diſſerit ſæpius laudatus *Maim. Avod. cap.* 3. §. 1. *f.* 140. *b.* cujus verba brevitatis ſtudio latine dabo: *Uxori, quam ſervus Hebræus duxit, Dominus alimenta debet, non deſponſatæ aut fratriæ, ſed illi, quæ ſervo permiſſa eſt. Si fuerit ex probibitis, utut ſecunda, dominus non tenetur ei alimenta præbere, quia dicitur & uxor ejus cum ipſo, id eſt, quæ ab ipſo duci potuit. Similiter liberos ſervi alere debet &c.* Et paulo inferius. *Sive ſervo Hebræo uxor & liberi fuerint, eo, quo addictus fuit, tempore, ſive poſt ſui venditionem, Dominus æque obligatus eſt, ſi modo conſcio Domino cum ea inierit matrimonium, at ſi inſcio hero eam duxerit, ad alendum non fuit adſtrictus. Quo non obſtante Hero in operas uxoris & liberorum nullum jus competit, quippe quæ ſunt in poteſtate fœminæ, ita ut earum fructus cedat marito. Quicquid proinde maritus per fœminam acquirit, ad ipſum ſpectat, etiamſi fuerit ſervus Hebræus.* (ג) In eroganda mercede debita, prout notatur in Sepher Siphra *Par. Behar. Sinai cap.* VII. *f.* 45. *col.* 3. אבל עובד אתה כבן הורים עבודת עבד כשכיר מה שכיר ביומו תתן שכרו אף זה ביומו תתן שכרו: *Tu enim ſervis ſicut filius nobilium ſervitutem ſervi. Sicut mercenarius? Quia de hoc ſcriptum eſt* (Deut. XXIV. 15.) *tempore ſuo dabis ipſi mercedem, ſic etiam huic nempe ſervo juſto tempore merces eroganda eſt.* Et ut paucis complectar omnia, fraterne herus cum ſervo ſuo converſari debuit: מכאן אמרו החכמים הקונה עבד עברי כקונה האדון לעצמו: *Hinc dicunt ſapientes, qui ſervum Hebræum emit, ſimilis ei eſt, qui dominum ſibimet ipſi acquirit. Vid. Kidd. f.* 22. *a.*

LXIII. Non tamen minora fuerunt ſervitutis incommoda, quam quidem privilegia, quinimmo majora viderentur, ſi omnia Judæorum dogmata veritati conſentanea eſſent. Uſitatiſſima proinde penes ipſos formula eſt נשים ועבדים וקטנים פטורים: quæ non pro privilegio ſed adhærentis maculæ atque labis teſtimonio reputari debet, ſiquidem ea a juribus tum Eccleſiaſticis tum politicis excluduntur, adeoque beneficiis tam immediatis quam mediatis privantur. Eccleſiaſtica quod attinet, (א) a legis notitia arcendos fuiſſe judicant Magiſtri. Huc ſpectat illud *Maimonidis in* הלכות תלמוד תורה *cap.* 1. §. 1. *f.* 17. 2. *t.* 1. נשים ועבדים וקטנים פטורים מתלמוד תורה: *Mulieres, ſervi & infantes a doctrina legis liberi ſunt.* Fundatur hæc poſitio in verbis ולמדתם אותם את בניכם: unde conficiunt, filiis unice & quidem adultis ſtudium legis fuiſſe injunctum. Quo non obſtante præceptum de fundendis preci-

bus ad ſervos quoque ſpectaſſe concedunt. Audiamus *Maimonidem*: לפיכך נשים ועבדים מחייבין בתפלה לפי שהיא מצות עשה שלא הזמן גרמה אלא חיוב מצוה זו כך הוא שיהא אדם מתחנן ומתפלל בכל יום ומגיד שבחו של הקב״ה ואחרי כן שואל צרכיו שהוא צריך בבקה ובתחנה ואחרי כן נותן שבח והודייה ליהוה על הטוב שהשפיע לו כל אחד לפי כחו: *Et propterea etiam mulieres & ſervi obligantur præcepto orandi, quia abſolutum præceptum eſt, quod a certo tempore non dependet, obligatio autem hujus præcepti hæc eſt, ut homo* Deum *O. M. ſupplex adoret, ejuſque laudem enarret, tum vero ea, quibus ipſe quotidie indiget, humiliter petat, ac denique debitas* Deo *pro collatis in ſe beneficiis grates laudeſque reddat. Unumquemque vero id pro viribus ſuis agere oportet*. (ב) Ad cœtum & conventum publicum admiſſi non fuerunt, quod tradit *Maimonides*. וכיצד היא תפלת הצבור יהיה אחד מתפלל בקול רם והכל שומעין ואין עושין בו בפחות מעשרה גדולים ובני חורים ושליח צבור אחד מהם: *Quænam eſt precatio cœtus (publica)? Unus precatur voce alta & cæteri omnes audiunt. Neque tamen id fieri ſolet, ſi pauciores quam decem adulti & liberi adfuerint, ex quorum numero unus eſt miniſter cœtus*. Quocum conferri meretur, quod in Keſeph Miſchne explicationis loco adfertur *ad loc. cit.* ומשאמר ובני חורין מדאמרין בפ׳ ד׳ שולה שר״ג נכנס לבית הכנסת ולא מצא עשרה ושחרר עבדו להשלים לעשרה: *Quare vero* Maimonides *dicit illos decem debere liberos eſſe? Illud ex eo eſt, quod* cap. IV. *Cod. Gittin. legatur, R. Gamalielem cum aliquando Synagogam ingreſſus decem homines in illa non inveniret, e veſtigio ſervum ſuum manumiſiſſe ad numerum denarium ſupplendum*. Nec (ג) præcepta de geſtandis phylacteriis & precatione quæ incipit: Audi Iſrael &c. ſervos obligant. נשים ועבדים וקטנים פטורים מק״ש ומן התפילין וחיובין בתפלה במזוזה ובברכה המזון: *Mulieres, ſervi & infantes nec ad phylacteria geſtanda nec ad precationem: Audi Iſrael &c. recitandam adſtricti ſunt, ſed obligati ſunt ad preces communes, Meſuſam & benedictionem cibi: Berachot. cap.* III. *Miſchn.* 3. Nec (ד) in feſtis eadem ſervorum ac liberorum ratio aut conditio fuit. Servi namque feſtum tabernaculorum non una cum cæteris celebrare aut ſoliti fuerunt, aut debuerunt. נשים ועבדים וקטנים פטורים מן הסוכה: *Fœminæ, ſervi & infantes a celebrando feſto tabernaculorum exemti ſunt. Succa* II. 7. Nec tandem (ה) ſuper ſervis condicere conſueverunt עבדים וקטנים אין מזמנין עליהם: *Berachot. cap.* VII. §. 2.

LXIV. Animus irreligioſus hæc forte ut minora parum curavit, magiſque doluit, quod juribus civitatis gaudere non licuerit. Neque enim ſervi ad teſtimonium dicendum admiſſi fuerunt. Qua de cauſa in Bavakama C. I. §. 3. non aliis teſtandi facultas conceditur, quam qui ſunt בני ברית ובני חורים fœderati atque liberi, & in Gem. ad h. l. expreſſe excluduntur ſervi חורים למעוטי עבדים quod ipſum Maimonides plenius tradit *in* הלכות קדוש החדש *Cap.* II. §. I. *f.* 289. *b. t.* I. נשים ועבדים הרי הן בשאר פסולי עדות ואין מעידין: *Mulieres & ſervi, æque ac cæteri, ad teſtimonium perbibendum ſunt incapaces & teſtari nequeunt*, quo in loco haud incommode junguntur fœminæ atque ſervi, quia ad quod teſtimonium fœmina non eſt apta, ad idem ſervos ineptos eſſe docetur in Roſch haſcana c. I. §. 8. Sed (ב) prout libero homini fas erat, quemvis patrem compellare, ut ita ab iſto homine ambiendo quaſi adoptionem ſibi præparet, ita ex adverſo ſervis & ancillis Dominos patris nomine compellare non licuit, prout ex Judæorum ſcriptis probat Seldenus *In tr. de ſucceſſione in bona defunctorum c.* IV. Et videtur hoc inſtitutum eo tendiſſe, ne Patris familia ſic aſcita ſervilis maculæ fama aſpergeretur. Paulus, ni fallor, huc reſpexit, quando ſcribit *Gal.* IV. *6.* Ὅτι δὲ ἐστε υἱοὶ ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν κράζων Ἀββα ὁ πατήρ. Nec (3.) ſervi plenam hæreditatem adire potuerunt. Quodſi enim dominus ſervum hæredem ex aſſe conſtitueret, hic eo ipſo libertatem recuperavit, prout notatur in tr. Peah. c. III. *Miſchn.* 8. הכותב נכסיו לעבדו יצא בן חורין שייר קרקע כל שהוא לא יצא בן חורין: *Quando (herus) omnes facultates ſuas ſervo aſſignat vel legat, ſervus liber exit, quodſi autem agrum qualemcunque reliquiſſet, (eumque ſervo haud legaſſet,) ſervus non liber diſcedit*. Tandem, (4.) ſervi & ancillæ, ubi vitæ præſenti valedixerunt, a Dominis ſuis non lugentur obſervaute Maimonide *in* הלכות אבל *c.* XII. §. 12. *ſen. ult. f.* 296. *a. t.* IV. העבדים והשפחות אין מספידין אותן ואין עומדין עליהן בשורה ואין אומרין עליהן ברכות אבלים ותנחומי אבלים אלא אומרין לו כבעל שורו או על חמורו המקום ימלא חסרונך: *Servos & ancillas non lugent, nec propter eos ſeriatim adſtant, nec recitant orationes lugubres aut conſolationem admittunt, ſed tantum utuntur ea formula, quæ in bovis aut aſini interitu uſitata eſt: Dominus penſet jacturam tuam*. Hoc non obſtante pro-

proſtant exempla, ex quibus pateſcit, heri luctum non fuiſſe prohibitum, cum ſervus probus domino diligentem navaſſet operam. Unicum adponam ex tr. Berachot C. II. *Miſchn.* 7. וכשמת טבי עבדו קבל עליו תנחומין אמרו לו תלמידיו לא למדתנו רבינו שאין מקבלין תנחומין על העבדים אל אין טבי עבדי כשאָ כל העבדים כשר היה : *Cum mortuus eſſet Tabi ſervus ejus, conſolationem ſuper ipſo admiſit. Tunc dixerunt ei ipſius diſcipuli.* Nonne *Rabbini noſtri nos docuerunt, quod conſolationem non accipiamus ſuper ſervo, verum reſpondit ipſis, Tabi ſervus meus non ſimilis erat cæteris ſervis, probus namque fuit.*

LXV. Servituti finem imponit manumiſſio, quæ hinc merito ultimo conſideratur loco. In Sacris exprimitur phraſi יצא לחפשי cui qualemcunque lucem adfundit R. Sal. ben Melech. *in Michlal Jophi ad Par. Miſchp. h. l.* לחפשי יצא למקום שיהיה חפשי כלומר שיצא מבירה ארוניו אל ביתו ויש מפרשים כי היוד נוסף והוא כמו לחופש ואחרים אמרו כי הלמד נוסף לחפשי : *id eſt diſcedet in locum, ubi ſua gaudet libertate, quaſi diceres, quod ex domo heri ſui in propriam domum ſit reverſurus. Alii interpretes Iod illud redundare cenſent & tum ſenſus erit ad libertatem. Adhuc alii dicunt Lamed illud additum eſſe.*

LXVI Plures a Judæis enumerantur manumiſſionis modi, quorum tres ſervis ordinariis, & duo perforatis in tr. Kidduſch. tribuuntur. En tibi verba C. I. §. I. עבד עברי קונה את עצמו בשנים ביובל ובגרעון כסף הנרצע קונה את עצמו ביובל ובמית' האדון: *Servus Hebræus ſeipſum redimit complemento annorum præſcriptorum, Jubilæo & ſupputatione, perforatus a ſervitute liberatur tum Jubilæo, tum morte Domini.* Maimonide teſte *Avod. cap.* II. §. 12. quinque de cauſis ſervus Hebræus in priſtinum ſtatum fuit reſtitutus, queis deficientibus omnis libertati via præcluſa fuit: עבד עברי קונה את עצמו בחמשה דברים בשנים או ביובל או בגרעון כסף או בשטר שחרור או במיתת אדון בלא בן ובנוי או בגר אפילו הניח בן : *Servus Hebræus quinque rebus ſuam acquirit libertatem, ſervitute 6. annorum, Jubilæo, ſupputatione, libello manumiſſionis, morte domini, qui nullum reliquit filium, & ſi herus fuerit paganus aut proſelytus, etiamſi reliquerit filium.*

LXVII. Septimus annus ſervum Hebræum propter expreſſum Dei mandatum liberum fecit. Num vero annus Sabbathicus, an ſeptimus ſervitutis annus intelligi debeat, inter eruditos non convenit. Meam hac de controverſia mentem ſupra aperui. Nunc Rabbinorum ſtatuta in medium proferenda erunt. Haud quidem defuerunt inter Magiſtros, qui integram controverſiam in medio relinquere, quam uni alterive parti accedere maluerunt. Hos inter nomen ſuum profitetur R. Simeon *in Jalkut Par. Miſchp. f.* 84. *c.* 3. *n.* 311. Reliqui autem, & quantum ſcio, maximam partem anno Sabbathico hoc manumiſſionis privilegium abjudicant, quod ipſum confirmant teſtimonia ſequentia, nimirum Authoris Sepher Siphra *F.* 170. I. בשביעית אין מוציאת עברים: *In anno Sabbathico non obtinet ſervorum manumiſſio.* Maimonidis *Avod. c.* II. §. 2. אם פנעה בה שנת השמיטה בכלל השש הרי זה עובד בה: *Quod ſi inciderit annus Sabbathicus intra illos 6. ſervitutis annos ſervus in eo ſervire tenetur.* Magiſtrorum in Kidduſchin *Ad. c.* I. §. 2. שביעית של מכירה ולא שביעית של עולם: *Septimus annus a venditione numeratus, non ſeptimus ſæculi annus (ſeu annus Sabbathicus) intelligendus eſt.*

LXVIII. Nunc poſitive diſcutiendum erit, de quo ἀρνητικῶς egimus. Sententia Judæorum de privilegio anni ſeptimi ad tres poſitiones commode referri poteſt. Prima hæc eſt, quod illud privilegium nonniſi ſervis a foro addictis irrogatum fuerit. Quapropter Maimonides his unice illud tribuit *Avod. c.* II. §. 2. מכרוהו בית דין עובד שש שנים מיום מכירתו: *Servus a foro venditus a die venditionis ſuæ 6. annos ſervit.* Cujus theſis fundamentum Abarbanel nobis exponit, dum ſcribit *Par. Miſph. f.* 144. הנמכר מעצמו יש לו רשות למכור עצמו לשנים רבות ומועטות כרצונו: *Ei, qui ſe ſponte addicit, competit facultas ſe ad plures paucioresve, quam 6., annos vendendi pro lubicu ſuo.* Altera propoſitio huc redit, quod ſeptimus *ſervitutis* annus nativam libertatem ſervo reſtituat. Teſtis eſt R. Joſeph. Karo *In Koſeph. Miſchne ſeu not. ad l. cit.* מה שכתב מיום מכירתו במכלתא ובשביעית שביעית למכירה או אינו אלא לשנים תלמוד לומר שש שנים יעבור שביעית למכירה ולא שביעית לשנים: *Quare ſcribit Maimonides a die venditionis ſuæ? Idem eſt ac illud, quod traditur in Mechilta ad vocem* בשביעית *nimirum quod ſeptimus annus a venditione intelligi debeat, ſed forte res non ita ſe habet, & annus Sabbathicus (in citato loco) notarur? Scriptura dicit: 6. annos ſerviet. (Hinc manifeſtum eſt,) hac voce ſeptimum annum a venditione non annum Sabbathicum exprimi.* Tertia theſis nos edocet, ſervum ſub initium anni ſeptimi dimittendum fuiſſe. Audiamus Maimonidem *loc. cit.* ובתחלת השנה

השביעית שלו יצא בן חורי: *Et ſub initium ſeptimi ſervitutis anni liber exit*. Cui jungis meretur Abeneſra *Par. Miſchph. ad Ex.* XXI. 2. בתחלת שנה השביעית למכירתו יצא חפשי אי זה שנה שתהיה ואל התמה על מקץ שבע שנים הכתו׳ בירמיה כי לכל דבר יש שני קצוות והנה ימצא קץ שהוא תחלה ופעם שהוא בסוף: *Sub initium anni ſeptimi a venditione ſua liber diſcedet, qualiſcunque etiam fuerit ille annus. Nec eſt cur mireris, in Jeremia ſcriptum eſſe* מקץ *in extremitate anni ſeptimi. Quælibet enim res duo habet extrema, (nempe a quo, & ad quod,) & ſubinde extremum (in Sacris) reperitur abbibitum pro initio, ſubinde pro fine.*

LXIX. Heic quæritur a Rabbinis, an ſervus, qui tempore ſervitii ægrotavit, operarum intermiſſionem compenſare teneatur? Reſponſum, quod ad hanc quæſtionem communiter ferunt, extat in Kidduſchin *fol.* 27. 2. והתני׳ חלה שלש ועבד שלש אינו חייב לחשלי׳ חלה כל שש חייב להשלי׳ א״ר ששת בעוש׳ מעשה מחט הא גופא קשיא אמרת חלה שלש ועבד שלש אין חייב להשלי׳ הא ארבע חיי׳ להשלים: *Dicimus, eum, qui per 3. annos ſervitio ſuo defunctus fuit, non teneri ad tempus intermiſſionis compeſandum, eum econtra, qui per 6. integros annos ægrotavit, obligatum eſſe ad compenſationem. R. Sebeſchet dixit; Id ipſum ſibi contrarium eſt reſpectu ejus, qui mediante acu opus quoddam perficere poteſt. Dixiſti eum, qui tres annos ægrotat, treſque ſervit, ad campenſationem obligatum non eſſe. Vides itaque eum, qui per 4. annos ægrotavit, eſſe obligatum.* Hæc, quæ paululum obſcuriora videntur, in claram lucem ponuntur a *Momonide Avod. cap.* 11. §. 5. חלה בין שחלה שנה אחר שנה או שחלה הלאים מקיטעים אם הכל פחות מארבע שנים עולין למנין שש אבל אם חלה ארבע שנים חייב להשלים כל ימי החולי שנאמר כשכיר כתושב ואם פגע בו יובל יצא במה דברים אמורים שמחשבין ימי החולי כשהיה חליו כבד שאינו יכול לעשות מלאכה אבל אם לא היה חליו כבד אלא יכול לעשות מעשה מחט אפילו חלה כל שש עולין לו: *Si quis detinetur morbo, ſive continue ſive diverſis vicibus ægrotarit, tempus morbi 6. annis accenſetur, quando infra 4. annos abſolvitur, verum ubi per quatuor annos ægrotavit, eos compenſare debet, quia dicitur: Vi mercenarius & inquilinus erit. Quandonam vero ſupputantur anni, quibus ægrotavit? Quando morbus gravis fuit, ita ut nec ullum opus facere potuerit. Quodſi autem morbus non fuerit tam vehemens, & ipſe ſaltem cum acu opus facere potuerit, licet tum totos 6. annos ægrotaſſet, nihiloſecius pro 6. perfectis ſervitutis annis reputantur:*

LXX. Libertas a *Deo* miſeris ſervis oblata non potuit citra opprobrii notam contemtim haberi ac reſpui. Quapropter *Abarbanel* hujus libertatis contemtum merito ut illaudabilem improbat, atque culpat *Par. Miſchp. f.* 178. *b.* והתבונן בפרשה מתחלתה ועד סופו בגנות העבד העברי תדבר כי בהיותו נמכר מעצמו או שמכרוהו ב״ד מפני גנבתו תחת אשר הערה לעבדות נפשו נפסק מעליו עול התורה וקבל על עצמו מוטות חבלי אדם ועבותות עבודתו ואהבתו: *Animadvertitur, totam hanc Paraſcham ab initio ad finem de opprobrio ſervi Hebræi loqui, eo quod is non minus, qui ſe ipſum addixit, quam qui a foro propter furtum venditus fuit, animam ſuam ſervituti applicuerit, adeoque jugum legis ruperit, ac in ſe ſuſceperit jugum & laqueos hominum, nec non funes ſervitii & amoris ſui,* & ſpecialius ad perforationem idem refert, quando ibidem ſcribit: *Idcirco Scriptura ipſum ſimpliciter ſervum vocavit, ut indicet probrum, quod ſibi in ſervitute elegit, cui rei videtur inſerviiſſe, quod Dominus exponere debuerit, ſe ſervum nec hypocriſi nec defraudatione ſibi conciliaſſe, quodque in ſui pœnam ipſemet eum perforare teneretur, nec non ſervus publice coram omnibus, qui civitatem intrarunt, perforatus fuerit.*

LXXI. Quod ſi hoc non obſtante Hebræus libertati ſervitutem præferre non dubitaret, legi perforationis ſe prius ſubjicere debuit. Hæc namque *Dei* voluntas fuit, ut is, qui in ſervitute permanere vellet, perforetur; hæc conſuetudo penes Judæos ſemper recepta. Hæc Scripturæ & Rabbinorum conſtans doctrina.

LXXII. Non ancilla mediante perforatione ſervitutem ſuam prorogare potuit docente *Maimonide*: מפי השמועה למדו שאין האשה נרצעת וכן יראה מענין הכתוב שהרי אומר בנרצע אהבתי את אדוני את אשתי ואת בני ומהו שנאמר ואף לאמתך תעשה כן להעניק שכשם שמצות עשה להעניק עבד עברי כך מעניק אמה העבריה: *Ex traditione diſcimus, quod fœmina non perforetur, & idem Scripturæ ſenſus eſſe videtur, quippe quæ de perforato ſcribit: Amo Dominum meum, uxorem meam & liberos meos: (Sed objici poteſt) quid proinde ſibi velint illa verba. Et ita facies ancillæ tuæ? (Rſ.) ea ſpectant ad remunerationem, ita ut pari modo, ac ſervus Hebræus vi præcepti poſitivi muneribus fuit adſiciendus, ancilla quoque Hebræa his fuerit ornanda.* Quocum conſentiunt, quæ traduntur in Kiddu-

duſchin: *fol.* 17. *b.* אף לאמחך תעשה כן להעניק את׳ או׳ להעניק או אינו אלא לרציעה כשר ו׳ או׳ אם אמו׳ יאמ׳ העבד ולא אמה העבריה הרי רציעה אמו׳ הא מה אני מקיי׳ אף לאמחך תעשה כן להעניק: *Similiter facies ancillæ tuæ nempe eam remunerando (Obj.) Dicis ad remuneretionem hæc ſpectare, ſed forte ad perforationem referenda erunt? Verum, ut alibi notatum, ſcribitur: Si dicendo dixerit nempe ſervus. Unde liquet, de ſervo, non de ancilla Hebræa, perforationem dictam eſſe. Quid jam inde ſtabilio? Quod verba: ſic quoque facies ancillæ tuæ, ſpectent ad remunerationem.*

LXXIII. Sed nec ſervus ſpontaneus, verum is tantum, quem forum addixit, perforatur. המוכר עצמו אינו נרצע מכרותו בית דין נרצע: *Servus ſpontaneus non perforatur, ſed ſervus a foro venditus perforatur.* Kidduſchin f. 14. b. Ratio, qua pnſitionem ſuam Magiſtri fulciunt, inde perita eſt, quod *Exod.* XXI. *cap.* ut & *Deut.* XV. unice de poſteriori ſervo agatur.

LXXIV. Nec hic, ſi fuerit Sacerdos, perforatur notante *Maimonide Avod. c.* III. §. 8. עבד עברי כהן אינו נרצע מפני שנעשה בעל מום: *Servus Hebræus, qui eſt ſacerdos, nnn perforatur, eo quod ita reddatur vitiatus.* Idem traditur in Gem. Kidduſchin, *fol.* 11. *b.* ubi ſimul objectiones prolixe ſolvuntur.

LXXV. Nec ſervum communem dominus blanditiis, promiſſionibus, aliave arte fraudulenta inducere potuit, quo ſervitutem ſuſceptam continuaret. Lex enim oralis ejuſmodi pactum annullavit & invalidum declaravit. Videri hunc in finem poterit locus *Abarbanelis* §. LXIX. citatus.

LXXVI. Servus proinde ſponte & quidem duplici vice ſub initium nempe & in fine ſervitutis teſtari debuit, quod in ſervitio permanere velit. Id clare docetur in Kidd. *fol.* 22. *a.* אם א׳ יאמר עד שיאמר וישנה אמר בתחלת שש ולא אמר בסוף שש אינו נרצע שנ׳ לא אצא חפשי עד שיאמר בשעת יציא׳ א׳ בסוף שש ולא אמר בתחיל׳ שש אינו נרצע שנא׳ אם אמר יאמר העבד: *Si dicendo dicet, id eſt, donec dixerit, illudque repetierit. Quiſquis enim ſub initium 6. (annorum) hanc voluntatem ſuam exponit, & non ſimul in eorundem fine, is non perforatur, quia dictum eſt (in ſacris tabellis): Non exibo liber, quod proinde ipſi dicendum erit in hora exitus. Qui in fine 6. annorum mentem ſuam declarat, non ſub initium, ſimiliter non perforatur. Siquidem ſcriptum eſt: Si dicendo dixerit.*

LXXVII. Verum, ut illa ſervi declaratio optatum ſortiatur eventum, inſuper requirebatur, ne alterutri uxor aut familia deſint, neve ſors unius melior fuerit alterius conditione, utque mutuo ſe invicem proſequantur amore. Huc ſpectant, quæ in Gem. Kidduſchin *ibid.* & ex eadem a *Maimonide Avod. cap.* III. §. II. *& ſeqq.* proponuntur: ח״ר לו אש׳ ובני׳ ולרבו אין אשה ובנים אינו נרצע שנ׳ כי אהבך ואת ביתך לרבי אשה ובנים ולו אין אשה ובנים אינו נרצ׳ שנ׳ אהבתי את אדוני את אשתי ואת בני הוא אוהב את רבו ורבו אינו אוהבו אינו נרצע שנ׳ כי טוב לו עמך רבו אוהבו והוא אינו אוהב את רבו אינו נרצע שנ׳ כי אהבך הוא חולה ורבו אינו חולה אינו נרצע שנ׳ כי טוב לו עמך רבו חולה והוא אינו חולה אינו נרצע: *Docuerunt Rabbini, quod ſervus, ſi ipſi fuerint uxor & liberi, Domino his carente, non perforetur, eo quod dictum ſit: Quia amo se, & familiam tuam. Quodſi dominus uxorem liberoſque habeat, ac ſervus his deſtituatur, pariter non perforatur, quia ſcriptum eſt: Amo herum meum, uxorem meam, & liberos meos. Quando ſervus herum amat, & dominus non viciſſim ſervum diligit, prior non perforatur. Dicitur namque, proſpere tecum aget. Si domino ſervum amante, hic eum non redamet, haud perforatur, quia in Sacris extat: ideo, quia te amavit, ſervus qui ægrotat, cum Dominus valeat, non perforatur, quia, notante Scriptura, ipſi bene erit cum hero. Contra, ubi herus morbo laborat, & ſanitas ſervi integra eſt, hic æque non perforatur.*

LXXVIII. His præmiſſis perforatio ſecuta eſt, cujus ritus tum antecedentes, tum conſtituentes notandi veniunt. Antecedentes ſunt adductio ſervi ad Magiſtratum, ejuſdemque appropinquatio ad oſtium. Conſtituens fuit ipſa auris perforatio.

LXXIX. Ante omnia ſervus ab hero ad Synedrium ſeu conſeſſum trium Judicum ducendus fuit, coram quo ſuam in ſervitute permanendi voluntatem exponere, ejuſque rationes enarrare debuit. Paucis hæc complectitur *Maimonides loc. cit.* §. 9. כיצד רוצעין מביאו לבית דין של שלשה ואומר דבריו לפניהם: *Quomodo (ſervum) perforant? Adducit herus ipſum ad Synedrium, quod tribus conſtat judicibus, ibidemque ſervus facti ſui rationes exponit.* Obſervari heic debet I. cur illi Judices veniant ſub nomine אלהים II. qua de cauſa ſervus his ſiſtendus fuerit. De primo *Maimonides* הם נקראים אלהים לעניין המשפט: *Dii vocantur reſpectu judicii.* Clarius *Abeſnera Par. Miſchp. Exod.* XXI. 6. אלהים כמו מקימי משפט אלהים בארץ: *Dii; eo quod judi-*

dicium Dei *ſtabiliant in terra* & ſubtilius *Abarbanel in* פרוש על התורה *f. 6. cap. 2.* „ Quando Scriptura dicit: *Exod.* 21. ad *Deos* &c. & alibi, quem condemnabunt Dii, non intendit judices adpellare de nomine *Dei*, ſed vult indicare, omnia judicio divino dijudicanda eſſe. Judicium itaque ipſum, quia divinum eſt, juxta legem & mandata *Dei* inſtitutum, vocat Scriptura אלהים. Eodem modo, quo *Pſ.* LXXII. I. dicitur: Judicium inſtitutum eſt in conventu fortis, & in medio *Deus* judicat; hoc eſt in medio cœtus judicum judicat *Deus* ipſe. Et jam olim conſuetudo hæc ad gentiles deducta fuit, ut judices quarumvis provinciarum vel urbium ſententiam juxta ſtatuta imperii pronuntiantes dicant, quod Rex ita jubeat, hoc velillud puniat. „ Cauſam adductionis exponit R. *Iſaacides ad Exod.* XXI. *6.* לבית דין צריך שימלך במוכריו *Ad Synedrium* (*adducetur*). *Nam opus eſt, ut* (*herus*) *conſulat eos, qui ſervum ſibi vendiderunt*.

LXXX. Ductus ad Magiſtratum ducendus denique fuit ad oſtium ſeu poſtem domus herilis juxta nonnullos, curiæ juxta alios, urbis juxta cæteros. Ad priorem ſententiam inclinaſſe videtur *Maimonides Avod. cap.* III. §. *9.* ומגישו לסוף שש אל הדלת או אל המזוזה שכשהן עומדין בבניין בין דלת ומזוזה של ארון בין של כל אדם: *Sub finem ſexti herus ſervum adducit ad portam ſeu poſtem, quæ in medio erectæ ſtant loco, ſive fuerint oſtium & poſtis domus herilis ſive alterius cujuſdam*. Et quando in Baal Hatturim notatur, hoc ritu ſervis inculcatum fuiſſe, ut domum domini ſui diligenter cuſtodiant, id eo potiſſimum nititur fundamento, quod domus herilis apud Moſen innuatur. Altera ſententia R. *Iſaacidi* & *Abaraaneli* magis arriſit, tum quod Magiſtratus præſentia & interpoſitio requireretur, tum quod publica ignominia libertatis contemtus puniendus fuerit. Tertiam, quæ a ſecunda parum aut nihil differt, tuetur *Abeneſra loc. cit.* המנהג להיותם בשער העיר יושבים שיש לה דלתים ובריח וזה טעם אל הדלת או אל המזוזה שיעשו זה לפני יושבי השער: *Conſuetum fuit, ut judices ſederent ad portas civitatis, quæ oſtiolis & repagulo inſtructæ fuerunt. Unde verborum ad portam ſeu poſtem hic ſenſus eſſe videtur, ut hoc fiat coram omnibus, qui civitatem ingrediuntur*. Cur oſtii potiſſimum mentio fuerit illata, docetur in *Gem.* Kiduſchin *fol.* 12. *b.* ר״ש היה דורש את המקרא הזה כמין חומר מה נשתנה דלת ומזוזה מכל כלים שבבית אמר הקב״ה דלת ומזוזה שהיו עדים במצרי בשעה שפסחתי על המשקוף ועל שתי המזוזות ואמרתי כי לי בני ישראל עבדים ולא עבדים לעבד׳ והוצאתים מעבדות לחרו׳ והלך זה וקנה ארון לעצמו ירצע בפניהם: *R. Simeon explicuit hanc Scripturam argumentando a majori ad minus. Cur mutatus eſt uſus januæ & poſtis præ omnibus aliis inſtrumentis? Dixit ſanctus benedictus ille, janua & poſtis fuerunt teſtes in Ægypto, quando prætergreſſus ſum ſuperliminare ac poſtes, & dixi: Nam filii Iſraelis mihi ſunt ſervi, & non erunt ſervorum ſervi. Hic vero abit, & dominum ſibi emit, perforetur itaque coram illis, janua nimirum & poſte*.

LXXXI. Oſtio adplicanda fuit ſervi auris & quidem dextra. Audiamus *Iſaacidem in Comm. ad Exod.* XXI. *6.* ורצע ארוניו את אזנו הימנית או אינו אלא של שמאל תלמוד לומר אזן אזן לגזירה שוה נאמר כאן ורצע ארוניו את אזנו ונאמר במצורע תנוך אזנו הימנית מה להלן הימנית אף כאן הימנית: *Perforabit Dominus aurem ejus, nempe dextram. Vel forte ſiniſtra intelligenda erit? Lex dicit aurem, aurem, unde argumentum a pari formatur. Heic dicitur. Dominus perforabit aurem ejus, & alibi de leproſo dicitur: Imum auris ejus dextræ. Sicuti igitur ibi auris dextra notatur, ita & heic dextra eſt intelligenda*. Cæterum cur ſervus per aurem potius, quam aliam corporis partem terebrandus fuerit in Kiduſchin *loco modo cit.* obſervatur: ריב״ז היה דורש את המקרא הזה כמין חומר מה נשתנה אוזן מכל אברי׳ שבגוף אמר הקב״ה אזן ששמעה קולי על הר סיני בשעה שאמרתי כי לי בני ישראל עבדים ולא עבדי׳ לעבדי׳ והלך זה וקנה ארון לעצמו ירצע: *R. Jochanan filius Zachai explicuit hanc ſcripturam a majori dum quærit, Cur ſervi auris potius quam aliud corporis membrum perforanda fuerit?* (*ſequitur reſponſum:*) *Dixit* Deus: *auris, quæ audivit in monte Sinai vocem meam ea hora, qua dixi: Filii Iſrael mei erunt ſervi & non ſervorum ſervi, & hoc non obſtante abit, ſibique dominum acquirit* (*præter me,*) *merito perforatur*. Eadem repetit R. *Iſaacides* in ſuo ad h. l. commentario.

LXXXII. Auris applicationem ſecuta eſt ejuſdem perforatio, quam paucis deſcribit *Maimonides Avod. cap.* III. §. *9. f.* 141. *b.* נוקב את אזנו בנופה של אזן במרצע של מתכת עד שיגיע לדלת: *Perforabit ipſam auris ſubſtantiam ſubula ex metallo conflata tamdiu, donec pertingat ad fores*. Quænam auris ſubſtantia ſit *Maim.* interpres nobis exponit *Joſeph Karo in Keſeph Miſchne ad loc. cit.* בניפה של אזן פירוש בתנוך ולא בבשר וזה מחלוקת

מחלוקת בפרק קמא דקידושין ופסק כחכמים: *In auris ſubſtantia, quod explicari debet in cartilagine non vero in carne, eaque de re diſputatio extat in* cap. 1. *tr. Kidduſchin, & deciſio facta eſt juxta ſapientes.* Qualis ſubula requiratur, adparet ex tr. Kidduſchin *fol.* 21. *b.* ת״ר מרצע אין לי אלא מרצע מנין לרבו׳ הסול והסירא והמקדח והמכחב ת״ל ולקח׳ לרבו׳ כל דבר שנקח ביד ד״ר יוסי בר׳ יהור׳ ר׳ או׳ מה מרצע מיוח׳ של מתכת אף כל של מתכ׳ דבר: *Docuerunt Rabbini ad vocem* מרצע: *Heic non reperio niſi ſubulam quæ eſt ſpecies, quæ proinde ſub ſe complectitur lignum aculeatum, ſpinam, acum, terebram & Scalpellum. Lex dicit & accipies, quo notatur, omnem rem comprebendi, quæ in manus ſumitur. R. Joſi filii Jebudæ verba ſunt: Dixit R. ſicut omnis ſubula percutiens ex metallo conficitur, ita & heic omnis res ex metallo conflata intelligitur.* Cur ſubula perforandæ auri adhibita fuerit nihil neceſſe eſt quærere, ſiquidem inſtrumentum fuit omnium aptiſſimum. Quo non obſtante Magiſtri, qui cæteris oculatiores eſſe volunt, rationem myſticam ſubeſſe ſomniant. Hinc in Baal Hatturim ſcribitur: במרצע עולה כמין ת׳ שהשם גאלנו אחר ת׳ שנה מעבדות מצרים והוא הלך ונשתעבד אחר כך לפיכך ירצע במרצע מרצע: *Vox* מרצע *in ſe complectitur numerum* 400. *Etenim, quia* Deus *poſt* 400. *annos nos redemit ex ſervitute Ægyptiaca, & bic poſtmodum abiit, ſeque ipſum ſervum fecit, hinc ſubula perforari debuit.* Quamdiu perforatio continuanda fuerit, adparet ex tr. Kidduſchin *fol.* 22. *b.* ת״ל באזנו ובדלת הא כיצ׳ דוקר והולך עד שיגיע אצל דלת דלת שומע אני בין עקורה בין שאינו עקורה ת״ל מזוזה מה מזוזה מעומד אף דלת נמי מעומד: *Scriptura dicit in aure ſua & janua (perforabit eum.) Quomodo boc fieri poteſt? Tamdiu pungit, donec ſubula pertingat ad fores. Audio januæ bic mentionem fieri. Forte parum refert, num evulſa fuerit necne. Scriptura dicit & in poſte: Sicut poſtis erecta eſt, ita & janua erecta eſſe debet.*

LXXXIII. Illa vero perforatio ab ipſo hero peragi debuit, quod a Rabbinis ad labeculam quandam ignominiæ hero adſperſæ revocatur, quippe qui ita carnificis opificium ſuſtinuerit. Cum uterque in culpa eſſet, ſervus alium ſibi dominum præter *Deum* quærendo, herus in ſervum, qui unius *Dei* ſervus eſſet, admittendo, uterque etiam plectendus fuit, ſervus pœnam ferendo, dominus eam inferendo. Hinc R. *Bechai* ſcribit *in Com. ad legem Par. Miſchp. Exod.* XXI. 6. lege injunctum fuiſſe, ut ſervus ab hero pœnas ferret כדי שיתבאר כי הוא והאדון שלו שניהם יחדו בעבר באדיניו מוזהרים בעבודת האדון עליון יתברך אשר לו כל הממשל והאדנות לא לבשר ודם: *Quo inde manifeſtum fieret, bunc & illum ambos ſimul nempe Dominum & ſervum admoneri, ſoli* Deo *ſerviendum eſſe, omneque imperium & dominium ipſi, non vero ulli mortali competere.*

LXXXIV. Tempus, quo perforatio illa peragi ſolita fuit, deſcribitur in tr. Schekalim c. 1. hal. 3. Ab initio 30. dierum ante Paſcha nempe quintodecimo menſis Adar reſtaurarunt vias, plateas, pontes, congregationes aquarum, ועושין כל צרוכי הרבים & omnia negotia publica perfecerunt, Ubi in Gem. Hieroſ. אלו הן כל צרוכי הרבים *Illa ſunt negotia reipublicæ publica.* Judicarunt judicia pecuniaria, capitalia & flagellativa. Redemerunt vota & ſacrata, potarunt uxorem ſuſpectam, combuſſerunt vaccam ruſam, terebrarunt aurem ſervi Hebræi, mundarunt leproſum, atque amoverunt opercula a puteis.

LXXXV. Perforationis effectus ſeu ſequela fuit ſervitus perpetua, id eſt, ex mentem Judæorum ad Jubilæum vel morte Domini uſque continuanda. Illud eſt, quod in Kidduſchin *F.* 21. *b.* docetur רצע ארניו את אזנו במרצע וקונה את עצמו ביובל *Perforat Dominus aurem ſervi ſubula, & bic Jubilæo ſcipſum redimit.* quæ theſis eo nititur fundamento, quod per עולם ſpatium Jubilæi ſeu 50. annorum ſignificetur. Ita namque præter Maimonidem ſentiunt Abarbanel, qui ſcribit *in Comm. ad legem Par. Miſcph. f.* 178. *b.* לעולם שחיא עד היובל קרוב יהיה בשנים או רחוק שמפני שחמשים שנה הוא זמנו של דור אחד נקרא היובל שנת החמשים בשם עולם: *In ſæculum id eſt, ad Jubilæum, ſive annus Jubilæus propinquus fuerit, ſive remotus. Nam quia quinquaginta anni conficiunt tempus unius generationis, bine annus Jubilæus, qui eſt quinquageſimus,* עולם *vocatur, R. Sal. Iſaacides in Comm. ad Exad.* XXI. 6. עד היובל או אינו אלא לעולם כמשמעו תלמוד לומר ואיש אל משפחתו תשובו מגיד שחמשים שנה קרוים עולם ולא שיהא עובדו כל חמשים שנה אלא עובדו עד היובל בין סמוך בין מופלג: *Ad Jubilæum uſque (ſerviet,) vel forte in perpetuum juxta ſenſum vocis literalem? Lex dicit: Quivis ad familiam ſuam revertetur, quo innuitur, quinquaginta annos vocari ſæculum. Nec hoc ita accipi debet, ac ſi ſervus per totum illud tempus ſervire teneatur, ſed ſerviet ad annum Jubilæum, ſive propinquus, ſive remotus fuerit.* His accedunt R. Abeneſra & pars Rabbinorum maxima, quippe

pe qui omnes ſequuntur Gemaram Kidduſchin, in qua לעולם vertitur לעולמו של יובל: Unicus tamen Iſaacus Arama hanc vocem accipit, uti ſonat, nimirum in perpetuum, כי מחנגאי והפחיתות לא יצא ביובל: *eo quod ſervus propter ignominiam & infamiam, (qua notatus eſſet,) de heri poteſtate exire haud potuerit in Jubilæo. Vid. de Muis in variis Sacris ad Ex.* XXI.

LXXXVI. Annus denique Jubilæus ſervos & quidem omnes nullo excepto liberor fecit. Hoc Jubilæi privilegio gaviſi ſunt (א) ſervi ſpontanei, & a foro addicti. Audiamut Abenesram *in Comm. ad Lev.* XXV. 41. ויצא מעמך הוא' מעצמו או גנב מסך ומכרוהו בבית דין: *Et exibit a te ipſe, nimirum tam qui ſeipſum ſponte addixit, quam qui furatus, & propter furtum a foro venditus fuit.* (ב) Servi perforati obſervante Maimonide *Avod. c.* III. §. *6.* מכרוהו בית דין ועבר שש ולא רצה לצאת הרי זה נרצע ועובד עד שנת היובל: *Servus a foro addictus, qui 6. annos ſerviit, nec vult exire de poteſtate heri, is perforatur, & ad annum Jubilæum uſque ſervit.* (ג) Servi vel per totum ſervitii tempus, vel ſaltem per aliquod tempus ægrotantes, & lecto adfixi, prout idem teſtatur Author *ibid. c.* II. §. 5. *Avod. cap.* II. §. 4. *Conf. cap.* III. §. 15. חלה אם פגע בו יובל יצא: *Servus ægroeans incidente Jubilæo liber evadit.* (ד) Servi, qui fuga, aliiſve malis artibus ſe in libertatem aſſerere conati ſunt. Huc ſpectat illud *Maimonidis*: (*Conf. cap.* III. §. 15.) אחר המוכר עצמו או שמכרוהו בית דין וברח חייב להשלים שש ואם פגע בו יובל יצא לחירות: *Quando ſervus ſpontaneus vel a foro addictus aufugit, compenſare tenetur illos ſervitii annos, aſt Jubilæo incidente liber exit.* (ה) Servorum uxores atque liberi. Quamvis enim hero haud fuerint a ſervittiis, adeoque illo privilegio opus non fuiſſe videatur, propter dominum tamen, ut is ab obligatione eos alendi liberetur, hoc ipſum Scriptura notatu dignum judicavit. Hujus rei teſtimonium exſtat in Gem. Kidd. *fol.* 22. *a.* (*conf. Maim. Hllcb. avod. cap.* III. §. I. *fol.* 141.) ת״ר ויצא מעמך הוא ובניו עמו א״ר שמעון אם הוא נמכר בניו ובנותיו מי נמכרין מכאן שרבו חייב במזונות בניו כיוצ׳ בדבר אתה אומר אם בעל אשה הוא ויצאה אשתו עמו א״ר שמעון אם הוא נמכר אשתו מי נמכרה מכאן שרבו חייב במזונת אשתו: *Docuerunt Rabbini (Scriptura præeunte,) quod ſervus una cum liberis ſuis exeat (de poteſtate heri.) Quid? ait R. Simeon. Num itaque patre vendito liberi ſimul venduntur (aut venditi cenſentur?) Neutiquam, ſed ideo hoc dicitur, quia Dominus liberis (tempore, quo pater ſervit,) alimenta præbere tenetur. Similiter dicitur: Si maritus fuerit, uxor cum eo exibit. Quærit hinc denuo R. Simeon, an marito alterius poteſtati ſubjecto uxor una ſubjiciatur? Quod iterum negatur, ſiquidem eo tantum ſcopo hæc dicta ſunt, quod Dominus obligatus ſit ad alendam ſervi uxorem.*

LXXXVII. Manumiſſio ſervorum in Jubilæo facta non ſuis deſtituta erat ſolennitatibus. Sub initium hujus anni a primo Tiſri ad diem expiationis uſque ſervi nec dominis ſervierunt, neque tamen etiam liberi fuerunt, ſed ſaturnalia quaſi celebrarunt, donec in die expiationis poſt clangorem tubæ eorum quivis dimiſſus, & ad familiam poſſeſſionemque ſuam reverſus fuerit. Hæc prolixe in Roſch haſchana f. 8. cap. 6. & exinde a *Maimonide*: הלכות שמיטה ויובל *cap.* X. §. 14. *fol.* 141. *b. tom.* 3. traduntur, cujus verba hæic adponam: מראש השנה עד יום הכפורים לא היו עבדים נפטרים לבתיהן ולא משתעבדין לארוניהן אלא אוכלין ושותים ושמחים ועטרותיהם בראשיהם כיון שהגיע יום הכפורים תקעו בית דין בשופר ונפטרו עבדים לבתיהן: *Ab initio anni ad diem expiationis ſervi necdum libertate reſtituta ad domum ſuam revertuntur, nec etiam ulterius miniſterio ſuo defunguntur, ſed comedunt, bibunt, bono animo ſunt, atque coronas ſuper capite geſtant. Quamprimum vero dies expiationis advenit, & tuba in foro perſonat, liberi diſcedunt, redeuntes ad domus ſuas.*

LXXXVIII. Nec attenditur in illa ſervorum dimiſſione, num proxime attingat annum venditionis, num vero procul ab eo diſtet. Teſtis eſt *Maimonides Avod. cap.* II. §. 2. הרי שמכר עצמו לעשר שנים או לעשרים שנה ופגע בו יובל אפילו אחר שנה הוא יצא ביובל שנאמר עד שנת היובל יעבוד עמך: *Qui ſeipſum ad decem aut viginti annos addixiu alteri, is incidente Jubilæo liber exit, etiamſi vel unicus tantum annus præterlapſus eſſet, dicitur namque: Ad annum Jubilæum uſque tibi ſerviet.*

LXXXIX. Denique ſupputatione ſervus Hebræus libertatem ſuam recuperare potuit. Quod tamen de iis, qui paganis addicti fuerunt, unice dicendum eſſe videtur, ut alibi evici. Nec eſt, cur ſupra allatis aliquid adjiciam, ſi non teſtimonium, quod exſtat in בבא קמא *fol.* 113. *a.* quoque hic manumiſſionis modus haud parum illuſtratur: דרש רבי עקיבא מנין לגזול נכרי שהוא אסור תלמוד לומר אחרי נמכר גאולה תהיה לו שלא ימשכנו ויצא יכול יגלום עליו ת״ל וחשב עם קונהו: *Interrogavit R. Akibba, unde probatur, quod probibitum ſit ſe clam ſurripere*

pere peregrino. Lex dicit: Poſtquam venditus fuerit, redemtio ipſi erit, adeoque ſe non ſubtrahet (ſervitio) atque exibit. Sed forte decipiet eum in calculo? Scriptura dicit: & (accurate) calculabit cum emtore ſuo.

XC. Inſuper mors heri ſolvit vinculum, quo ſervus Hebræus ei alligatus fuit. Neque tamen ſimpliciter ſeu abſolute ſed ſub certa conditione Magiſtri id aſſeruerunt, quaproptec ſequentes eorundem theſes notari merentur (א) אדון שמת אם לא הניח בן זכר הרי זה יצא לחירות ואינו עובד לא את הבת ולא את האח ואין צריך לומר שאינו עובד שאר היורשין: *Quando herus obiit, nec filium reliquit, ſervus liber exit, non vero ſervit filiæ nec fratri; Nec opus eſt monere, quod cæteris hæredibus non ſit a ſervitiis,* Maimonides ibid. §. 12. (ב) אבל אם הניח בן זכר הרי העבד עובד הבן עד סוף השש או עד סוף השנים שמכר עצמו להן או עד שיפגע בו יובל או עד שיגרע פריונו ויתן השאר: *Quodſi autem reliquerit filium maſculum, ei ſerviet vel ad finem anni ſexti, vel ad finem annorum, ad quos ſeipſum addixit, vel ad Jubilæum, vel donec redemtionis pretium ſubtraxerit, heroque reſiduum dederit:* Ibid. Fundamentum, quo utraque poſitio nititur in Gem. Kidduſchin, *fol.* 17. per modum diſputationis exponitur: עבד עברי עובד את הבן ואינו עוב׳ את הב׳ מהמ׳ דתו׳ ועבדך שש שנים לך ולא ליורש את׳ או׳ לך ולא ליורש או אינו אלא לך ולא לבן כשהוא או׳ שש שנים יעבד הרי לבן אמור הא מה אני מקיים ועבדך שש שנים לך ולא ליורש מה ראיתה לרבות את הבן ולהוציא את האח מרבה אני את הבן שבן קם תחת אביו ליעד׳ ולשדה אחוזה אדרב׳ מרב׳ אני את האח שכן קם תחת אחיו ליבם כלו׳ יש ייבו׳ אלא במקום שאין בן אלא יש בן אין ייבם: *Servus Hebræus ſervit filio, non filiæ. Qua ratione firmantur hæc verba, quæ Rabbini notarunt? (Dicitur:) Et ſerviet tibi 6. annos, tibi & non hæredi, vel forte non hic eſt ſenſus, ſed tibi & non filio? Quando lex dicit ſex annos ſerviet, illud de filio ſimul dictum eſt, (quod nempe ei ſerviat.) Quid inde ſtabilio? verba illa 6. annos ſerviet, ita accipienda eſſe, ſerviet tibi & non hæredi. Verum quid neceſſitatis adeſſe vides ad includendum filium & excludendum fratrem? Filium includo, quia hic ſub Patre collocatur reſpectu deſponſationis & agri, qui poſſidetur. Verum juxta hanc ſententiam poſſum & ego fratrem ſubintelligere, quia hic ſub fratre collocatur in præcepto leviratus; Leviratus locum non habet, niſi ubi nullus adeſt filius, verum ubi filius relictus eſt, levir non datur.* (ג) הנרצע והנמכר לנכרי אינו עובד לא את הבן ולא את הבת: *Perforatus, & qui peregrino addictus eſt, nec filio nec filiæ ſervit. Kidduſchin Ibid.* Quodipſum latius, quam par eſt, extendiſſe videtur *Maimonides*, quando ſcribit *Avod. cap.* 11. § 12. הנמכר לגר צדק או לגוי אפילו הניח בן אינו עובד אלא כיון שמת האדון יצא לחירות: *Proſelyto juſtitiæ, aut gentili addictus, licet herus reliquiſſet filium, ei non ſervit, ſed quam primum Dominus mortuus eſt, liber exit.* (ד) אמה עברי׳ אינ׳ עובד׳ לא את הבן ולא׳ את הבת: *Ancilla Hebræa nec filio, nec filiæ ſervit*, Kidd. l. cit.

XCI. Tandem libello manumiſſionis ſervis plenaria & perfecta redditur libertas, cum quivis ſuo poſſit renuntiare juri, Multa Rabbini in Gem. Gittin *fol.* 10. *b. &c.* de his libellis commenta attulerunt, quæ breviter & clare propoſuit *Maimonides*, quem proinde ducem ſequar. Contenta libelli non poſſunt alia eſſe, quam quæ ſequuntur. הכותב בשטר עשיתי פלוני עברי בן חורין או נעשה פלוני בן חורין או הרי הוא בן חורין הרי זה יצא לחירות: *Quando (herus) ſcribit in libello: ſervum NN. liberum feci, vel ſervus ille liber fiat, vel ecce hic ſervus liber eſt, tum de poteſtate heri exit. Avod. cap.* VI. §. 2. Manumiſſio, quæ hoc modo fieri ſolet, commode diſtingui poteſt in ſolennem & minus ſolennem. Minus ſolennis nobis dicitur declaratio heri in agone conſtituti de ſervo dimittendo qualitatibus alias requiſitis deſtituta. Hanc, ni fallor, ſequentia *Maimonidis* verba exprimunt *ibid.* §. 4. מי שצוה בשעת מיתתו ואמר שחררוה כופין את הירשין לשחרר אותה מפני שמצוה לקיים דברי המת: *Ubi quis in momento mortis præcepit atque dixit. Liberam facitote ancillam N.N. cogunt hæredes ad eam dimmittendam, eo quod præceptum ſit verba morientium exequi.* Solennis itaque erit, quam comitantur circumſtantiæ requiſitæ, quæ in plurimis conveniunt cum qualitatibus libelli repudii. Heic denuo provoco ad teſtimonium Authoris citati *ibid.* §. 5. בששה דברים שוין שחרורי עבדים לגיטי נשים ובשאר׳ דברים הרי הן כשאר כל השטרות ואלו הן הששה פסולים בערכאות של גוים וכשרים בעד גוים וצריכין בתיבה לשם המשחרר עצמו ואין נכתבין במחובר ואין חותמין עידיהם אלה זה בפני זה אחד גיטי נשים ואחד שחרורי עבדים שוין למוליך ולמביא: *In 6. rebus (ſeu punctis) conveniunt libelli manumiſſionis ſervorum cum libellis repudii uxorum* 1. *Utrique illegitimi cenſentur, quando in conſiſtoriis gentilium confecti ſunt.* 2. *Teſtmonio gentilis firmati recti habentur.* 3. *Subſcriptione nominis manumiſſis (ſeu repudiatæ) opus*

eſt

eſt 4. *non plures conjunctim ſcribuntur*. 5. *Non ſubſignantur a teſtibus, niſi omnes præſentes fuerint* 6. *quatenus pari modo (ex terra Iſraelitica) efferuntur, & in eam inferuntur, eatenus ſibi invicem aſſimilantur*. Ad valorem hujus libelli inſuper requiritur, ut plena ſeparatio fiat heri a ſervo גט שחרור צריך שיהיה ענינו דבר הכורת בינו לבין אדוניו ולא ישאר לאדון בו זכות: *In libello manumiſſionis neceſſe eſt, ut ejus argumentum (ſeu contentum) ſit res ſervum ab hero ſeparans (ſeu abſcindens,) ita ut hero circa ſervum nulla relinquator poſſeſſio. Avod. cap.* VIII. §. 1. Cujus rei exempla ibidem adducuntur. Cum lis fuerit inter herum & ſervum de illa manumiſſione, judicis eſt diſpicere, in quo conſiſtat, remque omnem dijudicare. Quando herus aſſerit, ſe manumiſiſſe ſervum ſuum, ſervus autem illud negat, ita proceditur: *Ibid. cap.* VI. §. 3. האומר עשיתי פלוני עבדי בן חורין והוא אמר לא עשאני חוששין שמא זכה לו על ידי אחר אומר כתבתי גט שחרור ונתתי לו והוא אמר לא כתב ולא נתן הור׳ של בעל דין כמאה עדים והרי זה עבד עד שישחררנו בפנינו: *Quum dixerit (herus) ſervum NN. manumiſi, & ſervus hoc factum eſſe negaverit, judices ſollicite inquirunt, num forte per alterum eum libertate ſua frui fecerit. Verum ſi dixiſſet, ſcripſi libellum manumiſſionis, eumque ipſi dedi, tum ſervo utrumque negante, confeſſio adverſarii (puta ſervi) erit inſtar mille teſtium, & hic ſerviet (hero ſuo) donec eum in præſentia judicum manumiſerit*. Verum ubi ſervus ſe manumiſſum fuiſſe adfirmat, heruſque illud negat, prior confirmatione indiget, quam loco citato deſcribit *Maimonides ibid.* §. 7. אם אין עדים מצויין לקיימו ואמר השליח בפני נכתב ובפני נחתם זהו קיומו: *Quando teſtes non ex mandato aderunt ad confirmandum libellum manumiſſionis, ſaltem legatus teſtabitur, quod coram ipſo ſcriptus & ſubſignatus fuerit & hæc erit ipſius confirmatio*. Ubi vero ſervus ipſe producit libellum, neceſſe non erit, ut ipſemet illum confirmet. Libellus ita ſcriptus ante inſinuationem ſno effectu carebat, teſte eodem *ibid.* §. 1. אם אמר תנו גט זה לעבדי אינו יכול לחזור בו ולא יצא העבד לחירות עד שיגיע הגט לידו לפיכך האומר תנו גט זה לעבדי ומת לא יתנו לאחר מיתה: *Quando herus dixit, date hunc libellum ſervo meo, verbum ſuum revocare nequit, ſervus autem non exit, donec ad manus ipſius pervenerit. Hinc quando dixit, meo ſervo date hunc libellum, & (poſtea ſtatim) mortuus eſt, poſt mortem (heri) ei non amplius traditur*.

Excipiunt tamen Magiſtri caſum ſubſequentem *ibid.* הכותב גט שחרור לעבדו וזיכה לו בו על ידי אחר ואמר זכה בגט זה לפלוני עבדי יצא לחירות אף על פי שלא הגיע גט לידו שזכין לאדם שלא בפניו: *Qui ſcribit literas manumiſſionis, & ſervum per alium quendam legitimum earum poſſeſſorem conſtituit, dicendo: Has loco ſervi mei poſſideto, ſervus exibit, licet ad ipſius manus haud pervenerint, quia abſentem quoque alicujus rei poſſeſſorem conſtituunt.*.

XCII. Servi manumiſſi muneribus fuerunt adficiendi, exceptis iis, qui ſupputatione ſe ipſos redemerunt. Huc ſpectat, quod in Gem. Kidduſchin, *f.* 16. b. (*conf.* Maimon. *avod. cap.* III. §. 14.) exſtat: אלו מעניקים להם היוצא בשנים וביובל ובמיתת הארון ואמה העבריה סימנין: *Sequentibus munera erogantur, ei qui finita ſervitute 6. annorum, vel in Jubilæo, vel hero mortuo, exit, & ancilla Hebræa, quæ allatis virginitatis ſignis libera redditur*. Cui adjungi debet, quod paulo poſt ſequitur. אבל בורח ויצא בגירעון כסף אין מעניקים לו: *Verum aufugienti & mediante pecuniæ ſubtractione exeunti nulla dantur munera*. Nec ratio ipſis deeſt, qua propoſitio adducta ſtabiliatur, prout pateſcit ex verbis ſequentibus: יכול לא יהו מעניקים אלא ליוצא בשש מנין לרבות יוצ׳ ביובל ובמית הארון ואמ׳ העברי׳ בסימנין ת״ל תשלחנו וכי תשלחנו יכול שאני מרבה בורח ויוצ׳ בגירעון כסף ת״ל וכי תשלחנו חפשי מעמך מי שישלוחו מעמך יצ׳ בורח ויוצא בגירעון כסף שאי׳ שילוחו מעמך: *Forte nulli præterquam poſt 6. annos exeunti munera conferuntur. Unde conſtat ſimul eos, qui in Jubilæo, & domino mortuo exeunt, atque ancillam, quam virginitatis ſigna liberant, bis debere adfici? Lex dicit: dimittes eos &c. Verum quando plures ita dimittendi, tum forte & aufugiens, & qui per ſupputationem ſe redimit, includuntur? Lex dicit, quos liberos a te dimittes, ii proinde donis honorandi, quos herus dimittit, quo ipſo excluduntur, & qui fugit, & qui ſe redimit, quippe quos herus non manumittit*.

XCIII. Præcepto negativo cautum, ne ſervi memorati dimittantur vacui, & lege poſitiva ſtatutum fuit, ut onerando onerentur. Audiamus *Maimonidem Avod. cap.* III. §. 14. כל המשלח עבדו ואמתו ריקם עובר בלא תעשה שנאמר לא תשלחנו ריקם והרי הכתוב נתקו לעשה שנ׳ הענק תעניק לו: *Quiſquis ſervum ſuum vel ancillam ſuam vacuos dimittit, tranſgreditur præceptum negativum, quia dicitur: Non dimittes ipſos vacuos. Et ecce Scriptura tranſtulit in præceptum poſitivum, dicendo: onerando onerabis eum*. Quis verba po-

poſtrema ſibi velint, R. *Iſaacides* nos edocet *in Comm. ad Deuteron.* xv. 14. הענק תעניק׳ לשון עדי בנובה ובמראית העין דבר שיהי הטענה על צוארו: *Onerando onerabis eum. Vox adhibetur de ornamento excelſo, omniumque oculis expoſito. Unde talis res notatur, qua (publice) agnoſcitur, herum ſervo benefeciſſe. Sunt vero alii interpretes, qui illam accipiunt de onere, quod alicujus collo imponitur.*

XCIV. Munera ſervis collata, Scriptura notante, de pecude, area & torculari deſumta fuerunt. Rabbini autem ad alias quoque res hæc verba extendunt, prout apparet ex Gem. Kidduſchin *fol.* 17. a. יכול לא יהו מעניקים אלא מצאן גורן ויקב מניין לרבות כל דבר ת״ל כאשר יברכך ה׳ אלהיך א״כ מה ת״ל צאן גורן ויקב לומ׳ לך מה צאן גורן ויקב מיוחדים שישנן בכלל ברכה אף כל שישנן בכלל ברכה יצאו כספים דברי ר״ש ר״א בן יעקב אומ יצאו פרדות: *Forte non alia munera ſervis dantur, præterquam ea, quæ pecus, area & torcular heri ſubminiſtrant. Unde conſtat includi alias quoque res? Lex dicit. Prout tibi Jehova* Deus *tuus benedixit. Verum, ſi ita comparatum eſt, cur Scriptura (tantum) pecudis, areæ, & torcularis mentionem injicit? Hoc ipſo notatur, quod ſicuti pecus, area & torcular ſub regula benedictionis comprehenduntur, ita & cætera omnia, quæ ſub hac regula continentur, heic intelligenda ſint. Excipitur autem pecunia juxta verba R. Simeonis. R. Elieſer filius Jacobi dicit, mulos heic excipi.* Hinc ſua mutuati ſunt *Maimonides in Avod. cap.* 111. §. 14. & *Iſaacides, loco cit.* qui in eo tamen differunt, quod prior argentum, veſtes & ſimilia exceperit, poſterior mulos ex numero hujuſmodi munerum eliminaverit, & notatu digna eſt ratio, qua poſtremus ſuam ſtabilire conatur exceptionem: (*Vid.* Breithaupt *in not. ad cit. Iſaacidis locum*) יצאו פרדות שאינן בכלל ברכה כי אין ילדות אלא מסוס ומאתון *Excluduntur muli, utpote qui non comprehenduntur ſub regula benedictionis, quia nonniſi ex equo & aſina naſcuntur.*

CXV. Munerum quantitas divinæ benedictioni reſpondere debuit: ת״ר כאשר יברכך ה׳ אלהיך יכול נתברך בית בגללו מעניקים לו לא נתברך בית בגללו אין מעניקים לו ת״ל הענק תעניק מ״מ א״כ מה ת״ל כאשר יברכך הכל לפי ברכה תן לו: *Docuerunt Rabbini noſtri, prout* Deus *tibi benedixit, (ita ſervum donabis.) Forte hic verborum ſenſus erit, cum domus heri per ſervum benedicta fuerit, muneribus adficiendus erit, ſin minus, hiſce carebit? Lex dicit. Nihilominus onerando onerabis eum. Si res ita ſe habet, quid proinde ſibi volunt verba: prout benedixit tibi? (eorum ſenſus eſt:) Pro menſura benedictionis dabis ipſi, Kidduſchin. f.* 17. *o.* Veruntamen non infra triginta ſiclos ipſi dandum fuiſſe Magiſtri ſtatuunt. Ita *Maimonides, Avod. cap.* 111. §. 14. כמה נותן לו אין פחות משוה שלשים סלע בין ממין אחד בין ממינים הרבה כשלשים של קנס העבד שנאמר כו יתן לאדוניו: *Quantum dabit herus ſervo? Non infra pretium triginta ſiclorum, ſive de una, ſive de pluribus ſpeciebus, ſicuti in mulcta ſervi (occiſor) hero (teſte Scriptura* Exod. xxi. 32.) *triginta ſiclos perſolvere tenebatur.* Ejuſdem ſententiæ fuit R. *Jehuda, Kidduſchin f.* 17. a. ר׳ יהוד׳ א׳ שלשים כשלשים של עבד מ״ט דר׳ יהודה יליף נתינה נתינה מעבד מה להלן ל׳ אף כאן שלשים: *R. Jehuda dixit triginta ſiclos ei dandos fuiſſe, ſicut hero propter ſervum occiſum triginta dabantur. Qua ratione nititur R. Jehuda? Comparat dationem, quæ hic extat, cum ea, quæ ibi expreſſa fuit, & inde colligit, heic non minus, ac ibi* 30. *ſiclos indigitari.*

XCVI. Duæ hujus mandati de ſervis muneribus adficiendis allegantur rationes. Prima extat *Deut.* xv. 15. *Recordare, quod ſervus fueris in Ægypto, quodque te redemerit Jehova* Deus *tuus, ideo tibi præcipio hanc rem hodie.* Quale motivum in his verbis contineatur ad donationem heris inculcandam, R. *Iſaacides* exponit: *in Comm. ad Deut.* xv. 15. וזכרת כי עבד היית׳ והנקתי לך מבזת מצרים ובזת הים אף אתה הענק ושנה לו: *Et recordaberis, quod ſervus fueris &c. Ego tibi munera contuli, eaque duplicavi ex præda tam Ægypti, quam maris rubri, hinc & tu ſervos muneribus adficies, eaque duplicabis ipſi.*

XCVII. Altera ratio *ibid. v.* 18. adducitur, & ex eo deſumitur, quod ſervi merces merito duplo major conſtituatur mercede mercenarii, cum tempus ſervitii ultra dimidiam partem ſuperet tempus, quo mercenarius ſuo defunctus eſt miniſterio. Notatu dignum judico *Abarbanelis* teſtimonium, quo dicta haud parum confirmantur, (*exſtat in Comm. ad legem Par.* ראה *f.* 290.) כי משנה שכר שכיר עבדך שש שנים שימי השכיר בסתם שלש שנים שאין רשות לאדם שישכיר את עצמו יותר משלש שנים שאמר הנביא שלש שנים כשני שכיר ולזה יהיה זה שעבד שש שנים עובד משנה וכפל משכר השכיר: *Quia duplum eſt mercedis mercenarii &c. Sex tibi annos ſervivit, cum dies mercenarii tantum tres annos conſtituant. Neque enim mercenario licet ultra*

tres annos se (vel suas operas) locare (aut condicere,) sicuti Propheta dixit: Tres annos, quot sunt anni mercenarii, & hinc reperitur, quod is, qui 6. annos serviit, duplo majus servitium præstiterit ac mercenarius, adeoque pro duplo mercedis, mercenarii laboraverit.

XCVIII. Tandem vindicandus in libertatem lustratione inauguratus fuit. Quare *Maimonides* scribit *in* הלכות איסורי ביאה *cap.* XIII. §. 12. *f.* 143. *b. t.* 2. כשישתחרר העבר צריך טבילה אחרת בפני שלשה ביום שבו תינמר גרותו ווהיה כישראל ואין צריך לקבל עליו מצות ולהודיעו עיקרי הדת שכבר הודועוהו כשטבל לשם עבדות: *Quando servus manumittitur, altera lustratione opus habet coram tribus (judicibus,) & quidem eo ipso die, quo in libertatem assertus est. Quo facto erit sicut Israelita, nec necesse est, ut de novo observantiam præceptorum in se suscipiat, vel articulos fidei (publice) confiteatur, utpote quos jam ante professus fuit, cum servitii nomine baptizaretur.* Ex his verbis adparet, (א) sine baptismo manumissionem non fuisse consummatam; Nam quia per tria Israelitæ in fœdus mittuntur, videlicet per circumcisionem, baptismum, & sacrificium, hinc existimarunt, servum non posse in libertatem & Judaismum migrare, nisi præmisso baptismo. (ב) Hanc lustrationem fuisse secundam. Prima namque fuit, qua servitutem subiturus initiabatur. Veruntamen cum in Schulchan Aruch *Part.* II. *cap.* 267. §. 9. non minus, quam citato *Maimonidis* tractatu, illa prior ad servum Cananæum potissimum referatur, secunda autem non possit nisi de Hebræo prædicari, siquidem Cananæus manumitti non potuit, illi Rabbinorum traditioni fidem habere vix potero. (ג) Tres testes requiri. Hoc requisitum in aliis quoque baptismi speciebus desiderari, testis est *Maimonides*, qui de baptizatis לשם עבדות scribit *loco cit.* ומוריעו בפני הדיינין שלשם עבדות: *Et profitentur coram tribus judicibus servitium suum.* (ד) Tempore manumissionis id factum esse. Non prius, siquidem intentioni hujus baptismi illud haud respondisset, quæ ante servitutis finem ad effectum perduci haud potuit. Non post, siquidem manumisso nulla baptismum prorogandi ratio fuit. (ה) Effectum baptismi fuisse restitutionem in pristina civis Hebræi jura. Adeoque illa lustratione haud fuit indicatum servum immundum esse, & a servitutis macula purificandum; verum ipsum hactenus Hebræorum juribus non esse gavisum. Hoc ritu autem factus est כישראל לכל דבר adeoque connubiis Israeliticis idoneus, unde ejus filii non potuerunt non postmodum pro legitimis civibus haberi. Sunt tamen interpretes, qui, teste *Karone*, in *Keseph Mischne seu not. ad l.* Maim. *cit.* sponsalia manumissi jam ante baptismum valida & legitima fuisse judicarunt. Tandem (ו) novam fidei confessionem supervacaneam esse, quippe quæ repeti non solet. Modus baptizandi duplex fuit, vel הוא טובל את עצמו: ipse se baptizavit, vel אחרים מטבילין אותו: alii ipsum baptizarunt. Immersionis modum Talmudici, *in Mikvaoth. cap.* 1. & 3. & *Maimonides, cap.* VIII. nobis describunt, ad quos lectorem remitto.

XCIX. Ita baptizatus, utut reipsa parum differret a cæteris Hebræis, nomine tamen eorum insignitus non est. Sed ad distinctionem & in memoriam pristinæ conditionis משוחרר libertinus vocabatur, quem *Seldenus* in omnibus comparat proselyto justitiæ *in J. N. & G. lib.* II. *c.* V. *Maimonides* exinde semper eos adpellat משוחררים, prout ex citato capite evidentissime liquet. Cum proselytis eos combinari duobus potissimum testimoniis probat *Seldenus*, quorum alterum in Jevamot exstat *cap.* VIII. גרים שנתגיירו ועבדים הנתשחררו: Proselyti, qui nostram religionem adoptarunt, & servi, qui manumissi sunt, alterum *Maimonides* citato loco suppeditat. Nec illud silentio prætereundum esse duxi, quod *Ligtfootus* & *Seldenus* sub nomine λιβερτίνων (*Act.* VI. 8.) hos ipsos manumissos, non vero cum *Suida* ὄνομα ἔθνυς, nec cum aliis Sectam Ægyptiorum Judaicam, aut libertinos Romani generis indigitari censeant.

C. Leges de servis Hebræis hactenus allatæ una cum Jubilæis exspirarunt, nec verpas nostræ ætatis ulterius obligant. Plus una vice id asserit *Maimonides*, veluti in tr. de servis *cap.* 1. §. 10. אין אמה העבריה נוהגת ,ולא עבד עברי נוהג אלא בזמן שהיובל נוהג בין עבד עברי שמוכר עצמו בין זה שמכרוהו בית דין: *Nec jus ancillæ Hebrææ, nec jus servi Hebræi in usu sunt, præterquam eo, quo Jubilæa celebrantur, tempore. Nec refert, an servus se ipsum vendat, num a foro addicatur.* Idem non tantum refert, sed & cætera Jura Jubilæis allegata adjicit in tract. de Anno Sabbathico & Jubilæo *c.* X. §. 9. *f.* 143. בזמן שהיובל נוחג נוהג דין עבד עברי ודין בתי ערי חומה ודין שדי חרמים ודין שדה אחוזה ומקבלין גר תושב ונוהגת שביעית בארץ והשמטת כספים בכל מן התורה ובזמן שאין היובל נוהג אינו נוהג אחד מכל אלו חוץ משביעית בארץ: *Eo tempore, quo Jubilæum in usu est, (sequentia quoque jura vigent,) veluti jus servi Hebræi, jus civitatum muro cinctarum,*

rum, jus agrorum excisorum, jus agrorum possessionis, nec non proselyti recipiuntur, & terra non minus quam pecunia credita quiescunt. Sed quando Jubilæum observari non solet, nullum eorum obtinet, præter quietem terræ. Nec est, cur illam positionem soli adscribamus *Maimonidi*, qui nihil aliud fecit, quam quod Magistros secutus fuerit, eorumque sententiam ex tract. Erachin, *fol.* 29. fideliter descripserit, prout ipsemet in not. ad hilch. jeniva fateri tenetur.

CI. Sed nec ita duratio harum legum plana atque perspicua est, siquidem haud satis liquet a quo tempore Jubilæa cessaverint. *Maimonides* equidem fidenter asserit, post tribuum commixtionem Jubilæa exspirasse, prout sequentia ejus verba docent *lib.* cit. §. 8. משגלה שבט ראובן ושבט גד וחצי שבט מנשה בטלו היובלות שנאמר וקראתם דרור בארץ לכל ישביה בזמן שכל ישביה עליה והוא שלא יהיו מעורבבין שבט בשבט כולן ישבין כתקנן: *Postquam deportata fuit tribus Ruben, & tribus Gad, & dimidia tribus Menasse, cessarunt Jubilæa, quandoquidem dicitur: Et proclamabitis libertatem in terra omnibus ejus incolis i. e. eo tempore, quo omnes ejus incolæ in terra commorantur. Et quando hoc obtinet? ubi tribus non sunt commintæ, sed quævis junta suum ordinem terram inhabitant?* Verum (א) argumentum, quod Author ad probandam suam thesin adduxit, nullius ponderis est. Neque enim tam stricte verba Scripturæ sumenda de omnibus reipublicæ Judaicæ membris. Absentium namque nulla habetur ratio. Et quod in genere notandum, ritus a *Deo* præscripti non obligarunt, nisi eos, qui sua gavisi sunt libertate. Deinde illa quæstio de Jubilæi duratione est quæstio facti, non juris, quæ proinde ex historia, non legibus, determinari debet. Jam vero (ב) nullum ex Historia attulit argumentum, quod ipsi faveat. Quinimmo (ג) multa prostant documenta, quæ contrarium probant. Ita enim ex *Jer.* XXXIV. 8. 9. constat, jus servi obtinuisse, postquam memoratæ tribus jam fuerint abductæ sub ipso Zedekia. Deinde in Sederolam *cap.* XXX. asseritur, Judæos tempore Esræ æque ac in diebus Josuæ obligatos fuisse ad Jubilæa, ad annos Sabbathicos, & ad jura civitatum muro cinctarum. Tandem frequens apud *Josephum* aliosque mentio fit proselytorum portæ, qui circa nativitatem *Christi* & postea recepti fuerunt. Unde non possumus non illi *Maimonidis* traditioni fidem denegare. Sed satis jam nugatum est.



JOH. CHRIST. WAGENSEILII DISSERTATIO DE SCEPTRO JEHUDA

DE LOCO CLASSICO *Gen.* XLIX. 10.

לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי
יבא שילה ולו יקהת עמים:

Non deerit ad adventum usque Messiæ Legislator, ex lumbis, seu femore, hoc est semine Judæ, continue nascendus.

CUM per hos dies, in Urbe degens, more meo, ad te, *Clarissime Arnolde*, viserem, producto inter nos per horam unam & alteram de rebus litterariis familiari colloquio, denique id a discessuro scire expetebas, quid egerim ego hactenus, quid agam, quid velim agere? Quoniam vero ex jure antiquæ necessitudinis nostræ, mea consilia omnia tibi credere soleo, jussui tuo me obsequi conveniebat, professusque sum, in certæ spem gratiæ Domini & Servatoris mei, aliis rebus missis, hujus me causam adversus sacrilegum nebulonem R. Lipmannum, defendendam suscepisse. Scilicet, fuisse me dies plusculos in eo, atque etiamnum illo labore distringi, ut solide confutem, impium & ferale illud ἀνέκδοτον Carmen, quo, breve quasi impietatis, ac blasphemiæ corpusculum faciens, summam abominandi libri נצחון complexus est, & quod tu, apud Batavos degens, ex Vorstiano Lipmanni MS. Codice tibi quondam descripseras, mecumque communicaveras, quodque uni meorum MSS. pari ratione subjunctum deprehenditur. Addebam, hoc opere confecto, recensiturum me varios libellos Hebraicos Chaldaicosque, multiplicis argumenti & eruditionis, quorum major pars nondum in lucem venerit: quæ omnia in unum volumen compingendo, editurum me non spernendam scriptorum Judaicorum farraginem. Postquam vero tu cœptis nostris bene ominatus fueras, Lipmannianum Carmen redibat in memoriam, deque eo inter nos convenit, haud alio fine a nequam ho-

homine scriptum videri, quam ut memoriæ consuleret tribulium, & ut semper in promtu haberent, quod, Christianis disputando molestis esse volentibus, usque ad aurem oggannirent. Agnoscebamus simile Præstantissimi Viri, Hugonis Grotii, sed sine contrario, institurum; qui, prorsus eodem modo, ea quæ de Veritate Religionis Christianæ, in carcere suo præclare meditatus fuerat, primum vernaculis versibus, (quorum a Martino Opitio, Germanicæ pœseos assertore, facta translatio apud nos extat) inclusisse deprehenditur. Nimirum, id Viri re æque ac nomine Magni, erat consilium, ut gens sua, egregium poema probe edisceret, ac insigni illa navigandi solertia, qua cæteras omnes totius mundi nationes facile vincit, tanquam divino beneficio, non ad quæstum tantum, sed & veræ religionis propagationem uteretur. Atque, ut per longinqua itinera, aut in Paganos, ut in Sina & Guinea, aut in Mahumetistas, ut sub imperio Turcæ, Persæ, & Pœnorum, aut in Judæos, per maximas terrarum orbis partes dispersos, incidentes Batavi, revincendis erroribus incumberent, aut saltem caverent, nə ab infidelibus vincantur. Verum enim vero, cum de præsidiis Judæos impugnandi, postea quædam dixissemus, & inter reliqua, Dicti Classici Genes. XLIX. 10. אל יסור שכט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה ולו יקהת עמים: facta esset mentio, tu, propemodum assentiri Nobilissimo cuidam Viro, te dicebas, qui non ita pridem edita Dissertatione, locum Librariorum vitio corruptum pronunciaverit, & merito censuerit, pro רגליו ex Samaritano דגליו rescribendum esse. Quæ assertio, cum præter opinionem a me percepta esset, ibi, non ego putaram, inquam, hodie nos tam discordes separationem ab invicem facturos, parum enim diei quod superest, vereor ut sufficiat ad mentem tuam mihi persuadendam. Non dissimulo, pergebam, doctam & ingeniosam esse hanc conjecturam, meque eam cum sensu quodam & voluptate didicisse: interim pro vera illam admittere non ausim, imo ne alteram quidem, nescio cujus Autoris, recentiorem, quæ duritiem prioris, unde nata est, sententiæ emolliens, verbum רגליו retinet, & de pedestri exercitu nove exponit. Cæterum, cum tu causas rei sciscitareris, respondi, habere me non frivolas, quin & in ipsa Confutatione Lipmanniani Carminis, quia dictum hoc ab impuri hominis corruptelis vindicandum erat, ex occasione totum hoc argumentum prolixius jamdum me persequutum esse, non quidem, quod serio tester, animo cuiquam ægre faciendi, illumque refellendi, (id enim a me alienum,) sed solius veritatis inquirendæ studio. Quibus auditis, summopere a me flagitabas, ista tecum communicarem, ut videas num merito dissentiam, atque ego pollicitus sum, descripturum me ex schedis meis verbo tenus fragmentum integrum, prout illud edere constitueram, & curaturum ut mature ad te perferatur. Ecce tibi, *Vir Clarissime*, libero nunc fidem meam, & legas hic licet, quæ pro ingenii mei tenuitate sum commentatus. Ea vero si minus probabis, meum tamen tibi morem gerendi studium utique gratum erit advorsum te; qua fiducia fretus, ipsam Dissertationem citra ulteriores ambages subjicio.

PRopositum mihi, cum cura tractare locum Gen. XLIX. 10. inprimis quantum ad verba ומחקק מבין רגליו attinet, circa quorum sensum hærent Interpretes, non exigua constricti difficultate. Extabant vulgo hactenus inter Christianos pariter Judæosque, duæ præcipue dicti explicationes. Harum una, respiciens morem, quo Doctores olim apud antiquissimos Judæos in cathedra excelsiore, ab illorum vero ore pendentes Discipuli, humi, & ad Magistrorum pedes consedisse creduntur, locum sic exponit, quasi diceretur: *Non deerunt Doctores inter Judæos, ad quorum pedes Discipuli sedeant, donec veniet Messias*. Altera, de generandi modo verba accipiens, id significari contendit: *Non deerit ad adventum usque Messiæ Legislator, ex lumbis, seu femore, hoc est semine Judæ, continue nascendus*. Enim vero, utramque hanc opinionem, peculiari Dissertatione, prolixe eruditeque nuper discussit, Nobilissimus quidam & eximiæ dignationis Vir, multisque in medium allatis rationibus, solide (si quid nos judicare possumu) ostendit, neutram scopum ferire, nec posse eas admitti. Scilicet, respectu prioris sententiæ, merito urget, haud bene de Discipulis dici posse, quod בין רגלים sive *μεταξὺ* aut *ἐν μέσῳ τῶν ποδῶν inter pedes*, vel *in medio pedum* Doctorum suorum sedeant, cum potius, si hoc intendisset Scriptura quod perhibetur, לרגליה hoc est *παρὰ τοὺς πόδας*, quæ in Novo Testamento non infrequens locutio sit, sive, *ad pedes*, dicere illam oportuisset. Tum vero, probe observat, etiam admissa illa vulgari explicatione, non tam tolli difficultatem, quam augeri. Cum enim non de Discipulis, sed de Doctore sermonem

esse,

eſſe, interpretationis iſtius Patroni contendant, & vero pro Juda Judæ poſteros intelligere omnis ratio flagitet, jam minime in Doctorem, phraſin *ſedere ad pedes*, aut *recedere a pedibus*, quadrare ait, quippe, qui ad caput diſcentium Judæ poſterorum, ſeſſitaverit. Eſt proinde dura locutio cum quis id dicere Scripturam contendit: *Non receſſurum Sceptrum a Judæ poſteris, neque Doctorem ab eorundem pedibus, ad Meſſiæ uſque adventum*. Sed, nec minus dura & inſueta eſt illa expoſitio, quæ ex altera ſententia tandem emergit, ſecundum quam ſermo omnino ita concipiendus fuerit: *Non recedet vel auferetur Sceptrum de Juda, & non recedet ſeu auferetur Doctor, vel, ut aliis placet, Legislator, de medio pedum Judæ, ſeu de genitalibus aut ſemore Juda*. Namque verbum סור pertinet ad utrumque o rationis membrum, nec aliter exponendum in poſteriore, quam in priore erat factum. Atque his, aliiſque argumentis, nos plane acquieſcimus, iiſque quatenus prior ſententia impugnatur illud ſuccenturiatum addi poteſt, quod in Commentario ad Sotam p. 993. ſeqq. idoneis veterum Talmudiſtarum teſtimoniis oſtenſum nobis eſt, inde, a Moſis temporibus, ad ætatem uſque R. Gamalielis, atque ſic ad Meſſiam uſque exhibitum & amplius, ſtantes in pedibus diſcipulos, a ſedentibus Præceptoribus ſuis fuiſſe edoctos, & incongrue accepiſſe pleroſque Interpretum verba Pauli Act. XXII. 3. Ἐγὼ μὲν εἰμι ἀνὴρ Ἰουδαῖος ἐν Ταρσῷ τῆς Κιλικίας, ἀνατεθραμμένος δὲ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ παρτὰ τοὺς πόδας Γαμαλιὴλ, πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου. Quorum, apud veterem Vulgatum, hæc veſio eſt & vulgo interpunctio: *Ego ſum vir Judæus, natus in Tarſo Ciliciæ, nutritus autem in iſta civitate, ſecus pedes Gamaliel eruditus juxta veritatem paternæ legis*. Neque vero aliam ob cauſam, quam quod plerisque creditum, eſt, profiteri Apoſtolum, ſe ad Gamalielis pedes ſedentem, legi divinæ diſcendæ operam navaſſe, illa prior Jacobæi Oraculi explicatio tantopere ſe videtur noſtris Expoſitoribus commendaſſe. Cum igitur verborum ומחקק מבין רגליו communia interpretamenta, locum non inveniant, nova ratione, Vir laudatus, rem illuſtrare aggreſſus eſt, ac Hebræum textum, quem hic corruptum opinatur, emendando, legendum eſſe cenſet, prout Samaritanus Codex habet, ומחקק מבין דגליו levi unius elementi immutatione. Iſto fundamento ſubſtrato, porro מחקק de *Belli Duce*, דגליו ceu res ipſa poſtulat, de *vexillis* & *ſignis militaribus* accipit, ut ita ſenſu plano facilique in integro illo Scripturæ dicto id doceatur: *Non ablatum iri Sceptrum ſive Principatum de Juda, neque Ducem belli de vexillis ejus, inter quæ ſcilicet verſari ſolet, donec venerit Siloh*. Sive, quod idem eſt: *Tribum Judam tamdiu habituram ſuos Principes ac Duces, aut jura pacis & belli, donec venerit Meſſias*. Equidem, non diffiteor, ſolertem, ingenioſamque eſſe hanc conjecturam, & omnino talem, ut ejus nunquam autorem pœnitere debeat. Quamobrem, ſi de ullo alio, præter Sacras Literas, Scriptore ageretur, citra hæſitationem aſſenſum præberem, nec verum ullum commutarem amplius. At enim, quia ipſius Sacris Codicis lectio in controverſiam venit, nemo æquus rerum æſtimator mihi vitio, quod ſpero, vertet, ſi caute & cum circumſpectione hic verſor, nec tam facile a conſtanti omnium Hebræorum Codicum, tot inſuper vetuſtiſſimorum Interpretum teſtimoniis confirmata ſcriptura, me dimoveri patior. Iterum enim iterumque hoc publice profiteor me illi Sectæ nomen dediſſe, cui religio eſt, citra antiquorum Codicum, aut Translatorum fidem, & præſentem ac urgentiſſimam inſuper neceſſitatem, vel apicem minimum in Sacris Literis Antiqui, imo & Novi fœderis, ex ingenio immutare. Interim, non id velim ego, omnes Scribas, quorum opera hodiernus Veteris Teſtamenti Codex ad nos pervenit, fuiſſe ἀναμαρτήτους & θεοπνεύστους, quin potius olim Codices Hebræos inter ſeſe alicubi variaſſe non ibo inficias: At nego, tam corruptam, in claſſico præſertim loco, noſtrorum librorum eſſe uſpiam lectionem, ut nobis ſine antiquitatis præſidio, ex ſola conjectura emendanda veniat, idque cœleſtem in his rebus Providentiam, ea qua par eſt pietate ſuſpiciens, firmiſſime ſum perſuaſus. Cæterum, hæc minime adverſus Virum Nobiliſſimum faciunt, eadem enim nobiſcum in ipſa, quam prædicavimus Diſſertatione animatus eſt, nec ex ſeſe novam lectionem comminiſcitur, verum illam ſuggerit, quam Samaritani exemplaris tuetur autoritas. Ut ergo propius ad rem accedam, jam iſtud indicandum venit, nondum vel ſic comprobatum eſſe, variantem fuiſſe quondam in bonis & probis Hebræorum Libris, hoc loco lectionem. Nam, ut unus ſoluſque Samaritanus Codex ſe mihi commendet, & adverſus innumeros alios, turbamque Paraphraſtarum & Translatorum veterum conſiſtat, prius certus eſſe debeo, ex optimo Codice Hebræo fuiſſe expreſſum; non deceptum fuiſſe exſcriptorem ſimilitudine ele-

elementorum Daleth & Resch ; idem prorsus legi in omnibus Samaritanis exemplaribus, nec in his potuisse confundi duas has ד & ר æque ac in Hebræo admodum affines literas; denique probandum, a mendis cæteroquin Samaritanum exemplar plurimum immune esse. Hæc omnia inquam solide mihi demonstrentur opus est, antequam suspicionem admittam, minus olim quam nunc inter se concordasse Hebræos Codices: quæ probatio, difficilis futura est, imo in tanta exemplarum Samaritanorum, quæ nobis suppetunt, paucitate, παρὰ τῶν ἀδυνάτων. Sed esto, fuerit in Antiquorum libris discrepantia, neutiquam tamen a trita usitata totque suffragatoribus confirmata lectione discedo, nisi me hinc abigat, & ad Samaritanum confugere compellat ultima necessitas, quali nos nondum urgeri, ex dicendis patebit. Addo illud quoque, quod, si maxime in alio Scripturæ loco facilis essem ad acumini critico quid indulgendum, non id tamen in hoc præsenti facturus eram, quando ad Judæos confutandos illo mihi summopere opus est. Hi vero, si receptam lectionem me solicitare deprehendant, Dei hominumque fidem continuo inclamabunt, & tam desperatam causam nostram esse criminabuntur, ut necesse sit a Scripturæ depravatione remedium petere. Ne igitur Classicum dictum, quo veritas Christianæ religionis adversus infideles Judæos quam maxime confirmatur, nobis fiat inutile, & offendiculo iis simus, retinenda est vetus lectio, & potius de commoda ejus interpretatione dispiciendum. Et vero, videntur hoc agere eruditi: Etenim, non multo post editam illam, quæ nos hactenus occupavit, Dissertationem, continuo circumferri cœpit alia, incertum cujus autoris, ex priore nupera sine dubio enata, nova rursus & elegans expositio, quæ cætera alterius vestigia premens, רגלין de *peditatu* sive *pedestri exercitu* accipit, atque sic vulgatam scriptionem servando, eundem prorsus sensum exhibet, quem secundum Samaritanum immutata lectio progeneraret. Verisimile est, hanc explicationem multos reperturam adstipulatores, & ipse eam propemodum amplecterer, nisi quidam scrupuli obstarent, qui mentem inquietant, nec plene planeque assentiri permittunt. Scilicet, nondum a me impetro, ut credam, de Belli Duce Jacobo sermonem fuisse, eumque, nisi me omnia fallunt, excludit quodammodo contextus συνάφεια. Nimirum, de *Sceptro* mentio præcedit, quod quatenus insigne Principum est, (prout hoc loco accipi debet,) nescio an ullis Scriptoribus, de potestate, solam togatam Rempublicam, & prout a bellico imperio distinguitur administrandi, fuerit usurpatum. Imo, si rem recte reputemus, militarium magis Ducum, quam in pace regentium Rempublicam, Sceptrum apud veteres fuit symbolum. *Per ea adhuc tempora*, inquit, l. 43. c. 3. de incunabulis Romæ loquens Justinus, *Reges hastas pro diademate habebant, quas Græci sceptra dixere*. Atque cum Homerus Iliad. 4. v. 218. seqq. sic nobis Ulyssem belli Ducem figurasset:

> Στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε, κατὰ χθονὸς ὄμματα πήξας.
> Σκῆπτρον δὲ οὔτ' ὀπίσω οὔτε προπρηνὲς ἐνώμα,
> Ἀλλ' ἀστεμφὲς ἔχεσκεν.
>
> *Stabat, subtusque cernebat, in terram oculos defigens:*
> *Sceptrum vero neque retrorsum neque in anteriorem partem movebat,*
> *Sed immobile tenebat.*

Ad ista observat Scholiastes: Σημειωτέον, ὅτι ἕκαστος τῶν ἡγεμόνων σκῆπτρον εἶχεν ἴδιον. ὡς καὶ Ἀχιλλεὺς ἐν τῇ α ὄμνυσι κατ' αὐτοῦ. *Indicio est, Imperatorum militarium cuique suum Sceptrum fuisse, unde & Achilles in Illiade 1. per illud jusjurandum fecit*. De Romanis, Servius: *Apud majores, omnes Duces cum Sceptris ingrediebantur curiam*. Et Isidorus lib. 18. cap. 11. *Namque & purpuream, & palmatam togam, triumphantes induebantur, & scorpionem cum Scepto in manu tenebant*. Quo in loco, vitiose, *scorpionem*, pro *scipionem* legi, ad Themistii *Orat.* 11. recte monuit Dionysius Petavius. Nolim tamen negare, etiam in pace jus subditis dicentes, eosque imperio regentes, Sceptro usos esse, quod inprimis de Ægyptiorum antiquissimis Regibus affirmandum videtur. Sed, istis, omnimodam potestatem notabat Sceptrum, tam ad belli, quam pacis jura, sese porrigentem. Unde Plutarchus de Ægyptiis: Τὸν δὲ Ὄσιριν ὀφθαλμῷ καὶ σκήπτρῳ γράφουσι, ὧν τὸ μὲν τὴν πρόνοιαν ἐμφαίνει, τὸ δὲ τὴν δύναμιν. *Osirim, oculo, & sceptro pingunt, oculo, providentiam, sceptro, potentiam indicantes*. Sic apud Persas quoque, Sceptrum supremum potentiæ, αὐτοκρατορίας, & majestatis fuisse argumentum, ex Estheris libro perspicue discimus. Non tantum enim, prout est ibi *cap.* IV. 11. Esther nunciari jussit Mardochæo: כל עבדי המלך ועם מדינות המלך יודעים אשר כל איש ואשה אשר יבוא אל המלך אל החצר הפנימית אשר לא יקרא אחת דתו להמית לבד

לפר מאשר יושיט לו המלך ארת שרביט הזהב וחיה: *Omnes ſervi Regis, etiam po. pulus provincinciarum Regis ſciunt, quicunque vir aut mulier ingreſſus fuerit ad Regem in atrium interius qui non fuerit vocatus, unum eſſe jus de eo morte afficiendo, præterquam cui extenderit Rex Sceptrum aureum eum vivere*. Sed & cum Mardochæus ſummis honoribus admotus, & משנה למלך אחשורוש *ſecundus a Rege Abaſvero* conſtitutus eſſet, ſane quidem יצא מלפני המלך בלבוש מלכות תכלת וחור ועטרת זהב גדולה ותכריך בוץ וארגמן: *Egrediebatur a conſpectu Regis cum indumento regio, byacinthino, coronaque aurea magna, & ſtola byſſina & purpurea*: atque ſic omnia ornamenta regia, ipſamque adeo coronam auream ingentem capiti geſtabat: nihilominus Sceptrum manu non tenuit, regiæ dignitatis ſignum proprium, & peculiare. Atque hæc Sceptri ſignificatio, poſtea apud pleraſque gentes invaluit, & ad hanc uſque ætatem conſervata. Quippe, veteri ævo, cum primum Germani Imperatores Eccleſiaſticos Imperii Status, Sceptro de majoribus Feudis inveſtire conſueverunt, non pacatas tantum regiones gubernandi, verum & bellum adminiſtrandi facultatem largiebantur. Et apud Bochellum, *lib. 5. Decr. Eccleſ. Gall. tit. 2. cap. 1.* legitur, Regibus Galliæ, quando conſecrantur, Sceptrum in manus tradi cum hac ſolemni verborum præfatione: *Accipe Sceptrum regiæ poteſtatis inſigne, virgam ſcilicet regni rectam, virgam virtutis, qua teipſum bene regas, ſanctam Eccleſiam populumque videlicet Chriſtianum tibi a Deo commiſſum, regia virtute ab improbis defendas: pravos corrigas, rectos pacifices, & ut viam rectam tenere poſſint, tuo juvamine dirigas, quanto de temporali regno ad æternum regnum pervenias: ipſo adjuvante, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſecula ſeculorum*. Nihil abludit ab hactenus dictis ſtylus Sacrarum literarum, in quibus ſimili modo, Principale Sceptrum, aut militaris imperii, aut αὐτοκρατορίας paciſque ac belli ſupremi juris ſymbolum eſt, nuſquam, quod ſciam, ad ſolam gubernationem tranquillæ Reip. pertinet. Prius, reſpiciunt loca Pſal. II. 9. תרועם כשבט ברזל ככלי יוצר תנפצם: *Confinges illos Sceptro ferreo, ut vas figlinum diſſipabis eos*. Num. XXIV. 17. דרך כוכב מיעקב וקם שבט מישראל ומחץ פאתי מואב וקרקר כל בני שת: Id ſecundum Tremellianam verſionem eſt: *Procedit ſtella ex Jacobo, & exſurgit Sceptrum ex Iſraele, quod franget latera Moabitarum, & deſtruet omnes eos qui pone ſunt*. Ad poſterius, præter alia dicta, infra alleganda, revoco illud Amoſi I. 5. ושברתי בריח דמשק והכרתי יושב מבקעת און ותומך שבט מבית עדן וגלו עם ארם קירה אמר יי: *Et confringam vectem Damaſci, exſcindamque habitatorem e convalle Avenis, & tenentem Sceptrum e domo Hedenis: migrabuntque populus Syriæ in Kirum ait Dominus*. Eadem mox commate 8. loquendi ratio iterum repetitur. Proinde colligas, vocem שבט in Jacobæo oraculo haudquaquam ad ſolam civilem, vocem מחקק vero, ad ſolam militarem gubernationem reſtringendam eſſe, & duriuſculum evadere ſermonem quo dicitur: *Non auferetur Sceptrum e Juda, neque Dux ex peditatu ejus*: non enim apud Judæos alii Sceptrum tenebant, alii exercitui præerant, ſed idem, qui Sceptrum moderabantur, bella quoque gerebant, ducebant agmen, & cum hoſte præliabantur. Quod ſi vero omnino quidam ex Regibus non ipſi copias in expeditionem educebant, ſed per Duces cum inimicis decertaverunt, tum ſaltem, non ſuis ſed Regum auſpiciis Duces militaſſe deprehenduntur, nihilque iis relictum erat præter obſequii gloriam, omnis rerum geſtarum eventus Regibus tribuebatur. Neutiquam igitur ſegregare licet ab eo, qui pacis jura in Judæorum Republic. habebat, bellicam poteſtatem, quæ ne apud eos quidem populos, ubi Reges multum reſtricta & limitata potentia utebantur, imperantibus fuit ademta. Nam, de Lacedæmoniis, ſic eſt apud Philoſophum 3. *pol. cap.* 14. Ἡ γὰρ ἐν τῇ λακωνικῇ πολιτείᾳ δοκεῖ μὲν εἶναι βασιλεία μάλιστα τῶν κατὰ νόμον. οὐκ ἔστι δὲ κυρία πάντων. ἀλλ' ὅταν ἐξέλθῃ τὴν χώραν ἡγεμών ἐστι τῶν πρὸς τὸν πόλεμον. *In Lacedæmoniorum Repub. videtur Rex eſſe maxime ſecundum leges, neque enim poteſtatem habet omnium. Sed, cum egreditur regionem, imperium habet eorum quæ pertinens ad bellum*. Subdit poſtea Ariſtoteles eodem loco, Homeri fretus autoritate, ſimilem regiminis formam apud antiquos obtinuiſſe. Quanquam, non opus oſt, ut de aliarum gentium inſtitutis hic ſimus ſoliciti, quia controverſia caret, ſaltem inter Judæos, id oatiouiſſe quod diximus, unde de illorum Rege in Miſchna Sanhedrin *cap.* 2. §. 4. quoque traditur: מוציא למלחמת הרשות על פי בית דין של שבעים ואחד: *Educit copias ſuas ad bellum* αὐθαίρετον, *ſuaſu tamen magni Synedrii*. Etſi Sacras literas ſequendo, fertaſſe ſatius fuerit aſſerere, ne Synedrii quidem aſſenſum, Reges bella gerere volentes, requiſiviſſe, ac illud Thalmudis dictum, uti alia ibi multa, non ex vero, ſed ex poſtremorum tem-

po-

porum Judaicæ gentis inſolentiſſimo faſtu profectum eſſe, quo, ne ſuis quidem Regibus ſubditi fuiſſe, ſed liberiore ſemper Repub. uſi eſſe, videri volebant, ſic apud Johaunem cap. VIII. 33. quoque crepantes: Σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν, καὶ οὐδενὶ δεδουλεύκαμεν πώποτε. Hæc igitur ſola cauſa eſt, quare de veterum Regum poteſtate tam abjecte ſentiunt Thalmudiſtæ, eamque exiguis cancellis circumdant. Quod, uti eos facere minime diffiteor, ita cavere tamen jubeo ne quis porro (quando id jam Cl. Salmaſio in Defenſ. *Reg. cap.* 2. accidiſſe obſervamus) Summi Viri, Hugonis Grotii in *lib.* I. *de Jure Belli & Pacis cap.* 3. §. 20. autoritate deceptus, exiſtimet, id quoque eos tradidiſſe, de quo ipſe *conſentire Hebræos* aſſerit, *quod nimirum Regi in eas leges quæ de officio Regis ſcriptæ exſtabant peccanti, inflicta fuerint verbera*. Enim vero, hoc apud Thalmudiſtas non legitur, nec adeo comparet in univerſo Thalmude, ille quem ter exinde nobis, in laudato opere Grotius teſtem citat, de *Rege Titulus*. Siquidem, ceu ad oculum oſtendere nobis in promtu eſt, fraudi fuit Viro Magno, quod Schikardi in Miſchpat Hammelech ex Maimonide allegationes, non recte accepit. Atque, apud Maimonidem quoque etſi Regiæ caſtigationis mentio aliqua, ſed paucis verbis injicitur, nempe tantum, ex canone quodam antiquo per meram conſequentiam ineptiſſime ſic illata; non tamen, id aut a Maimonide, aut ab ullo unquam Hebræorum proditum eſt, *Regem in ſignum pœnitentiæ verbera ſponte ſuſcepiſſe, ideoque non a lictore, ſed ab eo quem legiſſet ipſe, cæſum fuiſſe, & ſuo arbitrio verberibus ſtatuiſſe modum*, prout illam ſententiam Grotius recitat. Interea loci, ut diſcamus quæ vere Regis apud Judæos poteſtas, quod hujus jus fuerit, illud I. *Sam.* VIII. II. deſcriptum משפט המלך ſive *Jus Regium*, quia in eo Eruditi diſputant, in præſentia minime attendentes, ipſum illum qui Sceptra gentis tenuit, & habenas rexit eorundem Reip. ut libentes auſcultemus conſultiſſimum fuerit. Salomon is eſt, cujus in *Eccleſiaſte* II. 2. *ſeqq.* gravis exhortatio, uno Deo minores fuiſſe Hebræorum Reges, cætera nullis legibus ſubjici, a nemine in ordinem cogi potuiſſe, ſed omnia pro lubitu geſſiſſe, manifeſte comprobat. אני פי מלך שמור ועל דברת שבועת אלהים: אל תבהל מפניו תלך אל תעמד בדבר רעכי כל אשר יחפץ יעשה באשר דבר מלך שלטון ומי יאמר לו מה תעשה: Recentior Interpres tranſtulit: *Præſtitutum meum, præſtitutum Regis obſerva, ſed pro ratione juramenti Dei. Ne perturbate a facie ejus abito, ne perſiſtito in re mala: nam quicquid volet, facturus eſſet. Ubicunque verbum Regis eſt, ibi dominatio: ecquis dicit ei quid facis?* Cæterum, ut e brevi diverticulo redeam jam in viam, iſtud quoque minime prætereundum videtur, vix eſſe, ut vocem מחוקק de *Duce bellico*, commode & ex genuino ſuo ſenſu, interpretari nobis liceat. Eſt enim מחוקק participium verbi חקק, quod *decernere*, *ſtatuere*, atque quia antiquorum leges tabulis inciſæ publice exſtabant, *inſculpere*, & *exarare* ſignificat. At ſtatuendi & decernendi in Repub. facultas, ſive quod idem eſt, legiſlatoria poteſtas, ad togatam illius adminiſtrationem pertinet, unde etiam τὸ חקים quod τῷ חקק & effectum, & (ceu Dialectici loquuntur) correlatum dicere licet, quodque ſexcenties credo, in Scripturis legitur, haud fere unquam aliud quam leges & inſtituta pacatæ Civitatis denotat. Equidem, ultro conceſſerim, in uno alterove Scripturæ loco non abſurdum & abſonum enaſci ſenſum ſi מחוקק de Imperatore exercitus interpreteris. Sed utique ſic exponi oportere, neſcio an ſolide evinci queat, certe nemo antiquorum Interpretum (ut recentiores, eoſque qui Lexica conſcripſerunt, Rabbinos quoque Commentatores nunc taceam) uſpiam in Scripturis ita accepit. Etenim, pro מחוקק apud LXX. nunc ἄρχων, nunc βασιλεύς, alias ἐξερευνῶν legitur. Chaldæi Paraphraſtæ ספרא *Scribam*, item מלפנא *Doctorem*, & in plurativo numero, ספרין ספרין מלפי מאלפי אורייתא אוריתא vel *Scribas docentes legem*, nec minus ספריא דבית אולפנא *Doctores Academiarum*, interpretati ſunt. Semel apud Chaldæum, nimirum *Jud.* v. 14. pro ירדו מחוקקים ad bellum attinens eſt expoſitio, quippe מרשמין בקרבא ibi offendas, ſed, qua explicatione nihil juvatur adverſa ſententia, quippe מחוקקם hoc loco, paſſivo ſenſu, de *conſcriptis in militum matriculam*, ſive *gregariis militibus*, non vero de agminum ductoribus & Chiliarchis Paraphraſtes intellexit. Denique, Veteri Latino Interpreti מחוקק eſt *Doctor*, *Doctor legis*, *Rex*, *Legifer*, *Princeps*, & in loco præſenti *Geneſ.* XLIX. 10. quidem *Dux*, verum non ideo ſtatim Dux belli. Nam veriſimile eſt, voluiſſe illum exprimere Græcorum Ἄρχων, quæ appellatio Civilis maxime poteſtatis propria, unde notum eſt, eos, qui poſt Codrum Athenienſium Reipublicæ præerant, *Archontas* dictos eſſe, pro quo verbo, quod Latinorum plerique retinuerunt, Hieronymus tamen & Plinius, etſi nimis lata voce, Ma-

Magiſtratus dixerunt, ceu clariſſimæ memoriæ Vir Joh. Henricus Bœclerus, in Vellejano Indice annotavit. Cum igitur interpretum circa vocem מחוקק expoſitiones, in eo unanimi conſenſu conſpirent, non proprio & nativo ſuo ſenſu ipſum Belli Ducem ſpectare, nolim per vim quandam hanc ſignificationem illi obtrudere. Quin potius, ſi quis iſta, aliaque quæ hactenus diſſeruimus, *λογισάμενος* ſecum probe diſcutiat, illud aliqua ratione conſequitur, ut ſi omnino, Jacobæum Oraculum de ad adventum uſque Meſſiæ, duraturis pacis bellique inter Judæos juribus exponendum ſit, tum *ὕστερον πρότερον* facere forſitan ſatius fore, & converſo rerum ordine, *σκηπτροῦχον* de belli Duce, *τὸν* מחוקק autem, de cuſtode & gubernatore pacatæ Reip. interpretari. Supereſt, ut quid mihi hunc locum meditanti, in mentem venerit præfiſcini proponam, idque exequar, ſingulas prius voces ſeparatim examinando. Ante omnia vero, illud præmonuiſſe operæ pretium eſt, perperam iſtos hoc vaticinium tractare, qui initium impletionis ejuſdem ſtatim in id tempus quo editum eſt aut paulo poſt defigunt, & ſic per continuationem ſucceſſionis, ad Meſſiæ adventum uſque producunt. Præterquam enim, quod ſecundum Theologorum regulam, etiam prophetias quæ aliquid brevi & e veſtigio quaſi eventurum prænuntiant, tamen cum temporis aliqua mora, & tali, qualem res ipſa efflagitat, accipere oportet, ut idem tanto magis de hac noſtra pronuntiare conveniat: Tum vero inſuper ipſe entheus Vates noſter Jacobus, cum oracula ſua edere vellet, ſignanter ita filios ſuos alloqutus eſſe deprehenditur, האספו ואגידה לכם את אשר יקרא לכם באחרית הימים: Vulgatus tranſtulit: *Congregamini, ut annuntiem quæ ventura ſunt vobis, in diebus noviſſimis*. Non igitur in eo laborandum nobis, ut vaticinium hoc ad ætatem Jacobo proximam accommodemus, ad quam minime pertinet, cum res ipſa loquatur, proprie, conſtitutam & adultam inter Judæos Rempublicam id reſpicere, prout aliæ in eodem loco prophetiæ collimant ad conſtituendam. Quo velut fundamento jacto, nunc, ad ipſa verba Claſſici noſtri dicti progrediendo, non eſt quod circa vocem לא ſubſiſtamus, nam, eam *negandi particulam* eſſe, nemo ambigit. Verbum יסור futurum tempus eſt radicis סור quæ *diſcedere, recedere, ceſſare auferri*, hoc loco ſignificat, prout alibi in Scripturis paſſim. II. *Sam.* VII. 15. חסדי לא יסור ממנו: *Benignitas mea non auferetur, non recedet ab eo*. Job. XV. 30. לא יסור מני חשך יונקתו תיבש שלהבת ויסור ברוח פיו: *Non recedet a tenebris, tenerum ramum ejus areſaciet flamma: denique recedet ſpiritu oris illius*. שבט generatim, *Virgam* ſive *Baculum*, ſpeciatim, eam *virgam baculumque quo paſtores, cædentes, milites ordinum anteſignani* utuntur, & exinde per tranſnominationem, ipſos *Ordines Tribuſque* innuit: ſed, hoc loco, שבט מלכות ſive שבט מושלים aut שבט למשול quæ *Eſaiæ* XIV. 5. *Ezech.* XIX. 11. & 14. ac *Pſ.* XLV. 4. pleniores ſunt locutiones, hoc eſt, *virga imperantium, virga Regum*, ſive *Sceptrum*, & *μετωνομασμένως*, ſumma regia poteſtas, *ἀνυπεύθυνος ἀρχή*, & monarchicum imperium notantur. Aliter vocem interpretari non ſinunt nos ea, quæ proxime præcedunt, & cum quibus ſermo continuatur. Ecce enim præmittitur; יהודה אתה יודוך אחיך ידך בערף איביך יתחוו לך בני אביך גור אריה יהודה מטרף בני עלית כרע רבץ כאריה וכלביא מי יקימנו: Quod eſt ſecundum Veterem Interpretem: *Juda te laudabunt fratess tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?* Nihil intelligat oportet, qui non agnoſcit, iſtis verbis, dignitatem longe maximam, *τὰ κύρια τῆς πολιτείας*, ſupremum belli jus, & dominium non tantum in externos hoſtes, ſed & in fratres & tribules promitti; hoc eſt, promitti Regum futurum Judam jure optimo maximo. Sequitur eapropter deinde, de illius dignitatis duratione, & fatalis termini quo Judas poteſtate excidere debebat, fit indicium. Quamobrem, ut paucis me expediam, haud aliud hoc loco mihi ſignificat phraſis לא יסור שבט מיהודה quam id quod alibi eadem exprimit. Dixit enim, ſimili prorſus ratione Zacharias etiam, *cap.* X. 11. ושבט מצרים יסור *Et Sceptrum Ægypti amovebitur*: quibus polliceri *Deum*, ceſſaturum ſupremum illud dominium quod Ægyptii tum in exules & ſibi ſubjectos Judæos exercebant, nemo qui locum inſpexerit, ibit inficias. Quin, nec alio quam, quo nos accipimus ſenſu, vocem שבט in Jacobæo vaticinio Judæorum interpretata eſt antiquitas. Etenim, pro ea Onkelos habet שולטן *Dominum*, Jonathan מלכין ושליטין *Reges & Dominatores*, Hieroſolymitanus Paraphraſtes ſimpliciter מלכין ſive *Reges*, expoſuerunt. His accedit liber antiquiſſimus Rabbot, ubi *fol.* 113. *col.* 2. diſerte legas; לא יסוו שבט מיהודה זה כסא מלכות: i.e. *Verba*, Non recedet Sceptrum a Juda, *ſolium regium innuunt*. Omitto Recentiores,

res, quos inter, Obadias Sephorono Chaſkuni, Bechai, Iſaacus Abarbenel, R. Moſes Nachmanides, alii. Hoc ergo εὔδηλον, voce שבט *Regnum* ſignificari. De verbo מיהודה probatione non indiget, *Judæ poſteritatem* illo notari, nam id inter omnes conſtat: & quidem proprie attinet iſta appellatio, tum primum ad tribum Judæ, eoſque qui hanc ſectabantur, tum deinde ad illos, qui ex Babylonica captivitate in Palæſtinam facti ſunt reduces, quorum major pars, ex tribu Judæ genus ducebat, ut ideo omnes merito Judæi audiverint, duraturo in ævum nomine. Nunc vox מחוקק nobis trutinanda eſt, quam, radicem ejus, verbaque inde deflexa, tum & alia Scripturæ loca, Veterum denique interpretationes perpendendo, intrepide inſignem quidem Magiſtratum, ſed tamen ὑπεύθυνον, & ſuperiorem majeſtatem recognoſcentem exponimus, talem nimirum, quali priſci Rerumpub. Legumlatores, aut apud Athenienſes Ἄρχοντες functi ſunt, quas voces priſci interpretes in hac re quoque adhibuerunt. Nam leges condere, jura exercere, & quidem in integra gente, non niſi Magiſtratus, & poteſtatis ampliſſimæ proprium eſt, ea tamen, facultas neutiquam ſummi imperii ſignum habetur, quippe quam ſupremi Domini iis qui poſtquam devicti fuerant, poſtea precario regnare permittuntur, vel vices ſuas in adminiſtrandis provinciis gerentibus, ſolent concedere. Aliquibus ea poteſtas a libero populo tribuitur, retenta ſibi legum approbatione, ſuprema provocatione, aliiſque majeſtatis juribus. Eſt igitur מחוקק cum ſolitarie vox adhibetur *Legislator*, ἄρχων, *& Dux Reguluſque in Republica*, non tamen omnibus numeris abſolutus Princeps, & Sceptro utens, ſed qui ab alia poteſtate dependet, eamque vereri cogitur, quales Duces in omni memoria multi fuerunt, plurimi quoque in orbe ſuperant. Atque hunc quidem ſenſum plerunque gignit de hominibus & nude, ceu jam prædictum, uſurpata vox, nam ad Deum translata, æque ac aliæ omnes, a ſuis liberanda eſt impuritatibus. Quin imo & Regibus ſupremiſque dominis tributa appellatio, ampliorem habet ſignificatum, quatenus omnem Regem, Ducem & Legislatorem quidem dicere licet, cum tamen hi iſtius nomine non cenſeantur. De reliquo, ſignificare veriſimiliter verbum מחוקק proprio ſenſu, illud quod contendimus, conſentientes rurſus habemus Judæorum Magiſtros primarios. R. Salomo Jarchi, vel, uti Judæi communiter nuncupant, R. Salomo Iſacides in Comment. ad Sanhedrin

fol. 5. *a.* cum in locum de quo diſquirimus incidiſſet, ſic annotat: ושבט לשון שררה ויש להן רשות להפקיר דהפקר בית דין הפקר דכתיב וכל אשר לא יבא וגוי מחוקק שררה מועטת שרודים את העם שיש להם כח ורשות מאת מלכי פרס: i. e. *Vox* שבט *notat Principatum, atque ei Magiſtratui fas eſt bona ſubjectorum publicare, nam quod Magiſtratus in hac re ſtatuit, id ratum eſt: unde* (Eſræ x. 8.) *legitur*: Et quiſquis non venturus eſſet &c. *Vox* מחוקק *notat minorem Magiſtratum, qui autoritate & venia Regum Perſicorum populo* (Judaico) *præerat*. Non me nunc movet, quam bene aut ſecus R. Salomo has voces applicet, illud enim ſufficit, eo autore שבט *Magiſtratum ſummum*, מחוקק *inferiorem*, exponendum eſſe. Idem faciendum, ſi Kimchium ſequimur, cujus hæc ſunt in libro Radicum; מחוקק הוא מושל ונקרא כן כי הוא משים החוקים כארצו: i. e. *Verbum* מחוקק *Rectorem notat, qui ſic vocatur, quia in ditione ſua legum ferendarum jus habet*. Abarbenel Commentario in *Pentat. fol.* 121. *col.* 2. de verbo מחוקק inter cætera annotavit: אפשר לפרשו על המושל שהוא מחוקק ומסדר חקים נגיד ומצוה לאומים: *Poteſt exponi de Dominatore, qui leges condit & promulgat: item de Principe, qui gentibus impetrat*. Hæc autem, cum ita ſe habeant, conſequens eſt, ut *Conjunctionem Vau*, quæ verbo מחוקק præfigitur, diverſa disjungendi potius, quam eadem copulandi vim habere, ac pro *aut* adhibitam eſſe, fateamur: nec enim ſimul & eodem tempore Judæorum tota Reſpublica, vel nobilior ejus pars, Judaica ſcilicet tribus cum ſociis, & a Regibus, & a Ducibus gubernari poterat. Eſt igitur hoc loco, ejuſmodi locutio, qualis *Exod.* XXI. 15. מכה אביו ואמו מות יומת *Qui percutit patrem ſuum & matrem ſuam morte morietur*: ubi & pro *aut* poſitum eſſe, ipſe Spiritus Sanctus nos edocet, dum apud *Matth.* XV. 4. locus ſic exprimitur: Ὁ κακολογῶν πατέρα ἢ μητέρα, θανάτῳ τελευτάτω. Idem fecit quoque Divinus ille Magiſter circa locum 2. *Sam.* II. 19. cum enim ibi per conjunctivam particulam dicatur וירדף עשהאל אחרי אבנר ולא נטה ללכת על הימין ועל השמאל: *Et perſequebatur Haſael Abnerum, nec diclinabat eundo ad dextram & ad ſiniſtram*: mox commate 21. cum disjunctione ſermo concipitur: ויאמר לו אבנר נטה לך על ימינך או על שמאלך: *Et dixit Abner: declina tu, ad dextram tuam*, aut *ad ſiniſtram tuam*. Simile exemplum *Deut.* XVII. 9. & 12. commatibus occurrit. Idcirco, cum Salomo *Prov.* XXX. 8. dixit: ראש ועשר אל תתן לי: Recte vertit recentior Inter-

 pres:

pres: *Paupertatem*, aut *divitias ne des mibi;* & melius præ Antiquo, apud quem eſt; *Mendicitatem & divitias ne dederis mibi*. Plura ejuſmodi loca Glaſſius ὁ μακαρίτης in *Grammat. Sac. l.* 4. *tract.* 1. *Obſ.* 7. collegit, cujus verbis unum adhuc per appoſitum adſcribimus: *Eſ.* VII. 6. *Aſcendamus contra Judæam, ut fatigemus eam, & dividemus inter nos,* ונמליך *aut præficiamus Regem in ea filium Tabeelis:* q. d. *aut certe, ſi non poterit inter nos convenire de regno partiendo communi nomine præficiamus illi Regem*. Succedit in textu vox מבין quam, quia commodius Latine non licet, uti vulgo receptum eſt, *a*, *ex*, interpretamur, ſunt cæteroquin non contemnenda, quæ circa hoc vocabulum Bellici Ducis defenſor nobilis, obſervat. Jam offert ſe vexatiſſimum illud verbum רגליו quod non admodum torquebimus. *Pedes* enim nobis ſignificat, & per translationem, pleriſque gentibus familiarem, id quod eſt in re quaque ultimum, quod eſt rei finis, quod poſtremum poſt aliud conſequitur. Ariſtophanes in Pluto: Ἄκουε τοίνυν ὡς ἐγὼ τὰ πράγματα, ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλήν σοι πάντ' ἐρῶ. *Audi igitur, quomodo ego negotium, a pedibus uſque ad caput totum tibi enarro*. Apud Latinos Scriptores, *a capite uſque ad calcem*, *a ſummo capillo ad imum uſque calcaneum*, *calcem operis*, *extremum literarum calcem*, *ad calcem venire*, atque id genus alias loquendi formulas, paſſim legimus. Sed, magis eſt, ut has Scripturæ notemus; uti cum *Ex.* XI. 8. de Moſe adhibetur phraſis: צא אתה וכל העם אשר ברגליך *Exi tu, & omnis populus, qui eſt in pedibus tuis*. Item cum 2. *Reg.* III. 9. dicitur: וילך מלך ישראל ומלך יהודה ומלך אדום ויסבו דרך שבעת ימים ולא היה מים למחנה ולבהמה אשר ברגליהם: *Profecto itaque Rege Iſraelis cum Rege Jebudæ & Rege Edomæorum circumiverunt itinere ſeptidui: deinde non erat aqua pro agmine, & pro jumentis quæ erant in pedibus eorum*. Ergo hi, qui Duces ſuos ſequuntur, qui noviſſimi incedunt, qui agmen claudunt, qui pediſſequi ſunt, eos Scriptura ait *in pedibus*, aut, *inter pedes eſſe*. Inſuper, illud quoque ſedulo obſervandum, ſtatum futurum Reipublicæ Judaicæ, in vaticinio Jacobi quaſi perſonam quandam induere, quæ manu Sceptrum geſtat, quæ pedibus conſiſtit, & juxta eos Duces & ἄρχοντας habet. Ergo, ut *Pedes* non minus hic, quam in illa Nabuchdonoſoris apud Danielem *cap.* II. celebri ſtatua, de ultimis & poſtremis temporibus, rei ad quam inſtitutum pertinet, accipiamus, aut valde fallor, aut omnis cogit ratio: ut proinde *a pedibus*, aut *ex pedibus* Judæ, ii auferendi dicantur, quibus ſeri illius nepotes cárituri erant, quos ultima Reipublicæ ætas amiſſos luxit deſideravitque. Quod in prophetia Jacobi ſupereſt, levi negotio expediemus, עד כי יבא *donec veniat* quidam explicant, alii, *donec venerit*, levi diſcrimine, malim tamen amplecti poſteriorem expoſitionem, quæ eventibus rerum magis reſpondet. Per שילה *Meſſiam* intelligi, dudum ab aliis eſt probatum, allatis ad rem confirmandam, trium *Targumim*, *Talmudis in Sanhedrin cap.* XI. nec non ספר *Baal Hatturim*, *Raſchi*, *Kimchi*, *R. Moſis Gerundenſis*, *R. Joelis ben Sueb*, *Iſaaci Abarbenelis & Bechai* teſtimoniis, quæ, ne actum agamus, iterare ſuperſedemus. Quin, nec ea producimus, quæ poſt alios, in *Talmude*, *Sohar*, & *Rabbot*, nobis ſunt obſervata, ipſe enim Lipmannus hoſtis noſter, nihil refragatur, & manus victas dedit veritati. Suprema ſacri commatis verba ſunt: ולו יקהת עמים quæ, varii varie exponunt: Καὶ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν habent LXX. quos ſequutus vetus Latinus Interpres, tranſtulit: *Et ipſe erit expectatio gentium*. Propius ad verum eos accedere exiſtimaverim, qui Onkeloſi & Hieroſolymitani Paraphraſtarum veſtigia legentes, vertunt: *Et ei erit obedientia populorum:* ut ſenſus ſit: Ejus doctrinam populi recipient & amplectentur, illius præceptis & mandatis morem gerent ac obtemperabunt. Namque vocem יקהת etiam *Prov.* XXX. 17. quo ſolo loco in Scripturis repetitur, *obedientiam* ſignificare, fit veriſimile. Atque hæc Kimchii quoque in libro Radicum eſt expoſitio, ubi ſcripſit: ולו ופיר'וש יקהת עמים אליו ישמעו העמים לקבל עליהם מה שיצום: i. e. *Senſus verborum* ולו יקהת עמים *is erit: Populi ei obtemperabunt, ut in ſe recipiant, quæ ipſe eis eſt imperaturus*. Neque vero recedunt ſummopere ab hac interpretatione ii, quibus R. Salomonem autorem ſequi, ac, *& ei erit aggregatio populorum*, reddere placet, prout Pagninus, Munſterus, Tigurini & Vatablus expreſſerunt, res enim tandem eodem recidit. Atque ſic omnibus in ſacro noſtro vaticinio minutatim diſcuſſis, totam nunc rationem colligendo, ſequens ſenſus, ſi paulo verboſius παραφράζειν velimus, ſeſe exinde nobis aperit. *Ea, quam prædixi Judæ poſteris obventuram, regia poteſtas & αὐτοκρατορία, non auferetur ab iis, aut ſane, attritis jam ab exterorum potentia eorundem rebus & inclinante ſe pedetentim ad interitum Republica, ſaltem non deſtituentur Ducibus & Rectoribus ſuis, ad adven-*

ventum uſque Meſſiæ. Iſte vero poſtquam advenit, tum ceſſabit denique illud diſcrimen, quod inter Judæos, cæteraſque gentes hactenus in orbe fuerat, atque tam hæ, quam illi, Meſſiam conſectabantur, ejus monitis obſequium præſtabunt, fietque ex Judæis & gentibus, unius paſtoris, unus grex, unum ovile. Proinde carebit poſtea Judæ poſteritas, non Regibus tantum, ſed & Ducibus propriis, totaque Judaica Reſpublica omnem formam amittet, ad nullam unquam amplius reducenda. Videlicet, graphice, viviſque coloribus, quaſi in tabella, depingit nobis Jacobus, univerſam Judaicæ Reipublicæ, quatenus ex Judæ maxime poſteris conſtabat, & ex quo ſemel poſt Judices, nova forma fundata fuerat, ad ejus uſque interitum, faciem. Nimirum, cœptum ſemel in tribu Judæ a Davide Regum, ſecundum Joſephi *lib.* II. *Antiq. cap.* 4. calculum, per quinque ſecula integra, non interrupto ordine continuandum in hac ſtirpe erat, ad Zedekiam uſque, qui fatalis ultimuſque terminus huic ſupremæ poteſtati ac dominatui ſtatutus fuerat, ipſius *Dei* apud *Jerem.* XXII. 30. graviſſima prædictione, quam ad Regem illum perferri juſſit. כה אמר יי' כתבו את האיש הזה ערירי נכר לא יצלח בימיו כי לא מזרעו איש יושב על כסא דוד ומושל עור כיהודה: *Sic ait Dominus, ſcribite virum iſtum liberis carentem fore, virum non proſperaturum unquam: nam non proſperabitur de ſemine ejus quiſquam ſeſſurus in ſolio Davidis, & dominaturus amplius in Judam.* Sequuta deinde eſt anno decimo nono Zedekiæ, Hieroſolymitanæ urbis expugnatio, & deportatio Judæorum in Babyloniam. Ex ea cum poſt LXX. annorum exilium, in avitas ſedes Judæi reverſi eſſent, propriis quidem legibus inſtitutiſque vivere permiſſi ſunt, ſed regiam & abſolutam imperandi formam nunquam revocare licuit, nempe, quia ſui juris nunquam amplius erant, nec plena libertate utebantur. Etenim, primum Perſarum Monarchis parebant, ad quos ſummum imperium a Babyloniorum & Aſſyriorum Rege ultimo Belſazare, cum Darius Medus, ope Cyri Perſarum Regis, generi ſui, illum viciſſet, transferat. Poſtea, quia Alexander Macedo, Dario Codomanno, & Perſarum ſimul imperio deleto, omnem hujus gloriam ad Græcos tranſtulerat, ei obſequium Judæi præſtare coacti ſunt. Exinde, Aſiæ minoris, & Ægypti Regibus fuere ſubditi; donec a Romanis initio illis ſervitus impoſita eſt, deinde vero Reipublicæ, ſacris, gentique propemodum univerſæ, excidium illatum. Res omnis certa eſt, nec eget teſtimoniis: de Romanorum tamen in Judæos dominio, notanda Abrahami Sacuti confeſſio, ex Juchaſin *pag.* 15. *a.* ומאז התחילו הרומיים לכבוש ישראל שיהיו תחת ידם כי יהודה התחיל אהבה עמהם ולגרלם כי הם החיה הרביעית שראה דניאל תקיפה ובעדור שהשמיד יהודה ליונים עשו ברית ועמדו בו כו שנים ואחר זה חפק שנים קודם חרבן הבית בדאיתא בעבודה זרה ובפרק קמא דשבת ובטלו בברית ומשם ואילך היו משועבדים לרומיים ואז התחיל גלות ארום: Id eſt: *Dehinc,* (loquitur de Jonatharis & Simeonis Chaſmonæorum ætate) *cœperunt Romani debellare Judæos, eoſque ſuæ poteſtati ſubjicere. Et vro, Judas* (Maccabæus) *amicitiam cum iis contraxerat, iiſque ad res augendas fuerat præſidio. ipſi enim ſunt quarta illa & robuſta beſtia, quam conſpicatus eſt Daniel. Atque quia Judas Græcos ſuperaverat, fœdus cum ipſo pepigerunt, illoque fœdere ſteterant annis* XXVI. *At poſtea, anno ante deſolatum templum noſtrum centeſimo octogeſimo, ceu in Avoda Sara, & in cap.* I. *Maſſichtæ Schabbat ſcriptum eſt, rupere fœdus, atque ab hoc deinde tempore,* (Judæi) *Romanis ſervitutem ſervierunt, eſtque hoc initium captivitatis Edomitieæ.* Sic peregrinorum Regum jugo preſſi Judæi, habebant tamen in omni illo temporis, quod inter reverſionem ex captivitate, & natum Servatorem interceſſit, intervallo, Duces ſuos, ſemperque unus aliquis in illa Republica eminebat, qui ad clavum ejus ſedens, poteſtatem adminiſtravit. Primus horum fuit *Zorobabel* Salathielis filius, פחת יהודה *Princeps Judæ* Haggæo I. 1. dictus; quo Duce, Cyri Regis indultu, Judæi ex Babylonia in patriam profectionem adornarunt, & templum ac Hieroſolymas cœperunt reſtituere. Sequuti ſunt *Eſdras*, & *Nehemias*, & fortaſſe ante hos alii, ceu Scaligero non immeriro viſum eſt, ob iſta Nehemiæ v. 15. והפחות הראשונים אשר לפני הכבידו על נעם ויקחו מהם בלחם ויין אחד כסף שקלים ארבעים גם בעריהם שלטו על העם: *Nam Principes priores qui anteceſſerant me, prægravabant populum, accipientes ab eis de pane & vino, præter argenti ſiclos quadragenos, etiam pueri eorum dominabantur in populo.* Et vero, ſi fides habenda Judæorum Annalibus, quos Autor libri Olam Suta compilavt, reverſus ex Judæa in Babyloniam Zorobabel, ibi fato functus eſt, ſuccedente in principatu apud Judæos *Meſullam* filio, & poſt hunc *Chananja* nepote, quæ nos, uti parum comperta, in medio relinquimus. Mortuo Nehemia, ad Pontifices rerum ſumma pervenit, ceu ex hiſtoria apud Joſephum *lib.* II. *Antiq. cap.* 8. de *Jaddo* Pontifi-

ce,

ce, qui Alexandro M. obviam processit, apparet. Hæc potestas, in illo ordine, per *Chasmonæos*, uti Judæi vocant, (nostri enim Maccabæos appellare solent,) est confirmata. Cœpit ea in *Mathatia*, cujus fortitudo bellica, & zelus in restaurando cultu divino I. *Maccch.* 2. & apud Josephum *l.* 2. *cap.* 9. prædicantur. Is, ante obitum, filium *Judam* successorem constituit, qui, ut ii, quos modo allegavimus, Scriptores, narrant prolixius, fœdus cum Romanis pepigit, multaque prælia cum Syriæ Regibus feliciter commisit, ad postremum vero a Bacchide, Demetrii Syriæ Regis Duce, victus & vita exutus est. Judam, *Jonathas* frater excepit, quem fœdus cum Romanis, imo & Lacedæmoniis redintegrassp, ex *Mac.* XII. constat. Huic, tertius fratrum *Simeon* surrogabatur, cujus auspiciis recepta arx Hierosolymitana est, Syrorum inde præsidio ejecto. Atque in hoc Simeone, Principatui quo priores functi erant, multum splendoris, autoritatisque accessit, solemni Judæorum Plebiscito, quod, quia tabulis æreis incisum, in loco publico Hierosolymis fuit propositum, dignum quoque est, ut hic ex I. *Macc.* XIV. legatur: *Judæi & Sacerdotes eorum, consenserunt Simonem esse Ducem suum, & summum Sacerdotem in æternum, donec surgat Propheta fidelis: & ut sit super eos Dux, & ut cura esset illi pro sanctis, & ut constitueret præpositos super opera eorum, & super regionem, & super arma, & super præsidia: & cura sit illi de sanctis: & ut audiatur ab omnibus, & scribantur in nomine ejus conscriptiones in regione, & ut operiatur purpura, & auro; & ne liceat ulli ex populo, & ex Sacerdotibus, irritum facere aliquid horum, & contradicere his quæ ab eo dicuntur, aut convocare conventum in regione sine ipso, & vestiri purpura, & uti fibula aurea: Qui autem fecerit extra hæc, aut irritum fecerit aliquid horum, reus erit.* Atpue hinc nepos Simeoni *Aristobulus*, ad quem intercedente *Hircano* filio transmissa est ab avo dignitas, occasionem sumsisse videtur, pro Rege se gerendi, idque nomen simul cum ornatu regio affectandi, etsi Regis potius imaginem referebat, quam ut examussim verus, & quales priores erant, Rex dici queat. Interim posteri quoque Aristobuli, regium nomen, ad *Herodem* usque retinuerunt, a quo potestas Chasmonæis est erepta, & genus extinctum, ipso sese in eorundem locum ingerente. Herode morte sublato, regnum ejus in Tetrarchias ab Augusto Cæsare scissum est, *Archelao* Judææ Tetrarcha constituto, reliqua regione inter *Philippum* & *Antipam* divisa Archelaus cum impotenter dominaretur, inde extrusus, Viennamque Galliæ urbem relegatus est. Atque hac tempestate, Judæa in provinciæ formam redacta, Syriæ accedens, a Cæsaribus Procuratores accepit, per quos deinde regebatur, nullusque unquam postea Judææ neque Rex fuit, neque Ethnarcha, Philippus tamen & Antipas suæ quisque Tetrarchiæ res adhuc curabant. Hoc igitur tempore Judæi post Sceptrum pridem dem ablatum, nuuc Duces quoque & Regulos suos cœperunt amittere, omnique jure administrandæ Reipubl. quod utcunque hactenus servaverant, paulatim exciderunt. Ea tempestate vero jam in orbem venerat sacrosanctus divinusque Siloh, novi, cœlestisque Regni futurus conditor. Itaque nihil restabat, quam ut paulo post, supremus prædictis rerum eventibus cumulus accederet, quod tum factum est, quando post Messiam cruci affixum, urbe Hierosolyma capta, & cum templo funditus eversa, omnino omnis simul est deleta totius Judaicæ Reip. forma ac species, non profana minus quam sacra. Sic postea, quod futurum Hoseas III. 4. prædixerat, *sederunt filii Israelis.* אין מלך ואין שר *nec Rege, nec Principe* porro gaudentes, qui locus, nescio quomodo nostræ, quam dedimus Jacobæi oraculi expositioni favere parumper videtur, & hoc nunciasse, nunquam amplius, non Reges tantum ullos apud Judæos, sed ne Duces quidem regnaturos: hoc est, neutram illarum Reipublicæ formarum revocatum iri, quæ pridem obtinuerant, & quę, arcano cœlestis Providentię decreto, per Jacobum manifestato, se invicem consequi debebant.

Atque ista, quę hucusque disseruimus, simul multum quoque faciunt, ad abstergendas dissipandasque futiles nimium ineptias Lipmanni, quibus fucum nobis facere, & glaucoma ob oculos objicere, ne Jacobęi hujus vaticinii verum sensum pervideamus, annititur. Cessavit sane Regnum domus Davidicæ, cum Nebucadnezar Judaicam gentem patria mulctatam, in Babyloniam deportasset, nec unquam postea Sceptrum & vera regia potestas, etiam post solutam captivitatem, & postliminii quodam jure, in pristinas sedes reversionem ei fuit reddita. Nihilo minus, finito exilio, restaurata est Reipublicæ forma, semperque unus aliquis ad clavum ejus sedens, eximia potestate functus esse deprehenditur. Ablato igitur Sceptro, saltem מחקקים sive *Duces*, Judæis relicti sunt, atque sua sic per omnia constat veritas Jacobææ prædi-

dictioni, haud enim alios rerum eventus ipse prænunciaverat, ceu nobis est demonstratum. Postquam vero Duces quoque inter Judæos esse desierunt, tum, ut adventaret Siloh æquum erat, atque id quoque hercle factum est, ad fuit in tempore. Manent igitur, manebuntque, nequicquam frementibus inferorum portis, sua connexio, vis & robur, argumentum nostrum, quando legitime & ex necessitate sic inferimus: *Quem venire necesse fuit, antequam Regia, aut saltem, quæ in locum ejus succedere debebat, Ducalis dignitas, apud Judæos interiret, illum venisse comprobat Regiæ non minus, quam Ducalis pariter potestatis, a tot jam seculis cessatio. Atqui venire debuit Silo sive Messias, antequam Regia vel Ducalis dignitas apud Judæos interiret: Venit igitur, quando a longo seculorum decursu, illæ dignitates inter Judæos cessasse deprehenduntur. Næ! venit Dominus Jesus noster! Sit nomen ejus benedictum in secula!* Est hoc argumentum, si quod aliud, utile & efficax, ad Judæos impugnandos, neque ejus autoritatem elevat, quod Christus & Apostoli, eodem minime usi esse leguntur. Nam, non superstite tantum Servatore, sed & post ejus in cœlos ascensum, eludere poterant Judæi vim ratiocinii, causando, etiamsi Ducibus careant, salvam tamen adhuc esse Reipubl. formam, salvum esse templum, vivere se suis legibus, posse fieri, ut Romanorum dominatione excussa, tempora in priscum aurum redeant, & avita αὐτοκρατορία recuperetur: nondum igitur in eo statu rem esse, ut Messiam venisse necesse sit. Et vero, Casauboni, *Exerc.* 16. *adv. Baron. n.* 70. aliorumque dissentientium existimatione salva, sic mihi videtur, diutine gavisos fuisse Judæos, etiam sub ipsis Romanis Procuratoribus, non tantum immunitate sacrorum, sed & politica aliqua potestate, quæ adeo ad jus vitæ & necis se extendebat, fere quoad templum superfuit incolume. Equidem agnosco, ipsos, cum de Servatore occidendo ageretur, professos esse apud Johannem XVIII. 31. Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα. *Nobis non licet interficere quenquam.* Enim vero, expendendum quoque est, quod ibidem præcedit, nimirum, potestatem facere Pilatum Procuratorem Judæis, ut de eo secundum patrias leges supplicium sumant, dixisseque illum Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτόν. *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum.* Et iterum, *cap.* XIX. 6. verbis enunciasse fertur. Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ σταυρώσατε *Accipite eum vos, & crucifigite.* Nunquid autem verisimile est, voluisse Pilatum derogare hactenus supremæ jurisdictioni Romanorum Imperatorum, eumque, si omnino a Cæsaribus facultas capitaliter animadvertendi in sontes Judæis ademta erat, hanc illis exercendæ gratiam suo ausu indulgere sustinuisse? Imo vero nec poterat per leges & instituta Romanorum id facere, si maxime voluisset. Præsides enim Provinciarum, *habebant quidem jus gladii, & in metallum dandi potestas eis permissa erat. l.* 6. §. 8. D. de Offic. Præs. sed hanc potestatem, quæ aliis vocibus in jure Quiritium, & nominatim *l.* 3. *D.* de *jurisd. Merum Imperium* appellatur, mandari non potuisse, certum est, & nota in hanc rem *lib.* 1. §. 1. D. de offic. ejus cui mand. *Qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet: sed & ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur. Verius est enim, more majorum jurisdictionem quidem transferri: sed merum Imperium, quod Lege datur, non posse transire.* Utique, si his advorsum facinus Pilatus cœptasset, merito ei objectum fuisset, οὐκ εἶ φίλος τοῦ Καίσαρος. *Non es Cæsaris amicus*: quæ, Judæorum apud Johannem XIX. 12. vel, τοῦτο ὕβριν Καίσαρι φέρειν, *hoc cum Cæsaris injuria conjunctum esse*, quæ, ipsius Pilati apud Josephum *lib.* 8. *Antiq. cap.* 4. phrasis est, cujus rei suspicionem tantopere a se amotam volebat. Porro, ecquis ignorat, ex Actorum VII. etiam post Christi in cœlos ascensionem, criminalem jurisdictionem, & merum imperium vere Judæos exercuisse, ferendo adversus Stephanum capitalem lapidationis sententiam? Minime enim eorum placet opinio, qui illud factum ad zeli judicium referunt, quomodo præter alios, Hugo etiam Grotius, gravissimus cæteroquin Vir, *lib.* 4. de *Jure Belli & Pac. cap.* 20. §. 9. animatus fuisse deprehenditur. Nam, si verum est, quod ait illo loco Grotius: *Hebræorum moribus, Hebræus a Deo & Dei lege deficiens, aut Ducem se ad falsos cultus præbens, illico a quovis homine poterat interfici. Judicium zeli id vocant Hebræi, quod a Phinea primo exercitum ajunt, & inde abiisse in morem.* Si, inquam, hæc ita se habent, ecquomodo ad hoc judicium ulla ratione quadrat Stephani historia, in qua nos legimus Stephanum ab accusatoribus coram Synedrii Judices fuisse deductum; ibi blasphemiæ criminis cum reus factus esset, dixisse testimonium testes etsi falsos, Stephanum contra insigni oratione se suamque innocentiam defendisse: Cum vero nihil promoveret, capitis damnatum, ejectum fuisse ex civitate, atque pœna blasphemis debita, lapidatione nimirum, & qui-

quidem more majorum affectum eſſe, ita, ut ſecundum Dei *Deut.* XVII. 7. præceptum, primi in eum ſaxa teſtes jecerint, quippe de quibus ſcriptum extat: Ἀπέθεντο τὰ ἱμάτια αὐτῶν παρὰ τοὺς πόδας νεανίου καλουμένου Σαύλου. *Depoſuerunt veſtimenta ſua, ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus*: ut ideo *Actor.* XXII. 20. ipſe Paulus *Deo* fateatur: Ὅτε ἐξεχεῖτο τὸ αἷμα Στεφάνου τοῦ μάρτυρός σου, καὶ αὐτὸς ἤμην ἐφεστὼς, καὶ συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ, καὶ φυλάσσων τὰ ἱμάτια τῶν ἀναιρούντων αὐτόν. *Cum funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego adſtabam, & conſentiebam, & cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum*. Quæ omnes circumſtantiæ, ipſo ſole, cum ſudum eſt, clarius oſtendunt, legitimum judicii criminalis proceſſum obſervatum eſſe, nihilque minus, quam zeli judicium obtinuiſſe. Scilicet, in zeli judicio, nec judex, nec accuſator, nec teſtis, nec ſententiæ pronunciatio, nec denique ſupplicii forma conſueta locum habebant, ſed, uti recte obſervavit Seldenus, *l.* 4. de *Jur. Nat.* & *Gent.* juxta *diſc. Hebr. cap.* 4. ex zeli judicio *ſupplicium capitale* בשעת מעשה id eſt, in ipſo dum committebatur facinus duntaxat momento, *ſeu homini*, ἐπαυτοφώρῳ deprehenſio, *a zelotis, id eſt, privato zelo ductis, infligi permittebatur. Nempe homines pii, qui zelo Numinis accenderentur, jus ejuſmodi habebant, ut ſi viderent* בפרהסיא palam *ſeu* in publico, *id eſt, ut recepta fertur ſententia, præſentibus coram decem minimum Iſraelitis, quempiam Hebræum, aut circumciſum alium, ſeu in Judaiſmum cooptatum, adverſus ſanctitatem ſive Numinis, ſive Templi, ſive Gentis, aliquid commiſſurum, ipſo eodem momento fas eis eſſet incurrendo ſeu aggrediendo eum, aut verbere aut vulnere præpedire ac cohibere, aut etiam cæde perſeverantem e medio tollere. Nam, ſi intermitteret, occidendus non erat ſine judicio forenſi*. Convenit cum his apprime, Phineæ *num.* XXV. factum, dum Simri filium Salu, Ducem Simeoniticæ tribus, & Cozbi, paganam mulierem, filiam Zur Principis Midianitarum, in ſtupro palam deprehenſos, eveſtigio, ſolo zelo ductus, haſta confodit, idque zeli judicio originem dedit formamque. Sed, operæ pretium eſt, ipſos Judæorum Magiſtros de hac re audiamus, quorum verba, & Grotius, & Seldenus, afferre ſuperſederunt. Maimonides, Hilchot Iſſure Bia *cap.* 12. כל הבועל כותית בין דרך חתנות בין דרך זנות אם בעלה בפרהסיא והוא שיבעול לעיני עשרה מישראל או יתר אם פגעו בו קנאין והרגוהו הרי אלו משובחין וזריזין ודבר זה הלכה למשה מסיני הוא ראיה לדבר זה מעשה פנחס בזמרי ואין הקנאי רשאי לפגוע בהן אלא בשעת מעשה כזמרי שנאמר ואת האשה אל קבתה אבל אם פירש אין הורגין אותו ואם הרגו נהרג עליו ואם בא הקנאי ליטול רשות מבית דין להרגו אין מורין אף על פי שהוא בשעת מעשה ולא עוד אלא אם בא הקנאי להרוג את הבועל ונשמט הבועל והרג הקנאי כדי להציל עצמו מידו אין הבועל נהרג עליו: Id eſt: *Quiſquis paganam mulierem init, ſive id fiat ob ſponſalia quæ præceſſerunt, aut ſolius libidinis explendæ cauſa, ſi iſtud propalam faciat, hoc eſt, decem vel pluribus Judæis ſcelus inſpectantibus, tum, ſi zelotæ hominem adoriantur, & impigre trucident, laudantur. Eſt hoc inſtitutum, traditio Moſis, inde a monte Sinai ad nos derivata, ejuſque argumentum habetur cædes, quam Phineas circa Simri peregit. Veruntamen, haud aliter licet zelotæ impetum in concubitores facere, quam ſi ipſi venereo operi ſint intenti, prout de Simri res ſe habet, unde Scriptura* (num. XXV. 8.) *ait*: Et mulierem, in locis genitalibus. *Quod ſi ab opere ceſſent, tum porro trucidare nefas eſt, ſecus enim qui facit, ipſe poſtea capitis ſupplicium ſubire cogitur. Quod ſi magiſtratum adeat zelotes, veniam occidendi concubitores petiturus, non eam indulgent, etiamſi maxime inceſſus rei genialem rem adhuc peragant. Quin imo, non hæc tantum venia non conceditur, ſed & , ſi dum zelotes concubitorem occidere molitur, ipſe ſurgens zeloten interimat, ut vitam ſuam adverſus aggreſſorem tueatur, non id ei capital fuerit*. Et re, & verbis propemodum, conveniunt, quæ habet Codex noſter MS. ineditus Ex Hechajim Hilchot Nidda *cap.* 10. אם בא ישראל על הגויה בפני עשרה מישראל או יותר משהיה (fortaſſe legendum אם הה) קנאי לשם יהרגנו כמו שעשה פנחס לזמרי ואין רשאי להורגו רק בשעת מעשה כמו שני אל קבתה אבל אם פירש אם הרגו נהרג חקנאי עליו ואפילו בשעת המעשה אם בא לשאול הוראה מבית דין לא יורו לו להרגו וגם אם עמד הבועל להציל נפשו והרג הקנאי פטור והבועל בת גר תושב הקנאי לה יהרגנו: *Si quis Judæus, cum pagana muliere, in decem, aut plurium Judæorum præſentia, rem habeat, tum ſi adſit zelotes, trucidato illum, & imitator factum Pinchaſi cum Simri. Sed, nefas eſt aliter occidere, quam* ἐπαυτοφώρῳ μοιχευόμενον, *unde dicitur* (num. XXV. 8.) In genitalibus. *Quod ſi enim a ſcelere ceſſantem interficiat zelotes, viciſſim capitali ſupplicio afficiendus fuerit. Quin & , ſi facinus patrante homine, zelotes Magiſtratum adeat, ejuſque ſententiam perquirat, nequaquam is ei autor eſt occidere. Adde, quod ſi concubitor conſurgat, & vitæ de-*

fen-

fendendæ causa zeloten perimat, immunis ipse sit, & , quod cum filia proselyti domicilii concumbentem , zelotes vita privare non debeat . Paria leguntur apud Mosen Kozensem Præcept. Negat. CXII. estque illorum fundamentum in *Sanhedrin cap.* IX. sive *fol.* 82. *a.* & exinde apud Coccejum in Excerptis *pag.* 293. unde locum transcribimus : אמר רבה בר בר חנה א״ר יוחנן הבא ליטלך אין מורין לו ולא עוד אלא שאם פירש זמרי והרגו לפנחם (פנחסין legendum) נהרג עליו נהפך זמרי הרגו לפנחס אין נהרג עליו הוא רודף הוא (שרר legendum) : Laudatus Coccejus vertit : *Rabbabar Channa* (mallem, *Rabba nepos Channæ*) *refert dixisse R. Johannem. Si petat (zelotes) consilium, non datur: imo etiam si Zimri a scorto se abduxisset, capite plectendus fuerit. Atque adeo si conversus Zimri Pinchasum vita privasset, capitis pœnam luendam non habuisset* . Nihil igitur in universum est manifestius, quam, Stephani cædem nullo prorsus modo ex zeli judicio profectam esse, tantumque discrimen inter hæc intercedere , quam quod maximum. Ut vero cum hactenus traditis, Judæorum illud: Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα, conciliemus, existimaverim, id hac ratione commode fieri posse, si dicamus, Romanos Cæsares, cum, (quæ Josephi 2. contra Apionem verba sunt , & vulgo tantum Latine in nostris Codicibus extant) *pro magnanimitate & modestia sua, qua non cogebant subjectos patria jura transcendere* , Judæis, quod apud Josephum *lib.* 4. *Antiq. cap.* 17. est vetus privilegium , τοῖς πατρίοις ἔθεσι καὶ ἱεροῖς χρῆσαι *patriis moribus & sacris uti* , salvum & incolume conservarent, simul id quoque potestatis , primario eorundem Magistratui gentili , sive Synedrio reliquisse, ut , si quis popularium, sacra temeraret, Deumque patrium violare , & ejus religionem profanare , impio ausu præsumeret, in hunc non tantum carcere, flagis, aliisque minoribus pœnis, sed &, si facinoris id postularet enormitas , supremo supplicio animadvertere posset . Estque observatu dignum, quod Josephus *lib.* 18. *cap.* 4. retulit, eos, qui Pilatum præcesserant Præsides, tantum Judæis tribuisse, ut in illorum gratiam, a militaribus cum effigie Cæsarum signis, abstinuerint, quod, magno argumento est , sedulo ipsos cavisse, ne Judæorum sacris ulla ratione obesse, aut offensionem præbere viderentur . Atque ipse adeo Pilatus, qui noctu illatas effigies Hierosolymis statuerat, cum Judæos potius extrema quæque pati, quam illas tolerare velle animadverteret , θαυμάσας τὸ ὀχυρὸν αὐτῶν ἐπὶ φυλακῇ τῶν νόμων, παραχρῆμα τὰς εἰκόνας ἐκ τῶν Ἱεροσολύμων ἐπανεκόμισεν εἰς Καισάρειαν . *Admirans tam constans legum studium, continuo reportavit eas imagines Cæsaream a Hierosolymis*. Quin, nec fieri adeo commode poterat, ut Præsides Romani, de sacris Judæorum contaminatis, cognitionem instituerent, quippe qui cæremoniarum divinarum apud ipsos , jurisque Ecclesiastici, penitus erant ignari, imo omnem Numinis in illa gente colendi rationem, ridiculosissimam & ineptissimam reputabant. Facit huc apprime, illud Portii Festi Præsidis, ad Agrippam Regem , & Bernicen, *Actor.* XXV. 19. 20. de Judæorum & Pauli coram se disceptatis libus. Ζητήματα δέ τινα περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας εἶχον πρὸς αὐτὸν, καὶ περί τινος Ἰησοῦ τεθνηκότος, ὃν ἔφασκεν ὁ Παῦλος ζῆν. Ἀπορούμενος δὲ ἐγὼ εἰς τὴν περὶ τούτου ζήτησιν, ἔλεγον εἰ βούλοιτο πορεύεσθαι εἰς Ἱερουσαλὴμ κἀκεῖ κρίνεσθαι περὶ τούτων. *Quæstiones vero quasdam , de sua superstitione habebant adversus eum , & de quodam Jesu defuncto , quem affirmabat Paulus vivere . Hæsitans autem ego de hujusmodi quæstione , dicebam, si vellet ire Hierosolymam, & ibi judicari de istis* . Quamobrem , salva adhuc utcunque Judæorum Republica, & cum nondum summa imis permiscuisset temporum fatalitas, sacras caussas ad Synedrii tribunal pertinuisse affirmandum est , atque licuisse huic , sontes , tum leviori castigatione , tum pœnis capitalibus coercere. De priore dubitare nos non sinit , illud Pauli, de suo adversus Christi sectatores (quos pro veteris Judaicæ Religionis profanatoribus habebat,) odio extremo , & ausibus, in allocutione publica civium Hierosolymitanorum , quæ *Actor.* XXII. refertur : Ταύτην τὴν ὁδὸν ἐδίωξα ἄχρι θανάτου, δεσμεύων καὶ παραδιδοὺς εἰς φυλακὰς ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας , ὡς καὶ ἀρχιερεὺς μαρτυρεῖ μοι , καὶ πᾶν τὸ πρεσβυτέριον· παρ' ὧν καὶ ἐπιστολὰς δεξάμενος πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς, εἰς Δαμασκὸν ἐπορευόμην, ἄξων καὶ τοὺς ἐκεῖσε ὄντας , δεδεμένους εἰς Ἱερουσαλὴμ , ἵνα τιμωρηθῶσιν· *Hanc viam persecutus sum , usque ad mortem , alligans & tradens in custodias, viros ac mulieres, sicut princeps Sacerdotum mihi testimonium reddit , & omnes majores natu , a quibus & epistolas accipiens , ad fratres Damascum pergebam , ut adducerem inde vinctos in Jerusalem ut punirentur* . Jungendus his locus *Act.* IX. 2. & adeo ipsum Servatoris *Matth.* X. 17. huc pertinet dictum : Παραδώσουσι ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς . *Tradent vos Synedriis , & in Synagogis suis flagellabunt vos* . Nec desunt exempla , quippe Synedrii jussu ,

Petrus aliique Apoſtoli vapularunt, ſimulque denuntiatum iis fuit, ne omnino loquerentur in nomine Jeſu, *Actor.* V. 40. & Paulus 2. *Corinth.* XI. 14. a Judæis, quinquies, quadragenas plagas, una minus ſe accepiſſe gloriatur. Enim vero, ultimo inſuper ſupplicio Synedrium eos quos religionis avitæ violatores credebat affeciſſe, non ſolum quæ de Stephani lapidatione jamdum adducta nobis ſunt, perſpicue comprobant, ſed etiam idem adhuc amplius confirmat, Tertulli, Judaici Oratoris, nomine Ananiæ Pontificis, & Seniorum, apud Felicem Præſidem, adverſus Paulum inſtituta accuſatio, *Actor.* XXIV. memoriæ prodita. Εὑρόντες γὰρ τοῦτον τὸν ἄνδρα λοιμὸν, καὶ κινοῦντα στάσιν πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην τε τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως. Ὃς καὶ τὸ ἱερὸν ἐπείρασε βεβηλῶσαι, ὃ καὶ ἐκρατήσαμεν, καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον νόμον ἠθελήσαμεν κρίνειν. Παρελθὼν δὲ Λυσίας ὁ χιλίαρχος, μετὰ πολλῆς βίας ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν ἀπήγαγε, κελεύσας τοὺς κατηγόρους αὐτοῦ ἔρχεσθαι ἐπὶ σε. *Invenimus hunc hominem peſtiferum, & concitantem ſeditiones omnibus Judæis in univerſo orbe, & autorem ſeditionis ſectæ Nazarenorum: qui etiam templum violare conatus eſt, quem & apprehenſum,* voluimus ſecundum legem noſtram judicare. *Superveniens autem tribunus Lyſias, cum vi magna eripuit eum de manibus noſtris, jubens accuſatores ejus ad te venire.* Conſtitutum igitur fuerat Judæis, *ſecundum patrias leges* in Paulum animadvertere, quod clariſſimo indicio eſt, fas illis fuiſſe, jus adminiſtrare, & quidem jus necis vitæque, nec enim aliam, quam capitalem pœnam, ſecundum mores & inſtituta gentis, meruerat *homo*, qui ipſis videbatur, *peſtifer*, *concitans ſeditiones omnibus Judæis in univerſo orbe, & autor ſeditionis ſectæ Nazarenorum, quique templum etiam violare conatus erat.* Imo Lyſias tribunus, diſerte in ſuis ad Felicem literis, *Act.* XXIII. 27. Τὸν ἄνδρα τοῦτον συλληφθέντα ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, καὶ μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι ὑπ᾽ αὐτῶν, ἐπιστὰς σὺν τῷ στρατεύματι ἐξειλόμην αὐτὸν, μαθὼν ὅτι Ῥωμαῖός ἐστι: *Virum hunc, comprehenſum a Judæis, cum jam futurum eſſet*, ut ab eis interimeretur, *ſuperveniens cum militum manu, erui, edoctus Romanum eſſe.* Ex quibus, id ſimul diſcimus, niſi Lyſias compertum habuiſſet, Paulum civem Romanum eſſe, non eum impediturum fuiſſe, quo minus e medio tolleretur. Liberavit igitur Paulum ab imminente exitio, illud civitatis Romanæ jus, ut tanto magis credibile evadat, id, quod ſupra tacite innui, ſcilicet, non licuiſſe Synedrio, in plane peregrinos, etiamſi ſacris Judæorum contumeliam feciſſent capitaliter animadvertere. Atque ſane miles ille, qui, celebrantibus Judæis in templo azymorum feſtum, ſtans ſuper porticum, reductis turpiter veſtimentis, προσαπέστρεψε τοῖς Ἰουδαίοις τὴν ἕδραν, καὶ τῷ σχήματι φωνὴν ὁμοίαν ἐπεφθέγξατο, *poſticas corporis partes nudas populo obverterat, & huic ſchemati convenientem ediderat vocem*, de quo eſt apud Joſephum *lib.* 2. de Bello *cap.* 11. & *lib.* 20. *Antiq. cap.* 4. minime Judæis caſtigandus tradebatur, quamvis tota multitudo Cumanum Præſidem circumſtaret, ac inverecundum hominem ad necem depoſceret. Quin, & (quod, ex iiſdem Joſephi locis conſtat) cum alius miles, libros Moſaicos in vico quodam inventos, protuliſſet, eoſque laceraſſet in conſpectu omnium, multis debacchatus, & in Legem, & in gentem totam convitiis; ſimiliter facinus Judaico Magiſtratui vindicare non licuit, ſed, Cumani Præſidis juſſu, miles ſecuri percuſſus eſt. Cæterum, ſi quæ crimina, ab ipſiſmet Judæis, non adverſus ſacra ſua proprie commiſſa viderentur, ſed civilem quietem turbarent, Reipublicæ detrimentum afferrent, aut læderent Imperatoriam majeſtatem, in his nullam Judaici Magiſtratus fuiſſe cognitionem, ſed omnem rem ad Præſidis tribunal pertinuiſſe, juvat credere; ut de his caſibus vere dicere poſſent Judæi: Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα. Verum, non iſtud tantum pronunciatum, ſed & alia multa Paſſionis Domini & Servatoris noſtri, ex hactenus dictis lucem accipiunt, eademque viciſſim illuſtrant, quæ, ſcelus eſſet negligere. Scilicet, a manipulo furum, quos Summi Sacerdotes, Scribæ, & Seniores, ad illum prehendendum miſerant, captus Servator, ante omnia ad Senatum Synedrii, (quam vocem *Matthæus* XXVI. 59. *Marcus* XIV. 55. *Lucas* XXII. 66. ſignanter uſurpant) eſt pertractus. Etenim, ad hoc forum ſpectabant crimina quæ intentabantur, violata nimirum blaſphemiis religio, ſeductio plebis, & templi profanatio. Unde, præter alios, duo quoque teſtes contra illum producti, aſſeverantes: οὗτος ἔφη. Δύναμαι καταλῦσαι τὸν ναὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν οἰκοδομῆσαι αὐτόν. *Ille dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud: Matth.* XXVI. 61. Cumque inſuper, in ipſo illo conſeſſu Judicum, blaſpheme ſe filium Dei jactaſſe videretur Dominus noſter, jure ſuo, quod in ſacra hac cauſa ei competebat, uſus eſt Senatus, & capitalem ſententiam pronunciavit. Cum enim Pontifex, qui ſuffra-

fra-

fragia colligebat, ſententiam rogaſſet, verbis conceptis, Τί ὑμῖν δοκεῖ; *Quid vobis videtur?* inquiens; omnes concordibus votis clamitabant: Ἔνοχος θανάτου ἐστί: *Reus eſt mortis*, uti *Matthæus* XXVI. *66.* in literas retulit. Quæ verba, ſecus quam Cl. Caſaubonus loco ſupra citato cenſuit, non de privata opinione, ſed de vero jure pronunciandi ſententiam cum effectu, accipienda eſſe, ſit veriſimile. Atque, ne hac in re tergiverſemur, *Marcus* XIV. 64. facit, quando paulo diſtinctius ait: Οἱ δὲ πάντες κατέκριναν αὐτὸν εἶναι ἔνοχον θανάτου. *Omnes* condemnaverunt *eum eſſe reum mortis*. Non igitur animo tantum & voto, ſed ſolemni validaque judicum condemnatione, Servatori noſtro mortem irrogatam fuiſſe crediderim, qua affici potuiſſet quoque, niſi alia obſtitiſſent. Nempe, erat tum Paſchatis feſtum, confluxeratque ejus celebrandi cauſa Hieroſolymas infinita hominum multitudo; inter hos, cum innumeri eſſent, quos Chriſtus doctrina & miraculis ſuis ſibi obnoxios reddiderat, itaque verebatur Magiſtratus, ne qua ingens ſeditio in urbe oriretur, ſi ipſe de Chriſto ſupplicium ſumeret, quem metum *Matthæus* XXVI. 5. *Marcus* XIV. 2. *Lucas* XXII. 2. expreſſerunt. Ergo remedium aliquod reperiendum erat, ut ſine Synedrii culpa, Chriſtus interimi crederetur, & ſceleris invidia in alios omnes potius, quam in ejus autores redundaret. Poſt longam deliberationem, callide placuit Pilati Procuratoris uti opera, atque in id loci illum redigere, ut Chriſtum ſuis præjudiciis jam damnatum, ipſe interimere cogeretur. Ita geſtum eſſe negotium, Matthæus, & Marcus Evangeliſtæ, fidem faciunt, qui, cum narraſſent, pridie a Synedrio *Chriſtum* jam condemnatum fuiſſe, poſtridie in conſultationem veniſſe referunt, quomodo id quod decreverant, reddi poſſet effectum. *Matthæi cap.* XXVII. 1. 2. verba ſunt: Πρωΐας δὲ γενομένης, συμβούλιον ἔλαβον πάντες οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ κατὰ τοῦ Ἰησοῦ, ὥστε θανατῶσαι αὐτόν. Καὶ δήσαντες αὐτὸν, ἀπήγαγον, καὶ παρέδωκαν αὐτὸν Ποντίῳ Πιλάτῳ τῷ ἡγεμόνι. *Mane autem facto, conſilium inierunt omnes principes Sacerdotum, & ſeniores populi, adverſus Jeſum, ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.* Pro iſtis, *Marcus* XV. 1. habet: Καὶ εὐθέως ἐπὶ τὸ πρωῒ συμβούλιον ποιήσαντες οἱ ἀρχιερεῖς μετὰ τῶν πρεσβυτέρων καὶ γραμματέων, καὶ ὅλον τὸ συνέδριον, δήσαντες τὸν Ἰησοῦν ἀπήνεγκαν, καὶ παρέδωκαν τῷ Πιλάτῳ. *Et confeſtim mane conſilium facientes ſummi Sacerdotes, cum Senioribus, & Scribis, & univerſo Synedrio, vincientes Jeſum, duxerunt, & tradiderunt Pilato.* Atque hos dolos, uti verſutiſſimi Judæorum Judices, quibus mala mens, malus animus, machinati ſunt, quo deſtinata redderent effecta: ita agnoſcimus tamen in iſtis, & devote veneramur, cœleſtis Providentiæ diſpoſitionem. Non enim Judæorum tantum, ſed & gentilium calculis, damnandus erat, qui utrorumque ſanguine cretos, morte ſua, æterno Patri propitiare, illorumque crimina expiare inſtituebatuebat. Ad Pilatum vero, cum ſaxum quod ſatis diu volutabant, devolviſſent Judæi, quoniam ad impetrandum ab eo, quod volebant, neceſſe erat, ut ipſe Pilatus quoque Chriſtum capitis damnaret, idcirco apud hunc ſimiliter accuſationes ſuas factitant. Sed enim, non hic falſæ & avitis præceptis contrariæ doctrinæ, Servatorem noſtrum inſimulant, non queruntur, illum extrema quæque templo atque ſupremo Numini dicatis ædibus comminatum eſſe non affectatam divinitatem exprobrant; quippe; prævidebant facile, reſponſurum Pilatum, procul faceſſere ipſos debere, cum iſtius generis querelis, & operam dare, ut hæc ſua iſta miſcerent, ne ſe admiſceant, neque enim ſui muneris eſſe, lites circa ſuperſtitiones ipſorum enatas, componere. Nequaquam igitur illa criminum capita, quæ coram Synedrio in diſquiſitionem venerant, ultimiſque pœnis digna judicata fuerant, apud Pilatum recenſentur, ſed, mutato ſtylo, eorum malefactorum Chriſtus reus ſit, quorum cognitionem ſubterfugere non poſſe Præſidem, accuſatores certo ſciebant. Nimirum ſeditio, & læſæ majeſtatis crimen, ſcelerum omnium, quæ committi inter mortales poterant, longe atrociſſima, objectabantur. Lucas teſtis, cum *cap.* XXIII. 1. 2. ait. Καὶ ἀναστὰν ἅπαν τὸ πλῆθος αὐτῶν, ἤγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸν Πιλάτον. ἤρξαντο δὲ κατηγορεῖν αὐτοῦ λέγοντες. Τοῦτον εὕρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος, καὶ κωλύοντα Καίσαρι φόρους διδόναι, λέγοντα ἑαυτὸν Χριστὸν βασιλέα εἶναι. *Et ſurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cæperunt autem illum accuſare, dicentes: Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & probibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.* Sane, cum nihilo ſecius Pilatus, judicis officio fungi detrectaret, ac ſententiam pronunciare nollet, verbaque ſequentia quæ Johannes *cap.* XIX. annotavit, proloqueretur: Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ σταυρώσατε, ἐγὼ γὰρ οὐχ εὑρίσκω ἐν αὐτῷ αἰτίαν· *Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo cauſam.*

Respondebant quidem Judæi: Ἡμεῖς νόμον ἔχομεν, καὶ κατὰ τὸν νόμον ἡμῶν ὀφείλει ἀποθανεῖν, ὅτι ἑαυτὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐποίησεν. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit*. Non tamen ideo, concessam a Pilato potestatem sibi vindicant, & Christum neci tradere sustinent, sed ista tantum dixisse eos apparet, ut significarent, bis illum mortem promeritum esse, contemnendo videlicet, & violando, tam suas, quam Romanorum leges, temerandoque, & Numinis, & Imperatoriam majestatem. Proinde, nec insistunt huic rei, sed, cum paulo post Pilatus Christum tanquam insontem liberare conaretur, ad antiquum redeunt, & sublata voce, illud fere supra jam a nobis allatum, immodice clamitant, quod, ideo nunc Nonni verbis exprimere placet:

---- Ἀπήμονα τοῦτον ἐάσας,
Καίσαρος οὐ φίλος ἐσσὶ μονοσκήπτρου βασιλῆος.
Πᾶς γὰρ ἑαυτὸν ἄνακτα λέγων ψευδήμονι μύθῳ.
Καίσαρι Τιβερίῳ ψευδώνυμος οὗτος ἐρίζει.

---- *Illæsum hunc relinquens,*
Cæsaris non amicus es, solius sceptriferi Regis.
Omnis enim seipsum Regem dicens, mendaci sermone,
Cum Cæsare Tiberio falso nominatus hic contendit.

Sic igitur postremo effectum est, ut gloriæ Dominus a Pilato condemnaretur, & ageretur in crucem; namque, ut Theophylactus notat: Οἱ Ῥωμαῖοι σταυρῷ τοὺς διχάζοντι. *Romani, regni affectati reos, cruci affigunt*. Quemadmodum vero in prædictis probatum dedimus, sub Felice Præside, penes Judæos jus vitæ ac necis, in sacris causis adhuc fuisse, ita nolim contendere, discrimen illud jurisdictionis, omni retro tempore tam exacte fuisse observatum, ut non aliquando Judæorum immunitates detrimentum passæ sint. Quippe, Præsides, pro suo erga Judaicam gentem odio, aut affectu, sæpe eas temperasse, dubitari nequit, eoque factum esse, ut Synedrium modo liberiore modo restricta potestate, etiam circa sacra uteretur. Hinc, ex Josephi. *l.* 20. *Antiq. c.* 1. colligas, Cuspium Fadum Claudio Cæsari consilium dedisse, sacræ Pontificis stolæ, itemque coronæ illius custodiam Judæis adimeret; atque morem gesturum fuisse Cæsarem, nisi Agrippa Junior deprecator intercessisset, effecissetque, ut gratia, quam Vitellius Syriæ Præses in reddendo Pontificio ornatu, cujus custodiam, post Herodem, & Archelaum, Romani sibi vindicarunt, Judæis concesserat, adhuc porro fruerentur. Sic Pilatum contra antecessorum instituta, imagines in Hierosolymas inferre conatum esse, paulo ante indicavimus. Nunc porro, haud difficile nobis apparet, definire, quando, & qua occasione, Synedrium potestatem judiciorum capitalium, in rebus ad sacrum forum pertinentibus, amiserit. Etenim, postquam Claudius Imperator, Herodi Chalcidis Dynastæ, potestatem in templum Hierosolymitanum, & sacrum ærarium, facultatemque eligendorum summorum Pontificum, hæreditario jure concessisset, (quod ita factum esse asseverat Josephus *l.* 20. *Antiq. cap.* 1.) is gradus fuit, ad Judæos sacra autonomia privandos. Accidit postea, cum Portius Festus, Felicis Successor, fato functus esset, atque sic Judæi Præside carerent, ut interea temporis Ananus Pontifex, & Synedrium, in aliquam multos, & inter cæteros, in Jacobum quoque, fratrem Domini nostri, quos violatæ religionis damnaverunt, lapidationis supremo supplicio animadverterent. Nempe, quantum suspicor, occasionis commoditate utendum esse rati sunt, cavendumque, ne novus adventans Præses, religiosæ causæ se ingereret, illamque sub quodam prætextu ad suum tribunal evocaret; atque habebant fortasse in memoria, quæ circa Paulum non ita pridem acciderant, & quomodo is a Felice, Judaici Magistratus potestati subductus, promeritas ipsorum opinione pœnas, apud γνησίους judices effugisset, quamobrem maturarunt supplicia. Ea res, pessime habuit cordatiores inter ipsosmet Judæos, tanquam quibus minime obscurum erat, per meram injuriam & impotentiam, homines nullorum scelerum reos, e medio sublatos esse, & ideo de facti hujus indignitate, tum apud Agrippam Juniorem, Herodis modo dicti e fratre filium, Trachonitidis Tetrarcham, tum & apud novum Præsidem Albinum, in itinere constitutum, gravissime conqueruntur. Hos, cum ausi offendisset temeritas, eam severo exemplo vindicandam esse statuerunt: Itaque Anano ab Agrippa ablata est Pontificalis dignitas, Synedrio vero autoritas tantum non omnis, tum videtur simul esse ademta. Sed, ipse Josephus *lib.* 20. *Antiq. cap.* 8. hanc historiam referens, audiendus est, &, confert ad veritatem, ipsis Scriptorum, iisque plenis, uti testimoniis. Ὁ δὲ νεώτερος Ἄνανος, ὃν τὴν ἀρχιερωσύνην ἔφαμεν παρειληφέναι, θρασὺς ἦν τὸν τρόπον, καὶ τολμητὴς διαφερόντως,

τως, αἵρεσιν δὲ μετῄει τὴν σαδδουκαίων οἵπερ εἰσὶ περὶ τὰς κρίσεις ὠμοὶ παρὰ πάντας τοὺς Ἰουδαίους, καθὼς ἤδη δεδηλώκαμεν· ἅτε δὴ οὖν τοιοῦτος ὢν ὁ Ἄνανος, νομίσας ἔχειν καιρὸν ἐπιτήδειον, διὰ τὸ τεθνάναι μὲν Φῆστον, Ἀλβῖνον δὲ ἔτι κατὰ τὴν ὁδὸν ὑπάρχειν, καθίζει συνέδριον κριτῶν· καὶ παραγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἑτέρους, ὡς παρανομησάντων κατηγορίαν ποιησάμενος, παρέδωκε λευσθησομένους· ὅσοι δὲ ἐδόκουν ἐπιεικέστατοι τῶν κατὰ τὴν πόλιν εἶναι, καὶ περὶ τοὺς νόμους ἀκριβεῖς, βαρέως ἤνεγκαν ἐπὶ τούτῳ, καὶ πέμπουσιν πρὸς τὸν βασιλέα κρύφα παρακαλοῦντες αὐτὸν ἐπιστεῖλαι τῷ Ἀνάνῳ, μηκέτι τοιαῦτα πράσσειν, μηδὲ γὰρ τὸ πρῶτον ὀρθῶς αὐτὸν πεποιηκέναι· Τινὲς δὲ αὐτῶν καὶ τὸν Ἀλβῖνον ὑπαντιάζουσιν ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας ὁδοιποροῦντα, καὶ διδάσκουσιν ὡς οὐκ ἐξὸν ἦν Ἀνάνῳ, χωρὶς τῆς ἐκείνου γνώμης καθίσαι συνέδριον· Ἀλβῖνος δὲ πεισθεὶς τοῖς λεγομένοις γράφει μετ' ὀργῆς τῷ Ἀνάνῳ, λήψεσθαι παρ' αὐτοῦ δίκας ἀπειλῶν· Καὶ ὁ βασιλεὺς Ἀγρίππας διὰ τοῦτο τὴν ἀρχιερωσύνην ἀφελόμενος αὐτὸν ἄρξαντα μῆνας τρεῖς, Ἰησοῦν τὸν τοῦ Δαμναίου κατέστησεν· *Junior autem Ananus, is, quem nunc summum Pontificatum accepisse diximus, audax erat, & ferox ingenio, secta Sadducæus, quod hominum genus apud Judæos in judicando est severissimum, ut ante docuimus. Talis igitur cum esset, tempus opportunum se nactum ratus, mortuo Festo, Albino adhuc agente in itinere, Synedrium advocat: statutumque coram eo fratrem Jesu Christi, Jacobum nomine, & una quosdam alios, reos impietatis peractos, lapidandos tradidit: quod factum, omnibus in ea civitate bonis, & legum studiosis vehementer displicuit: missisque ad Regem clam nunciis, rogaverunt, mandaret Anano, ne quid tale posthæc ageret: nam, ne nunc quidem recte egisse. Quidam etiam Albino occurrentes, venienti ab Alexandria, docuerunt eum, non licuisse Anano sine ipsius consensu advocare Synedrium. Horum verbis ille persuasus, iracunde scripsit Pontifici, daturum sibi pœnas minitans: & Agrippa Rex, eam ob causum, post tertium mensem ablatum ab eo pontificatum Jesu Damnei filio concessit.* Post hæc, sequuntur quædam apud Josephum, de sicariis, quibus tum plenæ erant Hierosolymæ. Sequuntur item lamentabiles ejus questus. Ἐξ ἐκείνου μάλιστα τοῦ καιροῦ συνέβη τὴν πόλιν ἡμῶν νοσεῖν, προκοπτόντων πάντων ἐπὶ τὸ χεῖρον. *Atque ex illo maxime tempore, labare cœpit nostra Respublica, & indies indeterius ruere.* De reliquo, non dissimulandum, acerrime cum nostra hypothesi, de capitalium judiciorum apud Judæos ad postrema usque urbis tempora duratione, pugnare illud in *Schalsch. Hakkab. pag. 26. b.* ex Avoda Sara *cap.* 1. & aliunde: ארבעים שנה קודם החרבן גלתה סנהדרין ממקומה מפני שרבו הרחצנים ובטלו דיני נפשות מישראל ואז נפתחו שערי ההיכל מעצמן וגער בהם רבי יוחנן בן זכאי: *Quadraginta, annis ante excidium urbis Hierosolymitanæ, pulsum est Synedrium loco suo, quia auctus fuerat numerus homicidarum, atque cessaverat inter Judæos cognitio de criminibus capitalibus, tum quoque sponte sua adapertæ fores templi sunt, quas R. Jochanan Saccai filius, increpuisse dicitur.* Sed hæc, non tam nobis adversantur, quam ipsi rerum veritati. Josepho enim, fideli, diserto, & æquali istorum temporum scriptori, citra hæsitationem credendum est, Synedrium paulo ante Albini Præsidis adventum, capitalem lapidationis sententiam adversus aliquos & pronunciasse, & adimpleri curasse, quo supplicio nullum aliud apud Judæos erat gravius. Nam, de capitalium pœnarum inter illos receptarum gradibus, sic est in Codice nostro MS. Ez. Hechajim *Hilch.* Dine *Mam. Uneph. cap.* 6. & apud Mosen Kozensem *fol.* 188. *col.* 3. סקילה חמורת משריפה ושריפה מסייף וסייף מחנק: *Lapidatio, gravior est Combustione, Combustio, atrocior est pœna gladii. Gladii pœna, mitior est Strangulatione.* At, ceu calculum in Annotat. ad Eusebii Historiæ Ecclesiast. *l.* 2. *cap.* 23. inivit, Insignis Vir, & quem in Gallia non suspicere tantum, sed & complecti nobis licuit, Henricus Valesius, Albinus anno Neronis quarto administrare Judæum cœpit, mansitque usque ad annum decimum. Ergo consequitur, decennio adhuc ante urbis desolationem Synedrium meri Imperii jus exercuisse. Amplius, nec postremum membrum Talmudici dicti, de Templi portis ultro patefactis, anno quadragesimo ante Hierosolymarum eversionem convenit. Non me fugit quidem, Buxtorfium avum, in sua Operis Talmudici Recensione, istud assertum tueri conatum esse, atque de Templi velo, quod patiente Christo scissum fuit, accepisse, ut sic ille annorum numerus non magno absurdo obnoxius, & propositio congruere videtur. Verum, quod pace Manium Doctissimi in his literis viri, dixerim, frustra fuit, & decepit illum opinio. De velo Templi apud Talmudistas crebra mentio & sermo multus, at nunquam, si bene memini, nominibus שערים aut דלתות quæ in hac historia narranda adhibent, illud designant; nam, istæ voces, *portas*, atque *ostia*, omnino innuunt. Et vero, an dubium cuiquam esse potest, illud prodi-

gio-

giosum ostentum significare Talmudistas, quod, inter cætera, quæ Urbis & Templi excidium, Albino adhuc Præside, præcesserant mala omnia, his nobis verbis narrat Josephus *l.* 7. de bello *cap.* 12. Ἡ δὲ ἀνατολικὴ πύλη τοῦ ἐνδοτέρου, χαλκῆ μὲν οὖσα καὶ στιβαρωτάτη, κλειομένη δὲ περὶ δείλης μόλις ὑπ' ἀνδρῶν εἴκοσι, καὶ μοχλοῖς μὲν ἐπερειδομένη σιδηροδέτοις, καὶ καταπῆγας δ' ἔχουσα βαθυτάτους, εἰς τὸν οὐδὸν ὄντα διηνεκοῦς λίθου καθιεμένους, ὤφθη κατὰ νυκτὸς ὥραν ἕκτην, αὐτομάτως ἠνεῳγμένη· *Orientalis autem porta interioris templi, cum esset ænea atque gravissima, & sub vesperam vix a viginti viris clauderetur, serisque ferro vinctis obseraretur, pessulosque altos haberet in saxeum limen demissos, uno perpetuo lapide fabricatum, visa est noctis hora sexta patescere.* Ad tollendum igitur scrupulum, quem jam modo allatum Talmudistarum effatum injicit, illud suspicor maxime utile esse, si dicamus, corruptam esse in Codicibus nostris lectionem, librariorum vitio, eosque cum ארבע שנים *Quatuor annos* scribere deberent, ארבעים שנה *Quadraginta annos* expressisse, facilis & obvio lapsu, sive integras in suis, quibus utebantur exemplaribus habebant voces, sive suo fine truncas. Hanc emendationem si admittimus, salva omnis res est, & pulchre ac probe, imo ad amussim conveniunt Talmudistæ cum Josepho, & in veritate utrique conspirant. Nam, quarto anno ante Urbis expugnationem, aut circiter, cum Præsidem etiamnum Albinus ageret, & nondum Gessius Florus, ultimus Præsidum successisset, suam formam vultumque perdidit Judaica Respub. periitque Synedrii honos & autoritas. Tum temporis insuper sicarii & latrones omnia cædibus & rapinis complebant, tum Templi fores sua sponte patuerunt, tum, re hac insolita exterritus R. Jochanan Saccai filius, quippe qui in *Rosch. Hasch. fol.* 31. *b.* & *Zemach David part.* 1. *fol.* 37. *a.* Templi excidio superfuisse legitur, hanc in Joma *fol.* 39. *b.* literarum monumentis consignatam vocem, emittere potuit: היכל היכל מפני מה אתה מבעית עצמך יודע אני בך שסופך עתיד ליחרב ותאכל ובבר נתנבא עליך זכריה בן עדוא פתח לבנון ותאכל אש בארזיך: *Heus Templum! heus, tibi dico Templum! Quare temetipsum territas? Satis scio te manere excidium, sic enim pridem vaticinatus est Zacharias filius Iddo* (cap. XI. cap. I.) Aperi Libane januas tuas, ut consumat ignis cedros tuos. Postquam ab Urbe exulare cœpit Synedrium, non pertinaciter refragabor asserentibus, incertis sedibus huc illuc migrasse, & receptaculum quæsivisse, nec tamen potuisse reperire; usque donec, dilapsis, mortuisque antiquis Senatoribus, & nullis aliis in locum surrogatis, cum re, quæ pridem funditus perierat, periit quoque Magistratus illius vanum & inutile nomen. Atque sic poteramus videri defuncti esse labore nostro, & difficultates, quæ circa durationem pœnarum capitalium apud Judæos, illarumque limites, se offerebant, expedivisse. Sed enim, intercedit, de Republ. Literaria optime meritum nobile par virorum, & Anglicani orbis decora, qui in tota hac controversia longe aliter versati esse deprehenduntur, ac nos fuimus, ut ea propter necessitas nobis imponatur, illorum dicta ad animum revocandi. Horum alter, Clarissimus *Johannes Lightfootus*, in egregiis illis super Evangelistas lucubrationibus, quæ Horæ Talmudicæ inscribuntur, quæque nuper Lipsiæ, a Reverendo & Celebri Fautore nostro, *Jo. Benedicto Carpzovio*, junctim editæ, mihique, multo carissimum munus, dono datæ sunt, ad Matthæi *cap.* XXVI. & *Johannis cap.* XVIII. 31. id nobis persuadere nititur, Romanos, rerum apud Judæos dominos, nequaquam iis ademisse judicia capitalia etiam in ullo crimine, verum fuisse integrum Judæis, in latrones, homicidas, aliosque Reipublicæ turbatores animadvertere. Cæterum, cum ex inepta lenitate, de sceleratis ejusmodi supplicium sumere neglexissent, tantopere auctum esse latronum numerum, ut jam cum vellent, non amplius eos in ordinem cogere, & meritis pœnis afficere possent. Ex hac igitur sola oscitantia, periisse potestatem, qua præditum fuerat Synedrium, judicium faciendi de rebus capitalibus, idque quadragesimo anno ante templi excidium, sive sesquianno ante Servatoris nostri crucifixionem, & tum postea Senatores, nefandorum atrocitate, quibus mederi non poterant, permotos, non conclave tantum Gasith, sed & urbem deseruisse, atque Jafnen se recepisse, ibique exulasse; inde tamen Hierosolymas ante illarum excidium, ad festa rediisse, sedisseque ut antea. Ista, summatim Viri Docti est sententia, cujus pleraque autoritatibus Talmudistarum stabilivit, unum illud si demas, quo Synedrium ex Jafne circa solemniora festa Hierosolymas reversum fuisse, ibique jus dixisse arbitratus est, nam id sola conjectura ductus sic censuit, ut Talmudistarum placita, qui perhibuisse creduntur, Synedrium quadragesimo anno ante urbis excidium, aut non multo post, Hierosolymis excessisse, cum Actorum *cap.* XXIII. ubi Paulum Hierosolymis coram

Sy-

Synedrio causam dixisse legitur, conciliaret. Circa hæc autem, multa sese offerunt monenda. Est principio falsissimum, quod Talmudistæ credi sibi postulant, penes Synedrium, tum quoque, cum Judæa in provinciæ formam esset redacta, potestatem omnium judiciorum capitalium fuisse, estque mendacium profectum ex illo fastu, quo semper majorum suorum conditionem extollunt, & res beatas ipsorum deprædicant, etiam cum illi parce & duriter vitam egisse noscuntur. Atqui ex *Josephi l.* 14. *Antiq. cap.* 17. hoc discere licet, ne in liberiore quidem Judæorum Republ. & cum Judæa nondum in provinciam redacta esset, Magistratui eorundem de quibuscunque causis cognoscendi, a Romanis concessam fuisse veniam. Huc enim tendit illa C. Jul. Cæsaris restricta ibi verborum conceptio, quibus Hyrcanum Judaicæ genti Rectorem constituit. Postquam fidelem ab eo sibi navatam operam sedulo collaudasset, porro ait: Διὰ τούτυς τὰς αἰτίας Ὑρκανὸν Ἀλεξάνδρυ καὶ τὰ τέκνα αὐτῦ ἐθνάρχας Ἰυδαίων εἶναι βύλομαι, ἀρχιερωσύνην τε Ἰυδαίων διὰ παντὸς ἔχειν κατὰ πατρῷα ἔθη, εἶναι τε αὐτὸν καὶ τὰς παῖδας αὐτῦ συμμάχυς ὑμῖν ἔτι τε καὶ ἐν τοῖς κατ' ἄνδρα φίλυς ἀριθμεῖσθαι. ὅσα τε κατὰ τὺς ἰδίυς αὐτῶν νόμυς ἐστιν ἀρχιερατικὸς ἢ πιλάνθρωπος (Recte emendant Viri docti, & legunt, ἀρχιερατικὰ ἢ φιλάνθρωπα) τῦτα κελεύω κατέχειν αὐτὸν καὶ τὰ τέκνα αὐτῦ, ἂν δὲ μεταξὺ γένηταί τις ζήτησις περὶ τῆς Ἰυδαίων ἀγωγῆς, ἀρέσκει μοι κρίσιν γενέσθαι παρ' αὐτῦ. *Has ob causas, Hyrcanum filium Alexandri, & ejus liberos, Ethnarchas Judæorum esse jubeo, & Pontificatum Judæorum perpetuo retinere more patrio, esseque ipsum & filios ejus, nostros socios, & in amicorum nostrorum recipi numerum. Jura quoque omnia pontificalia habere ipsum & filios decerno*, & si qua controversia exorta fuerit, de Judaica disciplina, *judicium penes ipsum esse*. Igitur, patescit, judicium de gravioribus causis, &, quæ Judaicam disciplinam proprie non concernebant, jam tum Romanos sibi vindicasse, & voluisse, ut de iis Hyrcanus, ejusque successores posteri, ad se referrent. Neque aliud sibi vult privilegium, quod, multis interjectis, Cæsar amplius Hyrcano, ejusque filiis tribuit: Αἰτησαμένυς παρὰ δικτάτωρος ἢ παρὰ ἱππάρχυ παρελθεῖν ὅταν εἰς τὴν σύγκλητον εἰσάγωσι. καὶ τὰ ἀποκρίματα αὐτοῖς ἀποδιδῶσιν ἐν ἡμέραισι ταῖς ἀπάσαις ἂν τὸ δόγμα γένηται. *Ut quotiescunque postulaverint a Dictatore, aut Magistro equitum, in Senatum introducantur, & responsum eis omnibus intra decem dies reddatur, si quid a Senatu decretum fuerit.* Hæc jam obtinebant, cum nondum plane libertas Judæis ademta esset, non igitur credibile, meliore usos fuisse conditione, & omnia ex arbitrio gerere ipsos potuisse, quando servitus imponebatur, ac Præsidem acceperant, cum autoritate juris dicundi missum. At, non Talmudistarum primum nata est ævo, sed vetus inter Judæos fuit illa hæresis, qua multi eo pervicaciæ progressi sunt, ut, quamvis victa & sub jugum missa gente sua, tamen victores Romanos, dominos & superiores recognoscere detrectarent, quidvis potius perpeti quam veritatem fateri parati. Ostendimus supra rei indicium in ipsius Novi Testamenti sacris literis; sed Josephus I. 7. *de Bello cap.* 29. clare & aperte memorat, fuisse plurimos, quibus infixum & implantatum quasi erat, ῥωμαίυς μὲν μηδὲν κρείττυς ἑαυτῶν ὑπολαμβάνειν, θεὸν δὲ μόνον ἡγεῖσθαι δεσπότην. *Romanos nihilo se meliores putare, Deum vero solum Dominum dicere*. Idque adeo, *ut cum, omni genere tormentorum & vexatione corporum in eos excogitata cruciarentur, ob hoc solummodo, ut Cæsarem dominum faterentur, nemo cesserit, neque dicere velle visus sit: sed omnes illa necessitate validiorem sententiam conservarent, tanquam brutis corporibus, non animis etiam, cruciatus ignemque susciperent. Quin, ne puerorum quidem quisquam commotum est, ut Dominum Cæsarem nominaret.* Enim vero, quicquid tergiversentur Judæi, nunquam tamen ipsorum ἀναισθησία, & mendacia conficta dolis, veritatem e medio tollent, atque ea quæ facta sunt, nobis reddent infecta. Bene Literatissimus *Casaubonus Exer.* 1. *adv. Baron. Obs.* 2. *Unus quasi gradus ad perniciem ultimam est factus, anno post natum Dominum circiter decimo, cum Archelao Viennam relegato, Judæa in formulam provinciæ est redacta: quod, quam vim habeat, peritis rerum Romanarum satis est compertum.* Imo vero, mediocriter in historia Romana versati, sciunt, in Provinciæ formam redigere, olim non constitisse intra tributi impositionem, sed, cum id fiebat, patriam libertatem, & leges insuper domesticas, fuisse ademtas, substitutasque in locum Romanas leges cum Prætore, qui ex illis Rempubl. institueret, & jus diceret, insuper imperium belli gerendi causa haberet. Quocirca, rem ipsam premit Critognatus, cum apud *Cæsarem 7. de Bello Gall. sic verba facit: Romani vero quid petunt aliud, aut quid volunt, nisi invidia adducti, quos fama nobiles, potentesque bello cognoverunt, horum in agris, civitatibusque considere, atque his æternam injungere*

gere ſervitutem: neque enim unquam alia conditione bellum geſſerunt. Quod ſi ea quæ in longinquis nationibus geruntur, ignoratis; reſpicite finitimam Galliam, quæ, in provinciam redacta, jure, & legibus commutatis, ſecuribus ſubjecta, perpetua premitur ſervitute. Videlicet, Senatus Romanus, acceptis ab Imperatore ſuo literis, quibus de ſuperatis hoſtibus, & regione aliqua in poteſtatem redacta certior reddebatur, quid de devictis ſtatuendum eſſet, ſecum deliberabat; ac quicquid decretum fuerat, Imperatori ſignificavit, decem aut quinque Legatis ad eum miſſis, ut ſecundum conſulta, de hoſtibus, & eorum regione, ſtatueret. Iis mandatis acceptis, Imperator victis gentibus aut ignovit, aut regionem in formam provinciæ redegit. Ignoviſſe dictus eſt, cum liberas reliquit, ac ſuis uti legibus, ſuoſque creare more patrio Magiſtratus permiſit, impoſitis tantum vectigalibus: In provinciæ formam redigere, cum ademtis aut immutatis legibus, eas omnino, Magiſtratui Romano quotannis ab Urbe mittendo, ſubjecit, ac vectigalia conventuſque conſtituit. Eam ſententiam Imperator in concione Præconi pronunciandam mandavit, ſicque Romam, relicto aliquo Præfecto Provinciæ, deceſſit. Hac de re Carolus Sigonius in libro de *Antiq. Jur. Civ. Rom.* penſiculare agit, enucleateque. Et vero, eccui non liquet ex divinis tabulis, Præſides Romanos capitalia judicia in Judæa extra ſacras cauſas exercuiſſe? Etenim, Pilatus miſcuit ſanguinem Galilæorum cum ſacrificiis eorundem, *Luc.* XIII. 1. Idem, Servatorem noſtrum cruci affixit, eidemque pœnæ latrones duos ſimul ſubjecit, Barrabæ vero ſceleris fecit gratiam. Jam, de Fado Præſide, Joſephus *lib.* 20. *Antiq. cap.* 1. memorat: Ἀναιρεῖται δὲ καὶ Θολομαῖος ὁ ἀρχιλῃστὴς μετ᾽ οὐ πολὺ χρόνον, ἀχθεὶς δέσμιος ἐπ᾽ αὐτὸν, διατεθεικὼς μέγιστα κακὰ τὴν ἰδουμαίαν καὶ τοὺς ἄραβας. ἐκαθάρθη τε λῃστρικῶν ἅπασα τοὐντεῦθεν ἡ Ἰουδαία. *Nec ita multo poſt capitis damnavit Tholomæum latronum principem, vinctum ad ſe perductum, qui plurima damna intulerat Idumæis & Arabibus: deditque operam, ut tota Judæa purgaretur a latrociniis.* De Felice Præſide, l. 2. de Bello cap. 12. ſcribit: Οὗτος τὸν ἀρχιλῃστὴν ἐλεάζαρον ἔτεσιν εἴκοσι τὴν χώραν λῃσάμενον, καὶ πολλοὺς τοὺς σὺν αὐτῷ ζωγρήσας, ἀνέπεμψεν εἰς ῥώμην. τῶν δὲ ἀνασταυρωθέντων ὑπ᾽ αὐτοῦ λῃστῶν, καὶ τῶν ἐπὶ κοινωνίᾳ φωραθέντων οὓς ἐκόλασεν, ἄπειρόν τι πλῆθος ἦν. *Hic, principem latronum Eleazarum, qui, per viginti annos regionem fuerat deprædatus, alioſque cum eo multos cepit, vinctoſque Romam miſit: aliorumque quos in crucem ſuſtulit; latronum, vel in communione ſceleris deprehenſorum popularium, fuit pæne innumerabilis multitudo.* Omitto alia, quæ ad confutandos Talmudiſtas afferre licebat, cum iſta ſufficiant oſtendendæ falſitati. Ex dictis vero ſimul intelligere datur, non convenire temporibus paſſionis Chriſti noſtri, tantam latronum in Judæa multitudinem, quæ coerceri amplius non poſſet. Videmus enim, & tum, & poſtea quoque, latrones, pœnas dediſſe graviſſimas, atque ab iis repurgatam fuiſſe regionem, etſi radicitus id nebulonum genus exſtirpari non potuit, unde paſſim crebræ ſunt in eam rem querelæ apud Joſephum. Dum autem iſta ſic everſa ſunt, eadem opera Cl. Lightfooti conjectura vacillare itidem occipit. Atqui, ſi omnino Synedrium præ juſti doloris impatientia, quoniam quidlibet audendi quibuſvis poteſtas erat, nec facinoribus ſceleribuſque ulla jam fibula poterat imponi, jamdum quadrageſimo ante urbis excidium anno, aut paulo poſt, inde exceſſit, Jaſnenque exulatum abiit, non capio, quomodo circa ipſa ſolemniora feſta, Senatus ille Hieroſolymas, ad officium priſtinum faciendum, aſſidue rediverit. Nam, ſi judiciis locus ſupererat, æque bene ante feſtum exercere illa licebat, quam ſub ipſam publicam panegyrin: imo longe felicius tutiuſque inter paucos jus reddere valuiſſet Senatus, quam inter innumeros. Nec aliud vel ipſi fuiſſe perſuaſum, metus arguit, quo Servatorem noſtrum circa paſchatis feſtivam lucem neci tradere formidabat, qua de re antea nonnihil diximus. Sed enim, ſi unquam latrones ac prædones Hieroſolymas infeſtabant, feſtis utique diebus quam maxime id evenit, cumque reliquo tempore, ſoli domeſtici, ut ita dicam, nebulones graſſarentur, in feſtis ſolemnibus undecunque locorum nequam & nullius frugis homines factis agminibus in urbem irrupiſſe, nemo inficiabitur. At, ego firmiter perſuaſus ſum, Synedrium ſemper Hieroſolymis perduraſſe, ad poſtrema uſque tempora, faventque huic opinioni, præter quædam jam ante in hanc rem ex Joſepho allata, multa alia quoque, ejuſdem incomparabilis Scriptoris. Exempli gratia Epiſtola Claudii Cæſaris, quæ *lib.* 20. *Antiquit. cap.* 1. ſuperat, dum ei præſcribitur: Κλαύδιος Καῖσαρ γερμανικὸς δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ πέμπτον, ὕπατος ἀποδεδειγμένος τὸ τέταρτον, αὐτοκράτωρ τὸ δέκατον, πατὴρ πατρίδος, ἱεροσολυμιτῶν ἄρχουσι, βουλῇ, δήμῳ, ἰουδαίων παντὶ ἔθνει χαίρειν. *Claudius Cæſar Germanicus Trib. pot. V. Coſ. deſignatus IV. Imp. X. PP. Hieroſo-*

rosolymitanorum Magistratibus, Senatui, & Populo, totique Judæorum genti salutem. Accedit illud, de seipso, in vita: Ἐπεὶ δ' εἰς τὴν γαλιλαίαν ἀφικόμην ἐγὼ, καὶ ταῦτα παρὰ τῶν ἀπαγγειλάντων ἔμαθον, γράφω τῷ συνεδρίῳ τῶν ἱεροσολυμιτῶν περὶ τούτων, καὶ τί με πράττειν κελεύουσιν ἐρωτῶ. *Interea, cum venissem in Galilæam, certis nunciis super his rebus edoctus, scripsi Hierosolymitano Synedrio, quid me juberent sciscitans.* Tandem, etsi supra, dignitatis potestatisque amissionem, quam Synedrium passum est, in adventum Albini Præsidis conjecimus, tamen non diffitemur, coivisse illud adhuc, paulo ante quam Albinus provincia decessisset, non tamen coivit sponte, verum jussu & autoritate Agrippæ Junioris, teste iterum Josepho *lib.* 20. *Antiq. cap.* 8. ut merito tum ad summas angustias redactum esse, & mox plane exspirasse opineris. Ad eam rem, si latronum immanis licentia, magis magisque indies aucta, aliquid contulit, & denique Synedrium prorsus Hierosolymas & tribunalia sua fugere coegit, illud temporibus Gessii Flori, ultimi Præsidis, accidisse suspicio est, ob ista Josephi *l.* 20. *Antiq. cap.* 9. Γέσσιος δὲ φλῶρος καθάπερ εἰς ἐπίδειξιν πονηρίας πεμφθεὶς, τὰς εἰς τὸ ἔθνος ἡμῶν παρανομίας ἐπόμπευε, μήτε ἁρπαγῆς παραλιπὼν μηδένα τρόπον, μήτε ἀδίκου κολάσεως. ἦν γὰρ ἄτεγκτος πρὸς ἔλεον, παντὸς δὲ κέρδους ἄπληστος, ὥστε μηδὲ τὰ πλεῖστα τῶν ὀλίγων διέφερεν, ἀλλὰ καὶ λῃσταῖς ἐκοινώνησεν. ἀδεῶς γὰρ οἱ πολλοὶ τοῦτο ἔπραττον, ἐξέγγυον παρ' ἐκείνου τὴν σωτηρίαν ἐπὶ τοῖς μέρεσιν ἕξειν πεπιστευκότες. καὶ τοῦτο μέτριον οὐκ ἦν, ἀλλ' οἱ δυστυχεῖς Ἰουδαῖοι, μὴ δυνάμενοι τὰς ὑπὸ τῶν λῃστῶν γινομένας πορθήσεις ὑπομένειν, ἠναγκάζοντο τῶν ἰδίων ἐξιστάμενοι ἠθῶν φεύγειν ἅπαντες, ὡς κρεῖττον ὁπουδήποτε παρὰ τοῖς ἀλλοφύλοις κατοικήσοντες. *Florus quasi ad ostentandam missus malitiam, publice traducebat nostræ gentis injurias, nihil sibi ad summam in rapinis & suppliciis iniquitatem reliquum faciens. Erat enim inflexibilis ad misericordiam, nullis unquam lucris satiabilis, undecunque parva æque captans ac magna, ut etiam latronum esset particeps: multi enim illum quæstum exercebant de incolumitate, quam ab eo redimebant decisis prædarum partibus: adeoque nullus erat injuriarum vel modus, vel finis, ut miseri Judæi, non ferentes rapacem latronum insolentiam, cogerentur laribus relictis, & patriis cæremoniis, ad exteros fugere, judicantes, ubivis etiam apud barbaros, se vivere posse commodius.* Quicquid de hoc sit, saltem nemo æquus rerum arbiter negabit, Synedrium Hierosolymis circa ultima urbis illius tempora adhuc fuisse, cum Ligtfooti conjectura, ad faciendum adversus ea, quæ attulimus, exceptionem, non quadret. Nec muto opinionem, qua statui, ne quidem ipsos Talmudistas aliud prodidisse, ac, quadraginta annorum numerum, per vitium, & ἀβλεψίαν meram librariorum irrepsisse in textum. Nam, sic alibi in Talmude Synedrii cessatio & urbis excidium ita conjunguntur, ut, velle Magistros, utrumque prope eodem tempore evenisse, liquido appareat. Inquiunt in Sota *pag.* 123. *nostræ edit. in Sanhedrin pag.* 208. *edit. Cocc. & in Ketuvot fol.* 30. *a.* non sententia tantum, sed & verbis concordissime: מיום שחרב בית המקדש אף על פי שבטלה סנהדרי גדולה ארבע מיתות לא בטלו: *Licet ab eo die, quo templum solo æquatum est, Synedrium magnum perierit, non tamen quatuor supplicia capitalia interciderunt.* Nempe, uti porro explicant, manet scelestos aliquid ἀνάλογον illis pœnis, si non aliunde, saltem θεήλατον.

Atque sane, consentit hactenus nobiscum, ille alter, &, cui nunc opera danda, Anglus eruditissimus Johannes Seldenus, in diffusæ & multiplicis doctrinæ opere, quod, de Synedriis veterum Ebræorum scripsit, & morte præventus, non absolvit. Quippe, & ipse, Sinedrium, ad Hierosolymarum excidium usque in ea urbe mansisse perhibet; ut proinde hoc ratum esse videri queat. At vero, in reliquis, frustra fuerim, si ad ejus autoritatem confugiam, nihil enim fere prætererea cum eo mihi commune. Nam, ut & hujus mentem breviter eloquar, sic ipsi, Talmudistarum similiter vestigia solicite legenti, visum est, fuisse penes Synedrium, etiam postquam in Provinciæ formam redacta erat Judæa, potestatem supremam judicandi, de quibuscunque criminibus capitalibus. Habuisse illud sedem in Liskat hagazit, seu conclavi saxeo, quod ex ipsa Synedrii origine ita ei proprium credebatur, ut judicia capitalia extra illud rite exercere, seu de re capitali sententiam ferre Synedris ejusdem non liceret. Cæterum, sub annum ante excidium templi quadragesimum, qui anno Christi trigesimo, vel triennio aut biennio ante ejus mortem, juxta calculum scilicet vulgarem, respondeat, cum ob sicariorum frequentiam, qui sæpius Præsidis favore, aliterve tuti, etiam Synedrii judicio procul dubio eripiebantur, illud nec homicidia compescere posset, nec cædis reos morte plectere, visum esse e loco judiciis hujusmodi adeo proprio, ut alibi rite exerceri ab ipsis nequirent, migrare locum in alium, ibique sedes ponere, ubi ex ipsa sessione manifestum red-

redderetur, tum homicidas se in jus vocare nolle, quia plane frustra fieret, tum pudere se in loco judiciis capitalibus ita proprio sedes habere, cum tot homines rei capitalis damnandi, ultimoque afficiendi supplicio, potestatem suam ac sententiam quotidie eluderent. In Tabernas igitur primo migrasse, seu locum illum Hanoth, seu Chanoth dictum; dein in alias urbis ædes, prout Principi placuit, aut commodius est visum, non tamen extra Hierosolyma, ante excidium. Sic vero, quoniam supremum hoc tribunal carebat extra locum proprium imperio ac jurisdictione, unde appellatum a Judicibus minoribus juxta Legem sacram rite posset in capitalibus causis responderе, ideo nec Minoribus Synedriis, quæ passim in Judæa erant, mansisse rerum capitalium jurisdictonem, post Synedrii magni migrationem, ne cum Appellationis legitimæ effectui locus non esset, temere nimis & contra majorum instituta, quis morte plecteretur. Interim, testimoniis ex Tosephot sese muniens, illud de capitalibus judiciis quadraginta annis ante excidium sublatis, sic intellectum vult, ut non prorsus & penitus ea cessasse quis opinetur, rediisse enim quandoque Synedrium Magnum in Liskath hagazith tempore opportuno, ibique capitalia judicia exercuisse, unde præter alia, id, quod in Tosiphtha ad Gemaram Babylonicam Sanhedrin *cap.* 4. *fol.* 37. 2. in hanc sententiam scriptum est, laudavit: *Quoties decernerent ipsi esse opportunum, rediisse dicuntur in Liskath hagazith, quemadmodum ob causam Jesu, & quæ similia sunt.* Hæc, plurimum ipsius præstantissimi Seldeni verbis, sed hinc & illinc ex laudati Operis *loc.* 2. *cap.* 15. varie excerptis, sumus effati; in quibus, suis erga Talmudistas propensissimis affectibus nimium indulsisse, nec, quæ ipsi crude asserebant, vel leviter expendisse videtur vir πολυμαθέστατος. Faciunt vero ad ista impugnanda, multa quæ jam præoccupavimus, nec fieri potest, ut qui sacras literas, & Josephum (cujus, ut *Dei* verbum taceam, utique longe major quam Talmudistarum, præsertim Gemaricorum, autoritas) sine præjudicio legerit, aliud exinde colligat, quam, tempore mortis Servatoris, & sequenti deinde ætate, omne jus in sicarios & latrones, adde & alios in politico foro facinorosos, animadvertendi, aut capitale supplicium iis remittendi, penes Præsides fuisse. Scilicet, si quem necis candidatum, Senatus Populusque Judæorum circa festa sua exitio ereptum cupiebant, nihil pro imperio & autoritate, ipsis agere, sed tantum precibus supplicibus fidem & clementiam Præsidis obtestari licuisse, ex historia Evangelica omnibus est perspectissimum. *Matthæum cap.* XXVII. 15. & 20. tantum audiamus, cujus verba sunt: Κατὰ δὲ ἑορτὴν εἰώθει ὁ ἡγεμὼν ἀπολύειν ἕνα τῷ ὄχλῳ δέσμιον, ὃν ἤθελον. Οἱ δὲ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἔπεισαν τοὺς ὄχλους, ἵνα αἰτήσωνται τὸν Βαραββᾶν, τὸν δὲ Ἰησοῦν ἀπολέσωσιν. Vetus Interpres transtulit: *Per diem autem solemnem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent. Principes autem sacerdotum, & Seniores, persuaserunt populo, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderet.* Omnis igitur, tum judicii capitalis in Barabbam latronem exercendi facultas, penes Pilatum erat, citra ullum dubium. Ne vero quis effugium quærat, objectando, fieri potuisse, ut hoc jus solo sesquianno, vel triennio, ante Christi crucifixionem, tum scilicet, cum capitalia judicia in Judaica gente cessasse dicuntur, Præses nactus sit; hanc rimam præcludemus, urgendo constare ex allato Matthæi testimonio, veterem fuisse Pilati consuetudinem, captivum aliquem statis temporibus liberandi imo si *Marcum* XV. 8. conferimus, cum hujus officio cœptam: Καὶ ἀναβοήσας ὁ ὄχλος ἤρξατο αἰτεῖσθαι, καθὼς ἀεὶ ἐποίει αὐτοῖς. *Et vociferans turba cœpit petere* (ut faceret) *prout* semper *ipsis fecerat*. Unde manifeste inferimus, si maxime quis de Coponio, M. Ambivio, Annio Rufo, & Valerio Grato, qui Pontium Pilatum in officio præcesserant, idem asserere hæsitet ac cunctetur, saltem Pilatum nunquam meri Imperii jure caruisse, qui tamen, cum generis humani Salvator perimeretur, Judæam provinciam, jam per universum septennium rexerat. Porro, meram utique fabulam sapit, ita affixum glebæ, sive Conclavi suo, fuisse Synedrium, ut nusquam alibi convenire ei & officium suum facere licuerit. Novi optime, prohibitos fuisse Judæos severo Dei mandato, extra locum ab ipso demonstratum, victimas offerre, & sacras cæremonias peragere; non dubitarunt tamen vel sic viri pii, ita flagitante evidenti causa, migrare hanc legem, idque factum ab iis, citra Numinis offensam. At, Judiciis, æque ac sacrificiis, Deum locum proprium & peculiarem designasse, nuspiam proditum est, & ideo, quomodo credemus Talmudistis, summum tribunal, e loco, in quem mero hominum arbitrio, & fortasse recenter admodum collocatum fuerat, minus avelli potuisse quam hostias a sibi unice dicatis aris; & maluisse Senatum, ut potius in tota,

tota, quanta quanta erat, Judæa regione, jus, sanctitas, pietas, fides perirent, supera inferis permutarentur, & in ultimum discrimen deduceretur Respublica, quam ut ipse extra suum Liskat Haggasit coiret, unde tamen nulla vi fuerat pulsus, sed sua tantum voluntate coactus excesserat? Atqui, si nulla ibi capitalia judicia exercendi dabatur facultas, tamen locum hunc tueri debebat Synedrium, in spem temporis melioris, & interim minoris momenti negotia expedire. Pernimium inter veterum Romanorum Consulum, & eorum qui nostro ævo creantur, potestatem, interest, vixque σκιᾶς ὄναρ antiquæ dignitas relinquitur. Nihilo minus, non suos tantum fastos condunt, auro & purpura vestiuntur, auream catenam collo gestant, (quomodo priores ornati fuisse perhibentur,) sed & in Capitolio consident, nec locum illum aversantur, cum, si potentiæ parum, honoris tamen & autoritatis aliquid conciliet. Quo spectat Nova Inscriptio, quæ ibidem in aula, *Christinæ*, Sveciæ quondam Reginæ, & Heroinæ, marmoreo vultui, parieti inserto, subjicitur, & quam cum Lectore, prout eam descripsimus, communicare non gravabimur.

CHRISTINÆ
SUECORUM GOTHORUM ET
VANDALORUM
REGINÆ
QUOD INSTINCTU DIVINITATIS
CATHOLICAM FIDEM REGNO
AVITO PRÆFERENS POST ADORATA SS. APOSTOLORUM LIMINA ET SUBMISSAM VENERATIONEM ALEXANDRO VII.
SUMMO RELIGIONIS ANTISTITI
EXHIBITAM DE SEIPSA TRIUMPHANS IN CAPITOLIUM
ASCENDERIT
MAJESTATISQUE ROMANÆ
MONUMENTA VETUSTIS IN
RUDERIBUS ADMIRATA.
III. VIROS CONSULARI POTESTATE ET SENATUM TECTO
CAPITE CONSIDENTES
REGIO HONORE FUERIT PROSECUTA VIII. EID. QUINCTIL.
AN. MDCLVI.

S. P. Q. R.
STEPHANO PETRUCCIO
JOSEPHO DE ANNIBAL DENSIBUS EX DOMINIS CASTRI-ZANCATI
FABRICIO DE MAXIMIS EX DOMINIS CASTRI ARSULI
CONSERVATORIBUS.
JO. CAROLO DE PICCOLOMINIBUS EX DOMINIS CASTRI BALZERANI
CAPITUM REGIONUM PRIORE.

Cæterum; ad amplius demonstrandum ineptias Talmudicæ παραδόσεως, non utar historia, quam Literatissimus Lightfootus in notatis ad *Matth. cap.* XXVI. ex Sanhedrin Talmudis Hierosolymitani recensuit, & a qua probare conatus est, ne quidem post ipsum Hierosolymitanæ urbis excidium, Synedrio facultatem & jus capitalia judicia instituendi, fuisse ademtum. Eam, his Latinis verbis complectitur: *Statuunt* (hæretico & seductori populi, cum ejus testimonium expiscari volunt,) *in insidiis duo testes in domo interiori, illumque in exteriori collocant, accensa juxta eum lucerna, ut eum videant, audiantque. Sic actum est cum Ben Sutda in Lydda. Collocarunt ei in insidiis duos discipulos Sapientum, eumque adduxerunt ad Synhedrium, & lapidarunt*. Nolim, inquam, ista adhibere, ad evincendum, judicasse aliquando Synedrium extra Liskat Haggasit, de causis capitalibus, etsi temporibus R. Akibæ, atque sic longe post excisam urbem, accidisse dicuntur. Sunt enim hæc infirma, & ne ipsi quidem Doctissimo Lightfooto, ad suam tuendam assertionem, magnum præbent adminiculum. Quod, clarum reddemus, si prius ipsa Talmudis Hierosolymitani verba adduxerimus. מכמינין עליו שני עדים בבית הפנימי ומושיבין אותו בבית החיצון ומדליקין את הנר על גביו כדי שיהיו רואין אותו ושומעין את קולו כך עשו לבן סוטרא בלוד והכמינו עליו שני תלמידי חכמים והביאוה לבד וסקלוה: In his, de Synedrio Magno, sermonem esse, (nam de eo loquitur Lightfootus) non credo, vis enim unquam, tam humiliter Judæi de eo loquuntur, ut per solas voce בית דין quæ generatim, judicium, fere semper tamen inferius, Synedrioque, quod discriminis causa, בית דין של שבעים ואחד aut בית דין הגדול audit, subjectum tribunal notant, illud designent. Tum vero Lyddæ ista evenerunt, quo, ne ipsorum

rum quidem Talmudistarum sententia, Synedrium unquam pervenisse dicitur. Est de variis illius e loco in locum migrationibus, antequam plane periret, ac intercideret, narratio in Rosch Haschana *fol.* 31. *a.* Lightfooto quoque laudata, sed Lyddæ urbis, nulla ibi mentio. Adduxi locum integrum in Commentario ad Sotam *pag.* 928. *seqq.* & certe, poscebat jam sæpe illum sibi hæc quoque Dissertatio, ut eum tandem inserere ex usu sit: אמר רב יהודה בר אירי א״ר יוחנן עשר מסעות נסעה שכינה וכולהו מקראי וכנגדן גלתה סנהדרין מגמרא י׳ מסעות נסעה שכינה מקראי מכפורת לכרוב ומכרוב למפתן וממפתן לחצר ומחצר למזבח וממזבח לגג ומגג לחומה ומחומה לעיר ומעיר להר ומהר למדבר וממדבר עלתה וישבה במקומה אמר ר׳ יוחנן ו׳ חדשים נתעכבה שכינה לישראל במדבר שמא יחזרו בתשובה ולא חזרו אמרה תיפח נפשן וכו׳ וכנגדן גלתה סנהדרין גדולה גמרא מלשכת הגזית לחנויות ומחנויות לירושלים ומירושלים ליבנה ומיבנה לאושא ומאושא ליבנה ומיבנה לאושא ומאושא לשפרם ומשפרם לבית שערים ומבית שערים לציפורי ומציפורי לטבריה: Id est: *Tradente R. Juda, filio Iddi, autor fuerat R. Jochanan:* (Stante adhuc primo templo,) *decem quasi stationes,* (usque & usque paulatim recedendo,) *fecisse divinam majestatem,* (priusquam templo, urbe, populoque Judaico relictis, cœlum repeteret:) *Idque in ipsis Scripturæ verbis contineri. Harum autem stationum respectu,* (cum suis jam fatis urgeretur, & succumberet secundum templum, toties) *Synedrium exulare coactum esse, quod traditione compertum habeatur. Quantum ad prius attinet, meavit scilicet divina Majestas ab* ἱλαστηρίῳ *super Cherubinos: inde, ad limen: hinc, in atrium: porro, super altare: deinde, in tectum: ulterius, in murum: tum, in urbem: postmodum, in montem: denique in desertum. Quod deserens, suum in locum contendit, ibidemque permansit. Si tamen fides R. Jochanani,* (totos) *sex menses in deserto Judæos est præstolata, si forte per pœnitentiam* (ad bonam frugem) *redituri essent, sed minime id fecere: dixerat igitur: Male pereant* (Judæi) *&c. Diximus, harum Stationum respectu, totidem vicibus Synedrium Magnum in exilium actum esse, atque hoc traditione constare. Nimirum, e conclavi quod ex cæso lapide erat conditum, migravit in Tabernas, ex iis, in ipsam Urbem, inde Jabnem, porro Oscham, ex qua urbe denuo Jabnem, atque e Jabne pristinam Oscham repetere compulsum: hinc, Schiphramum fugatum, porro Beth-Schearimum, ulterius Zipporam, tandemque Tiberiadem.* Quamobrem, non potuit Lyddæ a Synedrio supplicio affici, quisquis ille fuit Sutdiades, cum in ea urbe Senatus iste nunquam hospitasse deprehendatur: sed, si quid veri inest narrationi, ausi sunt aliqui primores ibi Judæorum, cum occasionem ad id nacti essent, (conniventibus scilicet iis, qui id prohibere debebant,) de homine pœnas sumere. Fortasse totum id clam factum est, eluseruntque Judæi τὸ ἔξω, Magistratum, qualia multa in omni memoria ipsos perpetrasse, & etiamnum ab iis fieri, nemo tam imperitus rerum est, qui nesciat. Quantum enim possunt, forum peregrinorum judicum declinant, sæpe extrema potius perpeti parati, quam ut coram iis, de jure injuriisque suis experiantur. Atque, habent quoque in hanc rem antiquorum præcepta, de quibus, cui vacat, consulere licet Gittin *cap. ult.* Maimonidem Hilchot Talmud Tora *cap.* 6. §. 9. & Hilchot Sanhedrin *cap.* 26. §. 7. Schulchan Aruch in Hilchot Dajanim *num.* 26. Abarbenel. *Comm. in Pentat. pag.* 365. *col.* 2. quorum nihil adducimus, nisi quod, quia sic commoditas fert, huc spectantem, memorabilem locum R. Salomonis ad *Ex.* XXI. 1. in Venetis & Buxtorfianis Bibliis omissum, ex nostro MS. (cum quo Pentateuchi cum tribus Targumim & R. Salomone editio, fere convenit, nisi quod ad Christianorum odium averruncandum mitiora quædam verba, pro durioribus substituuntur,) producere, & ingentem lacunam supplere, opere pretium esse existimo. Post verba igitur לאכול לפני הארם subjicere oportet sequentia: לפניהם ולא לפני גוים (אלילים עובדי (Pent. cum 3. Targ. ואפילו ידעת כדין אחד שהגוים (שהם) דנין אותו כדיני ישראל אל תביאהו בערכ אות שלהם שהמביא דיני ישראל לפני גוים (כמוהם) מחלל את השם ומיקר שם עבודה זרה להחשיבה (האלילים להחשיבם) שנו כי לא כצורנו צורם ואיבינו פלילים כשאויבינו פלילים זהו עדות לעילוי יראתם: Id est: (Scriptura ait: Hæc autem judicia quæ propones) *coram illis:* (postremum ἐμφατικῶς positum: notat enim, Hebræis, fidelibusque judicibus, causas proponendas) *neutiquam vero Gentilibus. Atque si vel maxime constet, de controversia aliqua, quod eodem, quo Judæi modo, Gentiles eam decidant, non tamen ad illorum tribunalia illa deferenda: qui enim coram Gentilibus, de Judaicis litibus actiones intendit, is profanat nomen Dei, idolorum vero nomen effert, iis dignitatem quandam conciliando* Q. S. E. (*Deut.* XXXII. 31.) Non enim ut rupes nostra, rupes illorum est, ac inimici nostri sunt judices. (*Sensus:*) *Cum ii, qui nos odio habent,*

bent, judices existunt, id quasi testimonium est tributi cultus illorum terriculamentis. Non igitur admodum juvat me Sutdiadis cædes, ut obtjneam, futilem, & absurdam esse illam παράδοσιν, quam per manus nobis tradere Gemarici satagunt, quasi nimirum a religione sua alienum credidissent Synedrii Senatores, foris, extra Liskat Haggasit, conventum instituere, & de causa capitali deliberare. Habeo enim longe certius firmiusque argumentum, quo id probatum dabo, dummodo illud prius adjecero, Gemarico commento futilius longe, magisque absurdum & a veritate alienum esse, quod Tosiphtæ autores addunt, ita cessasse Synedrium, ut tamen subinde, per opportunitatem, ad suum Liskat Haggasit, (illorum activitatis sphæram merito vocassent Scholasticis,) reverterentur, atque in casu simil, *Jesum Christum*, Dominum Deumque nostrum, capitis damnatum esse. Medius fidius unice hoc mihi videntur agere voluisse homines isti, ut mendacia mendaciis tegerent, ne perpluat. Nos, contra reputando, fatemur quidem, & fassi pridem sumus, a Synedrio mortis sententiam adversus Servatorem fuisse pronunciatam, & fuisse pronunciatam, non dicis causa, sed vere & cum effectu, nisi ad eum rem deducere, metus, terrorque obstitissent. Ita enim nos sentire Marcus compellit, cujus locum ex *cap.* XIV. *64.* in iis quæ præmisimus, adductum, ut tanto illustriorem reddamus, Syriacam nunc superaddimus translationem, quæ habet: ܗܢܘܢ ܕܝܢ ܟܠܗܘܢ ܕܢܘܗܝ ܕܚܝܒ ܗܘ ܡܘܬܐ *Illi vero omnes* judicarunt, *quod reus sit mortis*. Proinde, cum nihil aliud obstet, κατακρίνειν, quod habet fons; & ܕܢ quod substituit Interpres, id est, *condemnandi*, & *judicandi*, de Judicibus pro tribunali sedentibus, & de vita hominis deliberantibus, enunciatas voces, eo sensu accipimus, quem in omnium animis ultro progenerant. Sed, illud præterea Christiani (nam, inter nos hæc nunc aguntur, & scio, ista ad Judæorum linguas compescendas non valere) certius certo compertum habemus, quicquid illius negotii gestum est, non accidisse in Templo, ubi Liskat Haggasit erat, verum ἐν τῇ αὐλῇ τοῦ ἀρχιερέως, *in aula Pontificis maximi*, vel, ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ ἀρχιερέως, *in domo ejusdem*. Syrus vocat: ܕܪܬܗ ܕܪܒ ܟܗܢܐ; item ܒܝܬܗ ܕܪܒ ܟܗܢܐ ibi enim convenerant, οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ ὅλον τὸ συνέδριον, *primarii Sacerdotes, & universum Synedrium*, & illuc, præter Johannem, hujus deprecatione apud ancillam ostiariam, Petrus quoque ingressus erat, sedens ibi cum ministris, & ad ignem se calefaciens. Testes sunt Marcus *cap.* XIV. 54. 55. Johannes *cap.* XVIII. 15. 16. Matthæus item *cap.* XXVI. 58. 59. Lucasque *cap.* XXII. 54. 55. Apage igitur procul a nobis ineptias de Synedrio non celebrante judicium in capitali causa, nisi in Liskat Haggasit, & apage præcipue turpissimum mendacium quoque, de illic sedente Synedrio, cum de capite Servatoris nostri anquireret. Sic falsi criminis manifeste reos jamdum tenemus Talmudistas cum Tosephot: etiamsi minime addam, plane ἀσύστατα esse quæ tradunt, nec fieri posse, ut simul & cessasse dicatur Synedrium ante urbis excidium, & toties rursum prorsum cursasse, ac modo latebras quæsivisse, modo ad domicilium munusque suum esse reversum, & vixisse in claritate. Deprehendit contradictionem ipse Præclarus Seldenus, quare, ad ejus suspicionem tollendam, hanc illi excusationem adferre visum est: *Nemo quidem*, inquit, *Hbraicis literi paulo versatior, nescit verbum* בטל *tam* impediri, cessare, intermittere, *quam* sufferre, *aut* auferre *denotare. Ita tamen ut ablatio ejusmodi significare commode possit temporaneam cessationem solummodo, seu intermissionem, aut in desuetudinem abitionem, non juris omnino seu rei ipsius deletionem. In Threnis legitur* זקנים משער שבתו Presbyteri *seu* Seniores defecerunt de portis; *ubi Chaldæus* סביא מתרע סנהדרין איתבטלו Presbyteri ex porta Synedrii cessarunt: *simili* τοῦ בטל *notione*. Sed, non tam facile magnæ lites componuntur, & frustra Vir Doctus laborem insumsit. Etenim, cum בטל dicunt Talmudistæ, fere semper cessationem omnimodam, & vix, eam quæ est longissimi temporis, multumque ultra quadraginta annos sese porrigit, significant, nedum, ut eam, quæ intra hunc terminum, varias admittit intercapedines, velint intellectam. Sufficiat provocare ad solum ultimum caput Mischnæ in Sota, ubi toties phrasis repetitur. Ajunt: משמתו נביאום הראשונים בטלו אורים ותומים משחרב בית המקדש בטל השמיר ונופת צופים: *Simul ac Prophetæ priores fato functi sunt, Oraculum pectorale cessavit. Templo desolato, cessavit Schamir, & acœtum mel.* Mox: משמת רבי מאיר בטלו מושלי משלים משמת בן עזאי בטלו השרקנים: *Mortuo R. Meir, cessarunt, qui homines erudiebant parabolis. Mortuo* τοῦ *Asai filio, cessarunt lucubrantes.*

tes. משמת בן זומא בטלו הדרשנים *Mortuo Sumæ filio ceſſarunt interpretes*. Iterum: משמת רבי עקיבא בטל כבוד התורה: משמת רבי חנינא בן דוסא בטלו אנשי מעשה: *R. Akiba mortuo, ceſſavit decus legis. R. Chanina Duſæ filio mortuo, ceſſarunt viri thaumaturgi*. Denique: משמת רבן יוחנן בן זכאי בטל זיו החכמה משמת רבן גמליאל הזקן בטל כבוד התורה ומתה טהרה ופרישות משמת רבי ישעאל בן פאבי בטל זיו הכהונה משמת רבי בטלה ענוה ויראת חטא: *Mortuo R. Johanane Saccai F. ceſſavit ſplendor Sapientiæ. Mortuo R. Gamaliele Sene, ceſſavit honos Legis, ſimulque mundities & ſanctimonia intermortuæ. Rabbi Iſmaele Filio Pabi defuncto, ceſſavit ſpendor Sacerdotii. Mortuo Rabbi* (Jehuda Sancto,) *ceſſavit modeſtia, & timor peccati*. Non poteſt in his locis omnibus בטל ſive *ceſſare*, alio ſenſu accipi, quam de vera amiſſione rerum, quibus additur; gignit igitur profecto ſenſum eundem, cum in ipſo illo Miſchnæ loco, & alibi, prædicatur de Synedrio. Neque officit nobis quicquam, illud quod ex Chaldæo Seldenus allegavit. Nam, ut demus Paraphraſten convenienter Hebraica Threnorum eſſe interpretatum, deplorat proinde Jeremias Synedrii omnimodam ſublationem, dum judicibus in exilium deportatis, halcyonia & juſtitium in foro erant, & ſaltem, quoad ille viveret, nullæ amplius actiones Hieroſolymis inſtituebantur: ut ideo Propheta aliud nihil, quam, Synedrium occidiſſe & extinctum eſſe, dicere poſſet. At, de Talmudiſtis, alia res eſt, nec iis licebat hoc ſermone uti, ſi id exprimere volebant, ita ſublatum e medio fuiſſe Synedrium, ut tamen ipſius uſus ſubinde revocaretur. Quod ſupereſt, illud demiror, Viros Eruditiſſimos, Lightfootum & Seldenum, Talmudiſtarum de ceſſatione Synedrii quadrageſimo ante urbis devaſtationem anno, (prout in noſtris Codicibus legitur) aſſertum, tam acerrime tueri, & tamen ne leviter quidem ſolicitos fuiſſe, quomodo reliqua quoque ſalvarent, quæ uno & eodem anno ſimul contigiſſe iidem Scriptores adjiciunt. Atqui, exinde non leve cauſæ eorundem patrocinium acceſſurum erat, ſi oſtenderent, totam παράδοσιν ſibi conſtare. Volunt præterea Talmudiſtæ, quod quadrageſimo ante urbis excidium anno לא היה גורל עולה בימין ולא היה לשון של זהורית מלבין ולא היה נר מערבי דולק והיו דלתות ההיכל נפתחות מאליהן: *Non aſcenderit amplius ſors* (hirci *Deo* ſacrandi) *in manu dextram, neque ligula coccinea albuerit, neque lucerna veſpertina arſerit, & quod portæ templi, ultro ſua ſponte adapertæ fuerint*. Nimirum, ſine dubio animadverterunt Viri Docti, quam minime hæc ſeſquianno aut triennio ante Chriſti crucifixionem conveniant, & non ſatis commode iſta diviſa eſſe temporibus. At, cum noſtra opinione, prout ſupra eam explicavimus, uti optime congruit illud de templi portis ſponte patefactis, ita apte quoque quadrant, in miſera & calamitoſa Reipublicæ Judaicæ, quæ mox ſequentem cito pede πανολεθρίαν fatalemque periodum præceſſerunt, tempora, miracula reliqua; ut ea, exciſionis, & omen dici queant, & principium; ac clariſſimis patuerit indiciis, perituras Hieroſolymas perdere prius *Deum*. Quanquam, ut verum fatear, quia de iſtis Joſephus ſilet, nec uſpiam portentorum, quæ tamen perpetua, & templo ſuo coæva volunt Judæi, etiam ubi res quibus hi ea adhæſiſſe volunt, ipſe ſermone perſequitur, mentionem ullam fecit, ægre fidem apud me inveniunt. Accedo enim ac libens, ſententiæ Illuſtris Herois Joſephi Scaligeri, quando in Prolegom. æterni Operis de Emendat. Temp. Joſephum, *diligentiſſimum*, καὶ φιλαληθέστατον *omnium Scriptorum* vocat, &, *non ſolum in rebus Judaicis, ſed etiam in externis, tutius illi credi, quam omnibus Græcis & Latinis*, aſſeruit. Atque huic effato, illud amplius audacter adjicio, in rebus quidem Judaicis, tutius Joſepho credi, quam Rabbinis & Talmudiſtis omnibus. Quin, & eo præterea ingenio natus ſum, ut non tantum Mirabiliariis (quod S. Auguſtini notum verbum eſt) novis, ſed & antiquis,

> *Magis audiendum, quam auſcultandum cenſeam.*

KAὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Hæc enim ſunt, *Arnolde Clariſſime*, quæ circa nobilem Scripturæ locum, nuper ſum commentatus. In quibus, uti illud, inter cætera, vere ac ingenue præſtiti, quod, Vir Ampliſſimus, Bellici Judæorum Ducis, Signorumque ejus πρόμαχος, alios agere, publice cum obtrectatione juſſit; hoc eſt, opinionem illius, ea, qua par erat modeſtia, nihil aliorſum, atque dictum fuerat, detorquendo, non perfunctorie perpendi, rerum ſimul teſtimonia in medium afferens. Ita, cum hæc noſtra olim emittentur, & in manus hominum venient, mutuam ſimilemque æquitatem, tum ab eo, tum ab aliis, qui iſta examinare dignabuntur, non ſpero, ſed plane confido. Neque enim te, *Vir Optime*, id de me arbitrari

ri velim, quasi veritatem penitus me assequutum esse existimem: assequi tamen illam laboravi, quamobrem, si quis rectiora me docebit, huic ego magnam & solidam habebo gratiam. Haud alio pretio hæc sacra constant, quam ut cuique citra metum ac verecundiam, profiteri liceat quod sentit, neque magnum in ea re malum, si diversi, diversa in talibus persuasi sint, ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι, excitat enim ipsa velut aculeis viros eruditos, ne illorum intentio relanguescat. Quod de ipsis hominibus nonnemo eleganter dixerat, idem ad eorundem judicia non incommode transferre licet, nempe, pati ea sæpe suos manes, & optima illa esse, quæ minimis urgentur. Atque hæc sola causa est, cur in sententias eorum, qui Sacrum textum, sive ex propria conjectura, sive ex hariolatione variarum lectionum, præsertim in re gravi (nam, de virorum aut locorum propriis nominibus, aut numeralibus verbis, ipse non admodum repugno) emendare instituunt, invitus descendam, cum hac fenestra patefacta, multa temere irrumpere queant, majestati sacrarum literarum vim allatura & injuriam. Neque vero, quod iterum dico, si *Gen.* XLIX. 10. aliter in Samaritano est, ac nostri nunc legunt Hebræi Codices, continuo id argumentum fuerit variantis olim lectionis. Nam, qui Samaritanum exemplar transcripsit, potuit hallucinari, potuit recte scripta prave legere, potuit opinari aliter legendum esse, quam habebat præ oculis. Imo, potuit longe facilius in Samaritanum codicem, negligenter semper habitum, sphalma clam irrepere, quam in Hebraicum, tanta cura, tanta solicitudine, ut ex admiratione in stuporem omnes rapiantur, custoditum. Arnoldus Bootius in Epistola ad Jacobum Usserium, Archiepiscopum Armachanum, quæ Parisiis An. 1650. typis excusa prodiit, narrat illi Præsuli, *se Pentateucho Samaritano, quem Cottoriæ Bibliothecæ is donaverit, Londini usum esse, erratisque scriptionis tantopere illum scatentem deprehendisse, ut in sola Genesi, præter septuaginta vel leviora, vel talia, quæ pervicacior aliquis negare posset in mendo cubare, observaverit centum undecim ad minimum vocabula manifestissime vitiosa, & pleraque admodum monstruosa, nihilque omnino significantia; alia autem satis usitata, ac suas significationes habentia, sed a locis illis, in quibus aliorum loco scripta sunt, in totum aliena: & tamen codicem illum non esse plebejum aliquem aut rejiculum, sed unum de melioribus; quippe librum magnum in folio, charta pergameni æmula, optimo atramento, literis accuratissimis, ac fere dodrantalibus, justo & marginum spatio, & vocum ac versuum intervallo exaratum; idque non a triviali aliquo scriba, sed a primario gentis Sacerdote, qui nomine Ithamar ben Aharon ben Ithamar, eum Anno 764. regni Ismaelitici, in urbe Damasco descripserit.* Quæ, si vera sunt, graviter laborat quoque fides cæterorum MSS. (quales equidem me non tractasse fateor) Samaritanorum Codicum, ut multum in recessu eos habere credamus. Porro, nec Samaritanus Codex, quatenus editus extat, magni pretii æstimandus est, juvatque etiam de isto, Doctissimi Bootii, quando jam semel ejus opera uti cœpimus, ex eadem Epistola audire sententiam. *Admirabilis*, inquit, *est istius hominis* (Ludovicum Cappellum sermone suo notat) *vertigo, adeo parum sibi constantis, ac res adeo insociabiles penitusque ἀσυστάτως copulantis; ut eodem illo loco, ubi probatos tantum Codices, ut par est, ad conferendam hanc symbolam admittit, Codicem Samaritanum ac* τῶν LXX. *in isto censu nominet; a quo illi certissime, atque ob rationes gravissimas excludi merentur. Septuaginta quidem, ob rationem modo allegatam: Samaritanus vero, ob apertissima ac prorsus indubitata νοθείας indicia, atque ob plurimas & magni momenti corruptelas data opera in ipsum invectas: quæ clare demonstratæ a doctissimo viro D. Johanne* (Henrico) *Hottingero, in peculiari de ea re tractatu* (*cui varias adhuc confirmationes, si opus foret, adjungere in promtu mihi est*) *omni eum autoritate spoliant, ac prorsus ἀπόβλητον & aspernabilem efficiunt, apud omnes æquos & intelligentes istarum rerum æstimatores; utut Capello visum fuerit, Morinum suum in hoc sequi potius, corruptumque ac nihili librum, cum elogiis in medium producere, ac pro notabili Hebraici textus exemplari apud imperitos venditare.* De reliquo, illud unum addo, quod dudum viri cordati ante nos sapienter monuerunt, æquum esse, ut seri nepotes, S. Patris nostri Hieronymi sequamur exemplum, qui quoties veterum Interpretum versionem ab Hebræo textu discrepare deprehendit, non eos aliter atque aliter, sed vero male legisse, ac turpiter lapsos esse pronunciavit. Adscribam unum & alterum locum, eosque appositos, dum unice ad permutationem literarum Daleth & Resch, quæ nunc quoque in disceptationem venit, attinent, iisque omnem hanc causam finiam. Scilicet, ad *Es.* XXVIII. 9. scripsit Hieronymus: *Quod autem verbum Hebraicum*, רעה *quod*

omnes verterunt ſcientiam, *ſoli Septuaginta* κακά, *id eſt*, mala, *interpretati ſunt: error perſpicuus eſt. Prima enim litera reſch & daleth parvo apice diſtinguuntur*. Sic, ad *Ezech.* XXI. 2. habet: *Quodque dixere*, Ducem Nageb, *melius habet in Hebræo*, agri vel regionis meridianæ: *non enim* ſar, *ut putaverunt Septuaginta, quod verbum* ducem & principem *ſonat, ſed* ſadeh *ſcriptum eſt, quod proprie* agrum regionemque *ſignat: & propter daleth & reſch literarum ſimilitudinem error inolevit*. Item ad *cap.* XXVII. 15. *Filii Dadan: pro quo neſcio quid volentes Septuaginta, filios Rhodiorum interpretati ſunt, niſi forte primæ literæ falſi ſimilitudine, ut pro Dadan legerent Radan*. Et mox, commate 16. *Syrus quoque fuit negotiator Tyri: pro quo in Hebraico poſitum eſt* aram, *in cujus loco Septuaginta* homines *interpretati ſunt, pro* aram *legentes* adam, *daleth & reſch literarum, ut ſupra, decepti ſimilitudine*. Rurſus ad *cap.* XLVII. ejuſdem Prophetæ, ait: *Quod in Septuaginta ponitur* φοινικῶνος, *id eſt* palmeti, *in Hebraico non habetur, pro quo nos* metiemini *interpretati ſumus, errorque manifeſtus, quod pro* thamodu, *literæ decepti ſimilitudine, reſch & daleth, legerunt* thamaroth. Paria ad Amos I. 1. commentatur: *In eo autem loco, ubi Septuaginta tranſtulerunt*: in Accarim, *Theodotio ipſum verbum Hebraicum poſuit* nokedim, *quod Aquila vertit* ἐν ποιλυοτροφεῖς, *Symmachus & V. Editio*, ἐν τοῖς ποιμένων *id eſt, in paſtoribus. Et puto propter daleth & reſch ſimilitudinem hic quoque deceptos, pro* nokedim, *quaſi* nokerim, *& exinde* accarim *poſuiſſe ſermonem: quanquam in principio nominis, nun litera, nullam relinquit excuſationem erroris*. Iterum, paulo poſt, commate 4. legimus: *Ubi in Hebræo habetur* Benhadad, *& unum nomen eſt, Septuaginta interpretati ſunt* υἱὸς ἄδερ *id eſt, filii Ader, reſch & daleth elementorum falſi ſimilitudine. In eo quoque loco, ubi nos dicimus*, de domo voluptatis, *quod Hebraice dicitur* mibbeth beden, *& omnes ſimiliter tranſtulerunt, Septuaginta interpretati ſunt* ἐξ ἀνδρῶν χαῤῥάν, *id eſt, ex viris Charran, daleth mediam nominis literam reſch arbitrantes*. Sed, de his, jam ſatis dictum eſto, & vereor, ne quid nimis. Tu vero, *Vir Clariſſime*, vidiſti ſine dubio, Paradoxa de Nummis Hebræorum, quæ flos eruditorum Germaniæ, *Hermannus Conringius* ὁ πάνυ, noviter edidit, & quibus, Exercitationem Academicam, de Republica Hebræorum, itemque Commentariolum de initio anni Sabbatici, & tempore meſſis Hebræorum, ſubjunxit. Teneo librum, dono ipſius Incomparabilis Autoris, quo, inſignem perpetuamque apud me inivit gratiam. Magna refertus eſt doctrina, uti ſunt ejus Viri omnia, atque iis, quæ nos de abſoluti imperii forma cum ſub Regibus Judæi eſſent, in Diſſertatione hac, adverſus Talmudiſtas aſſeruimus, ſi addas, quæ Vir, quo πολιτικώτερον neminem cognovimus, ad hanc theſin confirmandam, ex ſuæ diſciplinæ regulis principiiſque ſolertiſſime arguit, non dubitabis de veritate. Licebit igitur, pronunciato noſtro, cum iſta extra limen in aliorum conſpectum prodire volent, robur addere his validis ſuppetiis, quæ porriguntur. Cæterum, partem Præfationis libri, me facere voluit, quatenus & effuſus eſt in noſtras laudes, & cenſura, qua humanior fieri nulla poterat, animadvertit in id, quod ad Sotam commentans ſcripſeram, veriſimile mihi videri, non extare ullam amplius veræ antiquitatis Hebræorum monetam uſquam gentium, ſed omnem omnino pridem periiſſe funditus; teſtem & ſuffragatorem deinde allegans, *Carolum Patinum*, Virum eruditiſſime doctum, & expertiſſimum in omni Re Nummaria. Agnoſco ex utroque argumento affectum, & feciſſet me ſuperbum ſuis elogiis, niſi mea me moneret contubernalis tenuitas, quam longe ſupra meritum, prædicatione me extulerit. Vere igitur de illo dici poteſt, quod de Artemidoro ſuo ſcripſit Plinius Junior; Virum alioqui prudentiſſimum, in hoc uno interdum, honeſto quidem, ſed tamen errore verſari, quod eos quos amat, pluris quam ſunt arbitratur. Amat enim profecto nos, & ita velim, promerentem me, ætatem amet. Ad cenſuram quod attinet, dolenter paululum tuli, cum eam legerem, tam male mihi rem ſucceſſiſſe, ut quem patronum & defenſorem meæ de Hebræorum nummis amiſſis cauſæ, paraveram, eum nunc vinctis meis nocere, & illa cædere experiar. Nam, in Addendis ad Sotæ Annotata *p.* 575. cum prius ad noſtram ſententiam, de Hebræorum nummis ad interitum redactis, digitum intendiſſem, hæc ipſa verba poſtea ſubjeci: *Video, idem prorſus placere, Viro, judicio & eruditione inter noſtrates maximo*, Hermanno Conringio, *dum lego Epiſtolam, quam ad Joh. Henricum Hottingerum ſcripſit, quæque inter cæteras p.* 413. *comparet. Ejus inſignis autoritas, opinionem noſtram vehementer commendabit*. Non igitur diſſentio a Viro in quovis doctrinæ genere excellenti, vel leviter, ipſeque, id quod res erat conjecturavit, cum in mentem ei ve-

venerunt, quæ in eruditiſſima illa Præfatione ſic proloquitur: *Fortaſſis etiam elegantiſſimo Patino in animo fuerunt ſoli nummi iſti, qui Ebræos habent characteres inſcriptos, quoniam hi κατ᾽ ἐξοχὴν Ebræi audiunt.* Hoc enim mea fide ſerio teſtor, nec alios mihi fuiſſe in animo, quando aut cum Patino agebam, aut in Sotam commentabar, unde & de hujus commatis moneta unice actum mihi, ac ne verbo quidem, ejus, quæ Samaritanas literas inſculptas habet, feci mentionem. Secus ſi ſenſiſſem, qua fronte provocare poteram ad illam Hottingero ſcriptam Epiſtolam, nam in ea, charactere Samaritano inſignitos nummos, tanquam veros & genuinos vindicari, cernebam oculis. Nolim tamen vitio vertere Viro Celeberrimo, quod aliter dicta noſtra accepit, ſunt enim, fateor, expreſſa negligentius, &, quod ipſe voluit, ſignificare videntur, eamque ob incuriam merito fero pretium. Sed, more hominum loquutus ſum, quibus vulgo, ſoli Hebræi nummi ſunt, qui quadratas literas exhibent, & quibus, elementis Samaritanis notati, Samaritani quoque audiunt. Atque ſane, priores ſemper curavi unos, illi ad me attinent, a reliquis, occulto odio, alieniore fui animo, quia inſanum difficilem de veterum Hebræorum literis controverſiam, & ad quam ego nunquam acceſſi, ut non incertior multo rediverim, quam dudum fueram, mihi magis intricant, nec me eo pervenire ſinunt, quo libenter vellem. Inſeruerat Clariſſimus Patinus, libello, quem de Cognitione Numiſmatum Gallice edidit, caput de Hebræorum, Pœnorum, Hiſpanorum, & Gothorum Nummis, quod ibi eſt duodecimum numero, aſſerens inter alia, Siclos Judæorum, in una parte referre Virgam Aaronis, in altera Calicem cum Manna, cuſtoditum in ſanctuario. Quoniam vero ſubjecerat ectypam ſcalpturam Sicli, quales paſſim cum literis quadratis, & non (qui mannæ convenire videbatur) rorato, ſed fumigante cratere; circumferuntur, judicium ſuum ſuſpendens, verumne an adulterium illum crederet, hinc, cum Præſtantiſſimus Virorum nos viſitaret, de Siclis ejuſmodi ſermones miſcuimus, & quid iſte fumus in mannæ vaſculo ſibi vellet? quærebam. Addidi, hanc exhalationem, in oculis virorum acutum cæteroquin cernentium, id progeneraſſe, ut alia omnia potius, quam mannæ calicem, ſe intueri arbitrarentur. Scripſiſſe Calvinum in Lexico Juridico: *Quod ad Sicli, dum moneta eſt, figuram attinet, in una facie habebat Aram cum circumſcriptione* שקל ישראל *in altera facie virgam Aaron, cum circumſcriptione* ירושלים קדוש Jeruſalem Sancta. *Voluerunt autem duabus illis picturis, Ara & Virga, tanquam ſymbolo ſignificare Sacerdotium & Regnum.* Scripſiſſe Theologum non infacundum, in Homilis: Der Tempel zu Jeruſalem hatte ſeine beſondere ſilberne Mantze/ nemlich den Sekel deß Heiligthums/ und galt ohngefehr einen einen halben Thaler. Da lieſſen ſie auf einer Seiten pregen/ die Ruthe Aarons/ die gegrunet und Mandeln getragen hatte: Auf der andern Selten aber einen Kelch/ mit rauchenden Dprauch. die Uberſchrifft war auf der einen Seiten: Die heilige Stadt Jeruſalem: Auf der andern: Sekel in Iſrael. Cum neutrum probaremus, & nec Aram, aut Aaronis baculum, (dubium enim eſt quo reſpexerit Calvanus) pro Regni ſymbolo, neque calicem, pro incenſa adolendi vaſe capere poſſemus, poſt multa tandem aſſeverabat Patinus non eum tantum, quem dediſſet nummum, ὑποβολιμαῖον eſſe, ſed omnes præterea, quos uſpiam gentium, in Cæſaris, Regum, & Principium gazis, cum Hebraicis viderit literis, ejuſdem judicare ſe commatis. Haud aliter animatus eſt Celeberrimus Conringius, palam pronuncians, probanſque argumentis: *Nullum nummum characteribus Hebraicis vulgo jam uſitatis ornatum, eſſe bonæ notæ, aut multum vetuſtum.* Proindeque, idem p. 67. Paradoxorum, optime conjecit, in Siclis cum charactere Aſſyriaco, ex imperitia rudis rerum ſacrarum hominis alicujus, ſive Judæi, ſive Chriſtiani, mannæ urnam, quam ſidei indubitatæ cum Samaritana inſcriptione Sicli conſpiciendam præbent, in thuribulum mutatam eſſe, quæ mutatio, poſt pari imperitia fuerit propagata. Euim vero, multum omnino debet Reſpub. Literarie Conringio, qui nunquam deſinit bene de ea mereri, atque poſt tot alia, admirandi ingenii monumenta, quæ in omne ævum perennabuut, hoc novum ſpecimen, conſummatæ ſuæ doctrinæ edidit. At plura ab illo exſpectat, & jure ſuo videtur poſcere flagitareque, ut, quod poteſt, & poteſt ſolus, quæ ad veterem noſtræ gentis Rem Nummariam, cujus ignorantia nos tam graviter exercet, pertinent, libens volens nos tandem doceat. Squallet non tam ævo & macie, quippe ætate juvenior, *Dea Moneta* noſtra, quam mœrore, quod propemodum ſola deſeritur, cum illæ quæ aliis olim gentibus obtigerunt ſorores Divæ, non in minore etiamnum ſint veneratione, quam olim fuerant, cum pecuniam ſuam inter mortales ſpargerent. Agam vero hanc cauſam, apud Venerabilem Præſulem noſtrum, & primarium in hac Academia Theo-

Theologum, *Johannem Saubertum*, Conringii Generum, cujus benevolentia pleniſſima fruor, rogaboque, ut ad cultum & ornatum Divæ conciliandum, Optimum Socerum ſuis precibus permoveat. Certe nihil ſe dignius unquam molietur Conringius, nihil gratius & acceptius Patriæ, eruditis, poſteritati denique, præſtabit. Sed, quorſum abripit me, *o noſter Arnolde*, dulcedo quædam tecum loquendi? Modum, quem etiam in libro tenere præcipiunt, ego ne in Epiſtola quidem, obſervo. Verum, id ſi peccatum tamen non magnum eſt, eique apud te, jam paratam ſpero veniam. Scis enim probe, non cuivis datum eſſe, quod Lucilio ſuo tribuit Seneca: *Habere verba in poteſtate, non efferri ab oratione, nec trahi longius quam deſtinaveris.* Nondum tamen linguam cum ſtylo inhibeo, & prius tibi, quem ſcio mea ſolide ſolum gaviſurum eſſe gaudia, narrandum eſt, quantum boni fors fortuna improviſo & inopinanter mihi ante paucos dies objecerit. Præter prægandem enim faſcem Arabicorum, & recentium Latinorum ac Italorum librorum, quos Florentia mihi miſiſſe noviſti, *Antonium Magliabechium*, Ampliſſimum Clariſſimumque Virum, & quem jam ubique terrarum, non ut humanum & eruditum hominem, ſed, ut humanitatem & eruditionem ipſam deprædicant: donavit inſuper mihi, eodem tempore, (uti ſolent fata, & res ſecundas & adverſas meas, opportune in unum concludere diem) Nobilis & Conſultiſſimus Amicus noſter, *Joh. Elias Keslerus*, Sereniſſimi Ottingenſis Principis Conſiliarius, Codicem veterem MS. Spiræ repertum, quem ego maximi facio, licet opiſtographus ſit, & minutiſſimis literis, aciem fere oculorum effugientibus, perſcriptus. Complectitur enim principio, Commentarium in priores duas Terentii fabulas, & tertiæ partem, reliqua, eheu! deſiderantur. Succedit poſtea eorum quæ Servius in Virgilii libros Æneidos, uberius fuſiuſque commentatus eſt, ſcita & elegans contractio ſive epitome. Neuter horum librorum, quod equidem ſciam, publice extat, atque ſic hæc ita ſe habent, vehementer ambo digni ſunt, ut ab interitu vindicentur. Illæ imprimis in Terentium notæ, mihi pulchræ & luculentæ videntur, ac præcipue τὸ σεμνὸν quod huic Comico eximium ineſt, perpetuo oſtendunt. Ex indiciis quibusdam colligo, Seculo IX. circiter poſt Chriſtum natum vixiſſe Autorem, ſed, de quo amplius deliberandum fuerit. Nunc, Vale multum, *Vir Clariſſime*, & nos, ceu ſoles, ama. Altdorf. Noricorum a. d. XX. Novembris A. C. CIↃ. IↃC. LXXV.

Ebodum ARNOLDE Doctiſſime!

CRedebam, me nihil ad ſcribendum habere reliquum, & jam in occludenda epiſtola occupabar. Sed, commodum venit mihi in mentem, fieri poſſe, ut ipſum ἀπόσπασμα Lipmanniani Carminis, ad rem præſentem faciens, requiras, atque, ut illud ad quædam, quæ diſſeruimus, intelligenda, non utile tantum, ſed & neceſſarium judices. Quamobrem, quia reſtat aliquid pagellæ, id, quod fortaſſe præmiſiſſe ſatius fuiſſet, dabo hoc, etſi alieno nonnihil loco, cum verſione, vel potius paraphraſi. Eſt enim profecto dirum illud poema difficillimum, nec percipi ſenſus poteſt, niſi multa ex Libro Nizachon, cujus ſummam conficit, ſuppleantur. Fateor quoque, circa exponendum verbum אונציון quod in iſtis adhibuit infamis Poeta nebulo, aquam mihi plane hærere, nec poſſe me conjectura aſſequi, quid vere ſibi velit. Latinum *Unctio* videtur valere vox, & *Chriſtus* noſter, ſive *Meſſias*, qui ab *ungendo* nomen habent, innui: at, non admodum cohæret ea ſignificatio cum orationis contextu. Si quis tamen acriter contendat, eſſe omnino illud vocabulum, non litigabo adverſus eum, & mirum non eſſet, ſi etiam hic, prout alibi, in adhibendis Latinis verbis, ſe turpiter dediſſet Lipmannus, qui, Latinæ linguæ peritiam venditans, ita voces effert, uſurpatque,

Ut Arcadiæ pecuaria rudere credas.

Vale iterum, *Arnolde* mi, Vale ex animo.

ויעז המין וישא מושלו:
עד כי יבא שילו:
משיב על הקללה:
הקחה את שיניו למען תיורא:
למי אונציון אתה קורא:
למלכות בית דוד שבטלה:
ארבע מאות שנת נעצר:
קודם לידה והלייה:
כשהגלם נבוכד נצר:
ועיור עיני צדקיה:
תעז לפסיל כאיולתו:
שבט נשיא שילה:
שלייתו הוא בן דוד לעת הגאולה:

Sed, inſtat Hæreticus, atque nobis parabolas ſuas occentare occipit:

(*Cum illo Gen.* XLIX. 10.) Donec venerit שילו (*mire paratragœdians, quaſi exin-*

exinde necessario consequatur, Messiam pridem venisse.)
Tu vero, dilue ista maledicta,
Et hebeta homini dentes, (*obtundeque os,*) ut totus contremiscat.
(*Dicito:*) Quid existimas innui istis verbis?
Anne Regnum Domus Davidicæ? At vero, istud desierat.
Universos quadringentos annos.
Anne nativitatem & suspensionem (*vestri Redemtoris,*)
Cum Nebucadnezar Judaicam gentem in captivitatem abduceret,
Et Zedekiæ erueret oculos.
Responde stulto secundum fatuitatem ejus.
(*Inquiens: Vox*) שבט Principem (*designat, qualem nostra gens in Ægypto, ex stirpe Davidica descendentem, adhuc habet. Falsum igitur, Judæos* שבט *amisisse. Verbum*) שילה
A שליה (*quod* Secundinam *significat, deflexum est, idque innuit Messiam*) Davidis filium, futurum nostrum Salvatorem.

PETRI ZORNII HISTORIA FISCI JUDAICI

SUB IMPERIO VETERUM ROMANORUM

Qua periodi designantur Sceptri Judæorum ablati.

I. CUM præfanda quædam habeamus, videmur nihil alienum vel a præsenti argumento, vel persona nostra facturi esse, si ea audiamus, & intimis sensibus complectamur, quæ *Johannes Baptista* apud Matthæum III. 12. *ut vates* de *tristissimis gentis Judaicæ fatis* cecinit, & ipsa rerum veritate suffragante, prædixit: *Christus*, inquit, *in manu suum habens ventilabrum, aream suam expurgabit, frumentumque suum comportabit in horreum, glumam autem igni cremabit inextincto*. Ita quidem est *Simon Episcopius* itemque *Henricus Hammondus* negant Johannem proprie sic dictum Prophetam fuisse: at vero utriusque viri argumenta nullius hanc in rem momenti esse, facile fatebitur, quisquis aliquanto accuratius expendet, quæ de *Johanne Propheta Richardus Montacutius* Originum Ecclesiasticar. *P.* II. *pag.* 3. *Godofredus Olearius* in Observationibus in Matthæum *peg.* 298. *seqq.* & *Hermannus Witsius* (1) præclare observarunt. Quid multis hic opus erit argumentis? Johannes diserte προφήτης ὑψίστου patri suo Zachariæ in hymno, quem cœlesti afflatu ille canebat, celebratur *Lucæ* I. 76. Johannes ea de gente Judaica prædixit, quæ reliqui in sacris literis Vates unanimi consensu affirmant.

II. Quod autem ad ipsa Johannis verba attinet, ambages mihi nectere videntur, qui eadem verba ita illustrant, ut putent ad *usum vannorum iu Mysteriis Paganorum* respici. Vide *Edoardum Herbertum de Cherbury* de Religione Gentilium, errorumque apud eos causis *p.* 272. Ita quidem est: Pagani sacris suis tribuebant expurgationem animæ ab omni criminis reatu: hujus rei symbolum erat vannus, quæ mystice denotabat, ut vanno repurgatur triticum ab aceribus ac retrimentis, ita initiorum sacris mundari animam ab omni crimine anteacto. Et quemadmodum triplex erat animæ expurgatio in Paganorum sacris: aere una, altera aqua, tertia igni, ita ventilabrum sive vannus ad expurgationem aere factam pertinebat. Vide de hac *vanno mystica* in Mysteriis Paganorum *Gerb. Jo. Vossium lib.* II. de Origine & Progressu Idololatriæ *cap.* 14. *p.* 379. *Jo. Lomeierum* in Epimenide sive Syntaginate de Veterum Gentilium Lustrationibus *cap.* 18. *p.* 234. *Petrum Castellanum* in Ἑορτολογίῳ sive Syntagmate de Festis Græcorum in voce Dionysia *pag.* 100. *Phil. Jac. Maussacum* in Dissertat. Critic. in Harpocrationis lexicon *pag.* 377. aliosque, quos citat scriptores *Samuel Pitiscus* in lexico Antiquitatum Romanarum in voce Vannus.

nus. At vero hæc omnia, quæ de vanno mystica Paganorum traduntur, ab hoc loco aliena sunt prorsus, nisi quis admittere velit inconcinnam & perversam interpretationem verborum, quæ ex ingenio humano non erant supplenda.

III. Quæ cum ita sint, aliam ingressi viam, verba Johannis multo rectius ex re rustica veterum illustrabimus. Audiamus hanc in rem *Gisbertum Cuperum lib.* II. Observationum *cap.* 14. *pag.* 236. subjectis nostris animadversionibus. Sic autem *Cuperus inquit: Hesiodus lib.* II. ἐργ. *aream* docet debere fieri in loco ἐυαέϊ, id est *ventis exposito*. Docet idem *Varro lib.* I. *cap.* 41. de Re Rustica: *aream esse oportet in agro sublimiori loco, qua perflare possit ventus.* (2) Veteres quippe alia longe ratione in purgando frumento & a paleis discernendo, usi sunt, quam qua hodierni agricolæ: nam boves, quibus subnexi tribuli, triturabant (3) vel potius excutiebant, & deinde ventus paleas secernebat, in area ἐυαέϊ frumento posito. *Virgilius* III. Georg.

> *Cum graviter tunsis gemit area frugibus, & cum.*
> *Surgentem ad* Zephyrum *paleæ jactantur inanes.*

In quibus *paleam* & *ventum* observa: palea enim solo vento ablata: hinc etiam junguntur in *lib.* XVI. §. I. *Cod. de Servit.* & *a Palladio lib.* I. *cap.* 36. *sit autem area loco sublimi, & undecunque perflabili, longe tamen ab hortis, vineis, atque pometis. Nam sicut radicibus virgultorum prosunt letamen* (id est, *fimus. v. Virgilium in Georg.*) *& paleæ, ita insidentes frondibus eas perforant, atque arere compellunt.* Sed cum ventus munda satis frumenta reddere nequiret, aut acum, id est pulverem levissimum segregare (4) vanni usus repertus est. *Virgilius* I. *Æneid. v.* 165.

> *Arbuteæ crates & mistica vannus Jacchi.*

Servius exponit *cribrum areale*, & *Philargyrius* usum ejus vult, ut *fabam vannet*: sed omni frumento adhibitus, cumque rustici hoc facerent, ventum etiam captabant. Græci dicunt λικμῆσαι πρὸς ἄνεμον *Longus lib.* III. μενικῶν: ὅιδα καὶ (loquitur Daphnis) γῆς ἀρῶν καὶ λικμῆσαι πρὸς ἄνεμον. Ubi in notis lapsus *Jungermannus*, dum purgationem, quæ solo vento fit, & eam, quæ cum vanno, confundit. Cum enim locum *Virgilii* paulo ante laudatum attulisset, ait, *evannare* hoc *Varronem* dicere. Locus est *lib.* I. *cap.* 52. *his tritis oportet e terra subjactari vannis, aut ventilabris, cum spirat lenis. Ita fit, ut quod levissimum est in eo, atque appellatus acus, evannetur extra aream, ac frumentum quod est ponderosum purum veniat ad corbem.* Hactenus *Cuperus*, adjectis nostris observationibus, uti dictum erat: modum etiam, quo ventilabant *Græci*, describit *Xenophon* in Oeconomico *p.* 863. sed *ventilandi apud Hebræos rationem* præcipue exposuit Gallus ille (5) qui *Bouhoursium* (6) ad examen vocare voluit, uti nos docet Journal des Scavans Tomo XXI. Anni MDCXCIII. *p.* 675. En ipsam auctoris Galli sententiam in dicta Ephemeride his verbis expositam: *il dit, que quand* les Juifs vannoient, *ils tenoient* le van d' une main seulement, *par ce qu'il estoit soutenu par des cordes attachees ensemble a trois perches, ecartees par le bas en tiers proint, & posees en terre; & qu'* ainsi ils ne remuoient le van que d' une main, *pendant qu' ils otoient de l' autre tout ce qui devoit estre separe d' avec le grain. Il prouve cela par une figure ou se voit* un crible suspendu. (7) *Elle se trouve dans un livre, ou tout ce que les* anciens Juifs *faisoient pour celebrer la Paque, & tout ce que doivent faire encore ceux d' aujour d', huy*, est represente en tailles de bois. *Dela il conclut que s' ils* suspendoient le crible, *a plus forte raison ils* suspendoient aussi le van. *Il ajoute que quand il seroit vrai que le van se tient toujours des deux mains*, le P. Bouhurs *n' en tireroit aucun avantage, puisque' aux termes de l' Evangile, saint Jean Baptiste veut seulement avertir* les Pharifeens *&* les Sadduceens *de faire incessamment penitence: par ce que celui qui doit nettoyer son aire a deja le van à la main pour separer le bled d' avec la paille; c' est-a- dire qu' il a pris son van pour vanner bien-tot, sans expliquer s' il vannera avec une main, ou avec deux.* Et tantum de *vanno* five *ventilabro veterum Hebræorum*, nunc porro addimus, *captasse* inprimis *ventum*, qui vanno utebantur. Ecquem autem, inquies, ventum captabant. *Eurum* puta: is enim messis & trituræ tempore Palæstinæ maxime imminebat, is vehemens erat, & præ reliquis siccus, ad paleas dispergendas, & glumas segregendas inprimis aptus. Vide Jeremiæ XIII. 24. XVIII. 17. Quod si quis existimet, vehementiam hujus venti (8) frumento, & intensissimos ejusdem æstus hominibus vanno utentibus obfuisse, is meminerit, ardores de die & in meridie sæviisse,

tri-

trituram & ventilationem nocte institui solitam uti ex Ruth. III. 2. colligimus.

IV. Sed quæres, cur Johannes *judicia divina in gentem Judaicam* descripturus, *Christum cum vanno* commemoret? Nimirum observandum est ante omnia, *ventos* apud divinos vates denotare *motus bellicos & hostiles impetus*. Vide Jerem. XLIX. 30. LI. 1. *Dan.* VII. 2. 3. Zachariæ VI. 5. *Apocal.* VII. 1. & adde *Johannis Medi* Clavem Apocalypticam *p.* 50. itemque *Jacobi Abbadie* librum, cui titulus: le Triomphe de la Providence, & de la Religion, ou l' Ouverture de sept Seaux par le Fils de Dieu Tomo II. *p.* 88. sequ. Inprimis autem *Eurus* motuum bellicorum emblema est in divinis oraculis. Jeremias XVIII. 17. *sicut ventus orientalis dispergam eos* (id est Judæos) *coram inimico*, hoc est Rege Babylonis. Idem LI. 1. 2. Deus Babeli denunciat, *se excitaturum adversus eam* רוח משחית *ventum destruentem*, quem orientalem esse ex versu II. liquet, ubi Rex Mediæ ei comparatur. Idem Jeremias IV. II. sequ. imminentia Judæis judicia describit, quæ ita vertit *Nicolaus Nonnen* (9) *tempore illo dicetur populo huic & Hierosolymis, ventus siccitate nitere faciens collium culmina in deserto* (quod ab Eoro-Noto Palæstinæ erat oppositum) *est versus filiam populi mei, non ad ventilandum, neque ad purgandum*, id est, ut omnes explicant, major quam ad ventilandum requiritur, quod & sequentia doceant, *ventus fortior præ illis veniet certe; loquar enim de judiciis istis*. Et profecto inde est, quod Deus ipse Judæis succensens ventilatoris partes sustineat, vide Levit. XXVI. 33. & quæ ad verborum Mosis interpretationem affert *Stephanus Morinus* dissertat. II. de Cognatione Lacedæmonum & Hebræorum p. 83. inde est quod hostes satis commode ventilatores appellentur apud Jeremiam LI. 2. *immittam in Babylonem* ventilatores, *qui eam ventilent, ejusque territorium exinaniant, eam mali tempore undique circumsidentes*: inde est, quod victi ab hostibus modo *stipulis* a vento jactatis Psalmo LXXXIII. 13. modo *paleis* comparentur, quas ventus, aliquo ventilante, auferat, dissipetque turbo Esaiæ XLI. 16. Quod si ita est, uti esse non dubitamus, ex verbis Johannis tristissima gentis Judaicæ fata dilucent. *Judaica* quidem *Ecclesia area* quædam fuit, cum ei adhuc Deus esset propitius & faveret, vide Esaiæ XXI. 10. ibidemque *Campegium Vitringam*, eadem autem nunc *area* appellatur, cum imminerent tristissima fata, uti illa areæ notio colligitur ex Jeremiæ LI. 33. *puella Babylon quasi quædam area est, cujus triturandæ tempus est, cui brevi veniet tempus messis*. Atque hanc aream, quam tanquam tristissimorum fatorum scenam intuemur, expurgavit Christus, vannum adhibens, quæ glumas secerneret igni cremandas inexstincto.

V. Videamus nunc *vaticinii Johannei implementum* in ultimo gentis Judaicæ excidio, cum *Christus Romanos ventilationis suæ administros* misisset, Euri instar irruentes. *Plaga mundi orientalis*, unde *Eurus* flabat, non incommode his judiciis applicatur, si quidem excidium Hierosolymis inde præcipue illatum est, cum *Titus* primum *montem Oliveti ad orientem urbis situm* occupasset, vide *Josephum* de Bello Judaico *lib.* V. *cap.* XI. §. 3. & postea castra, quorum parte a septemtrione impressiones fecerat, in eandem plagam, & locum, quem olim castra Assyriorum occupaverant, transtulisset, ibidem *cap.* VIII. §. 13. unde obsidionem & expugnationem templi præcipue urgebat. (10) In veterum quoque Judæorum monumentis occurrit, quod huc inprimis pertinet. Nimirum in Midras Tillim ad Psalm. X. 1. *R. Jochanan* dixisse fertur: *tribus annis & dimidio* שכינה *divina majestas stetit* בהר הזתים in monte olivarum, *& clamabat, quærite Dominum dum inveniri potest: & animum non adverterunt*. Excerpunt hæc verba *Antonius Bynæus* in dem gecreutzigten Christo *cap.* III. *pag.* 137. *Jo. Lightfootus* in Centuria Chorograph. Matthæo præmissa *cap.* 40. *Jo. Gothofr. Lakemacherus p.* IV. Observationum Philologicarum observat. VI. §. 4. *p.* 116. *Adrianus Relandus* in Palæstina *pag.* 337. *Hugo Grotius* de veritate religionis Christianæ *lib.* V. §. 21. in notis lit. (h) & *Christoph. Cartvvrightus*, qui in Mellificio Hebraico *lib.* II. *cap.* 7. inde illustrat illa Lucæ XIII. 7. *ecce tribus annis venio quærens fructum*. Confer Tomum II. Opusculorum nostrorum sacrorum *p.* 301. Certe hoc dicto veteris Judæi, nihil est verius. Tempus enim adventus filii Dei in mundum exsertis verbis a Domino in Parabola Matthæi XXI. 34. appellatur ὁ καιρὸς τῶν καρπῶν *tempus colligendorum fructuum*, quo tempore *agri* Johannis IV. 35. jam *albi* erant *ad messem*, *agri* inquam, sive metendi verbo Evangelii, sive carpendi gladio & falce Romanorum, cum finis Reipublicæ Judaicæ & Œconomiæ Veteris jam properaret. Vide *Campegium Vitringam Tomo* II. Commentarii in Esaiam *pag.* 134. qui affirmat emblema illud utroque modo sumiatque denotari. Et profecto Christus *in monte illo & vicino*

cino

cino templo diu multumque verſatus in manu ſua *vannum* habuit, ut paleam aut, ut rectius dicam, glumam a frumento ſecerneret, puta excutiendo, diſcutiendo, agitando, ventilando, hoc eſt, ut admonendo, redarguendo, convincendo, & interminando, ſtylo Scripturæ Sacræ *Jeremiæ* I. 10. Eccleſiam Judaicam judiciis divinis ſubjiceret. Huc tendebant omnes Chriſti labores, huc officii eum ratio vocabat, ut frumentum Dei, ſive ſemen electorum, quod inter glumas magnæ multitudinis hypocritarum & improborum hominum delireſcebat, purgaret. Addidit Chriſtus lacrymas, cum ex monte illo deſcendens, viſa urbe, eam deploraret *Lucæ* XIX. 41. at contumaces & refractarii Judæi Chriſti benignæ adhuc ventilationi obſtinatis animis reſtitere, donec gravior illa ſuccederet ventilatio, cum Chriſtus Romanos ventilationis ſuæ adminiſtros miſiſſet, Euri inſtar irruentes. Jam videbant Judæi ſuperiorem civitatem igne concepto latius fundere incendium, ſed (uti *Jo. Bapt. Ortius* in Centuria locorum Novi Teſtamenti cum Flavianis vel phraſibus vel hiſtoriis aliquid commune habentium ex *Joſephi lib. de bello Judaico cap.* II. obſervat) ὄτε ἤλγησαν, ὄτε ἐδάκρυσαν *neque doluere*, *neque illacrymavere*, cum apud Romanos ipſos, qui hæc paterentur, inventi eſſent. Uſque adeo pertinacia Judæos vel excæcat vel orbat ſenſibus: interim tamen in iſta *ventilatione Judæorum ad Eurum* facta, Chriſtus ſuos tanquam frumenrum in *horreum ſuum* comportavit, hoc eſt ſalvos incolumeſque ſervavit, impios autem Judæos, expurgata prorſus area, tanquam glumas igni inextincto cremavit. Πῦρ ἄσβεστον dicitur, donec ſupereſt materia, quæ comburatur: neque vero neceſſe eſt, ut hic *ignem inferorum* intelligamus, quem deſcribit *Minucius Felix* in Octavio *cap.* XXXV. *num.* 3. (11) cum *Judæi una cum templo exuſti* multo rectius intelligantur, uti obſervavit *Johannes Deſpagne* dans l'Harmonie des Temps *p.* II. *pag.* 441. (12) Et profecto quemadmodum Chriſtus ad Eurum vanno ſua uſus aream ſuam expurgavit, ita ejuſdem Euri inextincto igni glumas, ſive impios cremavit. Nimirum idem ille *ventus* קדים *orientalis*, qui aliquando Νότος *Lucæ* XII. 54. 55. (13) ſatis crebro etiam καύσων præter Lucam l. c. & Jacobum in *Epiſtola* I. II. τοῖς LXX. dicitur, quia *æſtum* afferre & *adurere* ſolet. Vide omnino *Abrahamum Trommium* in Concordantiis Græcis verſionis vulgo dictæ LXX. Interpretum *Tomo* I. *pag.* 880. & *Petr. Keuchenium* in Annotatis ad IV. Evangeliſtas & Acta Apoſtolorum *pag.* 136. Quin imo *adurendi vis* huic vento in ſacris literis diſerte adſcribitur. Ita Deus *Ezech.* XVII. 10. de arbore interrogat: *nonne ubi attinget eam* רוח הקדים Eurus, *prorſus exareſcet*: LXX. habent, ὀχὶ ἅμα τῷ ἅψεσθαι αὐτῆς ἄνεμον τὸν καύσωνα ξηρανθήσεται. Et rurſum *Ezech.* XIX. 12. ubi legimus ורוח הקדים & Eurus *exſiccavit fructum ejus*, in τῶν LXX. verſione occurrit, καὶ ἄνεμος ὁ καύσων ἐξήρανε τὰ ἐκλεκτὰ αὐτῆς: Pari quoque ratione *Hoſeæ* XIII. 15. poſtquam Propheta dixerat יבוא קדים *veniet Eurus*, ſecundum LXX. ἐπάξει καύσωνα ἄνεμον Κύριος, ſtatim ſubdit: *& exareſcet ſcaturigo ejus*, *& exſiccabitur fons ejus*. Atque hæc omnia confirmantur Celeberrimorum Periegetarum teſtimoniis. Teſtis eſt *Petrus della Valle*, ſiquidem tradit, ſe in plagis agri, ſuper quas flaverat καύσων, tanquam *ignis veſtigia* in *exuſtis campis*, obſervaſſe: teſtes & alii, quibus *ſtygii iſti flatus*, *rubente ac inflammante quaſi colore inſtar flammæ fornacis furere* dicuntur. Plura hanc in rem diximus *Tomo* II. Opuſculorum noſtrorum ſacrorum *pag.* 138. *ſeqq.* hic non repetenda, cum hæc quæ in præſenti dicta ſunt, ſufficiant.

VI. Jam vero nobis cum animis noſtris memoriam vaticinii Johannei recenſentibus occurrunt identidem verba illa *Pſalmi* XXXV. 5. 6. dirarum plena: *ſimiles ſint* (Judæi) *aceri per auras*, *& angelus Jehovæ agitet eos*: *ſit eorum via tenebricoſa atque lubrica*, *& angelus Jehovæ perſequatur eos*. Ita enim eſt, uti canit *Prudentius* in Apotheoſi v. 541.

Exſiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judæus, *poſtquam patria de ſede revulſus*,
Supplicium pro cæde luit, *Chriſtique negati*
Sanguine reſperſus commiſſa piacula ſolvit.

Ex quo enim tempore *vannus illa Chriſti*, Judæos poſt exſcidium ultimum *ubivis terrarum diſperſit* ad incitas redactos: iidem tot ſæculorum decurſu tot *fata* habuerunt, *miranda* ſane ac *obſtupeſcenda*. Neque enim ſolum (verbis utar *Cypriani* in libro de Idolorum vanitate *cap.* VI. *num.* 4.) *diſperſi & palabundi vagantur*, *ſoli & cœli ſui profugi*, *per hoſpitia aliena jactantur*, ſed & inter tot per omnia ſæcula vexationes, oppreſſiones & exilia *in longum ævum perdurant* non ſine divino numine, (14) cum tot gentes Deo in-

invisæ prorsus interciderint. *Præsentem Judæorum statum* describit Italus Judæus *Simon Luzzati* in libro, cui titulus: Discorso circa il Stato degli Ebrei. (15) *Calamitates suas* longe gravissimas ipsi Judæi describunt *Isaac Abarbanel* passim, in primis in Commentario suo super *Levit.* XXVI. 14. R. *Asarias* in Meor Enajim, *Salomon Benvirga* in Scheveth Jehuda, *Samuel Usque* in singulari libro, (16) ut de scriptoribus Christianis taceam, qui idem argumentum tractarunt laudati a *Joh. Christ. Wolfio P.* II. Bibliothecæ Hebrææ *pag.* 1101. & *P.* IV. ejusdem Bibliothecæ *pag.* 504. *seq.* Nec opus est plura addi, cum ipsi *Judæi* in omnibus *exsilii sui* locis, ubi *ædes* exstruunt, in iisdem *ultimi excidii*, adeoque *omnium calamitatum*, quæ inde promanant, *memoriam* eamque *tristissimam* exstare velint. Audiamus *Leonem* de *Modena* (ex versione Gallica Domini de *Simonville* sive *Richardi Simonii*) dans les Ceremonies & Coustumes, qui s' observent aujourd'huy parmi les Juifs *P.* I. *cap.* II. §. I. *p.* 4. *si quelque Juif bastit une maison, il doit laisser une partie imparfaite*, conformement à ce qu' en ont ècrit les Rabins, & cela *en memoire de ce que Jerusalem & le Temple sont maintenant desolez*, & il doit marquer combien il en est touchè, selon ces paroles du Pseaume 137. *si je t' oublie, Jerusalem, que ma dextre l' oublie*; ou au moins celuy qui bastit laisse une coudèe en quarrè de la muraille sans estre enduite de chaux, où il ècrit *en grosses lettres* les paroles du *Ps.* 137. que je viens de dire, ou bien ces deux mots *zecher la chorban*, qui signifient, *memoire de la desolation*. Porro autem *Buxtorfius* in Synagoga Judaica *cap.* 28. ait, in nonnullis locis sponsi capiti cineres *in memoriam templi combusti*, esse inspersos, at regerit *Christoph. Cartvvrightus* Mellificii Hebraici *lib.* V. *c.* 5. istam consuetudinem, nec in *Seldenii* Uxore Hebraica, nec in *Leone Mutinensi* de Ritibus Hebrærum commemorari.

VII. Quemadmodum autem in istis *Judæorum calamitatibus*, earumque *vicissitudine* divina sapientia satis luculenter apparet, (17) ita Judæi inprimis inter calamitates suas referunt *acerbissimas tributorum exactiones*, quibus subinde discruciantur. R. *Abraham* in libro Zetor hammor *fol.* 120. *col.* 2. in Parascha Chykkath de Edom sive de Christianis ita disserit: *Scriptum est* Prov. XXX. 15. *sanguisuga duas habet filias* הב הב haf haf, cedo, cedo: *nam ita est mos Christianorum ab Israelitis* מסיר ואם נוניות *exigere*: *semper efflagitant*, *& dicunt* הב הב da, da: *sanguisuga autem denotat malum illud genus quod est Edom*. Judæi quoque in suis Selichoth, sub titulo Lezom Gedalia, in oratione quadam, cujus initium Esrachi meever hannhaar, ita precantur: *libera populum tuum* ab haf haf *id est a Christianis, nam Israelitæ in te onus suum reponunt*. (18) Porro autem Judæi Christianos propter exactionem tributorum מדהבה *Madhesa* appellant, (19) quibus sit auri sacra fames. En Judæos in malis suis ambitiosos, qui suas calamitates maximopere exaggerant, more nimirum ambitiosorum, qui ditiores aut fortunatiores haberi volunt: cum ex recognitione sui scire debeant, se nequitia sua hanc meruisse fortunam nec quidquam accidisse, quod non sit ipsis, si in contumacia perseverarent, ante prædictum. Quamdiu Judæi Deum caste, innoxie, religioseque coluerunt, quamdiu præceptis salubribus obtemperaverunt, alias *gentes* habuerunt *tributarias*, de quibus exstat lex divina *Deut.* XX. II. Quid commemorem tributarios Cananæos *Josuæ* XVI. 10. XVII. 12. 13. *Judic. lib.* 27. Palæstinos & Moabitas 2. *Sam.* VIII. 1. 2. Syros 2. *Sam.* X. 19. Jebusæos 1. *Reg.* IX. 21. Confer *Jo. Seldenum* de Jure Naturæ & Gentium *lib.* VI. *cap.* 14. jam vero *Judæi a Deo deserti*, *& ut disciplinæ transfugæ dediti* (ita loquitur *Minucius Felix* cap. 33. num. 9.) pro despectissima parte servientium ubivis habentur. Ceterum secundum *prudentiores Judæos* quod Rex vel magistratus sibi pendi exigit, id jure fieri subditi existimare debent. Vide *Constantinum l' Empereur* in notis ad בבא קמא *pag.* 95. *P.* IV. Mischnæ *Guil. Surenbusii*. Utinam vero Judæi φιλαίτιοι & semper queruli hanc prudentiorum sententiam memori mente tenerent.

VIII. Quæ cum ita sint: *Historiam fisci Judaici sub Imperatoribus Romanis, iisque Paganis inde a prima origine* conscribere sustinui, præcipue cum *nummum Nervæ Cocceji*, qui *calumniam fisci Judaici sublatam* commendat, aliquanto accuratius illustrare mecum constituissem. Docti quidem homines, quorum subinde mentionem feci, passim de *fisco Judaico* commemorant, sed uti eruditas illorum observationes, quasi disjectas tabellas frustillatim conquirere & ordinatim aptare debui, ut musivum aliquod opus (loqui ita mihi liceat) concinnarem, ita, primus, quod præfiscine dictum sit, *integram fisci Judaici Historiam*, eo, quo dictum est, modo, contexui, præcipue cum mihi de hoc argumento ex cathedra publica differendi occasio data esset.

Ob-

Obsolescit quidem *Civium nostratium in Gymnasio Carolino* diligentia, socordia contra & veternus omnia tenet, (20) inter paucos tamen Juvenes, quibus ut cum Poeta loquar,

arte benigna
Emeliore luto finxit præcordia Titan.

egregium locum suo jure obtinuit *Melchior Ludov. Wiedekind*, gnavus, probus, atque industrius sacrarum literarum cultor, qui *Respondentis munere* functus *duo priora hujus Historiæ capita in publica quadam Dissertatione* (21) me Præside in Auditorii Majoris Cathedra A. O. R. MDCCXXXII. die XXVII. Maii, publico Eruditorum Examini submisit, eamque dissertationem *Illustrissimo in Toga Heroi* Domino *Samueli* de *Coccejii* summa animi demissione dedicavit. (22) Ex illo tempore reliqua capita, quæ restabant pertexenda, adjeci, ut sic tandem *Historia Fisci Judaici*, *ejusque calumniæ per Nervam Coccejum sublatæ* publicam adspicere lucem posset. Constitueram etiam dicta capita aliquot dissertationum Academicarum nomine conscribere, ut Cives nostri data ita occasione in Cathedra publica & in doctorum hominum consessu, suam probarent industriam, sed spes me omnis fefellit. Interea tamen, si *Civibus nostris insipientibus* non visum opera nostra, dum possunt, uti, non ego infelicior fuero, quin fortasse eo beatior ero. Quemadmodum enim *Hugo Grotius* alicubi ut Vates canit, inter ea esse, *Vitam quæ faciunt beatiorem*, *Nulli pendere temporis tributum*, ita quamdiu apud *ineptos Cives* ab hoc tributo immunis sum, sedulo id operam dabo, ut ne minus sim negotiosus, quam soleo.

IX. Accipitis igitur Benevoli Lectores *Historiam Fisci Judaici*, de qua pauca adhuc addere operæ pretium fuerit. Inter plures scriptores, quorum errores emendare collibuit, occurrebat *Cæsar Baronius*, dignus omnino, qui data occasione ad examen vocaretur. Sunt inter Romano-Catholicos, quibus *Baronius* est Deus quidam quasi ἀναμάρτητος (23) sed sunt quoque inter eosdem alii, & emunctæ quidem naris homines, qui non leves *Baronii* hallucinationes subinde castigarunt, uti alio loco & tempore id satis superque probavi, non sine doctissimorum hominum apud exteros consensu. (24) Porro autem inter Romano-Catholicos occurrunt, qui cum *Anselmo Bandurio* (25) & Abbate *de la Roque* (26) *Baronium* tanquam peritissimum veterum nummorum interpretem commendant, sed uti quinque abhinc annis (27) affatim declaravi, vel fidem vel ἀγχίνοιαν Purpurati in nummorum cognitione sæpius vacillare, ita & in hac *Historia Fisci Judaici* docui, a *Baronio Nervæ Coccejii nummum*, itemque alios Imperatorum Romanorum nummos, valde frigido & jejune explicari. Ceterum cum ipsa *Fisci Judaici Historia* magnum dicendi aperiret campum, collibuit subinde *in delicias* & *amœnitates Philologiæ* aut *adfinium literarum* excurrere, ut insignis ex illarum tractatione utilitas magis magisque enitesceret, apud eos præsertim, qui Philologiam sacro usui applicatam pro eo ac fas est, maximi faciunt. Neque vero hanc *Historiam Fisci Judaici Parochis* commendabimus, qui se illa *citra salutis*, & *citra Theologiæ damnum* perfacile carere posse, clamabunt, persuasi sanctas literas ad sanctitatem vitæ morumque formandam tantummodo pertinere, neque adeo opus esse humanioribus literis, quæ ad sacrum usum adhibeantur. At vero quemadmodum istiusmodi homines jure notavit *Joannes Despagne* (28) ab *Henrico Muhlio* laudatus, (29) ita eosdem gravissime errare judicamus, nisi quis eo impudentiæ devenire velit, ut credat, ea omnia, quæ in Sacris literis præter æternæ salutis negotium traduntur, frivola esse, & supervacanea, quæ nullum habeant usum. Jam vero si, ut recte affirmat S. *Basilius*: ἀργὸν ῥῆμα ἐν τῇ γραφῇ, βλασφημία δεινή, *graviter maledicunt sacris literis*, *qui in illis verbum otiosum esse docent*: mittimus omnino dictos Parochos & Deo irato relinquimus, indignos, qui ex hac *historia Fisci Judaici Periodos sceptri Judæorum ablati* aliquanto accuratius pernoscant. Interim cum *Christoph. Cellario* in Præfatione Sciagraphiæ Philologiæ Sacræ præmissa, hanc summam votorum nostrorum facimus, ut res Ecclesiarum majorum minorumque Academiarum, addo, & Gymnasiorum, in melius transferantur, & divinum verbum ex intentione Spiritus Sancti prædicatum & ad veritatis cœlestis argumenta recte accommodatum fructus copiosiores ferat, &, quod Deus largiatur, *crescat nostra fides*, *atque exuberet nostrum omnium mutua charitas*, 2. Thessalon. I. 3. Valete, *Benevoli Lectores*, & studiis nostri favete.

NO-

N O T Æ.

(1) Tomo I. Miſcellaneor. Sacror. lib. I. cap. 21. de Prophetis in Evangelio laudatis §. 23. p. 296. & Tomo II. Exercit. XV. de vita Joannis Baptiſtæ §. 21. p. 522.

(2) Nimirum *area* erant ſub dio, in quibus grana ventilabant, vel triturabant, non ut noſtræ ſub tecto clauſæ. Proinde illas omni vento patuiſſe conſtat ex his Oſeæ XIII. 3. *ſicut palea turbine rapta ex area*. Vide *Bochartum* Hierozoici P. I. lib. II. cap. 49. p. 548. Sed & area Ornanis *in colle* ſita erat, in quo poſtea a Salomone templum exſtructum eſt 2 Paralipom. III. 1.

(3) Juſto brevior hic eſt *Cuperus*, vide de varia præſertim apud veteres Orientis gentes triturandi ratione *Nicolaum Fullerum* Miſcellaneor. Sacror. lib. VI. c. 12. *Thomam Gatakerum* in Cinno lib. II. c. II. ap. 182. ad p. 189. *Petrum Moll* ad *Longi* Ποιμενικά p. 90. *Auguſtum Pfeifferum* in Antiquitatibus Ebraicis Selectis cap. 19. *Bochartum* Hierozoici P. I. lib. II. cap. 32. *Matthiam Frider. Beckium* in notis ad Paraphraſin Chaldaicam libri I. Paralipomenon ad cap. XX. 3. *Campegium Vitringam* Tomo II. Commentarii in Eſaiam p. 129. 406. *Henr. Hammondum* & *Auguſtinum Calmetum* in notis ad Matthæi III. 12. *Joannem Dougtæum* P. I. Analectorum Sacror. Excurſu 65. p. 113. *Chriſt. Schoettgenium* in Antiquitat. Trituræ, & Tomum noſtrum II. der Erorterung der dunckelſten Schriftitellen des Alten Teſtaments p. 795. ſequ.

(4) Per vocem ἄχυρον non ſignificatur *palea*, ſeu *ariſtarum calamus*, qui multis uſibus inſervit, nec unquam comburitur, ſed *gluma*, involucra nempe granorum, & ſpicarum fragmenta, quæ a Græcis ἄχναι dicuntur. *Heſychius* ἄχνη τὸ ἄχυρον at οἱ LXX. diſtinguunt Eſaiæ XVII. 13. ubi *glumam* χνοῦν ἀχύρου *pulviſculum paleæ* vocant.

(5) Sibi impoſuit nomen *Abbe Albigeois*, librumque ſuum inſcripſit: Diſcuſſion de la ſuite des remarques nouvelles du P. *Bouhours* ſur la langue Francoiſe, pour defendre ou pour condamner pluſieurs paſſages de la *Verſion du Nouveau Teſtament de Mons*, & principalmente ceux que le P. *Bouhours* y a repris.

(6) Is dans la Suite des remarques nouvelles ſur la langue Francoiſe hiſce verbis reprehendit verſionem Montenſem: *les traducteurs qui ont mis*: il a le van en la main, *ont ſuivi en cela* les traducteurs de Geneve: *& il eſt aisè de s'ègarer dans la langage auſſi bien que dans la doctrine en ſuivant de mauvais guides*. Ce qu'il y a de certain, c'eſt qu'on ne tient pas un van comme un eventail: on l'a entre les mains, & non pas en la main.

(7) Ita *manipulus paſchalis ex hordeo* igne toſtus in *vaſe undique perforato*, אבוב dicto, *vento* exponebatur in atrio templi. Vide præter alios *Adrianum Relandum* in Antiquitatibus Sacris veterum Hebræorum delineatis P. IV. cap. 3. §. 8. p. 404.

(8) *Vehementiam Euri* indicant ejuſdem nomina. Inde רוח קשה diſerte vocatur Eſaiæ cap. XXVII. 8. *ventus durus &* עזה *validus* Exodi XIV. 21. inde & LXX. Pſalmo XLVIII. 8. קדים per πνεῦμα βίαιον vertunt. Confer Tomum II. Opuſculorum noſtrorum ſacrorum p. 135. itemque *Arnoldum Bootium* Animadverſionum ſacrarum ad textum Hebraicum Vet. Teſtamenti lib. IV. cap. 8. §. 9. p. 186.

(9) In diſquiſitione de effectibus Euri in Palæſtina tempore trituræ §. 6. p. 480. P. III. Voluminis I. Muſei Hiſtorico-Philologico-Theologici.

(10) Vide *Nonnenium* in modo dicta diſquiſitione §. 19. p. 538. *Baronum* Tomo I. Annalium ad A. C. 34. num. 8. *Hermannum Witſium* Tomo II. Miſcellaneorum Sacrorum Exercitat. XI. §. 32. p. 337. & Tomum II. Opuſculorum noſtrorum ſacrorum p. 304.

(11) En ejus verba inprimis notatu digna: *nec tormentis aut modus ullus aut terminus. Illic ſapiens ignis membra urit & reficit: carpit & nutrit, ſicut ignes fulminum corpora tangunt, nec abſumunt: ſicut ignes Ætnæ & Veſuvii, & ardentium ubique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium paſcitur, ſed inexeſa corporum laceratione nutritur*. Præclarum utique hoc teſtimonium eſt judice *Petro Poſſino* in Spicilegio Evangelico §. 40. p. 93. unde probatur pœnas damnatorum æternas eſſe. Plura quidem alia aliorum Patrum teſtimonia *Stephanus Baluzius* in notis ad *Salvianum* pag. 389. *Origenis* Ἀποκαταστάσει πάντων opponit, ſed illud ipſum *Felicis* teſtimonium ex iucuria neſcio qua, omittit.

(12) Audiamus ejuſdem verba: *ce feu n'eſt pas toujours celuy d'enfer. Le mot marque ſouvent* une vengeance qui tourmente & conſume juſques an bout. *Et celle fut celle que Dieu deſploya ſur les Juifs, en la derniere ruine de Jeruſalem: &* que Jean Baptiſte *leur denonce en ce paſſage*. Peut-eſtre meſme que ce feu inextinguible, duquel il parle, ſe doit entendre literalement. *Le Temple, en qui les Juifs ſe fioyent principalement, fut bruslè de fond en comble. Le General de l'armèe Romaine avoit voulu preſerver ce baſtiment; & ſes gens y ayants mis le feu, il taſcha de le faire eſteindre: mais il fut entierement impoſſible d'empeſcher qu'il ne conſumaſt tout ce grand edifice. Dans ces flammes perit auſi une grande multitude de Juifs qui s'eſtoyent refugiez au Temple*. Nimirum, uti *Baronius* Tomo I. Annalium ad A. C. 72. num. 13. ex *Joſephi* lib. VII. de Bello Judaico cap. 11. obſervat, *Pſeudopropheta* quidam decipiens populum infelicem, jactavit, ſalutem Deum polliceri omnibus, qui in templum adſcenderent. Multi itaque fidem eidem habentes, eo ſe contulerunt, ita ut, ad *ſex hominum millia* omnes æque *incendio templi* conſumerentur.

(13) Quomodo Lucæ Νότος idem ſit ventus, qui Ebræis קדים *orientalis* dicitur, pluribus expoſui in Diſſertatione de Judæis Chriſti ætate Μετεωροπόλοις, qaæ legitur inſerta P. II. Voluminis II. Muſei Hiſtorico-Philologico-Theologici p. 332. ſequ. Interim hic conferendus erit *Iſacus Voſſias* in diſſertationibus de LXX. Interpretibus eorumque tralatione & Chronologia p. 43. & in Appendice ad librum de LXX. Interpretibus p. 93.

(14) Vult Deus, ut ſparſi ſint Hebræi per omnes regiones in teſtimonium veritatis religionis Chriſtianæ, in memoriam & paſſionis & mortis illius Chriſti ab Hebræis occiſi, qui noſtram fidem fundavit, omniſque boni noſtri autor exſtitit. Hæc *Joannes Maria Vincenti* in tractatu Italico, quo diſquiritur: num ſatius ſit retinere quam expellere Judæos. Subſcribit *Vincenti J. C. Wagenſeilius* in Confutat. carminis R. *Lipmanni* p. 242. Alios de hoc argumento ſcriptores indicat *J. C. Wolfius* P. II. Bibliothecæ Hebrææ p. 1102.

(15) Inde excerpta videas apud *Jac. Baſnagium* dans l'Hiſtoire des Juifs lib. IX. cap. 38. §. 1. pag. 1061. *Wagenſeilium* in dicta confutatione carminis p. 213. & *J. C. Wolfium* Bibliothecæ Hebrææ P. III. p. 1150. ſequ.

(16) Qui liber ſcriptus eſt ſermone Luſitanico ſub hoc titulo: Conſolaes am as tribulacoens de Yſrael. Idem liber in Hiſpanica lingua prodiit ſub hoc titulo: Conſolation à las tribulaciones de Iſrael. Excerpta inde luculenta videas apud. *Jo. Chriſtoph. Wolfium* Bibliothecæ Hebrææ P. III. p. 1071.

(17) Arrident nobis verba *Wagenſeilii* in Confutatione Carminis R. *Lipmanni* p. 241. *Si quis attente & conſiderate hiſtoriarum monumenta evolvat, deprehendet, quamprimum Judæi in regno aliquo, aut gente inter Chriſtianos, tacitis incrementis augeſcere, divitias luculentas parare, criſtaſque erigere nonnihil cœperunt, ſtatim* occulta Dei diſpoſitione, *inſignem aliquam cladem, quæ homines illos omnibus fortunis exutos ad incitas redegit, aut ſolum plane vertere coegit, conſecutam eſſe*.

(18) Ceterum verba illa Salomonis de *ſanguiſuga* perperam intelligi pluribus probavit *Samuel Bochartus* Hierozoici P. II. lib. V. cap. 19. p. 799. Confer tomum noſtrum II. der Erorterung der dunckelſten Schrifſtellen des Alten Teſtaments p. 464. ſq. Ex illa autem *Bocharti* interpretatione quilibet facile intelliget, Judæos verba Salomonis præpoſtero conſilio ad

ad *tributa Christianis pendenda* trahere & detorquere.

(19) Operæ pretium fuerit, hic audire *Jo. Andr. Eisenmenger* im entdeckteu Judenthum P. I. cap. 17. p. 798. die *Christenheit* wird מדהבה *Madhesa* genennet, welcher Nahme aus Esaiæ XIV. 4. genommen ist, allwo er von *Babel* gesagt wird: und kommet derselbige von dem Chaldeischen Vvorte דהב *Dehaf* her, welches *Gold* heisset, und wird von einigen *Goldbegierig*, oder *Gold samlend*, von andern aber *Gold-Steuer* oder *Zinsz* ausgeleget. Der Rabbi *David Kimchi* schreibet in seinem Commentario daruber also: *dieses ist ein Beynahme Babels, welches viel Gold hatte, denn sie hatten von allen Landern* מס Tribut *genommen.* Dasz aber die Christenheit auch also genennet vverde, solches ist aus den Selichoth, unter dem Titul Lejom schelischi in einem Gebet, vvelches anfangt, ajeh col nifleothecha klarlich zu sehen, darinnen sie also beten: *Ich bins mud* (oder *uberdrussig*) *das Joch der Madhesa zu tragen, vvelche spricht, messe, und bringe viel.* In dem alten Prager Selichòth vverden gedachte Vvorte in dem Commentario also erklaret: *es ist mir beschvverlich das Joch des Volcks, vvelches* Madhesa *genennet vvird, langer zu trageg, dievveil es allezeit sagt: messe ein gehauft Mausz, und bringe Geld in unsre Schatz-Kammern.* In der Polnischen Siddurim aber ist es fol. 77. col. 1. unter dem Titul Jozer leschabbath revii acher happesach, in dem Commentario uber ein Gebet, vvelches anfangt Elohai becha echavek, gantz klar zu sehen, indem das Vvort *Madhesa* durch umma hareschas das ist *das gattlose Volck* erklaret vvird, vvordurch *die Christen* verstanden vverden.

(20) Quotus enim quisque Civium nostrorum est, cui sit incoctum generoso pectus honesto? quotus, qui Doctum Virum curto asso licitetur, ut mansuetiorum literarum fontes vel primoribus labris delibet; quotus, qui illud S. *Hieronymi* secum recordetur: *facito aliquid operis, ut te semper Diabolus inveniat occupatum.* Vide de hoc dicto *Hieronymi Joannem Hoornbeekium* in Oratione de Scholis Theologicis p. 573. P. II. Miscellaneorum Sacrorum, itemque *Josephum Binghamum* in Antiquitatibus Ecclesiasticis lib. VII. cap. 3. Et vero ex tanto literarum elegantiorum fastidio & veterno, qui Cives nostros occupat, quid consequatur, pudet pigetque referre. Habebimus μαμμακύθους, qui plebis judicio multum sapere, suo nihil nescire videntur, habebimus perfrictæ frontis homines, quibus propter ignorantiam tanquam anseribus in Capitolio intempestive strepentibus cibaria publice locantur. Sed quid juvat indulgere dolori, nec profuturis questibus diem ducere?

(21) Titulus dissertationis hic fuit: Dissertatio Anti-Baroniana prima in Nummum argenteum Imperatoris Nervæ Coccej. de Fisco Judaico, ejusque Calumnia sublata ad illustrationem Geneseos XLIX. 10. Esaiæ VII. 8. Matthæi III. 10. Lucæ II. 1. 2. 3. & Act. V. 37.

(22) Dedicationem dissertationis dictæ hic suo loco inserere placet, ne intercidat:

Vir Reverendissime, atque Illustrissime,
Mæcenas Indulgentissime,
Gratiosissime.

Permitte, aut si mavis, patere, ut prius *Tecum* loquar, quam purpuram Tuam, illumque latum, quem demittis pectore clavum, & reliqua magnæ Tuæ potestatis ornamenta venereri atque osculari audeam. Plerique, qui potentiorum atria obsident, *Procerum fortunam* potius, quam *Ipsos* colunt, iniqui profecto rerum æstimatores. Quodsi enim hominibus nullius rei possessio mancipio data est, præterquam virtutis: si virtus nondum in illustrissimum quoddam theatrum producta, sua tamen fulget luce, seque ipsa decorat una & exornat; rectissime utique sentiunt, qui Procerum dignitatem non *fortunæ cæca manu missilia sua spargenti, sed soli virtuti* adscribendum esse judicant. Irridentur quidem vulgo hominum umbraticorum de virtute disputationes, ut quæ extra porticum in luce Reipublicæ nullius sint usus, sed Tu, *Vir Reverendissime atque Illustrissime*, stultum coarguis errorem, quoniam *Tuæ Virtutis suffragatione* es adeptus, quæ sui muneris ac beneficii esse *fortuna* volebat. Accessit etiam *tanta eruditio*, ut plerosque omnes ætatis Tuæ eruditos non minus longe a Te submoveas ingenii fascibus, quam loco illustrissimo & amplissimis functionibus, in quibus Tua Te virtus locavit, antegrediaris. In *summis* enim *tribunalibus* sive *civilibus* sive *sacris* ita clavum tenes, ita regis, ut quod *Petro Pithoeo*, in præfatione Mosaicarum & Romanarum legum Collationi præmissa, *Thuanus* fuit, Tu σῶμα Senatus, & quodammodo ἔμψυχος νόμος non immerito dici possis. In Orbe enim Literato regnas, atque ita regnas, ut cum Potentissimus noster Rex, idemque Clementissimus, Te *Academiis* & *Gymnasiis* tanquam *summum* præfecerit *Curatorem*, subinde *Census literatorum* agas, & *ingeniorum delectus* habeas. Equidem ego per biennium, eoque amplius Civis Gymnasii Carolini fui, idque sedulo cavi, ne inter *capite censos* aut *proletarios* nomen meum esset. Adsum itaque, & in *censum* venio, *Illustrissime Censitor, Peræquator, Inspector*, adsum, profiteor nomen meum in *Tabulas Tuas Censuales* teferendum, profiteor ævitatem, profiteor fortunas meas qualescunque. Ecce autem ego hæc omnia professus, *primam* statim *pensionem* ex *census* mei, ut nunc est, æstimatione, Tibi persolvo, & dissertationem meam in Censum dedicatam Tibi offero, promtus & paratus, ubi Census meus Deo volente creverit, pensitare centesimam, ducentesimam. Quandoquidem autem primæ petitionis copiam mihi fecisti, permitte, ut nunc, denotata Purpura Tua, manum ori admovens osculum labiis imprimam inter vota precesque. Faxit Deus, ut quam diutissime vivas, & ad summam senectutem *multa literatorum*, multa, inquam, *lustra* agas: Faxit idem, ut *gens Cocceja* in seram usque posteritatem & dignitatum Tuarum hæreditatem cernat. *Sint vota hæc mea, uti auspicato nuncupata, ita rata!*

(23) In horum Scriptorum censum referas *Jo. Georg. Hervvartum*: is in Opere Chronologico *Baronii* Annales laude omni atque adprobatione dignissimos sine exceptione pronunciat, quod male habet *Casaubonum*. Ita enim Exercitat. I. ad apparatum Annalium Baronii num. 32. p. 131. *Hervvarto*, tacito ejusdem nomine, respondet: *aut non legit opus quod laudat, aut plus apud se valere studium partium, quam amorem veritalis, ostendit. Michael Alfordus* Ecclesiasticorum Britanniæ Annalium conditor Tomo 1. ad A. 262. in fine ait: *Baronium libentius sequor, quia ille conscribendis Annalibus labore & industria præcessit omnes*: at vero *Alfordum* tædio investigandæ penitus veritatis, cum *Baronio* gravissime errare, pluribus probat *Henr. Norisius* in Parergo Chronologico de Votis Decennalibus cap. 5. p. 482. Tomo 1. Thesauri novi Antiquitat. Romanarum, quem debemus *Alb. Henr. de Sallengre*. In *Anglia* Hierarchæ & Hierarchici sæpius ad fidem autoritatemque *Baronii* provocant, uti videre licet passim apud *Robertum Parkerum* in libris III. de Politeia Ecclesiastica & Hierarchia opposita. Quid? quod *Rogerus Manarinus* Episcopus Sandaviensis *Bellarminum* & *Baronium* laudibus ad cœlum usque evehens, Reformatarum Ecclesiarum Doctores alga viliores reputavit, teste *Irenæo Philadelpho* in Epistola ad Renatum Veridæum, in qua aperitur Mysterium iniquitatis novissime in Anglia redivivum, & excutitur liber *Josephi Halli*, quo asseritur, Episcopatum esse juris divini.

(24) Innuo Censuram meam Eclogarum *Jo. Frieder. Mayeri* de fide *Baronii* & *Bellarmini* ipsis Romano-Catholiciis ambigua. Et vero hæc Censura sub ficto *Nicetæ Critopuli* nomine a me edita, & Tomo 1. Opusculorum meorum Sacrorum pag. 503. post tot accessiones novarum observationum inserta, tanti exteris visa est, ut Journal des Scavans Tomo Kl. VIII. a. 1710. mense Septembri a p. 278. ad p. 283. Iuculenta inde excerpta peteret, & de meliori nota posteris commendaret.

(25) Ita enim in Bibliotheca Nummaria p. 40. de *Baronio* judicat: *in* XII. *Annalium Ecclesiasticorum tomis*, numismatibus antiquis ad Historiam *usus est, cum* acri & limato judicio semper, *sæpe etiam cum* ingenti successu.

(26) Hujus Journal des Scavans Tomo IX. A. 1618. mense April. p. 130. magnas laudes *Baronio* tribuit: en ipsa verba: *la recherche &* l' etat moderee des Medailles *ne sont pas une curiosite vaine & inutile comme le croyent la plusspart de ceux, qui n'*

ont

ont pas ces ſortes de gouſt. Elles donnent au contraire de grands ſecoura *pour les Lettres & particulierement* puor l' Hiſtoire Eccleſiaſtique *& Profane. Les* Lumieres conſiderables, *que le* Cardinal Baronius *en a recues en pluſicurs occaſions n' en laiſſent pas douter.*

(27) In diſſertatione Hiſtorica de *Nummo* Conſulari aureo *Theodoſii* II. & *Valentiniani* III. in quo *Cæſar Baronius ſacra ſacerdotum pallia* (das Meſz-Gevvand) repræſentari credidit. Fateor *Petrum* de *Marca* lib. VI. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. *6.* §. 3. p. 806. eandem cum *Baronio* tueri ſententiam: *omophorii effigiem*, inquit, *exhibet vetus numiſina Imperatoris Theodoſii apud Fulvium Urſinum, in quo beati Apoſtoli Philippus & Joannes habitu Epiſcoporum repræſentantur, capitæ raſo, & cum* palliolo illo crucibus ornato & ad pectus uſque pertingente, *poſito volumine & quidem in manus deatra & cruces in ſiniſtra*. At vero fallitur vir doctiſſimus. Etenim *Henricus Noriſius* in Diſſertat. de Numiſmat. Licinian· Licin. Aug. cap. 3. & *Antonius Pagius* in Diſſertat. de Conſulibus Cæſareis c. 14. mecum contendunt Theodoſii ac Valentiniani imagines repræſentari. Confer *Henrmeibomium* in Publico Programmate, quo nummorum veterum in illuſtranda Imperatorum Romanorum Hiſtoria uſum oſtendit. Subjunge denique *Salomonem Deylingium*, qui P. 121. Obſervationum Sacrarum *pag.* 391. recte reprehendit *Baronium*, quoniam in dicto numo *veſtes conſulares* pro *Apoſtolicis* venditavit.

(28) In libro, quem inſcripſit: Erreurs Popalaires *ſect.* 1. *cap.* IX. *p.* 33. Tomo II. Operum in hanc ſententiam diſſerit: nul n' oſe dire formellement que l' Ecriture contienne choſe aucune qui ne ſerve a ſalut, Neantmoins outre une infinite d' hiſtoires, toutes les genealogies, chronologies, ethimologies de noms propres, deſcriptions de pays & de baſtiments, ordonnances ceremoniales, emblemes prophetiques, enveloppements de myſteres, & diverſes autres pieces de l' Eſcriture, ſont ſuperflues au jugement du vulgaire, pour ce qu' il ne voit pas en quoy elles ſervent a l' ſalut. *Qui vondroit rayer tout ce que les ignorans tiennent pour inutile, il faudroit reduire la Bible au quart de ce qu' elle contient, en lieu que l' E gliſe Romaine croy qu' ily faut adjouſter.*

(29) In der Vorrede uber *Jo. Lundii* Judiſche Heilig. humer.

CAPUT I.

De Nummo Nervæ itemque de Fiſco Judaico quædam generatim dicenda præmittuntur.

I. TEmpus perderem, ſi vel *Nervam Coccejum* Imperatorem Romanum vel ejus *Nummum in Theſauro Regio Pruſſico* pluribus verbis commendare vellem. Quemadmodum enim *Nerva* omnium Bonorum laudes ſupergreſſus (1) *gentis ſuæ* decora atque ornamenta (2) mirum in modum auxit, ita nummus ejuſdem quantivis judicatur eſſe pretii, maxime cum doctiſſimi homines in illo vel commemorando, vel ſtrictim modiceque explanando operam ſuam, induſtriamque collocaverint. Vide ſis *Adolphum Occonem* in Imperatorum Romanorum Numiſmatibus *pag.* 187. *Jo. Chriſtoph. Wagenſeilium* in diſſertatione de Re Monetali Veterum Romanorum *cap.* 14. *p.* 68. *Fulvium Urſinum* ad Svetonii Domitianum, *Sebaſtianum Erizzo* ſive *Echinum* in libro, cui titulus: *Diſcorſo ſopra le Medaglie degli Antichi* pag. 171. N. *de Grainville* in Epiſtola ſingulari, quam inſcripſit: Lettre ſur l' uſage qu' on peut faire de Medailles par raport à la Religion, (3) *Jacobum Saurinum* Tomo II. Diſcours Hiſtoriques, Critiques, Theologiques & Moraux ſur les Evenemens les plus memorables du Vieux & du Nouveau Teſtament *pag.* 276. (4) *Eumenium Pacatum* ſive Jo. *Harduinum* in Epiſtola quadam ad Valentem, (5) *Caſparem Waſerum* de antiquis Nummis Hebræorum *lib.* 1. *cap.* IV. *num.* 4. *Marquardum Freherum* in diſſertatione de Numiſmate Cenſus, *Jacobum Baſnagium* dans l' Hiſtoire de Juifs *lib.* VII. *cap.* XI. §. II. *pag.* 308. *Samuelem Petitum* in variis Lectionibus *cap.* XVIII. *Cæſarem Baronium* Tomo I. Annalium ad A. C. 98. num. 12. *Gaillardum Guiranum* in explicatione duorum vetuſtorum Numiſmatum Nemauſenſium ex ære, *Jacobum Gutherium* de Officiis domus Auguſtæ publicæ & privatæ *lib.* III. *cap.* 31. *Hugonem Grotium* in notis ad *Matthæi* XVII. 24. *Chriſtoph. Cellarium* in diſſertatione de ſeptem Eccleſiis Aſiæ in divina Apocalypſi memoratis §. 40. *Laurentium Begerum* Tomo III. Theſauri Brandenburgici *pag.* III. &, qui inter laudatos ſcriptores principem obtinet locum *Ezechielem Spanhemium* in Diſſertationibus de Præſtantia & uſu Numiſmatum Antiquorum *Tomo II. diſſertatione* XIII. Quamvis autem *Nervæ Cocceii nummus de Calumnia Fiſci Judaici ſublata* in tot doctorum hominum monumentis laudetur, quippe ſatis cognitus: ſolus tamen J. C. *Bulengerus* lib. II. de Imperatore Romano *cap.* 15. dormitat & ſcribit, reperiri *numiſmata Domitiani*, cum inſcriptione: Fiſci Judaici calumnia ſublata: nam inſcriptio hæc a *Nerva* eſt, non a *Domitiano*. Quæ eum ita ſint: *Ludov. Savotus* in Diſſertationibus de Nummis Antiquis *P.* II. *cap.* I. *pag.* 1167. *Tom.* XI. Theſauri Grævii, errorem *Bulengeri* recte notavit.

II. Miſſis igitur ambagibus, diſpiciamus, quid ſit *Fiſcus Judaicus*, cujus tam luculenta in hoc nummo memoria exprimitur. Nimirum *Fiſcus Judaicus* eſt tributum, quod Judæi omnes, qui in imperio Romano erant, ſolvere debebant. Etenim *Judæi*, ut ait *Jo. Seldenus*, (6) ſoluto pretio ad fiſcum, qui etiam huic rei ſingularis erat, adeoque Judaicus dictus eſt, libere ac ſuo more vivebant. Confer *Adrianum Turnebum* Adverſariorum XXII. 16. & *Joann. Frieder. Franckenſteinium* in diſſertatione de Ærario Populi Romani *cap.* X. Ceterum ipſi Judæi *fiſcum* illum *Judaicum* appellare ſolent משא מלך *onus* ſive *vectigal Regium*, (7)

(7) ut taceam alia quibus utuntur in hoc argumento, nomina, qualia ſunt מס, & מכס (8) nomina, quodammodo diſtincta, itemque nomina illa quibus *tributa* & *vectigalia* ſuo more indicant המסים והאר נונות.

III. *Origo fiſci Judaici* paulo altius repetenda erat, ut intelligamus tandem, cur *Nerva Coccejus calumniam fiſci* illius *ſuſtulerit*. Et *originem* quidem *Fiſci Judaici* apud *Romanos* eruere neglexere viri eruditi: id quod uno alteroque exemplo probabimus. *Andreas Cirino* in Libro Singulari Antiquarum Lectionum de Urbe Roma *cap.* x. §. 115. *pag.* 113. *Tomo II.* Novi Theſauri Antiquitat. Romanar. *de Sallengre*, cum S. *Hieronymo* apud *Danielem* VII. 7. quartum illud animal, dentibus ferreis, magnis, comedens ac comminuens, & reliquum pedibus conculcans, de *Imperio Romano* exponit, quia hoſtes conculcatos ac devictos *tributis* inſuper *depreſſerit*, *Judæos* imprimis. Teſtem citat *Appianum*, qui Syr. de Judæis ſcribit: *Judæos ſæpius rebellaſſe, eoque tributum capitis gravius impoſitum, quam reliquarum facultatum*. Addit etiam ex *Xiphilino Veſpaſianum* inſtituiſſe, ut *duas drachmas Jovi Capitolino* penderent. Mittimus *Andream Cirino*, tranſimus ad *Ludov. Cappellum*, ille vero in Hiſtoriæ Judaicæ Compendio ex *Joſepho* contracto ad Annum Chriſti 2. *6. 9.* de altero Quirini cenſu hæc verba *Joſephi* affert: *καίπερ τὸ κατ᾽ ἀρχὰς ἐν δεινῷ φέροντες τὴν ἐπὶ ταῖς ἀπογραφαῖς ἀκρόασιν licet* J*udæi jam antea ægre ferrent mentionem cenſuum*. Hinc liquet (addit *Cappellus*) alias jam ante fuiſſe factas Judææ *ἀπογραφὰς*, ut mirum videri non debeat, ſi ſub *Herode* ipſo, cum Chriſtus natus eſt, facta eſt etiam *ἀπογραφὴ* aliqua. Nunc commemoramus J*oannem Hermanſſonium*, is in diſſertatione ſingulari de Denario Cenſus Fiſcum Judaicum tempore Chriſti deſcribit, neque tamen altius ejuſdem originem repetit, dilucidat. Vide Hamburgiſche Berichte von gelehrten Sachen Anno 1733. *num.* 85. *pag.* 705. Tandem agmen claudat *Baronius*, qui in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos *num.* 87. *pag.* 39. *originem Fiſci* J*udaici* hiſce deſcribit verbis: *quod Lucas primam deſcriptionem a* Cyrino *factam eſſe dicit, nemo prudens intelliget, tunc primum cenſos fuiſſe Judæos, atque redactos ſub tributo, factoſque Populo Romano vectigales. Si quidem longe antea ſub Conſulatu Ciceronis & Antonii*, Pompejus *eos domuit, & tributum ab eis exegit, idque ipſe* Cicero orat. pro Flacco *inprimis teſtatur: id* Joſephus antiquit. lib. 14. cap. 8. *& alii*. Ammianus *lib.* 14. Auguſtinus *de Civitate Dei lib.* 18. *cap.* 45. Hieronymus in Danielis *cap. 9. Neque id ſemel factum eſt: nam eundem* Pompejum (*ut auctor eſt* Cæſar in con. de bell. civ. lib. 3. *&* Joſephus antiquit. lib. 14. cap. 17.) *tempore belli civilis a Regibus*, *Dynaſtis*, *& Tetrarchis Aſiæ totius & Syriæ, ſub qua continebatur &* Palæſtina, *conſtat ingentes pecunias: quin etiam auctore* Dione hiſt. Rom. lib. 39. *ſcimus, &* Gabinium Syriæ Præſidem *tributum* Judæis *imperaſſe: hoc ipſum &* Caſſium *& ceteros factitaſſe, qui poſt ſucceſſerunt Præſides Syriæ, certum eſt: ac viginti novem annis* Judæos *Romanis tributa pependiſſe, antequam* Antipater Herodis pater, J*udææ procurator a Romanis inſtitueretur, nec poſtea unquam ceſſaſſe tradit* Epiphanius in Panar. hær. 51. *Nec, licet ea provincia a Romanis* Herodi *ac ceteris Regibus conceſſa eſſet, deſiit tamen aliquando tributum ſolvere: quod ex Evangelio etiam teſtatum habemus, cujus autoritate compertum eſt, eoſdem* Judæos *tempore* Herodis regis *Rom. Imperatori cenſum perſolviſſe, perſeveraſſeque uſque ad* Veſpaſiani *tempora ejuſdem penſitationem, omnes æque affirmant*, Epiphanius hær. 51. Joſephus in antiquitatibus, & de bello Judaico, *aliique*. Hactenus *Baronius*, qui cum aliis, quos ſupra nominavi, de *origine Fiſci* J*udaici* permixte & confuſe diſſerit, cum tamen argumentum illud majorem *ἀκρίβειαν* requirat. Equidem ego circumſpectis rationibus omnibus, quæ ad rem hanc facere videntur, ita ſentio atque ſic animum induco meum, in hujus argumenti perveſtigatione multa eſſe *capita difficillimis* fere *controverſiis implicata*, quæ doctorum hominum induſtriam fatigant: ſed tamen noſtri eſſe putamus officii, ut hæc ipſa multis connexa nodis & obvoluta obſcuritatibus enodemus, ac quantum vires ſuppetunt, dilucidemus. Ante omnia autem id dabimus operam, ut ubi *vetus Hiſtoria Fiſci* J*udaici* temporum iniquitate manca, diminuta, corrupta atque obſcura fuerit, ab ipſis *antiquis Romanorum nummis* ſuppetias ac lucem repetamus. Quemadmodum enim Hiſtoriæ Romanæ undequaque lucem præferunt nummi (id quod egregie præter *Rolandum Mareſium* libro II. Epiſtolarum Epiſtola XXII. ad J*oannem Triſtanum Sanctamantium*, præter *Ludovicum de Biel* in libello, cui titulus: Utilitas rei nummariæ veteris, compendio propoſita, præter alios ſuo judicio comprobant *Joh. Hemelarius* in præfatione ad aurea Caroli Croy Ducis Arſcotani numiſmata, *Claudius Chiffletius* in libro de Numiſmate Antiquo

quo

quo *cap.* III. & *Ezechiel Spanhemius* ſummopere pro eo ac fas erat a *Johanne Smetio* in præfatione ad Antiquitates Neomagenſes laudati) ita hæc *Fiſci Judaici Hiſtoria ſub imperio Veterum Romanorum* lucem haud exiguam ex eorundem nummis accipiet. Poſt *illam* autem *nummorum contemplationem* in eadem *Fiſci Judaici Hiſtoria* ſuo loco & tempore *conſenſionem mirificam ſcriptorum ſacrorum & profanorum* ob oculos ponemus: hoc enim pacto ſacrarum literarum fidem atque autoritatem, quam homines impii & deriſores labefactare ſuſtinent, magis confirmabimus magiſque. Conferatur egregius prorſus liber *Nathan. Lardneri* cui titulus: the credibility of the Goſpel Hiſtory, of the facts occaſionally mention'd in the New Teſtament, confirmed by paſſages of Ancien Autors, who where contemporary wich our Savior, or his Apoſtles, or lived near their Time. Luculenta inde ἀποσπασμάτια videre licet apud *Job. Clericum* dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne *Tomo* XXVII. *pag.* 377. *ſeq.* & *Tomo* XXVIII. *pag.* 88. *ſeq.* Eandem viam, quæ eſt tuta ſatis, inſiſtunt *Honoratus de Sancta Maria* in Animadverſionibus ſuper regulas & uſum artis Criticæ, ſpectantes ad hiſtoriam eccleſiaſticam, opera Patrum, acta antiquorum Martyrum, vitas Sanctorum &c. cum notis hiſtoricis, Chronologicis & Criticis *Tomo* III. *diſſertatione* VII. *Jac. Uſſerius* in Annalibus Vet. & Novi Teſtamenti paſſim, *Ludov. Cappellus* in Hiſtoriæ Judaicæ Compendio ex *Joſepho* contracto, ad illuſtrationem Hiſtoriæ Evangelicæ & Apoſtolicæ N. Teſtamenti accommodato, & in Appendice Hiſtoriæ Apoſtolicæ, *Job. Lightfootus* in Commentario Chronologico, & Critico in Acta Apoſtolorum, *Tomo* II. Operum, & in Fragmentis quibuſdam Hiſtoriæ Romanæ & Chriſtianæ de rebus & perſonis quatuor primorum ſeculorum *pag.* 148. *Tomo* Operum Poſthumorum, *Job. Baptiſt. Ottius* in Centuria Locorum N. Teſtamenti cum Flavianis vel phraſibus, vel hiſtoriis aliquid commune habentium. *Paulus Pezronus* dans l' Hiſtorie Evangelique confirmèe par la Judaique & la Romaine, P. D. *Huetius* in Demonſtratione Evangelica, *Dominicus de Colonia*, (9) Abbas *de Houtteville*, (10) *Hugo Grotius* de Veritate Religionis Chriſtianæ *lib.* II. §. 2. *Job. Eduardus*, (11) *Samuel Parkerus* (12) Quæ cum animo meo repeterem, ſubductis omnibus, quæ huc pertinent, rationibus, eodem etiam conſilio *Hiſtoriam fiſci Judaici* traditurus *Hiſtoricos ſacros* & *profanos* inter ſe conferam, quoad potero. Neque vero ex *ſilentio* & *diſſenſu ſcriptorum profanorum* præjudicium aliquod ſacræ creari debet hiſtoriæ: quam nos Chriſtiani novimus eſſe θεόπνευστον & eo ipſo αὐτόπιστον, adeoque talem, quam nec exotica teſtimonia juvent, ſi adſint, nec lædant, ſi abſint. Sufficit ad fidem, ſacris Scriptoribus aliquid dictum etſi indictum ceteris omnibus. Innumera alia ſcriptoribus aliis præterita ſunt, de quorum tamen fide non dubitatur, modo ab uno ex illis relata fuerint. Nec ſolent committi ſcriptores vel Græci vel Romani in iis quæ quiſque peculiaria habet; quin potius illa aliis vel incognita, vel per incuriam prætermiſſa cenſentur. Cur non eadem æquitate utemur erga *ſcriptores ſacros*, quorum fides & αὐθεντία tot indiciis comperta? An credibile eſt adeo ſtupidos fuiſſe ſcriptores ſacros vel adeo famæ ſuæ prodigos, ut in re ſui temporis nota atque comperta, citra rationem ullam probabilem tam impudenter mentiri animum induxerint? Vide *Herm. Witſium Tomo* II. Miſcellaneorum Sacrorum *Exercitat.* XI. §. 60. *pag.* 320. plura autem de ſilentio ſcriptorum profanorum ejuſque cauſis, ubi ſatis tuta ſcriptorum ſacrorum fides, plura, inquam, dabunt *Cæſar Baronius* in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos *num.* 95. & *Richardus Montacutius* Originum Eccleſiaſticarum *P.* I. *p.* 19. Quando autem inter Deiſtas Anglos, ille *Thomas Matthæus Tindal*, qui librum ſcripſit ſub hoc titulo: Chriſtianity as Old as the Creation: or the Goſpel a Republication of the Religion of Nature, fidem atque auctoritatem divinorum Scriptorum ex ſilentio profanorum Scriptorum impugnare & labefactare annititur: monendum adhuc erat, *Jacobum Foſterum* allata *Tindalii* argumenta diſcuſſiſſe in libro, quem inſcripſit: The Uſefulneſſ, Truth, an Excellency of the Chriſtian Revelation, defended againſt the Objections contain'd in a late Book, intitled, Chriſtianity as old as the Creation &c. Et excerpta quidem ex *Foſtero*, quæ huc pertinent, legere licet dans la Bibliotheque Raiſonnèe des Ouvrages des Savans de l' Europe *Tomo* VIII. *P.* II. *pag.* 273.

IV. Sed ut tandem ad rem ipſam veniam miſſis ambagibus. Id nunc dico verbo, adeoque breviter. *Hiſtoriam Fiſci Judaici* ſcripturus diligenter diſtinguo inter *tria tempora*. *Primum* intervallum eſt *a factis per Pompejum Judæis Romanorum vectigalibus ad Archelaum uſque Horodis Magni filium in exſilium pulſum*: *alterum eſt a pulſo Archelao ad exſcidium Hieroſolymitanum*: *tertium* denique *poſt exſcidium* il-

illud. Atque ex hisce *Periodis Fisci Judaici* simul colligemus *Periodos* illas *sceptri Judæorum ablati*, uti pluribus declaravit *Christoph. Cellarius*, (13) *Dei autem*, inquit, *misericordia est*, *quod ita sensim & pedetentiam amovit*, *quæ uno impetu destruere potuisset*. Eadem est de Periodis illis *Isaaci Casauboni* sententia exercitatione I. ad apparatum Annalium *Baronii num.* 2. En ejus verba: *hæc est illa admiranda Dei Optimi Maximi* in pœnis *peccatorum exigendis* lentitudo, *de qua toties Prophetæ & ipse etiam Jesus Christus in pulcherrima parabola de vinea & vinitore apud* Matthæum XXI. 33. *atque alios Evangelistas*.

N O T Æ.

(1) Etenim *libertatem & principatum* miscuit rse olim dissociabiles. Idcirco in Nervæ numismate æreo fuit in altera parte effigies ipsius Nervæ cum his notis: *Imp. Nerva. Cæsar. Augustus P. M. Tr. Pl. Cos.* II. *P. P.* in aversa parte hæc erant verba: *Libertas. Publica S. C.* & erat ibi imago Libertatis stantis in lacinia, in dextra pileum, in læva hastam tenentis. Confer. *Georg. Wolffg. Wedelium* Exercitationum Medico. Philologiearum Decade VIII. Exercitatione X. de Nummis Pileatis. Interim audire juvat *Henr. Thomam Chiffletium* in Dissertatione de Othonibus Æreis *cap. 6. pag.* 646. Tomi I. Thesauri novi Antiquit. Romanar. *De Sallengre*. *Libertas*, iuiquit, *adeo* Galbæ *propria fuit*, *ut ejus numisma consensu Senatus restituerit* Nerva, *in cujus aversa parte circa* typum libertatis *scriptum*: *Imp. Nerva. Cæs. Aug. Rest. Quod & idem proprium Galbæ symbolum instauravit etiam* Trajanus *cum epigraphe*: *Trajanus Aug. Germ. Dac. Part. Rest. Utrumque nummum propria d:lineatum manu reliquit Hubertus Goltzius*. Neque vero *Nerva* solum *libertatis publicæ autor* fuit, sed & multis aliis beneficiis Romam ornavit. Cum enim præter *Jo. Lighifootum* in Fragmentis quibusdam Historiæ Romanæ & Christianæ de rebus & personis quatuor primorum seculorum *cap.* III. *p.* 153. Operum Posthumorum, *Joannes Servilius* in libris suis de Mirandis Antiquorum Operibus, Opibus, & veteris ævi rebus, pace belloque magnifice gestis, libro II. cap. I. de Principum Romanorum in plebem liberalitate differere secum constituisset, mox cap. II. hisce verbis commendat Nervam Coccejum: *in hoc virtutis laudisque ordine* primus Nerva, moderatissimus, prudentissimusque Princeps *tanquam ant:signamus nobis progredietur*. *Hic* quicquid pœnæ nomine tributi accesserat, plebi indulsit, *adflictas civitates relevavit*, *puellas*, *puellosque parentibus natos egestosis sumtu publico per universa Italiæ oppida ali jussit*. Ad sustentandam civium adflictorum vitam, decies & quinquagies centena millia nummum erogavit, *pecuniis exhaustis*, *vestibus*, *vasis aureis argenteisque etiam super supellectilem pretiosam*, *sive propria*, *sive publica esset*, *auctioni subjecit*, *ex eaque pretium corrasum civitatis necessitati elargieb:tur*. Pauca dixit *Servilius*, plura adhuc restant dicenda illi, qui *vitam Nerva Cocceji* ex scriptoribus, itemque *nummis antiquis* commendare volet. *Augustus* constituerat, ut *vicesima pars hereditatum & legatorum*, exceptis iis, quæ proxime genere junctis ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, in *ærarium militare* inferatur. Duram hanc legem *Nerva* & *Trajanus* temperarunt. Confer *Jac. Gutherium* de Officiis Domus Augustæ lib. III. *cap.* 35. *pag.* 619. Tomo III. Thesauri Novi *De Sallengre*, & de Jure Manium *lib.* III. *cap.* 20. *p.* 1307. Tomo XII. Thesauri *Grævii*, itemque *Justum Lipsium* de Magnitudine Romana *lib.* II. *cap.* 4. *pag.* 705. Tomo III. Operum. Ad nummos transimus. Exstat nummus Nervæ, in quo *Vehiculatio Italiæ Remissa* legitur: quantum autem hoc fuerit optimi Principis beneficium, pluribus verbis exponunt *Ezechiel Spanhemius* de Præstantia Nummorum dissertat. IX. & *Henr. Christianus Henninius* in Notis ad *Bergierii lib.* IV. de Publicis, & Militaribus Imperii Romani Viis p. 731. sequ. Tomo X. Thesauri *Grævii*. Habemus porro Nervæ nummum, in quo *Frumentum*, *Plebi Urbanæ Constitutum* videmus: quantum autem hoc fuerit beneficium, intelliget facile, quisquis consuluerit *Laurentum Begerum* Tomo III. Thesauri Brandenburgici pag. 110. & *Vincentium Contarenum* in libro de Frumentaria Romanorum Largitione cap. IV. pag. 956. Tomo VIII. Thesauri *Grævii*. Quid denique commemorem nummos Nervæ in quibus tum *Æquitas* tum *Justitia* hujus Imperatoris commendatur apud *Begerum* in Continuatione Thesauri Brandenburgici *p.* 642. Summa hæc sunt Nervæ in plebem Romanam beneficia, æternitati jam pridem consecrata. Inde enim colligimus, cur in Veteri Kalendario apud *Ægidium Bucherium p.* 287. VI. Id. Novembris legatur *Natalis Nervæ*: etenim, cum apud eundem *Bucherium pag.* 276. Catalogus occurrat antiquus, in quo ortus Principum & quidem meliorum describuntur, *Natalis* utique *Nervæ* probe observandus erat. Confer omnino *Jac. Phil. Tomasinum* in libro singulari de Donariis ac Tabellis Votivls Veterum *cap.* 9. *p.* 796. Tomo XII. Thesauri *Grævii*. Inde etiam apparet, cur S. P. Q. R. in nummo quodam Nervæ, qui *Æquitatem tanti Imperatoris* repræsentat, *Optimi Principis* nomen apponat apud *Begerum* in Continuatione Thesauri Brandenburgici pag. 642. Quid multa? meruit tandem Nerva, ut post ultima fata *inter Divos* poneretur. Nummus quidem eximius apud *Vaillantium* Tomo II. *p.* 117. & *Gisbertum Cuperum* Exercitatione II. de Elephantis in Nummis vobiis *cap.* X. *pag.* 227. *Tom.* III. Thesauri novi antiquitat. Romanarum *De Sallengre*, ἀποθέωσιν sive *consecrationem Nervæ* satis luculenter oculis nostris exponit.

(2) *Gens Cocceja*, non satis constat, *patriciane* fuerit, an *plebeja*: ex ea certe *Nerva Imperator*, qui Domitiano successit, ortus. *Eutropius* in Breviario Historiæ Romanæ *lib.* VIII. *cap.* I. dicit, *Nervum* in vita privata, antequam factus esset Imperator, *nobilitatis mediæ* fuisse. Nimirum, quemadmodum hodie *sublimem Nobilitatem* ab *inferiore* seu *simplice* distinguimus, ita *Eutropius* de *Nerva* locutus, indicare videtur eundem non *patricium* sed *nobilem* fuisse. Audiamus *H. Valesium* in annotationibus ad *Eusebium pag.* 49. *si quis existimat*, patricios & nobiles nihil inter se differre, *is vehementer fallitur*. Patricius *enim apud Romanos dicebatur*, *qui erat* ex gente patricia; *& opponebatur* plebejo, *non autem* nobili. *Itaque* patricii quidam *fuerunt apud Romanos*, *qui non erant* nobiles, *ut docuit Sigonius in libro de Nominibus Romanorum*. *Observavi autem* nobilem *apud Romanos dictum esse*, *respectu habito ad* familiam *non ad* gentem. *Proinde ex eadem* gente *alii erant* nobiles, *alii* ignobiles. Nobiles *quidem*, *quorum pater & avus magistratum curulem gessissent*: ignobiles *contra*. Sed & ejusdem Nervæ *juridicam* seu *jureconsultoriam Nobilitatem*, uti loqui liceat cum *Christiano Wilhelmo Eybenio* in Dissertatione de Ordine Equestri Veterum Romanoruш §. 31. intelligere videtur *Eutropius*. Est autem *juridica* seu *jureconsultoria Nobilitas* eorum, qui, quorumve Majores de Jure responderunt, & Jurisprudentiæ studio inclaruere. *Ejusmodi nobilitatem* jam pridem ea ratione vocavit ipse *Spartianus*, quando in Vita Imperatoris Didii Juliani, Salvium Julianum Imperatoris dicti proavum paternum bis Consulem & Præfectum Urbi fuisse scribens, mox adjicit, & *Jureconsultum* fuisse, quod *magis* eum *nobilem* fecerit. Vide plura de Juridica Nobilitate apud Veteres Romanos ab *Ægidio Menagio* in Juris Civilis Amœnitatibus *cap.* 16. *pag.* 85. & *Eybenio l. c.* observata, hic loci non repetenda: interim hoc addimus, *Jacobum Gutherium* libro I. de Officiis Domus Augustæ publicæ & privatæ, *cap.* XVIII. copiose differuisse de Consiliariis priorum Principum, qui Jurisconsultis præcipue usi sunt. Inter alia sic infit: *Cæsar Julius Jurisperitos familiarissimos habuit*, *atque inter hos Ofilium*, *&*

Ner-

Nervam, *quem secuti Imperatores ceteri, qui Jurisperitos in Consilium semper assumserunt*. En nobilitatem Juridicam in *gente Cocceja*, quæ etiam viros plures habuit summos Magistratus gerentes. Fuit & inter alios M. Nerva Consul suffectus cum C. Vibio Rufino anno ab U. C. 774. de quo mentio exstat in antiqua inscriptione ad radices Capitolii. Vide *Ursinum* & *Patinum de Famil. Rom.* in Cocceia, *Bergierium* de Viis Militaribus II. *sect.* 16. §. 14. & alios scriptores, quos commendat *Samuel Pitiscus* in Lexico Antiquitatum Romanarum Tomo I. *pag.* 853. A. Frustra autem hic consules *Richardum Streinnium*, & *Antonium Augustinum*; ille quidem librum de Gentibus & Familiis Romanorum, hic itidem librum singularem de Familiis Romanorum edidit, sed utrique scriptores de *gente Cocceja* prorsus tacent. Quod autem ad *Ludovicum Savotum* attinet: is in Dissertationibus de Nummis Antiquis *P.* IV. *cap.* XVIII. *pag.* 1299. Tomo XI. Thesauri *Grævii*, enarrationem familiarum omnium Consularium *Fulvii Ursini* secundum ordinem Alphabeticum dispositam exhibet, atque hoc pacto *gentem Coccejam* commemorat. Idem *Savotus*, dum *cap.* 19. *pag.* 1302. enarrat, quarum *familiarum numismata* pro rarioribus habenda sint, tandem hæc verba addit, *unum tantum gentis Coccejæ numisma reperitur*, *quod rarum est*. Utinam *Savotus* numisma illud aliquanto accuratius descripsisset: forte talem nummum intelligit, qualem videre licet apud *Hubertum Goltzium*. Hujus nummi antica imaginem Augusti exhibet cum epigraphe: *Augusto. Divi. F. Cos.* XI. *Tr. Pot.* II. *Imp.* VIII. postica *Asiam*, *Europam*, *Africam* inscriptas tribus globulis: in ambitu: M. *Coccejus. M. F. Nerva* III. vir. *S. P. Q. R.* Confer de hoc nummo *Gottfr. Mascovium* in Exercitatione Inaugurali de Sectis Sabinianorum & Proculianorum in Jure Civili *cap.* III. §. I. quando autem *Andreas Cirino* in Libro singulari Antiquarum Lectionum de Urbe Roma, ejusque Rege Romulo *cap.* I. §. 14. *p.* 27. *Tom.* II. Novi Thesauri Antiquit. Romanarum *De Sallengre*, dictum nummum *Imperatoris Nervæ Cocceji* esse contendit, gravissime errat, uti nummus ipse in conspectum allatus docebit. Ceterum *Gens Cocceja* summos olim dedit *Jurisconsultos*. Nerva Pater, qui successit *Antistio Labeoni*, Cæsari Tiberio fuit familiarissimus. Nerva filius, qui *Proculo* successit, citatur libris de usucapionibus, & *Pater* fuit *Nervæ Imperatoris*. Vide *Jo Albertum Fabricium* Volum I. Bibliothecæ Latinæ *lib.* IV. *cap.* 9. *pag.* 831. & Bibliothecæ Græcæ *Volum.* XII. *lib.* VI. *cap.* 6. *p.* 337. *Burcardum Gotthelff. Struvium* in Historia Juris Romani *cap.* II. §. 3. *pag.* 229. *Gottfriedum Mascovium* in Exercitatione Inangurali de Sectis Sabinianorum & Proculianorum in Jure Civili *cap.* III. §. I. & 3. Cum itaque *Imperator Coccejus* ex Jurisconsultorum ordine avum & parentem haberet, inde factum, ut idem *magnam Juris scientiam* habuerit. Testes sunt ejusdem Imperatoris *nummi*, qui *Æquitatem* & *Justitiam* repræsentant: testes *Victor* & *Eutropius*, ille de Nerva Imperatore: *jurgiorum disceptator & scientissimus & frequens fuit*: hic de eodem scribit: *æquissimum se præbuit*.

(3) Integram hanc Epistolam habent Diaria Trevoltiana A. 1715. mense Augusto p. 1411. & Journal des Scavans Tomo LIX. p. 565. sequ.

(4) Ibi simul promisit, se, ubi perventum esset ad dissertationes in N. T. adornandas, in iisdem de nummo hoc Nervæ aliquanto copiosius disserere velle, sed ultima intercessere fata, quo minus promissa exsolveret scriptor ille rei nummarię non adeo ignarus.

(5) Inde excerpta quædam videas Tomo II. Operum *Josephi* pag. 406. quæ *Sigebertus Havercampius* curavit edenda.

(6) In Prolegemenis ad librum de Successionibus ad Leges Ebræorum in Bona defunctorum.

(7) Ita R. *Joseph* filius Isaaci, filius Esra scripsit ס' משא מולך de *onere* sive *vectigali Regio* ubi tum vectigalia & tributa annua Regi præstanda æstimandaque in hoc negotio diversis Synagogis exponit, tum ostendit, quomodo rationes vel secundum instituta vel secundum consuetudinem subduci debeant. Vide de hoc libro Jo. *Christoph. Vvolfium* Bibliothecæ Hebrææ P. I. n. 911. p. 539.

(8) Vide J. B. *Carpzovium* ad *Schickardi* Jus Regium Hebræorum p. 275.

(9) In libro, cui titulus: la religion Chretienne, autorisee par le temoignage des Anciens Auteurs Payens.

(10) Librum suum inscripsit; la religion Chretienne prouvee par les faits.

(11) Scripsit librum patrio sermone, cui titulus: Adiscourse concerning the autority, stile and perfection of the books of the Old an Nevv Testament, vvith continued illustration of several difficult text of Scripture throughout che vvhole vvork. Excerpta inde satis luculenta videas apud *Basnagium* dans l'Histoire des Ouvrages des Savans A. 1694. mens. Decembr. p. 154. sequ.

(12) In Demonstratione Divinæ auctoritatis Christianæ religionis Anglice scripta §. 11. sequ. p. 112. Hunc librum *Parkeri* summopere commendat *Christoph. Matthæus Pfaffius* in Dissertatione C a de genuinis librorum Novi Testamenti lectionibus rite investigandis cap. I. §. 7. p. 27.

(13) In dissertatione de Cn. Pompeji M. expeditione Judaica §. 20.

CAPUT II.

Historia fisci Judaici inde a Pompeii tempore ad Archelai exsilium.

I. PRimus Romanorum Pompejus (1) *Hierosolymis* ἐπιτάττει φόρον *indicit tributum*, seu τὰ Ἱεροσόλυμα ὑποτελῆ φόρȣ Ῥωμαίοις ἐποίησε *Hierosolymam Romanis fecit tributariam*, ut scribit *Josephus* Antiquitatum *libro* XIV. *cap.* 8. *Pompejo primo Judæorum domitori* addit *Tertullianus* in libro de Pudicitia *cap.* IX. *Lucullum*. De *Pompejo* res nota. *Tacitus* lib. V. Historiar. *Romanorum primus Cnejus Pompejus domuit*. Addimus *Ciceronem* pro Flacco, pro lege Manilia, *Aurelium Victorem* in Vespasiano, *Plutarchum* in vita ejusdem Pompeii, *Appianum* de bello Mithrid. *Ammianum Marcellinum* lib. XIV. at de Lucullo ambigitur. Nam si Judæam primus domuit Pompejus, quomodo qui prius bellum in Syria pro Romanis gessit, eam subegisse dicitur? Neque cuiquam persuadet *Pamelius Lucullum* devictis Mithridate & Tigrane sub Pompejo sibi infenso, cuique exercitum invitus tradiderat, bello interfuisse Judaico. Verum cum parta de Mithridate atque Tigrane victoria, ceterisque in Syria præclare gestis, illarum provinciarum Regibus terrori esset Lucullus, & ut ait *Cicero* pro lege Manilia, *cum vehemens opinio per animos gentium barbararum pervaserat, fani locupletissimi & religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum exercitum esse deductum*, facile crederem Judæos misisse, qui *populi Romani amicitiam* ab eo peterent, atque ut in eam reciperentur, *tributum quod imperari poterat*, *sponte offerrent*: nisi malis, cum a *Plutarcho* referatur in Mesopotamiam eum penetrasse & Chaldæos domuisse, Judæam quoque tentasse. Atque hoc pacto *Tertulliani* fidem *Gabriel Albaspinæus* in notis ad *Tertullianum* a falsi suspicione liberare voluit; no-

nostrum institutum non patitur hic arbitrum agere, & exortas lites componere: satis est *Joseph* fidem tot scriptorum sive antiquorum, sive recentiorum consensu quam maxime inniti. Ceterum de verborum *Josephi* vero sensu nunc dispiciendum erit. Quid enim? Hisce *Josephi* verbis allatis, subdit *Samuel Petitus* Variarum Lectionum *cap.* XVIII. *vectigal istud, quod præstabant* Judæi, *utrum fuerit* e portoriis *an ex* emphyteumatis (2) *juxta cum ignarissimis scimus: hoc tantum ignorare nos non sinunt* Iosephus *&* *Eusebius* (3) *Judæos Romanis vectigalia præstitisse, postquam in ordinem a Pompejo coacti sunt*. Nemo non videt *Petitum* hic justo breviorem esse. Primum itaque dispiciendum, quam notionem habeat vox *Hierosolyma*? Nimirum *civitas Hierosolymitana* hic pro tota Judaica ditione accipienda erat, quemadmodum ex alio *Josephi* loco satis luculenter probavit *Joh. Seldenus* de jure naturæ & gentium *libro* VI. *cap.* 17. *p.* 790. Deinde inde vera notio vocis φόρος, qua *Josephus* utitur, aliquanto accuratius eruenda erat. Græcis τέλη sunt *vectigalia*, ut φόροι *tributa*. Audiamus C. S. *Schurtzfleischium* in Dissertatione de Ordine Publicanorum *thesi* IV. *Publicani redimebant* vectigalia ordinaria, *quæ ut semel a Magistratu erant constituta, ita semper permanebant, neque unquam mutabantur, etsi redituum summa certo non constabat: quo pacto etiam distinguitur vocabulum* τέλος ἀπὸ τοῦ φόρου *id est* extraordinario tributo & ἀπὸ δασμοῦ *hoc est* tributo eo, *quod hosti penditur*. Sic distinguit *Strabo libro* XVII. de Ægypto loquens εἰσαγωγικὰ τέλη καὶ ἐξαγωγικὰ vocans, quæ pro importatis & exportatis penduntur, hoc est τελοῦνται, aliud enim est τέλος & aliud φόρος, quemadmodum ipse S. Paulus judicat in Epistola ad Romanos XIII. 7. (4) Quando itaque *Josephus*, Lucæ more XX. 2. XXIII. 2. tributa, quæ Judæi Romanis pendebant, φόρον appellat, nihil causæ video, cur *Petitus* verba *Josephi* de vectigalibus accipiat. An *Petitus* sui oblitus (5) tributa & vectigalia nunc confundit? an idem vocis *vectigalia* significationem latius protulit, ut omnes omnino reditus & emolumenta comprehendat, quæ ex re aliqua publico obligata ad ærarium perveniunt? Quod si posterius arridet *Petito*, laudo quodammodo ejusdem modestiam & cunctationem. Quod enim C. S. *Schurzfleischius* in dissertatione de Ordine Publicanorum *thesi* 9. & *Caspar VVaserus* de antiquis numis Hebræorum *libro* I. *cap.* 18. asseveranter scribit, *a Pompejo Publicanos in Judæam missos* esse, qui vectigalia redimerent, id falsum omnino est, uti ex paulo inferius dicendis apparebit. Præterea *Josephus*, cum dicit Pompejum *Hierosolyma* ὑποτελῆ φόρου *stipendiaria* Romanis reddidisse, & brevi tempore plusquam decem millia talentorum ab Judæis Romanos exegisse, non statim vectigalia erant nominanda, malumus enim cum *Jacobo Usserio* in Annalibus veteris & novi testamenti *pag.* 453. *Josephum* tantam summam intellexisse de tributis & pensitationibus populo Judaico indictis. Quando autem Romani *plusquam decem millia talentorum* a Judæis exegisse dicuntur, *Robertus Cenalis* in libro de vera Mensurarum Ponderumque ratione *p.* 1596. *Tomo* V. Thesauri Grævii, hunc in modum calculum subducit, & summam facit: mille talenta valent ducatos 10000000, seu decadem millionum: aut si mavis, chiliades chiliadum decem, centiesve centena millia ducatorum. Quo fit, ut decem millia talentorum, quæ *Josephus* commemorat a Judæis modico tempore extorta per Romanos, *centum millionibus ducatorum* æstimanda veniant, hoc est *centum chiliadibus chiliadum*: & id quidem, si de *talento librarum auri* intelligamus. Alioqui si respexerimus ad *centurias minarum Hebraicarum* (cum constet ex ipso *Josepho* minam Hebraicam duas libras cum semisse pendere, hoc est uncias triginta, siclosque semunciales sexaginta, juxta æstimationem ab *Ezechiele* designatam) augenda erit summa talentorum ex minis Hebraicis constitutorum, ad duplum sesquialterum. Assurget itaque ad ducentas 50. chiliades chiliadum. Quam summam exhauriri potuisse *nomine tributi* a quacunque vel provincia vel regno, non fidem tantum communem, verum cogitatum etiam humanum superat. Hactenus *Cenalis*, cui addere *Grævii* observationem non alienum fuerit. Etenim ex *Gronovii lib.* II. *de pec. vet. cap.* 7. ita differit in notis ad *Orat. Ciceronis* pro C. Rabirio Postumo: *mille talenta Romana computatione est ducenties quadragies, & facit utrumque nobis sexcenta millia Philippæum: decem millia talenta bis millies quadringenties, nobis sexaginta millia Philippæum, seu sex milliones Philippæum*. Utcunque autem erit, hæc computatio; tanta summa ex *capitatione* non ex *vectigalibus* collecta est. *Gerh. Joh. Vossius* Harmoniæ Evangelicæ *lib.* I. *cap.* VIII. §. I. posteaquam de *numismate census* agere secum constituerat, hæc verba addit: *quæstio hæc inde nata fuit, quod Judæi postquam a Pompejo vectigales facti sunt Romanis, in capita singula mares quidem ab anno* XV. *fæ-*

fœminæ autem a decimo ad annum uſque LXV. *didrachma ſive binos perſolverent denarios*. Conſimilis fere eſt ſententia *Joh. Ludov. VVolzogenii* in Commentario in Matthæum *pag.* 360. & *Jacobi Baſnagii* dans l'Hiſtoire des Juifs *lib.* I. *cap.* 5. §. 8. *p.* 131. cujus hæc verba repetere liceat: *Pompèe rendit la Syrie tributaire & l'obligea à paier le centieme Denier. A ce prèmier Impot on ajoutoit ordinairement la Capitation qu'on paioit depuis douze ans pour les Filles & les Garcons, depuis* XIII. *ans, juſqu'à* LXV. *Pompèe ſe rendit Maitre de la Judèe, comme de la Syrie, & il ſoumit l'un & l'autre de ces Provinces à la meme Loi-il ſoumit cette Nation fiere* (Judæos intelligit) *aux memes Tributs que la Syrie*. Unde doctiſſimi illi viri pro ſtabilienda ſua ſententia argumenta repetere poſſint, me neſcire fateor, neque enim ullius antiqui ſcriptoris fidei, qua nitantur, mentionem faciunt: ſi quis tamen hic conjecturæ locus ſit, crediderim illos ad *Ulpianum* quippe hominem Syrum, Tyro oriundum reſpexiſſe. Hujus enim verba hæc ſunt e *libro* II. De cenſibus: *in Syriis, a quatuordecim annis maſculi, a duodecim fœminæ, uſque ad ſexageſimum quintum annum, tributo capitis obligantur*. Id legas *lib.* 3. D. De cenſibus. Verba *Ulpiani* præter *Marquardum Freherum* in diſſertatione de numiſmate cenſus, *Jul. Cæſ. Bulengerum* in libro de tributis & vectigalibus Populi Romani *cap.* XV. *pag.* 859. *Tomo* VIII. Theſauri Grævii, *Henr. Noriſium* in Parænesi ad *Joh. Harduinum*, & *Juſtum Lipſium* de Magnitudine Romana *lib.* II. *cap.* 3. *p.* 699. *Tomo* III. Operum, mihi primum indicavit P. D. *Huetius* in Demonſtratione Evangelica *Propoſit.* IX. *cap.* IX. §. 6. deinde in *Hugonem Grotium* incidi, qui in notis ad *Matthæi* XXII. 17. *Ulpiani* verbis itidem allatis probat, κῆνσον ſive φόρον tributum in capita & agrorum & hominum denotare poſſe. Adhuc dixi de vera vocis φόρος apud *Joſephum* notione, nunc videndum, quid idem ſcriptor velit, cum tradit, *Pompejum Hieroſolyma* ὑποτελῆ φόρου *ſtipendiaria Romanis* reddidiſſe. Sicut populi ἀτελεῖς φόρων aut ἀφορολόγητοι a Græcis dicuntur, qui data a Romanis immunitate a tributis gaudebant, ſic ὑποτελεῖς vectigales, ſive tributarii (hæc duo enim confundi ſæpe apud priſcos autores videas (6) generatim appellati, quicunque parebant Romano imperio *ſocii* ac *fœderati*, vel *ſubjecti*, τὸ ἔνσπονδον nempe & τὸ ὑπήκοον. Ita *Joſephus* Antiquitatum *lib.* XVIII. *cap.* 10. πάντων γοῦν ὅσοι τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ ὑποτελεῖς εἶεν, βωμοὺς τῷ Γαΐῳ καὶ ναοὺς ἱδρυμένων *nam cum omnes qui Romano imperio ſubditi erant* (7) *aras ac templa Cajo ſtatuerent*. Ita ſecundum *Philonem* de Legat. ad Cajum Rex Agrippa ajebat, ſe φόρων ἄφεσιν *immunitatem tributorum* pro Hieroſolymitanis non audere petere a Caligula, poſteaquam Hieroſolymorum urbs ὑποτελὴς ſeu *tributaria facta* erat. Quod autem *Joſephus* de ſtatu Judææ, poſtquam a Pompejo ſubacta eſt, loco antea citato ſcribit: τήν τε ἐλευθερίαν ἀπεβάλομεν καὶ ὑπήκοοι Ῥωμαίων κατέστημεν *libertatem amiſimus, & ſubjecti ſumus Romanis*, id dextre accipiendum atque interpretandum eſt, certis finibus poſitis, quos ultra citraque nequit conſiſtere verum. *Jo. Harduinus* in libro *de Nummis Herodiadum* (8) negat Pompejum Judææ victorem eſſe, merito a *Jac. Baſnagio* (9) ad examen vocatus, contra *Iſ. Caſaubonus Exercit.* I. ad Apparatum Annalium *Baronii num.* 2. *pag.* 20. & *Chriſtophorus Cellarius* in diſſertatione de Cn. Pompeii M. expeditione Judaica §. 13. allatis illis *Joſephi* verbis, initium ablati ab Juda ſceptri in illa Pompeii victoria ſtatuit. Quid ergo hic conſilii capiendum erit? Voces ἐλευθερία & ὑπήκοοι, quibus *Joſephus* utitur, rite explanandæ ſunt, ne qua erroris nebula oculis noſtris objiciatur. Fuerunt ſub imperio Romano *urbes liberæ*, quæ neque coloniæ, neque municipia eſſent: etiam *integri populi liberi*. Hæc *libertas* in αὐτονομίᾳ conſiſtebat, ut ſuis uterentur legibus, ſuos ſibi magiſtratus crearent; immunes eſſent ab juriſdictione Romani Præſidis, & ne præſidiis Romanorum tenerentur: quod vero ad *immunitatem a tributis*, niſi ſpeciatim conceſſa fuerit; aut ad ſupremam præſidis curam non eſt extendendum: quod ex *Cicerone* in Piſonem, *Polybio lib.* XV. *cap.* 18. *Livio lib.* XXXV. *cap.* 46. ab aliis demonſtratum eſt. Videantur ὁ πάνυ *Ezech. Spanhemius* in notis ad *Juliani Oration.* I. *p.* 37. & de Orbe Romano ad *Conſtitut. Antonin. Imperat. Exercit.* II. *cap.* X. *pag.* 219. *Edmundus Merillius* in notis Philologicis in Paſſionem Chriſti *pag.* 587. faciculi III. Opuſculorum, quæ ad Hiſtoriam & Philologiam ſacram ſpectant, *Adrianus Turnebus* in notis ad Orat. Ciceronis de Lege agraria contra Rullum, *Franc. Hotomannus* in notis ad Orat. Ciceronis de Provinciis Conſularibus, *Samuel Pitiſcus* in Lexico Antiquitatum Romanarum *Tomo* I. in voce Αὐτονομία *pag.* 229. A. & *Cellarius* in diſſertatione de S. Pauli Apoſtoli Romana civitate §. 14. Certe inde factum eſt, ut multæ urbes, quas dixi, in nummis ſibi imponerent nomen ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ *liberæ*

beræ & ſuis legibus utentis: ſed videamus nunc aliquanto accuratius, quænam *Judæorum ſub Pompejo* ἐλευθερία atque αὐτονομία fuerit. Nimirum Judæi continuo veniunt annumerandi inter gentes liberas & αὐτονόμους quas Pompejus reliquiſſe ab *Appiano Mitrid. pag.* 251. dicitur. Etſi captis a Pompejo Hieroſolymis, ſtipendiariam eandem urbem tradat *Joſephus*, ac tum primum, ut addit, *libertatem amiſimus, & ſubjecti Romanorum imperio ſumus*; aut, quod, eodem teſte, mox etiam a Gabinio in quinque continuo *juridicos conventus*, (10) ſeu diœceſes, in quibus jus diceretur, fuerit Judæa diviſa, Hieroſolymis nempe, Gadaris, Amathunte, Jerichunte, Sepphorio: ſuas tamen ſacrorum leges ac inſtituta patria iiſdem a Pompejo, ac dein a Gabinio relicta, abunde vel e conſtanti ac perpetuo eorundem in iis ſervandis, & quibus gravius erat iiſdem legibus quam vita carere, ſtudio, & ex Hyrcano ab iiſdem Pompejo & Gabinio Pontifice conſtituto, licet colligere. Vide omnino *Spanhemium* jam laudata Exercitatione II. *cap.* XI. *pag.* 222. Et hæc quidem ſatis indicant vocem ἐλευθερία, itemque illam ὑπήκοοι, cum vel in latiore vel reſtrictiore ſignificatu ſumi poſſint, hic ſane loci laxius interpretandas eſſe, *Campegio Vitringa* ſuffragante. Quid multa? *Libertas in legibus*: hinc leges pro libertate. *Phædrus lib.* I. *Fab.* 2. *Athenæ cum florerent æquis legibus*. Urbem legibus ſuis reddere ſæpe legitur pro *urbi reſtituere libertatem*. Vide *Grævium* in notis ad *Ciceronis Orat.* de Lege Agraria contra Rullum. Tranſeamus nunc ad vocem ὑπήκοος illuſtrandam. (11) *A Dione Coccejano lib.* IV. *pag.* 526. *Romanum imperium* in duo genera diſtinguitur τὸ ἔνσπονδον καὶ τὸ ὑπήκοον *in fœderatos & ſubjectos*, ab aliis ut *Herodiano lib.* II. *cap.* 13. in ἔθνη ὑπήκοα καὶ φίλα *in nationes ſubjectas & amicas*: ac in libello, ſeu breviario Auguſti, *in quo opes publicæ*, ut de eo *Tacitus Annal.* I. *cap.* II. *continebantur*, *quantum* civium ſociorumque *in armis*, *quot claſſes*, regna, provinciæ, *tributa ac vectigalia*: atque ita apud *Ciceronem*, alioſque illius & proximi ævi ſcriptores per *ſocios* & *provincias* frequenter deſignata eſt Romani imperii amplitudo. Vide *Spanhemium* exercitatione II. *cap.* X. *pag.* 209. Quemadmodum igitur vox *ſocii* apud Romanos ſcriptores latius patet, ita & vox ὑπήκοοι amplæ notionis eſt, quia, ut obſervat *Vitringa* l. c. Romani Judæos φίλους *amicos*, & συμμάχους *ſocios* vocarunt, & ut tales ab aliis gentibus haberi & coli voluerunt. Quamvis autem *Franc. Fabricius* in notis ad *Ciceronis* Orationem pro Ligario ſcribat: *ſocii* σύμμαχοι *ſunt, provinciales* ὑπήκοοι: *illi ſuis legibus vivunt, hi alienis, hi vectigales & ſtipendiarii erant, a quibus ſocii diſtinguuntur*: tamen ex iis, quæ paulo ante dicta ſunt, *Fabritius* facile confutabitur. ἐλευθερία itaque, ſive αὐτονομία *Judæis* manſit, quamvis eſſent Romanorum *ſtipendiarii*; *Judæi* etiam *Romanorum ſocii* dicti ſunt, ſed *ſtipendiarii* ac *vectigales*. Hoc ipſo autem, inquies, probare licet, Judæos libertatem amiſiſſe, ſola illis per ludibrium relicta umbra libertatis. Fateor quidem Romanos ſæpius alio tempore aliis gentibus ſpecioſo libertatis (12) & ſociorum nomine (13) illuſiſſe, ſed quomodo probabitur ſub Pompejo eodem modo cum Judæis actum eſſe? Præterea cum αὐτονομίας & ἀτελείας non eadem apud Romanos ratio fuerit, (14) Judæi liberi, itemque ſocii dicendi erant, quamvis tributa penderent. Rem omnem in majori luce ponent *Nathenielis Lardneri* obſervationes, quas ex ejuſdem libro: te credibility of the Goſpel Hiſtory nobiſcum communicavit Jo. *Clericus* dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne *Tomo* XXVIII. *pag.* 89. Poſteaquam enim annotaverat, *Lardnerum* de Cenſu Auguſti, cujus *Lucæ* II. I. fit mentio, differere, hæc ex eodem addit: *on touvera au reſte ici diverſes remarques, touchant les* Dènombremens *&* des Cens *des habitans de l'Empire Romain, & de ſes Alliez; ſoit pour ſavoir quelles etoient les forces de cette grande Monarchie & de ſes* Alliez; *ſoit que ce fut pour en pouvoir tirer des Provinces Romaines & des Voiſins; car quoique tous les Voiſins ne fuſſent pas tributaires à l'Empire Romain, il falloit bien qu'ils contribuaſſent, ſi les Empereurs en avoient beſoin. C'ètoit alors* une civilitè, ou une dèference *que les Princes Voiſins avoient pour les Romains. On appelloit cela à Rome* majeſtatem populi Romani comiter obſervare. *Fœdus* φιλίας καὶ συμμαχίας omnium primo, autore *Juda Maccabæo*, *Judæi inierunt cum Romanis*, cujus non Maccabaica tantum Hiſtoria, & *Joſephus*, ſed ipſe quoque *Juſtinus* meminit: quod an in laude Judæ Maccabæi ponendum ſit, neſcit *Vitringa* in Hypotypoſi Hiſtoriæ & Chronologiæ Sacræ *pag.* 141. Non opus habebat auxilium a Romanis petere, qui præſentem ſibi adhuc habuerat auxiliatricem Dei manum. Utique Judas non longe poſt Legatos Romam miſſos prœlio interiit, & victus eſt, cum adhuc feliciter pugnaſſet: quod quidem *Vitringa* loc. cit. animadverſione dignum autumat. (15) Atque *hoc fœdus Ju-*

Judæorum cum Romanis non facile solvi posse videbatur, tum propter metum potentiæ Romanæ & reverentiam Majestatis illorum, quæ sanam populi partem facile in officio continere poterant, tum quia Primores Judæorum, Rectores populi, Pontifices, Sacerdotes, & melior pars populi in Romanos non male affecti erant. Et *ruptum* tamen est illud *fœdus*, non sane quod Optimates, Proceres, Pontifices & Sacerdotes præcipui, ϰὶ τȣ̃ δήμȣ τὸ ϰαθαρώτατον ϰὶ εἰλιϰϱινέστατον *purior & sincerior populi pars* (phrasis est ipsius *Josephi*) hic unquam mutarit sententiam, quippe qui omnes facile viderunt exitum consilii defectionis a Romanis funestum fore Reipublicæ: sed quod, Deo occultis Providentiæ suæ rationibus vindictam parante, seditiosi & zelotæ aliqui, turbulenti ingenii homines, gentem in hæc consilia præcipitarint, obtruncatis spectatissimis quibusque Proceribus, meliora suadentibus: ut ex Historia *Josephi* abunde liquet. Ruptum igitur violatumque hoc fœdus est præter omnium exspectationem, & sic delusa est prudentia Procerum, qui se resque suas securitatis causa Romanis dediderant. Estne illud, quod prædixerat *Zacharias* XI. 10. Deum Pastorem populi ante extremum ejus excidium, eum pasturum esse *duobus baculis* sive *pedis pastoralibus* נעם *amœnitatis &* חבלים *concordiæ*, sed finito extremo tempore patientiæ, illa peda tandem esse rupturum: rupto autem pedo pastorali נעם *amœnitatis*, *irritum factum esse fœdus Dei, quod habebat cum omnibus populis*. Intelligit *Campegius Vitringa Tomo* II. Commentarii in *Esaiam pag.* 124. Romanos, quibus plerique populi Orbis hoc tempore parebant: quos populos cum Deus huc usque sua Providentia per Romanos in fœdere sive conjunctione Judæorum servasset, Judæi rebellantes adversus Romanos ab hoc tempore expositi essent omnium injuriis & inimicitiis, ut eventus docuit: perinde ut *rupto pedo* חבלים *Concordiæ*, unionis, *solvenda dicitur fraternitas inter* Judam & *Israelem*, hoc est, eodem *Vintringa* interprete, Judæi in partes & factiones scindendi, & hoc ipso exitium suum acceleraturi: de quo historia liquidissime testatur. Et hæc quidem suo loco *de Judæis Romanorum adhuc sociis*, eorumque αὐτονομίᾳ adhuc integra & salva præmittenda erant. Accedamus nunc ac *Baronium*, qui in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos *num. 6.* verba *Josephi* modo allata præpostero quodam consilio omisit & repetenda subinde, & rite expendenda. Scribit enim hunc in modum: *constat post* Judæam *a Pompejo M. debellatam, populoque redditam vectigalem, &* ex parte in formam provinciæ redactam, *ac per Scaurum primum, deinde Gabinium administratam esse:* at vero graviter errat purpuratus, quamvi *August. Calmetus* dans la dissertation sur la Police des Hebreux ou sur la Maniere d'administrer la Justice parmi les Hebreux & en particulier sur le Sanhedrin; *Henr Hammondus* in notis ad *Lucæ* II. 1. *Caspar Waserus* de antiquis Numis Hebræorum *lib.* I. *cap.* 18. *Carolus Sigonius lib.* VII. de Republica Hebræorum *cap.* 4. & in notis ad *Sulp. Severi lib.* II. *fol.* 874. *Henricus Valesius* in notis *ad Ammiani Marcellini lib.* XIV. *cap.* 26. *pag.* 43. *Guil. Henr. Vorstius* in Observationibus ad *Davidis Ganzii* צמח דוד *pag.* 277. C. S. *Schurzfeleischius* in dissertatione de Ordine Publicanorum thesi 9. & 10. aliique in ejusdem erroris partes veniant. Certe viri eruditi multo rectius *negant Judæam a Pompejo in provinciæ formam redactam esse*. Testis est *Onuphrius Panvinius*, is in libro de Imperio Romano *cap.* 14. *p.* 405. *Tomo* I. Thesauri Grævi, longo ordine provincias Populi Romani extra Italiam recensens, de Syria quidem a Pompejo facta provincia differit, sed de Judæa, quod inprimis notandum erat, addit: *Pompejus in Palæstinam profectus Judæos debellavit, urbem Hierosolymam cepit, Hyreano rege constituto*. En alterum testem *Julium Minutolum*, is in Dissertationibus Historico-Criticis Romanam Antiquitatem illustrantibus dissertatione II. *pag.* 35. *Tomo* I. Thesauri novi Antiquitat. Romanarum de *Sallengre*, de Pompejo ita differit: *Hierosolymam victor ingreditur, & regnum Hyrcano concedit*. Uterque adeo scriptor dixit id, quod res est. *Judæa a Pompejo subacta* est & facta *vectigalis*, eadem tamen tunc nulla ex parte, neque ullo pacto facta est *provincia*. Videtur etiam *Baronius* existimasse, Scaurum, Gabinium & Crassum Judæam administrasse velut unam e provinciis Populi Romani, quod omnino falsum est. Nam hi *Syriæ Præsides* fuerunt, a qua separata Judæa erat: quæ ex ordinatione Pompeji tradita Hyrcano Pontifici. Quod autem hi rebus Judææ se multum immiscuerunt, factum id propter turbas inter fratres, quas componi Romanorum intererat. Sic *Baronius* accipere debebat verbum διέπειν apud *Josephum*, quando scribit Judaici Belli *lib.* I. *cap.* 5. Pompejum e Syria & Asia Romam repetentem tradidisse Scauro Syriam Judæamque διέπειν administrandam, illam ut provinciam, hanc tanquam ex Sy-

Syria, si opus foret, defendendam. Quamvis autem *Jac. Usserius* in Annalibus V. & N. T. *pag.* 454. parum accurate verba *Josephi* de Scauro exposuerit, hæc tamen recte subjungit: *& Regis quidem nomen, licet sine diademate, Hircanus tum retinuit, sed illius tanta erat ingenii tarditas*, ut non vectigalia solum ordinandi, *sed alia quoque omnia pro libitu in Palæstina disponendi potestatem sibi* Syriæ Præsides *assumerent, ut in* Gabinii præfectura *postea videbimus*. Paulo inferius *pag.* 465. idem *Usserius* ex *Dionis lib.* 39. observat, Gabinium Aristobulum, qui Roma profugus tumultus aliquos ciebat, comprehendisse & Pompejo misisse, *imperato Judæis stipendio*. Vide plura argumenta *Baronio* opponenda apud *Isaacum Casaubonum* Exercitatione I. ad apparatum Annalium *Baronii num.* 6. *pag.* 45. & *Cellarium* in dissertatione de Cn. Pompeji M. expeditione Judaica §. 9. ut nunc taceam *Jac. Benigni Bossueti* observationes, partim veras, partim falsas (16). Sed fortasse erunt, qui pro *Baronii* sententia magis magisque stabilienda verba illa *Ciceronis* in oratione pro L. Flacco in medium afferent: *stantibus Hierosolymis, pacatisque Judæis, tamen istorum religio a splendore hujus imperii, gravitate nominis nostri, majorum institutis, abhorrebat: nunc vero hoc magis, quod illa gens, quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis: quam cara diis immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata, quod servata*. Hæc ipsa Ciceronis verba in medium attulit *Baronius Tomo* I. Annalium ad A. C. 75. *num.* 7. Quamvis autem idem de sensu verborum Ciceronis nihil addiderit, vulgatam tamen lectionem, *quod elocata, quod servata*, retinet, persuasus jam tum *Judæam ex parte in formam provinciæ redactam* esse: id quod aliis quoque *Ciceronis* verba tractantibus in mentem venit. Et *Freherus* quidem in dissertatione de numismate census verba illa, *quod elocata* ita interpretatur: *publicanis nimirum vectigalium redemtoribus elocata: nihil enim hoc loco mutandum censeo*; ejusdem etiam cum *Frehero* sententiæ sunt *Jo. Mich. Dilherrus* in farragine rituum sacrorum & secularium *lib.* I. *cap.* 4. *pag.* 20. *Christoph. Cellarius* in notis ad *Minucii Felicis cap.* X. *num.* 4. *Sylvius* & *Manutius*; at vero de hac ipsa lectione an genuina sit & ferenda, dubitat *J. G. Grævius*. In MS. *Francii* primo legitur, *quod est victa, quod est locata, quod servata*. Elocabantur provinciæ a Censoribus, cum illarum tributa conducebant publicani, seu societates publicanorum. *Quomodo autem*, inquit *Grævius*, *potuerit* Judæa *tum* elocari, *quæ in provinciæ formulam non erat redacta, id non sane video. Nam* Judæa victa *fuit quidem* a Pompejo, *etiam* vectigalis *fuit reddita, ut multum argenti illi fuerit extortum teste* Josepho: *non tamen erat in provinciam redacta, sed libera & suis legibus relicta, constituto Rege Hyrcano, deinde Herode magno. Decimo demum anno post ejus mortem, Archelao illius filio in exsilium misso Viennam ab Augusto, Judæa demum provincia facta, & a Procuratoribus Imperatorum in posterum fuit administrata. Jam cum tributa a sociis & fœderatis populis exigerent Romani, Reges & supremos illorum magistratus compellabant, non vero ea publicanis elocabant. Itaque si* elocata *dixit* Cicero, *oratorie dixit, nulla veri ratione habita, quasi quæ victa sit, & in provinciam fuerit redacta, cujus* vectigalia elocentur; *aut* mendum *aliquod latet, quod sine melioris libri autoritate non possum eluere. Forte quod scripsit Cicero*, quod est pacata. *Plus est autem* pacare *quam* vincere*: est enim* pacare, *subigere*. Florus *proœmio*: ducenti quinquaginta anni, quibus totum orbem pacavit, *& sæpe in hac notione accipitur* pacare *cum apud hunc tum apud alios scriptores*. Porro autem addit *Cicero quod servata Octavius Pantagathus* restituit *enervata*, quo nihil aptius huic loco excogitari posse opinatur *Fulvius Ursinus*. Alii apud *Jac. Usserium* in Annalibus Veteris & Novi Testamenti *pag.* 453. malunt legere *serva facta*, (17) sed utraque emendatio non facile admittenda, quia longe distat ab antiquis literarum vestigiis, contra vulgo recepta lectio satis commode ostendit *Ciceronis* sensum. *Paulo Manutio servata* idem est quod *observata*, in custodiis tradita, & quasi obsessa, ne quid rerum novarum moliri possit: at in *servata* non video tantam difficultatem, quam hic movet *Manutius*. Quando autem *Adrianus Turnebus* in notis ad Orat. Ciceronis pro Lege Agraria contra Rullum, verba Ciceronis, ut sunt in vulgatis codicibus, retinet, & hoc modo interpretatur, quod elocata, quod *servata* id est *serva facta*, hanc interpretationem nullus admittet: nam *servare* pro *in servitutem redigere* dixisse Tullium, credat Judæus Apella, non ego, uti *Turnebo* recte respondet *Grævius*. Secundum *Grævium*, *Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* I. *cap.* V. §. 7. *p.* 133. & *Freherum* docet *Cicero*, illam esse victam & subactam, sed Romanorum miseratione & bonitate servatam, cum potuisset deleri, aut in servitutem redigi. Mittimus *Ciceronis* locum, qui multos tor-

torquet (neque enim huic ullam opem veteres libri afferunt) restat, ut pro stabilienda *Baronii* sententia verba *Ciceronis* afferamus, quæ leguntur in ejusdem Oratione de Provinciis Consularibus: *jam vero publicanos miseros (me etiam miserum, illorum ita de me meritorum miseriis ac dolore) tradidit* in servitutem Judæis & Syris, *nationibus natis servituti. Statuit ab initio, & in eo perseveravit, jus publicano non dicere: pactiones sine ulla injuria jactas rescidit: custodias sustulit, vectigales multos, ac stipendiarios liberavit: quo in oppido ipse esset, aut quo veniret, ibi publicanum, aut publicani servum esse vetuit.* Hactenus *Cicero*, at vero quis inde colliget, sermonem esse de *Judæa*? jam tum iu provinciam redacta, *Syriam* provinciam factam esse, haud negamus, ad illamque potissimum verba *Ciceronis* respicere, fatemur cum *Jacobo Usserio* in Annalibus Veteris & Novi Testamenti *pag.* 466. 469. Restat denique, ut audiamus quoque *Florum*, qui Historiæ *lib.* III. *cap.* 5. *Pompeji* res gestas referens hæc habet: *Hierosolyma defendere tentavere Judæi, verum hæc quoque intravit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens sub aureo uti cœlo.* Et vero hæc verba *Flori* multum itidem obscuritatis habent. *J. G. Grævius* censet *Florum* scripsisse: *vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens sub aureo utique velo*, quam lectionem ita explicat. Intravit adytum templi, quod Sanctum Sanctorum vocatur, & vidit in illo nihil, nisi patens spatium, seu inane, cui appensum erat velum, aureis filis pictum: *Arcanum patens* est, quod *Tacitus* vocat, *nulla intus Deum effigie, vacuam sedem, & inania arcana.* Quamvis autem priora illa arcana, quæ in Tabernaculo & Salomonæo templo in sanctissimo loco extiterant, de quibus Paulus ad Hebræos *cap.* IX. agit, in posteriori templo desiderata fuerint, quod ex Rabbinis constat: illud tamen prorsus vacuum atque inane mansisse, plebemque naso adunco suspensam quis credat? Citat quidem *Grævius* ex *Josepho* locum *lib.* VI. *cap.* 14. ex quo nihil prorsus in eo penetrali fuisse contendit, *Josephum* tamen sibi ipsi opponere licet de Bello Judaico *lib.* I. *cap.* 7. §. 6. & *Antiquit. lib.* XIV. *cap.* 4. Confer de hisce *Josephi* testimoniis *Jo. Gothofr. Lakemacherum* Observationum Philologicarum *p.* V. *Observat.* VI. §. 7. *p.* 274. & *Adrianum Relandum* in libro singulari de Spoliis Templi Hierosolymitani in Arcu Titiano Romæ conspicuis *cap.* II. *pag.* 25. & præcipue *cap.* XV. *pag.* 120. Ponamus autem *Josephum* commiscere aut confundere locum, quo Pompejus intravit, nempe Sanctum Sanctorum cum Sancto, in quo Pompejus vidit sacram supellectilem, ordo tamen *Josephi* ponit quasi quædam ex illa sacra supellectili, si non omnia, in Sancto Sanctorum fuisse sent asservata. Vide J. *B. Ottium* in Epistola de Numis quibusdam Samaritanis ad Adrianum Relandum *pag.* 72. qui hoc pacto lectionem *Grævii* rejicit, & cum *Justo Lipsio lib.* II. Electorum *cap.* 5. *pag.* 771. *Tom.* I. Operum lectionem illam: *sub aureo vitem cœlo* pluribus argumentis ruetur. At vero quid sibi vult *Florus* cum *impiæ gentis arcanum* nominat? Nimirum Græcos & Romanos symbolum aliquod sanctius habuisse certum est, quod religione præcipua colere & servare solebant, quod & *regni Sacrum*, *Imperii Pignus*, aut *gentis Arcanum* appellabant, quod etiam in templorum penetralibus intimis collocabant, cui denique salutem publicam, & regni fatum veluti appensum & affixum existimabant. Vide de hac veterum opinione inter alios *Jac. Bolducium Og. Christian. lib.* III. *cap.* 17. *Becmannum* in Dissertat. de pignoribus rerumpubl. *cap.* 3. *Joh. Dan. Ramum* in Exercit. Philol. de Ancilibus Romanorum *cap.* 11. §. 6. *pag.* 13. Atque hoc pacto *Caspar Barthius* in Animadversionibus ad *Claudii Rutilii Numatiani* Itinerarium *lib.* II. *pag.* 14. itemque *Jo. Spencerus* de Legibus Hebræorum Ritualibus *lib.* III. *dissertat.* V. *cap.* 9. *pag.* 1180. *gentis arcanum* apud *Florum* interpretantur, quasi is crediderit *in adyto templi Hierosolymitani sacri imperii pignus* fuisse aliarum gentium more. Quamvis autem *Pompejus* nihil ex sacris thesauris abstulerit (*Goronides Hebræus*, qui id ipsum affirmat, merito confutatur a *Cellario* in Dissertatione de Cn. Pompeji M. Expeditione Judaica §. 8.) quamvis *Pompejus* propter hanc abstinentiæ laudem præferendus sit *Crasso*, qui contra jusjurandum, cui se obstrinxerat, omnia, quæ intus in templo erant, rapuit teste *Josepho lib.* XIII. *Antiquit. cap.* 12. gravissimas tamen pœnas Deo dedit, cum templi adytum ingressus ea vidisset, quæ videre fas nemini erat, præter summos Pontifices. Certe, uti observat *Humfredus Prideaux* dans l'Histoire des Juifs *lib.* XIV. seu *Tomo* V. *pag.* 253. ex illo tempore, quo Pompejus templi adytum intravit, (quod ægre Judæi ferebant, prohibere autem non poterant) Deum sensit iratum, tristes mox rerum suarum conversiones, & præcipites casus expertus. Ceterum mittimus nunc *Pompejum*, qui teste *Josepho*, uti audivimus, Hierosolymam Roma-

manis fecit stipendiariam. De *Crasso*, quoniam ejus mentionem paulo ante fecimus, adhuc quædam dicenda erant. Nimirum expeditionem contra Parthos parans, in *Judæam* non attigerat, *duo millia talentorum*, sive *viginti ducatorum milliones* abstulit. Videatur *Robertus Cenalis* in libro de vera mensurarum ponderumque ratione *pag.* 1597. *Tomo* v. Thesauri Grævii. Idem *Crassus* etiam toto reliquo auro, cujus summa accedebat ae *octo talentorum* (Atticorum) *millia*, templum spoliavit. Quas tantas divitias, cum vix fidem apud exteros inventuras *Josephus* perspiceret, eas a Judæis in Europa, Asia, Ægypto & Cyrenaica degentibus longo tempore congestas esse, ex *Strabonis* Cappadocis libris historicis (hodie non exstantibus) & aliis probare nititur *lib.* IV. *Antiquit. cap.* 12. Confer Jacobum *Usserium* in Annalibus Vet. & Novi Testamenti *pag.* 470. Redimus ad *Crassum*, in colligendo auro totum: erat tum *in templo trabs ex auro solida*, minas Hebraicas sive libras 750. pendens, inserta trabi cavæ ligneæ, ex qua aulæa templi pendebant: & vero hanc trabem auream Crassus abstulit. Sed quid furtis & rapinis Crassi recensendis diutius justo immoramur? cogitemus *Hierosolymam a Pompejo factam stipendiariam*, uti ex *Josepho* intelleximus. Certum autem satis est ex eodem *Josepho Antsquitat. lib.* XIV. *cap.* 17. Hierosolymam in hoc statu relictam esse a Julio Cæsare sub Principatu Hyrcani. (18) *R. David Ganz* in צמח דוד ad A. 712. *pag.* 82. hæc de *Julio Cæsare* addit: quod jusserit *tributum quotannis dari Deo magno*, qui erat Hierosolymis, sicuti assignatum sit in *Josepho cap.* 44. At vero quantopere fallatur *Ganzius*, videas apud *Guil. Henr. Vorstium* in Observationibus *p.* 279. *de annuo tributo*, inquit, *a Julio Cæsare in honorem Dei misso Hierosolymam*, *nihil omnino promit* Josephus Græcus, *sed tantum ex fabulosis assumentis* Josippi *contextum est*. Relinquimus homini Judæo nugas suas, ut in iis delicias faciat: Idem tamen Cæsar Hyrcanum ethnarcham tanquam σύμμαχον *socium* & φίλον *amicum* Romani populi Principem a vicinis gentibus coli & ab *hibernis militi præbendis* & *exactionibus pecuniarum* liberum esse voluit. Tabulæ fœderalis verba apud *Josephum Antiquit. lib.* XIV. *cap.* 22. hæc sunt: παραχειμασίαν δὲ ἢ χρήματα πράσσεσθαι ὀ δοκιμάζω. Neque vero mirabitur aliquis tantam fuisse Cæsaris erga Hircanum indulgentiam: erat hic de Cæsare optime meritus, dignus utique qui fidei, obsequiique præmia ab eodem acciperet. Audiamus *Humfredum Prideaux* dans l'Histoire des Juifs *Tomo* v. sive *lib.* XV. *pag.* 331. *en vertu de ce Decret Hyrcan fut rètabli dans la Souverainitè de la Judèe; l'Aristocratie de Gabinius fut abolie; & le Gouvernement fut remis sur le mème pied qu'il ètoit sous Hyrcan & sous le Sanedrin, avant le changement de Gabinius dont on a parlè ci-dessus*. Et profecto si *Judæi*, uti observat *Nicolaus Abramius* in notis ad *Ciceronis* Orationem II. Philipp. maximam erga *Cæsarem* benevolentiam præ se tulerunt, infensi autem fuerunt *partibus Pompejanis*, memores templi olim a Cn. Pompejo capti, facile intelligimus, cur Cæsar & Judæi officiis mutuo responderint. Ceterum ut ad *Josephum* revertamur, de *Cæsare* & *Hyrcano* differentem, inde hoc discere licet, *ne in liberiore quidem Judæorum Republica*, & *cum Judæa nondum in provinciam redacta esset*, *Magistratui eorundem de quibuscunque causis cognoscendi*, *a Romanis concessam fuisse veniam*. Huc enim tendit C. Julii Cæsaris restricta ibi verborum conceptio, quibus Hyrcanum Judaicæ genti Rectorem constituit. Postquam fidelem ab eo sibi navatam operam sedulo collaudasset, porro ait: *jura quoque omnia pontificalia habere ipsum & filios decerno*, &, si qua controversia exorta fuerit de Judaica disciplina, *judicium penes ipsum esse*. Igitur patescit judicium de gravioribus causis, & quæ ad Judaicam disciplinam proprie non pertinebant, jam tum Romanos sibi vindicasse, & voluisse, ut de iis Hyrcanus ejusque successores posteri ad se referrent. Neque aliud sibi vult privilegium, quod, multis interjectis, Cæsar amplius Hyrcano, ejusque filiis tribuit: *ut*, *quotiescunque postulaverint a Dictatore*, *aut Magistro equitum*, *in Senatum introducantur*, & *responsum eis omnibus intra decem dies reddatur*, *siquid a Senatu decretum fuerit*. Hæc jam obtinebant, cum nondum plane Judæis libertas ademta esset. Vide J. C. *VVagenseilium* in Confutatione carminis R. *Lipmanni pag.* 314. & *in dissert. ad* C. Arnoldum de loco classico *Genes.* XLIX. 10. *pag.* 268. Fasciculo v. Opusculorum.

II. Post *Cæsaris* cædem C. *Cassius* e Judæa in Syriam venit, & urbibus gravia tributa imperavit, sed potissimum *Judæam* afflixit, exactis ab ea septingentis argenti talentis. In capite quidem 45. Historiæ Judaicæ, Arabice in Bibliis Polyglottis Parisiensibus editæ tot *talenta auri* nominantur, sed *argenti talenta* fuisse cum aliis judicat *Jacobus Usserius* in Annalibus Vet. & Novi Testamenti *pag.* 521. Præstat hic iterum audire *Robertum* Ce-

Cenalem in libro de vera Mensurarum Ponderumque ratione *pag.* 1601. *Tom.* v. Thesauri Grævii: *habes ex Abaco talenta centum valere ducatorum decies centena millia: quo fit ut septingenta talenta, septem ducatorum milliones æquo valore comprehendant*. Quicquid erit: Antipater res magno in metu esse videns, pecuniarum exactionem dividit, & utrique filio redigendas committit, partim etiam Malicho, sibi parum amico, partim aliis. Ac primum Herodes ex Galilæa parte sua, centum talenta, quantum ei imperatum erat, afferens, maximam apud *Cassium* gratiam iniit. Ceterarum urbium gubernatores omnes cum suis hominibus venundabantur. Et quatuor urbes hastæ subjecit *Cassius*, quarum erant potentissimæ Gophna, & Emmaus, reliquæ Lydda & Thamna. Quin etiam Malichum Cassius præ iracundia occisurus fuit, nisi ejus impetum cohibuisset Hyrcanus, missis ei per Antipatrum centum talentis de suo. Ceterum Cassius & Murcus, coacto exercitu, Herodem totius Coelesyriæ ducem fecerunt, attributis ei navalibus, equestribus & pedestribus copiis, regnum etiam Judææ illi polliciti post finitum bellum, quod tum gerebant contra Antonium & juniorem Cæsarem. Tandem ipse *Antonius Herodis* miseratione commotus, tum Antipatri recordatione, cujus ipse fuerat usus hospitio, tum propter pecuniam, quam ei daturum se promittebat *Herodes*, si rex factus esset, quemadmodum antea, cum quartæ partis rex factus fuerat, & multo etiam magis odio Antigoni, quem seditiosum & Romanis infensum existimabat, paratus erat, Herodem in suis postulatis adjuvare. *Cæsar* quoque partim propter Antipatri miliiam, qua in Ægypto cum ipsius Cæsaris patre functus fuerat, propterque ejusdem hospitium, & omnium rerum benevolentiam, partim ut Antonio, Herodis studiosissimo, gratificaretur, erat ad juvandum Herodem paratior. Igitur convocato Senatu, Messala, & post eum Atratinus, producto Herode, ejus patris beneficia narraverunt, & ipsius erga Romanos benevolentiam commemoraverunt, accusantes simul, hostemque pronunciantes Antigonum, non modo propter ejus primum in eos delictum, sed etiam quod contemtis Romanis, a Parthis accepisset imperium. His commoto Senatu, procedit Antonius, & eos docet etiam ad Parthicum bellum expedire, ut Rex fiat Herodes. Ita *omnium suffragiis rex creatur Herodes*. Senatu finito, medium stipantes Herodem Antonius & Cæsar exierunt, deducentibus consulibus, una cum aliis magistratibus, ad sacrificandum & decretum in Capitolio proponendum. Vide *Usserium* in Annalibus Vet. & Novi Testamenti, *pag.* 541. itemque *Sebastianum Castellionem* in Historiæ Judaicæ ex *Josepho* continuatione. Sed haud multo post, cum *Cæsar Antonium in Actia pugna* vicisset, *Herodes* in periculo fuit, ne omnia perderet, quoniam Antonium juvisset. Atque ut res suas in tuto collocaret, Rhodum magnis itineribus contendit ad Cæsarem: ubi in urbem pervenit, *diadema* (19) *deponit*, cæteri apparatus nihil mutat. Atque ubi ad Cæsaris colloquium ventum est, magnum animum, nihil suppliciter orando præstitit, & ita verba fecit (sese & Antonio fidelem amicum fuisse, & Cæsari esse posse confitens) ut Cæsaris humani & magnifici viri, animum sibi conciliaverit, ita ut *Cæsar ei diadema rursus imposuerit*, eumque monuerit, ut sibi non minus amicus esset, quam ante fuisset Antonio. Itaque *Herodes* se in tanta gratia esse videns, sibique ex insperato regnum esse magis confirmatum tam donatione Cæsaris, quam Romanorum senatus consulto, quod ad majorem certitudinem curavit obtinendum, Cæsarem in Ægyptum proficiscentem deduxit, eumque & ejus amicos supra vires muneratus est, sese quam potuit magnificentissime gerens. Certe Cæsari ex Ægypto redeunti & per Judæam transeunti octingenta talenta dedit, & his rationibus magnam sibi benevolentiam peperit. Vide *Usserium pag.* 572. *Castellionem l. c.* & *Ludov. Cappellum* in Historiæ Judaicæ compendio. Audiamus in præsenti *Tacitum Hist. lib.* 1. *cap.* 9. *regnum ab Antonio Herodi datum*, *victor Augustus auxit*, & Strabonem lib. XVI. pag. 763. *tantum superioribus maxime Romanorum familiaritate præstitit, ut Rex quoque fuerit appellatus, Antonio primum, postea Cæsare Augusto potestatem ei concedentes*. An *Herodes Magnus* a Romanis Rex constitutus iisdem *tributum* pependerit? diu est quæsitum, quamvis mirer illam quæstionem, (20) quæ non exigui momenti est, a *Christiano Noldio* (21) & *Claudio Fleury* (22) vel paucis tantummodo verbis tangi vel prorsus omitti. An *Georgius Greenius* in binis Disputationibus de rebus Herodis M. hanc quæstionem disceptaverit, me nescire fateor, cum illas evolvere mihi haud integrum fuerit. *Onuphrius Panvinius* in libro de Imperio Romano *cap.* XV. *pag.* 412. *Tomo* 1. Thesauri Grævii, inter Augusti Reges socios & fœderatos *Herodem* quoque numerat, sed an *tributarius* fuerit, haud disquirit. Quæ cum ita sint, no-

noſtrum fuerit pro virili hanc quæſtionem diſceptare. *Herodem Romanis tributarium* fuiſſe negant *Joſephus Scaliger* in animadverſionibus Euſebianis, *Samuel Petitus* Variarum lectionum *cap.* XVIII. *Henric. Noriſius* de Epochis Syro-Macedonum, *Antonius Pagius* in Critica Hiſtorico-Chronologica in annales Eccleſiaſticos *Baronii* apud *Joh. Clericum* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique *Tomo* XV. *pag.* 302. ſeq. *Antonius Bynæus* in libris de Natali Jeſu Chriſti, *Dionyſius Petavius* in Animadverſionibus in *Epiphanium pag.* 129. *Samuel Baſnagius* in Annalibus Eccleſiaſtico-Politicis *Tom.* I. *pag.* 107. *Bern. Lamyus* App. ad Harmoniam Evangelicam, teſte *Baſnagio* dans l'Hiſtorie des Ouvrages des Savans An. 1699. menſe Julii *pag.* 313. *Jacob Hottingerus* in Pentade Diſſertationum Biblico-Chronologicar. diſſert. 4. *Petrus Poſſinus* in Spicilegio Evangelico §. 24. *Vitringa* Obſervationum Sacrarum *lib.* IV. *cap.* 5. §. 28. *pag.* 950. *Joh. Clericus* dans la Bibliothequa Ancienne & Moderne *Tomo* XXVIII. *pag.* 96. *ſeq.* & *Jac. Perizonius* in diſſertatione de Auguſtea Orbis terrarum (23) deſcriptione & loco Lucæ eam memorantis, itemque in notis ad *Æliani lib.* IV. *cap.* 25. *pag.* 358. At vero in contrariam malim deſcendere ſententiam, perſuaſus *Herodem* in populi Romani *clientela* fuiſſe, & *fiduciaria lege*, qua ſuperiorem agnovit & habuit, regnum tenuiſſe. Roma haud immerito a D. Joanne Apocal. XVII. 18. dicitur ἔχουσα βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς *habens regnum*, ſive *imperium in Reges terræ*. Hinc *Tacitus Hiſtor.* II. *cap.* 81. iſtos Reges ſocios atque amicos Populi Romani *inſerventium Regum* nomine citra ambages deſignat; hinc illa ejuſdem *Taciti* verba in Agricola *cap.* XIV. *vetere & jam pridem recepta populi Romani conſuetudine, ut haberet inſtrumenta ſervitutis & Reges*. Hinc etiam *Straboni* lib. VI. pag. 198. iidem Reges nominantur ὑπήκοοι ὄντες, quod vere *ſubjecti eſſent* Romanis: hinc etiam paſſim *accepti*, vel *recepti in fidem*, aut *in fide populi Romani permanere* dicti, itemque *fideles* apud rerum Romanarum ſcriptores, uti id pluribus probavit *Spanhemius* Exercitatione II. cap. X. p. 205. & *Franciſcus Hottomannus* in notis ad Orat. *Ciceronis* pro Publio Sextio. Iſtiuſmodi Reges, quod ſocietate & auxiliis Romanos juvarent, ſe in nummis ſuis φιλορωμαίους, honoris cauſa appellabant. Teſtis inter alios *Ariobarzanes II.* Rex Cappadociæ cognomento *Philo-Romæus*, uti ex ejuſdem nummis ſatis luculenter apparet apud *Laurentium Begerum Tomo* III. Theſauri Brandenburgici *pag.* 12. & *Bernard. Lauredanum* in Commentario in Orationes *Ciceronis* pro Lege Agraria, niſi quis malit verum ejus commentarii autorem nominare *Carolum Sigonium*. Vide *Mich. Brutum* in Epiſtola ad Lambinum, in qua de Ciceronis editione, quam adornarat Lugduni apud Juntam agit. Hiſce præmiſſis ad *Herodem* revertamur. Quamvis autem Herodes Rex eſſet, idem tamen Romanæ magnitudinis mancipium fuit. A Romanis Senatus conſulto datum ei regnum: ab Auguſto dein confirmatum. Hinc non ad cultum modo Romani Principis ſe demiſit, ſed & ad obſequia ſubditi, Cæſarem prehenſando, adulando, demerendo omni ſtudio, iis etiam obſequiis, quæ infra dignitatem Principis ſunt. Etenim inter *Reges*, qui *templis*, aliaque devotione *Auguſtum* proſecuti ſunt, eminuit *Herodes*, qui in Samaria urbe maximum *Auguſto templum* condidit. Phœnices etiam urbem, Stratonis turrim antea vocatam reſtauravit, & portu ædificiiſque ſplendidiſſime ornatam *Cæſaream* appellavit, & contra oſtium portus *templum Cæſaris Auguſti* conſtituit, magnitudine ſimul & pulcritudine conſpicuum, & *quinquennale certamen* adjecit. Sed & ad Jordanis *fontes*, in loco qui *Panium* dicebatur, elegantiſſimum *fanum* conſtruxit *Auguſto* e candido marmore: ubi deinde *Philippus Tetrarcha* urbem ædificavit *Cæſaream Philippi*: uti hæc omnia ſigillatim ex *Joſepho* probat *Albertus Rubenius* in Diatriba de Urbibus Neocoris, itemque *Baronius Tomo* I. Annalium ad A. C. 16. *num.* 10. Quæ cum ita ſint: Auguſtus etiam teſte *Joſepho lib.* XVI. *c.* 15. Herodi pro imperio ſcripſit: *ſe eo hactenus uſum amico, uſurum deinceps ut ſubdito* ὅτι πάλαι χρώμενος αὐτῷ φίλῳ, τῷ ὑπηκόῳ χρήσεται. (24) Adhuc plura in hanc rem adducere licet, quæ juris non mediocriter deminuti & precarii regni fidem, indiciumque in Herode facere poſſint. Vide *Conr. Sam. Schurzfleiſchium* in diſſertatione de Statu & Rebus Judæorum §. 2. *Vitringam* Obſervationum Sacrarum *lib.* IV. *cap.* 5. §. 29. *pag.* 951. *Voſſium* in Harmonia Evangelica *lib.* I. *cap.* 8. §. 1. *pag.* 54. *Baſnagium* dans l' Hiſtoire des Juifs *Libro* I. *cap.* 5. §. 11. 12. *pag.* 139. *ſequ. Nicolaum Abramium* in notis ad *Ciceronis* Orat. pro Dejotaro. Quid multa? *Joh. Clerico* judice in animadverſionibus in *Hammondi* Paraphraſin N. T. Chriſtus ipſe *Lucæ* XIX. 12. ſuam parabolam deſumſit ex more Regum ejus ævi, qui beneficio Imperatorum Romanorum regnabant potius qnam

jure

jure natalium, quales ab *Herode Magno* in Judæa fuerant. Non poterant diadema ſumere, niſi juſſu eorum, qui Romæ rerum potiebantur. *Herodes* ille longinquum iter ſuſcepit, ut *regnum Judææ* ab *Antonio* obtineret, nec fruſtra: ivit enim ex Judæa Romam, ut docet *Joſephus Ant. Jud. lib.* XIV. *cap.* 25. *ſequ.* atque inde τὴν βασιλείαν παραλαβὼν *accepto regno*, in Judæam rediit. Iterum iter ſuſcepit, ut ſibi a Cæſare regnum confirmaretur, ut idem Hiſtoricus docet *lib.* XV. *cap.* 10. Idem ſucceſſores ejus facere coacti ſunt, quod ab eodem ſcriptotes diſcere eſt. Vide *lib.* XVII. *cap.* 13. *contra hoſce legationes quandoque a Judæis Romam miſſæ*, ut ne regnum illis conferretur, aut etiam auferretur. Sic *Archelaum* accuſarunt Judæi apud Cæſarem, Romæ per legatos. Vide *cap.* 11. & 15. ejus libri. Hinc intelligimus rationem, ob quam ita Parabola concepta eſt. Archelaus exempli cauſa, erat homo εὐγενὴς *nobilis*, natus quippe ab *Herode*. Idem *abiit in regionem longinquam* (in Italiam) *accipere ſibi regnum* (Judææ) *& reverti* in Judæam. *Cives* vero, *qui eum oderant*, *miſerunt legationem poſt illum*, *dicentes* (apud Cæſarem) *nolumus hunc regnare ſuper nos*; quod non potuerunt tamen impetrare. Itaque *rediit*, *accepto regno*, aut ἐθναρχίαν παραλαβὼν ut loquitur *Joſephus*. Deinde de inimicis, *qui noluerant eum regnare ſuper ſe*, gravem ultionem ſumſit. Hactenus *Clericus*, conſimiles ſunt obſervationes *Mallemantii* dans les Memoires de Trevaux A. 1708. *Jul. p.* 1236. & *Dec. pag.* 2067. 2081. uti nos docet *Joh. Alb. Fabricius* in notis ad *Joſephi* Hypomneſticon *pag.* 284. *Tomi* II. Codicis Pſeudepigraphi Vet. Teſtamenti. Quæ cum ita ſint, Herodes tributum utique Romanis pependit, non aliter ipſi regno collato, niſi ἐπὶ φόροις τεταγμένοις, ut tributa penderet. Teſtis hanc in rem graviſſimus eſt *Appianus* libro V. Bellorum Civilium *p.* 715. qui conceptis verbis tradidit Antonium ſuo arbitratu ἐπὶ φόροις τεταγμένοις Reges appellaſſe ut Herodem Idumæorum & Samaritarum, ita Ponti Darium, Amyntam Piſidarum, Polemonem partis Ciliciæ, alioſque aliarum gentium reges. Atque ex hoc *Appiani* teſtimonio *Hugo Grotius* in notis ad *Lucæ* II. 1. & de Jure Belli ac Pacis *lib.* 1. *c.* 3. §. 22. *Ezech. Spanhemius* exercit. II. de Orbe Romano *cap.* 10. *pag.* 215. P. D. *Huetius* in demonſtratione Evangelica *Propoſit.* IX. *cap.* X. §. 3. *Herm. VVitſius* Miſcellaneorum Sacrorum *Tomo* II. *Exercitatione* IX. §. 43. *pag.* 306. *Marquardus Freherus* in diſſertatione de numiſmate Cenſus, *Jac. Uſſerius* in Annalibus Veteris & Novi Teſtamenti *pag.* 542. *Nicolaus Serarius* in libro, quem inſcripſit, Herodes, *cap.* 23. *Balth. Stolbergus* in diſſertat. de Herodianis §. 9. aliique colligunt Herodem tributarium fuiſſe: at intercedit *Sam. Petitus* & in partem contrariam quam maxime nititur. *Erat*, inquit, *Herodes* ἀνυπεύθυνος, *non vectigalis*. Atque eo conſilio ſtatim *Petitus* nobis opponit *Joſephum libro* XV. *cap.* 4. ubi hæc leguntur verba: *negabat Antonius Regem* puta Herodem *oportere facti ſui rationem reddere* περὶ τῶν κατὰ τὴν ἀρχὴν γεγενημένων εὐθύνας ἀπαιτεῖν, *alioqui ne regem quidem futurum, ſed dato illi ſemel honore etiam liberam poteſtatem permittendam eſſe*, δόντας δὲ τὴν τιμὴν καὶ τῆς ἐξουσίας καταξιώσαντας ἐᾶν αὐτῇ χρῆσθαι. At vero in hoc argumento nulla eſt firmitas, quemadmodum egregie oſtendit *Jacobus Baſnagius* dans l'Hiſtoire des Juifs *libro* 1. *cap.* 5. §. 4. *pag.* 126. (25) Pergit *Petitus*, & quod ad locum *Appiani* paulo ante allatum attinet, eundem pro lubitu fingit, refingitque, ut diſſentientium argumenta, velint, nolint, corruant. Poſteaquam enim *Appiani* verba, quæ apud diſſentientes utramque paginam faciunt, in medium attulerat, ſubdit: *hæc dicuntur facta ab* Antonio *cum ad bellum Parthicum proficiſceretur: itaque ſi quis paulo accuratius ea expendat, facile animadvertet*, ἐπὶ φόροις τεταγμένοις *non eſſe hujus loci, nec quidquam facere ad mentem* Appiani, *quem auſim contendere non ita ſcripſiſſe*, *ſed hoc modo* ἐπὶ φοραῖς ἄρα τεταγμένους. *Senſus eſt*, *Antonium juſſiſſe*, *Herodem*, *alios Reges*, *ſua quemque in ditione*, in armis eſſe, præſto ad quoſvis incertos caſus, *ſive hoſtium irruptiones*, *ſive ſi quid ipſi Antonio*, *ut incerta eſt Martis alea*, *ſecus accidiſſet*. At vero quis feret *Petitum* verba *Appiani*, quæ per ſe clara ſunt, ſemel iterumque refingentem? an illi ſoli (nam alii doctiſſimi homines, quos nominavi, lectionem receptam nunquam ſollicitant) licebit ſenſum verborum *Appiani* ad ſuum arbitrium revocare. (26) *Antonius* utique cum *Herode*, aliiſque *regibus ſtipendiariis* ſuo dicam an Romanorum jampridem recepto more egit, *Appiano* iterum teſte. Operæ pretium fuerit hanc in rem audire *Spanhemium* Exercitatione II. *cap.* X. *pag.* 216. *etiam Regibus*, *Dynaſtis ac liberis civitatibus impoſita a* M. Antonio *mulcta aut tributi genus apud* Appianum (27) *dicitur*: *id vero de capitatione*, *ſive illa de* humana (28) *hoc eſt* tributo *demum capitis*, *ut eam explicat magnus* Cujacius (29) *ſive juxta* Jac. Gothofredum (30) *de terrena*

rena

rena *insuper seu* possessionibus, *quarum nomine itidem tributa pendebantur*, *intelligi debeat : ab ea utique neminem in orbe Romano fuisse immunem*, *declarant aliquot Imperatorum constitutiones* , *sicut* (31) Constantini, (32) Valentiniani Junioris, *& aliorum*, *quæ etiamnum in* utroque *exstant* Codice. *Unius forte*, *si exteros*, *sed in Romanorum fide respicias*, (33) domus Arsacis Armeniorum Regis immunitas *ab illis tributariis functionibus*, *a Constantino decernitur*. Hactenus *Spanhemius* de altero *Appiani* loco, nunc videamus an ex *Josepho* colligere liceat, Herodem tributarium Romanorum fuisse. Negat id ipsum *Vitringa* l. c. *Herodes*, inquiens, *tributarius Romanorum fuisse non videtur*. *Nullum certe illius argumentum mihi in Historia Flaviana occurrere memini* : at *Nathaniel Lardner* in partem contrariam citat testem *Josephum* de Bello Judaico *lib.* II. *cap.* 6. ubi hæc leguntur: *Archelai ad ethnarchiam pertinebant & Idumæa & Judæa omnis & Samaria* κεκουφισμένη τετάρτῳ μέρει τῶν φόρων εἰς τιμὴν τοῦ μὴ μετὰ ἄλλων ἀποστῆναι *levata honoris ergo quarta parte tributorum* , *quod cum aliis non defecerat*. Prima statim fronte apparet de sola Samaria sermonem esse, hinc multi cum *Aldrichio* Idumæam & Judæam Samariæ addunt, ut sensus sit, hasce regiones omnes certam quandam immunitatem sive remissionem tributorum accepisse, quia non defecerint. Ego vero me nescire fateor, quorum Manuscriptorum codicum fide hæc emendatio niti possit, etenim κούφισις *tributi revelatio* ad solam pertinet Samariam judice *Christophoro Cellario* in dissertatione de Gentis Samaritanæ Historia & Ceremoniis §. 26. deinde adhuc incertus sum, utrum hic tributa, quæ vel Archelaus, vel ejus pater Herodes imposuit, an tributa Romanis pendenda intelligantur. Certe locus ille *Josephi* perobscurus est *Joh. Clerico* (34) *Jacobus* autem *Usserius* in Annalibus Veteris & Novi Testamenti *pag.* 605. existimat hanc *Josephi* mentem esse : *obtigit Archelao Judæa & Idumæa*, *præterque has Samaria* : cui ex autoritate Cæsaris tributorum quarta pars remissa est, *eo quod ceteris tumultuantibus soli quieti manserant in officio*. Quamvis autem *Josephus* nos incertos relinquat, cum conceptis verbis *tributa ab Herode Romanis solvenda* non commemoret, *Jacobus* tamen *Basnagius* dans l' Histoire des Juifs *lib.* I. *cap.* 5. §. II. *pag.* 139. certus est, se earum rerum memoriam apud *Josephum* reperisse, unde satis tuto colligere liceat, *Herodem Romanorum stipendiarium* fuisse. Nempe enim Herode mortuo, Sabinus Cæsaris in Syria Procurator in Judæam properavit ad *asservandam Herodis pecuniam*. Varus quidem Syriæ Præses ab Archelao Herodis filio arcessitus, intercedit, ita, ut ille in Præsidis gratiam *thesauros regios obsignare* desisteret, omnia relinquens in potestate Archelai, tantisper dum Cæsar de his aliquid statueret : sed postquam Romam navigavit Archelaus & Varus versus Antiochiam profectus est, iterum Hierosolyma petiit & regiam occupavit. Accitis deinde præfectis arcium & *regiis procuratoribus*, *rationes repoposcit ab eis*, & arces sibi committi postulavit. Hæc ex *Josephi lib.* XVII. *antiq. cap.* II. præter *Basnagium* recenset *Jac. Usserius* in Annalibus Veteris & Novi Testamenti *pag.* 603. Eat nunc *Petitus* & dicat: *erat Herodes* ἀυτεύθυνος, *non vectigalis*. Quid autem causæ fuerit, cur *Petitus* cum aliis doctis hominibus negarit *Herodem Romanorum stipendiarium* fuisse, satis quidem luculenter aperuit *Basnagius*, (35) at præstabit tamen rem omnem in majori adhuc luce ponere. Nimirum docti homines non poterant mente sua concipere, quo pacto tributa Judæorum, Herode regnante, ad Romanos pervenirent, at res ipsa cognitu facilis, dummodo Romanorum morem, quem *Humfredus Prideaux* (36) describit, cognitum & perspectum habeamus. Quid multa? audiamus *Grotium* in notis ad *Lucæ* II. I. *populus Judæus Herodi tributa pendebat*, *Herodes autem imperio Romano*, *ut alii Reges socii*, *dabat*, *ut* Appianus *loquitur*, φόρους πεπαγμένους. Audiamus etiam *Abrahamum Scultetum* Exercitationum Evangelicarum *libro* I. *cap.* 48. *quando* Jud*æa*, inquit, *sub Herode fuit & sub Archelao*, Jud*æi per se tributum Romanis non pendebant*, *sed tantum Herodi Regi*, *qui &* Jud*æis aliquando tertiam*, *aliquando quartam partem tributorum remisit*, *quod facere non potuisset*, *si id tributum Romanis datum fuisset* : *sed ipse Rex*, *quantum Imperator volebat*, *a se dabat*. Eadem propemodum verba observare licet apud *Ludov. Wolzogenium* in Commentario in Lucam *pag.* 580. *Baronius* quidem in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos *num.* 87. *pag.* 39. agnoscit *Herodem Augusto fuisse tributarium*, sed quomodo illo Rege Judæorum tributa ad Romanos pervenerint, non satis accurate exponit, uti factum est a viris eruditis quos paulo ante laudavimus. Quicquid autem ejus rei erit, miserrima fuit Judæorum conditio sub *Rege tributario*, uti ex uno alteroque apparebit exemplo. *Herodes* apud *Josephum* lib. XIII. de Bello Judaico, cum Marco Antonio, alioqui

qui sibi non parum infenso, instigante Cleopatra, cujus amore insaniebat, controversiam transigens, *annuo tributo ducentorum talentorum* ablatas possessiones redemit, hoc est vigesies centenis millibus ducatorum, seu myriadibus ducentis, quæ duos perficiunt milliones judice *Roberto Cenali* in libro de vera Mensurarum Ponderumque ratione *pag.* 1597. *Tomo* v. Thesauri Grævii. Semel quidem *Herodes* regni sui subditis *tributorum partem* remisit, teste *Josepho Antiquit. lib.* xv. *cap.* 13. sed nec crebra, nec diuturna fuit hæc indulgentia, cum adhuc vivus sibi, & mortuus suis gratiam Augusti conciliare quam maxime vellet. Augusto enim legavit *argenti signati centies centena* millia, & vasa sua tam aurea, quam argentea, magnumque vestis pretiosæ numerum: Liviæ autem Augusti uxori, & quibusdam amicis *quinquagies centena millia*. Vide Josephum *Antiquitat. lib.* xvii. *cap.* 10. Plura exempla addere nolim: cum vel ex uno alterove consuere liceat exemplo, quam *gravissimæ* fuerint *Regum Herodiadum tributorum exactiones*, earumque causæ. Accedit hic Jac. *Basnagius* dans l' Histoire des Juifs *lib.* 1. *cap.* 13. §. 27. *pag.* 344. unde hæc verba repetere operæ pretium fuerit: *le Regne des* Herodes *fut desavantageux à la Nation Judaique; parceque n' aiant qu'* une Ombre d' Autoritè, & dèpendant toujours des Empereurs Romains, *qui changeoient, qui ètablissoient & dèposoient ces Rois selon leur bon-Plaisir*, ils ètoient en obligès de tenir le Peuple dans un Dèpendence servile. Ils ètoient les Sangsues qui tiroient la Substance de cette pauvre nation, pour enrichir les Favoris de leur Maitre. *Il falloit èlever des Villes & des Citadelles à l' Honneur de leurs Bienfaicteurs*; adoucir, par des Prèsens & des Sommes excessive ceux qui paroissoient irritez. *Il falloit de plus fournir à leurs Plaisirs, à leurs Dèpenses & porter le Fais de la Roiautè, sans en avoir les Avantages; puis qu' on ne laissoit pas de gèmir encore sous le Joug des Romains: cependant, ce n' ètoit pas là le plus grand Malheur des Juifs.*

III. De *Censu*, quem *Augustus*, *Herode regnante*, (37) instituit, nunc agendum erit, ut vel errores, quos multi inter Oratores sacros admittere solent, (38) redarguamus, vel testatæ impietatis hominibus arma, (39) quibus fidem atque autoritatem sacrarum literarum impugnare solent, eripiamus. Mirabitur autem aliquis, cur *insignem* quendam *Augusti nummum* (40) hic silentio prætereamus, sed mirari desinet, si intelliget (41) nobis nostri consilii causas fuisse graves satis & justas. Missis igitur, quæ nos morari poterant, ambagibus, rem ipsam videbimus magis magisque expendendam. Et *Michael* quidem *Neander* in notulis ad Protevangelium Jacobi annotat, instigante Herode descriptionem Bethlehemitarum potissimum factam esse, sub prætextu ἀπογραφῆς generatim atque universe instituendæ, ut Rex magnus, quem ex Oriente venturum fata præsagire credebantur, intercipi posset, at illam sententiam tanquam parum verisimilem, hic ubi de *Censu Augusti* agitur, omittendam esse censet *Joh. Alb. Fabricius* Tomo I. Codicis Apocryphi N. T. *pag.* 103. Quæres autem quid consilii fuerit Augusto in hoc censu? Nimirum Augustus publicæ quietis fundator, postquam tributorum & vectigalium exactione provincialibus fierent intolerabiles, omnes extraordinarias tributorum vectigaliumque ærufcationes, quas avaritia magistratuum Romanorum Provincialium, Proconsulum, Prætorum, Præsidum malo publico repererat, velut uno ictu præcidit: (42) & neglecta veterum ratione nova tributa ordinaria instituit, alia in agros, alia in capita. Atque hæc ut tanto majore æquitate in singulos distribuerentur, jussit *censum* Romani imperii fieri. Neque vero ita censum sive ἀπογραφὴν intelliges cujus meminit *Lucas* II. I. Hac enim *descriptione*, quæ etiam *census* dicebatur, citra tributi indictionem pernosse voluit, quantum hominum esset in Judæa quantumque singuli in bonis & facultatibus haberent. Quemadmodum autem *Baronius* de censu illo Augusti differens sæpius erravit, id quod præter *Casaubonum*, *Dionysius Petavius* in Animadversionibus in *Epiphanium* pag. 129. *Henr. Norisius* in Cenotaphiis Pisanis *dissert.* II. *cap.* 16. *Ludov. Wolzogenius* in Commentario in Lucam *pag.* 587. *A. Frid. Spanhemius* in Dubiis Evangelicis *P.* II. *Andr. Magenel* sive *Magendeus* (43) & *Richardus Montacutius* Originum Ecclesiasticarum *P.* I. *pag.* 8. *sequ.* satis luculenter probarunt, ita idem *Baronius* (44) veram notionem vocum ἀπογραφὴ & *census* haud assecutus, aliud ex alio fingit, meliora nunc docendus. Ἀπογραφὴ est in hoc divini scriptoris loco descriptio non vectigalium aut tributorum causa, sed census, ut in tabulas publicas unius cujusque nomen juxta familiam ac conditionem suam referretur. *Hesychius* ἀπογραφὴ, ἀρίθμησις ἢ ἡ γινομένη μήνυσις *enumeratio*, *declaratio* numeri & generis hominum. *Phavorinus* similiter dicit ἀπογραφὴν ποιεῖσθαι, cum unusquisque mittitur, ut ape-

aperiat ὅσα τε ἔχει ϗ ὅθεν τὰ χρήματα ϗ πόσα ταῦτα ἂν *quæ habet, & unde ea comparaverit*. Hoc ipſum nos docent Gloſſæ Græco-Latinæ *Henr. Stephani*: ἀπογραφὴ *cenſus*, *profeſſus*, *profeſſio*: nam vox *profeſſio* propria eſt hujus rei, unde Vulgatus interpres *verſ.* 3. κυρίως vertit: *ibant profiteri*, ſcilicet nomina in tabulas publicas referenda. Vide plura de voce ἀπογραφὴ apud *Montacutium* l. c. *Petavium Joh. Caſp. Suicerum* in Theſauro Eccleſiaſtico in voce Ἀπογραφή. (45) *Abrah. Scultetum* Exercitationum Evangelicarum *libro* 1. *cap.* 48. *Guil. Budæum* in Commentariis Græcæ Linguæ, *Joh. Mich. Dilherrum Tomo* 1. diſſertationum Academicarum *p.* 434. *Humfredum Prideaux* dans l' Hiſtoire de Juifs *Tomo* VI. ſive *libro* XVII. *pag.* 225. *Nathan. Lardnerum* in libro, quem inſcripſit: The Credibility of the Goſpel Hiſtory apud *Joh. Clericum* dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne *Tomo* XXVIII. *pag.* 90. *Jac. Perizonium* (46) & *Salomonem Deylingium*. (47) Quod ad vocem *cenſus* attinet, cave cum *Baronio* vel indictionem capitationis vel cenſus ſolutionem intelligas. Mittimus *Sam. Pitiſcum* (48) hic enim inprimis audiendi erant, P. D. *Huetius* (49) & *Nathaniel Lardner*, cujus obſervationes *de Cenſu Auguſti per Quirinum acto* ex *Joh. Clerici* Bibliotheque Ancienne & Moderne l. c. hic repetere operæ pretium fuerit: *ici il ne s' agit point d' un dènombrement que l' on fit pour pouvoir impoſer un tribut proportionnè. Il n' y avoit alors que le ſeul Herode, qui jouiſſoit d' un ſemblable revenu, en Judèe. Auguſte ne vouloit ſavoir, que le nombre des Sujets d' Herode, non pour leur rien impoſer de nouveau; mais pour ſavoir les forces non ſeulement des Provinces Romaines, mais auſſi des Rois alliez de l' Empire Romain; afin de ſavoir les ſecours qu' il en pourroit tirer, s' il en avoit beſoin ou ſi l' on veut, pour ſavoir s' ils ètoient à craindre. C' eſt ce que* Svetone *a nommè* rationarium & breviarium Imperii. (50) *Cet Ecrit tenoit quelles ètoient les forces des Rois confèderez à l' Empire Romain, tel qu' ètoit alors* Herode; *ſans que, pour ce la, la Judèe payat aucune taxe, pendant la Vie de ce Prince. Ainſi il ne s' agit point ici du* Cens de Romains, *qui ne pouvoit pas ètre ètabli en Judèe; pendant que les Juifs eurent des Princes de leur Religion. Notre Auteur remarque, que* Juſtin Martyr, Tertullien *&* Euſebe *ont entendu les paroles de S.* Luc d'un Cens à la Romaine; *mais ce n' ètoient pas des gens fort verſez dans l'* Hiſtoire *& dans* les coutumes des Romains, *quand ils en ont parlè, ils ſont tombez dans des fautes qui ne permettent pas qu' on ſe fie trop en eux. Nous ne devons pas nous imaginer, que c' ètoient des gens exacts, dans leurs raports, & ſur leur garde, pour ne rien avancer, que de vrai*. Neque vero pigeat hic itidem ſubjungere verba *Hermanni Conringii* in Diſſertatione ad Leg. 1. Codicis Theodoſiani de Studiis Liberalibus Urbis Romæ & Conſtantinopolis: cenſus voce tum omnis generis vectigalia ac tributa, tum annotatio publica hominum bonorumque, ex more illius ævi ſignificabatur. Utraque certe ſignificatione & alibi, & in Legibus Theodoſianis pariter & Juſtinianeis, vox illa accipitur. Erat autem illius Cenſus ſive annotationis, *Floro* dicente, ea vis, *ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque diſcrimina in tabulas referrentur*. Unde & *Cicero* de reipublicæ ſuæ, quam inſtituit, Cenſoribus *lib.* 3. de legib. ita ſanxit: *Cenſores populi ævitates, ſoboles, familias, pecuniamque cenſento*. Ac *Romæ* quidem primus Servius Tullus Rex ejuſmodi cenſum egit, vel (ut Græci loquuntur) ἀπογραφὰς inſtituit: in *provinciis* quo auctore idem ceperit, haud certo dixerim: *Auguſtum Cæſarem* per *omnem Romanorum orbem* egiſſe cenſum ex ſingulari curioſitate, notiſſimum eſt. Et vero duplici de cauſa cenſus tum acti ſunt; primario quidem, ut tributa de perſonis & bonis eo rectius ſolverentur, ſecundario autem, ut vis omnis Imperii, quæ utique in perſonis & bonis conſiſtit, imperantibus innoteſceret. Certe fini illi poſteriori ſoli interdum cenſus acti ſunt. Cujus exemplo eſt cenſus ille juſſu *Auguſti* a Quirinio per *Judæam* inſtitutus, quem ſacra Natalium Domini Hiſtoria memorat: nec enim *capitatio* a Cæſaribus indicta eſt *Judæis* ante rerum Archelai confiſcationem, ut præclare a viris quibuſdam doctiſſimis eſt obſervatum. Certe nonniſi ex talibus monumentis Cenſualibus in unum collatis potuit confici ab Auguſto illud *Breviarium Imperii*, quod inter arcana ejus ab obitu repertum memorant *Svetonius* cap. ult. & *Dio* lib. 56. Hactenus audivimus *Conringium*, ceterum *Rualdum* ad *Plutarchum pag.* 106. de *Cenſu* omnino videndum eſſe judicat H. L. *Schurzfleiſchius* in Notitia Bibliothecæ Principalis Vinarienſis *pag.* 279. Quid? quod *cenſus* ſæpe notant *tabulas cenſorias*, uti docet *Joh. Fried. Gronovius* lib. 1. de pecunia vetere Romanorum, a *Grævio* laudatus in notis ad *Ciceronis* Orat. pro Archia. Et hæc quidem de vocibus ἀπογραφὴ & *Cenſus* contra *Baronium* obſervanda erant, qui

qui tamen laude omni dignus videtur, cum in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos *num.* 81. illos notat, qui affirmant verba de *descriptione a præside Cyrenio facta* non esse *Lucæ*, sed alicujus otiosi hæc in margine scribentis, unde tandem in ipsum textum irrepserint. *Ludov. Capellus* in Compendio Historiæ Judaicæ hanc parenthesin de Cyrenio tanquam a Lucæ verbis alienam & aliunde intrusam, arbitratur expungendam, secutus ut videtur *Theodorum Bezam*, qui in prioribus suis ad N. T. adnotationibus iisdem conjecturis adhæserat. Uterque tamen hanc parenthesin in Evangelistæ textu retineri posse statuit, dummodo nomen Κυρηνίȣ in nomen Κυιντιλίȣ mutetur, (51) qua ratione etiam *Huetius* (52) omnem difficultatem, quæ ex verbis Lucæ nasci posset, facili tolli negotio existimat. *Henricus Valesius* in notis ad *Eusebii* Historiam Ecclesiasticam *lib.* 1. *cap.* 5. *p.* 11. itidem judicat apud Lucam mendum esse, & pro Cyrenio vel Quirinio mavult Saturninum legere, cum jam *Tertulliani* ævo nonnulli in Lucæ Evangelio pro Cyrenio Saturninum legerint. (53) At vero quemadmodum hujus notæ scriptores judice *Friederico Spanhemio* in Compendiosa Introductione ad Historiam Ecclesiasticam N. T. *pag.* 8. nodum illum aut secant, aut adstringunt magis quam solvunt: ita cavendum inprimis, ne Lucæ sanctissimis & indubitatis tabulis vis ulla afferatur. Quæ cum recte secum reputaret *Samuel Basnagius* in Exercitationibus Historico-Criticis adversus *Baronii* annales explosa & *Valesii* & *Huetii* in textu sacro emendando audacia, fidem divini Scriptoris Lucæ omnibus istiusmodi conjecturis præponit. Vide de hac *Basnagii* sententia *Job. Clericum* dans la Bibliotheque Universelle & Historique *Tomo* XXII. *pag.* 499. Quis ille *Lucæ Quirinus* fuerit, & quo officii genere defunctus eo anno, quo Christus Bethlehemi natus, si quid aliud ex vetustis historiis, difficile admodum est explicatu. *Stephani Chamillarti* (54) & *Job. Harduini* somnia (55) de *Cyreno* nescio quo apud Lucam intelligendo, merito explodit *Job. Clericus* dans la Bibliotheque Choisie *Tomo* XVIII. *pag.* 285. in hanc sententiam differens: *premierement, il n'y a aucun* MS. *Grec, où il y ait ὑπὸ τȣ̃ Κυρηνίȣ & préferer la Vulgate à tout les* MSS. *& à tous les anciens Interpretes, n'est pas d'un Critique, qui ait quelque gout, quoique cela soit bon pour un Auditoire de Théologie, dans l'Eglise Romaine. L'Ancienne Vulgate avoit ici* Præside Syriæ Cyrino, *comme il paroit par* S. Ambroise. *Secondement, il n'importe comment qu'on exprime Quirinus en Grec, & on sait, que les Grecs pouvoient dire* Κυρινὸς, *ou* Κυρήνιος, *ou* Κηρύνιος (56) *parce qu'ils corrompoient diversement les noms Latins, en les accommodant un peu à leur Langue. Ainsi il ne s'ensuit nullement que ce soit un nom Grec, de quelque maniere qu'on le trouve écrit. En troisième lieu, il est absurde de dire qu'un petit Magistrat, d'une ville peu considerable de la Decapolitane, étoit Gouverneur de Syrie* ἡγεμονεύοντος Συρίας. *Il n'y a aucun exemplo semblable, car quoique la Decapolitano puisse être nommée Syrie, il ne s'ensuit pas qu'un Magistrat d'une ville de la Decapolitane, puisse etre dit* ἡγεμονεύων Συρίας. *Quatriemement, c'est une imagination extrêmement bizarre, que de s'imaginer qu'Auguste employa un Grec inconnu, pour faire le dénombrement de la Judée; pendant qu'il y avoit un Gouverneur Romain en Syrie. Il est vrai, que notre Auteur se moque de ce que l'Histoire nous apprend des Gouverneurs de ce pais là; sur lesquels on peut consulter le livre de* Cardinal Noris, *sur les Cenotaphes de Pise Diss.* 11. *Voilà ce que l'on appelle faire l'histoire sur les Médailles, c'est à dire, débiter toutes sortes songes, plutot que d'avouer qu'on ne les entend pas, & rejetter toute l'histoire écrite, en faveur de ses propres rêveries. Je ne croi pas que depuis qu'on se mele d'écrire, il soit jamais rion arrivé de semblable.* Hactenus *Clericus*, qui *Harduinum* dignis excepit modis: eundem, quia grandia professus hoc in argumento turget, cum suo *Raphaneatarum nummo*, & *supposito Cyrino* itidem rejecit *Corn. Dieter. Kochius* in dissertatione 11. de Natali Anno Christi §. 8. Ad *Quirinum* sive *Cyrenium Lucæ* revertimur, ibidemque veram esse lectionem, quæ vulgo recepta est, cum *Jo. Millio* & credimus & affirmamus. Posteaquam enim vir doctus observaverat variam esse hujus nominis lectionem, siquidem in aliis codicibus Κυρηνίȣ, in aliis Κυρείνȣ, & Κηρύνȣ nomen occurrit, addit tandem ea, quæ veram lectionem extra omnem dubitationis aleam ponunt. *Cum lectionem vulgatam*, inquit, *firment exemplaria vetusta* MSS. *Eusebius, Justinus*, ut & Josephus, *non est quod ab ea recedatur*. Atque ita quidem verum viri nomen intelleximus, at pleniorem tamen uberioremque ejusdem cognitionem quis nobis dabit? *Josephus* diligentissimus rerum Judaicarum scriptor nihil de *censu horum temporum*, aut de *præsidatu Quirinii* commemoravit: XII. vero post annos Archelao in Gallias relegato, *Quirinium*, quem mirifice laudat, in Syriam cum pro-

proconsulari imperio missum esse, & simul Archelai bona percensuisse, idem ineunte *lib.* XVIII. Antiquitatum Judaicarum refert. Hic fuit P. Sulpicius Quirinius quem *Tacitus* laudat III. *Anal. cap.* 48. qui *expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus, datusque Rector C. Cæsari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluisset*. At eo anno, quo mundi Salus in lucem prodiit; *Sentius Saturninus* Syriarum Præses sive Proconsul erat, ut non tantum ex *Josepho* per successionem Præsidum inde a Pompeji victoria lucidissime constat, verum etiam *Tertullianus lib.* IV. contra Marcionem *cap.* 19. confirmat. Quapropter cum *Antonio Pagio* in Critica Historico-Chronologica in annales Ecclesiasticos *Baronii* apud *Jo. Clericum* dans la Bibliotheque Universelle & Historique *T.* XV. *p.* 302. *seq. Petro Possino* in Spicilegio Evangelico §. XXIV. *Isaaco Casaubono* Exercitatione I. ad apparatum Annalium *Baronii num.* 31. *pag.* 126. *Henr. Norisio* in Cenotaphiis Pisanis *pag.* 321. (57) *Jac. Usserio* in Annalibus Vet. & Novi Testamenti *pag.* 600. (58) *Dionysio Petavio* in Rationario temporum *p.* II. *lib.* IV. *cap.* 2. *pag.* 199. *Johanne le Sueur* dans l' Histoire de l' Eglise & de l' Empire *p.* I. *sect.* 8. *pag.* 12. *Petro Bælio* in lexico in voce Quirinus. *Antonio Bynæo lib.* I. de Natali Jesu Christi *cap.* 3. *Christoph. Cellario* in calce dissertationis de Cn. Pompeji M. expeditione Judaica, *Frider. Spanhemio* in Compendiosa introductione ad Historiam Ecclesiasticam N. T. *pag.* 7. *Rich. Montacutio* Originum Ecclesiasticarum *P.* I. *pag.* II. 21. *Campegio Vitringa* in Hypotyposi Historiæ & Chronologiæ Sacræ *pag.* 165. *Jo. Mich. Dillherro Tomo* I. disputat. Academicarum *pag.* 437. *Jac. Basnagio* dans l' Histoire des Juifs *lib.* I. *cap.* IV. §. 3. *p.* 153. *Sal. Deylingio P.* I. Observationum Sacrarum *pag.* 128. *Corn. Dieterico Kochio* in dissertatione II. de Natali Anno Christi §. 4. *Petro Allixio* in Diatriba de Anno & Mense Natali J. C. (59) aliisque censemus, *Qurinum virum consularem, quod id temporis in Oriente degeret, ac bellum contra Homonadenses feliciter confecisset, quod idem apud Augustum in maxima esset gratia, quippe spectatæ fidei vir, multique usus in rebus quæ ad Orientem pertinebant, vel gestis, vel gerendis, in Syriam cum extraordinario imperio missum fuisse, ut in Judæa, quæ gens erat socia & amica populi Romani, censum peragere*t. Atque ita utrumque constabit, & quod *Tertullianus* habet, census actos per Sentium Saturninum, & quod Evangelista docet, descriptionem factam esse ἡγεμονεύοντος Κυρηνίȣ. Nam amplæ notionis (60) hoc vocabulum est & tam extraordinariis quam ordinariis, tam majoribus, quam minoribus magistratibus conferri solet. Atque hæc sententia nostra se omnibus commendabit æquis harum rerum æstimatoribus iisdemque facili negotio probabit, falli *Baronium*, quando in Apparatu Annalium *num.* 85. vocem ἡγεμονεύειν apud *Lucam* de *Quirinii præsidatu in Syria* intelligit. Quanto rectius *Jul. Cæsar Bulengerus* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* XIV. *pag.* 859. *Tomo* VIII. Thesauri Grævii scripsit: *Lucas Quirinum vocat* ἡγεμονεύοντα, *non quod* præfectus Syriæ *esset, sed quod* extra ordinem ad census agendos *missus esset in Judæam*. Quamvis autem in illa nostra dicam an Doctorum Virorum, quos nominavimus, sententia, multa, propter quæ adhuc deliberberandum sit, alii iterumque alii moneant, videlicet *Ludovicus Wolzogenius*, (61) *Samuel Basnagius* (62) & *Jo. Clericus*, (63) crediderim tamen argumenta illa si penitus inspiciuntur, debiliora esse, quam ut nos de jam proposita sententia dimoveant. Interim fatemur *Paulum Pezronum* & *Camillum* de *Sylvestris* adhuc aliam quodam modo ingredi viam, ut inter *Tertullianum*, *Josephum* & Lucam concentum quendam & consensum tradant. Quod ad *Pezronum* attinet, is dans l' Histoire Evangelique confirmée par la Judaique & la Romaine affirmat uno eodemque tempore *Syriam in inferiorem & superiorem divisam duos habuisse præsides Saturninum*, ut *Tertullianus* & *Josephus* tradunt, itemque *Varum*, uti nummi Antiochensium nos docent. Idem *Pezronus* fatetur Cyrenium Saturnino in censu peragendo operam dedisse, sed cum *primæ Saturnino*, *secundæ Cyrenio* partes fuerint, Saturnini tantummodo nomen in tabulario Romano occurrere dixit *Tertullianus*. Hanc mentem *Pezrono* esse, docet *Basnagius* dans l' Histoire des Ouvrages des Scavans Ann. 1696. mens. Martii *pag.* 333. & ex eodem hæc addit: *c' est pour cela que* Tertullien *n' avoit vu que le nom de* Saturnin *dans les* archives de Rome; *il n' y ètoit point fait mention de* Cyrenius *qui n' avoit qu' un pouvoir delegué; & St.* Luc. *n' a parlè que de* Cyrenius, *parce qu' il avoit le departement de la Judèe*. Sed & audiamus necesse est *Camillum* de *Sylvestris*, qui in Chronologia sua primum judicat fidem omnino habendam esse *Tertulliano*, quando docet Sentium Saturninum

num sub Augusto censum egisse, deinde *Lucam* de *Cyrenio* tanquam *Procuratore* sub Saturnino Præside loqui, addit, *Justini Martyris* autoritate subnixus, ut qui Cyrenium primum in Judæa ἐπίτροπον *Procuratorem* appellet. (64) Eadem ratione *Tertulliani* & Lucæ consensum declarat *Jo. Harduinus* (65) & ante *Harduinum Philippus Priorius*. (66) Quod ad *nummos Antiochensium* attinet, & *Camillus* de *Sylvestris* & *Jo. Harduinus* suo quisque modo id dant operam, ut inter dictos scriptores & nummos consensus appareat. Sed satis de iis scriptoribus, qui inter Lucam & scriptores exteros dissidia e medio tollere conantur. Ceterum restat adhuc una interpretatio verborum Lucæ, quam *Jo. Georgius Hervvartus* in opere Chronologico protulit in medium. Scilicet hujus judicio verba Evangelistæ αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου non recte ex Græco sic transferuntur: *hæc descriptio erat prima, cum Cyrenius esset Præses Syriæ:* nam ad hunc sensum exprimendum, debuisset Lucas ita loqui: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ ἡ πρώτη ἦν τῶν ὑπὸ Κυρηνίου ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας γεγονυιῶν. Quapropter censet *Hervvartus* verba Lucæ ita esse vertenda: *hæc descriptio fuit prior* vel *prius, quam Cyrenius Præses Syriæ esset*. Et vero cum vox πρῶτος pro πρότερος tum in sacris literis tum apud profanos scriptores occurat, hanc interpretationem *Hervvarti* magno consensu exceperunt, *Jo. Keplerus*, *Henschenius* & *Papebrochius* in Diatriba Præliminari ad Acta Sanctorum Aprilis exercit. II. *Nicolaus Toinardus* in Harmonia Evangeliorum Græco-Latina, *Erasmus Schmidius* ad Lucæ II. 2. *Ludovicus Wolzogenius* in Commentario in Lucam *pag.* 568. *Jac. Perizonius* in Dissertatione de Augustea Orbis descriptione, (67) *Anton. Bynæus*, (68) *Campegius Vitringa* in Hypotyposi Historiæ & Chronologiæ Sacræ *pag.* 166. *Adrianus Aelandus* in Antiquitatibus Sacris Veterum Hebræorum delineatis *P.* IV. *cap.* 3. §. 3. *pag.* 395. *Petrus Keuchenius*, (69) *Abrahamus Couet* de *Vivier* in libro: Histoire Eyangelique dans son ordre naturel, ou nouvelle Harmonie des quatte Evangelistes, teste *Basnagio* dans l'Histoire des Ouvrages des Scavans Ann. 1705. mense Majo *pag.* 218. *Thomas Reinesius Epist.* LVII. ad Rupertum *pag* 516. indicio *Thomæ Crenii Parte* x. animadversion. philologicar. & historicar. *p.* 150. *Jac. Hottingerus* in Pentade Dissertationum Biblico-Chronologicarum dissertat. IV. *Christ. Aug. Heumannus* in singulari dissertatione de Censu Ante Quiriniano, *Casp. Ernest. Trillerus* in der Untersuchung etlicher Oerter des N. Testaments *pag.* 43. & *Jo. Clericus* tum in animadversionibus in *Hammondum*, tum alibi in scriptis suis passim. Vide ejus Bibliotheque Ancienne & Moderne *Tom.* XXVIII. *pag.* 89. & Bibliotheque Choisie *Tom.* IV. *pag.* 78. Fateor quidem *Isaacum Casaubonum*, (70) *Salomonem Deylingium*, (71) *I.M. Dilherum*, (72) *Abrah. Scultetum* (73) huic interpretationi nonnulla opponere, sed ea levioris sunt momenti, quam ut nos morari debeant. Restat adhuc ut quæramus, quid sibi velit Lucas, cum in hoc censu πᾶσαν οἰκουμένην nominat. Sunt qui cum *Christoph. Cellario lib.* I. Geographiæ Antiquæ *cap.* III. *pag.* 12. *J. F. W. Pagenstechero* in Oratione inaugurali de Lege Regia Apostoli *Nicolao Bergierio lib.* I. de Publicis &] Militaribus Imperii Romani Viis, *sect.* XII. *num.* 8. *pag.* 40. *Tom.* x. Thesauri *Grævii*, *Jac. Usserio* in Annalibus Vet. & Novi Testamenti *pag.* 599. *Jo. Clerico* in Historia Christi ex quatuor Evangeliis concinnata *cap.* III. *pag.* 16. Jacobi, *J. B. Ottio* in specimine lexici Flaviani, *Antonio Borremansio* in Vesperis Gorinchemensibus *cap.* v. *Jacobo Abbadie Tom.* I. libri, cui titulus: le Triomphe de la Providence, & de la Religion, ou l'Ouverture des sept Seaux par le Fils de Dieu *pag.* 96. *Christ. Aug. Heumano* Pœciles *Tom.* I. *pag.* 88. *Jacobo Perizonio* in dissertatione de Augustea Orbis terrarum Descriptione, & loco Lucæ eam memorantis, *Samuele Basnagio* in Exercitationibus Historico-Criticis contra Baronii annales, *Christiano Noldio* in Historia Idumæa *pag.* 339. *Antonio Pagio* in Critica Historico-Chronologica in Annales Ecclesiasticos Baronii, *Sigebrrto Havercampio* in notis ad *Josephi Antiquit* VIII. 13. §. 4. *Paulo Pezrono* dans l'Antiquitè des Tems defendè *cap.* III. *pag.* 129. *Campegio Vitringa* in Ἀνακεῖσαι *Apocal.* III. 10. *J. M. Dilherro Tom.* I. disputat. Academicarum *pag.* 485. & *N.* de *Grainville orbem imperii Romani* intelligunt; quæ sententia si vera est, de *finibus Imperii Romani*, qui illa ætate erant, audiendus erat *Justus Lipsius* de Magnitudine Romana *lib.* I. *cap.* 3. *pag.* 670. *Tom.* III. Operum: termini finesque imperii *sub Augusto* erant, ab Oriente *Euphrates*, a meridie *Nili catarractæ*, *& Deserta Africæ*, *& mons Atlas*, ab occidente *Oceanus*, a Septentrione *Danubius & Rhenus*. Ita enim ipse bono consilio instituit, claudere imperium naturæ aliquibus limitibus, & custodes ac milites ad eos habere. Hoc *Tacitus* in eo laudat Ennal. I. *clausum mari*, *aut amnibus* lon-

longinquis imperium. Atque idem ſcribit, Auguſtum libello, quo rationes imperii conſcripſerat, conſilium addidiſſe, *coercendi intra terminos imperium*, *incertum metu*, *an per invidiam*. Nolebat, inquam, poſteros Auguſtus proferre terminos: ſive quia jam ſatis partum videbatur, & metuendæ bellorum ac fortunæ vices, ſive per invidiam, & ne gloriam ſuam vincerent, ut *Tacitus* ſuſpicatur. Sane poſteri conſilium hoc neglexerunt, nec ſolum regna aliquot, defunctis aut everſis ſociis Regibus, imperio adjecerunt; ſed etiam ultra terminos nova quæſiverunt. Hactenus *Lipſius*, cujus verba a *Julio Minutolo* in Diſſertationibus Hiſtorico-Criticis Romanam Antiquitatem illuſtrantibus diſſertatione II. *ſect*. I. *pag*. 37. *Tom*. I. Theſauri Novi de *Sallengre* jam pridem laudata, a nobis hic itidem propter illos hic repetuntur, qui per πᾶσαν οἰκουμένην apud Lucam *Romannm Imperium* intelligunt: at quid opus eſt illis ambagibus? ego malim cum *Salomone Glaſſio* in Rhetorica Sacra *Tract*. I. *cap*. 16. *pag*. 893. *Petro Keuchenio* in Annotatis ad IV. Evangeliſtas *pag*. 116. *Henr. Chriſt. Henninio* in notis ad *Bergierium* de publicis ac militaribus Romani Populi Viis *pag*. 647. *Tom*. X. Theſauri Antiquit. Rom. *Grævii*, *Jo. Alb. Fabricio Tom*. I. Codicis Apocryphi *N. T. pag*. 109. *Antonio Bynæo*, *Hermanno Conringio* in Diſſertatione ad *Leg*. I. Codicis Theodoſiani de Studiis Liberalibus Urbis Romæ & Conſtantinopolis, *J. C. Bulengero* in libro de Tributis ac Vectigalibus P. R. *cap*. XII. *pag*. 852. *Tom*. VIII. Theſauri *Grævii*, (74) *Henr. Hammondo* in notis ad *Matthæi* XXIV. 7. & *Lucæ* II. I. de *Beauſobre* & l' *Enfant* in notis Gallice ad N. T. conſcriptis (75) & *Sam. Pitiſco* in lexico Antiquitatum Romanarum in voce Cenſus, *ſolam Judæam*, aut ut rectius loquar, *Herodis regnum* intelligi, quippe quod ſatis amplum fuerit. Audiamus de illo regno *Ludov. Cappellum* in Obſervationibus ad *Villalpandi* Explanationum Ezechielis *lib*. V. *Herodes*, inquit, *non minimæ regni Salomonidi parti* (ut imperite admodum *Villalpandus* docet) *ſed toti ejus regno*, *quam late patuit*, *imperavit*, a Libano ad deſertum Pharan & a mari mediterraneo ad deſerta uſque Arabiæ, totam inquam, Chananitidem XII. tribubus a Deo aſſignatam, Palæſtinam præterea totam, Idumæam, Ammonitidem, Moabitidem, totam Pereæam ſeu Tranſamnanam, ultra Jordanem regionem, Ituræam & Trachonitidem ad Damaſcum uſque regionem tenuit. *Plura non legitur vel David vel Salomon obtinuiſſe*. Intendit *Harduinus* & contendit, Herodis ethnarchiam regiamque poteſtatem ad Judæam tantummodo cum Samaria pertinuiſſe. Inter argumenta alia, quibus perſuaſus eſt, primum eſt, quia *Lucæ* I. 5. vocetur βασιλεὺς τῆς Ἰουδαίας tantum Judææ Rex. At ſi arcte ſumitur Judæa, neque Samariæ imperavit, quod contra *Harduinum* eſt; ſin laxe, tam Galilæam & Peræam quam Samariam comprehendit. Confer omnino *P. D. Huetium* in obſervationibus & Notis ad *Origenis* Comentaria *pag*. 29. Quando itaque *Harduinus* coarctat imperium Herodis, fallitur: Herodes enim in totum regnum Haſmonæorum venit, cujus pars etiam Galilæa & vicinæ regiones erant, uti pluribus argumentis contra *Harduinum* provabit *Cellarius* in diſſertatione ſæpius laudata §. 7. *ſeq*. Tantum autem *Herodis regnum* Lucas commode appellat πᾶσαν οἰκουμένην. Ita quidem eſt, N. de *Grainville* ex *nummis Auguſti*, in quibus legitur *Pax Orbis Terrarum*, (76) colligere vult cenſum totius orbis Romani a Luca intelligi, aut deſignari, ſed nego quidquam hac ratione concludi. Conſtat enim in *nummis Romanorum* ſæpius *pacem orbis terrarum* nominari, cum ubivis gentium, certe in ipſo Imperio Romano vel bella ſuſcepta, vel geſta eſſe videamus. Ac ne id fruſtra aut temere dixiſſe videamur, *aliquot nummis* rem ipſam probabimus. Exſtat Imperatoris *Othonis* nummus cum hac inſcriptione: *Pax Orbis Terrarum*, ſed nummus hic cuſus, poſtquam pax & concordia ſpecioſis & irritis nominibus ſunt jactata. Quæ pax enim potuit eſſe bellis civilibus, ubi ſolitudinem qui faciunt, ut ait *Tacitus* in Agricola, pacem appellant. Confer *Henr. Thomam Chiffletium* in Diſſertatione de Othonibus æreis *cap*. I. *pag*. 639. *Tom*. I. Theſauri novi de *Sallengre*, præſtat tamen hic audire *Laurentium Begerum* in Continuatione Theſauri Brandenburgici *pag*. 627. in numiſmate primo *Pax Orbis Terrarum*, in ultimo *Securitas* P. R. exprimitur. Utramque Otho jactavit, ut Imperii ſui dulcedinem commendaret, re ipſa enim nec pax, nec ſecuritas fuit. Vix imperiale faſtigium per ſcelus conſcenderat, *trepidam adhuc urbem*, inquit *Tacitus*, *ac ſimul atrocitatem recentis ſceleris*, *ſimul veteris Othonis mores paventem*, *novus inſuper de Vitellio nuncius exterruit*, *ante cædem Galbæ ſuppreſſus*. Hæc cum ita ſint, in numiſmatibus his non rem, ſed ſpem, imo rei ſpeciem agnoverim, *Tacito* enim teſte, Otho, *ut in nomine* Pace, *munia Imperii obibat*. Et mox ipſe ad milites: *Senatus*, inquit,

no-

nobiscum est : *æternitas autem rerum & Pax gentium incolumitate Senatus firmatur*. At vero dicet eliquis, in *Augusti nummis* fieri mentionem *Jani clausi*. Ita quidem est, fateor, *Hubertus Goltzius* in Numism. Cæsar. & *Levinus Hulsius* in Serie Rom. Num. exhibent Cæsaris Augusti numisma cum templo Jani clauso, hisce præcipue notis adjectis *Jan.* CLV. hoc est, uti præter *Barnabam Brissonium lib.* I. de Formulis & *Antonium Augustinum Dialog.* V. *Roman. Antiq. Hieronymus Bossius* in libro, quem inscripsit: Janotatius sive de Strena *cap.* IX. *pag.* 1439. *Tom.* II. Thesauri novi de *Sallengre*, recte legit & interpretatur *Janum Clusit*, at vero ne mentio quidem *Jani clausi* argumentum validum præbet. A *Nerone Janum clausum* docet *Svetonius*, docent etiam numismata ejusdem literis in orbem incisis: *Imp. Nero. Cæsar. Aug. Pont.* P. P. * R. E. * *Pace* P. R. *Terra Marique Parta. Janum Clusit*, at vero ex fragmento *Taciti* apud *Orosium lib.* VII. *cap.* discimus a senectute Augusti ad Vespasianum bella perpetua terrarum orbem perterruisse. Falso igitur *Nero* pacem partam, Jano etiam clauso, nobis obtrudit. Conferatur *Josephus Castalio* in Opusculo de Templo Pacis atque ex occasione de Jani Gemini templo, bellique portis *Tomo* IV. Thesauri *Grævii pag.* 1850. *seq.* Satis abunde de *Augusti nummis*. Quod autem *Jo.* le *Sueur* dans l' Histoire de l' Eglise & de l' Empire *P.* I. *sect.* 4. *p.* 7. *Humfredus Prideaux* dans l' Histoire des Juifs *Tom.* VI. sive *lib.* XVII. *pag.* 221. *Petrus Daniel Huetius* in Demonstratione Evangelica Propositione IX. *cap.* 8. *Salomo Deylingius p.* I. Observat. Sacrar. *pag.* 93. *F. W. Pagenstetherus* in Oratione Inaugurali de Lege Regia Apostoli Jacobi, *Christoph. Cellarius* in Hystoria Antiqua *lib.* IV. *pag.* 106. *Jo. Lightfootus* in Harmonis Quatuor Evangelistarum *p.* 288. *Tom.* I. Operum, aliique *Christum tanquam pacis principem* secundum divina Oracula natum esse contendunt eo tempore, quo *orbis terrarum pacatus* erat, ea quidem sententia infirmo tibicine est suffulta, uti ex vero judicat *Jo. Ludov. Wolzogenius* in Commentariis in Lucam *pag.* 568. Posteaquam enim contra *Paul. Orosium*, qui primus omnium docuerat Christum toto terrarum orbe pacato natum esse, & ob eam causam Jani templum clausum esse, pluribus argumentis disputaverat, addit: *quocirca hoc nativitatis Christi de occluso Jani templo signum, quod nullo certo nititur fundamento, merito missum facimus*. Quod autem ad divina *Prophetarum* oracula attinet, quæ *Christum* tanquam *pacis principem* prædicant, videant illi, quos diximus, scriptores, imo caveant, ne, dum in vaticiniis illis *pacem corporalem*, & Messiam ejus autorem intelligunt, *Judæis* suppetias ferant, qui *inter signe Messiæ* adventantis istiusmodi *pacem* ponunt, & præcipue huc vaticinia *Esaiæ* XI. *6.* aliorumque trahunt ex eo confutandi & in ordinem redigendi, quod divini Scriptores sive vates *non tam corporalem*, *quam spiritualem pacem* per Messiam partam intelligunt. Atque ita quidem *Judæis* refragantibus recte respondent *Stephanus Curcellæus* in Institutione Religionis Christianæ *lib.* V. *cap.* 26. §. 1. *seq. pag.* 337. *Philippus* a *Limborch* in Theologia Christiana *lib.* III. *cap.* 28. §. 2. *pag.* 297. *Isaacus Jaquelotus* dans les Dissertations sur le Messie, ou l' on prouve aux Juifs, que Jesus, Christ est le Messie promis & predit dans l' ancien Testament, dissertatione II. *cap.* 3. *pag.* 272. *sequ.* Ut vero ad *templum Jani tempore Augusti clausum* redeamus, recte negamus inde argumentum hoc in loco desumi, uti pluribus probavit *Jo. Massonus* in libro, cui titulus: Jani templum Christo nascente reseratum, seu tractatus Chronologico-Historicus vulgarem refeliens opinionem existimantium, pacem toto orbe sub tempus Servatoris nostri natale stabilitam fuisse. Excerpta ex illo libro *Massoni* videas apud *Basnagium* dans l' Histoires des Ouvrages des Scavans Ann. 1700. mens. Majo *pag.* 238. *seq. Masono* autem alios doctos homines, qui idem sentiunt, adjungit *Jo. Alb. Fabricius* in Bibliographia Antiquaria *cap.* IX. §. 16. *pag.* 295. omisit tamen *Fabricius* addere *Campegium Vitringa*. Cum enim is videret *Nicolaum Abramum* in Pharo V. T. *lib.* IV. *cap.* 2. pro vulgari sententia stabilienda inter alia argumenta etiam *vaticinium Esaiæ* II. 4. afferre, non solum *Abramum* notat, sed & ab eodem verba Prophetæ perperam ad pacem illam fictam in toto orbe accommodari judicat. Quoquo autem modo sese habeat illa *divinorum oraculorum interpretatio*, *Henricus Norisius* in Cenotaphiis Pisanis *pag.* 197. teste *Christoph. Cellario* in Historia Antiqua *pag.* 106. probavit, *sub Augusto vix majus, quam trienni spatium bello fuisse vacuum*. *Norisii* sententia hunc in modum exponitur dans la Bibliotheque Italique ou Histoire litteraire de l' Italie *Tom.* X. *pag.* 248. *on sçait qu'* Auguste *avoit fait faire* un Cens gèneral de tout l' Empire Romain, *& qu' il en avoit un etat dressè dans un fort grand dètail*. *Les Historiens ne marquent point dans quel tems* ce Cens gè-

neral *s'est fait*, *mais il semble qu'il n'y en a point eu de plus propre que* l'intervale de paix qu'il y eut dès l'an 748. à 752. *& qui est l'intervale pendant lequel le Seigneur naquit*. Les paroles de la salutation des Anges aux Bergers, & tous les Pères supposent que le monde ètoit en paix lors de la naissance de Jesus-Christ. *Nòtre Auteur se sert de ce caractère Chronologique pour justifier son Système sur la datte de cette naissance*. Suètone *dit*, *qu'Auguste ferma le temple de* Janus *trois foit*. Dion *marque la seconde fois a l'an 729. depuis lors jusques en* 748. on ne trouve que Guerres continuelles. *En 752. Auguste entreprit la guerre entre les Allemans*, *puis contre les Gaulois &c.* Ce *ne peut donc ètre que dans tet intervalle de 748. a 752. que le Temple de* Janus *ait ètè fermè pour la troisième fois*, *& que le Sauveur du monde peut ètre nè*. Hactenus *Norisius*: qui *Justo Lipsio lib.* I. Electorum *cap.* 20. *pag.* 714. *Tom.* I. Operum, rem omnem alioquin multis difficultatibus impeditam, tanto melius explanavit: neque vero hisce diutius justo immoramur: Ipse enim Lucas optimus verborum suorum interpres declarat, se non *orbem Rrobem*, quoquo versum patet, sed Judæam intelligere. Vide Lucæ Evangelium XXI. 26. & *Acta* XI. 28. Porro si hæc ἀπογραφὴ fuit totius orbis Romani, cur tanta res tam profundo silentio foret sepulta apud τὰς ἔξω. Etsi enim *Baronius* varias ejus silentii rationes edit in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos *num.* 95. miramur tamen tantam rem tam profundo involvi silentio. Non me præterit Monumentum illud Ancyranum (77) a doctis hominibus (78) tantopere commendari, ut appareat vestigium aliquod ἀπογραφῆς sive census in orbe Romano habiti, sed verba Monumenti illius tantummodo loquuntur de censu Romæ aut forte in Italia acto, uti satis luculenter declarant *Is. Casaubonus* exercitatione I. ad Apparatum Annalium *Baronii num.* 33. *p.* 133. & *Sal. Deylingis* P. I. Observationum Sacrarum *pag.* 127. Quo magis miror *Isaacum Vossium* in libro de Magnitudine Romæ Veteris *cap.* VI. *pag.* 1513. *Tom.* IV. Thesauri *Grævii*, ex *Monumento illo Ancyrano censum Imperii Romani* colligere, merito refragante *Jo. Bapt. Donio*, qui in Opere Posthumo de restituenda Salubritate Agri Romani *pag.* 939. F. *Tom.* I. Thesauri Novi de *Sallengre* ex eodem monumento *Civium Romanorum tantummodo censum* factum esse conjicit. De *manumento Ancyrano* nihil innotuit *Baronio*, idem tamen in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos *num.* 94. ex *Suida* in voce Αὔγουστος, puta *numerum censorum* se invenisse, quorum nomina *Quirinius* in descriptione *orbis terrarum* adnotaverit, at vero *Baronius* gravissime fallitur. Prima erroris origo inde ducenda est, quod verba Græca *Suidæ* ne inspexit quidem ab interprete Latino in errorem deductus, uti observat *Casaubonus* Exercitatione I. in apparatum Annalium *Baronii num.* 33. *pag.* 132. Altera erroris origo est, quod *Suidæ* verba etiam in textu Græco sunt corrupta, uti hisce verbis exponit *Isacus Vossius* l. c. *Suidas in voce* Αὔγουστος *affirmat*, *hoc regnante in imperio Romano censa fuisse* undecim millia & septendecim supra quadragies centena hominum millia, *sive ut ipse loquitur*, *myriades* CCCCX. *& insuper* MXVII. *Miror itaque hunc Suidæ locum*, *qui unice confirmatur* Ancirano marmore, *sollicitari a* Lipsio *lib.* II. de Magnitudine Romana *cap.* 3. *pag.* 701. *Tom.* III. Operum, *& aliis viris doctis*. *Ne quis autem errorem* literis numeralibus *subesse existimet*, *apponam integra verba*, *prout in* libris scriptis *integris vocabulis concipiuntur*: Αὔγουστος Καῖσαρ δόξαν αὐτῷ πάντους τοὺς οἰκήτορας τῶν Ρωμαίων κατὰ πρόσωπος ἀριθμεῖν, βουλόμενος γνῶναι πόσον ἐστὶ πλῆθος, καὶ εὑρίσκονται οἱ τὴν Ρωμαίων οἰκοῦντες τετρακόσιοι δέκα μυριάδες, καὶ χίλιαι δεκαεπτὰ ἄνδρες. Hactenus *Vossius*: fac autem, summam *omnium in Imperio Romano censorum*, quam *Baronius* ex *Suida* pro captu suo fingit, veram esse: jocularis tamen est *Suidæ*, vel ejus auctoris, unde ipse habet, hallucinatio, quæ & *Baronium* in erroris societatem traxit, ut existimaret eo numero *comprehendi omnia capita*, quæ venerunt in censum ex *toto orbe Romano*. Hæc analogia quanta sit, ne æstimari quidem potest. Nam vel *Judæa* sola, tantula provincia, eum numerum potuit superare, quem putavit *Baronius* omnes personas complecti universi Imperii Romani. Vide omnino *Casaubonum* loco paulo ante laudato, cui addimus *Jac. Usserium*, qui in Annalibus Veteris & Novi Testamenti *pag.* 595. in hac sententiam disserit: *in C. Marci Censorini & C. Asinii Galli consulatu*, *Romæ secundum civium censum actum fuisse*, *in quo* 4233000. cives Romani *numerati fuerint*, *ex* Ancyrani lapidis *fragmentis apud Gruterum* in Inscriptionibus p. 213. *colligitur*. Apud *Suidam in* Αὔγουστος *longe minor censitorum habetur numerus* 4101017. *qui tamen non pro* urbis *tantum*, *sed pro* orbis *etiam* Romani censu *ridicule nobis ibi obtruditur*. Hactenus *Usserius*, idem est de

Suda

Suda judicium *Justi Lipsii* de Magnitudine Romana *lib.* II. *cap.* 3. *pag.* 701. *Tomo* III. Operum. Atque hæc omnia, quæ adhuc diximus, satis probant, teste Luca, regnante Augusto, non *universum Imperium Romanum* sed *regnum Herodis* in censum venisse. Interim *satis sic propitiis factum est, ut Dei mater Bethlehemum veniret census causa* (79) *& ibi in lucem ederet orbis Servatorem Romano censui* (80) *sed nostri causa obnoxium*. Ex vero scribit *Petrus Molinæus* Parte I. thesium Theologicar. de Providentia Dei thesi 38. *pag.* 121. *Tomo* I. Thesauri Disputationum Theologic. Sedanensium, *divinæ providentiæ Augusti censum* per capita & familias *inservire debuisse*, ut virgo paupercula gravida Nazaretho Bethlehemum evocaretur. Ita quoque judicat *Casaubonus* Exercit. I. ad Apparatum Annalium *Baronii* II. 31. *descriptio illa*, inquit, *e curiositate Augusti nata, vel, ut melius dicam*, ex arcano divinæ providentiæ consilio: *oportebat enim Augustum, illum Imperatorem & Monarcham tantum*, metatorem esse hospitii Christo filio Dei in terras venturo. *O infantem admirandum! cui necdum nato, primus omnium mortalium inservit, is, qui tunc & fere ex omni memoria, in terris fuit monarcha longe potentissimus*. Præclare *Chrysostomus* homilia in *Matthæum* VIII. κ̀ ὁ Αὔγουστος ὑπηρετῶν τῷ ἐν Βηθλεὲμ τόκῳ διὰ τοῦ προστάγματος τῆς ἀπογραφῆς ipse etiam Augustus inserviit partui in Bethlehem edendo, per edictum descriptionis. Similia multa apud Patres alios. Conferatur *Jacobus Hottingerus* in Pentade dissertationum Biblico-Chronologicarum, qua tum ex indicibus temporis adventui Messiæ assignati, tum ex Scriptura S. Jesum & in plenitudine temporis natum, & Christum esse adversus Judæos demonstratur, & S. etiam Codicis sinceritas passim defenditur, dissertatione IV. & præter *Jo. Lightfootum* in Harmonia IV. Evangelistarum *pag.* 289. addatur *Steph. Curcellæus* in Instrutione Religionis Christianæ *lib.* V. *cap.* V. §. 3. At quæritur: *An ad Censum illum peragendum libris Genealogicis opus fuerit?* Recte id ipsum affirmat *Altingius* de Schilo *lib.* III. *cap.* XI. *pag.* 181. & probat ex I. *Sam.* XI. 8. XV. 4. 2. *Chronic.* XIII. 22. *coll.* XII. 15. XXVI. 22. I. *Chronic.* V. 17. IX. I. Idem *Altingius lib.* IV. *cap.* 2. *pag.* 212. eandem sententiam tuetur, & tandem *lib.* IV. *cap.* 13. *pag.* 262. hæc addit: *arcano divinæ providentiæ consilio factum est, ut* Judæam universam juxta familias describi *imperator voluerit: quo serviret* complemento vaticiniorum prophetticorum, *occasionemque præberet opportunissimam, qua fieret* ut Messias & nasceretur Bethlehemi & mox authenticis insereretur *regiæ prosapiæ surculus, quemadmodum ex Justino Martyre* & *Tertulliano liquet*. Et recte quidem judicat *Altingius*, sed *Christ. Noldius* in Historia Idumæa *pag.* 339. contra *Altingium* affirmat, *singulorum professionem* sufficere potuisse, atque adeo ἀπογραφὴν æque peragi in Judæa sine accuratis Genealogiis ac fuit peracta in populo Romano. Tenemus autem, quid erret *Noldius*, eidemque verba hæc *Grotii* opponimus: *Romani in singulis* provinciis *ac regnis* morem censendi antiquitus ibi usurpatum retinebant. *Judæorum autem mos hic erat*, ut census fieret per tribus, gentes & familias, *ut docet nos inquisitio per Josuam facta, sortitio, qua Saul rex creatus est, & postremo census a Davide institutus. Hoc autem post multas* Judæorum *disjectiones fieri non poterat nisi singuli se ad ea loca conferrent, quæ olim genti & familiæ suæ obvenerant*. Plura adhuc, quæ *Noldium* meliora docerent, habet Jac. *Perizonius* in Dissertatione de Constitutione Divina super ducenda defuncti fratris uxore *pag.* 40. Ceterum quando *Guilielmus VVhistonus* in brevi Harmoniæ Evangelistarum examine apud Matthæum per βίβλον γενέσεως tantummodo *Genealogiam Christi* innui existimat, persuasus in Matthæo consilium fuisse, ut Christum *Bethlehemi* natum ostenderet, ea in re fallitur *VVhistonus* a *Godofredo Oleario* in Observationibus in Matthæum *pag.* 29. ad examen vocatus.

IV. *Herodi* successit filius *Archelaus* ἐθνάρχου honores adeptus, cum dimidia parte ditionis, quæ Herodis olim fuerat, nimirum Idumæa, Judæa & regione Samaritana: ex quibus 600. *talenta annua* accipiebat, teste *Ludovico Cappello* in Historiæ Judaicæ compendio ex *Josepho* contracto, vel ut mavult *Robertus Cenalis* in libro de vera Mensurarum Ponderumque ratione *pag.* 1601. *Tom.* V. Thesauri *Grævii*, *quadringenta talenta*, sive *quatuor ducatorum milliones*: verum a suis accusatus, exacto nono, vel, ut alii malunt, decimo imperii anno Viennam Galliæ ab Augusto relegatus est. Tum vero *magna* fuit *rerum Judaicarum conversio*: etenim ab eo tempore *Judæa in provinciam redacta* & *Syriæ* attributa fuit, concessa tamen genti αὐτονομία in sacris, & jurisdictione, quæ penes Synedrium erat. Recte equidem memini *Johannis Sibrandæ* dissertationem de Statu Judææ provinciæ sub Procuratoribus commendari, at nulla adhuc dum ejus dissertationis mihi

hi facta est potestas: quamobrem pro instituti præsentis rationem *statum Judææ post exsilium Archelai in provinciam redactæ* describere volui. Quid multa? Nummus quidam *spica*, fertilitatis symbolo, & *palma* Judææ gloria insignitus non alius quam ΚΑΙΣΑΡΟΣ nomen habet, & anni notam ΑΘ, ex quo conjicitur, *in Judæa jam provincia* cusum esse non in Archelai ethnarchia. Vide de hoc nummo *Christoph. Cellarii* Dissertationem, qua Flavii Josephi de Herodibus Historia a νοθείας suspicione contra Jo. *Harduinum* justis vindiciis asseritur & nummis antiquis conciliatur §. XI. & *N.* de *Grainville* Lettre sur l'usage qu'on peut faire des Medailles par report à la Religion. In hac rerum mutatione, *dum Judæa facta est provincia Roma*, *Syriæ appendix*, vaticiniorum quorundam divinorum vel allusiones vel implementa quærunt docti homines. Testis est inter alios Jo. *Lightfootus*, qui in Harmonia quatuor Evangelistarum *pag.* 288. *Tom.* I. Operum in hanc sententiam differit: *quoniam maximæ celamitates, quas unquam senserunt* Judæi, *quamdiu* Canaaneam *incoluerunt*, *ut a Gogo & Magogo Ezech.* 38. *ex* domo Septentrionis *Dan.* II. S. Lucas *autem dum descriptionem hanc* e Syria *profluxisse notat*, *Judæos præteritarum rerum commonefacere videtur*, *& ad ultimum versum* II. *Cap. Danielis*, *cum versu* I. *cap.* 12. *collatum*, *allusisse*. Speciosa quidem videtur hæc sententia, si vero penitus inspicitur, debiliora illius sunt argumenta, cum paulo inferius appareat, cum *Judæa provincia facta*, *Syriæ appendix fuerit*. Pergit *Lightfootus* tum in Harmonia IV. Evangelistarum *pag.* 287. tum in Chronicis Tempurum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 3. 122. 126. *Tom.* II. Operum, huc referre *vaticinium Bileami* Numer. XXIV. 24. de *Citthæi* & *Assyrios* & *Hebræos* affligentibus, quasi *Romani* per *Circhæos* denotati, Judæam fecerint provinciam multis malis in eandem congestis. At vero quemadmodum *Lightfootus* tantummodo *Judæorum antiquorum* in illa verborum interpretatione *vestigia* premit, ita videmus, multos doctos homines suo loco commemorandos a *Lightfooto* & *Judæis* diffidere. Porro autem in *Statu Provinciali*, Jo. *Cloppenburgius* in disput. de Prom. venturi Messiæ §. 13. Jo. *Coccejus* ad *Esaiæ* VII. 8. & in Scholiis ad *Matthæum* I. 23. *Guil. Momma* Œconomiæ *Tom.* II. *cap.* 4. §. 118. aliique existimarunt se certissimum *characterem* reperisse *temporis*, *quo natum esse oportuit Messiam*. Trahunt illuc verba *Esaiæ* VII. 8. quasi sensus sit: *Damascus non erit caput Judææ sed tantum Syriæ ante natum Christum*, *eo autem nato*, *Judææ simul & Syriæ caput erit*, *quia Judæa in provinciam redacta Syriæ attribuetur*. At vero rem exacte perpendenti facile patebit, neque *Esaiam* dicere, quod sibi sumunt viri docti, neque, quæ ipsi dicunt, *veritati historiæ* esse consona. Non dicit propheta, Damascum caput Syriæ fore usque ad natum Immanuelem non magis quam, Retzin ad illud usque tempus fore caput Damasci: hæ enim duæ enunciationes ita junguntur, ut una ab altera divelli non debeat; multo minus dicit propheta, post natum Immanuelem Damascum fore caput Judææ: Sed tantummodo dicit, *non esse futurum*, *ut Damascus cum suo Rege Retzin potiatur* Judæa, uti metuebat Achazus: *sed futurum*, *ut Damascus Syriæ metropolis aliquamdiu maneat*, *Judææ autem metropolis non fiat*; *& Retzin Damasci regnet non Hierosolymis*. Ad cujus promissionis confirmationem deinceps signum de partu virginis adjicitur. Confer *Jacobum Altingium* in Paraphrasi in *cap.* VII. Esaiæ *pag.* 104. Heptade I. dissertationum Academicarum. Porro illa verborum *Esaiæ interpretatio* non convenit cum *Historia*. Quod si concederem Syriam, sive Syriæ Reges ante Christum natum sibi subjectos non habuisse Judæos, si concederem, inquam (malim enim contrariam si ita res ferat tueri sententiam) falsum tamen est, Damascum caput Judææ factam esse post natum Christum, quando Judæa Syriæ fuit attributa. Nam eo tempore *Roma* potius, quam *Damaschus* imperium in Judæam habuit. *Præsides Syriæ* a Romanis missi non *Damasci* sed *Antiochiæ* degebant, uti tum ex *nummis Antiochensium* (81) tum ex scriptoribus antiquis passim (82) apparet, *Damascus* autem sub Areta Rege Arabiæ fuit 2. *Corinth.* XI. 22. (83) Denique Præsides illi Romani, fateor, resederunt in Syria: sed an ideo Judæa dici potest Syriæ vel Damasco fuisse subjecta? Sane enim potestas, quam exercebant Præsides illi in Judæam, non erat Syrorum, sed Romanorum, quia Syrorum æqua erat cum Judæis conditio. Utrique Archelao in exilium misso, gemebant sub jugo & imperio Romanorum & avarorum Præsidum, a quibus regebantur. Et recte omnino *Josephus* ait Antiq. *lib.* 18. *cap.* I. *Judæam* factam esse προσθήκην τῆς Συρίας, quasi tu dicas *appendicem Syriæ*: (84) neque enim fuit Syriæ subjecta Judæa, sed cum Syria Romanis. Quæ omnia efficiunt, ut istam interpretationem Esaiæ, observationemque Characteris Chronici, magno consen-

ſenſu receptam, pro minus ſolida habeamus, monitoſque velimus ſacrarum literarum cultores, ne rei non ſatis exploratæ, tanquam eximiæ & ſingulariter eruditæ traditione plebis Chriſtianæ aures obtundere pergant. Confer ſingularem *Jo. Marckii* de hoc argumento diſſertationem, *Herm. VVitſium Tom.* II. Miſcellaneorum Sacrorum Exercitatione XI. §. 62. *ſeq. pag.* 322. & *Camp. Vitringam* Obſervation. Sacrarum *lib.* V. *cap.* I. §. 10. *ſeq. pag.* 9. Ceterum antequam *ſtatum provincialem Judææ*, & *fiſci* in illa *Hiſtoriam* deſcribamus, neceſſe fuerit, quædam de *Herodianis* addere: quorum ſacra Evangelii Hiſtoria paſſim meminit *Matth.* XXII. 16. *Marci* III. 6. VIII. 15. & XII. 13. ſed *Marci* XII. eadem refertur, quæ *Matthæi* XXII. hiſtoria habetur. Herodianos interpretatur Syrus Paraphraſtes בית הרודס & Hebræus interpres Evangelii ſecundum Matthæum eodem ſenſu עבדי הרודוס optime judicio *Samuelis Petiti* in Variis Lectionibus *cap.* 18. *Nam Herodiani*, inquit, *iſti fuerunt* ſervi *ſive* liberti Herodis *&* Archelai, *ab Herode ita appellati*, *ut ſolenne eſt*, *qui* tributis exigendis præerant: *cum enim olim*, Herode *atque* Archelao *rerum in Judæa potientibus*, tributis præfuiſſent, *poſtquam tota* Archelai *familia fiſco eſt adjudicata*, tributis *quoque* præfuiſſe videntur exigendis: *itaque ubi de* tributis exigendis *agitur*, & jure Romanorum, *in conſilium advocantur* a Phariſæis, *ſi qua ratione poſſent Chriſtum in crimen adducere*: *eademque cauſa eſt*, *ut puto*, *quare capita conferant* Phariſæi *&* Herodiani Marci III. *nam cum iſta acciderint paulo poſt* Sabbatum δευτερόπρωτον, *omnino* menſe Niſan *iſta geſta ſunt*, *cum adhuc* tributa Cæſari *exigerentur*. Hactenus *Petitus*, (85) eandem ſententiam, conſimilem certe, tuetur *P. D. Huetius* in obſervationibus & notis ad *Origenis* commentaria *pag.* 83. Docet enim, cum *tributis præeſſet Herodes*, iiſque *per vim exigendis milites* promtos *haberet* & expeditos, (86) ipſius *cultores* & *aſſeclas* pendenda tributa prædicaſſe, *Judæos* vero, & ex iis potiſſimum *Phariſæos*, *Herodianorum* nomine tum *milites* tum *exactores* inſigniviſſe: mortuo autem Herode magno & Viennam deinde relegato *Archelao*, cum Judæa provinciæ formam accepiſſet, ſuperfuiſſe etiamnum, qui Herodis præcepta, leges & placita pertinaciter tuerentur, & propugnarent, in quibus præcipuum illud erat, *Cæſari penſitanda eſſe tributa*. Ex *Origenis*, *Hieronymi* & *Cyrilli* præterea *Alexandrini lib.* II. in Eſaiæ *cap.* II. ſententia, *Herodiani* appellabantur, qui *vectigalia Romanis eſſe ſolvenda*, prędicabant. Quę ſi legiſſet *Beza* id ſane non annotaſſet ad *Matthæi* XXII. 16. *alii igitur exiſtimant Herodianos appellari*, *qui cenſerent tributa Cæſari ſolvenda*, *quibus videlicet colligendis Rex Herodes*, *Antipatri filius ab Auguſto eſſet conſtitutus*. *At ego fateor me nuſquam hoc legiſſe*. At vero poſt *Archelai* exilium, duo ſupererant *Tetrarchæ Herodes Antipas* & *Philippus*, hic Trachonitidis & Gaulonitidis, iſte Galilææ: quorum uterque omnibus obſequiis favorem Cæſaris demereri ſtudebat. Teſtis *Joſephus lib.* XVIII. *Antiquit. cap.* 3. (87) *Et veriſimile eſt utrumque ſubditos ſibi populos*, *ipſoſque adeo Judæos*, *cervicoſam gentem*, *refractariam &* Cæſaris *mandata facile reſpuentem*, *tributa autem ægre penſitantem pro virili compeſcuiſſe*. Nullos autem *Herodianorum* nomine *milites Hieroſolymæ* tum fuiſſe, cum *Herodis Antipæ* poteſtati neutiquam eſſet permiſſa; ſed precibus ſolum, autoritate, ac conſilio, non per vim tributorum coactionem ipſum promoviſſe perſpicuum eſt. Audivimus adhuc *Huetium*: jam vero audire quoque operæ pretium fuerit *Auguſtinum Calmetum*: is enim diverſam longe ſententiam ſequitur, perſuaſus *Herodianos &* Judæ *Galilæi ſectatores unum idemque hominum genus fuiſſe*, cum dicti ſectatores *Galilæorum* nomen acceperint inde, quod Judas Gaulonites patriam in ſuperiori Galilæa haberet, nomen itidem *Herodianorum* induerint, quia Judæ patria erat ſub *Herodis Antipæ* imperio & poteſtate. Vide *Calmetum Tomo* I. *pag.* 348. & *Tomo* III. *pag.* 320. *ſequ.* Dictionaire Hiſtorique, Critique, Chronologique, Geographique & Literal de la Bible, itemque in Diſſertatione de ſectis Judæorum *artic.* IV. *pag.* 39. *ſequ.* quæ diſſertatio ejuſdem Commentario in Marcum præmiſſa legitur. Neque vero nova hæc eſt *Calmeti* ſententia, ſed eadem jam olim a *Nicolao Serario* in Trihæreſio eſt propoſita, quamvis fatendum ſit *Serarii* ſententiam a *Calmeto* interpolatam quodammodo in ſcenam produci, (88) cum intellexiſſet *Joſephum Scaligerum* in Elencho Trihæreſii *cap.* I. *ſequ.* una cum aliis *Serarii* ſententiam ſatis accurate ad examen vocaſſe. (89) In illo ſententiarum divortio dicemus id, quod res erit. Negamus Gaulonitas ſive Galilæos Judæ ſectatores & Herodianos unum idemque hominum genus fuiſſe: cum enim Herodiani Chriſtum captantes ab eo quærerent, liceretne Cæſari cenſum pendere, ex eo ſatis apparet, eos terrenis Regibus faviſſe, ac Romanorum partes ſecutos, contra ac Gaulo-

lonitæ faciebant, qui Romanos dominos aspernabantur, & non nisi cœlesti Regi Judęos subjici debere prędicabant. Si Galilęi propter patriam coryphęi, quę sub Herodis imperio erat, Herodiani appellati essent, cur *Josephus* tacet? qui si non expressis verbis, saltem non obscure indicat a Juda Gaulonita ἰδίας αἱρέσεως patre Galilęos & Gaulonitas potius quam aliter vocandos fuisse. Galilęi rejiciebant reges mortales: igitur ἀντιβασιλεῖς, aut ἀντιδυνάσται aut tale quid cognominandi erant, non autem ab Herode, qui βασιλεὺς & δυνάστης fuit. Imo Herodiani dicendi erant potius, qui mortales reges agnoscunt, & illis parent, qualis fuit Herodes. Quæ cum ita sint per *Herodianos* non solum *milites* aut *tributorum exactores*, sed & omnes *aulicos Herodis* intelligimus, βασιλικῶν etiam nomine satis commode appellatos. Talis fuit βασιλικὸς ille *Johannis* IV. 46. (90) sive minister in aula Herodis Antipæ (91) sive ut alii mallent, cognatus Herodiadum (92) Plura de *Herodianis* non addimus: cum vero *scriptores*, qui de *Herodianis* differuerint, agmine quasi facto indicet J. G. *Wolfius* P. II. Bibliothecæ Hebrææ *pag.* 819. *seq.* tantummodo scriptores a *VVolfio* omissos adjungemus, *Huetium*, *Calmetum*, *Scaligerum* locis jam citatis, J. G. *Pritium* in Introductione in Lectionem Novi Testamenti, *Job. Clericum* dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne *Tomo* XXII. *pag.* 82. *Job. Lightfootum* in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 13. & 19. *Tomo* II. Operum. *Adrianum Relandum* in Antiquitatibus Sacris Veterum Hebręorum delineatis *Par.* II. *cap.* 7. §. II. *pag.* 226. J. H. *Hottingerum* ad *Thomæ Goodvvini* Mosen & Aaron *pag.* 249. *Humfredum Prideaux* dans l' Histoire des Juifs *Tomo* V. sive *lib.* XIII. *pag.* 123. Auctorem Fortuitorum Sacrorum apud *Job. Clericum* dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne *Tom.* XXVII. *pag.* 236. *Job. Henr. Othonem* in lexico Rabbinico-Philologico *pag.* 241. *Job. Leusdenium* in Philologo Hebręo mixto differtat. XXIII. *pag.* 157. *Constantinum l' Empereur* ad *Bonav. Corn. Bertramum* de Republica Hebręorum *cap.* XIX. *Christ. Noldium* in Historia Idumęa seu Diatriba de vita & gestis Herodum *pag.* 266. *Marquardum Freherum* in Dissertatione de Numismate Census, *Job. Drusium* de tribus sectis Judęorum *lib.* I. *cap.* 3. *Nicolaum Serarium* in Minervali *lib.* III. *cap.* I. & in libro singulari, cui titulus: Herodes *cap.* 23. *Augustum Pfeifferum* Σκιαγραφίᾳ Systematis Antiquitatum Hebraicarum *pagin.* 731. Operum Philologicorum, *Petrum Possinum* in Spicilegio Evangelico §. 37. *pag.* 89. *Abrah. Scultetum* Exercitationum Evangelicarum *lib.* II. *cap.* 87. *Campegium Vitringam* in Hypotyposi Historię & Chronologię Sacrę *pag.* 159. J. M. *Dilberrum Tom.* II. Disputationum Academicarum *pag.* 317. *Ludov. Cappellum* in templi Hierosolymitani ex *Josepho* delineatione *pag.* 3089. *Tom.* VII. Criticorum Anglorum, *Jac. Benign. Bossuetum* in libro, cui titulus: Discours sur l' Histoire Universelle pour expliquer la suite de la Religion & les changemens des Empires *pag.* 286. *Job. Lundium* in den Judischen Heiligthumern *lib.* IV. *cap.* 16. *num.* 17. *sequ. pag.* 811. Sed satis affatimque de *Herodianis* & de Scriptoribus huc referendis: jam vero necesse erit de *Publicanis & Portitoribus* præmittere, ut melior observari possit ordinis ratio. Erant in Judęa, ut cum *Sam. Petito* loquar, *prædia stipendiaria* ex *bonis* Archelai *fisco adjudicatis*, quę redimebant *Publicani*, erant quoque *portoria*, quę a *Portitoribus* conducebantur & exigebantur, unde tam crebra *Publicanorum*, aut ut rectius dicam *Portitorum* (93) in N. T. occurrit memoria, ut viri docti necesse habuerint (94) illud argumentum pertractare, ex quo sacris literis multum lucis affunderetur. Quamvis autem illud hominum genus sive *publicanorum*, sive *portitorum* satis molestum fuerit Judæis, multo tamen gravior iisdem fuit ἀπογραφὴ illa, quam *Cyrenius* instituit, a priori illa, quam idem instituerat, probe distinguenda. Nimirum *Cirenii duplex* fuit ἀπογραφὴ, quam recte statuunt *Sebastianus Lenain de Tillemont* dans l' Histoire des Empereurs & des autres Princes qui ont regnè durant les six premiers Siècles de l' Eglise *Tomo* I. *pag.* 699. *Antonius Bydæus* in libris de Natali Jesu Christi, *Fried. Spanhemius* Dubiorum Evangelicorum *P.* II. *dubio* 3. *Camillus de Sylvestris* in Chronologia, *Antonius Pagius* in Critica Historico-Chronologica in Annales Ecclesiasticos Baronii, *Johan. Lesueur* dans l' Histoire de l' Eglise & de l' Empire *P.* I. *sect.* 8. *pag.* 12. *Paulus Pezronus* dans l' Antiquitè des Tems dèfendue *cap.* III. *pag.* 129. *Petrus Possinus* in Spicilegio Evangelico §. 24. *Rich. Montacutius* Originum Ecclesiasticarum P. I. *pag.* 8. *sequ. If. Casaubonus* Exercitatione I. ad Apparatum Annalium *Baronii num.* 30. & 31. *pagin.* 125. 128. *Camp. Vitringa* in Hypotyposi Historiæ & Chronologiæ Sacræ *pag.* 166. *Jac. Usserius* in Annalibus Vet. & Novi Testamenti *pag.* 160. *Job. Drusius*, *Theodorus Beza*, *Hugo Grotius*, *Josephus Scaliger* li-

libro VI. de emendatione temporum & in animadversionibus Eusebianis, *Dionysius Petavius* in Rationario temporum, *Corn. Dietericus Kochius* in dissertatione II. de Natali Anno Christi §. 7. *Sal. Deylingius* P. I. Observationum Sacrarum *pag.* 125. J. M. *Dilberrus Tom.* I. *disput. Acad. pag.* 438. *Jac. Altingius* de Schilo *lib.* 3. *cap.* 11. *pag.* 182. At vero dissensum suum testantur *Joh. Clericus* dans la Bibliotheque Choisie *Tom.* IV. *pag.* 78. & *Abrab. Sculcetius* exercitationum Evangelicarum *libro* I. *cap.* 48. imo vero argumentis in partem contrariam allatis pugnant *Lud. Wolzogenius* (95) & *Henric. Valesius*, (96) quæ tamen argumenta levioris momenti esse judicamus. (97) Quemadmodum autem *Quirinus bis missus* est ad *censum habendum*, semel extra ordinem, quo tempore Præses ordinarius Syriæ erat Sentius Saturninus, iterum, damnato Archelao, ad regendam provinciam simul & bonorum descriptionem faciendam, ita ejusdem Quirini *duplex* ἀπογραφὴ duplicem habet notionem rite explanandam. In illa priori ἀπογραφῇ *Lucæ* II. I. nec tributi exactio fuit, nec solutio ulla. Neque enim Quirinus venerat φορολογητόμενος, vel δασμολογητόμενος, tantummodo ἀπογραψόμενος. Existimamus hic designari non *censum proprie ita dictum*, sed *descriptionem hominum & facultatum*, eum in finem institutam, ut Augustus sciret, quæ essent vires Judææ. Confer *Stephanum Curcellæum* in Institutione Religionis Christianæ *lib.* V. *cap.* 5. §. 3. *pag.* 225. *Nicolaus* tamen *Bergierius libro* I. de Publicis & Militaribus Imperii Romani Viis *sect.* XII. §. 8. *pag.* 40. *censum proprie ita dictum* intelligit. En ejusdem verba: *posteaquam paullatim* Tributorum *&* Vectigalium exactiones Provincialibus *fierent intolerabiles*, Augustus *Imperator & publicæ pacis fundator* omnes extraordinarias Tributorum Vectigaliumque æruscationes, *quas avaritia Magistratuum Romanorum Provincialium*, *Proconsulum*, *Prætorum*, *Præsidum malo publico repererat*, *velut uno ictu præcidit*, *& neglecta veterum ratione*, nova tributa ordinaria *instituit*, *alia* in agros, *alia* in caput: *atque hæc ut tanto majore æquitate in singulos distribuerentur*, jussit censum totius imperii fieri. *Hic est ille* census, cujus in Evangelii sui initio meminit D. Lucas: exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. *Hac descriptione*, *quæ Census dicebatur*, *pernosse voluit*, *quantum hominum esset in imperio*, *quantumque singuli in bonis & facultatibus haberent*, *ut* in Tributis imperandis æquitatis & portionis ratio *posset haberi*. At vero nemo facile in sententiam *Bergierii* descendet, qui cogitabit, primam illam Quirini ἀπογραφὴν sine ulla tributi exactione & solutione fuisse. *Erat enim*, inquit *Montacutius*, *alia mens Imperatori Augusto*, *consilium aliud*, *nempe ut imperii vires recognosceret*. *Quot civium Romanorum capita restarent: quæ populorum per singulas provincias*, *vires*, facultates, opes: *ut*, *si res exigeret*, *exhausto per bella civilia ærario*, *& orbe terrarum attrito*, delectus exigi, (98) *commeatus suppeditari*, *tributa solvi non incommode possent*. *Erat etiam e republica*, *ut cognosceret*, *quæ affinitates*, *cognationesque ubique essent*: *unde genus & prosapiam derivabant*, *ut si vellent rebellare*, *quibus auxiliis freti id facere possent*, *intelligeretur*. *Et hinc est*, *quod dicitur*: ibant singuli, ut profiterentur in suis civitatibus, *id est audientes dicto & edicto erant Augusti*: *se omnino præbebant morigeros quaqua versum*, *nusquam tunc temporis ad arma itum*, *nusquam vel minimum tumultuatum*. Hæc *Montacutius*, at *Henr. Valesius* qui in notis ad *Eusebii Historiam Eccles. lib.* I. *cap.* 5. *pag.* 11. tantum unam ἀπογραφὴν Quirini fuisse contendit, miratur hanc primam descriptionem a *Josepho* prætermissam fuisse, qui tamen patriæ suæ historiam tanta diligentia persecutus sit, ut & Præsides Syriæ omnes recensuerit, sed mirari desinet, si vel ejus silentii causas ex *Possino*, (99) *Grotio*, (100) *Joh. Clerico* (101) & *Jac. Basnagio* (102) intellexerit, vel cum *Nathaniele Lardnero* viam inierit, ut quidam inter Lucam & Josephum consensus appareat. Ne multa. Transeamus ad alteram Quirini ἀπογραφὴν, quam *Lucas Actorum* V. 37. & ipse *Josephus* commemorant. Lucæ verba torquet & pervertit (103) *Henr. Valesius*, *Josephi* autem fidem præpostero quodam consilio sugillat *Baronius*, (104) neque id mirum alicui videatur, cum *Baronius* πρώτην illam ἀπογραφὴν quam *Lucas* II. I. commemorat, frigide & jejune exponat (105) nescius, utramque ἀπογραφὴν conjungendam & inter se conferendam esse, si vel de Luca, vel *Josepho* judicium ferre velis. Et vero hæc altera ἀπογραφὴ fuit ἀποτίμησις οὐσιῶν *descriptio facultatum* (106) Ita quidem est, Lucas vocem ἀπογραφὴ non illas voces ἀποτίμησις, δασμὸς, ἐπιδασμὸς, quæ hoc in loco & argumento maxime propriæ sunt, adhibet, at facile tamen intelligimus, quid sibi divinus scriptor velit, dummodo animum intendamus. Antiqui Glossarii auctor: census ἀπογραφὴ οὐσίας, ἀποτίμησις, *Censitor* ἀπογραφεὺς, τιμητής. Jam vero talem ἀπογραφὴν

φὴν Romani in populis bello victis *tributi causa* instituebant, quæ gentibus Romano imperio obnoxiis molestissima fuit, & cum in Judæa sub Quirino fieret, magnas turbas dedit *auctore Juda Gaulanita*, sive *Galilæo*: is enim Judæos solicitabat ad defectionem, *censum* nihil aliud quam *manifestam servitutis professionem* dictitans. Vide Lucam *Actor.* v. 37. *Josephum* Veterem Scriptorem Christianum in Hypomnestico *lib.* v. *cap.* 41. & illum Judæum *Josephum* (107) Graviter autem errat *Pitiscus Tomo* I. lexici antiquitatum Romanarum *pag.* 977. quando de censu hoc Quirini addit: *erat hoc opus Judæis tum novum & inadsuetum, neque unquam in ea gente factitatum.* Et vero Judæi olim *Persidis Regibus* & *vectigalia* & *tributa* pendebant. Quamvis autem *Barnabas Brissonius* in libris de Regio Persarum Principatu & *Carolus Rollinus* dans l' Histoire Ancienne *libro* IV. de Regno Medorum & Persarum *cap.* IV. *art.* I. §. 5. *pag.* 299. de vectigalium & tributorum sub Imperio Persarum exactione differant, incuria tamen nescio qua observare hanc in rem neglexere, quæ hoc in loco a nobis addenda erant. Nimirum Judæi ut est in libro *Esdræ* IV. 13. Persis pendebant *censum*, *tributum & vectigal*, מנדה בלו והלך. Quæ verba judice *Herm. Witsio Tomo* II. Miscellaneorum Sacrorum *Exercitat.* XI. §. 21. *pag.* 289. sic exponi possunt, ut מנדה, quasi מרה *dimensum*, notet tributum quod quisque e facultatibus suis æstimatis, ac veluti dimensum, Regi pendebat. בלו sit *census*, qui dabatur pro singulis *capitibus*, aut *tributum provinciale*, sic dictum quod sit *afflictio* & onus populi. Nam בלו Arabibus est *probare*, *affligere*. הלך sit *vectigal* quod in viis exigitur, & penditur ab itinera conficientibus, quando merces invehunt, vel evehunt. Eadem Esdræ verba repetit *Joh. Henr. Hottingerus* in notis ad *Thomam Goodvvinum pag.* 51. & hæc addit: *sunt certæ tributorum species, quæ non satis accurate intelliguntur. Ultima, quæ ab* הלך ire *descendit, probabiliter* portiora *notat. Consimiliter sub Græcis* Publicanis *fuerunt, unde* Jaddus *ab Alexandro non nisi* τὸ ἕβδομον ἔτος ἀνείσφορον εἶναι septimo anno tributorum immunitatem *petit apud* Josephum in *Antiquit. lib.* XI. *cap. ult.* Plura adhuc *ex Historia gentis Judaicæ*, quod ad illius *Fiscum* sub *exteris Regibus* attinet, *Pitisco* opponenda leguntur apud *Petrum de Marca libro* II. de Concordia Sacerdotii & Imperii *cap.* V. §. 5. Sed quæret aliquis, quod nam tributum hæc posterior Quirini ἀπογραφὴ a Judæis exegerit? *solam capitationem* nominat *Sam. Petitus* Variarum Lectionum *cap.* XVIII. *tributum*, inquit, *didrachmi capitatim impositum: nam Judæa cum est in Provinciæ formam redacta, Archelao pulso in exilium, Cæsari tributa est: provinciæ autem Cæsaris tributum præstabant alendis militibus, ut quæ armis essent tenendæ.* Fidem facit *Petitus* tum ex *Josepho* (108) tum ex Paraphraste Chaldæo *Jonathane;* (109) at præter *Carolum Sigonium libro* V. de Republica Hebræorum *cap.* II. *Marquardus Freberus* multo rectius *sub Augusto tributum soli & capitationem* Judaicam conjungit. En ejus verba *libro* III. Parergωn *cap.* X. *tributi*, *stipendiive duo sunt genera*, quæ Capitibus, & quæ Solo imponuntur *l. ult. D. de censibus*, quæ prædiis & quæ moventibus, *ut* Scævola *loquitur l. generali* 32. §. *ult. D. de usufr. leg. Utrumque* tributum *vocatur*, *utrumque* census, *ut apparet en loco* Ulpiani *in l.* 3. *in princ. D. de censib.* Utrumque *erat* ordinarium, utrumque *simul pendebant* in provinciam redactæ regiones, *nisi quæ* Juris Italici *essent: qui nominis bonos eas utroque oximebat. Atque uno remisso non etiam continuo alterum remissum censebatur, nisi fieret expresse, aut* Juris Italici (*ut dictum*) prærogativa *tribueretur d. l. ult.* Judææ *quidem duræ & rebelli* utrumque initio ab Augusto impositum *non dubitatur: eoque nomine* descriptionem *factam* capitum *primo*, *quotquot* Judæam *inhabitarent*, *deinde* facultatum, *quantum singuli in bonis haberent. Nam & Quirinum Præsidem missum* ἀπογραφὴν & ἀποτίμησιν *fecisse* τῶν οὐσιῶν Josephus *diserte scribit.* Hactenus *Freberus*, audiamus quoque *Petrum de Marca lib.* II. de Concordia Sacerdotii & Imperii *cap.* 5. §. 5. posteaquam enim observaverat, Judæam ejecto Archelao in provinciam esse redactam, hæc addit: *tunc* Judæi capite censi *sunt teste Hieronymo in Matthæi cap.* XVII. *integrumque Regis imperium in Cæsarem translatum.* Quirinus *enim Syriæ Præses* novum censum egit *in Judæa*, tributa agris imposita *auxit*, & capitatim didrachmum *indixit. De utraque functione capiendus Appiani locus in Syriacis, qui* duriorem in Judæa fuisse capitationem scribit præ tributis, quæ ex facultatibus exigebantur: ἐστὶν Ἰουδαίοις ἅπασιν ὁ φόρος τῶν σωμάτων βαρύτερος τῆς ἄλλης περιουσίας. Quemadmodum autem Petrus *de Marca* ex *Appiano tributum soli* & *capitationem* Judaicam colligit, ita & *Bulengerus* in libro de Tributis & Vectigalibus Pop. Romani *cap.* XVII. *pag.* 863. *Tomo* VIII. Thesauri *Grevii*, consimili ratione verba illa antiqui scriptoris de tributo, quod & *Judæorum capitibus*

& co-

& eorundem *solo* imponebatur, intelligit. Et profecto ex *fisco Judaico hujus temporis* colligere possumus, & miseram & miserandam tunc Judæorum fuisse conditionem. Quod si enim tributa ordinaria tam in capita quam in solum, sive agros & possessiones, singulis annis exigebantur, si teste *Appiano* in Lybicis Romanorum mos fuit gentibus per vim ultimam & bello pertinace victis φόρον ἐπὶ τῇ γῇ καὶ ἐπὶ τοῖς σώμασιν *tributum in agros, & in corpora* sive *capita hominum* (ut Latini magis loquuntur) *definire*, si, ut alibi *Cicero* loquitur, pessima eorum conditio fuit, *qui stipendiarii ipsi atque agri*, si denique utrumque tributum, ut ait *Tertullianus*, (110) nota captivitatis est, quilibet facile de *fisco* Judaico *hujus temporis* judicare poterit, nostrisque observationibus suffragari. Ceterum nullum est dubium, quin hæc tributa sub Augusto aliquanto severius sint exacta. Audiamus *Ratbodum Herm. Schelium* in notis ad *Polybii* Scriptum de Castris Romanorum ex Historiarum *libro* VI. *pag.* 1225. *Tom.* X. Thesauri *Grævii*: *Augustus, non sufficientibus stipendio tot legionum consuetis reditibus, ærarium militare, & novos reditus instituit, vicesimam hæreditatum, quintam & vicesimam venalium mancipiorum, & centesimam rerum venalium. Præter hæc* in omnibus pene provinciis tributa & capita in solum *conferebantur*. *Schelio* adde *Vincentium Contarenum* in Syntagmate de Stipendio Militari apud Romanos *pagin.* 1522. *Tomo* X. Thesauri *Grævii* & *Justum Lipsium* de Magnitudine Romana *lib.* II. *cap.* 4. *pag.* 704. *Tomo* III. Operum. Quæ cum ita sint, *tributa sub Augusto in Judæa provincia severius exacta* esse, constabit. Etenim cum Quirino Præside Syriæ missus est Coponius, primus Judææ *Procurator*, qui vice Præsidis fungeretur jure gladii instructus, eaque autoritate, ut non tantum *fisci rationes* moderaretur, sed etiam *jus vitæ ac necis* in gentem Judaicam exerceret. Non incommodum fuerit hic quædam *generatim* de *Procuratorum Cæsaris nomine & officio* inserere, ut *Coponii* dignitas & amplitudo tanto luculentius appareat. *Procuratores Cæsaris* dicebantur etiam simpliciter *Curatores Cæsaris*, quod fugerat *Leunclavium*, *Lipsium* & *Bachovium*, qui frustra *Xylandrum* notant, quod ἐπιτρόπους apud *Dionem* verterit *curatores*, non *procuratores*. Vide *Corn.* van *Bynkershoek* Observationes Juris Romani *ll.* 20. Iidem etiam Procuratores *Principis* in *l.* 32. D. *ex quibus causis mai.* & Procuratores *Imperatoris* in l. fin. D. *de jure fisci* nominantur. Neque vero hic intelligimus *Procuratores rei privatæ*, sed *Procuratores redituum fiscalium*. Reditus fiscales ii dicebantur reditus publici, quos P. R. tuendæ dignitatis ergo principi concesserat, quibus præter vectigalia, & tributa, bona damnatorum, vacantia, commissa, caduca, thesauri & vicesimarum vectigal adnumerabantur. E contrario *res privata Principis* fortunas & facultates eas complectebatur, quas Princeps uti privatus, nullo dignitatis respectu possidebat, & quæ in hæredes Principis transissent, etiamsi non successissent in imperio. Vide *Gotter. Mascovium Exercitatione* I. de Procuratore Cæsaris §. I. *Corn.* van *Bynkershoek* Observationum Juris Civilis *lib.* II. *cap.* 20. 21. *Joh. Clericum* dans la Bibliotheque Choisie *Tomo* XIX. *pag.* 340. & *Jac. Gutherium* de Officiis Domus Augustæ *libro* III. *cap.* 33. *Procuratorum* autem *Cæsaris* & quidem *rerum fiscalium* quidam per provincias ab imperatoribus constituti erant, ut rationes Cæsaris agerent, & simul Præsidis vice fungerentur: alii, ut tributa & vectigalia, & ceteros reditus fiscales tantum colligerent. Inter hos, qui Præsidis vice cum Jurisdictione & imperio fungebantur, minoribus saltem provinciis præerant. Hujus generis Procuratoribus vice Præsidum *Judæa* quoque tradita fuit. Testis *Coponius*, qui Judææ teste *Josepho* præfuit τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ, *lib.* II. *cap.* II. πέμπεται, μέχρι τοῦ κτείνειν λαβὼν παρὰ τοῦ Καίσαρος ἐξουσίαν *mittitur ad necis usque jus accipiens a Cæsare potestatem*. Fuit autem hic Coponius vir ordinis equestris, uti *Josephus* nos docet *Antiquit. lib.* XVIII. I. En ejus verba: Κωπώνιός τε αὐτῷ συγκαταπέμπεται, τάγματος τῶν ἱππέων, ἡγησόμενος Ἰουδαίων τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ *Coponius cum eo*, Quirinio scilicet Præside Syriæ, *simul mittitur vir ordinis equestris cum omni in Judæos potestate*: quæ tamen verba cum vulgatis *Josephi* interpretibus perperam intellexit *Deylingius Par.* II. Observationum Sacrar. *pag.* 331. Etenim vox ἡγησόμενος secundum *Deylingium* cum illis τάγματος τῶν ἱππέων jungitur uno tenore, quasi Coponius *turmæ equitum præfectus* fuerit, succinctus copiis militaribus, ut Judæam assidue tumultuantem & tributa Cæsari dare detrectantem compesceret atque in officio contineret. Ante *Deylingium* consimili ratione verba *Josephi* interpretatus est *Ludov. Cappellus* in Historiæ Judaicæ Compendio ex *Josepho* contracto, itemque *Joh. Lightfootus* in Descriptione Templi Hierosolymitani *cap.* V. *sect.* I. *pag.* 559. *Tom.* I. Operum, quibus etiam addere licet *Joh. Henr. Hottingerum* in notis ad *Goodvvinum pag.* 244. (111) At ve-

vero *Casaubonius exercit.* I. ad Apparatum Annal. Baronii *num.* 30. *pag.* 125. & *Sigebertus Havercampius* in novissima *Josephi* editione, multo rectius post verba τάγματος ἱππέων comma ponunt, & vocem ἡγησάμενος cum insequentibus nectunt verbis, eo quo diximus modo Coponii *equestrem dignitatem* intelligentes. Certe & ipse *Josephus* de Bello Judaico *lib.* II. *cap.* 2. nominat Coponium virum ἱππικῆς παρὰ Ῥωμαίοις τάξεως *equestris apud Romanos ordinis*. Quæ cum ita sint, *Coponius* addendus erat *Procuratoribus Cæsaris* ex *equestri ordine*, quos Coponio omisso, recenset *Mascovius* in laudata exercitatione §. 4. Hic autem *Coponius primus* fuit *Cæsaris in Judæa Procurator*, contra quam *Pitisco* videtur, qui in lexico Antiquitatum Romanarum in vocibus *Procurator Cæsaris* Sabinum primum Procuratorem Augusti nominat, & huic Coponium successisse contendit. At vero cum *Sabinus* in Syria Procurator fuerit, utriusque provinciæ Syriæ & Judææ Procuratores *Pitiscus* temere confundit. Ante *Pitiscum Ludov. Cappellus* in Appendice ad Historiam Apostolicam Tabula III. & in Compendio Historiæ Judaicæ, *Jac. Gutherius* de Officiis Domus Augustæ *lib.* III. *cap.* 34. *pag.* 615. *Tom.* III. Thesauri novi *de Sallengre* eundem admiserunt errorem non facile excusandum, nisi quis dixerit, *Sabinum & Syriæ & Judææ simul Procuratorem fuisse*, quemadmodum præter *Cornel.* van *Bynkershoek* Observationum Juris Romani *lib.* II. *cap.* 21. *Mascovius* §. 5. recenset quosdam, qui multarum provinciarum simul Procuratores fuerunt. Neque porro audiendus erat *Pitiscus*, quando ibidem tradit, jam ante Augustum Procuratores Judææ constitutos esse. Procul autem dubio *Pitiscum* in hunc errorem induxit *Jac. Gutherius* de Officiis Domus Augustæ *lib.* III. *cap.* 33. *pag.* 610. primus, quantum memini, hujus erroris autor. Ita quidem est Antipater Herodis M. pater a Cæsare tanquam ἐπίτροπος *Procurator* Judææ præfectus est, sed longe diversa ratio illorum fuit, quos *procuratores provinciarum* Cæsares vocaverunt. Id quod contra *Pitiscum*, & *Baronium* tum in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos *num.* 87. tum in *Tomo* I. Annalium ad A. C. 8. *num.* I. bene observandum erat. Etenim Antipater Hyrcano fuit subjectus, ejusque in rebus gerendis administer, quamvis apud *Josephum* ἐπιμελητὴς Ἰουδαίων *Judæorum Procurator* dicatur, quod eo in administranda republica Hyrcanus semper usus fuerat. Confer *Cellarium* in dissertatione de Cn. Pompeii M. expeditione Judaica §. 9. & 12. Ceterum dum *Vice Præsides Romanos* in Judæa seu *Procuratores Cæsaris*, ut *Tacitus* illos proprio vocabulo appellat *lib.* XV. *cap.* 44. commemoramus, videndum adhuc, an *eorundem potestas & amplitudo cum tanta procuratione regnorum intelligantur Matthæi* IV. 8. Nimirum *Joh. Laurentius Moshemius libro* I. Cogitationum in novi fœderis locos selectiores existimat per κόσμον *Palæstinam*, & per βασιλείας ejusdem *provincias* innui, ita quidem, ut Diabolus Christum *in montem templi* adduxerit, atque inde tum *regiones* quæ *ditionis Romanæ* erant, tum *magnificentiam Procuratoris Romani Hierosolymis* ostenderit. Quorsum hæc, inquies? Diabolus non solum persuadere voluit Christo, *Romanos* hęc omnia sibi debere, tantarum rerum largitori, sed & Christo promisit, se ea omnia *Romanis erepturum*, & ipsi larga manu daturum, modo procumberet & adoraret eum, qui tanta promitteret. Hactenus *Moshemius*, cujus sententiam satis luculenter expositam videas in denen Deutschen Actis Eruditorum *Par.* CXIII. *num.* 5. *pag.* 335. Et largimur quidem *Moshemio* per vocem κόσμον *mundum* Palæstinam tantummodo intelligi; quemadmodum enim apud Hebręos minor pars *orbis terrarum* & ipsa quoque Judęa תבל *orbis habitabilis* dicitur, ita & vox κόσμος in sacris literis novi fœderis angusto sensu de Palæstina adhibetur. Vide Joannis XII. 19. & confer Commentarium nostrum in *Hecatæi Abderitæ* Eclogas *pag.* 100. De *monte sublimi*, unde Christo regna sint ostensa, nihil certi addere licet. *Theodorus Hasæus* in Observatiuncula de eodem monte *pag.* 991. Bibliothecæ Bremensis *Classis* VI. *fascic.* V. existimat *partem Sionis*, quippe *montis* τοῦ ὑψηλοῦ λίαν innui: at *Isebrandus Eilbardus Harkenrothius* in Dissertatione Topographico-Theologica de Monte sublimi, in quo Christus a Diabolo tentatus perhibetur *pag.* 969. *seq. Biblioth. Brem. Classis* VI. *fascic.* V. *montem Thabor* mavult intelligi. In neutram partem movetur *Joh. Christoph. Harenbergius*, namque in dissertatione, cui titulus: Oculus Mosis & Christi e monte editissimo Palęstinam spectantium *pag.* 853. *seq. Biblioth. Brem. Classis* VIII. *fascic.* V. *montem Nebo* inprimis designari judicat. Tantam de *monte illo* litem nec libet nec vacat in pręsenti componere: neque tamen accedere possumus *Moshemio*, qui per βασιλείας τοῦ κόσμου *regiones Palæstinæ in ditione Procuratoris Romani* tantummodo intelligit. Quod si enim *Tetrarchiæ* tum in sacris literis, tum apud *Josephum* subinde βασιλείας nomine insigniuntur, uti præter *Joh. Gothofr.*

thofr. Lakemacherum in Observationibus Philologicis *Parte* IX. *Observat.* IV. *pag.* 78. *sequ.* copiose probavit *Christ. Noldius* in Historia Idumæa *pag.* 247. *præter ditionem Procuratoris Romani simul intelligendæ erant tetrarchiæ indito regnorum nomine*. Referas huc omniuo verba *Lucæ* III. I. Præterea illarum tetrarchiarum & regionum, quæ ditionis Romanæ erant, δόξαν commemorari videmus, hoc est lucupletem urbium, munimentorum, & subditorum numerum: *nam in multitudine populi est Regum gloria* Proverb. XIV. 28.

V. Restat adhuc, ut videamus, quid de *Augusto*, sub quo hanc *Fisci Historiam* habemus, *Judæi* sentiant, judicentque. Nimirum R. *Schelomo ben Virga* in שבט יהודה sceptro Judæ tradit, *Augustum Imperatorem Judæos magna affecisse clade*: qua de re a domestico Scriptore R. *David Ganz* in צמח דוד ad An. 3775. reprehenditur, cum de clade illa nulli scriptores mentionem fecerint. Vide *Joh. Christoph. VVolfium* Bibliothecæ Hebrææ *P.* I. *pag.* 1052. & *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* VII. *cap.* 8. §. 5. *pag.* 206. Et profecto *Augustus gentis Hebrææ libertatem & religionem satis comiter conservavit*, & præ aliis populis in provinciam redactis, eidem genti favit. De Augusto *Philo* testatur Legat. ad Cajum Imperatorem, eum non tantum in Palæstina eorum religioni aut reipublicæ nihil derogasse, sed & bonam urbis partem trans Tiberim tenentes Judæos tolerasse, nec eorum proseuchas, in quibus cœtus suos, præsertim Sabbatis haberent, impediisse. Confer *Marquardum Freberum* in dissertatione de Numismate Census qui *Baronium Tomo I.* Annalium ad A. C. I. *num.* 16. secutus, omnino *Philoni* addere debebat *Josephum*, quippe qui *Antiquit.* XVI. 10. multa *de Augusti in Judæos clementia* satis bona fide tradit, hanc in rem laudatus a *Samuele Pitisco* in notis ad *Svetonii* Augusti *cap.* 93. §. 15. & præcipue a *Campegio Vitringa*, qui de Synagoga Vetere *lib.* I. P. I. *c.* 4. *pag.* 130. *Josephi* verba de Augusti in Judæos clementia accurate explanat.

VI. Et adhuc quidem *Primam Periodum*, eamque *Historicam Fisci Judaici* tum ex sacris tum ex profanis scriptoribus descripsimus. Restat nunc ut in hac *Historica Fisci Judaici Periodo* quæramus *initium ablati Judæorum sceptri*, cum docti homines credant, interitum Reipublicæ Judæorum, quem ante tot sæcula Jacobus prædixerat, alio tempore incepisse, alio esse promotum, alio denique esse consummatum. *Initium ablati sceptri a Pompeji tempore* multi repetunt, (112) ut qui captis Hierosolymis, Judæi libertatem ademerit, & ab iisdem tributa exegerit. Qui autem ita sentiunt, illi cum *Cellario* & *Casaubonio* præsidium sententiæ suæ quærunt in verbis *Josephi*, cum dicit: *libertatem perdidimus, & Romanorum imperio subjecti sumus*. Et fateor quidem verba illa *Josephi* si prima adspiciantur fronte, aliquam veri speciem sententię illi addere, pręcipue cum *Joannes* quoque *Barbeyrac* (113) eadem scriptoris Judęi verba de servitute Judaica accipiat, intelligatque, *Henricus* item *Valesius* ad *Ammiani Marcellini lib.* XIV. *cap.* 8. *pag.* 48. ex verbis *Josephi* colligat, Judęam jam illa ętate a Pompejo in provincię speciem redactam esse: at vero docti illi homines *Josephi* verbis parum pensitatis, falluntur, quia illa adhuc ętate *Judæa*, ut more Romano loquar, *libera fuit cum suis legibus*. (114) Nolim hic repetere, quę de libertate & αὐτονομίᾳ liberarum gentium sub Imperio Romano supra *cap.* II. §. I. ex doctis hominibus observavi, (115) mitto nunc etiam, quæ speciatim de αὐτονομίᾳ Judæorum dixi, ab *Ægidio Bucherio* in Tractatu de Paschali Judæorum cyclo *cap.* 6. *pag.* 385. *Jo. Seldeno* in Prolegomenis ad librum singularem de Successionibus ad Legem Hebræorum in Bona Defunctorum, & *Hugone Grotio* confirmata; (116) id tamen monendum Pompejum Romanorum more Judæos devictos clementer habuisse. Notum est illud Scipionis Africani apud *Livium lib.* XXVI. *populum Romanum beneficio quam metu obligare homines malle, exterasque gentes fide ac societate junctas habere quam tristi subjectas servitio*: nec omittendum illud, quod apud *Sallustium* legimus: *populo Romano visum amicos quam servos quærere: tutiusque rati volentibus quam coactis imperitare*. (117) Quæ cum ita sint, Judæos illa ætate sub Imperio Romano degentes, eo modo describerem, quo *Tacitus* in vita Agricolæ suæ ætatis Britannos: *delectum ac tributa & injuncta imperii munera impigre obibant, si injuriæ abessent, has ægre tolerabant: jam domiti ut parerent, nondum ut servirent*. Quod si quis nobis objiciat *conventus Juridicos a Gabinio institutos*, is sibi in memoriam revocabit ea quæ *Humfredus Prideaux* observavit a nobis laudatus, idemque consulet *Herm. VVitsium Tom.* I. Miscellaneorum *lib.* II. *dissert.* III. de Synedriis Hebræorum §. 76. *pag.* 555. *Jo. Vorstium* in dissertatione de Synedriis Hebræorum §. 15. *Jacobum Altingium* de Schilo *lib.* II. *cap.* 7. *pag.* 115. *Seldenus lib.* II. de Synedriis *cap.* IX. §. 5. *Petrus* de *Marca* de

de Concordia Sacerdotii & Imperii *lib.* II. *cap.* 5. §. 5. *Jo. Lundium* in den Judischen Heiligthümern *lib.* III. *cap.* 17. *pag.* 477. & *Jac. Basnagium lib.* VI. *cap.* 1. §. 11. *pag.* 16. *Frideauxio* suffragantes. Sed quæritur an propter *illam* ὑποταγὴν *Herodis sub Romanis sceptrum a Judæis* dici debeat *ablatum esse*? *Campegius Vitringa* recte negavit sceptrum a Judæis regnante Herode ablatum esse. En ejusdem verba Observationum Sacrarum *lib.* IV. *cap.* 5. §. 29. *pag.* 951. *bene alibi ipse* Herodes *coram Hierosolymitanis de regni sui statu apud Josephum Antiquitat.* XVI. 8. *verba faciens, ait:* omnes ipsum oportere respicere καὶ βασιλέα καὶ δεσπότην ἁπάντων δοκεῖν & regem ac dominum omnium censere. *Quid magis absolute de regno suo prædicare potuit? Ergo cum apud* Herodem *Regem vere summum fuerit* imperium *in Hebræam gentem: summa in civilibus & criminalibus* judicandi potestas (*quæ duo per insigne* sceptri *figurantur*) *cum illam potestatem non nomine* populi Romani, *sed nomine* populi Judaici, *tanquam* Rex Judææ *exercueris* (118) *& Judæum populum renerit secundum antiquas illius Reipublicæ leges* (*quæ duo* sceptrum Judæ *conficiunt*) *sequitur Judam* sceptro *suo nondum fuisse privatum, quo tempore* Herodes Rex *rerum apud Judæos potitus est*. Atque hæc sententia nostra de *sceptro Judæ nato Christo adhuc superstite* non solum a *Vitringa*, sed & a *Salomone Deylingio P.* II. Observationum Sacrarum *pag.* 98. jure defenditur, quamvis in contrariam nobis sententiam transierit *Jac. Basnagius* dans l'Histoire des Juifs *lib.* I. *cap.* 7. §. 8. *pag.* 188. infirmis tamen si quid judico innixus argumentis.

VII. Quæ cum ita sint, *initium sceptri Judaici ablati in statu provinciali* cum *Bernardo Lamyo* in Commentario in Harmoniam sive Concordiam IV. Evangelistarum, *Campegio Vitringa* Observationum *lib.* IV. *cap.* 6. §. 11. *pag.* 959. *Herm. Witsio Exercitat.* XV. in Symbolum Apostolicum §. 26. *pag.* 231. & *Ludov. Cappello* in Historiæ Judaicæ Compendio ex *Josepho* contracto, *Judææ* statuimus, quia regio apud Romanos in provinciam redacta, servitute multata esse credebatur. Plura hanc in rem nos præter *Franc. Hottomannum* in notis ad *Ciceronis* Orat. de Provinciis Consularibus & ad *lib.* II. ejusdem in Verrem, docebit *Carolus Sigonius* in libris suis de Antiquo Italiæ Jure, de antiquo jure Provinciarum, de antiquo jure Civium Romanorum, quos ut digni sunt, commendant J. C. *Wagenseilius* in Confutatione Carminis R. *Lipmanni pag.* 315. itemque in dissertatione ad Christoph. Arnoldum de Loco Classico Genes. XLIX. 10. pag. 271. Fasciculo V. Opusculorum, & *Pitiscus* in lexico Antiquitatum Romanarum in voce *Provincia*: Paucis tamen multa complectitur Critognatus ille apud *Cæsarem lib.* VII. de Bello Gallico: *respicite*, inquit, *finitimam Galliam, quæ in Provinciam redacta, jure & legibus commutatis, securibus subjecta, perpetua premitur servitute*. Et profecto Johannes Baptista *initium sceptri a Judæis ablati inde a statu provinciali Judææ* numerat, dum illam *securibus Romanis subjectam* esse his verbis *Matth.* III. 10. indicat: *Jam vero securis arborum radici admota est*. Arbores apud Prophetas, *Esaiam* X. 19. LV. 12. *Ezech.* XXXI. 18. sunt *proceres Reipublicæ*: quemadmodum ParaphrastesChaldæus apud *Josephum Medum* in Clavi Apocalyptica *pag.* 68. pro quercubus Basan *Esaiæ* II. 13. substituit principes provinciarum, pro cedris *Esaiæ* XIV. 8. divites, pro abietibus modo reges *Esaiæ* XIV. 8. modo Principes *Esaiæ* XXXVII. 24. Ecce arbores, id est proceres Reipublicæ hoc in loco Judaicæ: quos & hic Johannes per *arbores* intelligit, cum addit, harum *arborum radici securim admotam esse*, *Romanorum* nempe, qui jam illa ætate *secures fascibus suis insertas*, tanquam *potestatis* atque *imperii* sui *insignia* in Judæa provincia circumferebant, jure & legibus Judæorum commutatis. Vide de hac *verborum Johannis* interpretatione *Johannem d'Espagne* in libro, cui titulus: L'Harmonie des Temps *Part.* II. *pag.* 440. itemque observationes nostras *Tom.* I. der Erorterung der dunckelsten Schriftstellen, des Neuen Testaments *pag.* 529. Et profecto *Judæi* ipsi facile verborum *Johannis* sensum percipere poterant, modo ea quæ in recenti adhuc erant memoria, secum expendere & *de tristi exitu familiæ Asmonæorum* pro eo ac fas erat, cogitare voluissent. Tristia ejus familiæ tempora prædixit *Ezechiel* XXI. 25. 26. uti judicat *Theodorus Akersloorus* in Commentario in Epist. ad Hebræos *pag.* 507. (119) quia regnum & sacerdotium contra quam Deus jusserat, præpostero consilio conjunxerant, Pontificatum insuper affectantes, cum ex genere ἀρχιερέων non fuerint. Plura hanc in rem monuimus *Tom.* II. der Erorterung der dunckelsten Schriftstellen des A. Testaments *pag.* 568. *seq.* audiamus nunc *Jo. Braunium* in disputatione Theologica de cessatione oraculi per Urim & Thummim §. 10. *seq. permisit divina providentia, fateor*, tanta mala: *nam quemadmodum ex tenebris Deus deducere solet lucem, ita everso* sacerdotio

tio, solo ejus schemate relicto, *populum admonere voluit* legis Mosaicæ instare ἀφανισμῶν appropinquante Messia, *tot sæculis per Prophetas patribus promisso*, totius Reipublicæ atque religionis ad portas esse interitum, *adducta æterna justitia*, *unoque die peccatis totius populi expiatis*, *alia lege Deum esse colendum*; mutato enim sacerdotio, *mutari etiam debere legem*, *de quo Paulus Hebr.* VII. 12. In *tristi* autem ejus *familiæ exitu* apparent in primis *secures Romanorum*. Alexander Aristobuli filius, secundum Pompeji literas, Antiochiæ a Scipione *securi* est *percussus*, accusatione pro tribunali prius habita super his, quæ in Romanos admiserat. Alter filiorum Antigonis vinctus ad Antonium deducitur, qui primum quidem triumpho adservandum destinaverat, sed ubi audivit Judæorum gentem ad res novas spectare, & odio Herodis favere Antigono, magis placuit, accedente etiam Herodis sollicitatione, apud Antiochiam, *flagellatum prius & palo alligatum securi subjici*, novo & ignoto adhuc Romanis in Regem exemplo, quod *Dioni Hist. Rom. lib.* 49. & *Plutarcho* in vita Antonii observatum. Confer *Hermannum VVitsium Tom.* II. Miscellaneor. Sacror. Exercit. XI. §. 42. *pag.* 305. *Christ. Noldium* in Historia Idumæa *pag.* 154. Jac. *Usserium* in Annalibus Vet. & Novi Testamenti *pag.* 484. 548. 549. Audivimus Sanctum Johannem *de initio septri ablati*, ecquis majoris fidei testem sibi dari velit? interim tamen præter *Humfredum Prideaux Tom.* VI. sive *lib.* XVII. *pag.* 241. hic nobis quoque suffragantem habebimus *Vitringam*. En ipsa verba *Vitringæ lib.* IV. *cap.* 6. §. 11. *pag.* 959. de *statu provinciali* Judææ hunc in modum disserentis: *tum vere ablatum fuit sceptrum a* Juda: *& hoc ipsum quoque indicaverat Patriarcha dicens*: sceptrum non recedet a Juda *usque quo* veniat Schilo: *quippe quibus innuit*, Sceptrum *quidem superstes futurum in Juda* usque ad adventum Messiæ, *veruntamen* brevi post illud adventum auferendum. *Vide illam vim voculæ* עד usque *stricte & in emphasi sumta* 1. *Cor.* XV. 25.

NOTÆ.

(1) *Epiphanius* omnia miscens, nec Historiæ satis consultus, affirmat Judæam post Actiacam demum victoriam ad Romanos pervenisse & ὑπόφορον fuisse: etenim longe ante pugnam Actiacam Judæa Romanorum in potestatem venit. & tributa persolvit sub Pompejo, uti ex præsenti *Josephi* loco probat *Dionysius Petavius* in Animadversionibus in Epiphanium p. 128.

(2) Cum *Archelao* fuerint *fundi patrimoniales* ac *Emphyteutici*, hic omninos conferendus erat *Ezech. Spanhemius*, qui in Observationibus ad *Juliani* Orat. 1. p. 222. non pauca habet *de istiusmodi fundorum conductoribus*. Ceterum multa paucis complectitur *Jac. Gutherius* de Officiis Domus Augustæ *libro* III. *cap.* 25. *pag.* 582. Tomo III. Thesauri *De Sallengre*: emphyteutici juris prædia *Comes rerum privatarum* locabat, & *fundos rei privatæ* postulantibus addicebat, *salvo Canone*. L. 7. C. de locat. fund. jur. emphyt. Adde *Gutherio*, quæ ex *Brissonii lib.* V. de verb. significat. excerpsit *Jo. Casp. Suicerus* in Thesauro Ecclesiastico in voce Ἐμφύτευσις.

(3) *Hist. Eccles.* libro 1. *cap.* 6. ita de Pompeio: τὸ δὲ πᾶν Ἰουδαίων ἔθνος ἐξ ἐκείνου Ῥωμαίοις ὑπόφορον κατεστήσατο *universam autem Judæorum gentem exinde Romanis tributariam fecit*. Miror hæc verba a *Petito* omitti, qui maluit illa ex Chronicis *Eusebii* substituere: *Judæi Romanorum per Pompeium vectigales facti*.

(4) Vide plura hanc in rem apud *Guil. Budæum* in Commentariis Græcæ Linguæ p. 282. *Justum Lipsium* de Magnitudine Romana *lib.* II. *cap.* 2. *Abrah. Scultetum* exercitationum Evangelicarum libro 1. *cap.* 18. *Salomonem Deylingium P.* I. Observationum Sacrar. *p.* 109. *Augustum Pfeifferum* in Antiquitatibus Selectis Ebraicis *cap.* XIII. *H. Valesium* ad *Eusebii H. E.* III. 20. *Nicolaum Bergierium* de Publicis & Militaribus Imperii Romani Viis *lib.* 1. *sect.* XII. §. 1. & 3. *Jo. Casp. Suicerum* in Thesauro Ecclesiastico in voce φόρος num. 1. *Jul. Cæs. Bulengerum* in libro de Tributis ac Vectigalibus Populi Romani cap. II. *p.* 825. Tom. VIII. Grævii. Inprimis autem hic audire juvat *Henricum Valesium l. c.* φόροι *tributa sunt*, *quæ* ex agris *solvebantur*, *atque in ipsis speciebus fere pendebantur*, *id est in tritico*, *hordeo*, *vino*, *& similibus*, *ut patet* ex Codice Theodosiano. *Vectigalia vero sunt*, *quæ Græce dicuntur* τέλη, *quæ a* Publicanis *conducebantur*, *& exigebantur*, cum tributa a Susceptoribus, vel ab Apparitoribus Præsidum ac Præfectorum exigi solerent. Interim tamen addimus, utramque vocem τέλος & φόρος sæpius confundi. Vetus Glossarium, τέλος ὁ ἐπέτειος τοῖς βασιλεῦσι διδόμενος φόρος, *vectigal est tributum annuum*, *quod regibus penditur*. Glossæ aliæ: *vectigal*, φόρος, τέλος.

(5) Etenim paulo ante hæc præmiserat verba: *vectigalia*, *ut portoria*, *& emphyteumata conducta habebant Publicani*, *non tributa*, *Lege* XII. §. *ult.* D. De publ. & vect. *Lege* eum qui D. De ver. sing. *Hinc diligenter distinguuntur Vectigalia a Tributis apud* Tacitum *Annal.* 13. *& Vectigalia a Publicanis conducta fuisse*, *non autem Tributa*, *omnino colligitur*. *Qua de causa* Cæsar, *dum vult levare Asiam Publicanis apud* Dionem *lib.* XII. *quod redigebatur ex Vectigalibus*, *in Tributi collationem transformabat*. Hactenus Petitus: & profecto *tributum* & *vectigal* distinguuntur ab auctoribus & præcipue Jureconsultis. *Tributa* quidem erant. quæ conferebantur a provincialibus, id est a prædiorum possessoribus pro modo agrorum, quos possidebant & colebant: ac fuere duplicia, capitis & soli. *Vectigal* vero est portorium, & id, quod pro mercibus, quæ exportantur & importantur, solvitur. Vide *Petrum Burmannum* in singulari de Vectigalibus Imperii Romani dissertatione, & *Julium Cæsarem Bulengerum* in libro integro de tributis ac vectigalibus Populi Romani. Neque vero hic omittendi erant *Carolus Sigonius* libro 1. de Antiquo Jure Civium Romanorum cap. 16. *Nicol. Bergierius* loco antea citato. Quamvis autem *tributum* & *vectigal* diversa sint, uti dictum est, ex ipsis tamen antiquis Jurisconsultis *Papinianus* & *Ulpianus tributum pro vectigali* usurpant, uti nos docet *Jac. Gutherius* de Officiis Domus Augustæ *lib.* III. *cap.* 17. *pag.* 545. E. Tomi III. Thesauri *De Sallengre*.

(6) Hæc sunt verba *Ezechielis Spanhemii* de Orbe Romano, seu ad Constitutionem Antonini Imperatoris de qua *Ulpianus Leg.* XII. Digestis de Statu Hominum, Exercitatione II. *cap.* X. *p.* 215. *Franciscus Hottomannus* in notis ad libr. III. Ciceronis in Verrem inter *vectigales* & *stipendiarios* distinguit, hisce verbis usus: *provinciales alii sunt vectigales*, *alii stipendiarii*, *vectigales qui incertum*, *stipendiarii*, *qui*, *certum solvunt*. Cum Hottomanno facit *Paulus Manutius* in notis ad Ciceronis divinat. in Verrem

cap.

cap. III. *ſtipendiarii*, iniquit, *diſtinguuntur a ſociis, non quod ipſi quoque inter ſocios non eſſent, ſed ut arbitror, quia conditione omnium deterrima: fuere enim ſociorum tria genera, immunes, vectigales, ſtipendiarii: id mihi videor ex ipſo* Cicerone *poſſe colligere: nam lib. 4. in Verrem:* majores, *iniquit*, noſtri facile patiebantur hæc eſſe quam plurima apud ſocios, ut imperio noſtro quam ornatiſſimi, florentiſſimique eſſent. *Hoc de ſociis immunibus dici, quis non putet? cum ſequatur*: apud eos autem, quos vectigales aut ſtipendiarios fecerant, tamen hæc relinquebant illi, quibus ea jucunda ſunt, quæ nobis levia videbantur, haberent hæc oblectamenta & ſolatia ſervitutis. *Stipendium gravius quam vectigal: non enim certum & inæquale, ſed arbitrio Populi Romani pendebatur: & in eadem provincia civitates erant aliæ vectigales, aliæ ſtipendiariæ: utriuſque generis apud* Plinium *leguntur multæ*. Idem *Manutius* in Orat. Ciceronis in L. Piſonem c. 36. hæc addit: *& hic & in extrema oratione, & in ea pro Balbo, & in Verrem & alibi ſtipendiarii diſtinguuntur a ſociis. nam ſocii vectigales quidem, ſtipendiarii tamen non ſunt*. At vero *Grevius* in orat in L. Piſonem *Manutium* hiſce refellit verbis: *male* Manutius *diſtinguit inter ſtipendiarios eum iidem ſint tributarii, vectigales, & ſtipendiarii, quod multis doceri poſſet, ſi quis de hac re nunc dubitaret*. Nunc his præmiſſis, ad alia pergimus. *Bulengerus* in libro de Tributis & Vectigalibus P. R. c. II. de diſcrimine provinciarum Romanarum in hanc ſententiam diſſerit: *cum omnes provinciæ populi Romani excepta Italia* vectigales *fuerint, ſtatuendum eſt, alias* ſtipendiarias *fuiſſe, quæ* Populo Rumano *attributæ ſunt, alias* tributarias, *quæ* Cæſari. *Provinciales pauca quædam ex ſuis rebus collecta mittebant ad* populum, *ut hæc in proprios uſus & voluptates impenderet*. Provinciæ *vero* Principis *dictæ ſunt* tributariæ, *quoniam ut ait* Theophilus lib. Inſtit. tit. I. *tributum eſt grave vectigal, quod ſuis provincialibus Imperator indicebat, ut qui multa in milites impenderet*. At vero in partem contrariam nititur *Franciſcus Robortellus* in Diſſertatione de Provinciis Romanorum, & earum diſtributione atque adminiſtratione pag. 3. Tomo III. Theſauri Grævii: *ſtipendiarias*, inquit, *non puto a tributariis differre. Hinc tributarium Gallum* Suetonius *in Auguſto vocat*.

(7) Ita verba *Joſephi* ab *Euſebio* Hiſt. Eccleſ. lib. II. cap. 5. repetita vertit *Henricus Valeſius*, rectius ad verbum vertes, *vectigales*.

(8) In hoc libro multa occurrunt obelis configenda, uti obſervant *Maturinus Veyſſiere Lacroze* in Vindiciis Veterum Scriptorum contra *Harduinum* p. 13. & 35. *Chriſtoph. Cellarius* in diſſertatione, qua *Flavii Joſephi* de Herodibus a νόθείας ſuſpicione contra V. Cl. Jo. *Harduinum* juſtis vindiciis aſſeritur & nummis antiquis conciliatur *Campegius Vitringa* in Hypotypoſi Hiſtoriæ & Chronologiæ Sacræ p. 131. 168. *Henricus Noriſius* in Paræneſi ad V. C. Jo. *Harduinum*, *Jacobus Hottingerus* in Pentade Diſſertationum Biblico-Chronologicarum Diſſertatione III. (vide Deutſche Acta Eruditorum Parte 88. num. 2. pag. 256.) *Jac. Baſnagius* dans l'Hiſtoire des Juifs, *Salomo Deylingius* P. II. Obſervationum Sacrarum p. 251. ſequ. Ceterum Anonymus ille Anglus, qui ſcripſit Traite de l'Incertitude des Sciences, præpoſtero quodam conſilio affirmat incertam eſſe ex nummis Chronologiam, quia *Harduinus* hiſtoricam veritatem ex nummis impugnet. Utinam *Nicolai Toinardi* Hiſtoria Herodiadum ex nummis, quam promiſerat, per ultima fata in lucem prodire potuiſſet, inde enim Anglus cognoſcere poterat, quid diſtent æra lupinis. Fragmentum aliquod ex illa Hiſtoria Herodiadum inſertum videas Tomo I. Bibliothecæ noſtræ Antiquariæ & Exegeticæ pag. 125. ſequ.

(9) Ita enim dans l'Hiſtoire des Juifs libro I. cap. II. §. 3. p. 32. contra *Harduinum* de Pompeio Judææ victore diſſerit: *il ordonna tout, en Conquerant, a qui rien ne pouvoit plus reſiſter. Il fit perdre la tete a ceux qui avoient, ou excite ou conſeille la Guerre*. Il impoſa un Tribut a la Ville de Jeruſalem. *Il reſtituta au Gouverneur de la Coele-Syrie, ou de la Syrie Creuſe, les Villes, que les Juifs avoient priſes. Il rendit la liberte a Samarie & a un grand nombre de Villes maritimes. C'eſt pourquoi je ne ſai comment on veut*, que Pompee n'ait pas ete le Maitre de la Judee; *puis qu'il y agiſſoit en Souverain. Auroit-on ſouffert qu'il eut detache tant de Villes de cette Souverainete, ſi on avoit pu s'y oppoſer? Tout plioit ſous le Vainqueur, & la* Judee, auſſi bien que la Syrie, depuis les Frontieres de l'Egypte, juſques a l'Enphrate, fut confiee a Scaurus, ſous la garde de deux Legions, deſtinees a empecher les Soulevemens. *Il changea le Gouvernement, & traita la Judee comme un Pais de Conquete que les Romains avoient faite*. Confer *Campegium Vitringam* in Hypotypoſi Hiſtoriæ & Chronologiæ Sacræ p. 137.

(10) De *Conventibus Juridicis* Romanorum in oppidis Provinciarum vide *Gerh. Noodt* de Juriſdict. & imp. I. 10 *Gutherium* de Offic. Dom. Aug. I. 43. & *Grævium* Theſauro antiqu. Rom. Tomo I. præfat. 4. & in notis ad Ciceronis lib. II. & lib. V. in Verrem, ut nunc taceam *Nicolaum Abramium* in notis in Orat. Ciceronis pro Ligario, *Baronium* Tomo I. Annalium ad A. C. 57. num. 180. ſequ. An ἡμέρα ἀνθρωπίνη 1 Corinth. IV. 3. iſtiuſmodi *conventuum forenſium* ſeu *ſeſſionum diem* deſignet, non auſim dicere, id ipſum tamen affirmat *Jac. Gutherius* de Officiis Domus Auguſtæ lib. II. cap. 15. p. 454. Tomo III. Theſauri de *Sallengre*. Quicquid ejus rei erit, de illa ſingulari *Gutherii* interpretatione prorſus tacent *Chriſt. Schoettgenius* in Diſſertatione Philologica de Ἀνθρωπίνη ἡμέρᾳ, & J. C. *Vuolfius* in Curis Philologicis & Criticis. Iſtiuſmodi conventus Actorum XIX. 38. his verbis indicantur: ἀγόραιοι ἄγονται. Vide ad illum locum Lucæ egregias obſervationes *Alberti Rubenii* in diſſertatione de Urbibus Neocoris, & *Iſaaci Caſauboni* in Commentario ad *Theophraſti* Characteres pag. 201. Nos unum alterumque locum ex antiquis ſcriptoribus addemus ab illis Duumviris omiſſum. In *Cyrilli*, *Philoxeni* & aliorum veterum autorum Gloſſariis Græco-Latinis a *Carolo Labbæo* collectis: ἀγόραιος *conventus*, ſubintellige, *juridicus*. Publius Servilius Proconſul in literis ad Mileſios apud *Joſephum* Antiquit. XIV. 10. μοι ἐν Τραλλεσιν ἄγοντι τὸν ἀγόραιον *Trallibus mihi conventum agenti*. Quid multa? Operæ pretium fuerit audire Jo. *Fried. Gronovium* libro III. Obſervationum cap. 22. p. 640. forum vel conventum agere Græcis τὰς ἀγοραίους ἄγειν, quæ & ipſa deſignatio temporis eſt: intelligitur enim τὰς ἡμέρας. In Actis Apoſtolorum ſcribendum ἀγόραιοι, προπαροξυτόνως, & τὸ ἡμέραι intelligendum, primus quod ſciam, ex *Suida* monuit *Joachimus Camerarius* & confirmavit *Caſaubonus* ad *Theophraſtum*. Actum agunt, qui τὸ ἀγοραῖοι ex Syro & Arabe, penes quos nihil hic ſani ſenſus, pingere atque ornare conantur. Interpres vetus, *conventus forenſee aguntur*: quem & qui carpſerunt, & qui excuſarunt, vix ſeſe, quid in eo boni eſſet aut ſecus, intelligere oſtenderunt. Nam *conventum agi* pulerum & non modo ad ſenſum recte, ſed illis verbis dictum, ut magis proprie non poſſis: ſed *conventus forenſes aguntur* parum ῥωμαΐζει: non enim *conventum forenſem agi*, ſed *conventum agi* dicebant, per *conventum* nihil aliud intelligentes quam forum. Nec valde idem defenditur, cum χρόνοι vel καιρούς ſubaudiſſe dicitur: non enim χρόνος vel καιρὸν ſubaudire debuit, ſed ἡμέραι. *Strabo* lib. XIII. de Romanis: διατάξαι τὰς διοικήσεις, ἐν αἷς τὰς ἀγοραίους ποιοῦνται καὶ δικαιοδοσίας. Gloſſarium Latino-Græcum: *conventus* ἀγόραιος σύνοδος. ὀχλαγωγία. Et rurſus: *cum res aguntur*, ὅτε ἀγόραιός ἐστιν. Ita legendum: non *agitatur*. Rem ipſam, ut magniſice tranſtulit ad Alexandrum *Trogus Pompeius* lib. XII. *velut conventum terrarum orbis actum*: quod eſt, omnibus populis legem pacis dicturo, jura reddituro, tanquam ſibi ſubjectis. Hactenus *Gronovius*, cui præter Jo. *Pricæum* ad Actor. XIX. 38. *Jac. Gutherium* de Officiis Domus Auguſtæ lib. II. cap. 15. pag. 454. J. G. *Grævium* in notis ad Giceronis libr. V. in Verrem, & *Jo. Caſp. Suicerum* in Theſauro Eccleſiaſtico in voce Ἀγοραῖος & Ἀγόραιος. addatur *Lambertus Bos* in Myſterio Ellipſeos in voce ἡμέρα. Cave autem credas conſimiles *conventus* a *Gabinio* inſtitutos, in quibus *Romani jus dicerent*, id quidem cum *Baronio* Tomo I. Annalium ad A. C. 57. num. 183. credidit ὁ πάνυ *Spanhemius*, aliquid humani paſſus: namque aliud Gabinii conſilium, aliud fuit inſtitutum, ut nempe Judæi haberent ſuos conventus Juridicos, ſive Synedria, ad Principis, & Synedrii Magni autoritatem debilitandam & frangendam. Docebit id nos *Hermannus Conringius* in Præfatione, quam Paradoxis ſuis de Nummis Ebræorum præmiſit. Cum vero *Conringius* hic juſto ſit brevior,

in

in præsenti repetenda erunt, quæ monet *Humfredus Prideaux* dans l'Histoire des Juifs Tomo V. sive libro XV. pag. 276. *Gabinius alla ensuite a Jerusalem; il y retablit Hyrcan dans la Souveraine Sacrificature; mais il fit de grands Changemens an Gouvernement Civil; car il le rendit* Aristocratique de Monarchique *qu'il etoit. Jusques-la le Prince avoit gouverne la Nation par la Ministere de deux especes de Conseils, ou Cours de Justice; l'une de vingt & trois personnes, appellee* le petit Sanedrin; *& l'autre de soixante & douze, qui etoit* le grand Sanedrin. *De la premiere espece il y en avoit un en chaque Ville, pour le grand, il n'y en avoit qu'une pour toute la Nation: & il tenoit ses assemblees dans le Temple, & les y avoit toujours tenues jusques a ce tems-la.* Les petits Sanedrins *prenoient connoissance de toutes les affaires qui regardoient la Justice, pour la Ville & le territoire dans laquelle ils se tenoient.* Le grand presidoit *sur les affaires de la Nation en general,* recevoit les appels des Cours inferieures, *interpretoit les Loix & de tems en tems faisoit de nouveaux reglemens pour les faire mieux executer. Gabinius cassa les uns & les autres; & a leur place introduisit* cinq differentes Cours ou Sanedrins, *dont chacune etoit independante des autres, & Souveraine dans son ressort. Tout le pais fut partage* en cinq Provinces ou departemens, *& chaque Province obligue d'avoir recours pour la Justice a une des Cours qu'il venoit d'etablir; c'est-a-dire a celle qu'il lui avoit assignee & les affaires s'y terminoient sans appel. En effet ce reglement transportoit tout le Gouvernement des mains du Prince entre celles des grands qui entroient dans ces cinq Cours Souveraines; & la Monarchie se trouvoit par la changee en Aristocratie.* Hæc *Prideaux* qui hac in re sequitur *Jac. Usserium* in Annalibus Vet. & Novi Testamenti p. 463. nunc quoque videamus aliorum doctorum de *Josephi* loco judicia. *Jo. Coccejus* in annotationibus ad Titulum Talmudic. Sanhedrin cap. I. §. 5. p. 16. hæc allatis *Josephi* verbis subdit: quæ *Synedria* sive ad *jus reddendum*, sive alio fine instituta sint, *ex Romanis sive indigenis constiterint*, magnam ea res reipublicæ Judaicæ inclinationem tum temporis factam arguit. *Abrah. Scultetus* exercitationum Evangelicarum lib. II. cap. 58. ex *Josephi* loco illustrare conatur verba Christi Matthæi X. 27. *tradent vos in Synedria*, sed quæ ad præsens institutum pertineant, non addit. Omnium autem gravissime errat *Dionysius Petavius*, quando lib. II. de Doctrina temporum cap. 27. pag. 156. a *Gabinio* demum *Synedrii Magni Judæorum* arcessit *originem*, recte notatus ab *Erico Frondin* in Differtat. Historico-Ecclesiastica cap. II. §. 3.

(11) Observationum Sacrarum libro IV. cap. 5. de sceptro Judæ superstite, nato Christo. §. 30. p. 951.

(12) Inde legati Regis Antiochi in congressu cum Romanis apud *Livium* libro XXXV. cap. 16. *specioso titulo uti vos, Romani, Græcarum civitatum liberandarum video, sed facta vestra orationi non conveniunt.* Vide plura hanc in rem apud *Spanhemium* exercitat. II. cap. X. p. 219. Vere itaque judicat *Jac. Benignus Bossuetus* his verbis usus, cum de *Romanis* mentio facta esset: leurs *injustices* etoient d'autant *plus dangereuses*, qu'ils scavoient mieux les *couvrir du pretexte specieux de l'equite*, & qu'ils mettoient *sous le joug insensiblement* les Rois & les Nations, *sous couleur de les proteger & de les defendre*. Vide *Bossueti* Discours sur l'Histoire Universelle pour expliquer la suite de la Religion & les changemens des Empires p. 427. *Bossueto* autem adde inprimis *Justum Lipsium* de Magnitudine Romana lib. IV. c. 3. pag. 818. Tomo III. Operum.

(13) Romani humaniore vocabulo sæpe socios sive συμμάχους appellabant eos, qui non erant homines liberi & sui juris, sed in servitutem & provinciam redacti, atque ideo Tributarii. Vide *Jac. Perizonium* in notis ad *Æliani* lib. II. cap. 10. p. 75. & *Manutium* de Civit. Rom. Tomo I. thesauri *Grævii* p. 20. D. p. 22. C. Nec omittenda sunt verba illa *Grævii* in notis ad Orat. Ciceronis in L. Pisonem: *amici sunt, qui suis legibus utuntur, & tantum fœdere nobis sunt juncti, ut multi erant amici reges, populi, urbes: sed* socii *honestiore vocabulo dicebantur etiam ipsi provin*ciales homines *ad servitutem*, *quam iis imposuerant Romani, molli vocabulo leniendam*. Confer eundem *Grævium* in notis ad Orat. Ciceronis pro Ligario.

(14) Gentes vel civitates ἐλεύθεραι & αὐτόνομοι, quibus jus suarum legum datum erat, non ideo statim erant ἀτελεῖς φόρων aut ἀφορολόγητοι *immunes a tributis*. Discrimen igitur inter *liberas* seu αὐτονόμους & ἀφορολογήτους sive *immunes a tributis* tangit *Polybius* exc. Legat. XXXVI. quemadmodum etiam *Plinius* Senior lib. III. cap. V. 3. suo ævo discrimen observat inter *liberas* vel *fœderatas* urbes, ac *immunes a tributis*. Vide *Spanhemium* exercitatione II. c. X. pag. 215. & cap. XIX. p. 325. ubi hæc verba apprime notatu digna leges: *præcipui cujusdam beneficii loco habita olim* hæc immunitas: *adeo ut vel* sociis *ac* fœderatis *aut subjectis alioquin gentibus vel civitatibus*, libertas *potius &* αὐτονομία *seu sui juris suarumque legum arbitrium, quam ejusmodi* ἀτέλεια *concederetur. Ita olim e sociis Atheniensium urbibus quasdam fuisse* αὐτονόμους, *sed non* αὐτοτελεῖς suis legibus utentes, *non autem* a tributis immunes *docebit Thucydides. Eadem ratione etiam* a Romanis *cum* sociis *aut redactis in eorum ditionem populis vel civitatibus actum est. Ut* Judæos *nunc mittam, quibus* αὐτονομία *quidem seu patriis institutis utendi libertas a Romanis, ut e Philone, Iosepho ac aliunde constat, est relicta, non vero* immunitas tributorum φόρων ἄφεσις.

(15) Verba hæc sunt *Proculi* J. C. in libris juris Romanorum civilis Leg. VIII. D. de Captiv. quæ illustrat *Spanhemius* Exercitatione II. p. 209. dum addit, *unum idemque esse populi Romani Majestatem comiter conservare, eumque superiorem agnoscere*. Cujus rei sive conservandæ a fœderatis Regibus vel nationibus populi Romani majestatis eam rationem ab iisdem Romanis habitam, ut etiam majestatis tenerentur secundum *Scævolam* J. C. Leg. IV. D. Ad Leg. Jul. Maj. quorum dolo malo factum erat, ut Rex externæ nationis Populo Romano minus obtemperaret. Quamvis autem *Grotius* in illo *Proculi* loco interpretando versetur libro I. de Jure Belli & Pacis cap. III. §. 21. *Joannes* tamen *Barbeyrac* in animadversionibus in versionem Gallicam librorum *Grotii* a se procuratam observat, *Grotium* operam ludere, cui præferendus sit *Spanhemius* optimus hoc in loco *Proculi* interpres. Ceterum de dictione illa: *Majestatem Populi Romani comiter observare sive conservare*, vide *Nicolaum Abramium* in notis ad Orationem Ciceronis pro L. Cornelio Balbo, & *Carolum Sigonium* de Antiquo Jure Italiæ libro I. cap. I. oag. 1396. Tomo II. Thesauri Grævii. Fuit autem tempus, cum data occasione de illa dictione aliquanto accuratius disquirerent viri docti. Vide *Nicolaum Rigaltium* in Epistola ad Petrum & Jacobum Pateanos de populis fundis, de statu, sive conditione populorum, qui fundi facti esse dicebantur lege Julia de civitate Romana, *Ismaelem Bullialdum* in Epistola de eodem argumento. Conferatur *Burcardus Gotthelff Struvius* in Historia Juris Romani cap. I. §. 38. pag. 137. Scripsit quidem *Jo. Mitzel* singularem dissertationem de Populis Fundis, itemque *Ernst. Wilh. Bielfeldt* disseruit de Fœdere inæquali, de comiter conservanda alterius majestate occasione L. VII. Dig. de capt. & postl. sed dissertationes illas me legere, non memini.

(16) In libro, cui titulus: Discours sur l'Histoire Universelle pour expliquer la suite de la Religion & les changemens des Empires pag. 220. nonnulla habet *Bossuetus*, quæ huc referas. Primum observat Pompejum lites inter fratres Hasmonæos diremisse, cum Aristobulo catenis vincto, Hyrcanum ea lege regnare permisisset, ut in fide & clientela Romanorum permaneret. Deinde addit, eodem propemodum tempore, Antiocho ultimo Syriæ Rege a Pompejo victo, Syriam factam esse provinciam Romanam. Denique inde conjicit *vaticinium* illud Zachariæ XI. 8. de *tribus pastoribus uno mense exscindendis* per Pompejum impletum esse. Ecce autem ipsa *Bossueti* verba: *Pompee*, que les *deux freres* appellerent pour les regler, les *assujetit tous deux*, en meme tems qu'il *depossedos Antiochus* surnomme l'Asiatique dernier Roy de Syre. *Ces trois Princes, degradez ensemble* & comme par un seul coup, furent le signal de la decadence marquee en termes precis *par le Prophete Zacharie*. Il est certain par l'Histoire, que *ce changement des affaires de la Syrie & de la Judee* fut fait en meme tems par Pompee, lorsqu'apres avoit acheve la guerre de Mithridate, pret a retourner a Rome, il regla les affaires d'Orient.

Le

Le Prophete n' a remarque que ce qui faisoit a la ruines des Juifs, qui de *deux freres* qu' ils avoient veu *Reis*, en virent l' un prisonnier servir au triomphe de Pompee, & l' autre (c' est le foible Hyrcan) a qui le meme Pompee, ota avec le Diademe une grande partie de son Domaine, ne retenir plus qu' un vain titre d' autorite qu' il perdit bien tot. Ce fut alors que les Juifs furent faits tributaires des Romains; & la ruine de la Syrie attira la leur, parce que ce grand Royaume reduit en Province dans leur voisinage, y augmenta tellement la puissance des Romains, qu' il n'y avoit plus de salut qu' a leur obeir. *Les Gouverneus de Syrie firent de continuelles entreprises sur la Judee*, les Romains s' y rendirent maitres absolus, & en affoiblirent le gouvernement en beaucoup de choses. Hactenus *Bossuetus*, qui bene ostendit, *quomodo Præsides Syriæ se rebus Judææ nondum provinciæ Romanæ immiscere potuerint*, idem tamen *vaticinium Zachariæ* perperam illuc trahit. Quemadmodum enim *tres illi pastores*, quos nominat Zacharias, aliquanto accuratius apud *Malachiam* II. 12. designantur, ita utriusque divini scriptoris vaticinia ad *excidium ultimum Hierosolymorum* multo rectius accommodantur. Confer Tomum nostrum I. der Erorterung der dunckelsten Schriftstellen im Alten Testament p. 374. sq

(17) M. V. *Lacroze* Vir Celeberrimus dans les entretiens sur divers sujets d' Histoire de Littetature, de Religion & de Critique p. 108. mavult ibi legere apud *Ciceronem*, *quod servit*, aut *quod serva est*, Ita etiam hunc vertit locum: *cette nation a fait connoitre quel cas faisoient d' elle les Dieux immortels. en ce que nous la voions vaincue, donne a ferme, & reduite en esclavage*. Sed & *Jacobus Gronovius* in sua Operum Ciceronis editione hæc addit: forte *serva* cum Patre (*J. F. Gronovium* innuit,) scribendum.

(18) Vide *Vitringam* Observationum Sacrarum libro IV. cap. 5. §. 38. pag. 950. & *Basnagium* dans l' Histoires des Juifs libro I. cap. 5. §. 3. p. 125. cujus verba hic repetam: *il est si vrai que le* Privilege d' Hircan *etoit* personnel, *que Cesar ordonna aux Habitans de Jerusalem* de paier le Tribut annuel, *& de le porter tous les deux ans a Sidon, parce qu' il n' y avoit poin d' Intendant dans la Judee. Il en exceptoit seulement les Annees Sabbatiques*.

(19) Romani Imperatores *Regibus amicis* atque ὑπηκόοις non dedere aditum, nisi *positis diadematibus*. Prætei hoc *Herodis* exemplum, aliud est in *Tiridate* Parthorum Rege apud *Tacitum* Annal. lib. XV. cap. 29. *progressus ille ad sedem, quæ effigiem Neronis sustinebat. cæsis ex more victimis*, sublatum capite diadema *imagini subjecit*. Confer *Campegium Vitringam* in Α'νακρίσει Apocalypsios ad cap. IV. 10. p. 255.

(20) Hanc questionem magni momenti etiam disceptavit *Nathaniel Lardner* in libro, quem inscripsit: the Credibility of the Gospel History, uti videre licet excerptis, quæ nobis dedit *Jo. Blericus* dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne Tomo XXVIII. p. 93. Certe mirum non est sub Herode tali Rege, qui in clientela Cæsaris erat, ἀπογραφὴν in Judæa quoque actam fuisse. Confer *Spanhemium* Dub. Evang. Part. II. Dub. VII *Huetium* demonstrat. Evang. Propos. IX. cap. X. §. 3. *Ludovic. Wolzogenium* in Commentario in Lucam p. 555. A. 556. & Witsium Tomo II. Miscellaneorum Sacrorum Exercit XI. §. 43. p. 306. Gravissime autem errat *Heuricus Valesius*, quando in notis ad *Eusebii* Hist. Eccles. lib. I. *cap.* 5. *p.* II. hæc verba sibi excidere patitur: *prior illa descriptio* (Lucæ II.. I.) *quomodo fieri potuit a Magistratu Romano, regnante Herode? cum* Herodes *optimo jure Rex esset Judææ a Senatu appellatus, nec jue esset magistratui Romano quicquam in Judæa pro imperio agere, quamdiu Rex* Herodes *vixit*. Et paulo inferius: *in textu pro Qurinio Saturninum restituimus, ejusque tempore descriptionem non a Magistratu Romano, sed ab ipso* Herode *factam esse dicimus*.

(21) Innuo *Noldii* Historiam Idumæam, seu de vita & gestis Herodum Diatriben, in qua nullum prorsus verbum occurrit de hac quæstione.

(22) In libro, cui titulus: Les Moeurs des Israelites c. 31. p. 165. hæc paucula habet de Herode locutus: on ne peut pas dire que les Juifs fussent libres de son tems. Il ne l' estoit pas luy-mesme, & dependoit entierement des Empereurs Romains.

(23) Ex illa dissertatione luculenta admodum excerpta videas apud *Jo Clericum* dans la Bibliotheque Universelle & Historique Tomo XVIII. pag. 281. Sic autem inquit *Clericus* in excerptis ex *Perizonio*. Il montre que le denombrement qu' Auguste fit faire en Judee n' otoit point pour regler *un Tribut* que ce pais lui paiat, *parce qu' il n' etoit pas tributaire, pendant qu' il etoit sous un Roi ami*. Ce n' etoit que pour savoir le nombres des hommes, qui etoient dans la Judee. Que sin l' on demande pourquoi donc Auguste faisoit faire *ce denombrement*? M. *Perizonius* repond, que ce n' etoit que pour savoit *le nombre des habitans de la Joder*, afin de juger combien d' hommes on pourroit demander a Herode, dans un besoin. *Les Rois alliez des Romains, tout exempts qu' ils etoient des Tributs*, n' etoient pas exempts de fournir des Troupes, quand on lenr en demandoit. C' est pour cela qu' Auguste fit faire un denombrement exact, non seulement *des Provinces tributaires* del' Empire, mais encore *de tous les Roiaumes*, de qui il pouvoit tirer du secours. C' est que S. Luc. exprime par les mots de *tout la terre* en non simplement la Judee, comme l' ont cru quelques uns, que notre Auteur refute au long.

(24) Placet subjungere verba *Basnagii* libro I. cap. 5. §. 4. p. 126. *Auguste pouvoit aussi appeller Herode son Ami, & le menacer de le traiter en Sujet, s' il ne lui obeissoit pas; car Herode etoit tellement dans la Dependance, qu' on pouvoit lui oter la Couronne & le remettre dans la Bassesse d' ou on l' avois tire, s' il ne conservoit l' Amitie de l' Empereur. Ces Paroles d' Auguste prouvent donc incontestablement, qu' Herode n' etoit qu' un Roi de Græce, & toujours dans la Dependance de son Scuverain*. Confer omnino *Ezech. Spanhemium* Exercit. II. de Orbe Romano cap. X. p. 205.

(25) Verba *Basnagii* hæc sunt libro I. cap. §. 4. p. 126. *la Maxime de* Marc Antonie, *qui vouloit, qu' on donnat le Pouvoir des Rois a ceux qui en portoient le Titre, ne prouve rien. Cur, outre que les Princes dimentent tres souvent leurs Maximes, par une Pratique contraire, elle est si vague, & si generale, qu' on pourroit en conclurre egalement, qu' il n' y avoit aucum Roi Tributaire de l' Empire Romain; quoique cela soit evidemment faux & que les Historiens n' aient excepte de cette Loi qu' un tres petit nombre des Rois*.

(26) Confer judicium *Basnagii* lib. I. cap. 5. §. 10. p. 137. de temeritate atque audacia *Petiti* ad arbitrium suum *Appiani* verba refingentis aut ut rectius dicam, corrumpentis. Adde consimile de *Petito* verborum *Appiani* interpolatore judicium *Petri de Marca* de Concordia Sacerdotii & Imperii *lib.* II. *cap.* 5. §. 5.

(27) *Bell. Civ. lib.* V. *pag.* 674. Hæc eadem verba *Appiani*, quippe magni momenti futura, repetit *Usserius* in Annalibus Vet. & Novi Testamenti pag. 536.

(28) Leg. I. C. Th, de Collat. Donat. & L. V. C. Just. de Colon. Thrac.

(29) Ad. *Leg. Unic. C.* de *Capitat. A.* Censu &c.

(30) *Com.* Ad *Leg.* II. *C. Th.* de *Censu*.

(31) *Leg.* I. *C. Th. de Annon.* & *L.* VI. *C. Just. Eodem*.

(32) *Leg.* VIII. *C. Th.* de Censu & *L.* I. *C. Just. de immun. N. Conced.*

(33) *Leg.* I. *C. Th. de Annon. & Tribut.*

(34) Dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne Tomo XXVIII. p. 94. ubi hæc ejusdem leguntur verba: *mais suppose, que cette correction soit bien fondee, quoique contraire aux MSS. & aux Editions* de Joseph; *on peut bien, ce me semble, demander, comment on sait, quæ ce tribut la, ne fut pas une imposition d' Archelaus, ou de son Pere, sans que les Romains y eussent aucune part. Si cela etoit vrai, comme il le pourroit etre; on diroit que le Tribut, dont il s' agit, etoit une institution d'* Herode, *qui ne pouvoit pas soutenir les grandes depenses, qu' il faisoit, si ses Sujets ne lui eussent paye d' assez grands revenus. Or rien n' empeche que l' on ne dise qu'* Auguste *fit oter aux Juifs le quart des droits qu' ils avoient paye a Herode. Si l' on nous eut garde la* vie d' Herodes, par Nicolas de Damas, *qui etoit en une si grande faveur aupres de lui, nous y trouverions apparement la solution de biens des difficultez*.

Ce-

Ceterum quando *Clericus* meminit *Nicolai Damaſceni*, conſulere & conferre fas fuerit *Franciſci Sevini* Recherches ſur l' Hiſtoire de la vie & des Onvrages de Nicolas de Damas p. 486. Tomo VI. des Memoires de Litterature tirez des Regiſtres del' Academie Royale des inſcriptions & belles Lettres.

(35) Hæc ejus eſt ſententia dans l' Hiſtoire des Juifs libro VII. *cap.* XI. §. 5. *pag.* 299, Cum docti homines in Judæa nullum Procuratorem Romanum, nullos tributorum exactores, nullos vectigalium conductores ex eadem gente ante Archelai exſilium commemorari intellexiſſent, iidem inde collegerunt, Herodem a tributis immunem fuiſſe: at quam infirmum hoc ſit argumentum, nemo non videt. Species quædam libertatis relinquenda erat Judæis, qui Romanos exactores exoſi, facilius tributa pendebant Regis ſui Herodis miniſtris ſive exactoribus.

(36) Dans l' Hiſtoire des Juifs Tomo VI. ſive libro XVII. p. 225. ita diſſerit: *a legard des taxes, les choſes alloient toujours leur train ordinaire; les Provinces les payoient aux Romains: & les Etats dependans a leurs Princes, & ce, que les Romains en tiroient etoit un Tribut, qui leur etoit paye par le Prince & non pas immediatement par le Peuple: car le Peuple payoit les taxes a ſon Prince: & ſon Prince le Tribut aux Romaini.*

(37) *Etſi Judaa*, inquit *Sculteтus exercitat. Evangelicar. libro* I. *cap.* 48. *provincia non eſſet, tamen quia Herodes beneficio Antonii & Auguſti regiam ejus gubernationem obtinuerat, ideo Auguſto ut Domino ſuo cogebatur permittere cenſus indictionem in Judæa. Tum igitur in Tabulas ſubditarum nomina relata ſunt.* Adde *Ludov. Wolzogenium* in Commentario in Lucam *p.* 580.

(38) Quando *Joannes Clericus* dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne Tomo XXVIII *p*, 89. ex *Lardnero* obſervationes quaſdam affert, quæ ad *cenſum ab Auguſto actum* pertinent, addit: *ceux qui ne ſavent riens des uſages des Romains, avec leurs Voiſins, ne ſont pas en etat de rendre raiſon de pluſieurs choſes, que l' on voit dans le Nouvcatu Teſtament, comme noſtre Auteur* (*Lardnerum deſignat*) *le fait bien voir. Les Predicateurs ſur tout, qui prèchent tous les ans ſur ces matieres, devroient s' inſtruire de ces ſortes de choſes, pour ne pas tomber en quelque faute: lorſqu' ils ſont obligez de parler de matieres, qui leur ſont tout a fait inconnues.*

(39) *Joannes Bodinus* ſpectatæ impietatis homo a *Judæorum* partibus contra fidem atque autoritatem Chriſtianæ religionis ſtare ſuſtinuit. *Hugo Grotius* inter Epiſtolas ad Gallos Epiſtola 166. ad *Jo. Cordeſium* ſcribit: *Bodinum* Ebraicorum morum & ſententiarum ſatis gnarum eſſe, non ex interiore linguæ illius cognitione, ſed ex amicitia, quam coluit cum doctiſſimis Ebræorum, quæ in illo πληροφορίαν eam, quæ in Chriſtianis requiritur, non parum labefactarit. Alia aliorum de *Bodini Judaiſmo* judicia, nempe *Jo. Gilloti*, *Jo. Capellani*, *Herm. Conringii*, vide apud *Henr. Scharbau* in Judaiſmo detecto *J. C. Wolfium* Bibliothecæ Hebrææ *P.* IV. *pag.* 523. *ſequ. p.* 38. & *Woldebrandum Vogtium* in diſſertatione de Joanne Bodino Judaiſmi poſtulato quæ legitur in Apparatu literario Societatis Colligentium, collectione prima ſpecimine IV. *p.* 67. *Paulum Colomeſium* in Gallia Orientali & *Jo. Diecmannum* in Schediaſmate inaugurali de Naturaliſmo cum aliorum, tum maxime *Jo. Bodini* ex opere ejus *Mſc.* ἀνεκδότῳ de abditis rerum ſublimium arcanis: ex quo Schediaſmate *Diecmanni* nobis excerpta dedit *Petrus Bælius* dans le Nouvelles de la Republique des Lettres A. 1684. menſe Junio, artic. III. *p.* 65. Tomo I. Oenvres diverſes. Quid multis opus eſt ſuffragiis? *Colloquium* ejus *Heptaplomeres de abditis rerum ſublimium arcanis* ſatis hominem prodit. *Chriſt. Thomaſius* Tomo I. ſeiner Juriſtiſchen Handel hanc quæſtionem proponit: ob dieſes Werck *Bodini* ein furchterlich Buch ſey? *Trus Frieder. Arpius* in Feriis æſtivalibus promittit, ſe ex variis doctorum hominum in illum *Bodini* librum obſervationibus quas collegerit, accuratiſſimam de fide & religione *Bodini* editurum notitiam. Vide Deutſche Acta Eruditorum Parte CXXIII. num. 2. *pag.* 189. *P. D. Huetius* quam diligentiſſime illud opus *Bodini* excuſſit, uti ex pluribus *Huetii* locis intelligere licet. In Demonſtrat. Evang. Propoſ. III. §. 9. vocat peſtilentem Dialogum, in quo *Bodinus* *Judaicum* omne ſuum *virus* evomuit, *Propoſ.* IX. *cap.* 25. §. 1. Dialogi autorem *Bodinum* appellat *Judæorum gregalem*. Confer *Huetium Propoſit.* VII. §. 16. *Propoſit.* IX. *cap.* 9. §. 4. 7. Nemo igitur mirabitur, quando *Bodinus* libro V. de abditis rerum ſublimium arcanis tanquam infenſiſſimus religionis Chriſtianæ hoſtis pluribus argumentis probare voluit, *cenſum ab Auguſto indictum & a Cyrenio actum*, cum hiſtoria Jeſu haudquaquam congruere. Et ſane hæc impietas *Bodini* ita commovit *Huetium*, ut in Demonſtratione Evangelica *Propoſit.* IX. *cap.* X. §. 2. ſequ. Bodini argumenta ad veritatis laucem exigeret,

(40) *Martinus Helvicus* in Sceptro Judæ, ſeu Brevi Explicatione ac vindicatione Vaticinii Jacobæi Gen. XLIX. 10. affert *nummum Auguſti*, cui incuſa fuit hæc inſcriptio ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ *Cæſar Auguſtus* ex una, & ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΥΙΑΣ *Captæ Judeæ* ex altera parte. Addit deinde *Helvicus*: *ex moneta illa quotidie admonebantur Judæi ſe eſſe ſub aliorum juriſdictione.* Unde hunc Auguſti nummum *Helvicus* acceperit, me neſcire fateor: ejuſdem tamen nummi meminit *Adolphus Occo* in Imperatorum Romanorum Numiſmatibus *p.* 52. Hæc ex noſtris *Helvicus*; ejuſdem nummi apud *Occonem* ut genuini prorſus meminit *Henr. Hammondus* in notis ad Matthæi XXII. 20.

(41) Arrident nobis verba *Jo. Seldeni* de Jure Naturæ & Gentium libro VI. *cap.* 17. *pag.* 801. *Auguſti quale deſcribit Occo numiſma nullibi hactenus mihi viſum, nec apud alios, qui ectypa chartis diligentius, exibent, repertum. Veſpaſiani autem complura vidi, quæ & paſſim occuerunt.* Que ſit ita ſunt: amplian dum cenſeo.

(42) Verbis utor *Pitiſci* in lexico Antiquitatum Romanarum in voce *Cenſus*.

(43) In Anti-Baronio, ſive animadverſionibus in annales *Baronii* apud J. B. *Ottium* in Centura Locorum Novi Teſtamenti cum *Fl. Joſepho* collatorum.

(44) In apparatu ad Annales Eccleſiaſticos num. 81. allatis Lucæ verbis: *ibant omnes ut profiterentur ſinguli in civitatem ſuam*, hæc ſubjungit ex mente ipſius notanda: *nec aliud erat ipſa* profeſſio, *quam* cenſus ſolutio, *ut docet Juriſconſultus* l. 1. & *ſeq. ff. de cenſibus*. Cum *Baronio* facit *Joannes Lightfootus* in Harmonia IV. Evangeliſtarum *pags* 285. & 288. Tomi I. Operum certe de voce ἀπογράφεσθαι confuſe loquitur.

(45) In Rationario Temporum P. II. *lib.* 4. *cap.* 2. *p.* 200. ait in *priori deſcriptione* Quirini *tributi* nihil aut *capitationis* exactum puto. Non enim id in Herodis regno, rege adhuc ſuperſtite Auguſtus uſurpavit. Neque vero ἀπογράφεσθαι aliud eſt quam *cenſeri*, ac *nomen profiteri*, quod *circa penſitationem* poteſt fieri. Confer *Petavii* animadverſiones in *Epiphanium pag.* 129.

(46) In notis ad *Æliani libr.* IV. *cap.* 25. *pag.* 358. ita diſſerit: *licet* ἀπογραφὴ & ἀπογράφεσθαι *etiam* cenſum bonorum ἀποτίμησιν οὐσιῶν *recte notet, & ſua ſignificatione aliquando complectatur, potiſſimum tamen, ſeu certe generatim denotat qualemcunque relationem in tabulas & plerumque ipſorum tantum hominum: hinc ſæpe etiam* ὄνομα *additur.*

(47) Pater I. Obſervationum Sacrarum *p.* 124. fidem quoque facit ex Epiſt. ad Ebræos XII. 23. ubi electi dicuntur ἀπογεγραμμένοι ἐν τοῖς οὐρανοῖς in *tabulas cenſuales* relati, peridonea a *breviario Romanorum* tralatione facta: niſi quis malit reſpici ad *Ephemerides* ſive *matriculas* prudentiſſimorum *Regum* apud veteres, qui, ut ait *Grotius* in notis ad Danielis XII. 2. ſolebant habere matriculas virorum optime meritorum, quos deinde ad honores proveherent. Confer librum Eſther VI. 2. & quæ de iſtiuſmodi *Ephemeridibus & Diariis Principum* apud Veteres obſervarunt *Humfredus Hody* in Diſſertatione contra Hiſtoriam *Ariſteæ* de LXX. Interpretibus c. II. *pag.* 38. *Cornelius Adami* in Obſervationibus Theologico-Philologicis *p.* 47. *Barnabas Briſſonius lib.* I. de Regno Perſarum §. 229. *p.* 303. *Jo. Chriſtoph. Wolfius* Bibliothecæ Hebraicæ *P.* II. *pag.* 244. & *Carolus Rollinus* dans l' Hiſtoire Ancienne Tomo II. libro IV. de Regno Perſarum & Medorum *cap.* IV. artic. I. §. 2. *p.* 280.

(48) In lexico Antiquitatum Romanarum de Cenſu Auguſti diſſerens addit: *cenſum intelligimus non* annuum *eſſe* proventum, *ut falſo nonnulli exiſtimarunt,*

runt, *sed rerum ac bonorum alicujus existimationem*, *secundum quam tributa pendebantur*. Miror a *Pitisco* *Sigonium* omitti, qui libro v. *cap.* xi. de Republica Ebræorum cum *Baronio* graviter errat. *Cæsar Augustus*, inquit *Sigonius*, *sublatis vectigalibus tributa ordinaria in caput & agros indixit*, *atque ab id totum censeri orbem Romanum instituit*, *ita ut Judæam etiam quam Herodi Regi a se appellato subjecerat*, *censeri*, *ac tributum in caput pendere jusserit*. Confer *Sigonium* de *Jur. antiq. Ital. lib.* 1. *cap.* 21. quem locum laudar *Baronius* in Apparatu *num.* 94. un nunc manifestum, sit, unde *Baronius* errorem, suum hauserit.

(49) Hæc ejus verba sunt in Demonstratione Evangelica *Poposit.* ix. *cap.* x. §. 3. *census agebantur non ad* excigenda *solum* tributa *sed ad* cognoscendas *etiam singulorum* facultates, ætates, familias, artes, & officia. *Intererat autem Romanorum perspectas habere vires Judææ terræ*, *cujus supremum dominium ad se pertinebat*: *& ex qua stipendia* Pompejus *aliique Romanorum magistratus*, *jam ante perceperant*. *Venerunt ergo in censum Judæi*, *sed pro sua conditione*: *alius enim fuit eorum* census, *qui* jure Quiritium, *alius eorum*, *qui* jure Latii, *vel qui* jure Italico, *vel qui* jure Provinciarum, *vel qui* jure beneficiario censebantur. *Nec regno solum &* provinciarum, *sed &* urbium *etiam diversa erant jura*. *Patet id ex Digistorum titulo De censibus*. *Suo ergo jure ad censum venit Judæa*, *cum ab Augusto census est institutus*, *nempe citra indictionem tributi*.

(50) Nullum est dubium, quin illud *rationarium* & *breviarium imperii* ab *Augusto* confectum *intercciderit*: quod enim Augusti nomine imposito apud Græcos circumfertur, fictitium prorsus est. Vide plura hanc in rem apud *Jo. Alb. Fabricium* Bibliothecæ Latinæ *Vol.* 1. *lib.* iv. *cap.* 5. *p.* 748. Ceterum quid sit apud veteres Scriptores *Breviarium Imperii Romani*, exponit *Jac. Gutherius lib.* 1. de Officiis Domus Augustæ Publicæ & Privatæ, *cap.* 11. *pag.* 296. Tomo iii. Thesauri novi *De Sallengre*.

(51) Neque tamen sibi satis constat *Capellus*, quod ex hisce ejus verbis apparet: *si parenthesis est Lucæ*, *forte errore librarii irrepsit* Κυρηνίυ *pro* Κυντιλίυ *aut vero etiam pro* K. O'υαρυ *hoc est* Quint. Vari. *Nam certum est ex Josepho non Cyrenium sed Quintilium Varum fuisse Syriæ Præsidem ante & post Herodis mortem* (*quo tempore natus est Dn. N. Jesus Christus*) *ipso enim Præside & judice damnatus est Antipater Herodis filius accusante patre*: *& post Herodis obitum*, *dum Archelaus Romæ adhuc hærebat*, *a Q. Varo repressi sunt in Judæa Pseudochristi*, *qui tyrannidem affectabant*.

(52) Loco paulo ante citato. *Huetium* tamen pluribus argumentis confutavit *Salomo Deylingius* P. I. Observat. Sacrar. p. 127. Et profecto mirum est *Huetium* hic insignem agere prævaricatorem. Dixerat paulo superius *Huetius*, *censum Augusti*, de quo invita cœlesti veritate differit *Bodinus*, *nodum esse vindice dignum*, *in quo suam industriam ipse experiatur*, idem *Huetius Bodino Semijudæo* in hoc argumento modo manifestam inscitiam, modo summam imperitiam ac supinitatem, modo non minorem tarditatem & stuporem objicit, sed videat nunc ipse *Huetius*, quid æquis Censoribus respondeat. An vivus adhuc videnfque clam *Pyrrhonismo* proludere voluit, quem palam tuetur in opere posthumo, cui titulus: Traite Philosophique de la foiblesse, de l'Esprit Humain. Plura hanc in rem Deo volente & propitio dicam in Antiquitatibus profanis & sacris Daphnes Antiochenæ P. II. cap. IV. §. 1. Quicquid erit: *Ghateletus* autor libelli: la Politique du Clerge de France P. I. p. 58. de demonstratione Evangelica *Huetii* scribere non veretur, *confirmari potius ex ejus lectione Atheos in sua impietate*, *quam emendari*. Illud quidem judicium *Chateletii* de *Huetii* demonstratione Evangelica improbandum videtur Jo. *Franc. Budeo* in Isagoge Historico-Theologica ad Theologiam Universam p.432. sed vel præsens audacia *Huetii* textum Sacrum pro suo lubitu refingentis fidem faciet, *Chateletium* a veritate non aberrasse.

(53) At si *Valesius* hunc Lucæ textum ex Patrum scriptis dijudicandum existimavit, cogitare debuit *Justinum* M. antiquiorem *Tertulliano* tum in Dialogo cum Tryphone tum in Apologia ad Antoninum eo tempore Christum Bethlehemi natum affirmare, quo Cyrenius seu Quirinius censum in Judæa egit. Confer *Thomam Ittigium* in Selectis Capitib. H. E. sæculi I. p. 336. & Jo. *Clericum* dans la Bibliotheque Choisie Tomo IV. p. 71.

(54) Dans les dissertations sur plusieurs Medailles & pierres gravees de son Cabinet & autres Monumens d'antiquite Epist. VII. ex nummo quodam Raphaneotarum de Cyrino disserit eodem modo, quo *Harduinum* nugari mox videbimus. Conferatur Journal des Scavans Tomo XLIX. An. 1711. p. 561.

(55) In Chronol. Vet. Testamenti Operum Selectorum p. 618. *Cyrinum* tantum, ut est in editione Vulgata scribi oportere contendit, cum male scriptum sit in Græco & apud *Josephum* Κυρηνίυ Cyrenio & in Mscto Alexandrino Κηρυνίυ Cerynio. Quam conjecturam probaturus nummum affert A. *Aureliæ Faustinæ*, eximium ut vocat, & singularem ex ære magno, qui in Cimelio *Stephani Chamillarti* adservatur, in quo legitur:

ΕΠΙ ΣΤΡΑ. ΚΥΡΙΝΟΥ
ΡΑΦΑΝΕΩΤΩΝ

hoc est ἐπὶ ϛρατηγȣ̃ Κυρίνȣ *sub Prætore Cyrino*. *Nummus Raphantotarum*, quæ civitas est in Decapolitana regione, teste *Plinio*. Ex hac inscriptione præterea tria colligit, primo *Cyrinum* nomen Græcum esse hominis Græci, qui esset in Græca civitate Prætor. Esse enim ut Cyrus ex Græco Κύρος ita Cyrinus ex Græco Κύρινος. Dein illum *Syriæ Præsidem*, cujus *Lucas* meminit in Evangelio, hominem Græcum quoque fuisse, cum Κύρινος Græcum sit nomen. Tandem cum Raphanea in Decapolitana regione Syriæ sit, videri haud immerito per *Syriam*, cujus Præsidem Lucas eum faciat, non *Syriam Antiochenam*, sed *Decapolitanam* intelligi oportere, quæ in S. literis non semel *Syria* vocetur Esaiæ VIII. 8. 2. Reg. V. 10. Lucæ IV. 27. Matth. IV. 23. 24.

(56) Qui Latino sermone *Quirinus* dicitur, Græcorum lingua Κυρήνιος effertur, quia Græci literam Q ignorant & per suum K exprimunt. Nec minus solenne illis est Romanor. cognominibus, quamvis desinant in US dare terminationem in ΙΟΣ quomodo *Pupienus* scribitur Πυπήνιος. Vera igitur est lectio Κυρήνιος apud Lucam, quam tuentur & defendunt *Jac. Perizonius* in dissertatione de Augustea orbis descriptione §. 30. *Sam. Pitiscus* in lexico Antiquitatum Romanarum in voce Cognomen, *Christ. Fried. Boernerus* in visputatione de Claris Quirinis §. 4. pag. 29. & *Sal. Deylingius* P. II. Observat. Sacrar. p. 328. quibus adde *Ryckii* notas ad *Taciti* Annales p. 37. quas inprimis commendat *Petrus Bælius* in lexico in voce Quirinus. Nimirum *Ryckius* a prioribus, quibus additur, scriptoribus, dissentit, uti hisce verbis declarat *Henr. Leonardus Schurzfleischius* in Notitia Bibliothecæ Principalis Vinariensis pag. 279. *recte* Quirinus *legitur*, *nec scribendum ullo modo est* Quirinius, *qua de re omnino videndus* Theodorus Ryckius *ad Tacitum animadv.* pag. 37.

(57) Excerpta ex *Norisio* hanc in rem luculenta legas dans la Bibliotheque Italique ou Histoire Litteraire del'Italie Tomo X. pag. 247. & apud *Jo. Clericum* dans la Bibliotheque Choisie Tomo IV. p. 69. sequ.

(58) *Lucas*, inquit, *Cyrenii potius quam Saturnini præfecturæ mentionem facere hic maluit*, *quia præsentem descriptionem cum altera post decennium*, *relegato in exsilium Archelao*, *ab eodem Quirinio peracta conferre voluit*, *ex duobus Quirinii censibus*, *eum*, *qui cum nativitate Christi conjunctus erat*, *primum fuisse declarans*.

(59) Existimat autem *Allixius* Cyrenium, quem Lucas commemorat aliis scriptoribus tacentibus, propterea missum esse in Judæam ad censum agendum, quod tunc Augustus iratus Herodi scripserat, antehac se Herode tanquam amico usum esse, nunc usurum tanquam subdito.

(60) Vide quæ de vocibus ἡγεμὼν, ἡγεμονεύειν hanc in rem observant *Casaubonus*, *Montacutius*, *Usserius* in locis citatis, *Rathodus Hermanus Schelius* in notis ad *Polybii* Scriptum de Castris Romanorum pag. 1265. Tomo X. Thesauri Grævii. *Jo. Bapt. Ottius* in Centuria Locorum N. T. cum Fl. *Josepho* collatorum, *Dilherrus* Tomo I. disputat. Academ. pag. 437. *Antonius Pagius* in Critica Historico-Chronologica in Annales Ecclesiasticos Baronii.

(61)

(61) In Commentario in Lucam pag. 567. ita diſſerit de hac noſtra ſententia: *hæc ſententia nihil quidem habet in ſe abſurdi, ſed tamen hoc in ea deſideratur, quod monſtrari nequeat apud Romanos ac præſertim ſub Auguſto uſitatum fuiſſe ut ejuſmodi deſcriptiones per alios, quam per Præſides ordinarios, quorum id proprium munus erat, perageretur*. At vero hic mos Imperatorum ut ad cenſus agendos extra ordinem primarios Reipublicæ viros in provincias deſtinarent, uti aliquot exempla videre licet apud *Caſaubonum* Exercit. I. ad Apparatum Annalium *Baronii* num. 31. pag. 127. *Corn. Dieter. Kochium* in diſſertatione II. de Natali Anno Chriſti §. 3. ſequ. *Huetium* in Demonſtratione Evangelica Propoſii. IX. cap. X. §. 4. *Rich. Montacutium*. Originum Eccleſiaſticarum P. I. p. 11. & *Jac. Baſnagium* dans les Annales del' Egliſe & du Monde.

(62) In Annalibus Politico-Eccleſiaſticis p. 109. hæc objicit: *falſum eſt ſive a Quirino, ſive Saturnino deſcriptionem actam eſſe, quia Herodes jure regio Judæum adminiſtrabat, in qua Syriæ Præſides nullo officio fungebantur*. At vero Præſidibus Syriæ in Judæa etiam Herode Rege aliquid negotii fuiſſe vel ex *Joſepho* patet. *Is* XVII. 3. ſcribit: Judæos Regi & Cæſari juraſſe, itemque obſervat quod Præſides Syriæ Saturninus & Varus filios Herodis accuſatos judicarint. Vide plura hanc in rem apud *Kochium* I. c. Quando igitur *Henr. Valeſius* in notis ad *Euſebii* H. E. libr. I. cap. 5. pag. 11. ejuſdem eſt cum *Baſnagio* ſententiæ, facile ex dictis refellitur. Cur autem *Campegios Vitringa* in Hypotypoſi Chronologiæ & Hiſtoriæ Sacræ p. 166. dicat Herodem ipſum hanc ἀπογραφὴν feciſſe juſſu Auguſti, me neſcire fateor.

(63) Poſteaquam Jo. *Clericus* dans la Bibliotheque Choiſie Tomo IV. pag. 78. obſervaverat de illa *extraordinaria Quirini poteſtate* Hiſtoricos ſcriptores prorſus tacere, ſubdit: *Ajoutez a cela qu' encore que le verbe Grec* ἡγεμονεύειν, *dont* S. Luc *ſe ſert, ſignifie* conduire *en general, neanmoins dans cette conſtruction* ἡγεμονεύειν τῆς Συρίας gouverner la Syrie, *il ne peut pas ſignifier avoir un pouvoir extraordinaire en Syrie, mais ſeulement en etre le Gouverneur ordinaire. Cela paroitra d' autant plus ſenſiblement etre le ſens de* S. Luc, *que l'on ſait par* Joſeph *& par* Dion, *que Quirinus fut en effet Gouverneur ordinaire de la Syrie, apres la mort d' Archelaus*. Eandem fere obſervationem legas apud *Henr. Valeſium* in notis ad *Euſebii* H. E. l. 5. & *Huetium* Propoſ. IX. c. 10. §. 3.

(64) *Juſtini* tamen verba *commoda interpretatione* ſunt adjuvanda. Neque enim ignorabat *Juſtinus*, poſt diviſionem provinciarum ab Auguſto factam, ſemper & ipſum & ejus ſucceſſores in omnes provincias tam populi quam ſuas procuratores ſuos miſſitaſſe. Verum *Juſtinus* non de illo *communi genere procuratorum Auguſtalium* loquitur, ſed de iis opinor, qui per temporum intervalla ad *cenſus agendos* mittebantur. De iſtis vere potuit dicere, Quirinum primum ab Auguſto miſſum in Syriam & Judæam ad cenſuum deſcriptionem peragendam. Hæc *Caſaubonus* Exercit. I. ad Apparatum Annalium Baronii num. 31. p. 127. cui ſubjunge *Ric. Montacutium* Originum Eccleſiaſticarum P. I. pag. 12. & *Jac. Uſſerium* in Annalibus Vet. & Novi Teſtam. pag. 600.

(65) In Antirrhetico de Nummis antiquis Coloniarum & Municipiorum ad Joannem Foy-Vaillant. Excerpta inde luculenta videas apud Jo. *Clericum* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique Tomo XV. p. 242. ſequ.

(66) Junctis ad *Tertulliani* lib. IV. contra Marcionem cap. 7.

(67) Hæc ex *Peeizonii* dicta diſſertatione affert Jo. *Clericus* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique Tomo XVIII. p. 282. M. *Perizonius* prefere a toutes les autres celle que *Jean George Hervvart* avoit autrefois avancee, dans ſa Chronologie; quoiqu'il l' eut aſſez mal ſoutenue, ce qui a donne lieu a *Caſaubon*, de le refuter d' une maniere fort ſpecieuſe. Cependant *Reineſius* & *Cocceius* l'ont embraſſee, malgre ces raiſons. Elle conſiſte a traduire les paroles de S. Luc, en cette ſorte: *ce denombrement ſe fit, avant que Quirinius fut Gouverneur de Syrie*. La difficulte etoit de faire voir que les paroles Greques ſe pouvoient traduire ainſi, & c'eſt ce que perſonne n' avoit encore prouve ſi clairement, & ſi fortement, que M. *Perizonius*. Ou ne peut pas apporter ici ſes raiſons, parce qu'il faudroit remplir cet Extrait de Latin & de Grec; mais ceux, qui ſe connoiſſent en matieres de Grammaire & de Critique, liront cet endroit avec ſatisfaction. M. *Perizonius*, qui a commente (a) la *Minerve de Sanctius*, & qui s' eſt beaucoup applique a penetrer les fondemens de la Grammaire Latine, montre qu' une expreſſion, que *Caſaubon* avoit jugee tout a fait irreguliere, eſt ſelon les Regles. C'eſt ainſi que des choſes, que l'on mepriſe ſouvent mal a propos, ſervent a ſe tirer d' un pas, d'ou il n' eſt pas poſſible autrement de ſortir.

(68) In libris de Natali Jeſu Chriſti, unde hæc excerpſit Jo. *Clericus* dans la Bibliotheqne Univerſelle & Hiſtorique Tomo XX. p. 47. M. *Bynæus* pretend qu'on doit ainſi tradnire les Paroles del' Evangeliſte, *ce premier denombrement ſe fit avant que Quirinus fut Gouverneur de Syrie*. L'Auteur, par une Ellipſe aſſez ordinaire aux Grecs, n' a pas repete la prepoſition πρὸ, renfermee dans le mot πρώτη, & a dit, πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, pour dire, πρώτη ἐγένετο πρὸ ἡγεμονεύοντος &c. & il ne faut pas s' etonner que Saint Luc faſſe cette remarque. Il ſe fit *un ſecond denombrement* bien plus conſiderable, lorſque Cyrenius gouvernoit la Syrie; & il etoit neceſſaire de diſtinguer celui, dont il s' agiſſoit, de ce ſecond, de peur qu'on ne les confondit, comme il eſt arrive dans la ſuite, malgre les precautions del' Auteur Sacre.

(69) In annotatis in IV. Evangeliſtas p. 118. hanc ſententiam ita tuetur, ut *Caſauboni* oppoſita argumenta ſimul refellat, perſuaſus Lucæ dictionem hoc in loco non purum Atticiſmum, ſed potius τῶν LXX. phraſin ſapere atque inde metiendam eſſe.

(70) Exercit. I. ad Apparatum Annalium *Baronii* num. 32. p. 130. hunc in modum diſſerit: *fingamus ſcripſiſſe Lucam ut ille (Hervvartus) vult, obſervabunt tum Græci ſermonis periti, participium eſſe poſitum pro verbo* πρότερα ἡγεμονεύοντος K. *pro eo quod dicendum erat* πρότερον ἢ ἡγεμονεύειν vel τοῦ ἡγεμονεύειν Κυρήνιον, *hæc locutio novitatis & inſolentiæ multo plus habet quam illa cui aſſerendæ tantopere ſine cauſa vir doctiſſimus inſudat*. Idem paulo inferius: *hac nova interpretatione admiſſa, Lucas deſcriptionem, qua de loquitur, nulla ipſi propria nota inſigniverit, neque autoris, qui egit, neque temporis, quo eſt acta, ſed rei duntaxat adnotatione, quæ decem poſt annis evenit: hanc vero accuratorum ſcriptorum non eſſe conſuetudinem, nemo, opinor, negaverit*.

(71) Poſtquam mentionem fecerat *Eraſmi Schmidii*, hæc addit P. I. Obſervation. Sacrar. pag. 126. *ne veri quidem ſimilitudinem contorta hæc explicatio habet, & ſcriptore divino, qui contra primas artis hiſtoricæ leges graviter peccaſſet, plane indigna eſt, utpote qui ſub narrationis initium* ἀκρίβειαν *promiſit, &, qui officio Hiſtorici ſatisfacturus, verum rei geſtæ autorem neceſſario nominare debuit, non illum ad quem negotium haud pertinebat*. At vero tenendum eſt, Lucam habuiſſe cauſam non parvam indicandi, ſe non loqui de illa deſcriptione, quæ ſub Cyrenio contigit, cum iſta tunc, cum Lucas ſuum ſcriberet Evangelium, ſola in ore populi fuerit. Hæc enim erat illa deſcriptio, quam Judæi ægerrime ferebant, dum omnes ac ſinguli bonorum, domorum ac capitum ſuorum cenſum Cæſari dare coacti ſunt, eamque ob cauſam tumultus ac ſeditio graviſſima per Iudam Galilæum excitata eſt. Quocirca Lucæ multum interfuit, monere, ſe non de hac paſſim nota ac trita deſcriptione ſub Cyrenio facta loqui, ſed de alia, quæ aliquot annis hanc præceſſit. Vide L. *Wolzogenium* in Commentario in Lucam pag. 568. & *Vitringam* in Hypotypoſi Chronologiæ & Hiſtoriæ Sacræ pag. 166.

(72) Tomo 1. diſputationum Academicarum *pag.* 436. de *Hervvarti* interpretatione ita judicat: *hac tortuoſa*, inquiens, *ambage ſuperſedere nullo negotio paſſumus*.

(73) Exercitationum Evangelicarum libro 1. *cap.* 48. ideo hanc interpretationem rejiciendam putat, quia dicendum fuerat: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο πρὸ τοῦ Κυρηνίου ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας.

(74) In libris de Natali Jeſu Chriſti *pag.* 304. exiſtimat dictionem illam πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, cum reſpondeat illi Ebræorum כל ארץ tantummodo hic denotare *terram Judæam*. Confer Joſuæ 11. 3. 1. *Sam.* XXX. 16. *Gen.* XIII. 9. & Eſaiæ XIII. 9. Hæc ex-

excerpta debemus *Jo. Clerico* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique *Tomo* XX. *p.* 46. qui & hæc ex *Bynæo* addit: en ſorte que *ce denombrement*, dont parle *Saint Luc*, ne regardoit que la *Judee*, & ſe faiſoit non pour *y mettre des impots*, comme on le croit ordinairement, puisqu' *Herode etoit Roi independent & ſeulement Allie des Romains*, mais pour ſavoir *le nombre des Soldats* qu' il pourroit fournir dans le beſoin. Cela etant, il n' eſt pas etonnant que les *Auteurs Prophanes* n' en ayent rien dit, non pas meme *Joſeph*, puiſque ce denombrement n' avoit rien de conſiderable. Hactenus *Bynæus*, cujus ſententiam ad examen vocat *Sumuel Baſnagius* in Exercitationibus Hiſtorico-Criticis adverſus Baronium. En hæc ex *Baſnagio* excerpta apud *Clericum* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique *Tomo* XXII. *pag.* 497. M. de Flottemanville croit que tous les paſſages du Vieux Teſtament que M. *Bynæus* a citez ne peuvent favoriſer cette expoſition, puiſque c' eſt contre la coutume du Nouveau, d' employer les mots de πάσης τῆς οἰκουμένης pour ne ſignifier que le Pays des Iſraelites. Il ajoute de plus que S. Luc les ayant employez dans le verſet 28. du Chap. XI. du Livres des Actes pour deſigner inconteſtablement tout l' Univers, il n' y a aucune raiſon, qui nous doive engager a lui donner une autre ſignification dans le II. *Chap.* de ſon Evangile. Pour repondre a la queſtion que l' on fait *pourquoi les Auteurs prophanes n' ont point parle de cette Deſcription*, ſi elle a ete faite dans tout l' Empire Romain; M. *de Flottemanville* conjecture, que cela peut venir de ce que *cet ordre* de l' Empereur donne & execute en divers tems fut communique ſuelement *par des letres aux Proconſuls* qui eotoient dans les Provinces; de ſorte qu' *Herode* ayant ſu qu' elles etoient les intentions d' Auguſte, & cherchan d' ailleurs les occaſions de lui plaire, ordonna, ſans attendre davantage, que l' on fit dans ſon Royaume, la meme choſe qui ſe faiſoit par tout ailleurs *par det ordres aſſez ſecrets*. Quoi qu' il en ſoit, on pretend que M. *Bineus* ne leve nullement la difficulte, puiſque quand meme cette Deſcription ne ſe ſeroit faite que *dans la Judee*, c' etoit aſſez qu' elle eut ete ordonnee par Auguſte pour la rendre digne d' avoir place dans l' Hiſtoire, qui rapporte beaucoup de choſes moins importantes. En tout eas, il ſemble que *Joſephe* en devoit parler, & d' autant plus qu' elle etoit particuliere a la Judee, ſelon le ſentiment de M. *Bynæus*.

(75) Locos παραλίους afferunt *Geneſ.* XIII. 9. Joſuæ II. 3. I. *Sam.* XXX. 16. Eſaiæ XIII. 5. XIV. 26. Lucæ IV. 25.

(76) Vide de iſtiuſmodi *Auguſti nummis Jo. Mich. Dilherrum Tomo* I. diſputationum Academic. *pag.* 433. itemque obſervationes noſtras Tomo II. Opuſculorum noſtrorum ſacrorum *pag.* 497.

(77) Hoc monumentum *Leunclavius* in Pandectis ſuis Turcicis, *Gruterus* in ſuis Inſcriptionibus, *Caſaubonus* in calce Notarum in *Suetonium* aliique repræſentant, quos videre licet apud *Jo. Alb. Fabricium* Biblioth. Latinæ *Vol.* I. *p.* 747. & *Vol.* III. *pag.* 565. Conferatur *Jo. Guil. Baieri* Hiſtoria Monumenti Ancyrani.

(78) Hos inter reperias *P. D. Huetium* in Demonſtratione Evangelica *Propoſit.* IX. *cap.* 10. §. 3. *Melchiorem Leideckerum* in Diſſertatione Theologica de Gloria Templi Secundi §. 40. *Ludov. Welzogenium* in Commentario in Lucam *pag.* 565. *Humfredum Prideaux* dans l' Hiſtoire des Juifs *Tomo* VI. ſive libro XVII. *pag.* 222. & *Georg. Wolffg. Wedelium* Centuria II. Exercitationum Medico-Philologicarum Decade I. exercitatione I. de Cenſu Auguſti, at vero *Huetium*, qui aliis præire ſuſtinuit, perperam ad illud monumentum Ancyranum provocare, atque inde Lucam illuſtrare, monet inter alios *Camillus* de *Sylveſtris* in Chronologia. Vide Deutſche Eruditorum *P.* CXXIII. *num.* I. *pag.* 168.

(79) *Jo. Bodinus*, cum libro V. de abditis rerum ſublimium arcanis negaret *cenſum ab Auguſto indictum* & a Cyrenio actum cum Hiſtoria Jeſu congruere, inter alia objicit, nullum unquam fuiſſe tam acerbum cenſorem, qui homines *cenſendi cauſa loca mutare* coegerit, moleſtiæ futurum id fuiſſe intolerabilis, & ſumtus infiniti, ſed illic cenſum fuiſſe unumquemque, moribus Romanorum, ubi domicilium habuit. At vero falſum eſt, neminem coactum fuiſſe cenſendi cauſa locum mutare. Neque enim modo moris Jadaici, ſed & Romani fuit, ut *in ſuis civitatibus cenſerentur*. *Jacobus Perizonins* in Diſſertatione de Auguſtea Orbis terrarum Deſcriptione & loco Lucæ eam memorantis apud *Jo. Clericum* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique Tomo XVIII. *pag.* 281. ita judicat: le denombrement n' etoit que pour ſavoir *le nombre des hommes*, qui etoient dans la Judee; & comme *les Romains* faiſoient *leur Cens*, ou denombrement, *par familles*, *on obligea chacun de ſe rendre dans les lieux d' ou il tiroit ſon origine*, ce qui contraignit Joſeph d' aller a Bethlehem, avec ſon Epouſe. Quod ſi hæc nondnm ſufficiant dubiis tollendis: Vide quæ *Bodino* opponit *Huetius* in demonſtratione Evangelica Propoſit. IX. *cap.* X. §. 5. ut nunc taceam *Antonii Bynæi* obſervationes, quas ex ejuſdem libris de Natali Jeſu Chriſti, cum erudito lectore communicat Jo. *Clericus* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique Tomo XX. *pag.* 47. Quando igitur *Lardnerus* in libro ſuo, cui titulus: the Credibility of the Goſpel Hiſtory *p.* 50. negat Mariæ illam commigrationem cenſus cauſa neceſſariam fuiſſe, in eo fallitur, jure notatus a Jo. *Clerico* dans la Bibliotheque Ancienne & Modetne Tomo XXVIII. *pag.* 93. Quemadmodum autem *Lardnerum* recte notari diximus, ita conſimilem errorem a *Stephano Curcellæo* admiſſum eſſe, nunc addimus. *Quamvis Joſeph*, inquit, *videatur non fuiſſe obligatus vi edicti Cæſaris Mariam Bethlehemum deducere, tamen quia pariendi tempus ei inſtabat, eam Nazareth ſolam relinquere nolebat*. Inde autem error eſt *Curcoellæi*, quod credidit tantummodo *moris Judaici* fuiſſe, ut in ſuis civitatibus cenſerentur homines: ſed meminiſſe dedebat, id quoque *moris Romani* fuiſſe. Audiamus primum *Paulum Manutium*, qui a nobis diſſentiens in libro de Civitate Romana *pag.* 27. Tomo I. Theſauri *Grævii* hiſce verbis utitur: poſt legem Juliam, civitate univerſæ Italiæ impertita, mirum videri poſſet, tantam multitudinem (dixerat autem antea: cenſebantur & municipes & coloniæ civium Romanorum) ut cenſeretur, in urbem confluxiſſe: nec deſunt, qui opinentur, omnes in ſuis oppidis atque urbibus, a ſuis magiſtratibus eſſe cenſos, deinde cenſorum numerum Romam ad Cenſores miſſum: me *Ciceronis* & *Pediani* teſtimonium adducit, ut omnino Romæ cenſos exiſtimem: ait enim *Cicero* in Verrem: *cum hæc frequentia totius Italiæ Roma diſceſſerit*. Et ſubjungit *Pedianus: frequentiam dicit plebis ruſticæ, cui voluit judicii exitu notam eſſe integritatem ſuam: convenerat autem ex municipis cujuſcunque modi multitudo, aut propter comitia, ſuffragiorum cauſa, aut ludorum votivorum Romanorum, victoriæ plebejorum aut*, ut cenſeretur apud cenſores *Gellium & Lentulum*. At vero ut *Manutio*, aliiſque, qui cum *Bodino* faciunt, primum *generatim* reſpondeamus, opponimus illis verba *Baronii* in Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos num. 93. *ſæpe cenſus deſcriptionis mutatam eſſe formam qui Livium & Dionyſium legerit, facile intelliget*. Deinde inprimis notatu digna ſunt verba illa LIVII. *lib.* XLII. *cap.* 10. *cenſa ſunt civium Romanorum capita ducenta ſexaginta novem millia & quindecim. Minor aliquando numerus, quia L. Poſtumius Conſul pro concione edixerat, qui ſocium Latini nominis ex edicto* C. Claudii *Conſulis*, redire in civitates ſuas *debuiſſent*, *ne quis eorum* Romæ, *ſed omnes* in ſuis civitatibus *cenſerent*. Objiciet nobis aliquis *Suetonium*, ut qui dixerit, Cæſarem *Populi Romani cenſum vicatim per dominos inſularum egiſſe*: at vero verba *Suetonii* huc referenda non erant. Neque enim Cæſar *cenſum* aut luſtrum *egit*, ſed *recenſum*, id eſt examen & diſquiſitionem brevem in eos, qui jure aut injuria capiebant publicum frumentum. Vide J. C. *Bulengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* II. *pag.* 851. Tomo VIII. Theſauri *Grævii*, *Juſtum Lipſium lib.* I. Electorum *cap.* 8. *pag.* 660. & *cap.* 27. *p.* 740. Tomo I. Operum.

(80) De nihilo eſt, quod objicit *Bodinus pueros & fœminas a cenſibus excluſos* fuiſſe. Nam & *infantum capita* cenſebantur: & Jeſu Nomen tabulis cenſualibus adſcriptum eſſe affirmant *Juſtinus*, *Tertullianus*, *Chryſoſtomus*. Confer omnino *Huetium l. c.* §. 6. *Grotium* in notis ad Lucæ II. *Altingium* de Schilo *lib.* III. *cap.* XI. *pag.* 183. Ac ne quis ea de re dubitet paulo altius rem repetemus. Recte ſcripſit *Ba-*

ro-

ronius in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos num. 92. *constat jure antiquo Romanorum* (*vide Dionysium Halicarnasseum* & l. ætatem ff. de censibus) *omnes* cujusque ætatis & sexus, quantumlibet infantes censeri solitos; *itemque* & *Jurisconsultum postea respondisse, eum qui post descriptionem natus infans esset, ante tamen quam eadem descriptio absoluta esset, in ipsas census tabulas adscribendum*. *Baronio* subjungatur *Justus Lipsius*, qui *lib.* II. de Magnitudine Romana *cap.* 3. *pag.* 700. Tomo III. in hanc sententiam disserit: *etsi pueri non conferrent, tamen* & *eorum nomina scripta probabile est, contra fraudes*, & *pro cetera diligentia, aut curiositate Romanorum*. *Paulus* etiam *Manutius* in libro de Civitate Romana *pag.* 32. Tomo I. Thesauri *Grevii*, quærit, *quo ætatis anno censerentur?* & respondet: censebantur cives Romani, non ubi ad ætatem ferendis armis idoneam, hoc est ad annos XVII. pervenerant; quod video quosdam existimasse, sed *a quo primun die nati erant*. *Manutio* adde *Onuphrium Panvinium* in liro de Civitate Romana *cap.* 52. *pag.* 295. Tomo I. Thesauri *Grævii*, Porro autem quærit *Manutius* libro citato, *maresne tantum an mares paritet* & *fœminæ censerentur?* Affirmat, & testem adducit *Livium*. *Livius* cum ait *lib.* IV. *Q. Fabio*, T. *Quinctio Coss. censa civium capita* CIV. & XX. *millia* CCXIV. *præter orbos orbasque*, nullam ætatem, orbis exceptis, nullumque sexum censu exclusum satis indicat. Idemque libro LIX. significat, cum inquit: *censa sunt capita* CCCLXIIX. *millia*, DXXIII, *præter orbos* & *viduas*. Dubia fortasse colligere videmur argumenta: sit ita: unum certissimum, cui fidem non habere nemo debeut, ex accurata *Dionysii Halicarnassei* sumtum historia ptoferemus: is igitur libro III sic: *his ita institutis jussit omnes cives dare nomina*, ἅπαντας ἀπογράφεσθαι, *suaque bona censere* καὶ τιμᾶσθαι τὰς οὐσίας πρὸς ἀργύριον, *addito jurejurando legitimo, se vere illa* & *bona fide æstimasse, adscriptis etiam ætatis annis* & *parentum nominibus, atque adeo conjugum* & *liberorum*. Quibus verbis non modo cujusque rem esse æstimatam, quod unum *Livius* scriptor interdum parum diligens tradidit, verum etiam *ætates omnium, uxores, liberos publicis in tabulis notari* planissime ostenditur. Hæc *Manutius*, cui adde *Panvinium* in libro paulo ante itidem laudato. Interim fatemur, tempus quandoque fuisse, cum *apud Romanos nec pueri nec fæminæ in censum venirent*. Ejus instituti rationem nos edocet *Carolus Sigonius* libro I. de Antiquo Jure Civium Romanorum cap. XIV. pag. 109. Tomo I. *Grævii*: *profitebantur*, inquit, *nomen suum in censu omnes, atque omnium, quos in potestate haberent: verum censores* in summa civium subducenda *eos tantum numerasse*, qui ferre arma possent, *prodit Livius in primo censu referendo, quem Ser. Tullius fecit*. Interim *Dionysius* de septimo censu scribens, *ex censu pueros aperte* & *fæminas omnes excludit*, dum *puberum capita censa* commemorat. *Sigonio* subjungendus erat *Jo. Bapt. Donius*, cujus verba, quæ huc pertinent, leguntur in Opere Posthumo de Restituenda Salubritate Agri Romani pag. 940. Tomo I. Thesauri Novi de *Sallengre*: *notum est præsertim ex Livii historiis, in censibus referendis non separatim urbanos, sed omnes simul Romanos cives liberæ conditionis*, demtis pueris ac mulieribus, *quotquot ubique gentium erant, adnumerari*. Quamvis igitur *Romani* sæpe *pueros* ac *fæminas ex censu excluserint*, certis rationibus, quas vidimus, inducti, in *censu* tamen *Augusti* non solum *suum nomen* Josephus, sed & *pueri, conjugisque nomina* dare debuit *tabulis censoriis* inserenda. Cæterum cum Maria, virgo ἐπίκληρος non solum ejusdem tribus Juda cum Josepho, sed etiam ex eadem gente & cognatione, nemoe Davidica fuerit, Bethlehemum cum Josepho census causa venire debuit. Vide plura de Maria virgine ἐπικλήρῳ apud *Casaubonum* Exercitat. I. ad Apparatum Annalium Baronii num. 13. pag. 88. *Gerh.* Jo. *Vossium* in dissertatione de Genealogia Jesu Christi cap. I. thesi 12. sequ. *Taconem Haio* vanden *Honert* in libro Belgico: Christus afkomst uyt David pag. 692. aliosque quos laudat Celeberrimus *Jacobus Elsnerus* in Commentatione in illustre Jacobi Oraculum Genes. XLIX. 10. §. 22. Interim *Ægidius Strauchius* in Dissertatione Historico-Theologica de B. Virginis Mariæ Natalibus §. 10. & *Stephanus Curcellæus* Institutione Religionis Christianæ libro V. cap. 4. §. 1. pag. 223. observant argumenta illorum, qui Mariam virginem ἐπίκληρον fuisse contendunt, vix extra omnem dubitationis aleam poni posse.

(81) Vide omnino *Vaillantium* dans la dissertation sur l'anne de la Naissance de Jesus-Christ decouverte par les Medailles antiques pag. 532. Tomo II. des Memoires de litterature tirez des Registres de l'Academie Royale des inscriptions & belles lettres, *Henr. Norisium* de Epochis Syro-Macedonum, & *Corn. Dieterio. Kochium* in dissertatione II. de Natali Anno Christi.

(82) Quos vide apud *Vitringam* Observationum Sacratum libro V. cap. I. §. 13. pag. 11. sequ.

(83) Vide præter *Vitringam* c. etiam *Christoph. Cellarium* in Historia Antiqua pag. 205. itemque in Amœnitatibus Historicis & Geographicis ex Itineribus S. Pauli Apostoli collectis §. 6.

(84) Singulis ferme pro inciis unus Rector a Romanis impositus, nisi, ubi ob viciniam, quæ peculiarem præfectum non desiderabat, una quandoque regio alterius veluti provinciæ appendix accessit. Vide plura exempla apud *Ezech. Spanhemium* in Observationibus ad *Juliani* Orarionem I. p. 289. Conferatur *Wilh. Hieron. Bruckneri* dissertatio de Præsidibus Provinciarum apud Romanos.

(85) Levioris momenti argumenta sunt, quæ *Balthasar Stolbergius* in dissertatione de Herodianis §. 18. *Petito* opponit: *minus verisimile videtur*, inquit, *exactores tributorum a Pharisæis fuisse adductos, cum sic facile fraus patuisset. Atque præterea distinctæ ditiones Herodis* & *Pilati non admittunt, ut Herodis exactores tributum colligant Hierosolymis*.

(86) Scriptores illos, qui per *Herodianos*, milites Herodis intelligant, videre licet apud *Stolbergium* in dicta de Herodianis dissertatione §. 21. & *Nicolaum Serarium* in libro, cui titulus: Herodes cap. 23. *Joannes* quidem *Lightfootus* in Harmonia IV. Evangelistarum *pag.* 321. Tomo I. Operum, Lucæ III. 14. *milites tantummodo Romanos* vult intelligi, at ego malim simul innui *milites Herodiadum*. De Herodis M. & Archelai militibus passim loquitur *Josephus*, cujus testimonia videre licet apud *Usserium* in Annalibus *Vet.* & N. Testamenti *pag.* 603. sequ. & *Cappellum* in Historiæ Judaicæ compendio ex *Josepho* contracto.

(87) Quantum fuerit *utriusque Tetrarchæ* erga imperatores Romanos obsequium, ex ipsorum nummis colligere licet. *Herodis Antipæ nummos*, qui fidem faciant, indicat *Nicolaus Toinardus* in Fragmento Historiæ Herodiadum, quod excerpsimus Tomo I. Bibliothecæ nostræ Antiquariæ & Exegeticæ *pag.* 126. Confer etiam N. *De Grainville* Lettre sur l' Usage qu' on peut faire des Medailles par raport a la Regilion, *Joannis Foy-Vaillant* Dissertation sur l'annee de la naissance de Jesus Christ deconverte par les Medailles antiques (legitur hæc Dissertatio Tomo II. des Memoires de Literature tirez des Registres de l' Academie Royale des inscriptions & belles lettres *pag.* 532. sequ.) *Jo. Petri Rigordi* Dissertationem de uummo Herodis Antipæ, & *Henrici Norisii* ad Antonium Pagium de eodem Herodis Antipæ nummo Epistolam. *Philippi* autem *Tetrachæ nummus* singularis in honorem Augusti cusus adhuc ostenditur, in quem exstat singularis commentatio *Ludov. Francisci de Fontenu*, quæ legitur dans l' Histoire de l' Academie Royale des inscriptions & belles lettres Tomo V. *p.* 270. sequ. Idem Philippus ex summa erga Cæsarem demissione urbem condidit, quæ *Cæsarea Philippi* nominata Matthæi XVI. 13. Marci VIII. 27. Confer omnino *Theodorum Hasæum* P. I. Dissertationis Historico-Theologicæ de Monimento Paneadensi *Baronium* Tomo I. Annalium ad A. C. 19. *num.* 10. *Ludov. Cappellum* in Historiæ Judaicæ Compendio ex *Josepho* contracto, *Sebastianum Castellionem* in Continuatione Historiæ Judaicæ ex *Josepho*. *Hubertus Goltzius* in Augusto producit nummum, in quo occurrit *Col. Cæsarea Philippi*, sed de ejus fide non sine rationibus dubitant viri docti. Idem in Thesauro *pag.* 136. affert Nummum Otacillæ, in quo memoratur ΚΑΙΣΑΡΙΑΣ ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΣ ΜΗΤΡΟΚΟΛΩΝΙΑΣ. Inde incolæ civitatis ΚΑΙΣΑΡΕΟΙ ΦΙΛΙΠΠΟΛΙΤΑΙ dicti in nummo, quem laudant *Adolphus Occo* & *Lucas Holstenius*. Unde & nova exsurgit urbis nuncupatio, *Philippopolis*. *Incolæ* autem *Cæsareæ Philippi* se *Neocoros Augusti* vocant in

num-

nummo æreo, qui ab una parte exhibet caput radiatum ΘΕΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΠΑΤΕΡΟΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ, ab altera, *templum ipsum ab Herode Augusto consecratum* cum inscriptione ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΦΙΛΙΠΠΟΛΙΤΩΝ. Confer *Albertum Rubenium* in Diatriba de Urbibus Neocoris. Ceterum restat, ut *de utriusque Tetrachæ reditibus* adhuc pauca addamus. Ex beneficio *Augusti Herodi Antipæ* Galilæa cessit & Peræa fertilissima trans Jordanem inter duos lacus, Tiberiadis & Asphaltiten, regiuncula, quarum *annui reditus* erant 200. *talenta*, sive *ducenti milliones ducatorum*. Vide *Robertum Cenalem* in libro de vera Mensurarum Ponderumque ratione *pag.* 1601. Tomo. v. Thesauri *Grævii*. *Philippo* cessit Batanæa cum Trachonitide, & Auranitis cum parte quadam Zenodori (ut vocabant) domus, quæ pendebant *annua talenta* 100, sive ut summam facit *Cenalis l. c. millies mille ducatos*. §. 9. *pag.* 11.

(88) *Serarius* putat Galilæos Herodianos itidem dictos esse, quia Herodes Judæ sectatores defenderit: *Calmetus* autem eosdem homines Hetodianos dici mavult, quia Judæ Galilæorum coryphæi patria sub imperio Herodis fuerit.

(89) In his nomino *Balthasarem Stolbergium*, qui in dissertatione de Herodianis §. 31. vestigia *Scaligeri* premit in *Serario* confutando.

(90) *Baronius* Tomo I. Annalium ad A. C. 31. num. 55. reclamante meliorum codicum lectione pro βασιλικὸς legit βασιλίσκος quasi loci alicujus in Decapoli Galilææ dominus, sive regulus, qui Herodi Antipæ, vel saltem Romano Præsidi subesset, hic apud Joannem intelligeretur: ac vero hanc *Baronii* sententiam rejicit & confutat *Isaacus Casaubonus* Exercitatione XIII. *num.* 29. *p.* 256. *Baronio* modestior est *Petrus Possinus* in Spicilegio Evangelico §. 63. *pag.* 135. *videtur*, inquit, *qui* Regulus *vertit legisse in Græco* βασιλίσκος, *cum* plerique *hodie* codices βασιλικὸς *legant. Ceterum utrumvis in fonte sit, recte res ipsa Latine* Reguli *vocabulo exprimitur: id enim significat hominem autoritate ac dignitate, etsi non in Republica suprema, supra ceteros eminentem; quales plerumque sunt, qui* negotia Regum *administrant, &* *inde* βασιλικοὶ Regii *vocantur*. Si *Jo. Lightfootum* audiamus in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 13. *Tomo* II. Operum, βασιλικὸς hic est, qui *partes Regis*, Herodis scilicet senioris *sequebatur*: cui plurimi illustres Judæi operam dare in se susceperant, victi scilicet *aulæ blanditiis*, licet ea res male alios haberet, & reclamante eorum animo, facta fuerit. Juchasin *fol.* 19. Quæritur autem an inter illos βασιλικοὺς referendus sit *Manahemus*, cujus meminit Lucas Actor. XIII. I. Et *Joannes* quidem *Lightfootus* in Chronicis Temporum citatis *pag.* 73. ex Juchasin *fol.* 19. colligit, hunc *Manahemum* fuisse *Herodis Tetrachæ aulicum* & *collectaneum*. Pater hujus Manahemus ejusdem nominis Herodi Seniori gratus fuit acceptusque, quamvis probus vir esset, contra quam videtur *Lightfooto*, cui jure opponimus *Vitringam lib.* VI. Observationum *cap.* 8. §. 9. *pag.* 350.

(91) Ita judicat cum aliis *Casaubonus* loco paulo aute laudato. *Casaubonum* in eadem vocis βασιλικὸς interpretatione sequitur *Stolbergius* in Dissertatione de Herodianis §. 22. & *Jo. Caspar Suicerus* in Thesauro Ecclesiastico in voce Βασιλικός.

(92) Βασιλικοὶ Græcis dicuntur vel filii vel agnati Regum, quales Latinis Regales appellantur. Videantur *Lambertus Bos* in Diatribis *pag.* 41. & *Henricus Valesius* in notis ad *Ammiani Marcellini libr.* XVI. *cap.* 12. *pag.* 156. Idcirco hæc addimus, quia teste *Suicero* l. c. soli fere inter optimos interpretes referuntur, qui existimant *Chusam*, *Herodis Procuratorem* fuisse, de quo Lucæ VIII. 3. ipse cum tota familia credebat, ut patet ex cap. IV. Joannis, versu 53. Neque vero longius a veritate recedunt, qui per βασιλικὸν *cognatum* quendam *Herodiadum* intelligunt. Ceterdm *Genealogiam* & *familiam Herodum* in dissertatione de nummis Herodiadum exponere voluit *Harduinus*, unde nobis excerpta dedit *August. Calmetus* T. III. Dictionarii Biblici *pag.* 319. integrum autem *Harduini* Systema discussere *Christoph. Cellarius*, *Jac. Hottingerus*, *Jac. Basnagius* & *Salomo Deylingius* suo loco a nobis laudat: præter hos de *Genealogia Herodum* vide *Calmetum* Tomo I. Dictionarii Biblici *p.* 345. sequ. *Christ. Noldium* in Historia Idumæa sive Diatriba de Vita & gestis Herodum, *Nicolaum Toinardum* in Fragmento Historiæ Herodiadum ex nummis, *Nicolaum Serarium* in libro, cui titulus: Herodes. *Jo. Lightfootum* in Harmonia Quatuor Evangelistarum P. III. *sect.* 15. *pag.* 453. Tomo I. Operum, *Campegium Vitringam* in Hypotyposi Historiæ & Chronologiæ Sacræ, *Adr. Relandum* in Palæstina *pag.* 173. sequ. *Nath. Lardenerum* in libro, cui titulus: The Credibility of the Gospel History, *Lud. Cappellum* in Appendice ad Historiam Apostolicam, Tabula I. *Jo. Seldenum* de Jure Naturæ & Gentium *lib.* V. *cap.* 19. In primis autem industriam atque ἀκρίβειαν suam doctis viris probavit *Ezechiel Spanhemius*, qui nobis dedit in conspectum Herodis stemma & prosapiam, item Collectanea ad stemma Herodiadum, & Chronologiam Herodiadum, quæ omnia leguntur Tomo II. Operum *Josephi pag.* 402. ex editione *Sigeberti Havercampii*. Ceterum de *Herodis progenie* memoratu dignissima est illla *Josephi* observatio *lib.* XVIII. Antiquit. *cap.* 7. eam fere totam licet admodum numerosam, intra cenium annos interiisse. Neque vero hic silentio prætereundus erat *Jo. Gothofr. Lakemacherus*: etenim in Observationibus Philologicis Parte X. observat. V. *pag.* 243. sequ. probare annititur, *Historiam, res gestas, & fata Herodiadum Apoc.* XVII. 9. 10. adumbrari & quasi designari. An huic sententiæ subscripturi sint docti homines, ipse viderit Fundamenti loco ponit, in *libro Apocalypseos* agi de rebus potissimum ad primam Christianismi ætatem pertinentibus, cum *Judæi* graviter quidem *Christianos* affligerent, sed & Deo justissimo vindici pœnas darent *tristissima* perpessi *fata*. Eandem sententiam jam antea defenderunt *Grotius*. *Hammondus*, *Lightfootus* in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. & in Tractatu de Spiritu Prophetiæ §. 5. *pag.* 78. Operum Posthumorum, *Hermabnus* von der *Hardt* in Apocalypsi ex tenebris in veteri Judæorum Histoira, *Autor Historiæ Bileami*, qui *Josephum* optimum in Apocalypsin Commentatorem esse affirmat & contendit notatus a *Jac. Basnagio* dans l' Histoire de Juifs *lib.* I. *cap.* 19. §. 4. *pag.* 549.

(93) Quamvis Jureconsulti Romanorum, inter quos *Ulpianus* l. I. ff. de publican. illos generatim dixerint esse *Publicanos*, qui publica vectigalia & alios Populi Romani reditus exteris nationibus imperatos, itemque ultro tributa, quæstus sui gratia, constituto pretio exigenda in foro conspectuque populi Romani a Censoribus conducerent (Vide *Sam. Pitiscum* in lexico Antiquitatum Romanarum in Vocibus *Publicani* & *Vectigal*!) malim tamen vocem τελώνης toties in novis fœderis tabulis obviam, *portitores* verteres quam *publicanos*, hac in re usum veterum autorum secutus. Glossarium: *portitor* τελώνης, *portorium* τελωνεῖον Et sane τελώνης proprie est *vectigalia-rius* & *telonarius* in Codice Theodosiano, uti me docuit *Casaubonus* in Commentario ad *Theophrasti* Characteres *pag.* 208. Confer *Pitiscum* in vocibus, *Portitor*, *Portorium*, *Teloneum*, & præcipue J. F. *Gronovium* Observationum *lib.* III. *cap.* 20. *pag.* 619. *sequ.* J. C. *Bulengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus *Pop.* Romani *cap.* III. *pag.* 837. *cap.* VI. *pag.* 843. Tomo VIII. Thesauri *Grævii*, *Jo. Casp. Suicerum* in Thesauro Ecclesiastico in voce Τελώνης. Atque hinc apparet *Matthæum* (vide ejus Evangelium) *Portitorem* recte appellari, sive *collectorem vectigalis* & *portorii* transfretantium, aut in mari Galilææ negotiantium. Vide *Lightfootum* in Chronicis Temporum & Ordine Textunm N. T. *pag.* 17. Tomo II. Operum, itemque in Harmonia IV. Evangelistarum *pag.* 525. Tomo I. Operum.

(94) Scriptores, qui in hoc argumento utramque paginam faciunt, commendamus, *Sam. Petitum* Variarum Lectionum *cap.* XVIII. *Angelum Caninium* in disquisitionibus in locos aliquot N. T. obscuriores *cap.* VIII. *Baronium* Tomo I. Annalium ad A. C. 31. *num.* 71. sequ. *Isaac. Casaubonum* exercitatione XIII. adversus *Baronium num.* 37. *pag.* 269. *Jo. Buxtorfium* in lexico Talmudico voce מוכס *Constantinum L' Empereur* in notis ad בבא קמא sive Codicem primum de Damnis *pag.* 95. P. IV. Mischnæ *Guil. Surenhusiii*, *Jo. Henr. Othonem* in lexico Rabbinico Philologico *pag.* 493. *Jo. Henr. Hottingerum* in notis ad *Goodvvinum pag.* 52. C. S. *Schurzfleischium* in singulari dissertatione de Ordine Publicanorum, *Jo.*

Casp.

Casp. Suicerum in Thesauro Ecclesiastico, in voce Τελώνης *Bulengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus Pop. Romani *c.* III. *pag.* 829. Tomo VIII. Thesauri *Grævii*, *Carol. Sigonium* libro II. de Antiquo Jure Civium Romanorum *cap.* II. *p.* 149. sequ. Tomo I. Thesauri *Grævii*, *Raphaelem Volaterranum* in Commentario de Magistratibus & Sacerdotiis Romanorum, *Cornelium Adami* in Exercitationibus Exegeticis *pag.* 460. & in Observationibus Theologico-Philologicis *p.* 142. *Bernard. Lauredanum* in Commentario ad *Ciceronis* Orat. de lege Agraria contra Rullum, J. G. *Grævium* in notis ad *Ciceronis* Orat. pro Domo sua ad Pontif. *Georg. Vauchopium* in Tractatu de Magistratibus Veteris Populi Romani, sect. 24. *Justum Lipsium* de Magnitudine Romana lib. II. cap. 2. pag. 696. Tomo III. Operum, *Nicolaum Abramum* in notis ad Orat. *Ciceronis* de Provinciis Consularibus, *Petrum Burmannum* in singulari de Vectigalibus Populi Romani dissertatione, *Jo. Clericum* in animadvers. in Hammondum ad Matth. XI. 19. *H. Grotium* in notis ad Lucæ III. 13. XIX. 9. *Guilielmum Saldenum* libro V. Otiorum, exercit. VI. *pag.* 707. *Alexand. Morum* in notis ad loca quædam Novi Fœderis *pag.* 34. *Guil. Caveum* in Vitis Apostolorum *pag.* 555. *Casp. Waserum* de Antiquis Ebræorum Nummis libro I. *cap.* 18. *Abrah. Scultetum* Exercitat. Evangelicarum libro I. *cap.* 18. *Jo. Lightfootum* in Horis Ebraicis ad Matthæi V. 46. Lucæ XIX. 2. *Jo. Bened. Carpzovium* in animadversionibus ad *Schickardi* Jus Regium *pag.* 277. *Jo. Mich. Dilherrum* Tomo I. disput. Academicarum *pag.* 196. *Sal. Deylingium* P. I. observationum Sacrarum *pag.* 109. *Aug. Pfeifferum* in Antiquitatibus Selectis Hebraicis *c.* 13. *Jo. Seldenum* de Jure Naturæ & Gentium libro II. *cap.* 5. *pag.* 179. *Claudium Fleury* in libro, cui titulus: Les Moeurs des Israelites *cap.* 32. *pag.* 168. Ceterum verba illa Zachæi publicani apud Lucam XIX. 8. *quod si quem ulla re fraudavi, reddo quadruplum*, singulari quadam dissertatione illustravit *Zachar. Huberus*, inde luculenta excerpta videas apud *Jo. Clericum* dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne Tomo XIII. *pag.* 103. seq. Quando etiam J. G. *Pritius* in Introductione ad Lectionem Novi Testamenti de *Publicanis* parum accurate disserit, idem meruit censuram *Jo. Clerici* dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne Tomo XXII. *pag.* 65. cujus verba repetere haud pigeat. *Notre Auteur semble vouloir egaler* S. Matthieu, *en qualite a ceux qu' on nommoit* Publicani, *a Rome*. *C' etoient* des Chevaliers Romains, *qui prenoient a ferme les revenus de la Republique; mais ces gens la ne se tenoient pas aux* Buraux. *ou l' on payoit les droits, que les* Romains exigeoient *de leurs Sujets*; *cela se faisoit* par des Commis, *qui n' etoient pas* Chevaliers Romains, *& qui etoient souvent des Esclaves; comme on le pourroit prouver, par plusieurs passages de* Ciceron. Tanto autem libentius *Clerici* verba excerpsimus, quanto facilius inde emendare licebit *Lightfootum*, qui tum in locis supra citatis, tum in Harmonia IV. Evangelistarum *pag.* 324. 525. consimiles fere errores admittit in *Publicanis Romanorum* describendis.

(95) Ita enim censet Comment. in Lucam pag. 567. A. non facile quis exemplum inveniet, alicui *Provinciam unam bis fuisse datam* maxime sub Augusto. Nam sub Consulibus id facilius contingere potuit, ut quispiam tanquam Proconsul aut Prætor provinciæ præfuerit & postea belli tempore rursus tanquam Consul eandem obtinuerit. Sed *Syria* erat *Augusti Provincia*, quæ non sorte, sed pro arbitrio Augusti dabatur.

(96) In annotationibus ad *Eusebii* Hist. Eccles. libr. I. cap. 5. p. 10. ita disserit: in hac *Scaligeri* sententia, qua *duas* fuisse censet *Judææ descriptiones*, utramque a Quirinio factam, multa occurrunt parum verisimilia. Primo enim *Quirinium bis missum* fuisse oportet *Legatum in Syriam*, bis ad eandem rem, videlicet ad census agendos: primum quidem circa ortum Christi, deinde vero decem circiter post annis, cum relegatus fuisset Archelaus. Atqui non est probabile, eundem hominem bis missum fuisse ad regendam provinciam. Quod si jam facta fuerat descriptio, cur iterum fit per eundem virum? Nam si recte & sine fraude facta fuerat, novam facere nihil necesse erat: sin male & inique facta, alium mitti oportebat, qui æquiorem faceret descriptionem.

(97) At enim *exempla* illorum, qui in *easdem provincias cum eodem vel diverso munere* sunt missi, collegit *Casaubonus* exercit. I. ad Apparatum Annalium Baronii num. 32. pag. 130.

(98) Jo. *Barbeyrac* in notis ad versionem Gallicam librorum H. *Grotii* de Jure Belli & Pacis ad lib. I. cap. 3. §. 21. num. 25. pag. 161. observat hanc ἀπογραφὴν a Luca commemoratam spectasse ad *delectus* in posterum *habendos*, sive milites conscribendos. Quid? quod idem *Barbeyrac* cum Jo. *Clerico* Tomo XVIII. Bibliothecæ Universalis & Historicæ pag. 281. hanc in rem laudat *Jac. Perizonii* dissertationem de Augustea Orbis descriptione. Utut erit, *solam nominum descriptionem* hic apud *Lucam* juxta cum aliis intelligit *Jac. Altingius* de Schilo libro III. cap. II. pag. 182. Et profecto istiusmodi ἀπογραφὴ in *tabulis censoriis*, utramque faciebat paginam: neque enim inde solum scire poterant Romani *numerum militum*, quos *sociis* imperabant (vide *Justum Lipsium* de Militia Romana libr. I. Dialogo VII. pag. 45. Tomo III. Operum) sed & *ætatis militaris* certissimam habebant rationem. Apud *Hebræos* annum vigesimum excedentes arma ferebant. Vide Numerorum I. 3. 20. XXVI. 2. 4. coll. Numer. XIV. 29. Exodi XXXVIII. 26. 2. Chronic. XXV. 5. & adde *Jac. Lydium* in Syntagmate Sacro de Re Militari libro I. cap. 4. p. 17. *Bonaventuram Cornel. Bertramum* in Lucubrationibus Prancktallensibus cap. II. Autorem Anonymum, qui edidit dissertationem sub hoc titulo: Essai d' une nonvelle Vie de David, ou dissertation Critique sur le Pseaume CX. pag. 60. apud *Massonum* Tomo II. Histoire Critique de la Republique des Lettres, tant Ancienne que Moderne. Apud *Romanos ætas militaris*, sive qua militare solebant, erat annus decimus septimus: quæ vero vacationem a militia dabat, erat annus quadragesimus quintus finitus. Confer *Sam. Pitiscum* lexici Antiquitatum Romanarum Tomo I. pag. 52. Firmiorem igitur ætatem elegit Deus ad militiam in populo suo: vacatio autem non dabatur nisi post annum quinquagesimum absolutum: id S. Scriptura non meminit: docet vero *Josephus* Antiquit. Jud. lib. III. cap. II. aut aliis 15. ἀπὸ εἴκοσι ἐτῶν ἕως πεντήκοντα Judæos stipendia fecisse scribens.

(99) *Prima descriptio*, inquit in Spicilegio Evangelico §. 24. *innoxia neminem movit, ac propterea non digna memoratu visa a Josepho prætерita fuit*.

(100) En ejus verba in notis ad Lucæ II. 2. *de censu hoc, quem Lucas hic attingit, Josephus memorare insuper habuit, quia cum tributorum indictio non accederet, nihil in eo evenerat memorabile*.

(101) Dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne Tom. XXVIII. p. 92. existimat *Josephum* ideo de hoc censu tacere, quod inde nulla rerum conversio facta esset apud Judæos, sed Augustus tantummodo cupidus cognoscendi opes & copias imperii, censum egisset sine ullius in præsens exigendæ pecuniæ studio.

(102) Posteaquam dans l' Histoire des Juifs libro I. cap. VI. §. 3. pag. 153. observaverat Quirinum extra ordinem missum fuisse ad hunc censum peragendum, addit; ita demum & Lucæ fidem confirmabimus, & *Josephum* recte tuebimur.

(103) Ita enim loquitur *Valesius*, dum contra *Scaligerum* disputat: *non addit Lucas* ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς δευτέρας ἀπογραφῆς *sed tantum dixit* τῆς ἀπογραφῆς, *unicam fuisse innuens descriptionem*. At vero hanc insignem esse *Valesii* cavillationem quis non videt, neque enim opus erat hic vocem δευτέρας addi, cum Lucas alteram illam ἀπογραφὴν ab hac distinguendam alio loco & tempore πρώτην sive primam appellasset.

(104) *Josephum Baronius* Tomo I. Annalium ad A. C. I. num. 57. & ad A. C. XVI. num. 4. accusat, & gravissimis quidem verbis, quod dicat *Judam* turbas movisse in *posteriore censu*: nam id accidisse *prioris census* tempore, quando natus est Christus. Audio quid dicat hic *Baronius*, rationem cur hoc dicat, solidam nullam audio. *Josephus* scriptor gravis & vernaculus seditionem Judæ accidisse affirmat propter censum posteriorem, neque hoc semel, aut obiter, sed bis serio idem confirmat. Nam & libro XVIII. historiam narrat, & libro XX. cap. 3. eandem repetit. Quemadmodum autem *Baronius* frustra

ftra fugillat *Josephi* fidem, ita *Joannes* quoque *Lightfootus* in Harmonia quatuor Evangelistarum pag. 288. Tomo I. Operum præpostero quodam consilio *Josephum* notat. Confer de fide *Josephi* in hoc argumento judicia *Hugonis Grotii* in notis ad Lucæ II. 2. & *Petri Possini* in Spicilegio Evangelico §. 24.

(105) *Baronius* in Apparatu ad Annales Ecclesiasticos num. 87. negat posse hanc *primam descriptionem* dici, quia jam inde *a Pompeji temporibus censum solverint Judæi*: at vero illud argumentum parum firmo nititur fundamento. Quid enim? non potuerunt Judæi pensitare Romanis certum tributum, nisi Romani prius mitterent, qui *tabulas censuales* conficerent? non potuerunt ipsi per se exsolvendi tributi, quod esset imperatum, rationem inire, nisi aliquis veniret Roma Quirinus, qui *fortunas* ipsorum *describeret*? nimis hoc quidem absurdum est: neque *Josephus* & alii Historici hoc observare prætermisissent. Apud *Josephum* libro XIV. cap. 8. & iterum cap. 18. magna vis pecuniæ a Judæis dicitur extorta, de *facta* tum per Romanos *descriptione* verbum nullum. Vide *Casaubonum* Exercit. I. ad Apparatum Annalium *Baronii* n. 31. pag. 128. n. 32. pag. 130. itemque *Petavium*, qui in animadversionibus suis in *Epiphanium* pag. 129. eandem *Baronii* sententiam obelis configendam esse judicat.

(106) Etsi autem *Josephus* solet *Quirinum* appellare τιμητὴν Ἰουδαίας quasi *in sola Judæa censum* habere jussus esset, ut libro XV. c. 4. & Excidii lib. VII. c. 30. egit tamen *Quirinus* censum non in *Judæa* duntaxat, verum in tota *Syria*: quod ista declarant libri XVII. extremo: ἀποτιμησόμενος τὰ ἐν Συρίᾳ *ut censum ageret bonorum in Syria*. Quæ cum ita sint, fallitur *Scaliger*, jure ab *Henr. Valesio* in annotationibus in lib. I. Hist. Eccles. *Eusebii* cap. 5. pag. 11. notatus, cum ait posteriorem descriptionem ad Tetrarchiam Archelai, & ejus bona duntaxat pertinuisse. Etenim *Josephus* diserte scribit, *Quirinium* a Cæsare missum ad *census agendos per Syriam ac Judæam*. Ceterum vox τιμητὴς apud *Josephum* minus recte vertitur a *Ruffino censor*: *censitores* enim isti, non censores dicti. Vide titulum Pandectarum de Censibus. Quid? quod *Hesychius* hæc habet: κηνσήτωρ ὁ τὴν γῆν μετρῶν, qui dicitur ἐξισωτὴς *Gregorio Nazianzeno* in Oratione de Juliano Censitore: In Cod. Theodos. *peræquatores* ad verbum ἐξισωταὶ sic dicti, quod libros censuales emendarent, & onus tributi, habita ratione census, ex æquo inter cives dividerent. Confer *Henr. Valesium* in notis ad *Eusebii* lib. IV. de vita Constantini cap. 3. *Casaubonum* Exercit. I. adversus *Baronium* num. 30. pag. 125. exercitat. XVI. num. 6. pag. 399. *Huetium* in Demonstratione Evangelica Proposit. IX. cap. 10. §. 5. *Pitiscum* in lexico Antiquitatum Romanarum in vocibus *Peræquatores* & *Censitor*. J. C. *Bulengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani cap. XII. p. 853. Tomo VIII. Thesauri *Grævii*, *Carol. Emanuelem Vizanium* de mandatis Principum cap. VIII. *Jac. Gutherium* de Officiis Domus Augustæ lib. III. cap. 9. *Sertorium Ursatum* in Commenrario de Notis Romanorum pag. 602. Tomo XI. Thesauri *Grævii*.

(107) *Judæ* huic *nomen duplex* imo *triplex* imponitur ab urbe natali, a loco educationis, & habitationis. Ipse *Josephus* qui solicite Galilæam & Gaulantin distinguit, cum Galilæum appellat Ant. XX. 3. Gaulaniten Ants XVII. 1. & urbs Gamala patria Judæ erat urbs Gaulanitidis. Vide *Josephum* Ant. XVIII. 1. erat autem eodem teste *lib.* III. de Bello *cap.* 2. Gaulanitis ad ortum Galilææ. Vide plura de hoc *Juda* sive *Gaulanite* sive *Galilæo* apud *Sebast. Lenain De Tillemont* dans l' Histoire des Empereurs & des autres Princes qui ont regne durant les six premiers Siecles de l' Eglise Tomo 1. *pag.* 699. *Jo. Lundium* in den Judischen Heiligthumern libro IV. *cap.* 16. *pag.* 810. *Rich. Montacutium* P. 1. Originum Ecclesiasticarum *p.* 315. 323. *Jac. Altingium* de Schilo *lib.* IV. *cap.* 20. *pag.* 289. *Jo. Le Sueur* dans l' Histoire de l' Eglise & de l' Empire P. 1. ad A. C. 9. *pag.* 42. *Jo. Seldenum* de Titulis Honorum P. 1. *cap.* 4. §. 1. *pag.* 59. *Jo. Christoph. Wolfium* in notitia Karæorum *p.* 32 *Paulum Pezronum* dans l' Antiquité des Tems defendue *cap.* 4. *pag.* 245. P. D. *Huetium* in Observationibus & Notis ad *Origenis* Commentaria *pag.* 82. *sequ. Balthas. Stolbergium* in Dissertatione de Herodianis §. 29. seq. *Adrianum Relandum* in Palæstina *pag.* 181. *Jo. Henr. Hottingerum* in notis ad *Goodvvinum p.* 243. *Ludov. Capellum* in Historiæ Judaicæ compendio ad A. C. 2. 6. 9. *Is. Casaubonum* Exercit. 11. adversus *Baronium n.* 18. *pag.* 177. *Basnagium* dans l' Histoire des Juifs libro 1. *cap.* 17. §. 11. *pag.* 491. *Usserium* in Annalibus Vet. & N. Testamenti *pag.* 609. *Bonav. Cornel. Bertramum* de Republica Ebræorum *cap.* XIX. & *Constantinum L' Empereur* in Commentario in eundem.

(108) De Bello Judaico *lib.* VI. *cap.* 26. *poscunt Romani* τὸν συνήθη δασμὸν solenne tributum, *quod Patribus eorum Patres nostri præstiterunt*, *quod si receperint*, *nec civitatem populantur*, ὅτε ψαύεσι τῶν ἁγίων *nec sancta omnino tangunt*.

(109) In fine Habakuk: *delebuntur Romani*, & *non exigent* קיסובוא censum *ex Hierosolymis*.

(110) In Apolog. cap. 13. *agri tributo onusti*, *viliores*: & *hominum capita stipendio censa*, *ignobiliora*: *nam hæ sunt notæ captivitatis*. Confer *Lipsium* de Admirandis, sive Magnitudine Romana *lib.* II. *cap.* 2. & *Grotium* ad Matthæi XXII. 17. qui huc *Tertulliani* locum afferunt, at magnam illi lucem affundit *Henr. Valesius* in notis ad *Ammiani Marcellini lib.* XVI. *cap.* 5. *pag.* 128. Hæc enim ejus verba sunt: in Orientalibus provinciis *plebs urbana* a capitatione erat immunis, & *rusticana plebs* sola pro capitatione sua conveniebatur, ut est in lege 2. Cod. Th. de censu. Hinc lucem accipit dictus *Tertulliani* locus. Soli enim *plebeji* ac *viles capitis tributum* pendebant non pro suis duntaxat capitibus, sed etiam pro uxoribus & adultis liberis, ut docet lex 4. & 6. Cod. Th. de censu & adscript. & lex 4. de excusatione artificum Cod. eodem. Auctor Panegyrici Flaviensium nomine Constantino dicti: *certe & nunc liberi parentes suos cariores habent*, & *mariti uxores non gravate tuentur*, & *parentes adultorum non pœnitet filiorum*, *quorum onera sibi remissa lætantur*. Adde legem X. in Cod. Just. de agricolis & censitis.

(111) *Judæos* autem illa ætate multa mala a *militibus Romanis* pati debuisse, vel ex eorundem militum *pravis moribus* colligere licet, quos tangit Joannes Baptista apud Lucam III. 14. *Duplex* erat *militia* apud *Romanos*, altera *Castrensis* seu *legionaria*, altera *civilis*, quæ etiam *cohortalis militia* dicitur in *Codice Theodosii*. Qui in hanc cohortalem militiam adscripti erant, vulgo a *Latinis Officiales* seu *apparitores* vocantur: a *Græcis* autem communi vocabulo στρατιῶται. Sic *Themistius* in Oratione 1. *p.* 38. & *Chrysostomus* Homilia 1. in Epistolam 1. ad Corinthios *pag.* 8. & 10. & in Homilia LXII. in Evangelium Matthæi. Quin etiam στρατεύειν est *apparitoris officio fungi* apud eundem *Chrysostomum* Homilia 1. in Matthæum. Ceterum hi milites sive apparitores Præsidum *fiscalia tributa* exigebant. Vide *Henr. Valesium* in Annotationibus ad *Eusebium pag.* 197. qui & pag. 156. vocem κατασείων qua Joannes Baptista utitur, egregie explanat. Veram notionem vocis συκοφαντεῖν quæ ibidem occurrit, satis luculenter exponit *Constantinus L' Empereur* in notis ad בבא קמא sive Codicem primum de Damnis pag. 87. P. IV. Mischnæ *Guil. Surenhusii*. Ut nunc taceam Jo. *Lightfootum* in Harmonia IV. Evangelistarum, & *Guil. Budæum* in Commentariis Linguæ Græcæ pag. 384. Ceterum in *minoribus provinciis*, quæ a *Procuratoribus* regebantur, qualis erat *Judæa*, solæ *cohortes* aut *alæ* fuerunt. Vide *Lipsium* de Magnitudine Romana lib. 1. cap. 4. pag. 676. Operum. Interim hoc loco subjungenda sunt verba *Samuelis Petiti* in Variis Lectionibus cap. XVIII. *procul dubio* provinciæ Cæsaris, *ut quæ armis essent tenendæ*, graviori onere premebantur, *quam* provinciæ populi: *vectigalia enim pendebant non minus quam* provinciæ populi, *ut exemplo* Judææ *docemur*, & *prætorea tributum quoque alendis militibus*. Et *Augustus* quidem *novam formam provinciis* induxit, aliis sibi servatis, in quibus *armorum* opus *præsidio* erat, quæ inde *Cæsaris provinciæ* dictæ, aliis *Senatui* & *Populo Romano* redditis, quas *provincias populi* dixerunt. Vide omnino *Andream Alciatum* in Dissertatione de Magistratibus, Civilibusque & Militaribus Officiis *pag.* 330. *Tomo* I. Thesauri Novi de *Sallengre*, *Nicolaum Bergierium* de Publicis & Militari-

taribus Imperii Romani Viis *lib.* IV. *sect.* 29. §. 2. *Buiengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus Pop. Romani *cap.* II. *Petrum* de *Marca lib.* V. de Concordia Sacerdotii & Imperii *cap.* 1. §. 3. *Onuphrium Panvinium* in libro de Imperio Romano *cap.* 15. & 16.

(112) Præclarum illud *Jacobi vaticinium Genes.* XLIX. 10. certatim doctissimi homines explanarunt, quorum magnam seriem videre licet apud *J. A. Fabricium* in Syllabo Scriptorum, qui veritatem religionis Christianæ asseruerunt *cap.* 31. *pag.* 585. *C. M. Pfaffium* in Introduct. in Hist. Theol. Parte III. *pag.* 530. *Jo. Henr. a Seelen* in Meditationibus Exegeticis *pag.* 27. *Jac. Frieder. Wildeshausen* in Biblioth. disputation. Exegeticarum *pag.* 34. In tanto autem scriptorum numero inprimis huc referendos nominamus *Cellarium* in dissertat. de Cn. Pompeji M. expeditione Judaica sive initio ablati ab Juda Sceptri, §. 20. & *Casaubonum* Exerc. I. *num.* 2. *pag.* 20.

(113) In animadversionibus suis ad versionem Gallicam librorum *Grotii* de Jure Belli & Pacis *lib.* 1. *cap.* 3. §. 23. *pag.* 166.

(114) Vide *Livium* lib. XXXVII. cap. 54. n. 25.

(115) Adde *Grotium* de Jure Belli & Pacis *lib.* III. *cap.* 15. §. 4. & 10. *Franc. Guillimannum* de rebus Helvetiorum *lib.* 1. *cap.* 3. & *Corn.* van *Bynkershoek cap.* 9. dissert. ad legem IX. Digest. de lege Rhod. *pag.* 90

(116) Libro I. de Jure Belli & Pacis *cap.* 23. §. 23. in notis *pag.* 166. editionis *Barbeyraci*. Sed & *Grotio* adde *Wagenseilium* in Confutat. Carminis R. *Lipmanni pag.* 303. itemque in dissertatione ad Christoph. Arnoldum de Loco Classico *Genes.* XLIX. 10. *pag.* 247. Fasciculo V. Opusculorum, quæ ad Historiam & Philologiam Sacram spectant.

(117) Plura veterum de *Romanorum erga victos moderatione* testimonia collegit Anonymus Scriptor dissertationis, cui titulus. Essai d'une nouvelle Vie de David, ou Dissertation Critique sur le Pseaume CX. *pag.* 26. apud *Massonum Tomo* II. Histoire Critique de la Republique des Lettres tant Ancienne que Moderne.

(118) Neque tamen negandum esse qui existiment *sceptrum a Judæis ablatum esse* cum imperium gentis ad *Herodem peregrinum hominem* devolutum esset. At vero docti homines, quisque pro suo captu respondent. Quando enim *Nicolaus Damascenus* apud *Josephum lib.* XIV. *cap.* 2. genus Herodis deducit *ἐκ τῶν πρώτων Ἰουδαίων ex primariis Judæis*, qui ex Babylonia reverterunt, in eandem sententiam præter *Petrum Possinum* in Spicilegio Evangelico §. 26. *pag.* 68. transit *Augustinus Torniellus* in Annalibus Sacris ad A. M. 4028. affertque argumenta speciosa magis quam solida, quæ ad examen vocat *Fried. Spanhemius* Dubior. Evang. P. II. dub. 16. pag. 236. Quid? quod Jesuita *Poussinetus* in singulari quadam ad *Huetium* Epistola (quæ legitur dans les Dissertations sur diverses matières de Religion & de Philologie; contenues en plusieurs Lettres ècrites par des Personnes savantes de ce tems; reecuillies par M. l'Abbè *de Tilladet*,) Herodis genus ex tribu Juda deducit: quam Jesuitæ sententiam ita exponit Journal Literaire *Tomo* I. *pag.* 249. le Pere *Poussinet*, celebre Jesuite, avoit avanee un sentiment tout a fait particulier touchant *Herode*, dont fait le *Legislateur*, ou *le Chef*, qui devoit sortir *de la cuisse de Juda*, & ainsi il avoir entrepris de prouver, qu' *Herode descendoit en ligne directe de Juda, fils de Jacob*. Dans ce dessein il avoit refute *Casaubon*, *Scaliger*, & l'Historien *Josephi* meme, qui pretendoient tous qu'Herode etoit de race *Idumeenne*, de la Ville d'*Ascalon*, nè d'un Pere Proselyte, & par consequent ni ètranger proprement, ni Juif. At vero cum *Nicolaus Damascenus* multa fecerit, scripseritque *in gratiam Herodis*, cujus amicus erat & ad Cæsarem legatus, *fidem* clarissimi scriptoris quidem *non sugillamus*, *nec vero tuto satis in illa innitemur*. Confer *Cellarium* in Dissertatione de Cn. Pompeji M. expeditione Judaica sive Initio ablati a Juda sceptri §. 15. & *Jac. Usserium* in Annalibus Veteris & Novi Testamenti *pag.* 413. Esto ergo *Idumæum Herodem* fuisse & *Ascalonitam*, tamen inde non probabitur ab Herode sceptrum Judæis ablatum esse. Vide omnino *Campegium Vitringam lib.* IV. Observationum Sacrarum *cap.* VI. §. 8. *pag.* 957.

(119) At vero *Jacobus Altingius* de Schilo *lib.* II. *cap.* 6. *pag.* 110. & *cap.* 9. *pag.* 121. vaticinium Ezechielis de Zedekia exponit, utpote cum huic Deus illud exitium minetur.

CAPUT III.

Historia Fisci Judaici inde a pulso Archelao, ad exscidium Hierosolymitanum.

I. Altera Periodus Historiæ, quæ ad *Fiscum Judaicum* pertinet, sistit nobis *Tiberium*, & tributa ab eodem Judæis imposita. Nullum autem dubium est, quin adhuc illa ætate multi *Judæ illius Galilæi*, quem diximus, *sectatores* exstiterint in sacris literis vel tacito vel expresso nomine designati. Et *Galilæos* quidem illos, quorum sanguinem *Pilatus* cum eorum sacrificiis miscuit (1) teste *Luca* XIII. 1. pro *Judæ Galilæi sectatoribus* habent viri doctissimi (2) si a *Joh. Clerico*, qui reliquis refragatur (3) discesserit. *Josephus* quidem ejus cladis, aut, ut rectius dicam, stragis non meminit (4) & dubium adhuc est, an ejus rei funestissimæ memoria apud Talmudicos occurrat: quamvis id ipsum affirmet *Jac. Alringius* de Schilo *lib.* IV. *cap.* 4. *pag.* 220. & *Jo. Bened. Carpzovius* (5) sed, utut erit, *silentium* scriptorum Judaicorum *fidem sacrarum literarum* elevare haud poterit. Quid porro de *sicariis* dicendum sit, quorum Lucas in *Actis* XXI. 38. meminit, audiamus necesse est. *Thomas Goodwinus* in Mose & Aarone *lib.* I. *cap.* XIII. §. 5. *pag.* 246. digitum intendit puta ad *Judæ Galilæi sectatores*, a qua sententia non recedit longius *Sebast. Lenain de Tillemont* dans l'Histoire des Empereurs & des autres Princeps, qui ont regnè durant les six premiers Siècles de l'Eglise *Tom.* I. (6) Alia adhuc alii de istiusmodi *Judæis sicariis* observant, uti videre licet apud *Jo. Drusium* de tribus Sectis Judæorum *lib.* II. *cap.* 24. *pag.* 118. *lib.* IV. *cap.* 21. *pag.* 213. *Nicol. Fullerum lib.* II. Miscellaneorum Sacrorum *cap.* 3. *Josephum Scaligerum* in Animadversionibus Eusebianis, *Jo. Casp. Suicerum* in Thesauro Ecclesiastico in voce Σικάριος, *Jac. Usserium* in Annalib. V. N. T. *pag.* 676. & *Ægidium Menagium* in Juris Civilis Amœnitatibus *cap.* 39. *pag.* 351. Cum vero *Judæ Galilæi sectatores* iniquissimo animo Romanorum Magistratuum imperia ferrent, negantes homini Judæo licere cuiquam servire, præterquam Deo, quem *solum Dominum ac rectorem* vocabant, vide *Josephum Ant. Jud. lib.* XVIII. *cap.* 2. cum hancce doctrinam a multis libenter exceptam doceat *Josephus* (initio ejusdem libri) qui sane si non ore,

ore, saltem animo ei doctrinæ favebant, tales nonnullos Christianorum cœtui sese adjunxisse mirum non est, a D. Juda Apostolo notatos in sua Epistola v. 8. Eide Vide *Jo. Clericum* in Animadversionibus in Paraphrasin *Hamondi* ad h. l. qui *Clericus* de Judæ sectatoribus hæc addit dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne *Tom.* XXII. *pag.* 81. *il semble en effet, que le soin que* S. Paul *&* S. Pierre *ont pris d'avertir les* Chrètiens d'ètre soumis à la Puissance Souveraine, *n'est que pour les emplecher de se laisser* sèduire par ces gens-là, *& de donner sujet de dire que* les Chrètiens ètoient des sèditieux, & que leur religion n'ètoiet qu'une Doctrine factieuse, *ce qui est la plus facheuse objection que l'on puisse faire à unt Secte*. Voyez *Rom.* XIII. I. 2. I. *Pier.* II. 13. II. *Per.* II. 10. Idem est de *Judæ sectatoribus* judicium *Francisci Hare* in duabus concionibus sub hoc titulo editis: Two Sermons on *Rom.* XIII. I. 2. I. concerning the Duty of the Subject. II. Setting forth the sin & folly of entring in to Conspiration against the present Government. Nimirum, quemadmodum *Judæ sectatores* nulli subjecti esse volebant, ita *Franc. Hare* suspicatur, etiam inter *Christianos* quosdam eandem sententiam secutos esse, vel saltem simile quid ab illis qui inter Judæos & Christianos non distinguebant, exprobratum fuisse, ut adeo Paulus hoc præceptum de obsequio Magistratibus præstando, Epistolæ suæ inserere voluerit. Vide hæc excerpta ex dicto libro Anglico apud *Mich.* de la *Roche* dans les Memoires de la Grande Bretagne *Tom.* XV. *pag.* 248. *seq.* Transimus nunc ad alios Scripturæ locos, in quibus *Judæ sectatores* designantur Judæi. Quid? Judæi illi, qui Johannis VIII. 32. Christo dicebant: *Abrahæ progenies sumus, neque cuiquam servivimus, qui fit, ut tu dicas: nos liberos factum iri?* ex Judæ Galilæi sectatoribus fuisse creduntur, judicio *Johannis* le *Sueur* dans l'Histoire de l'Eglise & de l'Empire *P.* I. ad A. C. 9. *pag.* 42. *Ludov.* Capelli (7) *Joh. Nicolai Schulini* in dissertatione de numismate Census §. 7. & *Nicolai Serarii* in Minervali *lib.* III. *cap.* I. *pag.* 55. neque vero me fugit, *Danielem Heinsium* (8) *Joh. Seldenum* (9) & *Johann. Christoph. VVagenseilium* (10) aliam iterumque aliam verborum illorum apud Johannem afferre interpretationem. Si ad *vaticinia in antiquo fœdere* pergere velimus, nullum est dubium, quin illi *Judæ sectatores* tacito saltem nomine designentur. Ita enim verba Esaiæ *lib.* II. de istiusmodi hominibus, eorumque exitio optime interpretatur *Camp. Vitringa Tom.* II. Commentarii in Esaiam *pag.* 614. ita quidem, ut horum verborum sensus sit: *vos omnes, qui concitatis ignem*, qui instituitis motus adversus Romanos, prurientes ad bella & pugnam, gentemque totam nitentes concitare in seditionem & rebellionem. (11) *Quique circumponitis maleolos*, hoc est initiis seditionis & rebellionis subministratis materiam ac fomites, ut ignis in flammam exeat (12) *ite*, licet, *in flamma ignis vestri, & in malleolis, quos accendistis*, hoc est (13) si omnino hoc vobis stat consilium, ite, & experimini, quem exitum habiturum sit bellum, nempe funestum. *A manu mea vobis hoc evenit*. Certe Christum apud *Matthæum* XXVI. 64. sibi exsertis verbis judicium in rebelles Judæos & præsertim Hierosolymitanos vindicat, quemadmodum & ipse Titus Hierosolymorum domitor fateri voluit, debuit, (14) nec inter Judæos *Josephus* (15) observare neglexit.

II. Jam vero videndum erat, quid *profani Scriptores de Judæis sub Tiberio tributariis* referant. *Tacitus lib.* II. Annalium testis est, sub Tiberio *provincias Syriam atque Judæam fessas oneribus, diminutionem tributi orasse*: quæ *Taciti* verba hoc modo illustrat *Jacobus Basnagius* dans l'Histoire des Juifs *lib.* I. *cap.* V. §. 6. *pag.* 128. les Exactions ètoient rigoureuses *sous Auguste*, puisqu'on paioit *le centieme Denier*; *Tibere* la rèduisit à la moitiè, mais, immèdiatement après la mort de Sèjan, il remit le prèmier Impot. Ce fut ce qui fit crier les Juifs & les Syriens, qui avoient goutè la Douceur du Soulagement, & qui le voioient finir. Ils furent plus heureux *sous Caligula*, qui l'abolit entièrement dans son troisieme & quatrieme Consulat l'an 792. ou 793. comme les Medailles produites par Mr. Patin le prouvent evidemment. (16) Nec alienum nec incommodum fuerit hoc in loco quædam de *relevatione censuum* addere. Nimirum quoties seu privati, seu civitates *fundos suos nimio censu gravatos* esse, conquesti erant, adeo ut agri steriles & inculti *modum adscripti census* ferre non possent: mittebatur a Principe *peræquator*, seu *inspector*, qui an justæ essent querimoniæ diligenter inspiceret: qui prout retulerat ad Principem, *censum* Princeps *relevabat*. Hanc *relevationem* intellexit *Spartianus* in Nigro: *Palæstinis*, ait, *rogantibus ut eorum* censitio levaretur, *respondit: vos* terras vestras levari censitione vultis; *ego vero etiam aerem vestrum censere vellem*. Et autor Panegyrici Flaviensium ad Constan-

ſtantinum: *Relevaturus cenſum definiſti numerum*. Et paulo poſt: *ſeptem millia capitum remiſiſti, quartam amplius partem noſtrorum cenſuum*. Et hæc de *relevatione* paſſim loquuntur Imperatores in Cod. tit. de Cenſitoribus peræquat. Vide plura hanc in rem apud *Henr. Valeſium* in notis ad *Ammiani Marcellini lib.* XIX. *cap.* 11. *pag.* 244. *Bulengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus Pop. Romani *cap.* 17. *pag.* 862. Jam vero mitimus *Tacitum*. Ad *Appianum* pergimus in Syriacis itidem hujus rei ſatis dignum teſtem (17) ἔϛιν, inquit ille, Ἰουδαίοις ἅπασιν ὁ φόρος τῶν σωμάτων (18) βαρύτερος τῆς ἄλλης περιουσίας· ἔϛι καὶ Συροῖς καὶ Κίλιξιν ἐτήσιος ἑκατοςὴ τοῦ τιμήματος ἑκάϛῳ *Judæis cunctis* tributum capitis *gravius eſt*, *quam* reliquarum facultatum. *Eſt etiam* Syris *&* Cilicibus annum centeſimum *pro modo cujuſque cenſus*. Ex hiſce *Appiani* verbis *Joh. Camero* in Myrothecio Evangelico ad *Matthæi* XVII. 24. *Juſtus Lipſius* (19) *Marquardus Freherus lib.* III. Parergωn *cap.* X. & *Jac. Baſnagius* (20) colligunt, *Judæis* quoque *tributum centeſimæ* impoſitum eſſe, at negat id ipſum *Joh. Seldenus* (21) & diverſo modo verba *Appiani* interpretatur. Eandem cum *Seldeno* verborum *Appiani* interpretationem tueri videtur *Bulengerus* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* 17. *pag.* 863.

III. Miſſis ſcriptoribus profanis, audiamus *ſacrarum literarum de fiſco Judaico teſtimonia*. Occurrunt autem nobis verba *Matthæi* XVII. 24. de *didrachmorum penſitatione*: quæ verba non adeo perſpicua & clara ſunt, uti ex tot doctorum hominum diſſenſu colligere licet. Falluntur inprimis, qui *didrachmorum penſitationem* de *portoriis* intelligunt. Quamvis enim *Capernaum*, ubi de hiſce didrachmis ſermo inſtituitur, *urbs* fuerit *maritima* Matthæi IV. 13. & *celeberrimum emporium*, quamvis *telonia* eſſe ſoleant *circa maria*, ubi a præternavigantibus aut applicantibus vectigalia exiguntur, (22) nondum tamen inde efficies *didrachma* ad *pdrtiria* referenda eſſe. Et profecto doctiſſimi quique viri, non tam de *portoriis*, quam de *tributo capitis* cogitant, etiamſi magnus ſit de hoc capitis tributo doctorum hominum diſſenſus. Sunt qui (23) per *didrachmorum penſitationem* intelligunt *tributum Cæſari debitum*, cujus tunc modus *didrachmum* fuerit, nec *tributo ſacro* omnino diſpar. Sunt qui (24) didrachma hæc ad *penſitationem a Deo* in uſum tabernaculi aut templi *inſtitutam* referunt. Utriuſque ſententiæ viros doctiſſimos recenſui, eorundem argumenta utrinque allata nec libet in præſenti nec vacat ad veritatis lancem exigere: ſi quæres *Joh. Bened. Carpzovium* (25) & *Sebaſt. Schmidium* (26) quænam ſententia ſit præferenda? utraque horum virorum judicio bona eſt, & divino Chriſti ſenſui accommodata, utraque potius conjungenda quam ſeparanda, ut ad Petrum veniſſe dicantur *exactores non tantum ſicli templo ſolvendi*, *ſed & cenſus Imperatori Tiberio dandi*, *& de utroque ſiclo ſeu didrachmo quæſiviſſe*, an Jeſus ſolveret? qui Petro mox imperaverit, ut ejecto hamo captum piſcem traheret, & inventum ſtaterem quatuor δίδραχμα continentem vulgaria, vel duo ſacra pro utroque, Chriſto & Petro ſolveret. At vero hæc conciliatio diverſarum ſententiarum, quæ tantopere commendatur, aut nulla fere eſt, aut exigui ſaltem momenti. Pro certo primum affirmant *duplicem fuiſſe Siclum*, *alterum communem*, *alterum Sanctuarii*: qua in re quidem habent multorum ſcriptorum conſenſum (27) non diffiteor, ſed alii multo rectius negant illam inter Siclos diſtinctionem. (28) Atque inter hos adjectis noſtris obſervationibus, præcipue audire juvat *Ludovicum* de *Compeigne* de *Veil* in notis ad *Maimonidis* tractatum de inſtrumento, apparatu & miniſtris templi *cap.* 1. *pag.* 84. Faſciculi VI. Opuſculorum, quæ ad Hiſtoriam & Philologiam Sacram ſpectant: *erat* Siclus *ut videre licet Exodi* XXX. 13. *& Ezech.* XLV. 12. obolorum viginti. *Flavius autem Joſephus* lib. III. Antiquit. cap. 10. *teſtatur* ſiclum *fuiſſe* drachmarum Atticarum quatuor, (29)



unde ſequitur, *ut* duarum *eſſet* drachmarum Hebraicarum. *Etenim* pondera Hebraica *itemque* Alexandrina *erant altero tanto majora* Atticis, *ut cuivis ex* Varone *cognoſcere licet*. *Qua de cauſa* LXX. ſiclum *ubique rediderunt non* τετράδραχμον ſed δίδραχμον, *quia legem interpretabantur* Alexandriæ, cujus pondera ponderibus Hebraicis plane congruebant. (30) *Quæ cum minus perſpecta fuiſſent nonnullis*, *commenti ſunt* duplicem *fuiſſe* ſiclum, unum ſanctum drachmarum Atticarum quatuor, & alterum communem, *qui tamen nuſquam & nunquam reperitur*, duarum tantum drachmarum. *Non eſt ita*: *ſed enim quod* ſicli *paſſim in literis ſacris jubentur* examinari pondere ſicli ſancti, *vel ut textus* He-

Hebraicus ad verbum habet, juxta ſiclum ſanctuarii, *ea cauſa fuit*, *quia in* Sanctuario ſervarentur cuncta pondera, *quæ erant reliquorum omnium certa & perpetua norma*. (31) *Quod &* apud Ethnicos *uſitatum eſſe*, *ut* in delubris *ſuis aſſervarent* pondera, menſuraſque, *atque adeo ſacra putarent*, *ad quorum normam cetera exigerentur*, *literis proditum eſt*. Præterea iſta utriuſque ſententiæ tam diverſæ conciliatio infirmo eſt ſuffulta tibicine: nam judice Joh. *Lundio* (32) ita ſe res habet: *ſi Chriſtus & Petrus utrumque tributum ſimul ſolverunt*, *non unus ſufficiebat ſtater*, *quem Chriſtus nominat*, *ſed peropus erat duobus ſtateribus*.

IV. Sed mittimus illam de *Didrachmis* controverſiam tot tantiſque difficultatibus implicatam, interim tamen ex verbis Chriſti conſtat, *fiſcum Judaicum* illo præſertim tempore *longe graviſſimum* fuiſſe, *cum Reges terræ*, ut Chriſtus ait, *vectigalia aut cenſum exigerent*, Sunt autem *Reges terræ* ipſi *Romanorum Imperatores*, qui apud Scriptores ſacros, itemque profanos, ſive illi Pagani, ſive Judæi ſint, *Regum* nomine inſigniuntur. *Johannes* quidem *Harduinus* in Proluſione Chronologiæ ex nummis reſtitutæ *pag. 39.* νοθέιας ſcriptores accuſat, qui Romanos Imperatores vocat βασιλέας & imperium illorum βασιλέαν, at quantopere fallatur, oſtendere ſecum conſtituerat *Gisbertus Cuperus*, (33) niſi fato ultimo tanti viri conſilium fuiſſet interceptum. Præter hunc autem dignis *Harduinum* modis excepere *Maturinus Veiſſiere la Croze* (34) & *Chriſtophorus Cellarius* (35) ut nunc ſilentio prætermittam, quæ ipſe *Harduino* oppoſui in Commentario meo in Epiſtolam *Juliani* τȣ Παραβάτȣ ad Arſacium *pag.* 5. & vel alii ex ſcriptoribus antiquis, vide *Ezech. Spanhemium* in Obſervationibus ad *Juliani Orat.* I. *pag.* 43. & *Caſp. Barthium libro* I. *Animadverſ.* ad Claudium Rutilium Numatianum *pagin.* 184. vel ex nummis veterum (36) opponi poſſe judicarent. Ita quidem eſt, uti judicat *Claudius Sarravius* in Epiſtolis, *Epiſt.* 72. ad Salmaſium, reperiri fortean poſſe in N. T. aliquot locos, in quibus vox Βασιλεὺς non abſolute ponatur pro ſummo aliquo imperio, ſed tantum pro magna aliqua poteſtate, licet non ſuprema, ut Matthæi *cap.* II. 22. *Harduinus* quidem ex illo Matthæi loco colligit, *Archelaum* æque *regem* ac patrem fuiſſe, quia Βασιλέυειν *regnaſſe* dicatur, & in locum Patris ſucceſſiſſe. Idem judicat N. *de Grainville* dans la Lettre ſur l'uſage qu'on peut faire des Medailles par raport à la Religion. En ipſa verba: *S. Matthieu dit qu'* Archelaus regna après Herode ſon pere. *N' eſt-ce pas ce que veut dire cette* Mèdaille d'Archelaus, *frappèe dans quelque Ville de Grece*, *parcequ' on y a mis* la tète de ce Prince couronnèe d' un Diadème, *avec cette inſcription* ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΕΘΝΑΡΧΟΥ le Roi Ethnarque, *pour marquer qu' Auguſte l' avoit fait Roi*, *& qu' il ſuccedoit à ſon pere Herode*, *qui eſt nommè Ethnarque dans ſes Mèdailles*? Ejuſdem quoque nummi meminit *Nicolaus Toinardus* in fragmento Hiſtoriæ Herodiadum, quod legitur *Tomo* I. Bibliothecæ noſtræ Antiquariæ & Exegeticæ *pag.* 126. at vero quæ & quanta ſit illius nummi fides, alii diſquirant. Nam Archelaum ἐθνάρχȣ *ethnarchæ* honores, non regios ab Auguſto accepiſſe refert *Joſephus lib.* XVII. *Antiquit. cap.* 13. ipſumque antequam poſſeſſionem Auguſtus confirmaret, φυδοποιεῖσθαι τȣ̃ βασιλέως ὀνόματος *regio nomine abſtinuiſſe* (ibidem *cap.* XI.) quod illud unice a Cæſaris auctoritate & adſenſu dependeret. Quid multa? fidem *Joſephi* confirmat alter Archelai nummus, cujus antica pars racemum exhibet cum epigraphe ΗΡΩΔΟΥ, nam Archelaum appellatum fuiſſe Herodem ex *Matthæi* II. & ex *Dione* intelligimus, apud quem *lib.* LV. dicitur Herodes Palæſtinus: in poſtica eſt epigraphe ΕΘΝΑΡΧΟΥ. Vide de hoc nummo *Tomum* I. Bibliothecæ noſtræ Antiquariæ & Exegeticæ *pag.* 126. de voce autem βασιλεύειν *Matthæi* II. 22. obvia *Ægidium Strauchium* in Diſſertatione de Ægyptiaco Servatoris noſtri exilio §. 23. Ceterum quis neſcit, ſacros ſcriptores ſæpe cum vulgo loqui, cui Judaico præſertim, etiam minores principes *reges* dicuntur, quemadmodum *Herodes Antipas* in una eademque Hiſtoria a *Matthæo cap.* XIV. ineunte & *Luca cap.* IX. 7. recte & ex Romanorum genio & decreto τετράρχης *tetrarcha*, a Marco autem *cap.* VI. 14. βασιλεὺς *rex* populari loquendi modo appellatur. Quemadmodum autem *Herodis Antipæ* nummi vocem ΤΕΤΡΑΧΗΣ ſatis luculenter exhibent (vide hoſce nummos apud *Toinardum* in fragmento Hiſtoriæ Herodiadum & *Grainvillium* in Epiſtola ſæpius commemorata,) ita notionem illam vocis βασιλεὺς, qua magnam non ſupremam poteſtatem denotari intelligimus, pluribus illuſtrant *Chriſtoph. Cellarius* in Diſſertatione, qua *Flavii Joſephi* de Herodibus Hiſtoria a νοθέιας ſuſpicione contra *Joh. Harduinum* juſtis vindiciis aſſeritur, §. 9. *Chriſtianus Noldius* in Hiſtoria Idumæa *pagin.* 243. 247. *Jac. Baſnagius* dans l' Hiſtoire des Juifs *lib.* I. *cap.* II. *Salomo Deylingius* P. II.

Ob-

Observationum Sacrarum *pag.* 258. & *Part.* III. earundem Observationum *pag.* 203. *Joh. Gothofr. Lakemacherus* Observationum Philologicarum *Parte* IX. *Observ.* IV. *pag.* 78. *Balth. Stolbergius* in dissertatione de Herodianis §. 5. *Isaac. Casaubonus Exercitatione* XIII. ad annales Baronii *num.* 29. *pag.* 257. *Godofr. Olearius* in Observationibus ad *Matthæum pag.* 274. *Laurentius Begerus Tomo* I. Thesauri Brandenburgici *pag.* 293. *Ludov. Francis. de Fontenu* in Commentatione in nummum Philippi Tetrarchæ, quæ legitur dans l' Histoire de l' Academie Royale des inscriptions & belles lettres *Tomo* V. *pag.* 270. *sequ.* Sed fac in his atque aliis Sacri Codicis locis vocem βασιλεὺς tantum pro magna aliqua, licet non suprema potestate poni, *Petrus* tamen in priori Epistola *cap.* II. 13. 17. Imperatorem Romanum nunc τὸν βασιλέα, nunc βασιλέα ὡς ὑπερέχοντα nominat. Intercedit quidem *Harduinus*, & *Polemonem* nescio quem Regulum Ponti aut partis Ciliciæ intelligit a Petro quasi intento digito demonstratum, at suo more hic difficiles agit nugas. Sit *Polemo iste* a Romanis *Rex & amicus salutatus*, *fiduciarium* tamen & *precarium* habuit *regnum* cum aliis Regibus inter servitutis instrumenta numeratus. (37) Quæ cum secum reputarent doctissimi homines, (38) *Imperatorem Romanum* apud *Petrum* intelligere maluerunt. Et recte quidem *Augustum*, qui in hac *Fisci Judaici Historia* utramque paginam facit, Judæi in Bereschit Rabba majori apud *Raymundum Martini* in Pugione Fidei P. II. *cap.* 10. §. 5. *pag.* 397. & *Petrum Galatinum* de Arcanis Catholicæ Veritatis *lib.* IV. *cap.* 26. appellant hoc modo: קיסר אגוסטא מלך ד רומי: *Cæsarem Augustum Regem Romanorum* qui שית פשט בכל העולם *dominatus sit in toto mundo*, sicut dictum est *Danielis* II. 40. *& regnum quartum erit forte, sicut ferrum, quemadmodum ferrum erit comminuens & domans omnia: & velut ferrum quod est conterens universa hoc comminuet & conteret*. Quid multis verbis opus? namque Judæi sub *Tiberio Augusti successore Johannis* XIX. 15. clamant, se non habere Regem, præter Regem illum, quem per eminentiam quandam *Cæsarem* vocabant, id est *Principem* vel *Regem*. (39) Judæis enim Synonyma sunt אגושתוש קיסר בסילייוס Βασιλεὺς, Cæsar, Augustus, uti ex veterum Judæorum scriptis satis luculenter probavit R. *David Coben de Lara* in עיר דויד sive de Convenientia vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis, & *Joh. Seldenus* de Jure Naturæ & Gentium *libro* VI. *cap.* 17. *pag.* 803. (40) Quando itaque *Imperatores Romani* a Christo *Reges terræ* appellantur, per *terram* hic more scriptorum sacrorum (41) itemque ipsorum Judæorum *sola Judæa* intelligenda erat. Neque enim ita ad rem attinuisse videntur Christum de aliarum terrarum more interrogare, quid de tributo ibi solvendo consequeretur. Neque enim regni aut reipublicæ Israeliticæ jura ad aliorum regnorum, neque horum ad illius amussim exigere voluit Christus (42) sed ad illam ætatem, illamque conditionem, in quo erat *Judæa in provinciam redacta & a Procuratoribus Cæsaris administrata*. Nominat autem Christus τέλη quæ exigantur, *vectigalia generatim* quidem, sed cum præcipue Romanis in usu fuerint *vectigalia*, quæ vel *ex agris*, vel *ex pascuis*, vel *ex portibus* redigebantur, cum tria hæc fuerint dicta, *Decimæ*, *Scriptura*, *Portorium*, (43) ea omnia Christus per vocem τέλη intellexisse videtur. Addit Christus, Imperatores Romanos τέλη ἢ κῆνσον *vectigalia aut censum exigere*, uti in vulgatis sacri scriptoris codicibus legimus. Jam vero inde aliquis colliget, tolerabilem adhuc fuisse Judæorum conditionem, cum *particula disjunctiva* nos doceat, ab Judæis Imperatores Romanos vectigalia, non item tributa simul exegisse. At vero hæc falsa verborum Christi interpretatio vel ex antiquo JCto *Paulo* refutari potest, qui sæpe disjuncta pro conjunctis accipi *in Pandectis* observavit. Præterea nonnulli codices hoc in loco pro ἢ legunt καὶ, ut satis appareat, *cum vectigalibus tributa conjuncta* fuisse ad *populi Judaici* vexationem magis intendendam. Vox Κῆνσος apud Hebræos posteriores frequens, *Romanorum morem* redolet (44) cœpta apud eosdem usurpari inde a *Pompejanis temporibus*: *de vera hujus vocis notione* varia atque inter se discrepantia docti homines tradunt. Ut enim nunc sacrarum literarum interpretes silentio prætercam, sive illi prisci (45) sive recentioris ævi (46) sint, *ipsi Jureconsulti*, quorum tamen res, hic agitur, in diversum eunt, suumque inter se dissensum testantur. Quemadmodum enim apud *Ezech. Spanhemium* de Orbe Romano *Exercitatione* II. *cap.* X. *pag.* 216. videmus inter *Cujacium* & *Jac. Gothofredum* de vera notione vocis *Capitatio* dissensum esse, ita & hic de notione vocis *Census* sive Κῆνσος consimilem observare licet disceptationem. Etenim præter *Isaacum Casaubonium Exercitatione* XVI. ad Annales Ecclesiasticos *Baronii numer.* 6. *pag.* 400. *Jac. Gothofredus Syrum interpretem* N. T. reprehendit, quod vocem

Κῆν-

Κῆνσος de *pecunia ob caput & personam exacta* intelligit. Ac ne frustra interpretem illum notasse videretur, ad inscriptionem tituli Codicis. *Sine censu & rel.* hæc addit: *census est tributum*, *vectigal*, *publica pensitatio*, *onus agrorum non personarum*. Eandem sententiam tuetur J.C. *Bulengebus* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* 12. *pag.* 852. *Tomo* VIII. Thesauri *Grævii*: *tributum in caput*, inquit, *capitatio*, *tributum in solum vel agros*, *census*. Et paulo post ita pergit: *Christus denarium obtulit pro censu*, *quanquam census agrorum erat non personarum*. At vero quod ad veram notionem vocis *census* attinet, præclara est hanc in rem *Henrici Valesii* observatio in notis ad *Ammiani Marcellini lib.* XIX. *cap.* 11. *pag.* 244. *Gothofredo* utique opponenda. En *Valesii* verba: *censualis professio* duo continebat, *modum agrorum*, & *numerum capitum* tam liberorum quam servilium. *Modus agrorum jugatio*, *numerus capitum capitatio dicitur* in Codice utroque. Hinc *jugatio* & *capitatio* interdum jungi solent, ut in lege 9. *Cod.* de agricolis & censitis: *terrenæ* & *animales functiones* in *lege* 23. & *censit.* quæ sunt Synonyma. *Terrenæ* enim *functiones jugationem* significant; *animales capitationem*. Adde legem unicam in *Cod.* de colonis Thracensibus. Utrumque etiam jungit Auctor Panegyrici Constantino dicti Flaviensium nomine. *Habemus enim*, inquit, *& hominum numerum*, *qui delati sunt*, *& agrorum modum*. Hactenus *Valesius*, cujus observationem etiam summopere commendat *Stephanus Baluzius* in notis ad *Lactantii* librum de Mortibus Persecutorum *pagin.* 403. *Tomo* II. Miscellaneorum. Quod vero ad *Syrum interpretem* attinet, is utique *Matthæi* XVII. 25. & XXII. 19. pro voce Κῆνσος habet כסף רישא id est *argentum capitis*, sive pecuniam magis ob caput & personam, quam res, & patrimonium, exactam. An vero Syrus interpres erraverit? nunc dispiciendum erat. *Gothofredus* quidem dictum interpretem errasse existimat, at *Joh. Christoph. Wagenseilius* in Commentario perpetuo in Sota *pag.* 11. tum vindicias *Syri interpretis* adornare tum dissensum suum a *Gothofredo* hisce quidem verbis testari voluit: *equidem haud refragari velim hac notione* vocem Census a plerisque veterum adhibitam, *sed tamen ne gravem dicam scribamus* ejus ætatis & optimæ notæ interpreti, *citra hæsitationem*, *accedo erudito* Grotio, *qui in Comment. ad Matt.* XXII. census nomen *non tantum* ad prædiorum *sed &* capitum onera *referri posse existimat*, *ac se tuetur tum* lib. 8. §. 7. *D.* de Cens. *ubi Cæsariensibus narratur remissum a Vespasiano tributum*, *tum in primis* Ulpiani *illo* in *lib.* 3. *ejusd. titul.* ætatem in censendo significare necesse est, quia quibusdam ætas tribuit, ne tributo oneretur, veluti in Syriis a XIV. annis masculi &c. Hæc *Wagenseilius*, qui & aliud adhuc *Grotii* testimonium (47) itemque *Marq. Freheri* (48) aliorumque (49) consensum addere poterat, ut nunc taceam quæ de voce *Census* hanc in rem observavit *Josephus Binghamus* in Antiquitatibus Ecclesiasticis *libro* V. *cap.* 3. atque inde repetita leguntur apud *Michaelem de la Roche* dans la Bibliotheque Angloise *Tomo* IV. *pag.* 174. Haud pœniteat ipsum legisse *Binghamum*, quæ enim *Justus Henningius Boehmerus* in Dissertatione de vario Censuum Significatu & Jure, aliique Jureconsulti vulgo observant, hic in lite finienda nullum fere habent usum.

V. Pergimus ad *Numisma Census*, cujus fit mentio *Matthæi* XXII. 19. *Suidas genus pecuniæ*, quo solveretur *annuum tributum* sic dictum putavit voce Græca: Κῆνσος, τὸ νόμισμα, ἐπέσιον τέλος. *Hesychius* itidem: Κῆνσος, εἶδος νομίσματος ἐπικεφαλάιε, at quantum hic ineptiarum, inquit *Casaubonus*, & hæc addit: Primo *census* nunquam legitur *pro aliquo certo pecuniæ genere*: (50) nam qui in Evangeliis sic accipiunt, parum firma conjectura nituntur, cum non solum *Lucæ* XX. 22. κῆνσος & φόρος (51) sint unum idemque, sed & apud Romanos scriptores, unde hæc vox desumta est, *tributum* significet. (52) Deinde cum dicit Dominus: *ostendite mihi* τὸ νόμισμα τε̃ κήνσε *numisma census*, manifeste discrimen ponit inter *censum* hoc est *tributum*, & *pecuniam* quæ tributi nomine pensitabatur. Hæc *Casaubonus*, veniamus ad *Baronium*, is *Tom.* I. Annalium ad A. C. 34. *num.* 10. existimat, hic *numisma census peculiare* fuisse *monetæ genus*, non tantum, quo tributa rite solvi quibant, sed quo tantummodo illa solvi debebant, ut *in tributi solutionem*, *nec alios usus duntaxat esset cusum*. Ita quidem est, *Guilielmus Camdenus* in Britannia *pag.* 72. sententiæ huic *Baronii* subscribit, sed eadem doctis viris displicuit vel tacito vel expresso *Baronii* nomine. Videantur *Justus Lipsius* de Magnitudine Romana *lib.* II. *cap.* 3. *pagin.* 700. *Tom.* III. Operum, *Claudius Salmasius* in notis ad *Lampridium*, *Joh. Seldenus* de Jure Naturæ & Gentium *lib.* VI. *cap.* 17. *pagin.* 798. *Marquardus Freberus* & *Nicol. Schulinus* in dissertationibus de Numismate Census, *Joannes Hermanssonius* in singulari Disputa-

ta-

tatione de Denario Cenſus (cujus ſumma exhibetur in denen Hamburgiſchen Berichten von gelehrten Sachen *A.* 1733. *num.* 85. *pag.* 705.) *Joh. Henricus Hottingerus* in Diſſertatione de nummis Orientalium Judæorum, maxime Muhammedanorum. *Iſ. Caſaubonus exercit.* XVI. adverſus *Baronium num.* 6. *pag.* 398. *Joh. Henr. Otho*, (53) *Carol. Maria de Veil.* (54) *Grotius* (55) & *Petrus de Marca*. Jam pridem ante *Baronium* de *numiſmate cenſus* ſuam ſententiam dixerat *Sebaſtianus Erizius* in tractatu, quem de numiſmatibus conſcripſit. Scilicet credidit *Judæis olim argenti drachmam pro cenſu* tantum *imperatam* fuiſſe quam ipſos, ut majorem Imperatori exhiberent honorem, *ejus effigie* percuſſiſſe, eamque ob cauſam a *vulgari commerciorum & monetæ uſu* ſegregaſſe, præſertim cum *ſiclos* haberent, quibus ſolis publice in commerciis uſi fuerint. Quando autem *Erizius* ſtatuit Judæis olim non nummum ſignatum, ſed materiam tantum cudendæ monetæ aptam tributi loco imperatam fuiſſe, non deſtituitur veri ſpecie, quandoquidem ex utroque Codice Titulo *de ſuſceptorib. præpoſ. & arcariis* apparet, permiſſum olim fuiſſe *infecto metallo tributum ſolvere:* id quod etiam probatur ex titulo *de ponderatoribus & auri illatione* eorundem Codicum. Vide plura apud *Ludov. Savotum* in Diſſertationibus de Nummis Antiquis *Parte* 1. *cap.* 2. *pag.* 1153. *Tomo* XI. Theſauri *Grævii Erizium* quidem *Baronius* haud nominat, dum de cenſus numiſmate diſſerit, crediderim tamen *Baronium* aliquid de *Erizii* ſententia inaudiviſſe, cum paſſim in Annalibus ſuis Eccleſiaſticis nummos Romanorum apud *Erizum* obvios in medium afferre ſoleat. Quicquid erit hujus conjecturæ: certe *Erizius Baronio* proluſiſſe putandus eſt. Quemadmodum enim *Erizius* exiſtimavit nummos effigiebus Imperatorum notatos neutiquam monetæ uſum præbuiſſe, falſoque ſibi perſuaſit ceſſurum hoc fuiſſe in contemtum nominis & imaginis principalis, vide *Savotum* l. c. itemque *Juſtum Lipſium* in Tractatu de Re Pecuniaria Veterum Romanorum *cap.* IV. *pag.* 1469. *Tom.* III. Operum, a quibus hæc ſententia rejicitur, quemadmodum deinde idem *Erizius*, cum *nummus cenſus* objiceretur *imagine Imperatoris percuſſus*, eundem ex ſuo ingenio interpretatur, perſuaſus nummum fuiſſe peculiarem, cujus nullus eſſet in commerciis uſus: ita & *Baronius* exiſtimat numiſma cenſus peculiare fuiſſe monetæ genus, in tributi ſolutionem duntaxat, nec alios uſus cuſum. (56) Et profecto hic *Baronii* error non erat ferendus: cum enim vario & multiplici genere nummorum illa ætate Judæi uterentur (habebant enim proprium gentis ſuæ, vicinarum regionum & Romanorum) nullum eſt dubium, quin *tributum*, quod Cæſari pendebatur, *in pecunia Romana* exigeretur, *non Judaica*, aut quavis alia. (57) Dominus igitur *numiſma cenſus* appellat, *non certum genus numiſmatis*, quo ſolo tributa ſolverentur, ſed *pecuniam Romanam*, quæ ſola ab exactoribus ejus tributi accipiebatur. *Denarius* autem Chriſto oſtenditur velut *in exemplum pecuniæ Romanæ*: neque id fuit peculiare aliquod monetæ genus ad tributi ſolutionem cuſæ: verum omnes denarii erant pecunia Romana, & tam denarii, quam alii nummi Romani dici poterant numiſma cenſus. Ac ne quis forte exiſtimet, hanc contra *Baronium* obſervationem minoris momenti eſſe, monemus eandem inſignem nobis præbere uſum, ſi quis *Julii Cæſaris Vanini* nugas hac data occaſione explodere velit. Nimirum impurus ille homo apud *Joh. Mauritium Schrammium* in tractatu ſingulari de vita & ſcriptis Julii Cæſaris Vanini *cap.* II. §. 7. *pag.* 130. affirmat Chriſtum cum exactoribus cenſus Romani rem ſuam callide ſimulando egiſſe: *Petierunt*, inquit, *Scribæ*: *an Cæſari tributo ſolvendo eſſent obnoxii*: negare veritus eſt ne læſæ majeſtatis reus dijudicaretur, affirmare noluit, quia Moſis legem evertebat. *Reſpondit igitur*: *cujus eſt hæc imago? at illi*: *Cæſaris*. *Concludit*: *reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*. At vero nullum vel timoris vel prævaricationis indicium in ſermone Chriſti apparet: allato enim Denario cenſuali, qui Cæſaris nomen & vultum referebat: quærit, non quod neſcierit, ut ait *Hieronymus*, ſed, ut ad quæſtionem illorum commode reſpondeat, (58) quemadmodum Judex bonus quædam ex partibus etiam ultro quærere ſolet, ut confeſſionibus eorum acceptatis congruam meritis ſententiam ferat. Venerant illi Jeſum illaqueare verbis ipſius, at eos potius ille capit, captoſque tenet ipſorum reſponſis. Reſpondent enim ei quod res eſt, Cæſaris nummum eſſe, a Chriſto eo redigendi, ut tributorum penſitationem juſtam eſſe, vel inviti confiteantur. Quamvis autem Chriſti reſponſio faveret Cæſari, nedum ut tributi ſolutionem improbaret: attamen quia concepta eo modo erat, ut Phariſæi nullum inde ejus accuſandi prætextum haberent, ideo quidam ea abuſi accuſabant illum quaſi *prohibuiſſet dare tributum Cæſari Lucæ* XXIII. 10. Fortaſſe

ſu-

ſuſpicabantur Chriſtum Judæ Galilæi ſententiæ favere, quia vulgo Galilæus habebatur. Plura argumenta *Vanino* opponere nec libet in præſenti nec vacat, cum inter alios ſcriptores *Marquardus Freberus* tum in diſſertatione de Numiſmate Cenſus, tum in *lib.* II. de Re Monetaria Veterum Romanorum *cap.* II. *pag.* 1410. *Tom.* XI. Theſauri *Grævii* divinam Chriſti in reſpondendo ſagacitatem, ἀκρίβειαν, & prudentiam dignis modis commendaverit. Quid multa? Chriſtus viſo & reddito numiſmate cenſus, ſubdit: ἀπόδοτε τὰ Καίσαρος, Καίσαρι. Eſt vox propria in hac re. *Philo pag.* 19. τὸν ἐτήσιον ἀποδιδόναι δασμὸν τῷ βασιλεῖ annuum tributum Regi pendere. Vide *Johannem Albertum* in Specimine Annotationum Philologicarum in Novum Teſtamentum ex *Philone* Judæo collectarum *pag.* 107. *Vol.* I. Muſei Hiſtorico-Philologico-Theologici *Parte* I. Sed ad *Baronium* redeundum eſt: is vero iterum errat, quando *Tom.* I. Annalium ad A. C. 34. *num.* 10. in hanc ſententiam diſſerit: *quanti eſſet pretii dictum* numiſma cenſus, *dicere aliud non poſſumus, niſi quod* Marcus & Lucas *pro numiſmate dixerunt* denarium, modeſtum plane tributum. *Sane quidem cum non niſi poſt debellatos* Judæos *a Tito, ipſos didrachma Imperatori ſolvere cœpiſſe, ſuperius ſit demonſtratum: æquum exiſtimare hoc tempore non niſi* denarium ratione tributi *ſolviſſe*. Multa hic ponit *Baronius*, quæ certa ipſi, aliis incerta eſſe videntur non ſine ratione. Primum affirmat, *numiſma cenſus* & *denarium* unum idemque eſſe, ſed quis ſtatim fidem habebit *Baronio*? Audiamus *Joh. Seldenum* de Jure Naturæ & Gentium *libro* VI. *cap.* 17. *pag.* 796. דינרא *denarius* Syriaca lingua, *aut* Helleniſtica, *aut* Talmudica *non ſolum* certam nummi, *ut interdum* ſpeciem, *id eſt quartam* Rabbinis (59) *ſicli partem, ſeu drachmam Atticam denotat, ſed pro* pecuniæ *ſeu* monetæ qualicunque genere, *ut &* nummi Latinis, *non raro* Hebræis *uſurpatur*. Unde דינרא ערבא *pro* Denario *ſeu* nummo Arabico *&* דינרא הדריינא *pro* nummo *ſeu* moneta Hadriani, דינרא טריינא *pro* nummo *ſeu* moneta Trajani *in Talmude Babylonico* (60) *occurrit, & illud* (61) רב דינרי הוי ליה: *pro eo, quod eſt*, multum pecuniæ ei erat, *atque id genus alia plurima. cum hæc ſe ita habeant, non videtur dubitandum, quin id, quod oſtendi ſibi rogavit Dominus de ſolvendo tributo interrogatus*, non aliud omnino ſignificaret præter ipſum monetæ genus, quodcunque illud eſſet, quo tunc tributum Romanis ſolvi ſoleret. *Nam & diu ante*, poſt Pompeii victoriam, *& tunc* ſolutum Romanis a Judæis tributum, *idque diverſimode non eſt cur ambigamus. Perinde ac ſi fuiſſet dictum, ex eo quod* vobiſmet *etiam* ipſis, captioſe interrogantibus, *ex ipſo* numiſmate cenſus, *ſeu, quod idem eſt, ex* denariorum genere, *quod tributo, de quo quæritis, Cæſari ſolvendo adhiberi ſolet, ſatis manifeſtum eſſe poſſit, reſpondebo. Oſtendite igitur mihi numiſma ejuſmodi aliquod ſeu denarium*. Hactenus *Seldenus*: Quod vero *Baronius* unum *tantummodo* denarium *ratione* tributi hic intelligit, in eo ſibi adverſantes habebit omnes doctos homines, qui verba *Matthæi* XVII. 24. de *didrachmis* ratione *tributi Cæſari* ſolutis intelligunt, atque adeo *duos denarios* ratione tributi conſtituunt. Inter alios hic audiamus *Ludov. de Dieu* in Appendice in Evangelium *Matthæi pag.* 532. *etſi* duobus denariis *abſolveretur* cenſus, *recte tamen* numiſma cenſus *dicitur fuiſſe* denarius, *quia ea moneta erat, quæ in cenſu perſolvendo adhibebatur*. Quod autem *Cælius Sedulius lib.* III. *Carm. v.* 315. dicit Judæos *didrachmum aureum* Cæſari ſolviſſe, id falſum eſt, fuit nummus argenteus uti obſervat *Cuperus* apud *Cellarium* ad h. l. *Sedulii*. Quando etiam *Sebaſtianus Munſterus* poſt *Sedulium* in eundem incidit errorem, hunc ipſum merito notavit *Robertus Cenalis* in libro de vera Menſurarum Ponderumque ratione *pag.* 1525. *Tomo* V. Theſauri *Grævii*. Denique dicat nobis *Baronius, utrumne hic per* denarium ſolam capitationem, *an* illud tributum *pendi ſolitum* pro modo agri, *quem quiſque poſſideret* (intelligat. Sed *Baronius* tacet, dubioſque nos & ſuſpenſos relinquit, quo magis hæc omnia accurate exponenda erunt. Fac hic loci per νόμισμα κήνσυ *ſolam capitationem* intelligi, etenim Chriſtus nullum tributum pro agris quos non habebat, pendere poterat, ſola capitatio ln eundem cadebat, attamen *vox cenſus utrumque tributum capitis & ſoli a* Judæis *aliis exactum innuit*. Vide quæ ex *Wagenſeilio*, *Grotio* (62) & *Frebero* (63) ſuo obſervavimus loco, nunc operæ prætium fuerit audire *Freberum libro* III. Parergων *cap.* x. ſubjectis tamen noſtris obſervationibus. *Sit Denarius*, inquit, *decem cupreorum aſſium nummus* (64) *drachmali pondere* (qui enim aureum Denarium (65) *uſpiam legit*?) *tamen hoc &* in capita ſingula ſupra bonorum cenſum quotannis petitum, *tenuioribus non ita leve, & in* tanta gente immenſam victoribus opum vim *cumulavit*. *Dum itaque Phariſæi juſſi numiſma cenſus exhibere*, Denarium *exhibent* Tiberii Cæſaris imagine percuſſum, capitationis num-

nummum *exhibent*. *Puto enim illos* de capitis potissimum censu, *quem tantopere sua conditione indignum oderant*, *&* *aversabantur*, *cum Domino agere & anquirere voluisse*. (66) *Quodsi* de tributo soli *potius aut* conjunctim de utroque *actum fuit*, *ut* Denarius unus ei rei non suffecerit, *hoc saltem ex eo loco observare operæ pretium fuerit*, *quandoquidem non* Staterem, *non* Drachmam, *non* Siclum, *sed* Denarium *protulerunt*, mori Romanorum *ea ratione satisfactum*, *qui* tributa *&* indictiones *suas non tantum* rigide exegerunt, *sed nec in alio quam* Romano nummo *acceperunt*. *Itaque aut* singulis Denariis pro capitis censu *defungi* Judæi *potuerunt*, *aut* capitationem simul & soli tributum *ad* denariam rationem *ab exactoribus redigi consuevisse*, *& in Denario*, *notissimo Romanæ monetæ genere*, *a provincialibus persolvi debuisse hinc videmus*. Hæc *Freherus*. Quando autem idem *rationem Denariam* nominat: dictio illa rite explananda erat. Quomodo ad Denarium rationes conficerentur, docuit egregie *Volusius Mæcianus* in distributione, quam disputationem bene illustravit *Gronovius lib.* III. de Pecunia vet. Romanorum *cap.* 10. cui subjunge *Jacobum Menardum* in Commentario in Orat. *Ciceronis* pro P. Quintio *cap.* II. De *fructu utriusque tributi*, reliquum est, ut loquamur. *Jac. Basnagius* dans l' Histoire des Juifs *libro* VII. *cap.* XI. §. 8. *pag.* 304. *magnum* illum *fructum* tempore Tiberii fuisse hisce indicat verbis: *jusques là* la Judée *ne paioit qu' une* Taille sur les terres *& la* Capitation, *qui prodnisoient* quatre (67) Millions quatre cens cinquante mille Livre *au Trèsor de l' Empire*: at major utique fructus fuit, si aliquanto accuratius rem expendere velimus. *Immensa* fere fuit *hominum* in Judæa *multitudo*, (68) majorem itaque ex *capitatione* fructum mente nostra concipere possumus. Quid de *summa Palæstinæ fertilitate* addam, quam tot scriptores summopere commendarunt (69) *Joanne Tolando* frustra reclamante? (70) quid in primis commemorem in terra illa *magnitudinem pastionis* & tantos *armentorum* atque *ovium* greges? (71) inde sane maxima facta est Romanis vectigalium accessio, sive ad *decimas*, sive ad *scripturam*, ut de Romano more loquar, respicias. Huc quoque accedunt *fructuum venalium vectigalia* τέλη τῶν ὠνημένων καρπῶν, quæ Vitellius imperante Tiberio, Syriæ Præses, remisit Hierosolymitanis teste *Josepho* Antiquitatum *lib.* XVIII. *cap.* 6. uti bene observat *Ludov. Cappellus* in Compendio Historiæ Judaicæ ex *Josepho* contracto ad A. C. 36. Ceterum graviter errat *Guilielmus Caveus*, quando in Prolegomenis ad vitas Apostolorum *pag.* 123. affirmat *Romanos hac ætate a Judæis propter templum Hierosolymitanum tributum exegisse*, utpote cum eidem templo ejus rei causa præsidium militum imposuerint. Neque vero præsidium militum Romanorum cogebat Judæos ad tributa propter templum pendenda, sed in arce Antonia collocatum erat ad *custodiam templi*, hoc est *ad servandam urbis & templi quietem*. Vide plura hanc in rem in dissertatione nostra de S. Pauli singularibus Fatis in Carcere Castrensi Arcis Antoniæ, quæ dissertatio legitur in Museo Historico-Philologico-Theologico *Volum.* II. *Parte* III.

VI. Non incommodum fuerit hic aliquanto accuratius disquirere de *Pontio Pilato* sub *Tiberii* imperio *Judææ Procuratore*. Quod ad nomen ejus attinet, inquit *Johannes Pearsonius* in Expositione Symboli Apostolici *pagin.* 344. *duo ipsius nomina legimus*, *neque ullum aliud exstat*, *tametsi more Romanis consueto*, *trinominis esse deberet*; *Primum horum est* Pontius, *quod est* nomen generis, & illius quidem pervetusti. *Alterum est* Pilatus, *quo*, *ut* cognomine *a reliquis* sui generis *distinguitur*. Genere erat *Romanus*, ordine *eques*, a Tiberio Imperatore missus ad regendam Judæam. Officium, quo Pilatus fungebatur, hoc erat, ut esset Procurator Judææ. Pilatum ἐπίτροπον vocant *Josephus* de bello Judaico *lib.* II. *cap.* 14. *Philo* de Legat. ad Cajum, *Just. Martyr Apolog.* II. & in Dialogo cum Tryphone, *Eusebius Hist. Eccles. lib.* I. *cap.* 10. *Procuratorem* autem nominant *Tacitus Annal.* XV. 44. *Tertullianus in Apologet. c.* 21. *Cyprianus* de Idolorum vanitate *cap.* VII. Antequam pergamus: *quæritur cur Judæorum Proceres Luc.* XXIII. 2. *Jesum coram Pilato accusarint non tantum ut perduellionis reum*, *qui populum ad turbas excitandas incitarint*, *sed etiam*, *qui prohiberet Cæsari censum dare*? Prius accusationis membrum veri speciem habebat, quod Jesus semper discipulis comitatus incederet, & undique turba ad eum confluèret, sed alterum nullam veri speciem habuit, quia *Jesus & censum dederat*, & edixerat: *Cæsari danda*, *quæ Cæsaris sunt*. Hoc factum est ob *duplicem personam*, quam *Pilatus* sustinebat. Erat ille ἐπίτροπος sive Procurator Cæsaris in Judæa. Ut *Procurator Cæsaris Fiscum* curare debebat, nec sinere, ut ille detrimenti aliquid acciperet. *Tiberii* enim *Fiscus* erat, Principis, si quisquam alius, avaritiæ deditI.

diti. Sed erat *Procurator cum potestate*, quales in lapidibus veteribus *Procuratores & Præsides* dicebantur, cui provinciæ cura commissa erat, quam pacatam conservare debebat. Erat tamen *Pilatus non proprie Præses, sed vice Præsidis Syriæ*. Cum duplicem personam sustineret, Judæi eum quasi moverunt, ut ad utramque attenderet, nec Cæsaris fiscum, nec provinciæ curam negligeret: hinc in Jesum ut Majestatis violatæ reum in rebus Fisci, & perduellionis, severe animadvertendum esse. Nota interim etiam singularem *Evangelistæ* ἀκρίβειαν, & *quam exacte illi cum historia exotica conveniat*: notat enim Judæos non dixisse, *Censum Romanis* pendere prohibet, sed *Cæsari*. Nam *Syria*, cujus προσθήκη *Judæa* fuit, *Provincia Cæsaris erat, non populi Romani*: hinc Syriæ & Judææ Census non deferebatur in ærarium populi Romani publicum, sed in privatum Cæsaris, cui proinde Census pendendus erat. Vide *Herm. van de Wall* in Observationum Miscellanearum Decade, Observat. II. *pag.* 192. Bibliothecæ Bremensis *Clas.* III. *fascic.* II. cujus verba in medium attulimus, superiorem quæstionem & discepantis & judicantis. Sed, ut ad *Procuratorium Pilati munus* redeamus, *Josephus*, *Justin. Martyr*, *Eusebius*, videntur id ad *solam Judæam* referre, cum *Tertullianus* & *Cyprianus* locis jam citatis, *universam Syriam* eum *procurasse* dicant: *Lactantius* vero divinarum Institutionum *libro* IV. *cap.* 18. plane *Pontium Cæsaris in Syria legatum* fuisse asseveret. Equidem utrique, & *Tertulliano*, & *Lactantio* fidem abrogat *Edmundus Merillius* in notis Philologicis ad passionem Christi ad Joannis XIX. 10. cui, quod ad *Tertullianum* attinet, accedit *Desiderius Heraldus* in Commentario ad *Tertulliani* d. l. quemadmodum *Cyprianum* in notis ad d. l. refellit *Christoph. Cellarius*. At pro *Tertulliano* quædam attulit *Cornel.* van *Bynkershoek* Observationum Juris Romani *libro* II. *cap.* 21. quæ, ut specie non carent, (cum enim nonnulli plurium provinciarum uno eodemque tempore Procuratores fuerint, quid vetat Pilatum & Judææ & Syriæ procuratorem dicere?) sic ab erroris labe *Lactantium* non absolvit conjectura, qua *Caspar Barthius* Adversariorum VII. 2. verbis ejus: *qui tum legatus Syriam regebat*, vim infert, eaque ita legenda censet: *qui sub Syllano Judæam regebat*, ratus Syllanum Syriæ Præsidem, indicari, a quo Pilatus in Judæam procurator missus sit. Fuit, qui *Lactantio*, salvis ejus verbis, suppetias ferret. Observaverat is, deficere in veteribus monumentis per biennium legatum Cæsaris consularem in Syria, cum per hæc tempora Lucio Pomponio Flacco, proprætori, A. V. 786. defuncto, An. 788. demum successerit Lucius Vitellius, legatus Cæsaris. Suspicabatur igitur, Pilatum Syriæ Procuratorem, forsitan etiam per hoc tempus in Syria Præsidis munere functum, & inde recte a *Lactantio* legatum Cæsaris in Syria dici, cum Præsidem etiam Legatum Cæsaris dici, *Papinianus* fere innuit in *lib.* 20. D. de officio presidis. Vide omnino *Gotter Mascovium* in Exercitatione de Procuratore Cesaris §. 11. De hac *Pontii Pilati procuratione præsidali in Syria* acerrime olim disputarunt *Job. Robertus* & *Jac. Cujacius*. Affirmaverat *Cujacius* in Observationibus suis XIX. 13. Pontium Pilatum fuisse Procuratorem Cesaris in Syria vice Presidis, quod *Job. Robertus* in Animadversionibus Juris Civilis *cap.* 21. somnio tribuit, Pilatum ipsis Syrie Presidibus accensens. Non tulit contradictionem *Cujacius*, intercessionis omnis impatientissimus, qui in notis, quas ad *Roberti* animadversiones, sub *Antonii Mercatoris* nomine edidit, magno eruditionis apparatu, nec minori animi impotentia, mutata paulisper sententia comprobare tentat *cap.* 21. tantum abesse, ut Pilatus Syrie Preses fuerit, ut nequidem ejus vice preses, sed tantum procurator fuerit, fretus inprimis loco *Taciti* supra indicato. Que his, pro se, in notis ad annotationes *Antonii Mercatoris* opposuit *Job. Robertus cap.* 21. parum faciunt ad corroborandam viri sententiam, qui, si Presidatum Pilati non ad Syriam, sed ad Judeam retulisset, sententiam sane admodum verisimilem tuendam suscepisset. Vide de hac lite inter *Cujacium* & *Robertum* agitata, *Mascovium* in laudata dissertatione §. 12. *Corn.* van *Bynkershoek* Observationum Juris Civilis *lib.* II. *cap.* 21. & *Job. Clericum*, qui dans la Bibliotheque Choisie *Tom.* XIX. *pag.* 343. luculenta admodum ex *Bynkershoekio* excerpta cum erudito Lectore communicavit. Queritur autem an *Pilatus*, si ad *Judæam* redeamus, ejusdem *Procurator cum præsidali potestate hoc est Procurator & Præses simul fuerit?* Affirmat id ipsum *Mascovius* in Exercitatione I. de Procuratore Cesaris §. 9. probatque exinde, quia *Josephus*, qui Pilatum appellaverat ἐπίτροπον, etiam ἡγεμόνα *Antiquitat.* XVIII. *libro cap.* 4. & 5. nominet. Addit, quod *Matthæus* XVII. 2. Pilato ἡγεμόνος nomen imponat, quo alias *Præsides* constanter designentur. At vero hoc argumentum non est satis validum. Quamvis enim

vox

vox Greca *magis proprie Præsidem* significet, eadem tamen apud *Josephum* interdum *Procuratores* denotat, uti videre licet apud *Isaac. Casaubonum* Exercitatione I. ad Apparatum Annalium *Baronii num.* 30. *pag.* 123. & *num.* 31. *pag.* 127. *Richardum Montacutium Parte* I. Originum Ecclesiasticarum *pag.* 12. & *Jac. Usserium* in Annalibus Vet. & Novi Testamenti *pag.* 600. Quando etiam *Lucæ* III. I. Pilatus dicitur ἡγεμονεύων, vulgatus interpres judice *Joh. Pearsonio* in expositione Symboli Apostolici *pagin.* 346. proprie vertit: *procurante Pontio Pilato Judæam*. Probat porro *Mascovius* Pilatum cum præsidali potestate Procuratorem fuisse, quia ipse Christum apud *Johannem* XIX. 10. ita alloquitur: *nescis me potestatem habere tui vel crucifigendi, vel absolvendi?* Ita quidem est, ἐξουσία fere de majoribus judicibus dicitur, qui habent jus gladii, vide *Henr. Valesium* in annotationibus ad *Eusebium pag.* 86. & 166. quid? quod vocem ἐξουσία apud Joannem vulgatus interpres recte vertit *potestatem* quo verbo jus animadvertendi continetur *lib.* III. D. *de Jurisdiction.* uti *Edmundus Merillius* dudum observavit in Notis Philol. in Passionem Christi *num.* 16. in *cap.* XIX. *Johannis*. Nec difficulter intelligitur, Pilatum, qui potestatem habuit crucifigendi, habuisse etiam potestatem absolvendi. *Nemo* quippe, *qui condemnare potest, absolvere non potest*, Ulpianus *in L. Nemo* 37. *D. de regulis Juris. Et qui damnare potest, is absolvendi quoque potestatem habet*, Paulus *in L.* 3. *D. de re judicat*. Sed in explicando *jure gladii*, quod hoc loco *Pilatus* sibi tribuit, dissentiunt adhuc interpretes, hærentes, qua ratione potestas animadvertendi penes Pilatum fuerit, qui *Judææ* tantum *procuratorem* agebat. Antequam autem veram verborum illorum Pilati sententiam exponamus, monendum, sententiam *Mascovii* de *Præsidali Procuratoris Pilati potestate*, cui assensum præbere nequeo, invalidis plerumque argumentis frustra impugnari. Inter alia *generatim* cum *Deylingio Part.* II. Observationum Sacrarum *pag.* 329. *Procuratorem Judææ Syriæ Præsidi obnoxium fuisse contendunt*, at id *non perpetuum* fuit. Falsum certe est, quod de Judææ Procuratore alicubi scribit J. C. *Bulengerus* in suis Diatribis, quas *Casauboni* Exercitationibus adversus *Baroninm* opposuit, *Procuratorem Judææ semper fuisse sub dispositione Præsidis Syriæ* ante Vespasianum. Falsum est enim de Cuspio Fado & T. Volumnio Procuratoribus cum Saturnino & Q. Marso Præsidibus. Confer *Montacutium* Originum Ecclesiasticarum *P.* I. *pag.* 12. At instant cum eodem *Deylingio*, non posse Pilatum Præsidem dici, quem *Josephus* Vitellii viri Consularis & legati Cæsaris imperio subjiciat, illumque ab hoc potestate exutum, Romam allegatum fuisse scribat Antiquit. *lib.* XVIII. *cap.* 6. at vero Vitellius non uni Syriæ Præses datus sed *cunctis*, ut *Tacitus* Annal. *lib.* VI. *cap.* 32. refert, *quæ apud Orientem parabantur*, a Tiberio præfectus est. Hinc cum Cæsaris vice ubivis in Oriente fungeretur, sine dubio de Judææ, provinciæ modicæ Procuratore decernendi facultatem habuit, qua tamen ita utitur, ut nihil sibi in Pilatum vindicarit, sed Romam eum ad Tiberium remiserit, responsurum Cæsari ipsi ad objecta a Judæis crimina. Denique contendunt falsum videri, *Judæam*, quæ per hæc tempora, *Syriæ accessio* teste *Josepho* facta sit, non ejusdem *Syriæ Præsidi paruisse*: at vero hoc argumentum exigui est momenti: neque enim inde minus, *Josepho* teste, *Syriæ accessio fuit Judæa*, cum *reditus publicos Palæstinæ* idem Procurator Pontius Pilatus *colligeret*, qui in *Syria rationes Cæsaris* ex codicillis ab illo datis agebat. Esto autem, *Mascovii* sententiam plerumque levioribus argumentis impugnari, nolim tamen eandem sententiam extra omnem dubitationis aleam ponere: id quod facit sub præsidio *Joh. Jac. Syrbii*, *Joh. Caspar Arletius* in Exercitatione Historico-Theologica de Pauli in urbem Romam ingressu *pag.* 69. Circumspectis enim rationibus malim cum *Jac. Gutberio* facere, qui de Officiis Domus Augustæ *lib.* III. *cap.* 34. *pag.* 616. *Tomo* III. Thesauri Novi de *Sallengre Pilatum* inter *Procuratores Judææ* refert, qui *vicem Præsidis* gesserint. Nimirum *duo genera Procuratorum* Cæsaris erant. Alii duntaxat *res ad fiscum pertinentes* curabant, & *nulla judicia*, multo minus capitalia exercebant, in *provincias majores* missi, quæ aut a *Proconsule* aut a *Legato Cæsaris* regebantur. Alii contra in *minores provincias*, qualis & *Judæa* fuit, missi, non tantum *res fisci* procurabant, sed præterea provinciæ quoque, *Vice Præsidis*, præerant cum aliqua potestate & jurisdictione, quam sæpe in causa capitis inter provinciales, *nullo Præside præsente* exercebant, gladioque animadvertebant exemplo Præsidum. Tales Procuratores discriminis causa dicebantur *vice Præsidis fungi*, Procuratores *vice Præsidis*, aut *cum potestate Leg.* II. *C. de pœnis*, & *lib.* IV. *C. ad Legem Fabiam de Plagiariis & apud* Ulpianum lib. IX. *de Officio Proconsulis*, ut citatur in

in veteri Collatione legum Mosaicarum cum Romanis. Confer *Cl. Salmasium* in notis ad *Spartianum*, *Theodoricum Ruinartum* in notis ad Acta Martyrum Sincera & Selecta *pag.* 231. *Gottfr. Mascovium* Exercitat. I. de Procuratore Cæsaris §. 14. *Joh. Pearsonium* in Expositione Symboli Apostolici *pag.* 348. Quibus præmissis, facile definiri potest, *qua ratione Pilatus potestatem animadvertendi sibi tribuere potuerit?* Non fuit Pilatus ex illo Procuratorum genere, qui *reditibus duntaxat colligendis* vacabant, talis enim Procurator, qui *vice Præsidis* non fungebatur, ne exilii quidem pœnam potuit irrogare, teste Imp. Antonino *ad A. Valerium* lib. IX. *Cod.* Tit. XLVII. *de pœnis* §. 2. Confer. *lib.* III. Cod. *Tit.* XXVI. *ubi causæ* §. 3. sed fuit Pilatus Procurator *vice Præsidis* fungens, jure gladii instructus, eaque autoritate missus a Tiberio in Judæam, ut non tantum *fisci rationes moderaretur*, sed etiam jus vitæ ac necis in gente Judaica exe. :eret, eandemque assidue tumultuantem, & tributa Cæsari dare detrectantem, datis in ejus rei finem copiis militaribus compesceret, & in officio contineret. Atque hæc dixisse sufficiat de *Procuratore Judææ Pilato*, (qui ibidem *non proprie Præses* fuit, sed *vice Præsidis* functus jus gladii habuit!) adde *Corn.* van *Bynkershoek* Observationum Juris Civilis *lib.* II. *cap.* 21. *Joh. Pearsonium* in Expositione Symboli Apostolici *pag.* 346. *Edmundum Merillium* in notis Philolog. in passionem Christi *num.* 16. in *cap.* XIX. Johannis, *Jo. Jac. Wissenbachium* in notis Nomico Philologicis in passionem Christi ad Johannis XIX. 10. *Jac. Gutherium* de Officiis Domus Augustæ *lib.* III. *cap.* 34. *Anton. Bynæum lib.* II. de morte Jesu Christi *cap.* 7. §. 16. *pag.* 410. *Salomonem Deylingium* Observat. Sacrar. P. II. Observat. 34. *pag.* 325. *seq. Pessimus* autem fuit *Judææ Procurator Pilatus*: Rex enim Agrippa apud *Philonem* in Legatione ad Cajum, qui flagitia ipsius Pilati suis oculis spectaverat, inter cetera ejusdem crimina detegit, *venditas sententias*, *rapinas*, *injurias*, *clades*, *tormenta*, *crebras cædes indemnatorum*, *crudelitatem sævissimam*. *En* subjicit *Jac. Gutherius* de Officiis Domus Augustæ *lib.* III. *cap.* 34. *Procuratorum rapacitatem & infandam autoritatem in uno Pilato*, *quæ ad successores transierunt*. Et sane talem hominem esse oportuit, qui nequicquam animi reclamante conscientia, tam immania adversus *Christum* illud innocentissimum caput, sanctissimum virtutum exemplar, licere sibi voluerit. Vide *Herm. Witsium* Exercit. XV. in Symbolum Apostolicum §. 24. *pag.* 230. & *Henr. Valesium* in Annotationibus ad *Eusebium pag.* 29. Ceterum nostrum nunc quoque erit aliquanto accuratius disquirere *de Judæorum jure gladii tempore Tiberii*. Nimirum *Judææ Procuratores* potestatem vitæ ac necis majoremque animadversionem habuisse, vel solum *Coponii* exemplum probat, qui primus post ejectum Archelaum cum potestate Vice-Præsidis eo mittebatur *μέχρι τοῦ κτείνειν λαβὼν παρὰ τοῦ Καίσαρος ἐξουσίαν* ut loquitur *Josephus lib.* II. de bello Judaico *cap.* 12. Quæritur an Judæi, cum Judæa facta esset provincia Romana *χώρα εἰς ἐπαρχίαν περιγραφεῖσα* uti *Josephus* loquitur *lib.* II. de Bello *cap.* II. omni omnino vitæ necisque jure fuerint exuti? & an penes solum Procuratorem Romanum jus illud fuerit? Quęstionem hanc disceptant *Cherubinus* de *S. Josepho* in Bibliotheca Criticæ Sacræ *Vol.* III. *dissert.* 12. *Hugo Ferrandus* in singulari de Synedrio Hebręorum dissertatione, quam adjecit libro suo, cui titulus: Reflexions sur la religion Chrestienne contenant les Propheties de Jacob & de Daniel sur la venuè du Messie, *J. Charon* dans la Demonstration Evangelique, ou Traitè de l'unitè & perpetuitè de la veritable religion pour servir d' instruction à la lecture de l' Evangile avec l'explication des LXX. semaines de Daniel, aliique ejus generis scriptores, qui de sceptro a Judæis ablato data opera scripserunt. Est autem in hoc argumento magnus inter ipsos autores dissensus. Permulti censent דיני נפשות judicia criminalia penes Judæos illa ætate cessasse, iisdemque a Judæis fuisse ademta. Vide hujus sententiæ autores *Augustinum Calmetum* dans la dissertation sur la Police des Hebreux, ou sur la Maniere d'administrer la Justice parmi les Hebreux & en particulier sur le Sanhedrin, *J. B. Carpzovium* in Animadversionibus in *Schickardi* Jus Regium *pag.* 253. *Sam. Pitiscum* in lexico Antiquit. in vocibus *Procurator Cæsaris*, *Jac. Gutherium* de Officiis Domus Augustæ *lib.* III. *cap.* 34. *pag.* 617. *Tom.* III. Thesauri Novi de *Sallengre*, *Adrianum Relandum* in Antiquitatibus Sacris veterum Hebræorum delineatis *P.* II. *cap.* 7. §. 9. *pag.* 223. *Jo. Vorstium* in Dissertatione de Sceptro ac Magistratu non recessuris a Juda antequam venisset Messias §. 34. & in Dissertatione de Synedriis Hebræorum §. 42. *Isaacum Casaubonum* Exercit. XVI. adversus Baronium *num.* 71. (72) *Joh. Pearsonium* in Expositione Symboli Apostolici *pag.* 349. *Herm. Witsium* exercit.

XV.

xv. in Symbolum Apostolicum §. 26. *pag.* 231. & *Tom.* I. Miscellan. Sacror. *lib.* II. *differt.* III. *thesi* 67. *pag.* 555. *Raymundum Martini* in Pugione Fidei *P.* II. *cap.* 4. §. 9. *Petrum Galatinum* de Arcanis Catholicæ Veritatis *lib.* IV. *cap.* 7. *Petrum Possinum* in Spicilegio Evangelico §. 22. *pag.* 48. *Guilielmum Caveum* in Prolegomenis ad Vitas Apostolorum *pag.* 123. *Isaac. Jaquelotum* dans les Dissertations sur l' Existence de Dieu differtat. III. *cap.* 2. *pag.* 482. J. C. *VVolfium* Bibliothecæ Hebrææ P. II. *pag.* 813. Jo. *Ericum Ostermannum* in disputatione de consultationibus Veterum §. 2. *Jac. Benignum Bossuetum* in libro cui titulus: Discours sur l' Histoire Universelle pour expliquer la suite de la Religion & les changemens des Empires *pag.* 284. (73) P. D. *Huetium* in Observationibus & Notis ad Origenem *pag.* 30. *Petavium* in doctrina temporum *lib.* XII. *cap.* 19. Jo. *Buxtorfium* in lexico Talmudico *pag.* 514. *Constantinum* l' *Empereur* in notis ad *Bertramum* de Republica Judaica *cap.* 13. *Josephum Scaligerum* in Animadversionibus Eusebianis *num.* MMLXXXVI. & Epistola XII. *Georg. Calixtum lib.* VI. Harmoniæ Evangelicæ *cap.* 10. *Theod. Bezam*, *Ant. Goveanum* ad *l.* 12. D. de jurisdict. *num.* 4. *seq. Scipionem Gentilem* III. de Jurisd. *cap.* 13. *August.* *Pfeifferum* in Antiquitatibus Hebraicis Selectis *cap.* XII. §. 9. *Jac. Altingium* de Schilo *lib.* I. *cap.* 17. *pag.* 67. & in addendis *pag.* 437. Jo. *Clericum* in animadversionibus ad *Hammondi* Paraprasin ad Johann. VIII. 29. *Henr. Verduyn* in quæstione Juridica de testamento atque hæreditate Lazaribis mortui Jo. *Drusium* Præteritorum *lib.* IV. ad Johannis XVIII. 31. *Jac.* Perizonium in singulari Epistola de Jure suppliciorum apud Judæos Christi tempore ad locum Johannis XVIII. 31. (74) *Samuelem Basnagium* in Exercitationibus Historico-Criticis contra Baronii Annales ad A. C. 37. *num.* 14. *Jac. Basnagium*, (75) *Zachar. Huberum*, (76) *Gerb.* Jo. *Vossium*, (77) *Campegium Vitringam*, (78) Jo. *Barbeyrac* in notis ad versionem Gallicam librorum Grotii de Jure Belli & Pacis *pag.* 82. *Hugonem Grotium* ad Matthæi v. 22. & ad Johannis *cap.* XVIII. (79) Jo. *Marckium* Exercit. Scripturar. XV. in N. T. (80) Sunt autem qui in partem contrariam nitantur persuasi Judæos sub ipsis Procuratoribus Romanis etiam potestate gladii usque ad templi propemodum excidium gavisos esse. Hanc sententiam tuentur Jo. *Henr. Otho* in Historia Doctorum Mischnicorum *pag.* 65. & in lexico Rabbinico Philologico *pag.* 634. *Christoph. Cartvvrightus* in Mellificio Hebraico *lib.* II. *cap.* 6. *Joh. Seldenus* de Synedris Hebræorum *lib.* II. *cap.* XV. §. 10. *seq.* (81) *Joh. Lightfootus*, (82) *Bened. Bacchinus*, (83) *Christ. Noldus* in Historia Idumæa, seu Diatriba de Vita & gestis Herodum pag. 165. *Cæsar Baronius* Tomo I. Annalium ad A. C. 34. n. 76. *Hermannus Versteeg* in Commentario Philologico in Passionem Servatoris J. C. p. 4. & 93. (84) Jo. *Lundius* in den Judischen Heiligthumern *lib.* III. *cap.* 17. *n.* 15. *pag.* 479. Jo. *Christoph. VVagenseilius* in Confutatione Carminis *R. Lipmanni p.* 299. sequ. & in Dissertatione ad Christophorum Arnoldum de Loco Classico Genes. XLIX. 10. (quæ legitur Fasciculo V. Opusculorum quæ ad Historiam ac Philologiam Sacram spectant *pag.* 205. sequ.) *Salomo Deylingius* P. II. Observationum Sacrarum Observat. 33. *pag.* 314. *seq.* *Antonius Bynæus lib.* III. de Morte Jesu Christi *cap.* I. *Emundus Merilius* in notis Philologicis in Passionem Christi *pag.* 589. Fasciculi III. Opusculorum quæ ad Historiam ac Philologiam Sacram spectant, *Joh. Jac. VVissenbachius* in Notis Nomico-Philologicis in Passione Jesu Christi Servatoris nostri *pag.* 681. ejusdem Fasciculi III. Opusculorum, *Joh. Henr. Hottingerus* in notis ad *Goodvvinum pag.* 806. In tanto autem doctorum hominum dissensu *Bernardus Lamyus* Conciliatorem agere voluit. Nimirum in Apparatu Chronolog. ad Harmoniam Evang. *P.* II. *cap.* 3. *pag.* 142. docet *Synedrium Magnum non omni caruisse judiciaria potestate*, *sed illam non potuisse exercere nisi impetrata a Præsidibus venia*. Idem Harmoniæ *lib.* V. *cap.* 31. *pag.* 562. existimat, sine Præsidis Romani consensu Judæos neminem mortis supplicio afficere potuisse, si tamen accederet *consensus Præsidum*, potuisse de more suo Synedrii judices pœnis addicere reos violatarum legum suarum. At vero hæc *Lamyi* sententia perpaucis probabitur scriptoribus, quia ex ingenio duntaxat, ad evitandas utriusque opinionis difficultates, est excogitata, & cum *historia illius temporis* ac *statu regiminis Judaici* minus consentit. Negamus enim Judæis sub potestatem Romanorum redactis ante devastationem templi omne omnino jus vitæ ac necis ademtum fuisse. Nam si *Romani leges patrias*, quæ ad *religionem* pertinent, illis illibatas reliquerunt, potuerunt Judæorum judices violatæ religionis reos punire, & blasphemos atque adulteros lapidare, sicuti apud Johannem legimus, eos mulierem adulteram *Johann.* VIII. 7. & ipsum Christum lapidare voluisse. *Johann.* VIII. 59. Equidem

dem agnosco, Judæos, cum de Servatore occidendo ageretur, professos esse apud Johannem XVIII. 31. nobis οὐκ ἔξεστιν *non licet interficere quemquam*. Enimvero expendendum quoque est, quod ibidem præcedit: nimirum potestatem facere Pilatum Procuratorem Judæis, ut de eo secundum patrias leges supplicium sumant. *Accipite eum vos*, inquit, *& secundum legem vestram judicate eum*. Et iterum *cap.* XIX. 6. dixisse fertur: *accipite eum vos & crucifigite*. Numquid autem verisimile est, voluisse Pilatum derogare hactenus supremæ Jurisdictioni Romanorum Imperatorum, eumque, si omnino a Cæsaribus facultas capitaliter animadvertendi in sontes Judæis ademta erat, hanc illis exercendæ gratiam suo ausu indulgere sustinuisse? Imo vero nec poterat per leges & instituta Romanorum id facere, si maxime voluisset. Præsides enim Provinciarum, *habebant quidem jus gladii & in metallum dandi potestas eis permissa lib. 6.* §. 8. D. de Offic. Præs. sed hanc potestatem, quæ aliis vocibus jure Quiritium, & nominatim *lib.* 3. D. de jurisd. *Merum imperium* appellatur, mandari non potuisse, certum est, & nota in hanc rem *lib.* 1. §. 1. D. de offic. ejus cui mand. *qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet: sed & ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur. Verius est enim, more majorum jurisdictionem quidem transferri: sed merum Imperium, quod Lege datur, non posse transire.* Utique si his adversum facinus Pilatus cœptasset, merito ei objectum fuisset: non es Cæsaris amicus, quæ Judæorum apud Johannem XIX. 12. vel, τὸ ὕβριν Καίσαρι φέρειν *hoc cum Cæsaris injuria conjunctum esse*, quæ ipsius Pilati apud *Josephum lib.* 18. *Antiq. cap.* 4. dictio est, cujus rei suspicionem tantopere a se amotam volebat. Vide *VVagenseilium* in Confutatione carminis *R. Lipmanni pag.* 300. & in dissertatione ad Christophorum Arnoldum de Loco Classico *Genes.* XLIX. 10. *pag.* 242. Fasciculi V. Opusculorum. Quamobrem, *salva adhuc utcunque Judæorum Republica*, & cum nondum summa imis permiscuisset temporum fatalitas, *sacras causas ad Synedrii tribunal* pertinuisse, affirmandum est, ita ut liceret huic sontes cum *leviori castigatione* tum *pœnis capitalibus* coercere. Ceterum, si quæ crimina, ab ipsismet Judæis, non adversus sacra sua proprie commissa viderentur, sed civilem quietem turbarent, Reipublicæ detrimentum afferrent, aut læderent Imperatoriam majestatem, in his nullam Judaici magistratus fuisse cognitionem, sed omnem rem ad Præsidis tribunal pertinuisse, credendum, ut de his casibus vere dicere possent Judæi: nobis non licet interficere quemquam. Atque hęc omnia quæ diximus, Historiæ passionis Christi insignem lucem fœnerantur. Nimirum Christus ad *Senatum Synedrii* (quam vocem *Matth.* XXVI. 29. *Marcus* XIV. 55. *Lucas* XXII. 16. diserte usurpant) est pertractus: etenim *ad hoc forum spectabant crimina*, quæ intentabantur, violata nimirum blasphemiis religio, seductio plebis, & templi profanatio. Unde præter alios *duo* quoque *testes* contra illum producti, qui *Matthæi* XXVI. 61. dicerent & affirmarent: ille dixit, posse se Dei templum diruere, & triduo instaurare. Cumque insuper, in ipso illo consessu Judicum se filium Dei jactasse videretur: *jure suo* in hac causa usus est *Senatus*, & *capitalem sententiam* pronunciavit. Cum enim *Pontifex*, qui *suffragia colligebat*, sententiam rogasset, verbis conceptis, quid vobis videtur? omnes *concordibus suffragiis* clamitabant, reus est mortis, uti *Matthæus* XXVI. 60. in literas retulit. Quæ verba secus quam *Casaubonus* censuit, non de *privata opinione*, sed, de *vero jure pronanciandi sententiam cum effectu*, accipienda esse, fit verisimile. Atque, ne hac in re tergiversemur, *Marcus* XIV. 64. facit, quando paulo distinctius ait: *omnes condemnaverunt eum esse reum mortis*. Non igitur animo tantum & voto, sed solemni validaque judicum condemnatione, Servatori nostro mortem irrogatam fuisse credimus, qua affici ab ipsis Judæis potuisset, nisi alia obstitissent, seditionis puta metus, si ipse Senatus de Christo supplicium sumeret. Ergo remedium aliquod reperiendum erat, ut sine Synedrii culpa, Christus interimi crederetur, & sceleris invidia, in alios omnes potius, quam in ejus autores redundaret. Tandem callide placuit Pilati Procuratoris opera uti, atque in id loci illum redigere, ut Christum suis præjudiciis jam damnatum, ipse interimere cogeretur. Ita gestum esse negotium *Matthæus* XXVII. 1. 2. & *Marcus* XV. 1. fidem faciunt, qui, cum narrassent, pridie a Synedrio Christum jam condemnatum fuisse, postridie in consultationem venisse referunt, quomodo id, quod decreverant, reddi posset effectum. Ad Pilatum enim, cum saxum, quod satis diu volutabant, devolvissent Judæi, quoniam ad impetrandum ab eo, quod volebant, necesse erat, ut ipse Pilatus quoque Christum capitis damnaret, idcirco apud hunc similiter accusationes suas factitant. At enim, non licet falsæ & avitis præceptis contrariæ doctrinæ, Servatorem nostrum in-

insimulant: non queruntur, illum extrema quæque templo atque supremo Numini dicatis ædibus comminatum esse, non affectatam divinitatem exprobrant: quippe prævidebant facile, responsurum Pilatum, procul facessere ipsos debere cum istius generis querelis, & operam dare, ut hæc sua ita miscerent, ne se admisceant: neque enim sui muneris esse, lites circa superstitiones ipsorum enatas componere. Nequaquam igitur illa criminum capita, quæ coram Synedrio in disquisitionem venerant, ultimisque pœnis digna judicata fuerant, apud Pilatum recensentur, sed mutata accusationis formula, eorum malefactorum Christus reus fit, quorum cognitionem subterfugere non posse Præsidem, accusatores certo sciebant. Nimirum seditio, & læsæ Majestatis crimen scelerum omnium, quæ committi adversus Romanas leges poterant, longe atrocissima objectabantur. Vide *Lucæ* XXIII. 1. 2. Sane cum nihilo secius Pilatus judicis officio fungi detrectaret, ac sententiam pronunciare nollet his verbis usus *Johann.* XIX. *6. capite eum vos, & crucifigite: nam ego crimen in eo non deprehendo.* Respondebant quidem Judæi: *nos legem habemus, ex qua lege nostra debet mori*, quoniam se Dei filium fecit: non tamen ideo concessam a Pilato potestatem sibi vindicant, & Christum neci tradere sustinent, sed ista tantum eos dixisse apparet, ut significarent, bis illum mortem promeritum esse, contemnendo videlicet & violando, tam suas quam Romanorum leges, temerando & Numinis & Imperatoriam Majestatem. Proinde, non insistunt huic rei, sed cum paulo post Pilatus Christum tanquam insontem liberare conaretur, ad antiquum redeunt, & sublata voce immodice clamitant. Sic igitur postremo effectum est, ut Christus a Pilato condemnaretur & ageretur in crucem. Namque ut *Theophylactus* notat: *Romani regni affectati reos*. Confer omnino *Just. Lipsium lib.* I. de Cruce *cap.* 14. *pag.* 1173. *Tomo* III. Operum. *Cruci affigunt*. Ceterum hic subsistimus, & tantummodo de αὐτονομίᾳ Judæorum sub *Tiberio* verba *Spanhemii* Exercit. II. de Orbe Romano *cap.* XII. *pag.* 248. subjicimus: jus patriarum legum & gentis rituum Judæis a *Tiberio* conservatum tradit *Josephus*, & quidem quasi agnoscente Tiberio Judæorum νόμιμα, ὡς ἀλείφοντα πρὸς εὐστάθειαν *leges, tanquam quæ conferrent ad tranquillitatem publicam*. Ita tamen, ut in iis demum quæ ad eorum *superstitionem* seu *religiosum cultum* spectarent, illa *suarum legum libertate* fruerentur sub Romanis Imperatoribus Judæi, in aliis autem, quod docent non Christianorum solum Principum constitutiones, sed antiquorum etiam Jurisconsultorum leges, *Romano seu communi jure* ii viverent: ac Romanis proinde legibus, etsi inviti illi ferme, quod vel ex *Juvenale* & aliunde notum, iidem subjacerent.

VII. Properamus ad tempora *Caji Caligulæ* & *Claudii* Imperatorum Romanorum, ut inde eruamus *fisci Judaici Historiam*, quatenus ad præsens nostrum pertinet institutum. Et *Cajus* quidem in Judæos aliquantum humanior fuit, siquidem iisdem *centesimam* remisit. Audiamus *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* I. *cap.* V. §. *6. pag.* 128. *les Juifs furent plus heureux* sous Caligula, *qui l' abolit entièrement dans son troisieme & quatrieme Consulat, l' an* 792. *ou* 793. *comme* les Medailles *produites par* Mr. Patin *le prouvent èvidemment*. Confer omnino *Sam. Pitiscum* in Lexico Antiquitatum Romanarum in voce Centesima. Idem *Cajus Caligula* Agrippam Majorem Herodis M. ex Aristobulo nepotem, quem Actus Apostolici XII. I. etiam *Herodem* vocant, non solum vinculis, quæ ei a Tiberio fuerant injecta, liberavit, sed & diademate imposito *regem* constituit tetrarchiæ Philippi & Lysaniæ, post tertium annum addita quoque *Herodis Antipæ* relegati possessione. Quibus Claudii liberalitate universa accedunt, quæ avus Herodes possederat: atque ita etiam *Judæa, quæ tum desiit provincia esse*. Vide *Christoph. Cellarium* in Historia antiqua *pag.* 118. *Christ. Noldium* in Historia Idumæa seu de vita & gestis Herodum Diatriba, *Jacobum Usserium* in Annalibus Veteris & Novi Testamenti *pag.* 649. 656. & *Ludovicum Cappellum* in Compendio ex *Josepho* contracto, ad illustrationem Historiæ Evangelicæ & Apostolicæ Novi Testamenti accommodato. Et verò hic sese aperit magnus dicendi campus. Etenim primum omnium hic nobis res erit cum *Johanne Harduino*, is in Prolusione Chronologiæ ex nummis restitutæ negat Herodem Actuum Apostolicorum Judææ imperasse, aut Judæam, postquam semel a morte Archelai provinciæ formam induerat, unquam rursus regni habitum, ut *Josephus* prodit, recepisse. (85) At quot exempla in Asia sunt, Ciliciæ, Ponti, Syriæ Commagenæ, ubi, provinciæ formulis abrogatis, regna restituta sunt? Ex *Spanhemii* Exercit. II. de Orbe Romano *cap.* XII. *pag.* 249. itemque ex tabulis Historiæ Antiquæ *Cellarii* subjectis omnia claris-

rissime dilucent. Sed Hierosolymæ forsan hospes fuit, ut tetrarches Herodes, cui vinctum Servatorem Pilatus submisit; Apostolos itaque tanquam Galilæos, ad Galilææ principem, forte presentem, procurator Cesaris remisit, presertin in causa non civili, sed religionis Judaicę. Ita sentit, & interpretatur *Harduinus*. Verum haudquaquam hęc sufficiunt ad sensum Lucę *Actor.* XII. 2. 3. interpretandum. Si hospes tantum fuit, unde potestatem supplicii in milites presidis Romani habet, neglectę custodię reos? nam commate 19. ejusdem capitis, ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι *duci ad supplicium* & securi feriri jussit, quod Latini etiam simpliciter duci dicunt. *Plinius* de Christianis ad Trajanum Epistola, *perseverantes duci jussi*. Syrus interpres rursus perspicue: *condemnavit illos custodes & præcepit interfici*. Adde, si hospes tantum fuit, cur Hierosolymis Cesaream discessit, & διέτριβεν habitavit ibidem tanquam in regia sua? *Actor.* XII. 19. Quando autem provincia erat Judęa, non Galilęi principis, sed Presidis Romani sedes Cesarea erat, uti ex Felici & Festi historia longe est clarissimum. Vide Actuum Apostolicorum XXIII. 33. XXV. 13. & confer omnino *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* I. *cap.* II. §. 16. *pag.* 271. itemque *Casaubonus* Exercit. XVI. 11. 71. *pag.* 530. *Christoph. Cellarium* in Dissertatione singulari, qua *Flavii* *Josephi* de Herodibus Historia a νοθείας suspicione contra *Joh. Harduinum* justis vindiciis adseritur, & nummis antiquis conciliatur §. 20. & *Henricum Norisium* in Parenesi ad *Joh. Harduinum pag.* 65. cujus verba in medium attulimus *Tom.* I. Bibliothecę nostrę Antiquarię & Exegeticę *pag.* 1135. Mirandum autem est, censuisse *Origenem nullam amplius Herodi ejusque successoribus fuisse potestatem animadvertendi in reos*: nam (uti monet P.D. *Huetius* in Observationibus & notis ad *Origenis* Commentaria *pag.* 29.) ad Herodem Jesum misit Pilatus, qui capitis causam coram eo diceret, postquam hunc Galileum esse, ad ejusque ditionem pertinere intellexit, ut est apud *Lucam* XXIII. 7. Et ab eo damnando ideo se tantum abstinuit Herodes, & ad Pilatum remisit, vel quo par ejus comitati referret, vel quod insontem Christum reperiret. Ita quidem *Huetio* videtur, malumus cum *Joh. Lightfooto* in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 55. *Tomo* II. Operum ita respondere: *senex iste vulpes olim vitæ Christi insidias struxerat* Luc. XIII. 31. 32. *jam vero captum*, (*spretum*, *illusum & splendida indutum veste*) *remittit ad Pilatum*, *non eo*, *ut elaberetur Jesus*, *sed ut Pilatum deliniret*. Vide *Actor.* IV. 27. Quicquid ejus rei erit: Agrippa etiam Herodis Antipę successor, ejusque fratris filius, Jacobum Zebedęi filium capite plexuit, ut docet idem Lucas *Actorum* XII. 2. Integra igitur fuit illis & plane regia post Johannis mortem reos puniendi potestas. Cum vero *Judæa Agrippa Majore* regnante *Provincia* esse desierit, uti satis luculenter probatum esse crediderim, inde simul apparet, Judęos iterum non Romanis sed suo Regi Agrippę Majori tributa pependisse. Certe Hierosulymitanis *tributum*, quod in singulas ędes pendere soliti erant, remisit. Vide *Josephum* in Antiquitatibus XIX. 5. Quod vero *Josephus Scaliger* in Animadversionibus Eusebianis ait, semper ad *patrimonium Archelai* & *Jerosolyma* Procuratorem Romanum missum fuisse, in eo ipsi nemo facile fidem habebit. Agrippa enim Majore regnante in Judęa, quis credet *Procuratorem Romanum* Roma venisse Jerosolyma, sed eo mortuo Judęa est in provinciam rursum redacta, Syrięque attributa, res ejus a Cuspio Fado fuerunt procuratę. Vide sis *Abrahamum Sculteтum* Exercitationum Evangelicarum *lib.* I. *cap.* 12. Ceterum Rex Agrippa secundum *Philonem* Legat. ad Cajum, ait se φόρων ἄφεσιν *immunitatem tributorum* pro Hierosolymitanis a Caligula non audere petere, postquam *Hierosolymorum urbs*, ut ait *Josephus* Antiquit. *lib.* X. ὑποτελής *tributaria* Romanis evaserat. Obtinuit tamen idem Agrippa a Claudio, ut Judęi in Palęstina tributa ponderent ipsi ut Regi, non item Romanis, uti observat *Jo.* le *Sueur* dans l'Histoire de l'Eglise & de l'Empire P. I. ad A. C. 41. *pag.* 143. At *quousque*, inquiet aliquis, *Judæa provincia esse desiit*? Dicam id quod res est: *Agrippa major* tantummodo omnem Palęstinam sive Israelis terram per *triennium* ad fatalem usque mortis pœnam possedit. Etenim septem regni annos Agrippę Majori tribuit *Josephus*, quatuor sub Cajo (demtis videlicet tribus vel quatuor mensibus: neque enim quatuor integros annos in imperio exegit ipse Cajus) & tres sub Claudio (tribus itidem aut quatuor mensibus additis) atque ex *annuis reditibus* 1200. *myriadas* (86) percepisse eum addit: neque eas tamen, propter summam ejus munificentiam, semtibus ejus suffecisse, sed mutuas preterea pecunias accepisse. Confer *Jac. Usserium* & *Ludov. Cappellum* locis supra citatis. *Herodis* hujus *Agrippæ Majoris* vitam, res gestas, & fata copiose describit

bit *Joh. Gothofr. Lakemacherus Parte* IX. Observationum Philologicarum *Observat.* II. §. 3. *seq.* eo quidem consilio, ut probet hunc ipsum Herodem Apocalypseos XIII. 1--10. per bestiam illam priorem adumbrari & designari. Quicquid ejus rei erit, malumus considerare conditionem Judæorum ejus ætatis. *Status* itaque *populi Judaici* in hac periodo *non fuit populi liberi*, suo arbitrio rempublicam administrantis, sed subjecti Romanis, eorumque majestatem revereri coacti. Simulacrum aliquod libertatis habuit Populus sub hoc Agrippa Majore; quantopere tamen ipse quoque ille Agrippa obnoxius fuerit Præsidibus Syriæ, liquet ex iis, quæ inter ipsum & Cajum in historia statuæ in templum inferendæ, tum quoque inter ipsum & Marsum, Syriæ præsidem, gesta leguntur apud *Josephum* Videantur *Campegius Vitringa* in Hypotyposi Historiæ & Chronologiæ Sacræ *pag.* 194. & *Jac. Basnagius* dans l' Histoire des Juifs libro I. *cap.* XI. §. 16. *pag.* 271. §. 17. *pag.* 273. ut nunc taceam, quæ observavit *Ezech. Spanhemius* Exercit. II. de Orbe Romano *cap.* X. *pag.* 205. hæc enim nobis præferunt lucem, cum ex *Josephi* Antiquit. XIX. 18. refert, eundem Marsum quinque simul Regibus, Commagenes nempe, Emisenorum, minoris Armeniæ, Ponti Ptolemoniaci & Chalcidos jussisse, ut sine mora discederent. Cum itaque *Herodes* sive *Agrippa Major* in clientela esset Romani Imperatoris & fiduciaria lege teneret regnum, id ipsum signatis etiam nummis indicare voluit. Nimirum ut *Claudi Augusti* memoriam aliquo apud subditos monumento celebraret, urbi *Tiberiadi* Galilææ Metropoli, cujus fit mentio *Joann.* VI. 23. quam *Herodes Antipas* in amicitiam *Tiberii* receptus, a se conditam de Tiberri nomine Tiberiadem appellaverat, *Claudiæ* nomen imposuit. Testis est nummus cum hac Epigraphe: ΚΛΑΤΔΙΟ ΤΙΒΕΡΙέων *Claudio. Tiberiensium*: testis & alter nummus, cum hac inscriptione: ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ ΕΠΙ ΚΛΑΤΔΙΟΤ ΕΤ. ΑΠ. Difficiles *Jo. Harduini* de hoc nummo nugas discussit, veramque ejusdem nummi explanationem cum erudito Lectore communicavit *Henr. Norisius* de Anno & Epochis Syro-Macedonum Dissertatione V. *cap.* V. *pag.* 553. Nimirum jocularem errorem admittit *Harduinus*: dum Epigraphen nummi vertit: *Tiberiensium*, *sub Claudio Prætore*, civitatis cognomine in Prætoris nomen commutato. Urbs olim, quam condidit Herodes Antipas, Tiberiadis nomen accepit de Tiberii nomine ita appellata, uti supra dictum est. Sunt nummi hujus urbis, unus scriptus ΤΙΒΕΡΙΑC sub *Tiberio* ipso, cum recens civitas esset, alter cum capite Hadriani signatus ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ *Tiberiensium*. At insignis est nummus, de quo egit *Norisius* in Epistola subjuncta operi de Epochis Syro-Macedonum, in quo ΤΙΒΕΡΙΑC legitur intra lauream, & ab altera faciæ ΗΡΩΔΟΤ ΤΕΤΡΑΧΟΤ. L. ΛΔ. cum ramo palmæ. Quemadmodum igitur Tiberias ab Herode condita in nummis apparet, ita & eadem conspicitur, postquam *Claudiæ* acceperat nomen: ut satis mirari nequeam ἀβλεψίαν *Christoph. Cellarii*, qui itidem *Tom.* II. Geographiæ Antiquæ *lib.* III. *cap.* 13. *pag.* 497. verba dicti nummi vertit: *Tiberiensium sub Claudio Trajani Præfecto*. Transimus nunc ad alios *nummos Herodis Agrippæ* testes de *summæ erga Claudium adulatione*. Certe in nummo quodam, quem *Ezech. Spanhemius* primus protulit atque illustravit, ΦΙΛΟΚΛΑΤΔΙΟΣ dicitur, *Claudii amicus*, quemadmodum Judæi generatim ab eodem Herode Agrippa φιλοκαίσαρες appellati apud *Philonem* Legat. ad Cajum *pag.* 1031. Quemadmodum autem *Agrippa*, dum se φιλοκλαύδιον nominat, satis luculenter testatur, se in fide & clientela Imperatoris Romani fuisse (vide de nummo hoc, & voce Græca ibidem obvia *Spanhemium* de Usu & Præstantia Numismatum Dissertatione VIII. *pag.* 525. & *Basnagium* dans l' Histoire des Juifs *lib.* I. *cap.* 12. §. 10. *seq. pag.* 291.) ita istiusmodi assentationibus Imperatoris gratiam captare debuit non sine magno suo, gentisque Judaicæ commodo. Certe id precibus etiam dedit Agrippæ Claudius, ut secundum publicum edictum *Judæi ubivis terrarum suis legibus viverent*. Edictum illud Claudii *Herm. Witsius Tomo* II. Miscellaneor. Sacror. Exercit. XI. §. *66. pag.* 325. recitat. *Filius Agrippa minor* (87) Patri non succedit, sed *regulus* fit *Calcidenæ* in *Syria*, quæ postmodum a Claudio cum Philippi tetrarchia & Abilene permutata fuit. Hic Agrippa filius Romæ apud Claudium erat septemdecim annorum adolescens, cum de morte patris nuncius adferretur. Cui successorem hunc Claudium constituisset, nisi amici admonuissent, periculosum esse limitaneum regnum, ut Judaicum erat, puero regi committere. *Rursus* itaque *in provinciæ formam Judæa* cum ceteris Agrippæ possessionibus *redacta*, Cuspio Fado misso, qui *præses* ordinaret, regeretque. Negat *Harduinus*, *Judeam iterum provinciam factam*, quæ nunquam cessaverit, postquam semel facta sub Augusto fuerat. Respondi-

dimus ſupra exemplis regionum in Aſia, quæ ex Romanis provinciis regna, & rurſus provinciæ factæ fuerant: prout ſuaſores erant amici Imperatorum, qui cum æquum dixiſſe videri vellent, revera inhiabant præfecturis illarum regionum, ex quibus poſſent diteſcere. Quo referendum illud *Taciti lib.* v. Hiſtor. *cap. 9. Claudium defunctis Regibus aut ad modicum redactis, Judæam provinciam equitibus Romanis, aut libertis permiſit.* Neque cum *provincia Judæa* eſſet, ceſſavit *templum Hieroſolymitanum* renovari, nec vero auſpicijs *Romani* illud *Præſidis* fiebat. Cæſares enim principi cuidam Judaici generis hanc ſacrorum & templi curam permiſere, ut Agrippa Majore ſublato, Claudius Herodi fratri, Chalcidenſi regulo, conceſſit. Vide *Joſephum lib.* xx. *cap.* I. & III. quod jus poſtmodum Agrippæ minori manſit uſque ad templi & urbis everſionem. Vide ibidem *cap.* VII. & cumprimis *cap.* VIII. ubi de Agrippa Rege dicitur, ἐπεπίςευτο ὑπὸ Κλαυδίȣ Καίσαρος τὴν ἐπιμέλειαν τȣ̃ ἱερȣ̃ *templi curam ei Claudius Cæſar concrediderat*: quamvis neque Herodi illi, nec Agrippæ juniori in Judæam vel Hieroſolyma quidquam juris fuerit, quod omne penes præſidem ſeu procuratorem erat. Confer *Jac. Basnagium* dans l' iſtoire des Juifs lib. I. cap. 13. §. 7. pag. 313. ſequ. & *Cellarium* in Diſſertatione, qua *Flavii Joſephi* Hiſtoria a νοθείας ſuſpicione contra *Jo. Harduinum* juſtis vindiciis adſeritur, & nummis antiquis conciliatur §. 27 itemque *Jo. Chriſtoph. VVaGenſeilium*, qui (præter *Jacobum Uſſerium* in Annalibus Veteris & Novi Teſtamenti p. *679 Chriſtianum Noldium* in Hiſtoria Idumæa *pag.* 376. *Is Caſaubonum* Exercit. XVI. ad Anales *Baronii* num. 71. *p.* 530.) in Confutatione carminis *R. Lipmanni p.* 309 & in diſſertatione ad Chriſtoph. Arnoldum de Loco Claſſico Geneſ. XLIX. 10. *pag.* 259. ſequ. Faſcic. *V.* Opuſculorum quæ ad Hiſtoriam ac Philologiam Sacram ſpectant, haud pauca habet huc referenda: *poſtquam*, inquit, *Claudius Imperator.* Herodi *Chalcidis Dynaſtæ*, poteſtatem in templum Hieroſolymitanum, & ſacrum ærarium, *facultatemque* eligendorum ſummorum Pontificum, hæreditario jure *conceſſiſſet* (*quod ita factum eſſe aſſeverat* Joſephus *lib.* xx. *Antiquit. cap.* I.) is gradus fuit, ad Judæos ſacra autonomia privandos. *Poſtea Anano ab Agrippa ablata eſt Pontificalis dignitas*, *Synedrio vero autoritas tantum non omnis tum videtur ſimul eſſe ademta. Ipſe* Joſephus *lib.* xx. *Antiquit. cap.* 8. *hanc hiſtoriam referens, audiendus eſt*, *cum addit*: ex illo maxime tempore labare cœpit noſtra Reſpublica, & indies in deterius ruere. Ceterum provincia facta cum procuratores acceperit, nonnulla adhuc de *jure gladii apud Judæos* ſubjungere licet. Sed antequam eo deveniamus, res ipſa poſtulat, ut *Procuratores Judææ*, qui huc referendi erant, aliquanto accuratius conſideremus. Neque vero vacat Procuratores omnes adducere, qui Judææ præfuerunt: duos tantummodo nominabimus, quorum in Actis Apoſtolorum mentio fit, *Felicem* puta, & *Feſtum*. *Joh. Peraſonius* in expoſitione Symboli Apoſtolici *pag.* 346. poſteaquam obſeruarat, Pontium Pilatum Judææ Procuratorem ex *equeſtri ordine* fuiſſe, addit: *officium illud Procuratoris uſitate ejus ordinis hominibus committebatur*: *quod accipiendum eſt* de Procuratoribus Provinciarum Imperialium: *etenim in Provincias Populi Procuratores a Cæſare miſſi ex libertis erant. Imperator enim in omnes provincias Procuratores ſuos mittebat*, *ſed cum differentia*, *ut* Dio *obſervat* Hiſt. lib. LIII. ἐς πάντα ὁμοίως τὰ ἔθνη, τούτε ἑαυτȣ̃ καὶ τὰ τȣ̃ δήμȣ, τȣ̀ς μὲν ἐκ τῶν ἱππέων, τȣ̀ς δὲ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων πέμπει. Præter *Pearſonium* contendunt *Reineſius* in Commentario ad inſcriptionem veterem, qua *Diadumenus Aug. Libertus Procurator* ſiſtitur, (vide ejus Inſcriptiones CLIX. 18.) & *Humphridus* Prideaux in notis ad marmor Tingitanum inter Oxonienſia. *Procuratores Fiſci* ex *equitibus* ſolum delectos, *libertos* vero nonniſi *privato patrimonio* præfectos fuiſſe: quæ vero ſententia veriſimilitudine plane deſtituitur. Etenim obvii ſunt in inſcriptionibus veteribus hujus generis liberti Procuratores ſatis multi, uti videre licet apud *Maſcovium* Exercitat. I. de Procuratore Cæſaris §. 6. Adjiciendus his *Felix*, Pallantis, qui apud Claudium omnia potuit, frater, qui *libertini generis homo*, ita Judææ cum Ventidio Cumano præfectus eſt, ut huic Galilæorum natio, Felici Samaritæ parerent. Vide *Campegium Vitringam* in Hypotypoſi Hiſtoriæ & Chronologiæ Sacræ *pag.* 193. Tum vero, cum *Judæa duos* uno tempore haberet *Procuratores*, diſcordes olim gentes, & tunc æmulatione Procuratorum excitæ, componere inſidias, raptare inter ſe, ſpoliaque & prædas ad Procuratores referre, inſtituerant, atſiſſetque bello provincia, ni *Quadratus Syriæ Præſes* ſubveniſſet. Narrat hæc *Tacitus lib.* XII. Annalium, qui ſimul annotat, Claudium, auditis cauſis rebellionis, Quadrato *jus ſtatuendi* etiam *de Procuratoribus* dediſſe, indicans, alias ſolum Principem de hujus generis Procuratoribus cognoſcere ſolitum. Judicio damna-

natus Cumanus, & in Italiam ad Imperatorem missus, *Felix* studio Quadrati procurationi suæ restitutus est. Atque hęc de Felice & Cumano Procuratoribus ex *Tacito* commemorat *Mascovius* Exercitat. I. de Procuratore Cęsaris §. 13. sed addendus erat quoque *Josephus*, ut plenior esset horum Procuratorum inter se contendentium Historia. Confer omnino *Jac. Gutherium* de Officiis Domus Augustę *lib.* III. *cap.* 34. *pag.* 616. *Tom.* III. Thesauri Novi de *Sallengre*, *Joh. Pearsonium* in Annal. Paul. An. LIII. *pag.* 13. *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* I. *cap.* 17. §. 6. *pag.* 478. *seq. Camp. Vitringam* in Hypotyposi Historiæ & Chronologiæ Sacræ *pag.* 262. *Baronium Tom.* I. Annalium ad A. C. 50. *num.* 8. *Jac. Usserium* in Annalibus Vet. & Novi Testamenti ad A. C. 53. *pag.* 667. Quod ad *Felicem* attinet, is *Tacito Procurator*, ἡγεμὼν autem in Actis Apostolorum XXIII. 26. 34. XXIV. 10. dicitur: inde colligit *Mascovius Felicem Procuratorem* fuisse cum *Præsidali potestate*. At vero malim cum *Jacobo Gutherio* Felicem *Procurationem Cæsaris vice Præsidis* peregisse. *Felix*, inquit, *in Actis Apostolorum* ἡγεμὼν *vocatur: nam qui in partem administrationis Provinciarum veniebant*, *quasi* Legati, *vel* Præsides ἡγεμόνες *dicebantur*, *Cujacius* Observationum *lib.* XIX. *cap.* 13. Porro autem Felix Procurator vice Præsidis fungens in Actis XXIII. 26. XXIV. 3. κράτιστος appellatur. Vulgatus vertit: *Optimus*: at versionem illam repudiat *C. A. Heumannus* in Dissertatione de Theophilo, cui Lucas Historiam Sacram inscripsit §. 7. *pag.* 498. Biblioth. Bremensis Classe IV. fascic. III. persuasus rectius versiones Gallicam & Anglicam reddere per *virum excellentissimum*, *Eure Excellenz*. Ante *Heumannum*, Vetus Interpres *Modestini* in lege 2. §. ult. D. de Excusationibus Tutorum, & in lege 4. §. 1. eodem Titulo, & in lege 2. §. 3. D. Qui petant Tutores, vocem κράτιστον *nobilem* & *nobilissimum* interpretatur, eo nomine ab *Antonio Augustino* reprehensus teste *Ægidio Menagio* in Juris Civilis Amœnitatibus *cap.* 16. *pag.* 86. Quicquid ejus rei erit, Vulgati versionem, quam repudiat *Heumannus* recte tuentur *Casp. Sanctius* in Commentariis in Actus Apostolorum teste *Samuele Massonio* dans l'Histoire Critique de la Republique des Lettres tant Ancienne que Moderne *Tom.* V. *pag.* 258. *Baronius Tom.* I. Annalium ad A. C. 58. *num.* 33. *Nicol. Abramus* in notis ad Orat. *Ciceronis* de Provinciis Consularibus, *Jo. Pricæus* in notis ad *Lucæ* I. 4. & ad *Actor.* XXIII. 26. *Jac. Hasæus* in Vindiciarum Vulgati Interpretis Tentamento §. II. *pag.* 347. Bibl. Brem. classe IV. fascic. III. *Theod. Hasæus* in Sicilimento ad dictam *Heumanni* Dissertationem §. 14. *pag.* 523. Biblioth. Brem. Classe IV. fascic. III. Ceterum de voce κράτιστος, confer J. *A. Fabricium* Bibliothecæ Græcæ *lib.* IV. *cap.* III. *pag.* 90. & *Guil. Saldenum* in Otiis Theologicis *lib.* IV. *Exercit.* IX. *pag.* 770. Quomodo se in illo officio gesserit, nunc videndum, aut, ut rectius dicam, dispiciendum erit. Tertullus ille Judæorum orator in Actis Apostolorum XXIV. 3. sic Felicem coram in os laudare sustinuit: *quod multa pace per te fruimur*, *quodque tua providentia hæc natio recte administratur*, *id & semper*, *& ubique approbamus*, *& maximas agimus gratias*. Et vero, uti hoc initium orationis paucula trahit ex vero, ita putidis plerumque mendaciis fœdum est. Quamvis enim *latrones* aliquos pacem publicam infestantes coercuisset, vide *Josephum* Antiquitatum *lib.* XX. *cap.* 6. Quamvis eodem *Josepho* teste l. c. & de Bello Judaico *lib.* II. *cap.* 62. *Magi* & *impostoris illius Ægyptii* (quem Actorum XXI. 38. innui putant *Ludov. Cappellus* in Compendio Historiæ Judaicæ ad A. C. 53. *August. Calmetus*, *Joh. Lightfootus* in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 101. *Tom.* II. Operum, *Henr. Valesius* in Annotationibus ad *Eusebium pag.* 38. *Jac. Usserius* in Annalibus Vet. & N. Testamenti *pag.* 671.) sectatores & pacis publicæ turbatores, & partim occiderit, partim vivos ceperit, & vinculis tradiderit, reliqua multitudine in regiones proprias dispersa: perquam tamen avare, crudeliter ac libidinose in tota provinciæ suæ administratione se gessit. Nimirum cuncta malefacta impune sibi forte ratus summa fratris Pallantis gratia & potentia apud Claudium imperatorem subnixo, per omnem sævitiam ac libidinem *jus regium servili ingenio in Judæa provincia exercuit*. Vide *Tacitum* Annal. XII. 54. & Historiar. *lib.* V. *cap.* 9. ut nunc taceam, quæ de pessimo hoc Judææ Procuratore observat *Joh. Lightfootus* in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 102. *Tom.* II. Operum, & *Herm. VVitsius* in Prælectionibus de Vita & rebus gestis Pauli Apostoli *sect.* X. §. 21. *pag.* 165. *Annos procurationis* indicat Paulus in Oratione ad Felicem in Actis Apostolorum XXIV. 10. *scio*, inquit, *te multos jam annos huic genti jus dicere*. *Jac. Usserius* in Annalibus Vet. & Novi Testamenti ad A. C. 60. *pag.* 675. existimat Felicem, cum hæc diceret Paulus, decimum gubernationis annum egisse, ean-

eandem ſententiam tuetur *Calmetus*. At *Baſnagius* dans l'Hiſtoire des Juifs *lib.* I. *cap.* 17. §. 7. *pag.* 481. & *Henr. Valeſius* in notis ad *Euſebium pag.* 38. minorem annorum numerum qui vel ſex, ſeptemque, vel quinque tantum fuerint, a Paulo innui putant. Quicquid ejus rei erit: *Joh. Pearſonius* etiam quinque annos cum dimidio putat: alii aliter. Ante omnes operæ pretium fuerit hic audire *Baronium*, eundemque ad examen vocare. Ita autem inquit *Baronius Tom.* I. Annalium, ad A. C. 50. *num.* 8. *patentis erroris* Joſephus *arguitur*, *dum* Antiquit. *lib.* XX. cap. 5. *ait eſſe damnatum Cumanum Romæ, ac inde Claudium Felicem Pallantis liberti Claudii Auguſti germanum miſſum eſſe in Judæam. Nam Felix* (*ſi* Tacito *fidem præbemus*, *quem certe in his præſertim quæ ad Romanos pertinent Magiſtratus*, *quivis eruditus* Joſepho *facile anteferret*) *ſimul cum Cumano in eam provinciam miſſus eſt*, *ſic ea inter eos diviſa*, *ut Felix Samariam adminiſtraret*, *Cumanus vero reliquam provinciæ partem*: *ſed* (*ut idem autor tradit*) *Cumanus a Quadrato Syriæ Præſide in provincia eſt damnatus*, *ſimul conſidente inter judices Felice*. Cum vero ibidem *Baronius* verba *Taciti* ex *lib.* XII. Annalium integra adſcripſiſſet, pergit: *hactenus* Tacitus *ſub Coſſ. Sulla & Othone*, *anno Domini ſecundum initam a nobis temporis rationem*, *quinquageſimo quarto*. *Ex his videas* Joſephum *ignoraſſe cauſam primariam illarum diſſenſionum*, *& multos ſimul involviſſe errores*. Jam vero videamus, quantum inſit ponderis *Baronii* argumentis. Erroris, imo plurium errorum arguit *Joſephum*, & ſoli *Tacito* fidem habendam cenſet, quemadmodum etiam judicat *Baronium* ſecutus *Joh. Caſp. Arletius* in Exercitatione Hiſtorico-Theologica de Pauli in Urbem Romam ingreſſu *pagin.* III. At vero quanta etiam ſit *Taciti* ſcriptoris pagani in rebus Judæorum alioquin fides, major eſt tamen hic *Joſephi* Judæi, ſcriptoris domeſtici in domeſticis rebus gentis ſuæ fides, uti recte judicant *Jac. Baſnagius* dans l'Hiſtoire des Juifs *lib.* I. *cap.* 17. §. 6. *pag.* 479. & *Jac. Gutherius* de Officiis Domus Auguſtę *lib.* III. *cap.* 34. *pag.* 616. Succeſſit Felix Cumano in Pręfectura Judęę, ut ex *Joſepho* colligendum videtur, anno Claudii XII. Samaritis equidem ante hoc tempus pręfuiſſe Felicem, affirmat *Tacitus*, non confudiſſet tamen Paulus Samaritas cum Judęis, nec dixiſſet: *quia te a multis annis* τῷ ἔθνει τούτῳ *genti huic judicem præfuiſſe ſcio*. Imo *Joſephus* duplici loco in hiſtoria Cumani hujus pręfecturę Felicis ne verbo quidem meminit, & in narratione *Taciti* aliquid vel deſideratur, vel ſupponitur, judice *Vitringa* in Hypotypoſi Hiſtorię & Chronologię Sacrę *pag.* 262. Porro autem alii docti homines habebunt ſatis abunde, quod reſpondeant *Baronio*. Quod ſi enim contendent, ſcriptores *Joſephum* & *Tacitum* ſalva utriuſque fide atque autoritate, conciliari poſſe, cum prima fronte diſſidere videantur, *Baronii* utique cenſura in *Joſephum* intempeſtiva erit. Judicio *Joh. Pearſonii* Felix Judęę Procurator fuit duabus vicibus, ſemel Procurator fuit duabus vicibus, ſemel cum Cumano, iterum illo damnato, cum ſolus provinciam regeret. Eſto autem, illam *Pearſonii* conciliationem vacillare: (certiſſimum enim ex *Joſepho* Judęam pertinuiſſe ad pręfecturam Cumani, non Felicis: nec favet adverſę ſententię locus *Joſephi* de Bello Judaico *lib.* II. *cap.* 21. recte intellectus. Vide *Vitringam* l. c. *pag.* 193.) pręſtabit tamen aſſenſionem cohibere, dum aliquid certius & exploratius afferatur a *Baronio* nullo non tempore acerrimo *Joſephi* Cenſore. Ad alia nunc pergimus, quia *Baronius Tom.* I. Annalium ad A. C. 58. *num.* 158. *de annis Felicis in Judæa Procurateris* diſquirit, & tum *Joſephum* fruſtra reprehendit (vide *Lightfootum* in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 99. *Tom.* II. Operum) tum *Lucæ verbis* caliginem potius, quam lucem affundit: perſuaſus ſecundum Imperii Neronis annum, Præfecturæ Felicis ultimum annum eſſe. *Quod vero Felix*, inquit, *hoc ipſo anno* (Imperii Neronis ſecundo) *ſuæ functionis munus abſolverit*, *ſucceſſorem accipiens* Porcium Feſtum, *Acta inprimis teſtantur* XXIV. 27. *dum hæc habent de ejuſdem Felicis præfectura*: biennio autem expleto, accepit ſucceſſorem Felix Porcium Feſtum. *Porro hoc biennium intelligendum eſt de* Neronis imperio, *ad quod uſque tempus Felix eam adminiſtravit provinciam*: *non autem quod idem tantum biennio eo perfunctus ſit munere*: *quippe qui*, *ut vidimus*, *jam a Cumani* temporibus a Claudio Imperatore *in eandem provinciam miſſus fuerat*: *unde ipſum alloquens Paulus*, *merito dixit*: ex multis annis te eſſe judicem huic genti ſciens. *Sic igitur expleto* biennio *ejus* functionis ſub Nerone, *qui hoc anno pridie Idus Octobris exacto ſui Imperii biennio*, *jam tertium inchoarat annum*, Feſtus ſucceſſit Felici. *Verum nec ratio aliqua perſuadet*, *amplius* biennio Neronis, Felicem in provincia remanſiſſe: *redacto enim ſemel in ordinem* Pallante fratre, *penes quem erat ſumma rerum*, *cujus*, *ut ex* Tacito *vidimus*, *patro-*

trocinio ac studiis fovebatur, *nec res Felicis diutius substitisse*, *facile est opinari*, *cum Judæorum præsertim accusationibus assidue esset exagitatus*. *Post exstinctum igitur* Claudium, *cum nondum* sub Nerone mutatus esset status Pallantis, *literis novi Imperatoris* prorogatam *fuisse* Felici provinciam ad biennium *certo constat*: *quo* (*ut numerat Lucas*) *expleto*, *successorem idem accepit Porcium Festum*. Hactenus *Baronius*, at vero idem fallitur; etenim docti homines ad unum fere omnes consentiunt, *biennium illud*, post quod expletum Paulus Romam a Festo missus fuisse dicitur, ad *vincula Pauli Cæsariensia*, non vero ad præfecturam Felicis, pertinere. Vide inter alios *Tillemontium* in Vita Pauli nota 56. in præsenti autem non incommodum fuerit subjungere verba *Augustini Calmeti* recte *Baronium* castigantis. Antequam vero id fiat, observamus *Joh. Lightfootum* in Commentario Chronologico & Critico in Acta Apostolorum *pag.* 800. *Tom.* II. Operum *Baronii* sententiam quodammodo emendare voluisse, dum ita inquit: *non de biennio ab incarceratione Pauli intelligi debet*, *id quidem omni fundamento caret*, *nec de biennio*, *a quo Felix Judææ præpositus fuerat*: *ille enim* multis annis provinciam procurarat, *sed de* biennio, *a quo* Nero Cæsar regnum auspicabatur, *hoc est*, *cum* sedisset Nero duobus annis. *Sacra pagina haud raro calculos suos ab æra non nominata ponit*, *prout videre est* Ezec. 1. 1. 2. Sam. XV. 7. 2. *Paralip.* XXII. 2. *quin imo ut in isto sensu hæc sumi debeant*, *fusius*, *si opus esset*, *e* Josepho *ostendi posset Antiquit. lib.* XX. *cap.* 7. Idem *Lightfootus* in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 99. *Tom.* II. Operum in hanc sententiam ita disserit: *probabilior sententia hæc est*, hoc biennium denotare tempus, quo Paulus incarceratus fuerat, *Præfecto Felice scilicet*, *ex quo primum per Lysiam Tribunum prehensus erat*, *ad id temporis*, *cum Felix præfectura sua cederet*. *In hac sententia sunt* Beda, Beza, Salmeron, Onuphrius, *&* *alii*. *Adeo hæc sententia Lucæ scopo convenit*, *ut nec illustratione aut probatione indigeat*: *porro S. Scripturæ computandi consuetudini*, *aliis in locis usitatæ passim*, *maxime congrua est*. *Duobus hisce satis confirmatis*, *sequitur*, Paulum secundo Neronis prehensum, & Felicem præfectura sua defunctum *Neronis quarto*, *priusquam Poppæa ad gratiæ fastigium evecta esset*. Porro biennium, *quo* Paulus *incarceratus fuerat*, Felice Præfecto, *secundum hanc rationem sequentem intelligendum esse*. *Sub* Pentecosten secundo Neronis *prehensus erat*, *porro sub Pentecosten*, tertio Neronis, *annum integrum in carcere egerat*: *sub* Pentecosten, quarto anno Neronis, biennium, *quo in carcere egerat*, impletum fuit: *istius anni verno tempore præfectura sua cessit Felix*, *&* *Romam profectus fuit causam dicturus*, *&* *ipsius* frater Pallas (*qui nondum plene e Cæsaris gratia exciderat*) *ei Neronem conciliat*. Baronius *les ans compte du* commencement de Nèron: *mais Saint Luc n' ayant pas dit un mot* de ce Prince, *est-il naturel qu' il nous parlè ici du* commencement de son regne. Fromond *l' entend de* deux ans, *pendent lesquels* Nèron continua Felix dans son gouvernement de Judèe. *Quand le fait seroit certain*, *il n' est pas croyable qu' on nous parlè ici de* ces deux dernières annèes *sans faire attention aux prècedentes*. Neque vero *Calmetum* falsa tenet opinio: etenim ante ipsum *Henric. Hammondus* hisce *Baronium* confutaverat verbis: *quod* biennium *referri ad* procurationem Felicis *putat* Baronius, *existimatque indicari* biennium, *quo Felix* imperante Nerone *res Judææ administravit*. *Verum* Claudius *quinquennio ante Felici* Judæam *regendam dederat*, *nec ratio ulla est*, *quæ persuadeat*, *Lucam tempus procurationis Felicis a* Neronis imperio, *qui eum revocavit*, *numerasse*, *potius quam a* Claudii regno, *qui eum constituerat Procuratorem*. Præterea Historia tota rerum Judaicarum adversatur sententiæ, quæ *Festum jam successisse statuit Felici in Præfectura* Judææ *Anno Neronis secundo vel tertio*, sive historia Festi, sive sequentis temporis, Pontificum puta, & Procuratorum, Albini & Flori, usque ad exscidium Reipublicæ. Exemplo sit, *Festum*, qui non adeo diu Judæis præfuit, & in provincia decessit, illo tempore adhuc administrasse Judæam, quo Poppæa, spreta & occisa Octavia, jam erat uxor Neronis, ut patet ex *Josephi Antiquitat. lib.* VII. *cap.* 7. atqui hæc Poppææ sors obtigit eodem anno, quo Doryphorus & Pallas veneno interfecti sunt (*Tacitus Ann lib.* XIV. *cap.* 65.) qui est *Neronis nonus*. Vide *Vitringam* in Hypotyposi Historiæ & Chronologiæ Sacræ *pag.* 262. qui antea *pag.* 193. ita subduxerat rationes: *Claudius* (Tacito Antonius) *Felix* missus in provinciam Judæam ut Procurator A. Æ. V. 52. *Anno* XII. Claudii, Felici successit Porcius Festus A. Æ. V. 60. Neronis *Anno* 7. Cum hisce *Vitringæ* rationibus conferri meretur Joh. *Pearsonii* calculus apud *Witsium* in Prælectionibus de Vita & rebus gestis Pauli Apostoli *sect.* X. §. 27. *pag.* 170. patebit inde etiam, falsa esse, quæ de *biennio a Felice Procuratore sub Imperio Neronis exacto* tradidit *Baro-*

Baronius. Atque hæc de annis *Felicis* in Judæa Procuratoris observasse sufficiat: transeamus ad *Porcium Festum*, Felicis successorem, sive διάδοχον, uti eum appellat *Lucas in Actis* XXIV. 27. Διάδοχοι proprie sunt, qui in Imperio, aut Prætura succedunt: unde colligimus *Festum*, cum aliis Procuratoribus Judææ Procurationem Cæsaris vice Præsidis peregisse. Vide *Jac. Gutherium* de Officiis Domus Augustæ *lib.* III. *cap.* 34. Quamvis autem *Lucas Actor.* XXV. I. Procurationem Festi ἐπαρχίαν appellet, nemo tamen inde colliget, *Festum* fuisse *Procuratorem cum Præsidali potestate*. Ita omnino est: *Procuratores Cæsaris* vocabantur a Græcis ἐπίτροποι, *Præsides* ἔπαρχοι ad magnum illud inter *Præsidem* & *Procuratorem* apud Romanos discrimen indicandum, vide *Deylingium* Par. II. Observationum Sacrarum *pag.* 325. & *Henricum Valesium* in annotationibus ad *Eusebium pag.* 47. at vero Lucas hic non indicat Festum *proprie* fuisse *Præsidem*, sed tantum *Præsidis vice fungi*, subinnuit, qua mente etiam *Actorum* XXVI. 30. eundem ἡγεμόνα appellat. Voces itaque illæ ἔπαρχος & ἡγεμὼν, quod ad *veram* illarum *significationem* attinet, *ex ratione* & *varietate temporum* sunt considerandæ, atque explicandę. Neminem enim turbare debet, quod *Palæstina* postea *Legatum Augusti* habuit, quę *Christi* & *Apostolorum* ętate *Procuratori* paruerat. Nam Imperatores pro arbitratu mutabant administrationem provinciarum: & modo *Legatos*, modo *Procuratores* mittebant, prout usus Reipublicę exigebat. Ita *Trajanus*, cum Palęstinam assiduis Judęorum motibus turbari videret, *Legatum* ei pręfecit Lusium Consularem, virum strenuum, qui dignitate sua & armis provinciam contineret. Quando igitur Lusius ille ab *Eusebio lib.* IV. Historię Ecclesiasticę *cap.* 2. Ἰουδαίας ἡγεμὼν appellatur, male *Hieronymus* & *Rufinus Procuratorem* Judææ verterunt: nec melius *Christophorsonus*. Fuit enim Lusius *Legatus Augusti pro Prætore Provinciæ Palæstinæ*: quam dignitatem gessit Tinius Rufus sub *Adriano*, Eusebio *lib.* IV. *cap.* 6. ἐπάρχων τῆς Ἰουδαίας appellatus. Male *Langus* & *Christophorsonus Præfectum* Judææ vertit. Nam Romani Imperatores non mittebant *Præfectos* ad regendas provincias, sed tantum ad *gentes barbaras*, quę Romanis *fœderatæ* erant. Sic gentes Maurorum per Pręfectos a Romanis Imperatoribus missos regebantur, ut ex *Augustino*, aliisque Scriptoribus ad *Ammianum Marcellinum* notavit *Henr. Valesius*. Sola ex provinciis Ægyptus erat, quam Pręfecti regebant loco Regum. Quare apud *Eusebium* ἐπάρχων τῆς Ἰουδαίας non est exponendus *Præfectus Judææ*, cum Judęa a Pręfectis non administrata sit, sed potius *Pręses* aut *Legatus provinciæ Palæstinæ*. Nam Palęstina seu *Judæa*, tunc temporis per *Legatos Cæsaris* regebatur. Fuit ergo Tinius Rufus Legatus Cæsaris pro Prætore provinciæ Judææ, seu Palæstinæ, sicut antea Lusius Quietus fuerat sub Trajano. Confer *Henr. Valesium* in annotationibus ad *Eusebium pag.* 59. Hisce præmissis, redimus ad *Festum* quem Paulus in Actis Apostolorum XXVI. 25. appellat κράτιστον *Optimum*, quam dictionem *Cornelius Jansenius* perperam interpretatur, persuasus, sic Festum a Paulo vocari, ut potius, quid esse deberet, quam quid esset, elogii splendore moneretur. Eadem fere sententia est *Petri Bælii* dans la Critique General de l' Histoire de Mr. *Maimburg Epist.* 30. *pag.* 150. *Tom.* II. Oeuvres diverses. Nunquam illud Paulo in mentem venit, sed idem citra assentationem, Festum κράτιστον hoc est *Optimum* appellavit, *propter dignitatem*, quam sustinebat, Procuratoris puta Præsidis vicem tuentis. Vide de hoc *Jansenii* errore *Ægidium Menagium* in Juris Civilis Amœnitatibus *cap.* 16. *pag.* 86. Quamobrem autem Paulus in Actis Apostolorum XXV. 10. *tribunal Festi*, *tribunal Cæsaris* appellet, porro disquirendum erat. Nimirum quicquid a Festo pro tribunali gerebatur, non gerebatur nisi nomine & autoritate Cæsaris: & quicquid a Festo fiebat, quasi a Cæsare gestum reputabatur. *Quæ acta gesta sunt a Procuratore Cæsaris, sic ab eo comprobari, ac si a Cæsare gesta essent*. *Ulpianus lib.* I. *Digest.* Confer omnino *Joh. Pearsonium* in Expositione Symboli Apostolici *pagin.* 347. *Ratbodum Hermannum Schelium* in notis ad *Hyginum Gramaticum* de Castrametatione Romanorum *pag.* 1066. *Tomo* X. Thesauri *Grævii*. Præterea observat J. C. *Arletius* in Exercitatione Historico-Theologica de Pauli in urbem Romam ingressu *pag.* 78. eandem vim esse dictionis: *Cæsarem appello*, & *ad Cæsaris tribunal adsto*. Primum Festus dicit *Actor.* XXV. 12. Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis, *coll.* V. 21. Deinde *Actorum* XXVI. 31. Agrippa Festo dixit, Paulum absolvi posse, nisi Cæsarem appellasset. Observat porro Lucas in *Actis* XXV. 12. Festum συμβούλιον habuisse, quod in causa Pauli alloqueretur. *Henricus Hammondus* per συμβούλιον intelligit *Judæos e Synedrio magno*, at vero fallitur, cum intelligendum sit *concilium amicorum*. Nimirum Provinciæ Præsides *amicos* secum habere solebant *juris peritissimos* subinde

in

in gravioribus causis ante latam sententiam consulendos. Sic apud *Josephum Antiquit. lib.* XIV. *cap.* 17. *ipse Julius Cæsar Imperator iterum & Pontifex Maximus* μετὰ συμβȣλίȣ γνώμης ἐπέκρινα *de concilii sententia decrevi*. Vide plura de hisce Præsidum aut Procuratorum amicis apud *Grotium* in notis ad *Matthæi* XXVII. 19. inprimisque *Petrum de Marca lib.* V. de Concordia Sacerdotii & Imperii §. 7. *pag.* 467. Præterea absurdum est inducere Præsidem aut Procuratorem Romanum, antequam sententiam ferat, colloqui cum accusatoribus pro tribunali, cum præsertim iis gratificari nequeat. Quemadmodum autem *Hammondum* recte confutavit J*ohannes Clericus* in suis in *Hammondum* animadversionibus, ita satis mirari nequeo, cur *Guilielmus Caveus* in Antiquitatibus Apostolicis in Vita Pauli *cap.* VI. §. 4. *pag.* 480. per συμβȣ́λιον itidem *Synedrium Magnum Judæorum* intelligat. Nusquam enim in tabulis novi fœderis συμβȣ́λιον, sed συνέδριον supremus Judæorum Senatus appellatur. Præterea tum temporis non universum Judæorum Synedrium Cæsaream venerat, sed tantum quidam δυνατοὶ ἐν Ἰȣδαίοις *Actor.* XXV. 5. Denique Lucas evidenter Judæos Hierosolyma a Synedrio Cæsaream ad accusandum Paulum missos secernit atque distinguit a συμβȣλίῳ. Illi *Actor.* XXV. 7. dicuntur Judæi, qui Hierosolymis descenderant, & *v.* 9. Judæi tantummodo: Confer J*ob. Casp. Arletium* in Exercitatione Historico-Theologica de Pauli in urbem Romam ingressu *pag.* 72. *seq.* Et quid multis adversus *Caveum* argumentis opus erit? Ipse Lucas optimus verborum suorum interpres, per συμβȣ́λιον intelligit *Actor.* XXV. 23. viros τȣ̀ς κατ᾽ ἐξοχὴν ὄντας τῆς πόλεως *excellentes urbis Romæ*. Vide J*ac. Perizonium* in dissertatione de vocis Prætorii usu §. 19. & Commentarium nostrum in *Hecatæi Abderitæ* Eclogas *pag.* 102. Quid? idem Lucas in *Actis* XXVI. 30. diserte συγκαθημένȣς *assessores* nominat. Ceterum *a Procuratore Festo* Paulus *appellat Cæsarem*, & recte quidem, vide quæ de illa *appellatione Pauli* ex Jureconsultorum ordine observarunt J*acobus Gutherius* de Officiis Domus Augustæ *lib.* I. *cap.* 23. *pag.* 334. & *lib.* III. *cap.* 34. *pag.* 618. *Tomo* III. Thesauri Novi *de Sallengre*, *Hugo Grotius* in notis ad Acta Apostolorum, *Ulricus Huberus* in libro singulari de Prætorio Pauli *cap.* 21. J*ohan. Sam. Strykius* in Dissertatione de Jurisprudentia Pauli. Dictis autem Jureconsultis addimus Theologos, qui de *appellatione Pauli* erudite disserunt, *Hermannum Witsium* in Prælectionibus de Vita & rebus gestis Pauli Apostoli *sect.* X. §. 29. *pag.* 172. J*ob. Casp. Arletium* in laudata exercitatione §. 17. *seq. pag.* 61. De eadem quidem *provocatione Pauli* disserit *Baronius Tomo* I. Annalium ad A. C. 58. *num.* 161. sed verba ejusdem virus alunt. Quando enim existimat legitime agere Episcopos qui adversus hostes Ecclesiæ Principum sæcularium implorant auxilium, primum indicat *Baronius*, se ne intellexisse quidem, quas causas provocationis habuerit Paulus, deinde Pauli exemplo abusus, haud obscure prodit sacram illam Romanensium carnificinam, cum Magistratuum auxilia implorant, ad hæreticos per omnia crudelitatis genera de medio tollendos. Confer justam *Arletii* censuram in *Baronium*, quam legere licet in Exercitatione de Pauli in urbem Romam ingressu *pag.* 83. Nullum amplius addimus verbum de *Procuratoribus Judææ vice Præsidum fungentibus*: restat, ut de J*ure gladii apud* J*udæos* agamus. Nimirum Synedrium ultimo supplicio eos, quos religionis avitæ violatores credebat, affecisse, satis luculenter confirmant Tertulli Judaici Oratoris verba apud Felicem Procuratorem *Actor.* XXIV. 5. *seq.* memoriæ prodita: *nos hominem hunc nacti pestilentem & seditiones omnibus toto orbe Judæis moventem, ac sectæ Nazaræorum principem, eo usque, ut etiam templum profanare conatus sit*, comprehendimus, & ex lege nostra judicare voluimus: *sed intervenit Lysias tribunus, qui eum magna vi ex manibus nostris abduxit, jussitque, ut ejus accusatores apud te adessent*. Constitutum igitur fuerat Judæis ex patriis legibus in Paulum animadvertere, quod clarissimo indicio est, fas illis fuisse jus administrare, & quidem jus necis vitæque, nec enim aliam, quam *capitalem pœnam*, secundum mores & instituta gentis meruerat homo pestilens, qui seditiones omnibus toto orbe Judæis moveret, qui sectæ Nazaræorum princeps existeret templum profanare conatus. Imo Lysias tribunus diserte in suis ad Felicem literis *Actor.* XXIII. 27. *bunc virum cum Judæi comprehendissent* & interfecturi essent, *ego cum exercitu superveni & eum eripui ac Romanum esse didici*. Ex quibus id simul discimus, nisi Lysias compertum habuisset, *Paulum civem Romanam* esse, non eum impediturum fuisse, quo minus e medio tolleretur. (88) Liberavit igitur Paulum ab imminente exitio, illud civitatis Romanæ jus, ut tanto magis appareat Synedrio jus vitæ necisque fuisse in suæ gentis homines sacrorum suorum violatores. Interim Præsides aut Procuratores pro suo erga Judaicam gentem

odio

odio aut affectu sæpe res temperasse, dubitari nequit, eoque factum esse, ut Synedrium modo liberiore modo restricta potestate, etiam circa sacra uteretur. Vide J. C. *Wagenseilium* in Dissertatione de Loco Classico *Genes.* XLIX. 10. ad Christoph. Arnoldum *pag.* 250. Fasciculi v. Opusculorum & in Confutatione carminis R. *Lipmanni* pag. 304. *VVagenseilio* subjunge *Gutherium* de Officiis Domus Augustæ *lib.* III. *cap.* 34. *pag.* 617. *Tom.* III. Thesauri Novi *de Sallengre*, *Basnagium* dans l' Histoire des Juifs *lib.* I. *cap.* 13. §. 6. *pag.* 312. *Duravit Judæis patientia* inquit *Tacitus lib.* v. *Histor. cap.* 10. *usque ad Gessium Florum procuratorem. Sub eo ortum bellum*, mense videlicet Artemisio sive Majo anno imperii Neronis 12. regni Agrippę 17. pręfecturę Gessi Flori 2. Ejus belli historiam a *Josepho* plenissime habemus descriptam: Breviarium autem inde ex *Ludovici Cappelli* Judaicę Historię Compendio desumtum in annales suos Veteris & Novi Testamenti retulit *Jac. Usserius pag.* 682. Quemadmodum *Joh. Lightfootus* in Tractatu de Spiritu Prophetię §. 7. *pag.* 81. Operum Posthumorum, ex eodem *Josepho* compendium anni cladis Hierosolymitanę collegit & descripsit. (89) Et *Tacitus* quidem l. c. causam belli deducit ex *Felicis* & *Flori Præsidum* tyrannide. Non immerito. Fuit enim *Flori* ea certe crudelitas, ut non ad regendam provinciam, sed ad damnatorum pœnas velut carnifex missus, nec rapinis nec cędibus modum fecerit. Qui accuratius tamen rem inspiciunt, perditissimos gentis Judaicę mores, & tyrannidem in Christum & Ecclesiam deprehendunt: quod & Christus eo pœnam referat *Matthæi* XXIII. 37. 38. *Lucæ* XIII. 34. & ipse scriptor Judaicus *Josephus* semel iterumque rem ita esse testetur apud *Christianum Noldium* in Historia Idumęa *pag.* 436. Ceterum hic quoque *de causis excidii illius* consulendi erant *Joh. Lightfootus* in Concione ex 1. *Cor.* XVI. 22. de Anathemate Maran Atha *pag.* 785. *seq. Tom.* 1. Operum. *Herm. VVitsius Tom.* II. *Miscellaneor. Sacr. Exercitat.* XI. §. 82. *pag.* 336. *seq. Campegius Vitringa* in Hypotyposi Historię & Chronologię Sacrę *pag.* 200. aliique apud *Joh. Christ. VVolfium* Bibliothecę Hebręę P. II. *pag.* 1100. Inter illos *Joh. Jacobus Schudt* in Judęo Christicida gravissime peccante & vapulante, ceteris omnibus, tanquam spuriis vel certe non sufficientibus, rejectis, causam omnem *in cæde & rejectione Jesu Nazareni* versari ostendit. Quam in rem notandę sunt ipsorum Judęorum confessiones apud *Schudtium pagin.* 254. Additur illis merito *Salomon Ben Jehuda* in Scheveth Jehuda *pag.* 341. versionis Latinę a *Gentio* curatę: quando enim ibi *pag.* 349. *seq.* causas septem exsilii & calamitatum recenset, septimam facit, *cædem Nazareni*. Vide hoc Judęi hominis testimonium apud *Joh. Hoornbeekium* de convincendis sive convertendis Judęis *lib.* III. *cap.* 4. *pag.* 284. & *VVolfium* loc. c. An inter istiusmodi testes quoque nominandus sit *Moses Maimonides*, quęritur? Sunt qui illud recte fieri judicaverint, sed pręstat hic audire *Joh. Christoph. VVolfium Volum.* III. Bibliothecę Hebręę *pag.* 790. Nimirum inter commentitios numerat librum שפירן, quem a R. *Mose Ægyptio* id est *Maimonide* confectum exstare quidem inter Judęos, sed rarius inveniri *Philipp. Nicod. Leberecht* Ex Judęus, vir alioquin eruditus & probus, testatur in Tractatu Germanico, quem inscripsit: Geistlich todte Jude *pag.* 121. In eo autem idem autor est, hęc de causa pręsentis Judęorum exsilii legi: *Jesus Nazarenus gessit se ut Messias, sed occisus est a Synedrio, & causa exstitit, cur Israel gladio sit devastatus.* Interim tamen idem *Moses Maimonides cap.* XI. Hilk. Melachim pręclarum nobis reliquit testimonium, quod hic utramque paginam facit: *ille Nazarenus*, inquit, *qui videbatur Messias esse, a Synedrio est occisus, & in causa fuit, quamobrem Israel gladio perierit, & dispergerentur reliquiæ ipsorum, & humiliarentur ipsi, & mutaretur lex.* Quandoquidem autem illud *Maimonidis* testimonium quantivis pretii excerpunt *Christ. Noldius* in Historia Idumęa *pag.* 403. & *Joh. Frischmuthus* in dissertatione de Gloria Templi Secundi *cap.* III. §. 8. id ipsum quoque hic repetere volui, cum apud J. C. *VVolfium* nulla exstet ejus testimonii mentio.

VIII. Et operæ quidem pretium fuerit, hic admirari & laudare *divinam providentiam* sese hic *in tanto excidio* exserentem. Judæi apud *Matthæum* XXVII. 24. præ furore occœcati clamaverant, *se suosque natos Christi sanguinem luere velle:* at quanta sit facta Judæorum in hoc excidio strages, satis constat. Audiamus *Campegium Vitringam* in Hypotyposi Historiæ & Chronologiæ Sacræ *pag.* 207. *non est dubitandum*, numerum *eorum qui tempore obsidionis perierunt, & a Romanis expugnata urbe mactati sunt, & capti*, fuisse ingentem, *an tantum tamen, quantum* Josephus *consignat*, captorum *scilicet* 97000. *consumtorum fame aut ferro*, 1100000. *merito dubitem*. Tacitus (90) obsessorum *solummodo* sexcentia millia *numerat: qui ipse quoque numerus est in-*

ingens, *& conditionis urbis Hierosolymitanæ, quæ non fuit e maximis, magis respondet. Stirpes utique*, ubi ex collectis ab *Usserio* (91) numeris, *qui sunt in Historia* Josephi, *intelligis*, *periisse toto belli tempore* 1337490. Tantam autem Dei severitatem insigne oraculum Amosi *cap.* VII. 8. 9. jam olim indicaverat. Nempe uti judicat *Campegius Vitringa Tomo* II. Commentarii in Esaiam *pag.* 122. *tria* ibi occurrunt *visa* accurate deformantia *tres gradus judiciorum*, quibus Deus ordine animadverteret in Populum Ephraimiticum usque ad plenam reipublicæ eversionem, scilicet per Pulem, Tiglath-Pulassarem, & Salmanassarem. Tertius autem gradus, extremus scilicet conjungendus cum pleno Reipublicæ excidio, hoc modo exhibetur: *& dixit Jehova ad me: quid tu vides, Amos? & dixi: perpendiculum.* (92) *Et dixit Jehova: ecce ego ponam perpendiculum in medio populi mei Israelis: non pergam amplius ipsum præterire.* (93) *Et desolabuntur celsa Isaaci, & sanctuaria Israelis vastabuntur.* Habuit itaque *Deus* in Excidio Hierosolymitano *perpendiculum* suum, sive ut Esaias loquitur *cap.* XXVIII. 17. *disposuit judicium ad canonem & justitiam ad perpendiculum*, hoc est (94) sine temperamento gratiæ & moderamine clementiæ justitiam exercuit כמרת הדין secundum mensuram judicii, ut Judæi loquuntur: quod fit, ubi merita hominum beneficiis aut pœnis exacte pensantur. (95) Sunt qui huc etiam referant *Christi Parabolam Matthæi* XXIV. 51. & *Lucæ* XII. 46. *de servo dissecto & in infidelium numero habito*. Nimirum Celeberrimus Vir *Gustav. Georg. Zeltnerus* sub ficto *Georgii Augusti Pancomii* nomine in Epistola quadam ad *Gothofr. Olearium* scripta de servi negligentis Διχοτομία per cultrum, conjicit respici ad tristissima fata, quibus *multi tempore obsidionis* sunt admoti, cum teste *Josepho lib.* VI. de Bello Judaico *cap.* 36. iidem *profecto per milites Romanos ventre, miserandum in modum interirent*. Probat hanc sententiam variis argumentis, tandemque vocem διχοτομεῖν hoc sensu interdum venire, rationibus quibusdam confirmat, præcipue provocat ad Alexandrinos interpretes, quibus in victimarum mactatione dissecti ventris actum in aperiendo abdomine atque pectore primo occupatum, primario διχοτομίας nomine appellari, haud paucis testimoniis evicit. Quemadmodum autem hanc *Zeltneri* sententiam tuetur *Joh. Georg. Schelhornius* in dissertatiuncula de Διχοτομία Servi Nequam §. 6. *pag.* 1118. Bibliothecæ Bremensis Classis V. fascic. VI. ita *Carol. Frid.*

Krumbholzius in disquisitione de Servi maleferiati pœna per τὸ διχοτομεῖν significata §. II. *pag.* 250. ejusdem Bibliothecæ Classis VII. fascic. II. eandem sententiam ad examen revocatam repudiat. Quid? quod *Joh. Georgius Altmannus* in Spicilegio de Pœna servi mali & injusti *pag.* 95. *seq. Vol.* I. *Parte* I. Musei Historico-Philologico-Theologici, itemque *Campegius Vitringa Tom.* I. Commentarii in Esaiam *pag.* 324. *sequ.* affirmant per διχοτομίαν servi illius maleferiati Antichristi fata adumbrari judicant. Non est nostri instituti *diversas* adeo *interpretationes dictæ Parabolæ* ad examen vocare, faciant id, quibus majus est otium: interim addimus *Joh. Lightfootum Epocham Excidii Hierosolymitani* toties in *sacris literis* celebratam, ad earundem ductum aliquanto accuratius exponere voluisse in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 48. 81. 116. *Tom.* II. Operum, itemque in Concione ex I. *Corinth.* XVI. 22. de Anathemate Maran Atha *pagin.* 785. *sequ. Tom.* I. Operum, & in Tractatu de Spiritu Prophetiæ §. 5. *pag.* 78. Operum Posthumorum. Est autem hæc mens & sententia *Lightfooti*. Ut omnes homines *excidium illud* arrectis intentisque animis considerarent, id ipsum describitur, ac si *excidium* foret *totius universi*, & dissolutio totius machinæ mundi *die extremo*. Vide *Matthæi* XXIV. 29. 30. *coll. Jerem.* IV. 23. adde 2. *Petri* III. 10. *coll. Deuteron.* XXXII. 22. *Haggai* II. 6. *Hebr.* XII. 26. *Apoc.* VI. 12. 13. *Dies*, *tempusque* vindictæ istius & *excidii* vocatur *dies Domini* & *adventus Christi in nubibus* & *gloria*, ac si de *extremo judicio* sermo fiat. Vide *Actor.* II. 20. 2. *Thessal.* II. 2. *Matthæi* XVI. 28. XIX. 28. & XXIV. 30. *Johannis* XXI. 22. *Hebr.* X. 37. *Jacobi* V. 9. *Apocal.* I. 7. XXII. 20. *Tempora excidium* illud *antecedentia* vocantur אחרית הימים *ultimi dies*, aut *ultima tempora* Oeconomiæ & gentis Judaicæ *Esaiæ* II. 1. *Timoth.* IV. 1. 2. *Timoth.* III. 1. 1. *Petri* 1. 20. IV. 7. 2. *Petri* III. 2. *Excidium Hierosolymitanum subsequentia tempora* appellantur *nova creatio*, & *novi cœli* & *nova terra*, Esaiæ LI. 16. LXV. 17. 2. *Petri* III. 15. *Apocal.* XXI. 1. Huc pertinent, quæ dicuntur de עולם הבא *mundo futuro*, cum ad tempora Messiæ referuntur. Nam erat excidium Hierosolymæ τέλος τοῦ αἰῶνος *Matthæi* XXIV. 3. *finis sæculi Judaici* (vel עולם istius, per quod duratura erant Mosaica, de quibus dicitur, quod futura erant לעולם) & exinde *exordium novi mundi* & *sæculi regnante Christo* inter gentiles, & aniversis gentibus

bus sub sceptro Evangelii ejus sese submittentibus. Hactenus *Lightfootus*, cujus sententia non facile omnibus arridebit. Quando enim *Matthæi* XXIV. 29. 30. de excidio Hierosolymorum interpretatur ad *allegorias* confugiens, habet quidem sibi ex civibus suis ὁμοψήφους *Henr. Hammondum* & *Josephum Medum* in explicatione Vaticinii 2. Epistolæ *cap.* III. *pag.* 615. at multa *Lightfooti* sententiæ ideo rejiciendæ opponi possunt, quæ videre licet apud *Gottfr. Olearium* in Observationibus Sacris in *Matthæum pag. 696.* & 1701. Porro *Lightfootus* 2. *Petri* III. 15. de *excidio Hierosolymitano* exponit, *Joh. Owveno* in Theologumenis *lib.* III. *cap.* 1. *sequ.* & *Guil. Caveo* in vita Apostoli Petri *cap.* 10. §. *6.* suffragantibus, at quam contorta sit illa *verborum Petri* interpretatio, pluribus argumentis declaravit *Vitringa* Observationum Sacrarum *lib.* IV. *cap.* 16. §. *6. sequ. pag.* 1118. Denique *Lightfootus Matthæi* XXIV. 3. συντέλειαν τοῦ αἰῶνος cum *Hammondo* perperam de excidio Hierosolymitano intelligit. Vide *Olearium* in Observat. Sacris ad Matthæum *pag.* 665. Quid autem per *dies ultimos* & *mundum futurum* designetur, pluribus exposuimus in Dissertatione de Judæis Christi ætate Μετεωροπόλοις §. 4. *pag.* 347. *Volum.* II. Musei Historico-Philologico-Theologici *Par.* II.

N O T Æ.

(1) Quomodo hæc verba intelligenda sint, ostendit *Joh. Henr. Otho* in Indice locorum Scripturæ, quem subjicit lexico Rabinico Philologico. *Nimirum Lucas vult*, inquit, *Pilatum* Galilæos *mactasse* sacrificantes, *cum in* atrio Israelis *occupabantur circa suas victimas*, *more consueto*, manus victimis imponentes, *& peccatorum suorum confessiones edentes*. Ceterum cum per id tempus, quo vixit Christus, suum *Judææ Procuratorem* haberet, non item *Galilæa*, quæ *Herodi Antipæ Tetrarchæ* parebat. Pilatus Galilæos in ipso templo adortus, eosdem trucidari jussit. An ex cæde illa *inter Pilatum & Herodem* exorta sint odia, quorum *Lucas* XXIII. 12. meminit, disquirent alii. Rem ita esse affirmat *Christ. Noldius* in Historia Idumæa *pag.* 249. Confer *Tomum* 1. Bibliothecæ nostræ Antiquariæ & Exegeticæ *pag.* 1034. & *Balthasarem Stolbergium* in Dissertatione de Herodianis §. 38.

(2) Præter interpretes *Grotium*, *Hammondum*, *Wolzogenium* vide *Baronium Tomo* 1. Annalium ad A. C. 1. *num.* 61. ad A. C. 33. *num.* 42. *Thomam Goodvvinum* in Mose & Aarone *libro* 1. *cap.* XIII. §. 5. *pag.* 246. *Sam. Bochartum* in Epistola, qua respondetur ad III. quæstiones *pag.* 56. *Balth. Stolbergium* in Dissertatione de Horodianis §. 30. *Joh. Franc. Buddeum* in Exercitatione Historico-Theologica de Origine, Dignitate & usu Nominis Christiani §. 17. *pag.* 40. *Joh. Lundium* in den Judischen Heiligthumern *libro* IV. *cap.* 16. *num.* 15. *pag.* 810. itemque celeberrimos viros *De Beausobre* & *L' Enfant* in Breviario Historiæ Evangelicæ (Abregè de l' Histoire Evangelique) *pag.* 260. *August. Calmetum* in singulari dissertatione de Pharisæis, Sadducæis, Herodianus & Essenis *pag.* 46. quæ ejusdem Commentario in Marcum præfixa legitur.

(3) Dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne *Tomo* XXVIII. *pag.* 109. ita differit : cela pourroit etre, mais il se peut aussi, que S. Luc parle des Galilèens, ou d' habitans de la Galilèe, qui n' auroient point ètè dans le sentiment de Judas, dont on a parlè. Quand rien n' oblige de pencher d' un cotè, plutot que d' un autre, il vaut mieux ne rien prononcer ; & c' est à quoi l' Auteur (*Nathan. Lardnerum* intelligit) se tient aussi avec raison. Autrement on peut, sans y penser, faire *un Roman d' une Histoire veritable*, en supplèant, par conjecture, ce qui semble manquer à l' Histoire ; reproche qu' on a fait au bon *Docteur Prideaux*, à l' ègard de quelques endroits de son Histoire ; où il a suppleè, d' imagination, ce qui sembloit manquer, pour mieux lier la narration.

(4) Confer *Joh. Bapt. Ottium* in Animadversionibus in *Fl. Josephum*, ubi de variis a *Josepho* omissis *Ottio* tamen adversatur *Ludov. Cappellus*, qui in Compendio Historiæ Judaicæ ex *Josepho* contracto ad A. C. 29. probare annititur, *Josephum* hujus cladis meminisse, agit, *num.* XI.

(5) In Animadvetsionibus ad *Schickardi* Jus Regium *pag.* 465.

(6) *Tillemontii* mentem hisce verbis nobis aperit *Joh. Clericus* dans la Bibliotheque Universelle & Historique *Tomo* XXIV. *pag.* 76. L' Auteur croit que ce fut ceux de cette Secte, qu' on nomma *Galilèens*, & qui se rendirent depuis si celebres sous le nom de *Zelateurs* & de *Sicaires*. Car bien que Judas perit enfin, & que ceux de son Parti eussent etè dissipez pour quelque tems *sa Secte* commenca *sous Neron*, par la mauvaise conduite de *Gessius Florus*, qui obligea les Juifs à se revolter.

(7) In Historiæ Judaicæ Compendio ex *Josepho* contracto, & ad illustrationem Historiæ Evangelicæ & Apostolicæ N. T. accommodato.

(8) Judæi multa proferunt *Paradoxa* de *Legis* suæ *excellentia* atque utilitate, uti videre licet apud *Christoph. Cartvvrightum* Mellificii Hebraici *lib.* IV. *cap.* 7. inter alia dicunt : *nullus liber est*, *nisi qui legi operam navat*. Vide *Relandum* in Dissertationibus de Nummis Veterum Hebræorum Samaritanis *pag.* 157. Quæ cum ita sint, *Heinsius* in Aristarcho Sacro *pag.* 903. hunc verborum apud Johannem sensum esse putat: non negant se serviisse unquam, sed *ex prærogativa fœderis ac legis liberos* se esse ostendunt : plane ut in *Stoicorum scriptis*, sapientem esse liberum, Epictetum item nunquam serviisse, ad electionem sive τὴν προαίρεσιν refertur, sicut sapientem, etiam cum servit, servire negant *Stoici*.

(9) De Jure Naturæ & Gentium *libro* VI. *cap.* 19. *pag.* 814. primum ex Judæorum libris affert discrimen inter *servitutem* personæ inhærentem sive *intrinsecam*, quæ statum hominis personalem mutat, & inter *extrinsecam* sive eam, quæ in operis & munerum præstationibus ac obedientia civili tantum consistit, deinde addit, a Judæis hoc in loco tantummodo servitutem illam intrinsecam negari. Atque hanc *Seldeni* interpretationem commendat *Josephus De Voisin* in Observationibus suis ad Prooemium Pugionis Fidei *Raymundi Martini pag.* 174.

(10) In confutatione Carminis R. *Lipmanni pag.* 277. & in dissertatione ad Christoph. Arnoldum de dicto Classico *Genes.* XLIX. 10. *pag.* 219. Fasciculi V. Opusculorum quæ ad Historiam & Philologiam Sacram spectant, existimat, verba hæc Judæorum ex insolentissimo fastu profecta esse, quo ne suis quidem antiquis regibus subditi fuisse, sed liberiore semper republica usi esse, videri volunt. Ceterum regnum veterum Hebræorum fuisse vere μοναρχικὸν imo δεσποτικόν ex Salomonis Ecclesiaste VIII. 2. 3. contra Judæos probat, additque id ipsum *Hermannum Conrigium* in dissertatione de Republica Hebræorum inprimis eleganter ostendisse. Potuit *Wagenseilius* addere *Conringio Joh. Wandalinum* in libris de Jure Regio summopere laudatis a J. B. *Carpzovio* in Animadversionibus ad *Schickardi* Jus Regium *pag.* 138.

(11) De his motuum initiis videndus *Josephus* de Bello Judaico *lib.* II. *cap.* 17.

(12) Nihil hic in Historia verius & accuratius. *Seditiosi*, *Zelotæ* ; audacis ingenii homines, cum cognitum haberent, moderatioris ingenii Proceres & Cives abhorrere a rebellione adversus Romanos, tanquam Reipublicæ futura exitio ; operam sibi dandam putarunt, ut rebellionis initia corroborarent insigni-

bus

bus quibusdam editis sceleribus, quæ spem omnem pacis & conciliandæ Romanorum amicitiæ præscinderent: cujusmodi fuerunt expugnatio Massadæ, cædes commissa in Romanis militibus, qui præsidium habebant Antoniam arcem: & in Regiis, qui confugerant in Palatium Herodis, contra datam fidem, & quidem die Sabbathi jugulatis, & quæ alia ex historia patent.

(13) *Albertus Schultens* in *lib. de Origin.* Hebræis verba Prophetæ vertit: *dispereatis, inque maximam malam rem eatis*, adstruitque emphasin vocis ילך ex *Job* VII. 9. XXVII. 21. imo vero ipse Esajas vocem ילך eadem significatione innuit *cap.* XXVIII. 13. *ut eant* (ילכו) *& offendantur retrorsum & confringantur*.

(14) Memorabile admodum est, quod *Philostratus* narrat in vita Apollonii Thyanæi *lib.* V. *cap.* 14. Cum vicinæ gentes Tito, ob victoriam Judaicam, coronas ex more oblatum venirent, quibus eum redimire vellent, eo se honore indignum dictabat: neque enim se hæc patravisse, sed *Deo iram demonstranti suas commodasse manus*. Vide de hoc *Philostrati* testimonio H. *Witsium Tom.* II. *Miscellan. Sacror. Exercit.* XI. §. 80. *pag.* 335. Eadem Titi verba eadem occasione, quam *Philostratus* dixit, audita esse, commemorat *Joh. Antiochenus in exc. Vales. pag.* 816. unde deinde Titi verba repetit *Campegius Vitringa Tomo* I. Commentarii in Esaiam *pag.* 134.

(15) De Bello Judaico *lib.* VII. *cap.* 4. ait: *Deus ipse cum Romanis ei* (templo) *ignem lustrationis infert, totque scelerum plenam e medio tollit civitatem*. Adhuc alia hanc in rem *Josephi* testimonia diligenter collegit *Vitringa Tomo* II. Commentarii in Esaiam *pag.* 126. & *Joh. Clericus* in animadversionibus in *Hammondi* Paraphrasin ad *Matthæi* XXIV. 4.

(16) Quia hic *Basnagius* justo est brevior, operæ utique pretium fuerit majoris lucis causa quædam addere. Nimirum *Centesimæ vectigal*, sive *Centesima auctionem* apud Romanos scriptores, τέλος τῆς ἑκατοστῆς apud Græcos in hoc argumento est *centesimus retum in auctione venditarum, qui fisco numerabatur nummus*. Vide plura apud *Sam. Pitiscum* in lexico Antiquitatum Romanarum in voce Centesima & in notis ad *Suetonii* Caligulam *cap.* 16. §. 16. Ceternm ut ad *Caligulæ nummos* veniamus, quos hic cum *Patino* innuit *Basnagius*, observandum est literas hasce in dictis Caligulæ nummis RCC. testes esse *liberalitatis Caligulæ*, quia designant *Remissam Ducentesimam*. Vide omnino *Ezech. Spanhemium* de Usu & Præstantia Numismatum *Dissert.* IX. *pag.* 708. *Laurentium Begerum* in Continuatione Thesauri Brandenburgici *pag.* 618. *Sertorium Ursatum* in Commentario de Notis Romanorum *pag.* 943. *Tomo* XI. Thesauri *Grævii*, *Joh. Carolum Schott* in Epistola quadam ad G. G. *Leibnitzium* sub titulo: Explication d'une Medaille ènigmatique d'Auguste, sur laquelle d'habiles Antiquaires ont diversement prononcè *pag.* 43. *Tomi* V. Histoire Critique de la Republique des Lettres tant Ancienne, que Moderne, & *Antonium Gallandium* in Literis ad Amicum perscriptis de Nummis nonnullis antiquis, in quibus Ludi notati existimantur, quos Romani Imperatores in delectationem populi ediderunt. Leguntur hæ *Gallandii* literæ in Memoriis Trivultianis MDCCII. *Sept. pag.* 225. Quando autem *Basnagius* dicit *Centesimam* a Caligula *remissam* esse, fallitur: decepit eum vitiosa lectio apud *Suetonium*, ubi pro *Centesima* multo rectius legitur *Ducentesima*. In eundem cum *Basnagio* errorem incidit *Pitiscus* locis citatis. Quid? quod *Casaubonus* frustra apud *Suetonium Centesimam* legendum contendit, cum nummi Caligulæ, Manuscriptorum consensum etiam contra *Dionem* fulciant, sive mendum historiæ ejus irrepserit, sive ipse autor erraverit *Dacentesimam in Centesimam a Tiberio mutatam* scribens: *Tacitus* enim *Ann.* II. *cap.* 42. *regnum in provinciam*, inquit, *redactum est, fructibusque ejus levari posse* Centesimæ vectigal *professus Cæsar*, Ducentesimam *in posterum statuit*. Videmus vectigal Centesimæ Tiberium in Ducentesimam mutasse, Cajum autem etiam hanc sustulisse. Fuit autem vectigal hoc rerum venalium. *Tacitus* enim *Annal.* I. *cap.* 78. *centesimam rerum venalium* vocat, quam postea in *Ducentesimam* Tiberius mutavit: & *Suetonio Ducentesima Actionum Italiæ* dicitur. Ceterum ex hisce, quæ dicta sunt, apparet. *Lipsium* quoque de Magnitudine Romana *lib.* II. *cap.* 4. *pag.* 706. *Tomo* III. Operum, falsa *Suetonii* lectione deceptum esse. Quicquid autem ejus rei erit: a *centesima rerum venalium* diversa & alia fuit *centesima*, cujus meminit *Appianus* in Syriacis, qui Syros & Cilices *tributi* nomine quotannis *centesimam census* quemque sui solvisse ait. Confer *Bulengerum* in libro de Ttibutis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* 44. *pag.* 881. *Tomo* VIII. Thesauri *Grævii*, qui tamen cum *Lipsio* subinde errat, quia veram apud *Svetonium* lectionem observare neglexit.

(17) Cur H. *Grotius* in notis ad *Matthæi* XVII, 24. & *Phil. Jac. Hartmannus* in Commentario de rebus gestis Christianorum sub Apostolis *cap.* 21. *pag.* 511. φόρον σωμάτων cujus *Appianus* meminit, ad *didrachmum Vespasianeum*, de quo paulo inferius dicendi locus erit, restringant, me nescire fateor. Ad *Quirini censum* Judæa in provinciam redacta, verba *Appiani* refert *Petrus de Marca* de Concordia Sacerdotii & Imperii lib. 2. cap. 5. §. 5. his verbis usus: *Quirinus Syriæ Præses novum censum egit in Judæa, tributa agris imposita auxit & capitatim didrachmum indixit*. De utraque functione capiendus *Appiani* locus in Syriacis: *qui duriorem in Judæa fuisse capitationem scribit præ tributis, quæ ex facultatibus exigebantur*: ἐστὶν Ἰουδαίοις ἅπασιν ὁ φόρος τῶν σωμάτων βαρύτερος τῆς ἄλλης περιουσίας.

(18) Allato hoc *Appiani* testimonio, *Pitiscus* in voce capitatio, mox subdit: unde apparet, *aliquid in capita pensitatnm* esse, cum *Christus pro capite* suo solverit, cui nulli agri fuerunt: & aliud esse *tributum pro capite*, aliud *pro æstimatione bonorum*, quanquam interdum *utrumque tributum pro capite & ex censu conjunctim solutum est*. *Josephus* in Judæa *censeri* scribit *septingentas & quinquaginta hominum myriadas*, idque liquere ex *tributo*, quod singuli *in capita pendunt*. Et vero eadem est observatio *Bulengeri* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani, cap. 17. pag. 861. quam tacito ejusdem nomine, sibi vindicat *Pitiscus*. Quicquid ejus rei erit: *Justus Lipsius* de Magnitudine Romana lib. 2. cap. 3. p. 700. Tomo III. Operum verba *Josephi* non de *Judæa*, sed de *Ægypto* accipit, quam habuisse tradit *septingentas & quinquaginta myriadas hominum*, hoc est *septem milliones cum dimidio*.

(19) Velim hæc ejus verba observari lib. 2. de Magnitudine Romana cap. 1. efficiatur ex sermonis (*Appiani*) nexu Judæos centesimam dare, sicut & Syros & Cilices pro capitis tributo. Quo sensu inquies? Ut magis capias: solvere quidem illos & pro agris & pro opibus, sed æstimatione omnium facta etiam centesimam pro ipso capite dare. Hoc tale est, ut, si decem millia aureorum in censu habeam, solvam ex eis annua centena.

(20) En ejus verba lib. 7. cap. 11. §. 6. pag. 300. en effet, on paioit deux sortes des Impots: l'un etoit *une Taille* qu'on levoit *sur les Terres*, dont on paioit le *centieme Denier*. Mais outre cela *Appien* remarque qu'il y avoit *une Capitatiou* plus insupportable aux Juifs que tous les autres Tributs. C'est pourquoi la Judee presenta Requete a Tibere pour etre dechargee des Impots dont elle etoit accablee aussi bien que la Syrie.

(21) *Capitationem Judæorum*, inquit lib. 6. de Jure Naturæ & Gentium cap. 18. pag. 812. *ut singularem & gravissimam commemorat Appianus*. Centesimum *ad Cylices & Syros tantum spectat: nec quomodo trahi possint* ad centesimum Judæi *ibi*, *non video*.

(22) Circa mare contigisse Matthæi vocationem, Marcus satis innuit, nam quorsum alioquin præmisisset cap. 3. 7. Dominum ad mare concessisse. Vide *Pitiscum* in voce Teloneum, & *Waserum* de Antiquis Numis Hebræorum lib. 1. cap. 18.

(23) Huc referas *Irenæum* lib. 5. cap. 24. *Isidorum Pelusiotam* lib. 1. Epist. 206. *Coelium Sedulium* lib. 3. Carminum v. 315. *Hilarium* Pictaviensem in libro contra Constantium Augustum, *Carolum Sigonium* de Republica Hebræorum libro 5. cap. 11. *Josephum Scaligerum* in Animadversionibus MSC. in *Bezæ* Novum Testamentum pag. 24. Actorum Literariorum *Henr. Leonardi Schurtzfleischii*, Joac. *Camerarium* teste *Abrahamo Sculteto* exercitationum Evangelicarum lib. 2. cap. 88. *Sam. Petitum* Variarum Lectionum cap. 18. *Guil. Budæum* libro V. de asse, *Robertum Cenalem* in libro de vera mensurarum, ponderumque ratione pag. 1525. Tomo V. Thesauri *Grævii*, *Claudium Salma-*

ſium in Epiſtola ad Joannem Walæum n. *67.* pag. 141. *Thomam Brown* in libro Anglice ſcripto primum, deinde Gallice verſo, cui titulus: Eſſai ſur les Erreurs Populaires, ou Examen des pluſieurs opinions recues comme vrayes, qui ſont fauſſes ou douteuſes, lib. 7. c. 11. pag. 290. *Otthonem Sperlingium* in Diſſertatione de Nummis non cuſis tam veterum quam recentiorum, teſte *Baſnagio* dans l'Hiſtoire des Ouvrages des Scavans A. 1700. menſe Junio pag. 262. Jo. *Maldonatum*, *Gerh.* Jo. *Voſſium* Harmoniæ Evangelicæ lib. 1. cap. 8. §. 1. pag. 55. *Petrum de Marca* de Concordia Sacerdotii & Imperii lib. 2. cap. 5. §. 5. *Franc. Duarenum* de Sacris Eccleſiæ Miniſteriis ac Beneficiis lib. 7. cap. 10. pag. 385. Autorem illum, qui ſcripſit librum ſub hoc titulo: *Relazione Iſtorica* delle Vertenze, che ſi trovavano pendenti tra la Corte di *Roma*, e quella del *Re di Sardegna*, allorchè fu aſſonto al Pontificato *Benedetto XIII.* di Santa e glorioſa memoria; Dei Trattati ſu di eſſe ſequiti, e delle *Determinazioni* preſe, con i *Motivi*, ai quali ſi ſono appoggiate; come anche di tutto ciò ch' è ſucceduto nel Pontificato della Santità di *Clemente XII.* (inde excerpta, quæ huc pertinent, videre licet dans la Bibliotheque Italique ou Hiſtoire Litteraire del' Italie Tomo XI. pag. 93.) Jo. *Seldenum* de Jure Naturæ & Gentium lib. 6. cap. 18. pag. 806. *Rich. Montacutium* Originum Eccleſiaſticarum P. II. pag. 197. *Hunnium* Comment. in h. l. Tomo III. Oper. Latinor. pag. 405. *Lyſerum* in Harmon. Evang. cap. 91. pag. 473. *Gerhardum* Tom. VI. LL. CC. §. 443.

(24) Innuimus *Baronium* Tomo I. Annalium ad A. C. 33. num. 31. *Caſaubonum* exercit. XV. adverſus Baronium, num. 19. pag. 390. *Jul. Cæſarem Bulengerum* in Diatribis ſuis, quas *Caſauboni* exercitationibus adverſus Baronium oppoſuit, & in libro de tributis & Vectigalibus Populi Romani cap. 17. pag. 862. Tomo VIII. Theſauri *Grævii*. *Jac. Saurinum* Tomo II. Diſcours Hiſtoriques, Critiques, Theologiques & Moraux ſur les Evenemens les plus memorables du Vieux & du Nouvean Teſtament p. 277. *Juſtum Lipſium* de Magnitudine Romana lib. II. cap. 3. *Franc. Hotomannum* in libro de Re Nummaria, Jo. *Bapt. Villalpandum* Tomo II. Explanat. in Ezech. P. II. lib. V. diſp. 3. c. 37. *Petrum Poſſinum* in Spicilegio Evangelico, *Marq. Freherum* in Diſſertatione de Numiſmate Cenſus, Jo. *Leuſdenium* in Philologo Hebræo Mixto diſſertat. 28. p. 201. *Jac. Baſnagium* dans l'Hiſtoire des Juifs lib. III. cap. 2. §. 9. pag. 43. *Fried. Spanhemium* in Diſſertatione Hiſtorica de Apoſtolatu & Apoſtolis §. 7. ſeq. *Guil. Caveum* in Vitis Apoſtolorum p. 227. *Eduardum Brerewood* in libro de Ponderibus & Pretiis veterum nummorum cap. I. *Iſebrandum Eilhardum Harken. Rothium* in Diſſertatione Topographico-Theologica de Monte ſublimi, in quo Chriſtus a Diabolo tentatus perhibetur §. 16. p. 989. Bibliothecæ Bremenſis Claſſis VI. faſciculo V. *Chriſtoph. Cellarium* in notis ad *Coelii Sedulii* lib. III. Carminum v. 316. Jo. *Cameronem* in Myrothecio Evangelico, Jo. *Henr. Hottingerum* in notis ad *Goodwinum* p. 968. Jo. *Lightfootum* in Horis Hebraicis ad h. l. in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. pag. 34. Tomo II. Operum, & in Decade Chorographica Marco præmiſſa cap. 3. §. 3. Jo. *Lundium* in den Judiſchen Heiligthumern libro 2. cap. 25. pag. 356. *Wilh. Schickardum* de Jure Regio Hebræorum cap. III. theorem. 11. p. 213. Jo. *Henr. Othonem* in lexico Rabbinico Philologico pag. 602. *Adr. Relandum* in diſſertationibus de nummis veterum Hebræorum Samaritanis pag. 188. quibus adde inter Matthæi interpretes *Bezam*, *Grotium*, *Salomonem* van *Til*, *Henr. Hammondum*, Jo. *Clericum*, *Aug. Calmetum*, *de Beauſobre* & *l'Enfant*, *Carolum Mariam de Veil*, *Ludov. Wolzogenium*.

(25) In Animadverſionibus ad *Schickardi* Jus Regium Hebræorum pag. 214.

(26) In ſingulari diſſertatione de Didrachmis a Chriſto ſolutis.

(27) Vide Jo. *Henr. Othonem* in lexico Rabinico Philologico, *Claudium Salmaſium* in Epiſtola ad Jo. Vvalæum num. 67. pag. 141. *Rich. Montacutium* P. II. Originum Eccleſ. pag. 195. *Ludov. de Dieu* in Appendice ad Evangelium Matthæi pag. 532. *Waſerum* de antiquis nummis Hebræorum lib. 2. cap. 3. & 5. *Matth. Frieder. Beckium* in notis ad Paraphraſin Chaldaicam libri Chronic. pag. 200. *Gerh.* Jo. *Voſſium* in Harmonia Evangelica lib. 1. cap. 11. §. 10. p. 89. *Henr. Hammondum* in notis ad Matthæi XVII. 24. *Conſtantinum l'Empereur* in notis ad בבא קמא ſive Codicem primum de Damnis pag. 76. P. IV. Miſchnæ *Guil. Surenhuſii* & in notis ad Tractat. Middoth pag. 334. P. V. ejuſdem Miſchnæ, Io. *Leuſdenium* in Philologo Hebræo Mixto diſſert. 28. pag. 189. *Ludov. Wolzogenium* in Comment. in Matthæum pag. 405. Io. *Lundium* in den Iudiſchen Heiligthumern lib. 1. cap. 36. num. 24. pag. 204. *Stanislaum Grſepſium* in libello de multiplici Siclo & Talento Hebraico, *Kircherum*, *Buxtorfium*, *Cappellum* quos vide apud *Hermannum Conringium* in Paradoxis de Nummis Hebræorum cap. X. Inepta autem inprimis eſt ſententia Jo. *Harduini* de *Siclorum diſtinctione*, quam in Diſſertatione de Nummis Hebræorum, Græcorum, & Romanorum commendat, a Jo. *Clerico* merito rejectam: ſic enim ille judicat dans la Bibliotheque Choiſie Tomo XVIII. pag. 281. *il dit qu'il a vu* deux ſortes de Sicles d'argent, *dont les* plus gros valoient 40. ſols monoie de France, & les moindres la moitie. *Mais* Mrſ. Cumberland & Bernard, *qui ont calcule le poids & les prix des Sicles Hebreux ſur ce qui nous en reſte dans l'Antiquite, ont fait voir qu'ils peſoient juſtement* une demi-once Romaine, *& qu'ils valoient environ* 28. *ſols d'Angleterre & 25. de la monoie de Hollande, ou a peu pres, qui fait trente ſols de France. Il s'enſuit de la que* les pretendus Sicles de notre Auteur ſont des Sicles faits a plaiſir, *par des gens qui n'en ſavoient pas le poids; & en effet cette* double eſpece de Sicles *n'eſt qu'une pure chimere*.

(28) Vide Anonymum illum Gallum in Opere ἀνεκδότῳ de ponderibus & menſuris veterum teſte M. *de Vigneul-Marville* dans les Melanges d'Hiſtoire & de Litterature Tomo I. pag. 139. Jo. *Clericum* in notis ad Exodi XXX. 13. Jo. *Henr. Hottingerum* in notis ad *Goodwinum* p. 970. *Brianum Waltonum* in Prolegomenis in Biblia Polyglotta, prolegomeno III. §. 34. *Robertum Cenalem* in libro de vera Menſurarum Ponderumque ratione pag. 1528. Tomo V. Theſauri *Grævii*, *Stephanum Morinum* in Exercitationibus de Lingua Primæva, *Guil. Schickardum* in peculiari de Nummis Hebræorum diſſertatione, J. C. *Harenbergium* in Obſervatione Critica in voces דרכון item אדרכון, דרכמון §. 5. pag. 630. Bibl. Brem. Claſſis VIII. faſcic. IV. P. D. *Huetium* in Obſervationibus & Notis in *Origenis* Commentaria p. 56. ſequ. *Dionyſ. Petavium* in animadverſionibus ad *Epiphanium* de menſuris & ponderibus pag. 427. *Rich. Cumberlandum* in libro cui titulus: An Eſſay tovvards the Recovery of the Jevvish Meaſures and Vveights comprehending their Monies cap. IV. p. 180. teſte Jo. *Clerico* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique Tomo V. pag. 181. *Herm. Conringium* in Paradoxis de nummis Hebræorum cap. X. ut nihil addam de *Villalpando*, & *Bonfrerio*, quos in hunc ſcriptorum cenſum refert Jo. *Lundius* loco paulo ante citato.

(29) Tomo I. editionis Operum *Joſephi*, quam curavit *Havercampius* pag. 159. oculis tuis ſubjectum videas *tetradrachmum Atticum argenteum ſiclo æqualem*. Inde vero ejuſdem *tetradrachmi Attici figuram* tranſtulimus, & in Tabula huic Hiſtoriæ Fiſci Judaici præfixa inſpiciendum curavimus. Ceterum *Joſephum* de *valore Sicli* tuentur *Villalpandus* in Apparatu p. 386. J. H. *Heideggerus* P. I. Hiſtoriæ S. Patriarcharum Exercit. 1. §. 34. pag. 41. *Bened. Arias Montanus* in Ephron ſive de Siclo, *Robertus Cenalis* in libro de vera Menſurarum Ponderumque ratione p. 1526. Tomo V. Theſauri Grævii, *Eduardus Brerevvood* de Ponderibus & Pretiis Veterum Nummorum cap. 1. *Waſerus* de antiquis nummis Hebræorum lib. 11. cap. 3. *Ciacconius* de Ponderibus pag. 96. *Ottho Sperlingius* de nummis non cuſis tam veterum quam recentiorum pag. 54. *Herm. Conringius* in Paradoxis de nummis Hebræorum cap. 4. & 10. *Hooperus* paulo poſt laudandus, Ge. *Wolfg. Wedelius* Exercitationum Medico-Philologicarum Centur. 11. Dec. 1. exercit. 7. de Nummis Novi Teſtamenti, & *Adr. Relandus* in diſſertationibus de nummis veterum Hebræorum Samaritanis pag. 188. ſeq.

(30) Confer præter *Grotium* in notis ad Matth. XVII. 24. etiam *Hooperum* in libro, cui titulus: An Inquiry in to the ſtate of the Ancient Meaſures, the Attik, the Roman, & eſpecielly the Jevvish (apud *Armandum de la Chapelle* dans la Bibliotheque Angloiſe

gloiſe

gloiſe Tomo IX. pag. 393.) *Hermannum Conringum* in Paradoxis de numis Hebræorum cap. X. & *Breremodum* l. c. Ut nunc taceam *Jac. Uſſerium* in Syntagmate de LXX. Interpretum verſione cap. III. pag. 24. *Salomonem Deylingium* P. III. Obſervationum Sacrarum pag. 183. alioſque Scriptores, qui a Jo. *Chriſtiano Klemmio* in Libello Academico de Nummis Hebræorum paſſim hanc in rem citantur.

(31) Ita apud Ægyptios τὸν ἱερογραμματέα τὰ περὶ μέτρων εἰδέναι ἔχον quæ ad menſuras pertinent, ſcire oportebat, quæ etiam in Thouthi libris in adytis aſſervari ſolitis, ſcripta erant. Vide *Clementem Alexandrinum* libro VI. Stromat. pag. 633.

(32) En ejus verba in den Judiſchen Heiligthumern libro II. cap. 25. num. 26. pag. 356. beyde Meinungen ſetzet *Carpzov* mit *Schmidio* zuſammen, daſs Petrus von beyden halben Sekeln gefraget ſey, die ſie dem Tempel und dem Kayſer ſchuldigvvaren: aber auf die Weiſe hatte Chriſtus fur ſich und Petro 2. Statergeben muſſen: nu aber giebt er fur ſich und Petro nur einen Stater oder zvvene halbe heilige Sekel: kan dahero beyderley Sehatzung nicht verſtanden vverden.

(33) Hiſtoriæ ſuæ quatuor vel trium Gordianorum, ſi quando novis typis deſcriberetur, præter alias diſſertationes etiam hanc additurus erat, in qua diſquireret: *an Imperatores Romani ſint vocati* βασιλεῖς, *&* *annon illi deſignentur* in Epiſt. B. Petri *&* *aliis* Novi Teſtamenti locis. Vide *Maſſonii* Tomum XI. d' Hiſtoire Critique de la Republique des Lettres tant ancienne que moderne pag. 197.

(34) In Vindiciis Veterum Scriptorum contra *Harduinum* pag. 49.

(35) In calce diſſertationis, qua Fl. *Joſephi* hiſtoria a νοθείας ſuſpicione contra *Harduinum* juſtis vindiciis adſeritur, & nummis antiquis conciliatur.

(36) Auctor ille Anonymus, qui eſt *Ludov. Jobertus* quique A. 1693. Pariſiis edidit librum ſub hoc titulo: La Science des Medailles, pour l'Inſtruction de ceux, qui s'appliquent à la connoiſſance des Medailles Antiques & Modernes, nonnulla habet, quæ huc referas. Ita enim ex illo diſſerit Jo. *Clericus* dans la Bibliotheque Univerſalle & Hiſtorique Tom. XXIV. pag. 417. on remarque que *les villes Greques* ont ſouvent donne aux *Empereurs le nom de Roi*, βασιλέως quoi que jamais en latin ils n' ayent ſoufert celui de *Rex*. Confer omnino *Baſnagium* dans l' Hiſtoire des Juifs lib. III. cap. 23. §. 16. ſequ. pag. 634. Anonymum quendam Gallum in explicatione Nummi Antonini Imp. filii Severi eximiæ raritatis (quæ explicatio exſtat in Memoriis Trivultianis A. 1701. Tom. I. pag. 222.) *Antonium Gallandum* in Obſervationibus in explicationem præcedentem numiſmatis Caracallæ Græci (quæ obſervationes leguntur in iiſdem Memoriis A. 1701. Sept. & Octobr. p. 309. ſeq.) & *Ezech. Spanhemium* Tomo 2. de Præſtantia & Uſu numiſmatum antiquorum Diſſertat. XII. obſervante *Anſelmo Bandurio* in Bibliotheca Nummaria p. 163. Ceterum cum *Romani regnum ipſum*, dummodo *nomen abeſſet*, ferre poſſent, habemus hic extra ſcholam inſignem quandam in Politica Romanorum logomachiam, quam aliquanto luculentius indicat *Sam. Werenfelſius* in Diſſertatione de Logomachiis Eruditorum cap. 4. p. 497. Operum.

(37) Nolumus nunc repetere, quæ ſupra de *Regibus amicis*, *fidelibus*, ὑπηκόοις & *inſervientibus* obſervavimus, vide quæſo *Spanhemium* diſſertat. VIII. de uſu & præſtantia numiſmatum, *Salmaſium* ad Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, *Grotium* de Jure Belli & Pacis lib. I. cap. 3. §. 22. pag. 165. & libro 3. cap. 15. §. 9. pag. 915. editionis *Barbeyraci*, *Caſaubonum* Exercitat. I. ad apparatum Annalium Baronii num. 3. pag. 23. *Marq. Freherum* in diſſertatione de numiſmate cenſus, *Baſnagium* dans l' Hiſtoire des Juifs libro I. cap. 12. §. 12. pag. 293. & lib. 7. cap. II. pag. 299.

(38) Vide *Grotium* ad h. I. Petri, *Cellarium* in calce diſſertationis jam laudatæ, *Freherum* de Ndmiſmate Cenſus, *Campegium Vitringam* in Α'νακρίσει Apocalypſios ad cap. 13. pag. 768.

(39) In formula illa precum Judaicarum יראו עינינו hæc legas: videant oculi noſtri, & lætetur cor noſtrum, & exultet anima noſtra in ſalute tua, in veritate, in eo quod dicas Zioni (Jeſ. LII. 7.) regnat Deus tuus. *Dominus regnat*, *Dominus regnavit*, *Dominus regnabit in ſæculum & ſempiternum*, nam regnum ad te pertinet, & in ſæcula ſæculnrum regnabis in gloria, *quia nullus nobis præter te Rex eſt*. אין לנו מלך אלא אתה *nullus nobis rex eſt*, *niſi tu*. Quam enim mutatus eſt ſermo hujus gentis in exſilio ab eo majorum ſuorum apud *Joannem*, huic directe oppoſito: *non habemus Regem niſi Cæſarem*. Poſtquam igitur Cæſar eorum Rex eſſe deſiit, tollunt oculos ſuos in cœlum, Lucæ XVI. 23. Hactenus *Campegius Vitringa* de Synagoga Vetere lib. I. P. I. cap. XI. pag. 216.

(40) Idem *Seldenus* de Titulis Honorum P. I. cap. I. §. 3. pag. 28. hæc obſervat notatu digna: *Druſius* Præteritorum lib. IX. refert, ſe habuiſſe librum cum inſcriptione, מלכי רומי *Reges Romani*, ſeu vitæ Imperatorum: ac Lucæ III. capite verſu I. dicitur τῆς ἡγεμονίας id eſt, *imperante Tiberio*, Syriaca verſio reddit, דמלכותה *regni*. Pauli appellatio, juxta Arabicam verſionem, eſt facta ad *Cæſarem Regem*: quod congruit titulis Imperatorum in vitis Evangeliſtarum quatuor lingua eadem ſcriptis.

(41) Vide Ruth. I. I. Lucæ IV. 25. Epiſtolam Jacobi V. 17. Confer etiam Jo. *Gothofr. Lakemacherum* P. II. Obſervationum Philologicarum Obſervat. III. pag. 70. *Petrum Keuchenium* in Annotatis in IV. Evangeliſtas pag. 116. Jo. *Seldenum* de Juræ Naturæ & Gentium lib. VI. cap. 18. pag. 807. *Relandum* in Palæſtina pag. 29. & in Antiquitatibus Sacris veterum Hebræorum delineatis Parte I. cap. I. §. I. *Salom. Glaſſium* in Rhetorica Sacra Tractatu I. cap. 16. pag. 893.

(42) Vide ſis S. *Auguſtinum* quæſt. Evangelic. 23. & *Sixtum Senenſem* Bibliothecæ Sanctæ lib. VI. annot. 76.

(43) *Decumæ* ita veteres pro *Decimæ* frumenti proprie *decimam* fructuum partem ſignificabant, a quibus *Cicero* Verr. III. cap. 43. *ager vectigalis populi Romani ex parte decima* dicitur. *Tacitus* Germ. cap. 29. n. 5. *decumales agros* vocat. *Decumani* autem dicebantur *publicani*, qui decumas ab aratoribus exigendas conduxerant. *Scriptura* proprie & vulgo appellabatur vectigal, quod publicum, quibus paſcua fuerunt locata, accipiebant e paſtionibus. Appellatur ita, quia paſtores numerum pecudum, quas in publica paſcua immittere vellent, profiteri debebant; & publicani in tabulis ſuis annotabant, & ſcribebant, ex qua *ſcriptura* poſtea ratio inter paſtorem & publicanum conficiebatur. Inde ager, ſive paſcuum ipſum dicebatur *ager ſcripturarius*, ſed & *pecuarii* vocabantur, qui paſcua publica conduxerant, ut inde vectigal colligerent. *Ponorium* fuit vectigal, quod capiebatur ex rerum venalium importatione & exportatione: *portorium* item vectigal, quod in pontibus pro tranſitu exigebatur: *portitores* erant telonarii, portum obſidentes, omnia ſciſcitantes, ut ex eo vectigal acciperent. Atque hæc quæ nunc paucis obſervamus, multo copioſius exponunt Jo. *Frieder. Franckens Teinius* in Diſſertatione de Ærario Populi Romani, *Petrus Burmannus* & J. C. *Bulengerus*, uterque de Vectigalibus Populi Romani, quibus adde *Carolum Sigonium* libro I. de Antiquo Jure Provinciarum cap. I. & de Antiquo Jure Civium Romanorum c. 4. *Jac. Gutherium* de Officiis Domus Auguſtæ libro III. cap. 17. *Nicolaum Bergierium* de Publicis & Militaribus Imperii Romani Viis lib. I. ſect. 12. §. 4. *Paulum Manutium* & *Franc. Hottomannum* in notis ad Orat. *Ciceronis* pro Lege Manilia, *Adrianum Turnebum* in notis ad Orat. *Ciceronis* de Lege Agraria contra Rullum, *Juſtum Lipſium* de Magnitudine Romana lib. II. cap. I. pag. 692. Tomo III. Operum.

(44) Inde colligit *Seldenus* de Jure Naturæ & Gentium lib. VI. cap. 18. pag. 807. exactam a Chriſto & Petro *didrachmorum penſitationem* non de *tributo ſacro* in uſum templi pendendo, ſed de *tributo Romanis debito* intelligendam eſſe.

(45) De *Paraphraſte Syro* hæc obſervat *Seldenus* l. c. pag. 811. non puto, inquiens, paraphraſtem Syrum aliud omnino præter *tributum Cæſarianum* hic intellexiſſe. Nam eodem ipſo nomine quo Tributum, ſeu Cenſum tum in Gamalielis oratione, ubi *Judas Galilæus* memoratur, tum in altero illo Evangeliorum loco de numiſmate cenſus indigetat, etiam didrachma hæc vocat: ſcilicet כסף רישא *argentum capitationis*.

(46) Unus omnium inſtar erit *Carolus Maria de Veil*

Veil in explicatione literali Evangelii secundum Matthæum & Marcum pag. 246. hæc enim ejus verba sunt: *census est tributum, ut explicant* Marcus *&* Lucas. *Cum enim* census proprie *diceretur* descriptio agrorum *&* reliquarum fortunarum, *ex quibus tributi pro sua virili cuique præstandi ratio constabat, obtinuit* in Provinciis, *ut* ipsum tributum *appellaretur* census, *quæ vox in ipso Evangelio Græco Matthæi ter, & Marci semel legitur, etsi* Latina dictio *sit; tamen* census specialiter dicebatur nummus solvendæ capitationi *apud Hesychium*. Pensitatio *ista* census per capitationem, *quæ cœpit post* Cæsarem Augustum in Judæa, *ut ait Hieronymus* in Matthæi XVII. professio *erat* apertissima & Judææ ad formulam provinciæ redactæ & summi imperii, *quo Cæsar potiebatur in Judæos, ex quo* Archelaus *Regis Herodis filius in exilium pulsus est, & bona ejus fisco sunt adjudicata*.

(47) In notis ad Matthæi XVII. 25. hæc habet: census *vocantur* onera quævis *aut* personarum *aut* prædiorum, *ut ex* titulo Digestorum De censibus *apparet*.

(48) In libro III. Parergωn *cap.* 10.

(49) Pro voce κῆνσος, quæ est in editis exemplaribus Matthæi XXII. 19. est in antiquo codice Græco Latino, quem ad Cantrabrigiensem Academiam misit *Theodorus Beza*, ἐπικεφάλιον, hoc est tributum, quod unum quodque caput solvebat. Vide *Hammondum* a h. l. *Joannes* autem *Clericus* addit: vel hinc liquere eo Codice MS. contineri, non mera Evangelistarum verba, sed eorum quandam paraphrasin. Vocem enim Latinam Κῆνσον exposuit Græcis quibus nota non erat, voce notiori.

(50) At vero *Suidæ* & *Hesychii* interpretatio satis commoda erit, dummodo sine ulla vitilitigatione recte accipiatur. Quando enim apud dictos scriptores itemque in Glossis verborum Juris a *Carolo Labbæo* editis Κῆνσος exponitur εἶδος νομίσματος inde colligere est, *censum oportuisse certo genere nummorum solvi*. *Denariis* nempe, quibus impressa erat Cæsarum imago, ut conjecerat *Marquardus Freherus*.

(51) Alias quidem φόρους vocant εἰσφορὰς, ut *Justinus* M. Apolog. II. sed *Josephus* de bello Judaico *lib.* II. *cap.* I. φόρους & εἰσφορὰς recte distinguit. Nam εἰσφορὰ τῶν χρημάτων dicitur de *civibus pecuniam in ærarium* & ad publicos usus *conferentibus*, ut φόρος de *tributo*, quod *populi tributarii* illis ferunt, quibus parent. Vide plura hanc in rem apud *Grotium* in notis ad I. Maccab. X. 39. *Guil. Budæum* in Commentariis Græcæ Linguæ *pag.* 213. & *Jac. Perizonium* in notis ad *Æliani* Variam Historiam *lib.* II. *cap.* 10. Cæterum ut ad vocem φόρος redeamus, quæ hujus loci est, addimus. Capitationem dixit *Appianus* in Syriacis φόρον τῶν σωμάτων *tributum corporum*. Confer *Sam. Pitiscum* in lexico Antiquitatum Romanarum in voce *Capitatio*, J. C. *Bulengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* XVII Jo. *Casp. Suicerum* in Thesauro Ecclesiastico in voce Φόρος, *Ludov. De Dieu* in Animadversionibus ad *Rom.* XIII. 7. & *Freder. Lindenbrogium* in notis ad *Ammiani Marcellini lib.* XVI. *cap.* 5. *pag.* 128. ubi hæc leges: Gloss. *tributum capitulare* ἐπικεφάλαιος φόρος. Atque ita de *nomine* quidem constat, sed *indictionis ratio intricatior*, quam tamen explicare conati sunt *Barn. Brissonius* explicationum quæ ad Jus pertinent verbor. *lib.* III. & *Justus Lipsius* in Admirandis *lib.* II. *cap.* 2. & 3. sed quam bene nunc non disputo, & res est alterius atque majoris tractationis quam ut hic expediri possit. Hactenus *Lindenbrogius*: interim Jo. *Bapt. Vicecomes* Jurisconsultus Mediolanensis *libellum* scripsit de *Capitatione*, quem *eximium* appellat *Hermannus Conringius* in dissertatione ad Leg. I. Codicis Theodosiani de Studiis Liberalibus urbis Romæ & Constantinopolis.

(52) Romanis scriptoribus *census* est *descriptio agrorum* & *reliquarum fortunarum* in census deferri solitarum. Sic *Cicero* dixit IV. in Verrem: *Siculos ex censu quotannis tributa conferre*. Cum autem *pensitationis præstandæ modus* penderet a *censu*, obtinuit *in provinciis*, ut ipsum *tributum* appellaretur κῆνσος *census*. Sane etiam apud Romanos scriptores *census* interdum non *descriptionem* aut *æstimationem bonorum* significat, sed ipsa *bona*, ut *homo tenuis census* & apud Satyricnm *misera est magni custodia census*, id est magnæ pecuniæ, vel ingentium opum. Hactenus *Casaubonus*, sed jejune admodum de voce *census* differit.

(53) Posteaquam in Lexico Rabbinico Philologico p. 157. de Denariis Judæorum differuerat, hæc addit: denarius ille, qui Christo allatus fuit Marci XII. 16. fuit *Denarius Cæsareanus* דינרא קיסרנא id est fuit *alius formæ & inscriptionis*, quam *communes Snsæi* זוזים erant. De tali Denario mentio fit Bab. Avoda Zarah fol. 6. 2. *ethnicus quidam misit R. Jehudæ principi Denarium Cæsareanum &c.* Probabile etiam est illum fuisse *argenteum* secundum illum Canonem, qui legitur in Bava Bathra fol. 166. 1. *Denarii absolute positi, intelligendi sunt denarii argentei*.

(54) In Matthæi explicatione literali pag. 247. ita differit: obtulerunt denarium scilicet in exemplum pecuniæ Romanæ: *neque enim denarius fuit peculiare aliquod monetæ genus ad tributi solutionem cusæ*, verum omnes denarii erant pecunia Romana; & tam denarii, quam alii nummi Romani dici poterant *numisma census*.

(55) In notis ad Matthæum XXII. 19. ita loquitur: *date mihi* nummum *aliquem* ejus monetæ, *in qua* tributum exigi *solet: in eo autem nummorum genere* usitatissimus *erat* denarius. *Itaque merito a viris doctissimis reprehensus est eorum* error, *qui* Denarium tributi modum *existimabant*.

(56) Lib. II. de Concordia Sacerdotii & Imperii c. 5. §. 5. in hanc sententiam differit: *census specialiter dicebatur* nummus solvendæ capitationi *apud Hesychium*: κῆνσος εἶδος νομίσματος ἐπικεφαλαίου. *Pecunia qua* capitatio *præstabatur*, numisma census *dicitur in Evangelio*: non quasi aliquod peculiare monetæ genus ad census solutionem cuderetur, *sed quod pecunia Cæsaris nomine percussa in eam rem impenderetur*.

(57) *Freherus* in dissertatione de Numismate Census: *non dubito* Judæos *eo tempore* nummos suos *&* monetas proprias *etiam in commerciis adhuc habuisse, si non cudisse. Et hinc est, quod requirit Dominus* non simpliciter *exhiberi sibi* eorum numisma *sed* numisma census νόμισμα τοῦ κήνσου *id est* genus monetæ huic functioni proprium, *quo defungerentur censu suæ provinciæ indicto*.

(58) Conferri hic meretur Scriptor ille, qui Historiam litium inter Regem Sardiniæ & Curiam Romanam Benedicto XIII. P. R. sermone Italo conscrisit: ita enim dicti Scriptoris mens exponitur dans la Bibliotheque Italique Tomo XI. *pag.* 105. il est si vrai que le Droit d' imposer des Tributs, est propre & naturel a la Souverainete, que les Saints Peres Pont remarque sur la Reponse de N. S. *rendez a Cesar, ce qui est a Cesar*. L' Empreinte de Cesar gravee sur la Monnoye dont on paye le Tribut, contient aussi, ajoute notre Auteur, celle des Biens pour le; quels on le paye. C' est là l' obligation & hypotheque *innee* (nata in essi) a la quelle ils sont assuiettis & qui les accompagne toujours; ou qu' ils passent, ils portent cette Charge avec eux a tout possesseur; & cela parceque la propriete qu' il acquiert sur eux, nait & depend toujours de cette propriete Eminente, qui appartient au Souverain. Hactenus Scriptor ille Romano-Catholicus, cujus verba *Vanini cavillationibus* merito opponnenda erant.

(59) Vide *Maimonidem hal.* Siklim *cap.* I. §. 3.

(60) *Gem. Bab.* ad *tit. Bechoroth. cap.* 8. *fol.* 49. & 50.

(61) *Gem. Bab.* ad *tit.* Baba Metzia *cap.* 4. *fol.* 44. b.

(62) In notis ad Matthæi XXII. 17. scribit: census *nomen &* ad prædiotum *&* ad capitum onera *refertur, ut videre est* in Pandecte Justinianeo tit. de censibus, *ubi Cæsareensibus narratur remissum a Vespasiano* tributum capitis. *Ad* utrumque censum *necessaria erat* ἀπογραφή. Panegyricus in laudibus Constantini: *septem millia capitum remisisti, quartam amplius partem nostrorum censuum*. Unde discimus *provincias Romani imperii* non *agrorum* tantum pependisse *tributa*, sed & *humanorum capitum*, extra *colonias municipia* & *civitates* Juris *Italici*. Judæam ex quo provinciis accensa est, melioris fuisse juris quam alias provincias vix credibile est. Confer eundem *Grotium* in notis ad Matthæi XVII. 25.

(63) Verba *Freheri*, quæ innuimus, leguntur supra *cap.* II. §. 4.

(64) De *Denario Romano* accuratissime egit Jo. *Grævius* in singulari de Denario Romano libro. Confer *Richardum Cumberlandum* in libro cui titulus:

An Eſſay tovvards the Recovery of the Jevviſh Merſures and Weights comprehending their Monies indico Jo. *Clerici* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique Tomo v. *pag.* 184. Adde *Iſaacum Barrovvium* in Opuſculis, (unde excerpta videas apud Jo. *Clericum* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique Tomo x. *pag.* 58.) *Eduardum Brerevvoodum* in libro de ponderibus & pretiis veterum numorum *cap.* 14. Ceterum ſatis mirari nequeo negligentiam *Sum. Pitiſci*, ut qui de *Grævii* libro quantivis pretii, ne minimam quidem mentionem fecerit in lexico ſuo Antiquitatum Romanarum.

(65) Videamus paucis, quo tendat hæc *Freheri* Oratio. Nimirum *Lipſius* libro II. de Magnitudine Romana *cap.* III. 50. affirmaverat, *numiſma cenſus* fuiſſe *denarium pro capite pendendum*, ſed ita, ut, cum *capitis tributum inæquale* fuerit, ditiores *aureum Denarium* pendere debuerint. Quam ſententiam merito rejicit *Freherus*, docetque *uniforme in omnia capita capitationis tributum* fuiſſe, in eo tamen aliquid humani paſſus eſt, quod negat *denarium aureum Romanis* unquam fuiſſe. Contrarium ex *Dione* docent *Baronius* Tomo I. Annalium ad A. C. 34. *n.* 10. *Ludov. Savotus* tn Diſſertationibus de Nummis Antiquis P. III. *cap.* 9. *pag.* 1222. Tomo XI. Theſauri *Grævii*, *Erycius Puteanus* in libro ſingulari de Pecuniæ Romanæ ratione facillimo ad noſtram calculo revocata *cap.* IV. *p.* 1181. Tomo III. Theſauri Novi *De Sallengre*, *Jo. Chriſtoph. Wagenſeilius* in diſſertatione de Re Monetali Veterum Romanorum *cap.* XI. *pag.* 54. & *Caſp.* *Waſerus* de numis antiquis Ebræorum *lib.* II, *cap.* 20.

(66) Facile fidem faciunt illa *Ulpiani* lege 3. D. de Cenſibus: *in Syriis a quatuordecim annis maſculi, a duodecim fœminæ, uſque ad ſexageſimum quintum annum, tributo capitis obligantur*. Confer omnino *Petrum de Marca* libro II. de Concordia Sacerdotii & Imperii *cap.* 5. §. 5.

(67) Hanc notam ſubjicit *Baſnagius* loco citato: 890. Talens d' Argent. Les Tributs ſe paioient toujours en Argent.

(68) Vide quæſo librum Judicum XX. 15. 17. I. Paralip. XXVII. 2. Paralipom. XVII. 14. 2. Regum XXIV. 9. Ac ne quis fidem ſacrarum literarum, quæ de *tanta Judæorum multitudine* loquuntur, labefactare ſuſtineat, conferendi hic erunt *Claudius Fleury* in libro, cui titulus: les Moeurs des Iſraelites *cap.* VII. *pag.* 35. ſequ. *Henr. Maundrellus* in libro cui titulus: Voyage d' Alep a Jeruſalem *pag.* 107. *Jo. Clericus* in animadverſionibus in *H. Hammondi* Paraphraſin ad Apocal. VII. 3. & dans la Bibliotheque Choiſie Tomo XVI. *pag.* 119. ſequ. *Ludov. Cappellus* in Obſervationibus ad delineationem templi Hieroſolymitani ex *Villalpando p.* 3040. ſequ. Tomo VII. Criticorum Anglorum, *Joannes Servilius* de Mirandis Antiquorum Operibus, Opibus, & Veteris ævi Rebus, pace belloque magnifice geſtis libro III. *cap.* 25. ſequ. *pag.* 1203. Tomo I. Theſauri Novi *De Sallengre*, *Jo. Alphons. Turretinus* in Tractatu de Veritate Religionis Chriſtianæ, & quidem ſectione III. de Veritate Revelationis Judaicæ (inde excerpta dedlt Bibliotheque Raiſonnee des Ouvrages des Savans de l' Europe Tomo VIII. Parte I. *pag.* 210. quæ huc referenda erant) *Matthias Frid. Beckius* in notis ad Paraphraſin Chaldaicam libri I. Chronicorum *p.* 217. *Bonaventura Cornelius Bertramus* in Lucubrationibus Francktallenſibus cap. II. Autor Anonymus, qui edidit diſſertationem ſub hoc titulo: Eſſai d' une nonvelle Vie de David ou Diſſertation Critique ſur le Pſeaume CX. pag. 53. & 64. apud *Maſſonum* Tomo II. Hiſtoire Critique de la Republique des Lettres, tant Ancienne que Moderne, *Guil. Lovvth* in libro, quem inſcripſit: A Commentary upon the Prophecy & Lamentarions of Jeremiah, unde excerpta videas apud *Michaelem De lu Roche* dans la Bibliotheque Angloiſe ou Hiſtoire Litteraire de la Grande Bretagne Tomo XIV. P. II. artic. I. *pag.* 298. Nec omittendæ hic erunt aliorum doctorum hominum obſervationes, quas damus in Commentario noſtro in *Hecatæi Abderitæ* Eclogas ſive Fragmenta *pag.* 84. & 202.

(69) Magnam horum ſcriptorum ſeriem dedimus in conſpectum in Commentario noſtro in *Hecatæi Abderitæ* Eclogas *pag.* 76. ſequ. quibus nunc addimus *Bonaventuram Burchardum* vel *Brocardum* in Deſcriptione Jeruſalem & terræ promiſſionis, *Jo. Chriſtoph. Wagenſeilium* in Commentario in Sota p. 722. Jo. *Chriſtoph. Wolfium* Bibliothecæ Ebrææ P. IV. *pag.* 440. *Jo. Dougtæum* P. II. Analectorum Sacrorum, excurſu 10. p. 15. *Brianum Waltonium* in Apparatu Biblico p. 107. *Jo. Lightfootum* in Horis Ebraicis ad Matthæi XIII. 8. *Jac. Baſnagium* dans les Antiquitez Judaique ou Remarques Critiques ſur la Republique des Hebreux (inde excerpſit haud pauca Journal des Scavans Tomo LVI. p. 126.) Jo. *Clericum* in Quæſtionibus Hieronymianis quæſt. XIV. *pag.* 471. *Adrianum Relandum* tum in Palæſtina, tum in Diſſertationibus Miſcellaneis P. I. diſſertat. III. §. *pag.* 128. Autorem Diſſertationis Criticæ ad loca quædam *Homeri* & Sacræ Scripturæ *pag.* 223. Tomo XI. de l' Hiſtoire Critique de la Rupublique des Lettres, tant Ancienne, que Moderne, *Sandys* in Itinerario *lib.* III. *pag.* 117. edit. Londin. 1673. in folio, *Claudum Fleury* in libro, cui titulus: les Moeurs des Iſraelites c. VII. *pag.* 33. ſequ. *Danielem Gerdeſium* in Veſperis Vadenſibus ſive Diatribis Theologico-Philologicis de Hyperbolis ex Scriptura S. eliminandis *p.* 114. *Henr. Maundrellum* in libro, cui titulus: Voyage d' Alep. a Jeruſalem (unde luculenta excerpta videas apud *Mich. De La Rochæ* dans la Bibliotheque Angloiſe ou Hiſtoire Litteraire de la Grande Bretagno Tomo II. Parte I. artic. 7. pag. 122.) alioſque, qui *Tolandum* confutarunt. Quid multa? addimus *nummos de ſumma fertilitate Cananææ teſtes*. Botrus, folium vitis & palma, ut ex nummis apparet, ſymbolum erant Judææ: ſolebant Romani quoque agrorum fertilitatem in nummis indicare per ſpicas, uvarum racemos, & palmas arbores. Quod *Vaillantius* in Præfatione ad Numiſmata Ærea, Imperatorum, Auguſtarum, & Cæſarum notavit, teſte *Salomone Deylingio* P. III. Obſervationum Sacrarum *pag.* 186.

(70) In Originibus Judaicis. Nolim jam diſquirere, an *Tolando* jam pridem in eadem de *Cananææ ſterilitate* proluſerit *Michael Servetus* (vide Jo. *Laur. Moshemium* in Hiſtoria Michaelis Serveti *pag.* 184. *Michaelem De La Roche* dans la Bibliotheque Angloiſe Tomo II. Parte I. *artic.* 7. *pag.* 120. & excerpta Epiſtolæ *Dn. Des Maizeaux* ad *Dn. De La Motte* ſur l' accuſation intentee a *Servet* au ſujet de ſon edition de la Geographie de *Ptolemee*, quæ excerpta inſerta videas dans la Bibliotheque Raiſonnee des Savans de l' Europe Tomo III. Parte I. *pag.* 172. ſequ.) docti certe homines *Tolandum* recte refutarunt, præter alios *Dan. Gerdeſius* l. c. *Huetius* in Epiſtola quadam ſub *Morini* nomine contra *Tolandum* edita (legitur hæc apud Abbatem *De Tilladet* dans les diſſertations ſur diverſes matieres de Religion & de Philologie contenues en pluſieurs Lettres ecrites par des Perſonnes ſavantes de ce tems recueillies. Vide Journal Litteraire T. IV. *pag.* 253.) *Elias Benoiſt* in libro, cui titulus: Melange de Remarques contre Mr. Toland, *Salomo Deylingius* P. II. Obſervationum Obſervat. IX. Confer etiam animadverſiones noſtras in *Tolandum* inſertas Commentario noſtro in *Hecatæi Abderitæ* Eclogas a *p.* 59. ad *p.* 78.

(71) Cantic. IV. 2. commemorantur *oviculæ* & quidem omnes *gemellisparæ*, nulla earum ſterili. Quid quod ſæpe etiam tres aut quatuor ſimul peperere teſte *Thoma Brovvn* in libro cui titulus: certain Miſcellany Tracts. Addit *Brovvn* ad fidem faciendam verba illa Pſalmi CXLIV. 12. balantes noſtræ millecuplis, decies millecuplis per vicos noſtros fœtibus augeutur. Quemadmodum autem hæc ex *Brovvnio* excerpta debemus *Nich. De La Roche* dans le Memoires Literaires de la Grande Bretagne Tomo VIII. *pag.* 475. ita cum *Brovvnio* omnino conferendus erat *Jo. Lundius* in den Judiſchen Heiligthumern *lib.* III. *cap.* 55. p. 632. ſequ. Quid hic addam *paſcua Palæſtinæ* a me commemorata in Commentario ad *Hecatæi Abderitæ* Eclogas *pag.* 72. Inprimis huc pertinet *Regio campeſtris Saron quam maxime paſcuoſam*, quam pluribus deſcribunt *Conſtantinus L' Empereur* in notis ad בבא קמא ſive Codicem primum de Damnis *pag.* 104. P. IV. Miſchnæ *Guil. Surenhuſii*, aliique doctiſſimi viri, quos videre licet apud *Conr. Ikenium* in Diſſertatione Theologico-Philologica de Lilio Saronitico Emblemate Sponſæ §. 10. pag. 19. ſequ. Pene omiſeram *greges ovium* in *montibus* paſcentes Jerem. L. 6. in *deſertis* Palæſtinæ Pſ. LXV. 13.

Je-

Jerem. IX. 10. Joel. I. 19. II. 22. & 13. Plura hanc in rem de vera vocum ἔρημος & מדבר in Sacris Literis notione observat *Theod. Hasæus* in Dissertatione ad Lucæ XV. 7. de Nonaginta novem Justis Pœnitentia non indigentibus §. 21. sequ. *pag.* 123. Bibliothecæ Bremensis Classis I. Fasciculo II. Idem vir doctus §. 22. p. 124. inter alia hæc addit verba: *cum tam frequenter in Sacris* desertorum Palæstinæ *fit mentio, illam autem provinciam & incolarum innumerabili multitudine exultam, tantaque ubertate, atque omnium rerum copia adfluentem fuisse sciamus, ecquis illud de prorsus incultis, atque incolis suis plane destitutis locis interpretabitur?*

(72) *Casaubonum* tamen in hoc argumento semel iterumque ad examen vocat *Jo. Christoph. Wagenseilius* in Confutatione Carminis R. *Lipmanni pag.* 299. 306. & in dissertatione ad Christophorum Arnoldum de loco Classico Genes. XLIX. 10. *pag.* 241. fasciculo V. Opusculorum & *pag.* 253. ibidem.

(73) Posteaquam observaverat *Bossuetus* & aliquot argumentis probaverat, *Judæis illa ætate nullum ius gladii fuisse*, hæc addit de Judæis: ils ne purent voir cette perte, *sans se souvenir de l' ancien Oracle de Jacob*, qul leur predisoit que dans le temps du Messie il n' y auroit plus parmi eux ni puissance, ni autorite, ni Magistrature. Un de leurs plus anciens Auteurs le remarque: & il a raison d' avouer que le Sceptre n' etoit plus alors dans Juda, ni l' autorite dans les Chefs du peuple, *puisque la puissance publique leur etoit otee*, & que le *Sanedrin* etant *degrade*, les membres de ce grand Corps n' etoient plus considerez comme *Juges*, mais comme *simples Docteurs*. Ainsi selon eux memes, il etoit temps, que le Christ parut.

(74) Legitur hæc *Perizonii* Epistola in Musei Historico-Philologico-Theologici Volumine II. Parte I. p. 141. *Censeo*, inquit, *Judæos ea conditione* in provinciam redactos, *ut* patrios religionis ritur *retinerent, ac si aliqui ex ipsis contra eos deliquissent, coercere possent Josepho teste* Α᾽ρχαιολ. L. XIX. c. 4. & 6. *ac* de Bello Jud. L. VII. c. 34. *& quod tale* jus coercendi *habuerint, patet ex* Actis Apost. VI. 12. XI. I. XXII. 5. *Potuerunt ergo &* judicare, *&* damnare reos, *sic Christum Matth.* XIV. 55. 64. Stephanum Act. VI. VII. *judicarunt Paulum* κατὰ νόμον Actor. XIII. 35. XXIV. 6. XXVI. 10. *quæ loca abunde hoc declarant & demonstrant. Sed* in omnibus provinciis *usitatum erat, quod* magistratui *incumberet noxios apprehendere, eos in custodiam dare, examinare, ac damnare* & tum ad Præsidem mittere. *Vide Legem* III. & VI. Digest. de Custodia & exhib. -- *at vero* capitalem animadversionem *aut* exsecutionem supplicii capitalis *non habuerunt: hinc usitatum ut* damnatos a se ad Præsidem ducere & mittere debuerint, *eumque rogare, ut de talibus supplicium sumere vellet, vel ipsis concedere ejus sumendi potestatem: hinc Præses quoque* κατ᾽ ἐξοχὴν *erat* κρίτης τῷ ἔθνει τούτῳ *Actor.* XXIV. 10 *Et sic* in omnibus provinciis *se res habebat: nam manifesta res est de judiciis ex Judæorum responso ad Pilatum Jo.* XVIII. 31. *quod cum sine ulla exceptione aut restrictione sit datum de suo ipsorum jure, quod sibi negant, non patiuntur* leges Hermeneuticæ *interpretandi, ut nos* restrictionem *addamus, quam ipse divus scriptor non addidit, tanto magis, cum ipsa textus verba sint simplicissimi sensus & constructionis, nec quicquam ambigui contineant. Liquet porro ex eo, quod Judæi Christum sine ratione a Synedrio jam condemnatum* adduxerunt ad Præsidem Pontium Pilatum, *quod neutiquam fecissent, si ipsimet* jus *eum scilicet* Jesum Christum supplicio mortis afficiendi, *habuissent ex Joan.* XVIII. 30. *accedit, quod & alibi dicuntur* Judæi quæsivisse occasionem *&* causam eum tradendi Præsidi ac puniendi. *Quod vero omnem hæsitationem extra dubium locat, est quod Pilatus legatur alios quoque solenni supplicio affecisse, & (quod adhuc magis stringit) solitus fuerit in festo paschatis aliquem de noxiis & damnatis dimittere in gratiam Judæorum, quæ agendi & loquendi ratio me convincit*, non fuisse in Judæorum potestate supplicia capitalia. *Quod Pilatus ait: accipite eum & juxta vestram legem judicate: referendum sit ad* coercitionem verborum *&* flagellorum, *ut ex responso Judæorum liquet, eum morte dignum esse, sed quod idem Pilatus ait* Joannis XIX. 16. *verba sunt hominis a se amolientis factum, quod etsi gentilis in conscientia detestabatur, & quod alios malebat exequi quam se ipsum; quæ enim sequuntur, declarant manifeste improbitatem facti ac innocentiam illius, quem Judæi volebant crucifigi.*

(75) Dans l' Histoires des Juifs libro VI. *cap.* 2. pleraque autem *Basnagii* argumenta refellit *Salomo Deylingius* P. II. Observat. Sacrar. *p.* 317. 322.

(76) In libris III. Dissertationum, quibus explicantur ac observationibus Philologicis & humanioribus illustrantur selecta Juris Publici, Sacri, Privatique capita. Inde excerpta satis luculenta nobis exhibet *Jo. Clericus* dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne Tomo XIII. *pag.* 96. sequ. qui ibidem *Huberi* sententiæ subscribit, & inter alia hæc addit verba *pag.* 100. ceux qui ont quelque teinture du Droit & des Usages des Romains se rendront facilement a ses raisons. Il remarque fort bien, qu' il paroit, par *toutes lee circonstances du jugement de Pilate*, que toutes *les regles du Droit Romain* y furent exactement observees; & que cela peut nous convaincre de la verite de cette Histoire. Des gens du petit pueple, parmi les Juifs, tels qu' etoient *les Evangelistes*, ne pouvoient pas etre si bien instruits de cela; & s' ils n' avoient vu la chose, ou s' ils ne l' avoient aprise de temoins oculaires, ils n' auroient jamais pu la raconter, comme ils ont fait; sans dire quelque chose qui se trouveroit contraire a l' usage des Gouverneurs, dans les Provinces Romaines.

(77) In Harmonia Evangelica *lib.* II. *cap.* 5. §. 31. *p.* 241. affirmat Judæis ademtum fuisse jus capitalis supplicii, sed solum in iis, quæ ad crimen læse Majestatis, aliterve ad Rempublicam & imperium pertinerent: in quibus ne cognitionis quidem, nedum exsecutionis iis fuit. At *permissu Præsidis* licuit iis decernere *de delictis ad legem suam pertinentibus*: imo in talibus non leviores modo pœnas sumere concessum fuit, sed etiam capitales. *Potuerunt igitur cognoscere de Christo, ut blasphemo, non potuerunt ut majestatis reo.*

(78) In Hypotyposi Historiæ & Chronologiæ Sacræ *pag.* 282.

(79) Vide quæso, quæ *Grotio* opponit J. C. *Wagenseilius* in Confutatione carminis *R. Lipmanni pag.* 300. & in dissertatione ad Christoph. Arnoldum de Loco Classico Genes. XLIX. *pag.* 242. Fasciculo V. Opusculorum.

(80) Hujus agumenta discussit *Deylingius* P. II. Observat. *Sacrar. pag.* 319.

(81) Aliquot tamen *Seldeni* observationes ad examen vocat *J. C. Wagenseilius* in coufutatione carminis R. *Lipmanni pag.* 318. & in dissertatione ad Christoph. Arnoldum de Loco Classico *pag.* 276. Fasciculo V. Opusculorum.

(82) In *Lightfooti* sententia excutienda inprimis versatur *J. C. Wagenseilius* locis paulo ante citatis. Vide autem *Lightfooti* sententiam in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 55. *Tomo* II. Operum, ut nunc alios ejusdem Scriptoris locos taceam, qui huc pertinent.

(83) Is teste *Joh. Alb. Fabricio Tomo* II. Codicis Apocyphi N. T. *pag.* 469. in Originibus Hierarchiæ Ecclesiasticæ *pag.* 145. existimat, jus basphemos plectendi lapidandique Synedrio Judaico relictum esse, potestatem autem de majestatis læsæ crimine cognoscendi, crucifigendique a Romanis ademtam.

(84) Ejusdem est cum *Lightfooto* sententiæ.

(85) Ante *Harduinum Isaacus Casaubonus* exercit. I. adversus Baronium *num.* 2. *pag.* 20. eandem fere sententiam defendit his verbis usus: Archelao Viennam relegato, Judæa in formulam provinciæ est redacta &c. Ab eo tempore nullus unquam postea Judææ neque Rex fuit, neque Ethnarcha, & *Judæi sic proprie dicti*, ὑπὸ ἴδιον βασιλέα ἐπαύσαντο εἶναι *proprio sibi regi desierunt esse subjecti*. Nam quod *Eusebius*, & eum secutus *Baronius*, *Agrippam Juniorem*, Regem ultimum Judæorum appellant: quasi ille *Jerosolymorum Rex* fuerit, mera est virorum eruditissimorum hallucinatio. *Fuerunt quidem & senior Agrippa* & junior Reges Judæorum, sed non Jerosolymorum, neque τῶν κυρίως λεγομένων hoc est proprie dictorum Judæorum. Hactenus *Casaubonus*, cujus sententiam rejicit *J. C. Wagenseilius* in Commentario ad Sotah *pag.* 270. *P.* III. Mischnæ *Guil. Surenhusii*, nullis argumentis in medium allatis. Quæ cum ita sint, aliquanto accuratius res ipsa exponenda

da erit. *Herodes Agrippa major* non ſolum *Judæorum Rex fuit*, (ita enim *Philo* in Oratione adverſus Flaccum hunc Agrippam, qui tum adhuc *ſolius Trachonitidis Rex* erat, nihilominus vocat *Regem Judæorum*) ſed & *psoprie ita dictorum Judæorum Rex* fuit, itemque *Judeæ*, cujus caput erat *urbs Hieroſolymorum*, quamque ut *Rex Judææ* ſuo arbitratu regebat. Vide *Henr. Valeſium* in annotationibus ad *Euſebium pag.* 27. Porro non negamus *Agrippam Juniorem Judæorum Regem* dici poſſe, cum Rex fuerit Galilææ, & inter *Judæorum Reges* recenſeatur a *Juſto*, ſed negamus illum *Judææ* unquam *Regem* fuiſſe. Nam poſt obitum ſenioris Agrippæ, *Judæa in provincię formam* redacta eſt, miſſique in eam *Procuratores Cæſaris*. Confer *Valeſium* in Annotationibus ad *Euſebium pag.* 37. Videamus porro originem erroris a *Caſaubono* admiſſi, cum antiquos ſequeretur Scriptores. Nihilo magis verum eſt, quod ſcribit *Origenes lib.* IV. περὶ ἀρχῶν cap. I. *ex temporibus Chriſti ultra Reges apud Judæos non extiterunt*; nam Agrippa regnum Herodis ex aſſe poſſedit antea in partes ſectum: quo mortuo Syriæ adjecta eſt Judæa. Vide *P. D. Huetium* in Obſervationibus & Notis ad *Origenis* Commentaria *pag.* 29. Falſus etiam eſt *Nicolaus Serarius*, quando in libro, quem inſcripſit: Herodes *cap.* 20. tradit, Judæam poſt Archelai exſilium ſemper manſiſſe provinciam Romanam, nec Agrippæ Magni ſive Majoris regno adjectam eſſe. Quid? quod *Franc. Robortellus* in Diſſertatione de Provinciis Romanorum, & earum diſtributione atque adminiſtratione nihil prorſus habet præter illa: *ſub Veſpaſiano Judæa cum Hieroſolymis acceſſit Imperio Romano*. Sed & *Guidus Pancirolus* in Commentario ad Notitiam Dignitatum Occidentis ſcilicet & Orientis ultra Arcadii, Honoriique tempora *pag.* 1594. *Tomo* VII. Theſauri *Grævii* inſcitiam ſuam ſatis prodit, cum ſcribit: *Judæa antea a Pompejo domita, primo Herodi, deinde Archelao, Philippo & alteri Herodi eſt conceſſa, & illis exſtinctis* provincia facta, *ſed etiam rebellantem Veſpaſianus imperio Romano adjecit*.

(86) *Drachmarum* ſcilicet, hoc eſt, uti numeramus *tres milliones librarum Turonicarum*. Hæc *Ludovicus Cappellus* in Hiſtoriæ Judaicæ Compeudio ex *Jeſepho* contracto & ad illuſtrationem Hiſtoriæ Evangelicæ & Apoſtolicæ N. T. accommodato, nos docet.

(87) Hic eſt, apud quem Panlus captivus pro ſe & pro Chriſtiana fide dixit Actorum XXV. 22. XXVI. I. 26. 28. Ut autem hæc verba Lucæ de Agrippa referentis multo rectius intelligantur, operæ pretium fuerit adire *Chriſtian. Noldium* in Hiſtoria Idumæa *pag.* 382. qui multam nobis præfert lucem. Ceterum verba *Agrippæ* ex *Joſepho lib.* II. excid. Inprimis hic notanda erant: *Ægyptus tributorum multo amplius Romanis per ſingulos menſes pendit, quam vos*, o Judæi, *toto anno: & præter pecuniam, annonam frumentumque quatuor menſium urbi Romæ*. Ita Rex Agrippa Judæos in concione alloquitur, & duo ex iis diſcas, grande aliquod Ægyptios intuliſſe, & Judæos vix duodecimam eorum partem. Vide quæſo *Juſtum Lipſium* de Magnitudine Romana lib. II. cap. 3. pag. 702. Tom. III. Operum. Eadem Agrippæ Regis verba ex *Joſepho* obſervant *Jul. Cæſ. Bulengerus* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* 17. *pag.* 861. Tomo VIII. Theſauri *Grevii*, & *Henr. Chriſt. Henninius* in notis ad *Bergierii lib.* IV. de Publicis & Militaribus Imperii Romani Viis *pag.* 769. at *Vincent. Contarenus* in libro de Frumentaria Romanorum Largitione *cap.* X. *p.* 972 Tomo VIII. Theſauri *Grævii* verba Agrippæ omnium optime explanat aut, ut rectius dicam, ad examen vocat: quo magis miror ejuſdem obſervationes a *Sigeberto Havercampio* nuperrimo *Joſephi* editore omiſſas eſſe.

(88) Neque vero licuit *Synedrio* in *plane peregrinos*, etiamſi ſacris Judæorum contumeliam feciſſant, animadvertere ſumto de iiſdem ſupplicio. Certe miles ille, qui celebrantibus Judæis in templo azymorum feſtum ſtans ſuper porticum, reductis turpiter veſtimentis poſticas corporis partes nudas populo obverterat, & huic ſchemati convenientem ediderat vocem, de quo eſt apud *Joſephum* libro II. de Bello Judaico cap. II. & lib. XX. Antiquit. cap. 4. minime Judæis caſtigandus tradebatur, quamvis tota multitudo *Cumanum Præſidem* circumſtaret, ac inverecundum hominem ad necem depoſceret. Quin & (quod ex iiſdem *Joſephi* locis conſtat) cum alius miles, libros Moſaicos in vico quodam inventos protuliſſet, eoſque laceraſſet in conſpectu omnium, multis debacchatus & in legem & in gentem totam convitiis; ſimiliter facinus Judaico Magiſtratui vindicare non licuit, ſed *Cumani Præſidis* juſſu, miles ſecuri percuſſus eſt.

(89) Inter ipſos Judæos recentiores varii *hiſtoriam excidii illius* deſcripſerunt. Ita *Jo. Chriſtoph. Wolfius* Bibliothecæ Hebrææ P. II. *pag.* 1301. citat inter ſcripta Anonyma Ebræorum *num.* 211. *Chorban beth Hammikdaſch* id eſt librum de excidio templi Hieroſolymitani a Judæis ſcriptum, cujus Latinam verſionem promiſerit *Jo. Saubertus* in præfatione ad verſionem Latinam Paraſchæ I. Geneſeos Rabbinicis interpretationibus illuſtratæ. Et vero deinde *Saubertus* verſionem Latinam dicti libri in publicam edidit lucem ſub hoc titulo: De vaſtatione Hieroſolymæ & templi ſanctiſſimi Hiſtoria a Judæis ipſis concinnata, una cum devaſtatione urbis Beter & Tur Malca, nunc primum Latine recenſita. Confer Bibliothecam Fabricianam P. V. *pag.* 340. Idem *Wolfius* ibid. num. 227. pag. 1304. commemorat librum inſcriptum: *Chorban beth Elohenu* de excidio templi Dei, ubi ea exhibentur quæ iu Gittin de excidio templi Hieroſolymitani leguntur, & quidem illuſtrata commentario Raſchii.

(90) Egregium prorſus eſt hujus ſcriptoris Romani de excidio Hieroſolymitano teſtimonium, quod præter *Dominicum De Colonia* in libro, cui titului: le Religion Chretienne autoriſee par le temoignane des Anciens Auteurs Payena, *Jerem. Philadelphum* in Meditatione de Valle Joſaphati ex Joelis III. 2. 12. nec non Valle Excidii Joelis IV. 14. §. 35. ſeq. p. 32. Biblioth. Brem. Claſſis VIII. faſcic. I. *Chriſtianum Noldium* in Hiſtoria Idumæa p. 435. ſequ. ſingulari diſſertatione *Kirchmaierus* illuſtravit. Ad *præſagia templi per Romanos deſtruendi* pertinet illud *Taciti Hiſt. lib.* V. *cap.* 13. *expaſſæ repente Delubri fores, & audita major humanaa vox, excedere Deos: ſimul ingens motus excedentium*. Quo loco *Taciti* allato addit *Vitringa* Tomo II. Commentarii in Eſaiam *pag.* 219. *inde* Ezechieli IX. 3. *in eleganti emblemate exhibitur eſt exceſſus Dei ex templo & domo ſua, eandem deſerentis* Quid? quod *Andreas Cirino* in libro ſingulari Antiquarum Lectionum de Urbe Roma *cap.* IV. §. 52. *pag.* 58. cum adduceret *Taciti* teſtimonium, addit: *fateor Dæmones prænoviſſe Hieroſolymorum excidium, ex quo tempore relicta a Deo orationis domo urbs corruit, æmulaque contentione indixiſſe Gentilibus urbium ruinam propter exceſſum, &* Apollonius *indigitat tantæ urbis ſubverſionem*. Alterum prodigium quod *Tacitus* de foribus ædis ſacræ ſponte apertis commemorat, ex Gem. Joma 39. 2. confirmatur, cum enim R. Jochanan Ben Sacchi manc fores templi ſponte apertas conſpiceret, exclamavit, prope eſſe tempus excidii a Zacharia XI. I. prædictum: Vide *Relandum* in Antiquitatibus Sacris Veterum Ebræorum delineatis P. I. *cap.* 9. §. 16. *pag.* 104. & *Carpzovium* ad *Schickardi* Jus Regium Ebræorum *pag.* 467. ut nunc taceam *Jo. Buxtorfium* in recenſione Operis Talmudicis, *Iſaacum Caſaubonum* Exercitatione XVI. adverſus *Baronium* §. 91. *pag.* 571. *Jo. Lightfooeum* in Deſcriptione Templi Hieroſolymitani *cap.* XX. ſect. I. *pag.* 604. Tomo I. Operum *J. C. Wagenſeilium* in Confutatione Carminis *R. Lipmanni pag.* 311. Ceterum non video, quomodo *Antenius* van *Dalen* de Origine & Progreſſu Idololatriæ *cap.* 7. *pag.* 135. illa *prodigia excidium templi Hieroſolymitani antecedentia* pro *fictis* aut *incertis* venditare poſſit. Vide, quæ *Dalenio* jure opponit *Gottſr. Olearius* in Obſervat. Sacris ad Matthæum *pag.* 648.

(91) In Annalibus Vet. & N. Teſtamenti *pag.* 688. ubi & *Juſtum Lipſium* laudat, qui in libro II. de Conſtantia *cap.* 21. exhibuerit ex *Joſepho* eorum indicem, qui extra ſemeſtrem Hieroſolymorum obſidionem per totum ſeptennium interierunt. Confer Tomum noſtrum I. der Erorterung der dunckelſten Schriftſtellen des Neuen Teſtament *pag.* 174. ſequ. *Jac. Baſnagium* dans l' Hiſtoire des Juifs *lib.* I. *cap.* 19. §. 18. *pag.* 579. *Baronium* Tomo I. Annalium ad A. C. 72. *num.* 19. *Jo. Servilium* de Mirandis Antiquorum Operibus, Opibus, & veteris ævi rebus pa-

pace belloque magnifice gestis *lib.* III. *cap.* 34. *pag.* 1207. Tomo I. Thesauri Novi *De Sallengre*. Neque vero hic omittendus *Josephus* vetus ille Christianus scriptor, qui in Hypomnestico *lib.* V. *cap.* 124. *pag.* 257. apud *Jo. Alb. Fabricium* Tomo II. Codicis Pseudepigraphi Vet. Testamenti, tradit in ultima vastatione sub Vespasiano decies centena millia interfecta, & alia centena millia vendita esse.

(92) אנך *plumbum*, *stannum*, quod usum *perpendiculi* præbet.

(93) *Non addam ipsi præterire*, ut aliqua ratione impunitum prætermittam atque scelera condonem, quæ est vera notio verbi עבר sequente ל vel על Vide quæ ex *Jac. Altingio* hanc in rem observavimus Tomo I. der Erorterung der dunckelsten Schriftstellen des Alten Testaments *pag.* 182.

(92) Phrasis elegans est ab Esaia iterum adhibita *cap.* XXXIV. II. cum quo conferri debent loci 2. Regum XXI. 13. Thren. II. 8.

(95) Confer omnino *Vitringam* Tomo II. Commentarii in Esaiam *pag.* 713. unde verba retulimus Tomo II. der Erorterung der dunckelsten Schriftstellen des A. Testaments *pag.* 527.

CAPUT IV.

Historia Fisci Judaici post excidium Hierosolymitanum & quidem sub Vespasianis.

I. C*Onsummata* utiquæ fuit *sceptri ablatio*, quando *Titus* & urbem & templum Hierosolymitanum solo æquavit. Quamvis autem Judæis ex ira & odio *Titum* הרשע *malum* sive *nequam* appellent, vide *Guil. Henr. Vorstium* in Observationibus ad *R. Ganz* צמח דוד *pag.* 266. *Adr. Relandum* in libro singulari de Spoliis Templi Hierosolymitani Arcu Titiano Romæ conspicuis *cap.* XIII. *pag.* 130. *Paulum Pezronum* dans l'Antiquitè des Tems dèfendue *cap.* IV. *pag.* 251. *Christ. Noldium* in Historia Idumæa *pag.* 433. *Raymundum Martini* in Pugione Fidei P. II. *cap.* 4. §. 21. *pag.* 321. P. III. *dist.* III. *cap.* 21. §. 8. *pag.* 903. *seq.* divina tamen providentia factum est, ut *triumphi*, quem de *Judæis* egit, memoria esset perpetua, & monumentis publicis apud seram posteritatem consecrata. *Josephus lib.* III. ἀλώσεως *Vespasiani agmen*, Ptolemaide *castra moventis* in Galilæam describit non quidem accurate admodum, haud paulo tamen distinctius, quam solent Græci & Romani Scriptores. Quem locum, cum itineris & agminis ordinem Romanorum ejus ætatis complectatur, egregie explanavit *Rathbodus Hermannus Schelius* in notis ad *Polybii* Scriptum de Castris Romanorum, ex ejusdem Historiarum *lib.* VI. *pag.* 1262. *seq. Tom.* X. Thesauri *Grævii*. Notæ certe *Schelii* in dictum *Josephi* locum, cum lectu dignæ sint, præpostero quodam consilio a *Sigeberto Havercampio* sunt omissæ. Idem *Josephus* accurate describit *expugnationem Hierosolymorum*, cujus verba ut recte intelligas, opus erit quam maxime *Justi Lipsii* observationibus in *lib.* V. Poliorceticωn, inde ab *Havercampio Josephi* verbis adjiciendis. Idem *Josephus lib.* VII. *cap.* 24. *triumphum T. Vespasiani* accurate descripsit, dummodo in illum locum *Josephi* legantur observationes *Alexandrini Donati* lib. I. de Roma Veteri ac Recenti *cap.* 22. *pag.* 542. *seq. Tom.* III. Thesauri *Grævii*. Sed & hasce *Donati* notas temere prætermisit *Havercampius*: quædam autem excerpta ex *Josepho* dedit *Joh. Servilius* de Mirandis Antiquorum Operibus & veteris ævi rebus pace belloque magnifice gestis *lib.* III. *cap.* 76. Mittimus nunc *Josephum*, sed ita, ut addamus, eundem, si cum vaticiniis Christi de exscidio Hierosolymorum editis, conferatur, egregium inprimis esse veritatis cœlestis testem, quasi ideo scripserit, ut vel invitus veritati Christi perhiberet testimonium. Vide *Baronium*, qui *Tom.* I. Annalium ad A. C. 72. *num.* 5. 9. 13. 14. ex *Josepho* illustrat *Matthæi* XXIV. 23. *Marci* XIII. 21. *Lucæ* XVII. 23. XIX. 43. XXIII. 29. adde *Baronio Jacobum Benignum Bossuetum*, qui idem institutum tenet, in libro, quem inscripsit: Discours sur l'Histoire Universelle pour expliquer la suite de la Religion & les changemens des Empires *pag.* 269. 274. Transeamus nunc ad *Arcum Triumphalem Titi Vespasiani*, qui, ut ait *Adr. Relandum* in libro singulari de Spoliis Templi Hierosolymitani in Arcu Titiano Romæ conspicuis *cap.* I. *pag.* 3. *non sine singulari Dei providentia, cum tot numero & tam præclara Romæ ornamenta vetustate atque injuria dejecta sint, conspicuus exstat*. Hunc arcum ejusque inscriptionem uno tantummodo alteroque verbo commemorat *Poggius Florentinus* de Fortunæ Varietate Urbis Romæ, & de ruina ejusdem descriptione, at eundem alii aliquanto accuratius describunt. *Lucius Faunus* de Antiquitatibus Urbis Romæ *lib.* II. *cap.* 19. *pag.* 236. *Tom.* I. Thesauri Novi de *Sallengre* ita disserit: *in Titi fornice* currus triumphantis, *sive* arca fœderis, *cui fasces duodecim præcedunt*, *conspicitur*. Spolia *item ex altera parte ac triumphali pompa*, aureum candelabrum septem ramos continens, *in quibus septem lumina accendebantur:* duæ *præterea* tabulæ *ex marmore*, *in quibus* tota lex Mosis *scripta erat*: *vasa templi*, aurea mensa, *atque alia pretiosissima*. Præter *Faunum Christianus Adrichomius* in Descriptione Hierosolymæ *num.* 77. arcum illum commemorat, in eoque *arcam fœderis* conspici simul tradit. At vero tum *Faunus* tum *Adrichomius* fallitur. Primum in templo secundo non fuit *arca fœderis*, ideo-

ideoque in arcu rriumphali non potuit exprimi. Vide *Joh. Buxtorfium* in Historia Arcæ Fœderis *cap.* XXII. & *Joh. Ben. Carpzovium* in Quæstione Sacra: quonam Arca Fœderis pervenerit? Porro autem, quod ad *Faunum* attinet, is *duo fercula* in arcu conspicua perperam pro *duabus tabulis marmoreis legis* habet. Audiamus *Alexandrum Donatum lib.* III. de Roma Veteri ac Recenti *cap.* IV. *pag.* 666. *Tomo* III. Thesauri *Grævii*: *tabulæ utrimque sub fornioe, hæ sunt*: Titus in triumphali quadriga: *a tergo* victoria, Idumæam palmam altera gerit manu, *alteraque super ejus caput, lauream sustinet. Roma ipsa, hasta galeaque insignis equorum habenas regit. Incedunt Magistratus laureati, ramos ferentes, lictoresque* XII. *In opposita tabula cernitur* triumphi pompa, *atque inter laureatos arcum ingredientes* duo præcipue fercula cum mensa aurea & septilustre candelabro. Redeamus ad *Adrichomium*, qui itidem errat. Quod enim ante currum Titi illic portari visitur, & *arcam* dicit *Adricomius*, id non *arcam*, sed *mensam panum propositionis* fuisse, præter *Villalpandum Tom.* VII. in Ezech. ad calcem, & *Cornelium a Lapide* in Exod. *cap.* 25. egregie probavit *Relandus* in libro singulari de Spoliis Templi Hierosolymitani in Arcu Titiano Romæ conspicuis. Quæ cum ita sint: *Augustinus Torniellus Tomo* II. Annalium Sacrorum A. M. 3885. *pag.* 440. *seq.* arcus illius trinmphalis delineationem æneis formis excusam ante oculos ponit, confessus: *arcam non conspici*, quia ejusdem cælatura vel temporum diuturnitate deciderit, vel, ut quidam non immerito suspicantur, a Judæis *Romæ commorantibus*, qui *visibile illud perfidiæ suæ a Deo castigatæ monimentum ferre non possunt*, posterioribus temporibus clam abolita fuerit, vel potius ab his, præsertim Rabbinis, vel de ipsorum consilio abrasa, qui Fœderis Arcam adhuc in antro montis Nebo abditam esse, & in fine mundi, ad eorundem Judæorum consolationem, revelandam fore, mordicus tenent, & credi ab aliis volunt. Sed quis non videt, meram divinationem esse, dum id definit *Torniellus*, quod ipsemet fatetur, amplius plane non apparere? Confer *Buxtorfium* in Historia Arcæ Fœderis *cap.* 22. *pag.* 202. & *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* I. *cap.* 19. §. 25. *pag.* 589. ut nunc taceam *Julium Bartoloccium* Bibliothecæ Rabbinicæ *Tom.* IV. *pag.* 156. *Bartolomæum Marlianum* reprehendisse, cum *Torniello* multo audacior, se arcam fœderis in Arcu Titiano expressam vidisse, affirmaret. Vide *Relandum* Dissertationum Miscellanearum P. I. Dissertatione III. §. 14. *pag.* 158. Quid multa? *Theodorus Hasæus* in אבן שתיה sive in Dissertatione Historico-Philologico-Theologica §. 12. *pag.* 60. in hunc modum rectissime disserit his verbis usus: *ego quidem firmiter mihi persuadeo*, arcam in domo secunda non fuisse, multo minus cum reliquis spoliis a Tito Romam fuisse deportatam, *quod utrumque viris etiam eximiis excidisse miror*. Antequam vero de spoliis templi Hierosolymitani in arcu Titiano conspicuis disserere pergamus, non incommodum fuerit quædam interserere, quæ lucem dicendis præferant. *Titus* ipse *in Sanctum ingressus* fuit, & quæ ibi erant, spectavit, cum jam flamma depopularetur exteriora, uti *Josephus* narrat *lib.* VII. *cap.* 10. vel Græcis *cap.* 26. Quæ sunt ea, quæ in Sancto vidit, teste *Josepho* πολὺ μὲν τῆς παρὰ τοῖς ἀλλοφύλοις φήμης ἀμείνω, τῦ δὲ κόμπυ ϗ τῆς παρὰ τοῖς οἰκείοις δόξης ὐκ ἐλάττω, *longe præstantiora fama, qua apud extraneos erant apud Judæos non minora*. Quæ sunt ea, inquam, quæ Titus vidit in Sancto adeo clara & celebrata? Certe illa, quæ alibi *lib.* V. de Bello Judaico *cap.* 14. nuncupat θαυμασιώτατα ϗ περιβόητα πᾶσιν ἀνθρώποις ἔργα, λυχνία, τράπεζα ϗ θυμιατήριον. Ita ipsum templum erat περιβόητον, qua voce utitur in fine *lib.* I. contra Apionem, quam *Plinius* reddit nobile, & *lib.* II. Antiquit. *cap.* 2. τὸ πᾶσιν ἀνθρώποις περιβόητον ἱερὸν τῦ Θεῦ. Confer Commentarium nostrum in *Hecatæi Abderitæ* Eclogas *pag.* 114. Vidit itaque Titus tria illa quæ *Josephus* nominat, Sancti ornamenta, inprimis de vasis his sanctissimis sollicitus, ut illa flammæ subtraheret, & *in pompa triumphali circumferret*: cum enim hæc excellerent, quod sanctissima essent, & in loco sancto divino cultui consecrata, nihilque evidentius ostenderet *magnitudinem triumphi de Judæis*, quam quod sanctissima spolia ex penetrali Templi Hierosolymitani interiore erepta Romæ conspicerentur ab unoquoque, quæ solis antea Judæorum Sacerdotibus patebant: ideo imperator gloriabatur, & se præcipue efferebat ob illa sacra Judæorum spolia. Ne plura addamus: ipsi Judæi in Gemara Gittin *fol.* 56. 2. docent nos, Titum vasa omnia templi velo ejusdem sacro imposita navi commisisse, ut Romæ ea ostentaret, σεμνύμενος ἐπ' αὐτοῖς, uti *Josephus* loquitur *lib.* VI. de Bello Judaico *cap.* 24. Multum erat, cum *Pompejus* jure victoriæ templum ingressus vidit *illud grande gentis arcanum patens, sub aureo vitem cælo*: verum plus erat adyti interioris vasa,

sa, mensam & lychnuchum, per plateas urbis Romanæ circumferri spectanda oculis omnium. *Josephus* in Prologo *lib.* I. de bello, de Tito narrat, eum sacra *κειμήλια* ex igne rapuisse: quis credat illum, aliis rapiendis intentum, hæc, quæ ut videret, ingressus est cum suis in Sanctum, igni prædam concessisse? Tum adhuc illud attendendum: *lychnuchum*, quem in triumpho Titus circumtulit, unicum fuisse, unicam & *mensam*, vel, ut rectius loquamur, unicum hunc lychnuchum, unamque mensam, digna fuisse censita, quæ præ multis aliis vasis & cimeliis, tanquam pretiosissima spoliorum in arcu triumphali sculperentur in signum triumphi Judaici. Habuit tamen Titus, & sine dubio in triumphum tulit, alios *lychnuchos aureos*, & *mensas*, quæ ipsi data fuerunt a sacerdote transfuga, filio Thebuti, teste *Josepho lib.* VII. de Bello Judaico *cap.* 15. sed nec illa, nec alia in arcu Titi sculpta sunt, præter *unum lychnuchum*, *mensam*, *acerras*, & *tubas duas*, quibus nonnulli addunt *volumen legis Mosaicæ*, cujus indicium aliquod in arcu ipso sibi deprehendere visi sunt, inprimis cum & *Josephus* Legis meminerit inter alia spolia circumlatæ. Confer *Relandum* in libro singulari de Spoliis Templi Hierosolymitani in Arcu Titiano conspicuis *cap.* II. *pag.* 26. qui & alias ejus rei subjungere poterat rationes a nobis nunc commemorandas. Erat Romanis consuetudo satis cognita & testata, qua eo adducebantur, ut *gentium devictarum Numina*, secum *in triumphum* ducerent, vide *Franciscum Monceajum* in Aarone Purgato, sive de Vitulo Aureo *lib.* I. *cap.* 9. *Sam. Bochartum Tomo* I. Hierozoici *lib.* II. *cap.* 34. *pag.* 358. *Hermannum Witsium* in Ægyptiacis *lib.* II. *cap.* 12. §. 17. *pag.* 150. *J. B. Bossuetum* in libro, quem inscripsit: Discours sur l'Histoire Universelle pour expliquer la suite du la Religion & les changemens des Empires *pag.* 309. Quid multa? Pompejo triumphanti præferebantur Deorum barbaricorum figuræ cum ornatu patrio, uti ex *Appiano* observat *Jacobus Usserius* in Annalibus Veteris & Novi Testamenti *pag.* 458. Cum vero *Tacitus*, *Strabo*, aliique Pagani faterentur, nullum *Supremi Numinis* in templo Hierosolymitano *simulacrum* fuisse (vide Commentarium nostrum in *Hecatæi Abderitæ* Eclogas *pag.* 147.) Romani non solum spolia templi Hierosolymitani in triumphum duxerunt, sed & eadem in fornice Titi exstare voluerunt, ut cum Cæcilio illo religionis Judaicæ post exscidium Hierosolymitanum derisore apud *Minucium Felicem* in Octavio *cap.* X. *n.* 4. quodammodo dicere possent: *Judæorum sola & misera gentilias unum & ipsi Deum, sed palam, sed templis, aris, victimis, cærimoniisque coluerunt: cujus adeo nulla vis nec potestas est, ut sit Romanis Numinibus cum sua sibi natione captivus*. Quemadmodum autem Cæcilius impie loquebatur (neque enim Judæi cum Deo suo sunt capti, sed uti apud *Minucium Felicem cap.* 33. *num.* 9. Cæcilio respondetur, a Deo, ut disciplinæ transfugæ, dediti,) ita *spolia templi in arcu Titiano conspicua* miserrimam Judæorum post exscidium illud conditionem satis luculenter declarant, quamvis nec Judæi, nec Romani ipsi ad veritatis divinæ sensum intelligentiamque pervenerint. Inter *Judæos* non desunt, qui putent *lychnuchum & mensam loco suo removeri nunquam licuisse*, quia Deus dixerat, illa esse debere לפני תמיד *coram facie sua semper*. Vide *Relandum* in libro singulari de Spoliis Templi Hierosolymitani *pag.* 14. At vero per Titum lychnuchus loco suo motus, in trimphum ductus, & in arcu Titi conspicuus, denotat ablationem & translationem regni Dei, quemadmodum Christus dicit *Matthæi* XXI. 43. *scitote a vobis auferendum Dei regnum, & genti dandum fructus edituræ*, coll. Apocal. II. 5. *Par vasculorum* mensæ impositum non videtur nisi geminas thuris acerras exhibere. Præter *panes*, quos hic nullos conspicimus, quoniam Titus eos in mensa non invenit, cessante diu cultu sacro, nihil aliud in mensa solebat poni præter duo illa vascula. Quamvis autem plura vasa sacra Hierosolymis delata ad manum fuerint, dicta tamen vascula sola *super mensam* conspiciuntur, ut quæ vix illustriori loco in pompa circumferri & spectatorum oculis exponi possent quam supra mensam. Hoc vasculorum par idem est quod כפות nuncupatur *Exodi* XXV. 9. *φιάλαι Apocal.* V. 8. etenim nomen כפות si quis ex vocis origine judicium de figura ferre deberet, istiusmodi vascula notare, quæ uti hæc *cava* sunt, & *recipiendo thuri aptissima*, qualia hic exhibentur, unusquisque nec injuria existimaret. Quid ita vero? attendendum ad horum vasculorum magnitudinem, quæ satis bene convenit cum iis, quæ Judæi de illa tradunt. Volunt *pugillum thuris* singulis fuisse impositum. Capacia ergo vasa debuerunt esse pugilli, qualia hæc omnino sunt vascula, ex quibus thus in ignem altaris exterioris effundebatur præcipue stante templo secundo, quando eadem illa vascula, quæ in mensa Sancti fuerant ad altare exterius deferebantur, ut

ut inde thus, uti dictum eſt, in ignem effunderetur. Confer *Relandum* in dicto libro de Spoliis Templi Hieroſolymitani *cap.* 11. & *Salomonem Deylingium P.* 11. Obſervationum Sacrarum *pag.* 121. Cum vero hæc *vaſcula thuris plena preces Sanctorum* denotaverint, vide *Pſalm.* CXXI. 2. *Malach.* 1. 11. *Apoc.* v. 8. Judæi ex vaſculis illis in triumphum ductis, & adhuc in arcu Titiano conſpicuis colligere debebant, preces ſuas poſt illud exſcidium nec ſanctorum hominum eſſe, nec Deo, ut olim, gratas. Quartum & ultimum ſpoliorum ſacrorum genus per triumphum a Tito latum, & in arcu ei erecto conſpicuum, *tubæ* ſunt, eæque *geminæ*. Tot numero Deus olim eas fabricari juſſit. *Num.* x. 1. Semel & vigeſies ad minimum quotidie inflatas fuiſſe tubas in templo docetur in Codice Succa *cap.* v. *miſn.* 5. ubi videre eſt quando & quamobrem. Plura de *uſu tubarum in Sacris Hebræorum* videre licet apud *Relandum* in dicto libro de Spoliis Templi Hieroſolymitani *cap.* 12. Jo. *Lightfootum* in Deſcriptione Miniſterii Templi *cap.* VII. *ſect.* 2. *pag.* 698. *ſeq. Tom.* 1. Operum, *Vitringam* in Ἀνακρίσει Apocalypſeos ad *Apocal.* VIII. 6. & *Salomonem* van *Til* in libro von der Docht, Sing, Sing, und Spiel-Kunſt de Hebreer *pag.* 434. cujus verba hic repetere haud pigeat. *der vornehmſter Dienſt der Trompetten blieb innerhalb des Heiligthums in den Vorhofen: und kein Wunder, vveil dieſes Spielgerathe heilig vvar*, indem Gott bey dieſem Blaſen ſeines Volcks vvolte eingedenck ſeyn, ihnen in der Npth entvveder mit Hulffe beyzuſpringen, oder im Gebrauch der Opffer ihnen Gnade zu bevveiſen, und zu bezeigen, daſs er Jehovah ihr Gott vvare. *Weſvvegen dieſer Laut ſie auch erinnerte*, daſs Gott ihre glaubige Verrichtungen ſich auch vvolte vvohlgefallen laſſen. *Zum vvenigſten horte man das Trompotten Blaſen ſiebenmahl des Tages. In der Morgen-Stunde da ſie den Thurhutern mit Eroffnung der Pforte zur Wacht r,effen: Unter dem Geſange des Morgen-Dienſtes, zvviſchen dem Pauſiren der Sanger, vvann die ſtille hielten, dreymahl: und eben alſo bey dem Abend-Dienſte. Auf heilige Tage und hohe Feſte vvurde dieſes Blaſen vermehret, vveil der Dienſt zunahm. Ein jedes Blaſen, das auf ein vollendetes Singlied folgete, vvar als ein Gottliches Zujauchzen und Zuſtimmung desjenigen vvas die Sanger geſungen hatten*. Quæ cum ita ſint, Judæi ex tubis illis in arcu Titiano conſpicuis colligere debent, ſacrificia omnia, mutato numinis cultu, ceſſare, Deumque, qui olim ipſi propitius erat, nunc infenſiſſimum hoſtem eſſe. Judæi ſemper loquuntur de חוקות תלויות בארץ id eſt *præceptis terræ annexis* ſeu *ritibus ſacris terræ annexis*, cujuſmodi erant ea, quæ ad templum, ſacrificia, ſacerdotium &c. pertinent, vide Johann. *Lightfootum* in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 109. *Tom.* II. Operum, ac ſpolia illa in arcu Titiano Judæos nunc meliora docebunt, finem nempe impoſitum eſſe cultui Levitico. *Tubæ*, inquit *Lightfootus* in Deſcriptione Miniſterii Templi l. c. *idem præſtabant ac campanæ ad Judæos ad cultum divinum voeandos*. Satis abunde de *Spoliis Templi Hieroſolymitani in arcu Titiano conſpicuis* diximus, reſtat, ut de eorundem *Spoliorum fatis* quædam jubjungamus, *Joſephus lib.* VII. de Bello Judaico *cap.* 24. meminit *velorum templi* καταπετασμάτων & *libri legis Judaicæ*, quæ Romæ in Palatio fuerint repoſita. Poſteaquam autem Romæ in triumpho Titi Veſpaſiani lychnuchus circumlatus eſt, uti liquet ex arcu triumphali adhuc ſuperſtite, collocatus fuit in templo Pacis teſte *Joſepho lib.* VII. de bello Judaico *cap.* 24. ἀνέθηκε δ' ἐνταῦθα καὶ τὰ ἐκ τοῦ ἱεροῦ τῶν Ἰουδαίων χρυσᾶ κατασκευάσματα *depoſuit illic quoque aurea vaſa templi Judæorum*. Quærit *Baronius Tomo* 1, Annalium ad A. C. 77. *num.* 2. cur Veſpaſianus nullo majorum exemplo *Paci* primus *templum erexerit*, cum alias ſæpius hoſtibus gravioris momenti ſuperatis, Urbeque tranquilla pace donata, ut Auguſti temporibus præſertim accidit, nullus unquam repertus ſit, qui ei numini templum exſtruxerit? Et vero *Baronius* exiſtimat, Veſpaſianum ejus templi conſtructionem aggreſſum eſſe, quod quæ a Prophetis, præcipue ab *Eſaia* IX. 6. de *Chriſto Principe pacis* dicta eſſent, in ſe tranſlata Judæorum adulatione, inprimiſque *Joſephi* Hiſtorici, Imperator crederet. Eandem ſententiam, tacito tamen *Baronii* nomine tuetur *Laurentius Begerus* in Continuatione Theſauri Brandenburgici *pag.* 632. At vero cum *Juſto Lipſio lib.* III. de Magnitudine Romana *cap.* 6. *pag.* 779. *Tom.* III. Operum & *Joſepho Caſtalione* in Opuſculo de Templo Pacis *pag.* 1850. *Tom.* IV. Theſauri *Grævii*, arbitror Verpaſianum aliud ſpectaſſe, cum templum illud exſtrueret. Eſto enim, divinationi, prodigiiſque plurimum tribuerit ante adeptum imperium Veſpaſianus, Vitellio certe ſuperato, bellis civilibus confectis, regia poteſtate ſuſcepta, republica conſtituta, pace terra, marique parta, tale quid ut auſcultarit, haud facile mihi perſuaſerim. *Templum*

ſane *pacis* Veſpaſianus poſuit, opinor, monumentum virtutis & felicitatis ſuæ, ſtabilitique in domo ſua Imperii, quod antea crebra temporum mutatione nutaverat. Nam paucis menſibus Galba, Otho, Vitellius regnarunt, alius alium inſidiis belloque perſecutus, (1) quam ſententiam confirmat antiqua inſcriptio, quæ legitur apud *Caſtelionem* l. c. *Baronium Tom.* I. Annalium ad A. C. I. *num.* 13. & *Purpurinum a Faventia* in Comment. ad Kalendarium Romanum Amiterni effoſſum *pag.* 876. *Tom.* III. Theſauri Novi de *Sallengre*. Et ipſam inſcriptionem:

PACI ÆTERNÆ
DOMUS
IMP. VESPASIANI
CÆSARIS AUG.
LIBERORUMQ. EJUS SACRUM.

Firmat etiam, quod dictum eſt, *Suetonius* in Veſpaſiano: *rebellione*, inquit, *trium Principum, & cæde incertum diu, & quaſi vagum imperium ſuſcepit, firmavitque gens Flavia*. Et ibidem: *per totum Imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope afflictam nutantemque Rempublicam ſtabilire primo, deinde & ornare*. Quid? quod apud *Paulum Oroſium lib.* VII. *cap.* 6. traditur, *Janum Geminum a Veſpaſiano clauſum*, ut adeo majorum ritu idem *pacis templum* exſtruxerit. Nam cui Senatus claudendi Jani Gemini honorem decreviſſet, ob pacem Populo Romano terra, marique partam, ei & *pacis ſimulacrum*, *pacis aram* (2) *pacis* & *templum* excitare jus erat, quod ex Senatus conſulto cuſa numiſmata oſtedunt. Hæc igitur vera exſtitit cauſa, cur Imperator Veſpaſianus templum pacis magnificentiſſime conſtruxerit, atque exornaverit. Cum vero Romani ex antiquo more, *ſpolia hoſtibus erepta*, quæ *Silius Italicus* lib. III. eleganter *captiva dona* dixit, in templis collocarent, vide *Jo. Phil. Tomaſinum* in libro ſingulari de Donariis ac Tabellis Votivis Veterum cap. 22 *pag.* 830. Tomo XII. Theſauri *Grævii*, idcirco etiam Veſpaſianus *ſpolia Templi Hieroſolymitani in Templo Pacis* collocavit loco aptiſſimo, cum etiam Jeruſalem nil niſi poſſeſſionem pacis ſignificet. (3) Transeamus nunc ad *inſcriptiones veteres arcus Titiani*, quas divina providentia conſervandas ad noſtram ætatem curavit, a multis doctis hominibus diligenter excerptas. Vide hanc in rem *Manutium* in Orthographia, *Baronium Tom.* I. Annalium ad A. C. 73. *num.* 2. *Bartholomæum Marlianum* in Urbis Romæ Topographia *lib.* III. *cap.* 8. *pag.* 112. *Tom.* III. Theſauri *Grævii*, *Famianum Nardinum* de Roma Veteri *lib.* III. *cap.* 13. *pag.* 1642. *Tom.* IV. Theſauri *Grævi*, *Alexand. Donatum* de Roma Veteri ac Recenti *lib.* VI. *cap.* 4. *pag.* 666. *Tom.* III. Theſauri *Grævii*, *Lucium Faunum* de Antiquitatibus Urbis Romæ *lib.* II. *cap.* 19. *pag.* 236. *Tom.* I. Theſauri Novi de *Sallengre*, *Jac. Baſnagium* dans l' Hiſtoire des Juifs *lib.* I. *cap.* 19. §. 21. *ſeq. pag.* 583. *Hermannum VVitſium Tom.* II. Miſcellaneorum Sacrorum Exercitatione XI. §. 77. *pag.* 334. *Salom. Deylingium* P. III. Obſervationum Sacrarum *pag.* 159. *Godofr. Olearium* in Obſervationibus ad Matthæum *pag.* 655. Prima inſcriptio hæc eſt in arcu Titiano:

SENATUS. POPULUSQ. ROMANUS.
DIVO. TITO. VESPASIANI. F.
VESPASIANO. AUGUSTO.

Baronius ſine ullis obſervationibus hanc inſcriptionem l. c. repetit, cum tamen illa aliquot obſervationibus illuſtranda ſit. Ttius hic *Divus* appellatur, quod cognomen in altera ejuſdem arcus inſcriptione deinde a nobis afferenda, omittitur. Inde *Nardinus* colligit arcum hunc vivente Tito inchoatum, verum ob breve illius Imperii tempus nondum abſolutum fuiſſe: contra *Franciſcus Angelonus*, in libro, qui inſcribitur: L' Hiſtoria Auguſta da Giulio Ceſare a Conſtantino il Magno, illuſtrata con la verità dell' Antiche Medaglie, de hoc ipſo Tito agens, cenſet *Divi* titulum, ſeu cognomen vivis quoque nonnunquam Imperatoribus tribui ſolitum. Neutra harum ſententiarum mihi placet, malim enim cum *Alexandro Donato*, arcum illum *non triumphanti*, ſed *mortuo Tito* decretum & dicatum fuiſſe. Tria quæ habet Inſcriptio, quod arcus *Tito* fuerit erectus, quod ille cum Patre Veſpaſiano vocetur *Divus*, quod idem dicatur *Auguſtus*, oſtendunt, arcum poſt ejus obitum fuiſſe exſtructum: quæ omnia ſigillatim *Donatus* multis argumentis probat, & tandem hæc addit: *ſub arcu Titi ejuſdem* effigies volanti aquilæ inſidens *inſculpta eſt: quod certum eſt argumentum* conſecrationis *factæ poſt mortem. His conficitur* Divorum *cognomenta non convenire Tito ac Veſpaſiano triumphantibus: & arcum illum poſt obitum utriuſque erectum fuiſſe a Senatu Populoque Romano, vel ſub Principe* Domitiano, *qui Titum Divum fecerat, vel* Trajano *imperante, quem certe in honorem Titi nonnulla ædificaſſe conſtat*. Typum vero conſecrationis Titi aquilæ inſidentis,

ſub

sub arcus fornice, *insculptus exhibet lapis*: *adde* Apotheoseos *sive* Consecrationis pompam, *quæ sub inscriptione*, *per totum epistylium orientalis frontis*, *paucis quidem figuris*, victimarios flamines, arasque designat; lectum item cum imagine Imperatoris accumbentis. *Testimonio Scriptorum constat*, *Titum cum Patre triumphasse*: *at solus hic adspicitur in curru*, *quod arcus erectus fuit*, *post ejus mortem* a S. P. Q. R. Transimus ad alteram Inscriptionem ejusdem arcus, quæ ita se habet:

S. P. Q. R.
IMP. TITO. CÆSARI. DIVI. VESPASIANI. F. VESPASIANO. AUGUSTO. PONTIFICI. MAXIMO
TRIBUN. POT. X. IMP. XVII. COS. XIII. P. P. PRINCIPI SUO,
QUI. PRÆCEPTIS PATRIS. CONSILIISQUE. ET
AUSPICIIS. GENTEM. JUDÆORUM. DOMUIT. ET.
URBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBUS. ANTE. SE.
DUCIBUS. REGIBUS. GENTIBUSQUE. AUT. FRUSTRA.
PETITAM. AUT. OMNINO. INTENTATAM. DELEVIT.

Hanc quoque Inscriptionem *Baronius*, nullis adjectis observationibus repetit, quæ tamen hic utramque facere debebant paginam. Observamus igitur primo varias esse hujus inscriptionis apud varios scriptores, qui eam excerpsere, lectiones, ex quibus *Gisbertus Cuperus* in Epistola quadam (4) probare voluit, hanc inscriptionem falsam esse. At vero nihil agit *Cuperus*, siquidem inscriptionem vitiose a *Lucio Fauno* exscriptam tantummodo legit, cum alios scriptores, qui eandem inscriptionem accuratius ex lapidibus descripserunt, consulere debuisset. *Jo. Harduinus* in Oper. pag. 75. inscriptionem hanc rejicit: *egregia*, inquit, *apud Gruterum inscriptio*, *si genuina*. Ita addubitat *Harduinus*, fortasse ideo, quia de Hierosolyma affirmatur, eam *ab omnibus ante Titum Regibus*, *Ducibus*, *gentibusque aut frustra petitam*, *aut omnino intentatam fuisse*. Nam nec prima, nec secunda, vel obsidio, vel expugnatio hæc Titiana fuit: ex divinis quippe oraculis constat, quoties ea urbs capta fuerit vel obsessa. Si *Josepho* credimus *lib.* VII. de Bello Judaico *cap.* 18. sexto demum loco numeranda est Titi occupatio. Quinquies prius captam esse dicit Hierosolymam, ab Ægyptiis videlicet, Chaldæisque, nec non ab Antiocho Epiphane, & Pompejo M. Sosioque & Herode. Confer *Ludov. Cappellum* in Compendio Historiæ Judaicæ ex *Josepho* contracto ad A. C. 70. Quicquid ejus rei erit, verum certe est, & ab Historiæ Judaicæ gnaris citra hæsitationem conceditur, simile exscidium huic, quod Titus intulit urbi, in omni historia non occurrere. *Titus enim eam prorsus delevit*. Atque hoc pacto *Deylingius* & *Gottfr. Olearius* illos refellunt, qui fidem inscriptionis sublestam & suspectam argumento antea allato, reddere conantur. Quod igitur ad *Harduinum* attinet, qui, uti dictum est, inscriptionem hanc confictam & subdititiam esse judicat, vix unum alterumque sibi habebit assentientem, præcipue cum *Jac. Basnagius* assensionem cohibeat, atque in hac inscriptione, quam nec fictam, nec falsam esse dicit, majorem veritatis Historicæ curam tantummodo desideret. En ipsa *Basnagii* verba: *ce Monument flatteur nos apprend qu'on dèbite souvent des Mensonges* sensibles dans les Inscriptions, *& que les Preuves qu'on en tire*, *pour la Vèritè de certains Faits*, *ne sont pas toujours incontestables*, *ni solides*. Quemadmodum autem adhuc in medium attulimus inscriptiones, quarum fides nemini suspecta esse debet, ita e re fore judicamus, si *inscriptio quædam*, cui nulla habenda est fides, subjungatur. Incertus quidam Scriptor interpretationem edidit Inscriptionum & Epitaphiorum, quæ Antiquariæ, quæ urbs est Bæticæ in Hispania, reperiuntur: ibi autem hæc inscriptio legitur *cap.* IX.

DIVO TITO VESPAS. AUG. IMP. ET CÆS. DELIT. GENER. HUMANI. COS. VII. P. P. OPTVMO MAXUMOQUE. ET HIEROSOLYMIT. URB. EXPUGNAT. VERUS POLLIO COS. D. S. P. D. D.

De hac inscriptione ita judicat *Alb. Henr.* de *Sallengre* in Præfatione ad Tomum III. Thesauri Novi Antiquitatum Romanarum: *non dissimulabimus videri nobis hanc inter eas reponendam*, *quæ ab* Hispanis *marmori incisæ*, *ut* posteritatem fallerent, pia ut loquuntur fraude putantur. *Titus semel* Augustus *dictus*, *nunquam* Augustus *&* Cæsar *simul vocatus est*, *cum posterior titulus priori sit inferior*. Quamvis autem Inscriptionum veterum, quæ ad hoc præsens argumentum pertinent, minor esset copia, aut apparatus, *hujus & Patri nummi* de excidio Hierosolymitano testes ad seram usque posteritatem pervenerint. Ad hosce nummos provocant *Cæsar Baronius Tomo* I. Annalium ad A. C. 73. *num.* I. (5) *Marq. Freherus* in dissertatio-

tione de Numismate Census, *Campegius Vitringa Tomo* II. Comentarii in Esaiam *pag.* 524. *Herm. VVitsius Tomo* II. Miscellaneor. Sacrorum Exercitatione XI. §. 78. *Caspar VVaserus* de antiquis nummis Hebręorum *lib.* II. *cap.* IV. *Joh. Gregorius*, (6) *Jac. Usserius*, (7) *Jac. Basnagius* dans l'Histoire des Juifs *lib.* I. *cap.* 19. §. 20. *pag.* 582. *Carolus Patinus* ad *Svetonium*, *Sertorius Ursatus* in Commentario de notis Romanorum *pag.* 788. *Tom.* XI. Thesauri *Grævii*, *Albertus Rubenius* in fine Dissertationis de Nummo Augusti, cujus Epigraphe: Asia recepta, *Laurent. Begerus* in Continuatione Thesauri Brandenburgici *pag.* 630. (8) *Ezech. Spanhemius* in Dissertationibus de Præstantia & Usu Numismatum Antiquorum, *Joh. Faesius* de Hebdomade M. *pag.* 335. *Gerb. Joh. Vossius* de Origine & Progressu Idololatriæ *lib.* V. *cap.* 40. *pag.* 157. *Laur. Ramiresius* de *Prado*, (9) *Joh. Hoornbeekius* in Prolegomenis, (10) quæ libris suis de Judæis convincendis & convertendis præmisit, *Jacobus* de *Strada*. (11) Inprimis hic commendanda sunt verba *Jo. Bapt. Otthii* in Centuria Locorum Novi Testamenti cum Flavianis vel phrasibus vel historiis aliquid commune habentium. Posteaquam enim autor ille verbis Pauli ad Coloss. II. 15. θριαμβεύσας αὐτοὺς lucem aliquam affundere secum constituerat, hæc addit: *triumphi* D. N. J. *Christi* super principatus & potestates *per servos suos* Vespasianum & Titum *habiti & extrema* deletio chirographi *a* Josepho *domestico Scriptore fuse describitur Belli* Judaici *lib.* VII. *cap.* 24. 24. *pag.* 977. *cum pag.* 679. *ubi* τῆς πομπῆς τὸ τέλος *describitur* Simonis Gioræ ad templum Jovis Capitolini deductio *atque cæsio*, πεπομπευκὼς ἐν τοῖς αἰχμαλώτοις. *Eo enim actu arbitror centrum*, *summumque finem sepulturæ cerimoniali solenniter impositum*, *quem mire illustrat & confirmat nummus cum inscriptione* Triump. Aug. *qui in tabula nostra VI. conspicitur primus*. (12) Hæc *Ottius*, cus interpretationem verborum Pauli veram esse solidamque, omnes fatebuntur, qui plura ejus interpretationis argumenta legent apud *Casp. Svicerum* in Coment. in Epist. ad Coloss. *pag.* 135. *Joh. Braunium lib.* I. Selectorum Sacror. *cap.* 8. *Ruarum Andala* in Exegesi Illustrium Locorum, ut & duorum Typorum S. Scripturę, Serpentis ænei & Suspensi eodem die sepeliendi, *Hermannum* van de *VVall* in Observationum Miscellanearum Decade, observat. VI. *pag.* 203. Biblioth. Brem. Class. III. Fascic. II. & *Christoph. VVittiebium* in Commentario in Epist. ad Hebræos *pag.* 13. Ceterum confer commentationem nostram ad *Ectypon spoliorum templi Hierosolymitani in arcu triumphali Titi Vespasiani Romæ conspicuorum*: quę commentatio legitur inserta *Tom.* I. Bibliothecę nostrę Antiquarię & Exegeticę *pag.* 840. *seq.* Adhuc autem illud inprimis observari velim, quod verę verborum Pauli interpretationi magnum addit momentum. *Josephus* de Bello Judaico *lib.* VII. *cap.* 24. de Triumpho Titi hęc addit: *lex* Judæo*rum ultimum spoliorum circumferebatur*: & vero inde apparet, tum demum *extremam deletionem chirographi* factam esse. Nunc ad alia pergimus & B. L. ante oculos ponimus verba *Joh. Christoph. VVagenseilii* in Commentario Perpetuo in Sota *pag.* 1084. subjectis infra observationibus nostris: *non sunt mihi ulli veterum nummi*, *quos parare licuit*, *majori in pretio quam isti* (Vespasiani nummi) (13)



quos innui: *imo meo judicio liquido debetur his palma præ reliquis*, *quotquot exstant* (14) Nunquam illos adspicio, adspicio autem sæpissime, quin me sacra religio occupet, ut cœlestis providentiæ consulta & veritatem vaticiniorum, quæ tum Prophetæ veteres (15) tum inprimis Servator meus adversus Politiam Judaicam ediderunt, in iis agnoscam & religiose venerer. *Hos sæpe* Judæis *exhibui*, *ut viderent faciem illius*, *ad cujus nomen penitus horrent*, Vespasiani, *semper addens*, *cogitarent*, inde a cusis istis nummis, ab his trophæis erectis, gentem suam toto orbe, sine aris, sine focis, sine Duce imo sine Numine hac illac circumcursare, omnium mortalium ludibriis & injuriis exponi, nec vel tandem post tot longa sæcula de libertate ac meliori fortuna σκιᾶς ὄναρ ϗ τῦτο ἀδαμινώτερόν τι (ut S. *Chrysostomi* verba mea faciam) adesse. *Ergo cum tutum momentum* ad pietatem & ad urendos Judæos *nummi de Judæa Victa*, *afferant*, *est omnino operæ pretium*, *tam eorum*, *quos nos possidemus*, *quam quos apud alios*, *inprimis vero* Cl. Patinum *in Numismat. Imperat.* pag. 141. *vidimus*, *effingere sculpturas ectypas*, *haud minorem*, *ipsi nummi quam habent*, *vim in Bonorum animis exercituras*. Hactenus *Wagenseilius*, qui

&

& consimilia verba repetit in dissertatione de Re Monetali veterum Romanorum *cap.* XX. *pag.* 87. Restat ut ad N. *de Grainville* transeamus, is epistolam singularem scripsit, cui titulus: Lettre sur l'usage qu'on peut faire des Medailles par raport à la Religion. Integram hanc Epistolam habent Diaria Trevoltiana Ann. 1715. mense Augusto *pagin.* 1411. & Journal des Scavans *Tom.* LIX. *pag.* 565. Posteaquam autem autor nummos Vespasiani, qui huc pertinent, commemorare constituerat secum, hæc præmittit verba: *Mais il faut avouer que le plus grand service que les Mèdailles rendent à Christianisme, c'est de reprèsenter clairement l'accomplissement de la Prophètie de Jesus-Christ sur la ruine de Jerusalem & de toute la Judèe. Il ne s'est peut-ètre rien prèdit d'une plus grande consèquence. Les disciples du Sauveur du Monde avoient recu cette prèdiction de la propre bouche de leur maitre, & l'avoient publièe comme la plus terrible punition du plus horrible des crimes: tout le monde ètoit dans l'attente de cet ètrange èvenement, qui devoit, ce semble, dècider au moins aux yeux des hommes de la Divinitè & de la saintetè de Jesus-Christ; & voilà qu'il se trouve encore aujourd'hui après plus de seize cens ans une infinitè de Mèdailles de tout mètal frappèes dans le tems mème où la chose est arrivèe, lesquelles nous donnent cent preuves incontestables de l'accomplissement de cette Prophetie, nous mettant devant les yeux la dèsolation entiere de la Judèe.* Posteaquam autem *de Grainville* magna cum cura nummos Vespasiani, qui ad præsens institutum referendi erant, recensuerat, subdit: *enfin, on n'a rien oubliè dans les Mèdailles pour rendre èclatante cette Victoire des Empereurs Vespasiens, & jamais on ne frapa tant de Mèdailles pour une conquète, comme si on avoit voulu exprimer l'importance de cette expedition par la multitude & la varietè des images de la dèsolation parfaite de la Judèe.*

II. *Plerique* veterum *Patrum* urbem *Hierosolymorum* non totam dirutam aut solo a Tito æquatam esse, sed *dimidiam partem* superfuisse dicunt. Prius dimidium a *Vespasiano* expugnatum, alterum ab *Adriano*, idque ex *Zachariæ* XIV. 2. colligi. Vide *Eusebium* in Demonstrat. Evang. *lib.* VI. *cap.* 18. & *Theodoritum* Histor. Ecclesiast. *lib.* III. *cap.* 20. teste *Laurent. Ramiresio de Prado* in Pentecontarcho *cap.* 43. *pag.* 252. At *Josephus Scaliger* in Animadversionibus ad *Eusebii* Chronicon *pag.* 211. falsitatis hæc omnia arguit, ob Jesu Christi vaticinium prædicentis nullum lapidem super alium relictum iri *Matth.* XXIV. 2. *Lucæ* XIX. 44. ob *Josephi*, qui rebus præsens interfuit iterata de totali Hierosolymæ destructione testimonia, ob Titi de devicta urbe triumphum. Adhuc alia argumenta affert *Scaliger*, quibus contra Patrum auctoritatem pugnat, fidemque vaticinii Christi magis magisque confirmat. Eadem argumenta repetunt, & nullo facto argumentorum discrimine *Scaligeri* sententiæ prorsus subscribunt *Henricus Valesius* in notis ad *Eusebium pag.* 61. *Hermannus VVitsius Tomo* II. Miscellaneorum Sacrorum *exercit.* XII. §. 8. *pag.* 347. *Abrah. Scultetus* Exercitationum Evangelicarum *lib.* II. *cap.* 91. *Thomas Ittigius* in selectis Capitibus Historiæ Ecclesiasticæ *cap.* 7. *sect.* 10. §. 3. *pag.* 491. at vero pleraque *Scaligeri* argumenta a viris illis probata recte ad examen vocant *Sebast. le Nain de Tillemont*, (16) *Jac. Basnagius* dans l'Histoire de Juifs *lib.* 1. *cap.* 19. §. 27. *pagin.* 603. *Dionysius Petavius* in *Animadvers.* in *Epiphanium pag.* 394. & *Godofredus Olearius*, (17) quos consulere operæ pretium fuerit. Quod ad nos attinet, vaticinio Christi respondit eventus, dummodo audiamus *Josephum*, (18) is sub finem *libri* VI. *cap.* 44. Titum ait τὴν ἄλλην ἀφανίσαι πόλιν καὶ τὰ τείχη κατασκάψαι *reliquam urbem delevisse, murosque evertisse*, tantummodo quasdam reliquisse turres intactas, fortunæ suæ monimentum, qua sibi militante, his potitus fuisset, quæ capi non posse viderentur. Plenius vero idem sub *libri* VII. *cap.* 1. initium, κελεύειν, ait, τήν τε πόλιν ἅπασαν καὶ τὸν νεὼν κατασκάπτειν (19) *& urbem universam & templum evertere eum jussisse.* Templi structura constabat lapidibus candidissimis, quorum nonnulli erant longi 25. cubitos, lati 12. alti 8. Hinc intelligas illud *Marci* XIII. 1. ποταποὶ λίθοι, ποταπαὶ οἰκοδομαί. Vide *Ludov. Cappellum* in Compendio Historiæ Judaicæ. Temploque adeo pariter ac urbi evenit, quod Salvator prædixerat, ut lapis scilicet super lapidem non relinqueretur. Confer omnino *Baronium Tom.* 1. Annalium ad A. C. 72. *num.* 20. & *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* 1. *cap.* 19. §. 27. *pag.* 594. qui simul addit victores auri argentique cupidos, ut illud defossum invenirent, passim terræ cavernas reclusisse, saxa ipsa convellentes, & subruentes. Neque adeo dirutis omnibus ædificiis, quæ urbem absolverent, quidpiam veritati vaticinii Salvatoris ex eo decedit, quod idem addit, paucas quasdam turres, quæ inter alias eminebant in munimentis urbis, Phasaelum, Hippicum,

& Mariamnen, murique partem, quæ civitatem ab occidente cingebat, superstites eum esse sivisse: turres quidem, ut monimento essent ad posteros urbem quam munitam virtus Romana obtinuisset: murum autem, ut castrum muniret militis in præsidio ibi relicti: sane enim satis est, quod ἄλλον ἅπαντα τῆς πόλεως περίβολον, οὕτως ἐξωμάλισαν, ὡς μηδὲ πώποτ᾽ οἰκηθῆναι πίστιν ἂν ἔτι παρασχεῖν τοῖς προσελθοῦσι, *reliquum omnem civitatis ambitum solo ita æquarunt, ut eis, qui accederent, unquam eam habitatam fuisse, fidem vix faceret*. (20) Huic igitur *Josepho* tam luculento testi, vaticinii Christi fidem præclare adeo tuenti merito cedat auctoritas Patrum *Eusebii*, *Hieronymi* atque *Epiphanii*, insignem partem urbis a Tito integram relictam esse affirmantium. Inter Patres quidem & *Josephum* dissensum tollere allaboravit *August. Calmetus* (vide ejus Supplement au Dictionaire Historique, Critique, Chronologique, Geographique, & Litteral de la Bible *Tomo* III. *pag.* 356.) at, si quid judico, multa agendo, nihil agit. Nemini non patet, *Eusebium* quidem in errorem diunxisse vaticinium *Zachariæ* XIV. 2. ad quod vaticinium respondet *Scaliger*, cum non dirutæ urbis, sed captæ duntaxat & expilatæ mentionem faciat, ut pars populi deportata sit, pars remanserit: illud ad *Ptolomæi Lagi* tempora referendum esse: de quo dubitare non possit, qui verba *Agatharchidæ* apud *Josephum* legerit: alii ad *Antiochi Epiphanis* vastationem referunt: alii aliter. At non satis certum prophetam de urbe Hierosolyma *literaliter* loqui: cum fieri possit, quod doctis allubescit interpretibus, ut *symbolice* intelligatur Ecclesia Christiana. *Epiphanium* de mensuris & ponderib. *cap.* 14. credulitas decepit, & veneratio in domum, quæ ejus ævo ostendebatur, illaque esse tradebatur, in qua Spiritus Sanctus in pentecoste, post adscensionem Domini, proxima, in Apostolos fuerat effusus. *Hieronymum* vero, quæcumque erroris sit causa, decipi manifestum est, *montem enim templi, & Sion, in quo arx erat, integra remansisse putat*. Quis vero credat Titum, qua erat imperatoria prudentia, duo munitissima urbis loca, quæ scilicet receptaculum denuo genti rebelli præbere possent, intacta reliquisse? quem *Josephus lib.* VII. *cap.* 34. narrat vix silicerniis quibusdam ac femellis imbellibus permisisse, ut templi sui busto assiderent: præsidiario milite ibi relicto, omnia, quæ receptui inservire possent, demolituro. Ceterum non omittenda hic erat *Johannis d'Espagne* singularis observatio. Posteaquam enim dans l'Harmonie des Temps *Part.* II. *pag.* 496. monuerat ex Johannis VIII. 59. *Judæos in templo lapides sustulisse, quos in Christum conjicerent*, inde colligit factum deinde esse divino consilio, ut templum illud tanto facinore contaminatum funditus everteretur, nullo lapide super lapidem relicto. En ipsa autoris verba: *dans le Temple où les Juifs avoyent levè des pierres pour lapider Jesus Christ*, il ne demeura pas une pierre sur l'autre. *Ce Temple ne fut pas seulement* brulè, *comme l'avoit estè le premier*; *mais* son lieu fut mis en tel estat qu'il n'y restoit aucune trace de bastiment, non pas mème de pierres. *L'Histoire rapporte que les Romains convertirent en un champ labourable: & mème y firent passer la charrue. Ainsi disparut non seulement le Temple, mais aussi le pavè duquel les pierres avoyent estè employèes à un si horrible attentat.*

III. Victa, incensa, diruta a Tito Hierosolyma, quæ in Judæa supererant, Romanæ fortitudini cessere brevi in eorundem ditionem redacta. Eodem tempore *Vespasianus* ad Liberium Maximum tunc Procuratorem scripsit, ut *omnem terram Judæorum venderet*: neque enim ullam in ea condi civitatem voluit, proprium sibi servans eorum agrum. Solis octingentis militibus illic relictis, locum dedit, quem incolerent, qui vocabatur *Emmaus*, & distabat Hierosolyma XXX. stadiis: mutato autem antiquo nomine, & novo ex parta victoria indito *Nicopolis* appellatus fuit. Interim *Cæsarea* maritima, olim turris Stratonis dicta, ubi necatis antea Judæis, gentiles qui eam incolebant rerum potiebantur, totius Palæstinæ metropolis remansit: & ob egregiam a civibus navatam contra Judæos operam, ab Imperatore Vespasiano facta est *Colonia Romanorum*, immunis a censu capitis & possessionum. Vide *Baronium* Tom. I. Annalium ad A. C. 73. *num.* 7. *seq. Relandum* in Palæstina *pag* 672. *Henricum Norisium* in Parænesi ad *Joh. Harduinum*, *Joh. Clericum* dans la Bibliotheque Choisie *Tom.* XVIII. *pag.* 314. *Sam. Pitiscum* in Lexico Antiquitatum Romanorum in voce Cæsarea, *Herm. Witsium Tom.* II. Miscellaneorum Sacrorum *exercitat.* XII. §. 2. *pagin.* 342. & *Christ. Noldium* in Historia Idumæa *pag.* 451. Ceterum *Josephus Scaliger* in Prolegom. in Euseb. merito redarguit id, quod dicitur in *Justiniani Novell.* CIII. Vespasianum Stratonis Turrim *Cæsaream* a se vocasse, quia is in Partibus Palæstinæ Cæsar fuit salutatus &c. sed imposuit

fuit *Triboniano* Colonia deducta in eam urbem a Vespasiano non Patre, sed Tito, cujus nummus habet ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΝ, in nummis: *Aug. Cæsarea*. Quorum nummorum notitiam cum nullam haberet *Guidus Pancirolus*, in eundem cum *Triboniano* errorem incidit. Vide ejus Commentarium ad Notitiam Dignitatum utriusque Imperii *pag.* 1626. *Tom.* VII. Thesauri *Grævii*. Hactenus de *nova colonia Cæsareæ a Tito condita*: *Judæis* autem, ubicunque terrarum degerent, *imperatum tributum* est: ut quas *in templum* olim solebant inferre *binas drachmas*, illas ipsas ex eo tempore penderent *Jovi Capitolino*. Audiamus hanc in rem *Marquardum Freherum* in dissertatione de numismate census: *hoc Tito Victore* capitatio illa Judæorum prior *aggravata est*, *ut* pro Denario totam Didrachmam, *quæ in templum Solymæum quotannis inferri solebat*, *ubicunque gentium agerent*, *deinceps* penderent Jovi Capitolino, *ut* Josephus XVIII. 12. & *de Bello* Judaico VII. 28. & *Romani scriptores testantur*. Nimirum *templum Hierosolymitanum* cum adhuc staret, *commune* fuit *Judæorum* omnium, ubicunque gentium essent *ærarium*, (21) huc capitatio illa sacra annua, quam Deus *Exodi* XXX. 13. conceptis adeo verbis imperavit, (22) mittebatur, ut in eo tanquam in ærario publico ad usus gentis publicos reponeretur. Hanc capitationem annuam sacram innuunt *Cicero*, (23) *Tacitus* (24) & ipse Titus in oratione ad Judæos habita apud *Josephum* (25) Et vero hic *capitis census*, sive ut *Castalio* loquitur, *sacri sicli semissis* erat supremi numinis honorarium ad Deum Judæis propitiandum, unde in lege Dei כסף הכפורים *propitiatorium argentum* appellatur, quia non solum ad omnia templi sarta tecta conservanda, sed & ad coemenda sacrificia illa publica, diurna, sabbatica, menstrua, annua, quæ populo erant expiatoria, pertinebat. Cum vero post *templi excidium* desineret *sacrificiorum usus*, cum Deus non amplius esse vellet populi Judaici Deus, *Vespasianus* illud *donarium Dei* intervertit. *Baronius Tom.* I. Annalium ad A. C. 72. *num.* 12. in eo *mysterium* aliquod quærit, quod *Vespasianus Capitolium restituit*. *Dum in* Judæa, inquit, *templum olim sanctissimum exuritur*, *prorsusque disjicitur*, *ac solo penitus adæquatur*, Romæ Capitolium *bello civili nuper concrematum a* Vespasiano sumtuosissime restituitur. *Unde magis etiam* flagrans Dei ira in Judæos *ostenditur*, *dum* in eorum odium atque invidiam *non tantum* ipsorum templum miserrime dejici, *sed* delubrum Jovis eodem tempore *in sublime magna gloria* exædificari permittit, *secundum quod olim dixerat* per Isaiam *cap.* I. *heu consolabor super hostibus meis*, & *vindicabor de inimicis meis*. Ecquis autem *Baronio* aliud ex alio fingenti statim habebit fidem? *Tertullianus* in libro de Spectaculis tradit, *Capitolium omnium Deorum templum fuisse*. P. Victor observat, *in Capitolio omnium Deorum simulacra celebrata esse*. A *Tullio Deorum domicilium* appellatur. *Lipsius* post hæc addit *lib.* III. de Magnitudine Romana *cap.* 5. *pag.* 770. *Tomo* III. Operum: *ipse mons passim & pene totus Deorum aris*, *statuis*, *templis insessus*. Conferatur omnino *Andreas Cirino* in libro singulari Antiquarum Lectionum de Urbe Romana *cap.* 48. DXCII. *pagin.* 543. *Tom.* II. Thesauri Novi *de Sallengre*. Cum itaque *Capitolium* tanta majestate excelleret, ut *omnium Numinum simul cum* Jove *esset templum*, id ipsum *Vespasianus* reparare & dedicare voluit, debuit. Quod vero idem *Judæorum Didrachmum* in templum Jovis *Capitolini* inferri voluit, id a *Baronio* multo rectius considerandum atque explicandum erat. *Donaria* Jovis *Capitolini* omnem fere fidem superant. *Augustus*, ait *Svetonius*, *una donatione in cellam* Jovis *Capitolini contulit* XVI. *millia pondo auri*, (id est, *Lipsio lib.* III. de Magnitudine Romana *cap.* 5. *pag.* 775. enarrante, *Phillipæos* 1600000.) & *quingenties* H. S. *in gemmis*, *Philippeos* 1250000. Inter *donaria ejusdem* Jovis referas quoque *insigne* illud *donarium* ex gente *Hasmonæorum*, quod commemorat *Josephus* Antiquitatum *lib.* XIV. *cap.* 5. *venit ex* Judæa *sive hortus*: *quod opus* Τερπωλὴ *id est* delectamentum *vocabatur*. *Hoc donum vidimus etiam nos* Romæ in Jovis Capitolini templo *dedicatum*, *cum inscriptione* Alexandri Judæorum Regis: *æstimabaturque* quingentis talentis, hoc est, uti *Robertus Cenalis* in libro de vera Mensurarum Ponderumque ratione *pag.* 1596. *Tomo* V. Thesauri *Grævii*, judicat, *quinque ducatorum millionibus*, seu *quinquagies centenis millibus*. Dictum autem donarium ab *Alexandro* Jannæo in *templo Hierosolymitano* positum, & a filio ejus *Aristobulo* ad *Pompejum* inde transmissum, ex Pompeji triumphorum actis *Plinius lib.* XXXVII. *cap.* 2. fuisse refert, *montem aureum quadratum cum cervis & leonibus*, & *pomis omnis generis*, *circumdata vite aurea*. Confer *Baronium Tomo* I. Annalium ad A. C. 34. *num.* 158. & qui illo multo accuratius de hac *aurea vite* differunt, *Justum Lipsium* Electorum *lib.* II. *cap.* 5. *pag.* 772. *Tomo* I. Operum, & *Jac. Usse-*

ſerium in Annalibus Veteris & Novi Teſtamenti *pag.* 445. Ecce autem inſigne *donarium Templi Hieroſolymitani* inter *donaria* Jovis *Capitolini* relatum, quod proluſit *Didrachmo Judæorum Jovi Capitolino* inferendo. *O Deus*, inquit *Vitringa* in Hypotypoſi Hiſtoriæ & Chronologiæ S. *pag.* 209. *quam tua ſunt tremenda & imperſcrutabilia!* Judæi, *quorum audita vox fuit tempore paſſionis Chriſti:* non habemus Regem niſi Cæſarem: *poſt exciſam Rempublicam jubentur* a Veſpaſiano Didrachma tributum ſacrum, *a ſingulis maribus majorennibus & liberis quotannis inferendum in templum Hieroſolymitanum, inferre in templum* Jovis *Capitolini*. Inſigne admodum vaticinium *Malachiæ* II. 11. nunc ſuccurrit: *Proditor eſt Judæus, fitque nefas in Iſraelitis, ac Hieroſolymis, ſiquidem profanat* Judæus *Sanctum* Jehovæ, *peregrinique Dei puellam, uxorem ducit*. Dei alieni filia dicitur *gens Romanorum*, quæ *Jovem Capitolinum*, cui omnem ſuum ortum & fortunam adſcribit, ſalutat *Patrem*. Vide *Silium Italicum* IV. 103. *Virgilium Æneid.* II. 680. XII. 200. & *Georg.* I. 328. Hanc Dei alieni *Judæi* uxorem duxerunt, ad indicandum *fœdus*, quo ſeſe arctiſſime cum illa gente conjunxerunt, eidem addicentes ſe totos. Dum vero hoc agunt Judæi, concipiuntur ſibi anſam formaſſe ad *Chriſtum rejiciendum*, quod etiam notatur Jeſaiæ XXVIII. 15. 16. ubi *fœdus illud cum morte & inferno* concipitur anſam daturum Judæis ad ſpernendum lapidem angularem Chriſtum. Ita etiam *fœdus illud* concipitur *cum filia Dei alieni*, quod in ſe cauſam atque occaſionem continebat *profanandi Sanctum Jehovæ*. Cum enim *Judæi* in hoc *fœdere* cum gente ſocia carnaliter ſecuri eſſent, regnum Romanorum ex ratione temporis poſt initum fœdus, putarunt præ regno Chriſti eligendum eſſe, utpote quod utilius ad pacem populi periculoſo iſto tempore conſervandam ſtatuerent. Audiamus *Salomonem* van *Til* in Malachia Illuſtrato *pag.* 250. *Judæi in iſta cum Romani pace & confœderatione ex ſuis hypotheſibus ſe implicabant laqueis, ex quibus ſe, cum ſemet manifeſtaret Chriſtus, expedire non poſſent*, plus ſalutis pro populo in amicitia Romanorum, quam in exſpectatione regni Chriſti collocantes; *adeo ut dies doceret*, hanc confœderationem cum Romanis quæſitam fuiſſe, ut munimentum, ad excludendum regnum Chriſti, illudque eludendum. *Ex hac enim hypotheſi natum eſt illud alterum judicium, intempeſtivum fuiſſe* (propter illud fœdus cum Romanis initum) *Chriſti regnum eo tempore admittere: quoniam id nonniſi* cum irritatione Romanorum *fieri poſſe putabant. Quod judicium aperte protulit* Cajaphas Pontifex *Johannis* XI. 47. 48. *Vide, quam aperto ore ſalutem gentis in morte Chriſti collocent, affirmanter hunc accipere Principem, eſſe in eo rerum ſtatu crimen contra Romanos, ſublatione loci & gentis luendum. Hinc illæ voces Johannis* XIX. 12. omnis, qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari, & *verſu* 15. non habemus Regem, niſi Cæſarem. *Ita contigit, ut in gratiam Cæſaris ſpem Meſſiæ abdicarint Judæi, atque per adoptionem Cæſaris in regem, ſibi comperiantur viam præcluſiſſe ad acceptionem regni Chriſti.* Profanaverunt certe Sanctum Jehovæ, quem diligit, *quando in eum non inquiſiverunt, eum ut rem nihili neglexerunt, ejus adventum ut intempeſtivum horruerunt, nihil ab eo, aut Deo ipſo, omnia a Cæſare ſibi ſpondentes, haud memores, quantum crimen eſſet in Deum non confidere, ſed brachio niti humano, præprimis auxilium quærere apud gentes, Deo inimicas, idololatricas, & in patrocinio alieni Dei gloriantes.* Quæ cum ita ſint, divino conſilio factum eſt, ut *Judæi Jovi ſuo Capitolino* deditiſſimi, Jehovæ vero intus & in cute infenſiſſimi, *quotannis didrachmum Jovi Capitolino* inferre juberentur, poſteaquam ipſis Regem Chriſtum abnegantibus, & Regi Cæſari aſſentantibus, Zachariæ XI. 6. exſcidium per Regem Cæſarem, hoc eſt Veſpaſianum prædictum erat judicio *Job. Lightfooti* in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 55. *Tomo* II. Operum. *Xiphilinus* in Veſpaſiano: *καὶ ἀπ' ἐκείνου δίδραχμον ἐτάχθη τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιστέλλοντας, τῷ Καπιτωλίῳ Διῒ κατ' ἔθος ἀποφέρειν ex eo conſtitutum eſt, ut Judæi, qui patrios ritus ſervare vellent, Didrachmum quotannis Jovi Capitolino inferrent.* Allatis hiſce *Xiphilini* verbis, ſubdit *Baſnagius*: les Romains faiſoient acheter par la *la Libertè de Conſcience* -- La Religion Judaique ètant donc devenue ſouverainement odieuſe après la Rèvolte, on obligea ceux qui profeſſoient à paier tous les Ans une Somme pour en avoir la Libertè. Confer *Job. Lightfootum* in Parergo de excidio urbis Hieroſolymiticæ nec non de ſtatu Judæorum poſt urbem exciſam *ſect.* II. *pag.* 141. *Vol.* II. Operum *Jul. Cæſ. Bulengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* 73. *pag.* 899. *Tom.* VIII. Theſauri *Grævii*, & *Ezech. Spanbemium* in Orbe Romano *pag.* 238. qui itidem ex *Dione* aut *Xiphilino* colligunt Judæos δίδραχμον Romanis pependiſſe, ut jus illud ſuarum legum adipiſcerentur, Certe Titum poſt ur-

urbis excidium Antiochenos, qui petebant, ut *Judæorum privilegia* abolerentur, repulisse testatur *Josephus* indicio *Marquardi Freheri* in dissertatione de Numismate census. Judæus *Michael Barrios* in libro, quem inscripsit: Historia Universal Judaica *pagin.* 3. affirmat Titum Romæ Pontificiæ Ducem fuisse, atque inde Romam Pontificiam Judæis adhuc favere. En ipsa verba Judæi: *la Pontificia Roma siempre los ha patrocinado desde que destruyo à Jerusalem su Gènèral Tito*. At vero quemadmodum crassum hunc Judæi errorem merito exagitat *Basnagius* dans l'Histoire des Juifs *lib.* IX. *cap.* 38. §. 16. *pag.* 1085. (neque enim Titus unquam Dux Pontificiæ sed Romæ adhuc Paganæ fuit) ita certum est Titum Judæis sacrorum libertatem concessisse, modo didrachmum solverent. Qua in re idem *antiquum Romanorum morem* observavit, & *antecessorum suorum* vestigia pressit. Nimirum quomodo *Romani publica aliarum gentium sacra* toleraverint, *Cornelius* van *Bynkershoek* in singulari dissertatione *de Cultu Religionis peregrinæ apud Romanos* inter Opuscula varii argumenti edita declaravit. Confer quæ ex illa *Bynkershoekii* dissertatione excerpunt *Joh. Barbeyrac* Traitè de la Morale de Peres de l'Eglise *cap.* XII. §. 49. *pag.* 191. & *Joh. Clericus* dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne *Tom.* XII. *pag.* 211. *seq.* Quid? quod *Decreta Romana & Asiatica pro Judæis ad cultum divinum per Asiæ Minoris urbes secure obeundum* ab *Josepho* collecta in *libro* XIV. Archæologiæ, sed male interversa & expuncta in publicam lucem utilitatemque restituit *Jacobus Gronovius* Lugduni A. 1712. in 8. Videatur de hoc labore *Gronovii* Journal des Savans *Tom.* 53. *pag.* 54. Ipsa enim dicta Romanorum & Asiaticorum decreta cum *Gronovii* Animadversionibus repetiit, & *Tom.* 1. Operum *Josephi pag.* 712. *seq.* inseruit *Sigebertus Havercampius*. Quando autem inter Judæos *David de Pomis* in sua Enarratione Apologica de Medico Hebræo *sect.* XII. decreta Principum in Hebræorum favorem constituta affert, memineris illa ex *Josephi* Antiquitatibus petita esse, uti observat *Joh. Christophorus Wolfius* Volumine III. Bibliothecæ Hebrææ *pag.* 197. Neque tamen is primus est illius observationis Autor, cum jam pridem *Joh. Seldenus* in Prolegomenis mox laudandis, *Davidis de Pomis* in hoc argumento mentionem fecerit. Ceterum de istiusmodi *Decretis Romanorum in favorem Judæorum* vide Observationes *Johan. Driebergue* in annotationibus ad *Humfredi Prideauxii* Historiam Judæorum Belgice conversam, *Salomonis Deylingii Part.* III. Observationum Sacrarum *pag.* 308. *Jac. Augustini Franckensteinii* in Dissertatione Juridica de Juribus Singularibus circa Judæos maxime in Germania *cap.* II. §. 4. *Nathan. Lardneri* in libro: the Credibility of the Gospel History apud *Joh. Clericum* dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne *Tom.* XXVII. *pag.* 385. *Joh. Seldeni* in Prolegomenis ad librum de Successionibus ad Leges Hebræorum in Bona Defunctorum, *Hugonis Grotii* de Veritate Religionis Christianæ *lib.* III. §. 10. in notis lit. (c) & de Jure summarum potestatum circa Sacra *cap.* VII. §. 3 *pag.* 89.

N O T Æ.

(1) Fata illa tristia imperii Romani prædixerat Christus Matth. XXIV. 6. 7. Marci XIII. 7. Lucæ XXI. 9. 10. Vide *Bossueti* Discours sur l'Histoire Universelle pour expliquer la suite de la Religion & les changemens des Empires p. 272. itemque Jo. *Lightfooti* Chronica Temporum & Ordinem Textuum N. T. pag. 48. Tomo II. Operum, paulo tamen aliter dicta divinorum Scriptorum loca explicat *Baronius* Tomo I. Annalium ad A. C. 69. num. 51.

(2) Audiamus *Lucium Faunum* de Antiquitatibus Utbis Romæ lib. II. cap. 17. *non me latet, aram Paci ab Augusto positam, quam Agrippa auxerit, ubi tamen fuerit, non liquet*. Cum vero *Faunus* justo sit brevior, conferendus hic erit *Purpurinus a Faventia* in Minusculis Commentariis ad Kalendarium Romanum Amiterni effossum pag. 872. Tomo III. Thesauri Novi de *Salengre*.

(3) Verba hæc sunt *Adriani Relandi* in libro singulari de Spoliis Templi Hierosolymitani in Arcu Titiano conspicuis cap. XIII. pag. 132.

(4) Apud *Basnagium* dans l'Histoire des Juifs lib. I. cap. 19. §. 24. pag. 587.

(5) Tomo I. Annalium ad A. C. 73. nnm. 1. ita differit: *sunt & alia Vespasiani signo notata numismata, quorum aliis* inest muliebris figura sedens humi ad trophæum, aliis eadem mulieris effigies mœstæ sedentis sub palma, *quæ erat Judaicæ provinciæ hieroglyphicum hac inscriptione signatis*: Judæa Capta S. C. *quorum subjecimus tibi has, quas intueris, expressas formas. Quis, amabo te, ista videns, consideransque* Judææ sub mœroris confectæ forma mulieris imaginem *repræsentari, non continuo* Hieremiæ lamentationes *in memoriam revocet? Vide harum lamentationum cap.* I. 1. Ita quidem *Baronio* videtur: ego vero crediderim nummos illos fidem facere *vaticinio Christi*, quod Lucæ XXIII. 28. 29. legitur. Quæ enim tum prædixit Christus, ea omnia ad vivum expressa videas in nummis: quamvis haud ignorem tum in nummis, tum in monumentis veterum *urbes muliebri forma* ut plurimum repræsentari. Ut enim nunc taceam *Petri Possini* in Spicilegio Evangelico §. 32. observationes, quæ huc pertinent: Vide insigne illud monumentum Puteolanum primum ab *Antonio Bulisonio* commentario illustratum, quem inscripsit: Ragionamento d' un antico marmo ritrovato nella Città di Pozzuoli. Adde in idem monumentum observationes *Bernardi de Montfaucon* dans l'Antiquite expliquee Tomo III. P. I. lib. V. cap. 10. pag. 192. itemque *Laur. Theodori Gronovii* commentationem in marmoream basin Colossi Tiberio Cæsari erecti ob civitates Asiæ restitutas post horrendos Asiæ tremores, quæ commentatio legitur Tomo VII. Antiquitatum Græcarum *Jac. Gronovii*. Ceterum silentio præterire nequeo *nummum Hadriani*, in quo *Judæa* tanquam fæmina *supplex* flexis genibus ruinam suam deplorat, & *tribus pueris* comitata ab Imperatore frustra veniam petit. Vide de hoc nummo *Harduinum*, *Erizzum* pag. 252. *Ou-*

daa-

daanum Tab. XX. num. 1. *Adolph. Occonem* pag. 230. *Freherum* libro III. Parergon cap. 11. *Theod. Hasæum* P. II. dissertationis de Monimento Paneadensi pag. 12. & *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs lib. VII. cap. 12. §. 35.

(6) In notis ad loca aliquot S. Scripturæ cap. IV. hæc habet: *observandum nullam devictam civitatem aut regionem* (*præsertim* ante Titum, *quod observare potui*) *designari* in numismatibus per mulierem sedentem in terra. *Non me latet hunc morem sedendi etiam apud Romanos in luctibus obtinuisse, sed* --- devictam urbem exprimere per mulierem sedentem in terra, *mere Judaicum est, vel saltem ab illis derivatum. Ideoque Reversam hanc Imperatoris arbitrarer* ex Jeremiæ lamentat. II. 10. *desumtam. Et cum mecum reputo, quem locum tenuerit Josephus Judæus in Aula Imperatoris, eumque interfuisse huic actioni memorabili ad Hierosolymas, facile suspicor quis contulerit huic Reversæ designandæ.*

(7) In Annalibus Veteris & N. Testamenti ita differit p. 687. *habentur Titi* numismata, trophæo & quadriga triumphali insignita: *ut & Vespasiani* cum mulieris effigie mœstæ sedentis sub palma *& inscriptione* Judæa *Capta* S. C. *ut & nummus, sub finem anni* 21. *Agrippæ regis cusus, cum Græca hac inscriptione*: ΑΤΤΟΚΡΑΤΩΡ Ο ΤΕCΠΑCΙΑΝΟC ΚΑΙΣΑΡ. ΙΟΤΔΑΙΑC ΕΑΛΩΚΤΙΑC. ΕΤΕΙΚΑ. Α. ΓΡΙΠΠ. Ecquid autem ΕΑΛΩΚΤΙΑC an *captæ*? non aliud: est enim perfectum participii medii a verbo ἁλίσκω capio, cujus futurum est ἁλώσω, præteritum ἥλωκα Attice ἑάλωκα, indeque ἑαλωκυῖα descendit. Et recte quidem ita nummum hunc exponit *Laurentius Begerus* Tomo III. Thesauri Brandeburgici pag. 105. contra *Antonius Pagius* in Critica Baroniana ad A. C. 70. turpiter se dedit, cum ita Græca nummi vertit: *Imperator Vespasianus Cæsar Judaicus, Elliacus*. Etenim Vespasiani a triumphis dici noluerunt Judaici, vide *Christ. Noldium* in Historia Idumæa & *Jacobum Usserium* in Annalibus Vet. & Novi Testamenti pag. 687. pag. 463. deinde quid sibi velit vox *Elliacus*, ipse *Pagius* ignoravit. Quæ cum ita sint, ita interpretare nummum: *Imperator Vespasianus Cæsar Judæa Capta Anno* XXI. *Agrippæ*. Confer Tomum I. Opusculorum nostrorum sacrorum p. 38. Itemque *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs lib. I. cap. 13. §. 14. pag. 324.

(8) Ejusdem *Begeri* verba Tomo I. Thesauri Brandenburgici pag. 147. inprimis notatu digna sunt, hic repetenda. *Scrofam cum succulis in Vespasiani & Titi numismatibus* interpretes communiter ad *Judæorum contumeliam* referunt, quasi scrofis, *post victoriam Titi Judaicam*, una cum succulis suis, libere per universam Judæam vagari & oberrare liceret, unde ante a Judæis excludebantur. Ita *Oiselius* ab Tab. XVI. n. 11. Ita & Illust. *Mediobarbus* sub Tito pag. 121. *Nec contumeliam nec opprobrium Judæorum inficior*: licet enim nulla in nummis illis *subactæ Judææ* mentio sit, ex facto *Hadriani* tamen, qui Judæos rebellantes denuo compressit, & *portæ Æliæ Capitolinæ*, quo nomine *Hierosolymam* vocavit, *suem imposuit*, facile apparet, eodem etiam Vespasianum & Titum respexisse: quod autem *Judæis contumeliæ* cessit, *Romanis gloriosum* putamus. *Romanorum gloriæ suem cum succulis appositam* esse facile dabis, si memineris *inter auspicia Progenitorum* eam numerari, indeque sub ilice cum fœtu jacentem etiam ab *Antonino Pio* signatam esse, plane qualiter Æneæ apparuit, qualiter & Helenus apud *Maronem* vaticinatus est. Res nota est: an autem ad *nummos Vespasiani & Titi* rite allegetur, addubitem. Minimum Suem cum succulis probant, etiam absque respectu ad Judæos, Romanis gloriosam fuisse, indeque cum gentem suibus inimicam devicissent, eo concinnius ad exprimendum id facinoris assumi potuisse. Non meo conjecturam ex genio hausi. *Cassiodorus* eam suppeditat, de Sue Hadriani in Chronico locutus: *his* (Severo scilicet & Sylvano) *Coss.* inquit, *Ælio Hadriano condita est, & in fronte ejus portæ, qua Bethlem egredimur, Sus sculptus in marmore, significaus Romanæ potestati subjacere Judæos*. Nulla hic contumeliæ Judæorum mentio, sed *Sus tanquam signum Romanæ potentiæ* allegatur. Unde? si non a notissima illa sub Ilice jacente, quæ Trojanis errorum finis, sedisque certæ auspicium fuit? Et quid si *sub Sue hac* non tam animal, quam *ipsi Romani* lateant? Romanos a Trojanis oriuudos, nemo dubitat: *Scrofam* autem non tantum *Trojanorum* quorundam *insigne* fuisse, sed & Italis *Trojam* dictam, *Messala Corvinus* observat. En verba: *Troja*, inquit, *vulgo Italice, Latineque Scrofa vel Sus dicitur, cui vocabulo licentia sui allusit Poeta: quod animas, quia ejus nomen Urbi Trojæ congruebat, aureo vexillo armorum statuit Antenor, absumtæ Urbis Trojæ memoria*. Vides, animal hoc, licet alias obscœnum, tamen & Trojanis patria profugis & ortis inde Romanis, tantæ gloriæ fuisse, ut illi patriam, hi autem Imperium eo adumbrarent, adeoque non miraberis, si *in nummis Vespasiani & Titi* ipsos *Romanos* intelligam *libere per Judæam vagantes* Non *Sues* tantum sed & *Romanos* odio prosequebantur *Judæi*: indeque cum & nomen & res conveniebant, *quo symbolo potuerunt aptius & gentem devictam exagitare, & suam simul victoriam, potestatemque significare?* Hactenus *Begerus*, cujus verba insignem lucem dabunt iis, quæ paulo inferius cap. VII. §. 3. observavimus. Interim addimus falli *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs lib. VII. c. 12. §. 33. pag. 370. quando existimat *porcum portæ ab Adriano impositum* non tam *potentiæ Romanæ* quam *Judæi devicti* agnoscere debebant, quam animalis iisdem tantopere exosi symbolum fuisse, *ut vel adspectus solus porci Judæos aditu urbis prohiberet*.

(9) In Pentecontarcho cap. XX. pag. 130. nummum æreum Titi Vespasiani exhibet cum inscriptione *Judæa Capta*. Ceterum in aversa facie nummi pro *galea clypeo Romano imposita* male *pavo* exprimitur.

(10) Is quoque in aversa facie nummi sui pro galea clypeo imposita perperam *pavonem* expressit.

(11) In Epitome Thesauri Antiquitatum pag. 50. *numisma*, inquit, *Vespasianus fecit, in quo Imperator ipse currui triumphali, qui quatuor equis trahitur, cum filio Tito insidet. Currum præcedunt milites* spolia templi Hierosolymitani *ferentes cum inscriptione Triumphus de Judæis* & S. C.

(12) Hunc ipsum nummum aureum Vespasiani quantivis pretii præter *Patinum* & *Mezabarbam*, egregie idem J. B. *Ottius* illustrat in Epistola de Numis quibusdam Samaritanis ad Adrianum Relandum pag. 89.

(13) In eo autem graviter errat, quod nummum apud *Hoornbeekium* l. c. uti diximus, obvium cum pavone repetit, itemque adhuc alios nummos male exprimit. Audiamns, quæ hanc in rem observat *Cornelius Dietericus Kochius* in Epistola quadam ad Brandanum Meibomium in Annalibus Academiæ Juliæ Semest. III. §. 28. pag. 95. sequ. Posteaquam enim *nummum* quendam *aureum Titi Vespasiani*, cum inscriptione *Judæa Capta* æri incidendum curaverat, qui admissos doctorum hominum errores vel solo adspectu emendet, subdit: *miles Romanus, sive is est* Tiberius Alexander totius militiæ præfectus, *sive* alius magister legionum, *qui cum Tito ad* Jerosolymam *militavit, togatus stat ad palmam, victoris specie & depositis armis*, scuto, galea, gubernaculo, *quod ad pugnam maritimum Titi cum Judæis juxta lacum Genesaret spectat, & ceteris tanquam bello confecto*. Judæa autem provincia sedet lugens quasi exprimens illud Esaiæ XLVII. 1. Sinistro brachio caput fulcit demissum ut solent lugentes, & lacrymantis speciem præbet. *Dextra manu genu sinistrum prehendit & clypeos Judaicos duos pedibus interjectos habet: id quod observari a quoquam non memini*. Clypeos *quidem* Hebræorum *descripsit Ortlobius & unum numus Seleuciensium pulcre repræsentat, sed quem Patinus* pag. 149. *laudavit*, numum Titi aureum *in gaza Vindobonensi conspicuum* cum trophæo & armis Judæorum circumjectis, *hac inscriptione: de Judæis, videre etiam atque etiam velim* ... J. C. *Wagenseilius inter nummos in Commentario in librum Sotha non modo* pavonem *Hoornbeeki in nummo repræsentavir, verum etiam in illo suo numo* (*qui Judæam captam cum consulatu Vespasiani II. præfert*) *infeliciter* Judæum barbatum pro milite Romano *reposuit, & in altero* clypeum *unum tam longum fecit, ut latus numi utrumque pene contingeret, ne quid de* vexillo quasi fluenti *addam: nisi pictor potius erravit*. Hactenus *Kochius*, ceterum miror *Wagenseilium* silentio præterire nummos Vespasiani & Titi ad contumeliam Judæorum referendos, quia in illis *scrofa cum succulis* apparet. Vide *Begerum* Tomo I. Thesauri Brandenburgici pag. 147. & verba inde paulo ante a nobis relata.

(14) Aliter judicasset *Wagenseilius* si idem contigis-

tigiſſet videre *nummos Hadriani Imperatoris*. Præcipue hic commemorandus erat ejuſdem Imperatoris nummus cujus epigraphe eſt *Adventui Aug. Judææ*. Adducunt illum nummum *Vaillantius* Tomo I. *pag.* 89. *Harduinus pag.* 760. Operum. Typus exhibetur ab *Erizzo p.* 253. *Rubenio* in Croy. tab. 38. *n.* 20. *Oudano tab.* 20. *n.* 2. In eo cernitur figura muliebris Judæam repræſentans, læva tenens palmam Judææ ſymbolum: Imperator adſtat. Inter utrumque eſt ara, in qua mulier adolere thus cernitur, illam cingunt pueruli duo, quorum unus pariter palmam geſtat. Operæ hic pretium fuerit audire *Jac. Baſnagium* dans l' Hiſtoire des Juifs *lib.* VII. *cap.* 12. §. 35. *p.* 373. l' Empereur vouloit marquer par l' Autel & le Sacrifice, que l' ancienne Religion etoit abolie dans cette Province, ou il avoit tranſporte de nouveaux Habitans. Sed & *aræ in nummo adſtat ſus*, quem a viris doctis non obſervatum miratur *Theodorus Haſæus P.* II. diſſertat. de Monimento Paneadenſi *p.* 16. *haud dubie*, inquiens, *id factum eſt ut ægre fieret Judæis, ſicut & deinde portæ Hieroſolymorum, quam de ſuo nomine Æliam appellavit*, porcum ex marmore inſculpi *in gentis illius opprobrium voluit Hadrianus*. Quicquid erit, exſtat ejuſdem Hadriani nummus qui repræſentat porcum cum porce lis ubera ſugentibus. Vide de hoc nummo *Baronium* Tomo II. Annalium ad A C. 137. *n.* 3 & *H. Witſium* Tomo II. Miſcellaneor. Sacror. exercit. XII. §. II. *pag.* 351.

(15) Cavendum tamen maximopore ne *vaticinia de excidio Hieroſolymorum* intelligamus, quæ eo referenda non erant. Ita *Chriſtoph. Aug. Heumannus* in Pœcile Tomi II. *lib.* III. *pag.* 32. vaticinium Ezechielis XXXVIII. de *excidio Hieroſolymorum* interpretatur perſuaſus *Romanos* per *Gogum* & *Magogum* innui: at vero hæc ſententia nullo fere interpretum conſenſu nititur. Confer *Auguſt. Calmetum* in ſingulari diſſertatione de Gog & Magog. *Iſaacum Jaquelotum* dans les Diſſertations ſuſ l' Exiſtence de Dieu diſſert. I. *cap.* 18. *pag.* 216. & dans les diſſertations ſur le Meſſie, ou l' on prouve aux Juifs, que Jeſus-Chriſt eſt le Meſſie promis & predit dans l' Ancien Teſtament, diſſertat. I. *cap.* II. *pag.* 138. *Paulum Pezronum* in libro cui titulus: Eſſay d' un Commentaire literal & Hiſtorique ſur les Prophetes (unde excerpſit nonnulla Journal des Scavans Tomo XXI. A. 1693. *pag.* 346) *Hermannum Hardtium* in Opuſculo ſingulari de hoc argumento, *Sam. Bochartum* in Geographia Sacra, Jo. *Seldenum* de Synedriis Ebræorum lib. II. *cap.* 3. teſte *J. C. Wolfio* Bibliothecæ Hebrææ P. II. *pag.* 160. itemque Tomum noſtrum II. der Erorterung der dunckelſten Schriftſtellen des A. T. *pag.* 493. *Bochartus* in Phaleg. III. 2. Numer. XXIV. 4. per *naves* מיך כתים e *parte Chitthim* Ebræos afflicturas intelligit naves Romanorum, at vero tantum virum falli pluribus probat Jo. *Clericus* in notis ad Geneſ. x. 4. ſiquidem Chitthim non *Italiam*, uti conjicit *Bochartus*, ſed *Macedoniam* denotat vel *Cilicam* ut mavult *Dionyſius Petavius* in Animadverſionibus in *Epiphanium pag.* 60. *Clerici* ſententiam quoque tuetur Jo. *Gothofr. Lakemacherus* Obſervationum Philologicarum P. x. obſervat. III. *pag.* 202. Vide tamen quæ pro ſententia *Bocharti* ſtabilienda affert *Vitringa* Tomo I. Commentarii in Eſaiam *p.* 647. & quæ de *Judæorum conſenſu* obſervant *Guil. Vorſtius* in Obſervationibus ad *Ganſii* צמח דוד pag. 246. *Theodor. Hackſpanius* in Cabbaiæ Judaicæ brevi expoſitione §. 130. *Matthias Frider. Beckius* in notis ad Paraphraſin Chaldaicam libri I. Chronicorum. Ceterum a Tito & Adriano patratum novimus, quicquid de gente ingrata tamdiu præſagierat Moſes Deuter. XXVIII. 48. XXIX. 24. XXXI. 16.—43. Vide *Eduardum Bernardum* in notis ad Joſephi Antiquitat. *lib.* IV. *cap.* 8. §. 46. & *Salomonem* van *Til* in Phoſphoro Prophetico. Quid? ipſi Judæi verba ſingularia Deuteron. XXVIII. 48. 49. 50. in excidio Hieroſolymitano Titi auſpiciis implementum ſuum habuiſſe fatentur. Vide ex *R. Moſche Bar Nachman* & *Abarbenele* præclara admodum teſtimonia apud Jo. *Andr. Eiſenmneger* iu dem entdeckten Judenthum P. II. *cap.* 18. *p.* 1024. Sunt qui exiſtimant Pſalmo LI. contineri *vaticinium de Judæis* poſt ultimum illud exſcidium viventibus. *Petrus Allixius* in ſuis brevibus & claris Pſalmorum expoſitionibus Anglico ſermone editis, Pſalmum totum propheticum eſſe, nec ad Davidis tempora ſpectare, contendit. *Joſephus Halletus* in libro, cui titulus: Collection of Notes on ſome Text of Scripture idem de ſenſu Pſalmi judicat, additquæ *Jac. Pierce* virum etiam ſcriptis editis celebrem rejeciſſe Rabbinicam Pſalmi inſcriptionem, qua Pſalmus ille ad Davidis cum Bathſeba congreſſum refertur. Quid? quod Anonymus quidam in ſua conſideratione in Pſalmum LI., (quam legendam ſiſtit Journal Literaire Tomo XVIII. *pag.* 315. ſequ.) non ſolum affirmat falſam eſſe Pſalmi inſcriptionem, ſed & in textu Ebræo pro לך לבדך *titi ſoli*, unicæ literæ exigua differentia, legit לך לברך *tibi*, *filio tuo peccavi*, perſuaſus verba Judæorum eſſe culpam rejecti Meſſiæ deprecantium. Valeant dicti Pſalmi interpretes: verba Zachariæ XIV. 4. 5. de exſcidio Hieroſolymorum, & triſtiſſimis inde Judæorum fatis interpretatur *Jo. Lightfootus* in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 45. Tomo II. Operum, itemque *Salomo Deylingius* P. III. Obſervationum Sacrarum, obſervat. 22. *pag.* 158. Apud *Eſaiam* quoque exſtant ſatis clara vaticinia de hoc excidio *cap.* V. 26. 27. VI. 10. ſequ. VIII. 21. 22. ſequ. Quæ cum ſecum expenderet *Vitringa* Tomo I. Commentarii in Eſaiam *pag.* 136. hæc addit verba: quæ nemo legat Dei reverens abſque horrore: & tamen prophetia nihil hic gravius & majus habet implementum, ſi iſtud quæramus *in ſtatu Judæorum poſt excifam Rempublicam a Tito & novas illorum ſpes everſas ab Hadriano*. Vagabundi inter populos, extremis preſſi malis, a Deo & hominibus deſtituti, & rodentis atque accuſantis conſcientiæ præjudicio damnati, atque adeo omni ſolatio vacui, huc uſque triſtiſſimum mundo præbuerunt ſpectaculum, & diviniæ iræ documentum. Lege mihi Pſalmum LXIX. 23.—26. & CIX. 5.—20. & contremiſce.

(16) Dans l' Hiſtoire des Empereurs & des autres Princes qui ont regne durant les ſix premiers Siecles de l' Egliſe, Tomo II. inde Jo. *Clericus* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique Tomo XXV. pag. 101. ſequ. multa excerpſit, quæ hic utramquæ paginam faciunt.

(17) In Obſerbationibus in Matthæum pag. 660.

(18) Cnm *Tillemontius* dans l' Hiſtoire des Empereurs & des autres Princes, qni ont regne durant les ſix premiers Siecles de l' Egliſe Tomo I. viam inter Patres & *Scaligerum* mediam ingredi vellet, Jo. *Clericus* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique Tomo XXIV. pag. 80. *Tillemontii* mentem his verbis indicat. Il croit que l' autorite de *Joſeph* nous empeche de croire, qu' il y ait eu aucune partie de la Ville, qui ſoit demeuree entiere; mais qu' il n' en demeura pas meme quelques maiſons: on qu' on n' y en rebatit pas bientot quelques unes, particulierement dans l' endroit qu' on laiſſoit pour la Garniſon, ou aux environs. Une Legion devoit y attirer beaucoup de monde, & *Joſeph* meme nous aprend, qu' il y reſta du moins des femmes & des vieillards. Atque hanc *Tillemontii* obſervationem in primis laudat *Campegius Vitringa* in Hypotypoſi Hiſtoriæ & Chronologiæ Sacræ p. 206. neque ab eadem ſententia recedit longius *Diony. Petavius* in Animadverſ. in *Epiphanium* p. 394.

(19) Vix crediderim Joſephum, qui adeo exacte omnia delineavit, quæ ad Hieroſolymam a Tito deletam pertinent, prætermiſſurum fuiſſe *aratri inducti memoriam*, ſi tum quidem id factum fuiſſet, ut non ſolum urbs eſſe deſineret, ſed & in poſterum nemini liceret illi ſolo aliquid immoliri, ædificare, ſuperſtruere. *Joannes* quidem *Lightfootus* in Horis Ebraicis ad Matth. XXIV. 2. & in Diſquiſitione Chorographica Joanni præmiſſa cap. IV. §. I. itemque Jo. *Coccejus* in notis ad Excerpta Gem Sanhedrin pag. 276. verba *Joſephi* de inducto aratro intelligunt, at vox κατασκάπτειν illam aratri inducti cerimoniam notare non poteſt, uti recte monet *Godofredus Olearius* in Obſervationibus in Matthæum pag. 662. fruſtra in partes *Cocceji* diſcedente *Salomone Deylingio* P. III. Obſervationum Sacrarum pag. 159. Neque vero ſolum *Henricus Valeſius* graviter errat, quando in annotationibus ad *Euſebium* pag. 61. ſcribit: *conſtat ex* Joſepho *Hieroſolyma prorſus everſa fuiſſe a Tito, ita, ut* aratrum *etiam ejus ſolo fuerit impreſſum*: Sed & Jo. *Le Sueur* fallitur, qaando dans l' Hiſtoire de l' Egliſe & de l' Empire

P. I. ad A. C. 136. *pag.* 434. tradit ſub *Tito* per *Muſonium Thytronum* Hieroſolymis aratrum inductum fuiſſe. Ecquis enim ille Muſonius Thytronus? Forte eſt memoriæ lapſus, & quod fecit *Scaliger*, Muſonium Tyrrhenum nominare voluit: at vero quemadmodum *Scaliger* nullo Scriptorum conſenſu innixus *Muſonium Tyrrhenum* hujus operis adminiſtrum nominat ab *Oleario* I. c. *pag.* 661. merito ad examen vocatus, ita & *Leſueur* fictitium ſuum *Muſonium Thytronum* perperam nobis obtrudit.

(20) Id quod *Joſephus* alio loco de toto tractu Hieroſolymitano teſtatur loco inſigni *lib.* VII. de Bello Judaico cap. I. ubi calamitatem & fatum populi ſui fuſe deplorat. Et vero hæc teſtimonia *Joſephi* cum cura collegit *Camp. Vitringa*, ut inde vaticiniis Eſaiæ de excidio Hieroſolymorum & templi inſignem affundat lucem. Vide quæſo *Vitringam* ad Eſaiæ *cap.* V. 6. *cap.* XXVIII. 17. Nimirum in poſtremo Eſaiæ loco *Romani* comparantur *cum grandine* a Deo immiſſa, quæ dicitur *everrere receptum mendacii*. Eſt hæc notatio vocis יעה quæ pateſcit tam ex hoc loco quam ex derivata voce יעים *pala, ſcopæ*. Terra autem Cananæa, & inprimis ditio Hieroſolymitana, hoc tempore ita eſt everſa, exterſa & expugnata ſcopis, ſive ut *Joſephus* exſerte ſcribit *diruta & complanata, ut qui ad ipſam accederent, habitatam aliquando fuiſſe vix crederent*.

(21) Vide quæ hanc in rem erudite obſervant *Samuel Petitus* in Variis Lectionibus cap. 24. & *Phil. Jac. Hartmannus* in Commentario de rebus geſtis Chriſtianorum ſub Apoſtolis *cap.* XX. p. 484. *Tanta* enim *vis auri Hieroſolyma mittebatur* a popularibus, qui variis locis ſparſi ſedes incolebant disjunctiſſimas, *ut ad ſummum culmen evecta fuerit Hieroſolymorum opulentia*. Sane quidem & ii, quos *Meſopotamia & Babylonia* acceperat, urbes duas natura pariter atque opere munitiſſimas, *Neerdam & Niſibin*, habuere, in quibus tanquam *in ærario quodam ſibi omnes theſauri erant*, quos *in Palæſtinam* identidem, cum tempus eſſet, infinita hominum multitudo devehebat. Vide *Petrum Cunæum* de Republica Hebræorum *lib.* II. *cap.* 23. & *Jo. Lightfootum* in Deſcriptione Templi Hieroſolymitani *cap.* V. *ſect.* 3. *pag.* 561. Tomo I. Operum, ubi verba I. Paral. XXVI. 20. recte illuſtrantur.

(22) Confer de hac *capitatione ſacra Judæorum Maimonidem* in ſigulari tractatu שקלים, *Wilhelmum Schickardum* id diſſert. de nummis Ebræorum Theor. 14. & 27. *Carol. Sigonium* de Republica Ebræorum libro IV. c. 16. *Jo. Seldenum* de Jure Naturæ & Gentium lib. IV. *cap.* 5. *pag.* 509. & libro III. de Synedriis veterum Ebræorum c. 10. §. 1. 2. *Chriſtoph. Cartwrightum* in Electis Targumico-Rabbinicis in Exod. p. 338. *J. B. Villalpandum* Tomo II. explnationum in Ezech. P. II. *lib.* V. *diſp.* 3. *cap.* 56. item in Apparatu Urbis & Templi P. II. ſeu de Ponderibus & Menſuris *lib.* II. *diſp.* 4. *cap.* 31. *Jac. Saurinum* T. II. Diſcours Hiſtoriques, Critiques, Theologiques & Moraux ſur les Evenemens les plus memorables du Vieux & du Nouveau Teſtament *p.* 273. *ſequ. Jo. Gothofr. Lakemacherum* P. V. Obſervationum Philologicarum Obſervat. 6. §. 5. *pag.* 269. *Ludov. Cappellum* in Spicilegio ad Matthæi XVII. 24. & in Obſervationibus ad *Villalpandi* explanationum *lib.* V. de gloria templi *pag.* 3039. Tomo VII. Criticorum Anglorum, *Caſp. Waſerum* de Antiquis Numis Ebræorum *lib.* II. *cap.* 6. *Jo. Lightfootum* in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 34. Tomo II. Operum, in Deſcriptione Templi Hieroſolymitani *cap.* XIX. *pag.* 597. Tomo I. Operum, in horis Ebraicis ad Matthæi XVII. 24. XXI. 12. & in Decade Chorographica Marco præmiſſa *cap.* 3. *Jo. Henr. Hottingerum* in notis ad *Goodwinum p.* 967. Jo. *Henr. Othonem* tum in notis ad Maſſechet Schekalim, tum in lexico Rabbinico Philologico *pag.* 601. *Sam. Petitum* in Variis lectionib. *cap.* 18. *Jo. Wulferum* in amplo & erudito Commentario in eundem tractatum Hebraicum Schekalim, *Jo. Eſgers* in Hilchot Schekalim *Maimonidis*, quos duos poſtremos ſcriptores reliquis, quos adduxi, omiſſis, mihi indicavit *Jo. Chriſtoph. Wolfius* Bibliothecæ Ebrææ P. II. *pag.* 714. & P. III. *pag.* 775.

(23) In Oratione pro Flacco ita loquitur: *cum aurum Judæorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus veſtris provinciis* Hieroſolymam *exportari ſoleret, Flaccus ſanxit edicto ne ex Aſia exportari liceret*. Jam vero diſpiciendum, qui ſenſus ſit verborum *Ciceronis*. *Grotius* ad Matthæi XVII. 24. *Seldenus* paulo poſt nominandus, & *Sami Petitus* Variarum Lectionum *cap.* 24. exiſtimant a *Cicerone didrachmum ſacrum Judæorum* innui. Audiamus *Claudium Fleury* in libro, cui titulus: les Moeurs des Iſraelites *cap.* 32. *pag.* 167. *les* Juifs *aſſiſtoient les pauvres de toutes les Provinces, mais* principalement de Judee. *Comme ceux qui eſtoient eloignez ne pouvoient payer en eſpece* les decimes *& les* premices, *ny venir au Temple faire leurs offrandes a toutes les feſtes; ils convertiſſoient en argent tout ce qu' ils devoient a Dieu, & toutes* ces contributions raſſemblees *faiſoient un tribut conſiderable, que chaque Province envoyoit tous les ans* a Jeruſalem, *pour les frais des ſacrifices, l' entretien des Preſtres & des pauvres. C' eſt cet* or Judaique *dont parle* Ciceron pro Flacco. Et *Ludov. Cappellus* in Obſervationibus ad *Villalpandi* explanationum *lib.* V. *pag.* 3045. Tomo VII. Criticorum Anglorum hæc habet: *poteſt Ciceronis locus accipi de* auro votivo *vel de* argenteo dimidio ſiclo, *qui* capitationis *a* volentibus, *&* מתנרבים ultro *dependebatur: quod argentum, ut commodius deferretur, in* aurum *commutabatur* Hieroſolymam *deportandum*. Neque vana eſt illa *Cappelli* conjectura: ſicli enim in provincia collecti per legatos in Sanctuarium mittebantur. Et ut facilius deferri poſſent, mutabantur in Denarios aureos. Miſchna illam ſpeciem monetæ aureæ vocat דרכונות *Darkonoth*. Vide J. H. *Otthonem* in lexico Rabbico Philologico *pag.* 602. & *Matth. Frid. Beckium* in notis ad Paraphraſin Chaldaicam libri I. Chronicorum *pag.* 290. & J. C. *Harenbergium* in Obſervatione Critica in voces אדרכון , דרכמון , דרכון §. 3. *pag.* 626. Bibl. Bremenſis claſſis VIII. faſcic. 4. Ad *Ciceronem* revertimur, quia *Nicolaus Abramus* in notis in Orat. *Ciceronis* in Vatinium exiſtimat, ibidem *de auro Judæorum exportato* fieri mentionem, ſed graviter errat: *neque enim*, inquit *Grævius* ad dictam *Ciceronis* Orationem, *reſpici hic puto* peculiariter aurum Hieroſolymitanum, *ſed quodvis aurum & argentum, ſive negotiandi, ſive alterius rei cauſa*.

(24) Quando *Tacitus* ait *tributa & ſtipes Hieroſolyma congeri ſolita*, *Grotius* paulo ante citato loco exiſtimat didrachmum ſacrum Judæorum intelligi: quod & videtur *Seldeno* paulo poſt a nobis laudando, itemque *Phil. Jac. Hartmanno* in Commentario de rebus geſtis Chriſtianarum ſub Apoſtolis *cap.* 20. *pag.* 484.

(25) Libro VI. de Bello Judaico *cap.* 34. de ampliſſima Romanorum in Judæos indulgentia: τὸ δὲ μέγιστον, inquit, δασμολογεῖν τῷ ὑμῖν ἐπὶ τῷ Θεῷ καὶ ἀναθήματα συλλέγειν ἐπετρέψαμεν· καὶ τοὺς ταῦτα φέροντας οὔτε ἐνουθετήσαμεν οὔτε ἐκωλύσαμεν, ἵν' ἡμῖν γένησθε πλουσιώτεροι καὶ παρασκευάσησθε τοῖς ἡμετέροις χρήμασι καθ' ἡμῶν, *quodque maximum eſt, tributum capere Dei nomine, ac donaria colligere vobis permiſimus: eaque offerentes neque monuimus, neque prohibuimus, ut nobis efficeremini ditiores, noſtraque pecunia vos contra nos inſtrueretis*. Quæ verba Titi de didrachmo ſacro Judæorum intelligenda cenſet Jo. *Seldenus* libro III. de Synedriis Veterum Ebræorum *cap.* X. §. 1. *p.* 126. Iiſdem Titi verbis fidem facit *Philo* in *L.* de legatione ad Cajum, unde excerpta videas apud *Phil. Jac. Hartmannum* loco modo citato, ut nunc taceam Decreta Romana & Aſiatica pro Judæis ad cultum divinum per Aſiæ minoris urbes ſecure obeundum ab *Joſepho* collecta in libro XIV. Archæologiæ, ſed male interverſa & expuncta, in publicam lucem utilitatemque a *Jacobo Gronovio* reſtituta. Confer *Vitringam* de Synagoga Vetere *lib.* I. P. I. *cap.* 4. *pag.* 131.

CAPUT V.

Historia Fisci Judaici, ejusque calumnia sub Domitiano.

I. AD *Domitianum* transeamus necesse est *Judææ* itidem *domitorem* & *victorem*. Quamvis enim *Judæam* a *Vespasiano Titoque captam* complures referant *nummi* cum pluribus typis atque inscriptionibus a Græcis pariter & Romanis in horum honorem cusis: insignis tamen & rarus est itidem *Domitiani nummus*, quem adhuc ineditum in publicam lucem dedit *Sigebertus Havercampius* in Tabulis duabus Numismaticis pro illustrandis variis *Josephi* locis. Nempe cernitur in illo numo caput Domitiani laureatum cum literis ΔΟ .... ΚΑΙΣΑΡ. ab altera parte Victoria, pedem globo imprimens, clypeo, palmæ arbori appenso, inscribit: in circuitu *Judæa capta* hisce ipsis Græcis literis designatur: ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΟΣΙΑΣ. Et profecto sub illius Domitiani puta imperio cum Judæis multo iniquius actum est: Neque id mirum videri debet; bonis enim per luxum cito absumtis, nova vectigalia, novos census, novas exactiones commentus, nihil eorum intermisit, quæ ad corradendam pecuniam faciebant. Quod Caracalla unus ex deterrimis illis Principibus dicere crebro erat solitus teste συγχρόνῳ eidem auctore *Dione* lib. 77. pag. 875. *pecuniam mihi soli esse oportere, præterea nulli mortalium*, id ipsum Domitianus quoque cogitavit, & quovis modo effectum reddere voluit. *Vincentius Contarenus* in Commentario de Militari Romanorum Stipendio *pag.* 1522. *Tom.* x. Thesauri *Grævii*, existimat *Domitianum*, stipendio exhaustum, quod militibus adjecerat, eo devenisse, ut *Fiscum acerbissime ageret*. Quicquid ejus rei erit: Fidem inprimis faciet in Domitiano *Svetonius* cap. XII. *præter ceteros Judaicus fiscus acerbissime actus est: ad quem deferebantur, qui vel improfessi Judaicam intra urbem viverent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, cum a procuratore frequentissimoque concilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset*. Et *tristem* quidem *fisci acerbissime acti imaginem* ante oculos nobis ponit *Lactantius* in libro de Mortibus Persecutorum §. 23. hisce verbis usus: *illud publicæ calamitatis & communis luctus omnium fuit*, census in provincias & civitates semel missus, censitoribus ubique diffusis & omnia exagitantibus: *hostilis tumultus & captivitatis horrendæ species erant*. Agri glebatim metiebantur, vites & arbores numerabantur, animalia omnis generis scribebantur, hominum capita notabantur: *in civitatibus urbanæ ac rusticæ plebes adunatæ*, fora omnia gregibus familiarum referta, *unusquisque cum servis aderant, tormenta ac verbera personabant, filii adversus parentes suspendebantur, fidelissimi quique servi contra dominos vexabantur, uxores adversus maritos. Si omnia defecerant, ipsi contra se torquebantur: & cum dolor vicerat*, adscribebantur, quæ non habebantur. *Nulla ætatis, valetudinis excusatio. Ægri & debiles deferebantur*, æstimabantur ætates singulorum; parvulis adjiciebantur anni, senibus detrahebantur .... *Post hoc* pecuniæ pro capitibus pendebantur, *& merces pro vita dabatur. Non tamen iisdem censitoribus fides habebatur: sed alii super alios mittebantur, tanquam plura inventuri: & duplicabantur semper, illis non invenientibus, sed, ut libuit, addentibus: ne frustra missi viderentur. Interea minuebantur animalia & mortales obibant: & nihilominus* solvebantur tributa pro mortuis, *ut nec vivere jam, nec mori saltim gratis liceret*. Ita quidem *Lactantius* fiscum sub Maximiano acerbissime actum describit: nullus dubito quin sub Domitiano consimili modo actus sit, etiamsi πεϱιςάσεις quædam & circumstantiæ fuerint diversæ. Certe cum præcipue ætates singulorum æstimarentur, parvulis adjiciebantur anni, senibus detrahebantur, quod nos senis nonagenarii exemplum docet sub Domitiano. Senex ille post annum sexagesimum quintum tributo capitis non obligabatur, sed cum fiscus acerbissime agendus esset, nonagenarius capitis adhuc tributum pendere debuit. Taceo alias *fiscales calumnias*, sub Domitiano. Interim subjungimus verba *Caroli Sigonii lib.* I. de Antiquo Jure Civium Romanorum *cap.* 14. *pag.* 110. *Tom.* I. Thesauri *Grævii: census fortunarum eam habuit vim, ut singuli patres familias singula prædia & urbana & rustica in censu deferrent, pecuniæ summam, servorum, pecudumque numerum, fundorum instrumenta sigillatim profiterentur*.

II. Ante omnia autem de vera & genuina lectione apud *Svetonium* disquirendum erit. *Baronius* Tom. I. Annalium ad A. C. 94. num. 2. *Job. Seldenus* in Prolegamenis libro de Successionibus ad leges Hebræorum in Bona Defunctorum præmissis, & *Phil.* Jac. *Hartmannus* in Commentario de Rebus gestis Christianorum itemque *Jul. Cæsar Bulengerus* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* 73. *pagin.* 899. *Tomo* VIII. The-

Thesauri *Grævii*, sub Apostolis *cap.* XX. *pag.* 511. legunt *velut professi*, alii cum *Samuele Petito* in Variis Lectionibus *cap.* 18. malunt legere *vel*, *ut professi*, neutra illarum lectionum J. F. *Gronovio*, J. G. *Grævio*, *Samueli Pitisco* & *Christoph. Cellario* arridet, qui legunt *vel improfessi*. *Jacobus Gutherius* de Officiis Domus Augustæ *lib.* III. *cap.* 31. *pag.* 601. *Tomo* III. Thesauri Novi *de Sallengre* legit verba *Svetonii* in hunc modum: *vel qui professi Judaicam intra Urbem venerunt vitam, vel qui dissimulata religione*: at vero malim cum illis facere, qui legunt *vel professi*. Nimirum *improfessi* sunt illi, qui Judæorum cultui & ceremoniis erant addicti, neque id dissimulabant interrogati, sed tamen non erant professi hanc suam sectam apud fiscum (1) De *Judæis proprie* agi non negamus, idque exemplum nonagenarii senis manifestat; (2) an vero etiam *Christiani* per improfessos aut originem dissimulantes intelligendi sint, disputatur ab interpretibus. *Lævinus Torrentius*: *fiscum Judaicum vocat, quacunque ratione non adversum Judæos tantum, sed etiam Christianos ageretur*. Contra *Casaubonus* ad hunc locum: *interpretes, qui ad persecutionem secundam Christianorum sub Domitiano hæc verba referunt, falluntur*. Solos Judæos etiam intelligunt *Joh. Lightfootus* in Parergo de excidio urbis Hierosolymiticæ, nec non de statu Judæorum post urbem excisam *sect.* 3. *pag.* 142. *Vol.* II. Operum, H. *Grotius* & *Aug. Calmetus* in notis ad *Matthæi cap.* XVII. 24. *Baronius Tom.* I. Annalium ad A. C. 94. *num.* 2. J. C. *Bulengerus* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* 73. *pag.* 899. *Tomo* VIII. Thesauri *Grævii*, *Jacobus Gutherius* de Officiis Domus Augustæ *lib.* III. *cap.* 31. *pagin.* 601. *Tom.* III. Thesauri Novi *de Sallengre*, *Samuel Petitus* in Variis Lectionibus *cap.* 18. *Jo. Seldenus* in Prolegomenis ad librum singularem de Successionibus ad Leges Hebræorum in Bona Defunctorum. *Daniel Clericus* dans l' Histoire de la Medecine *Part.* II. *lib.* IV. *sect.* 2. *cap.* 5. *pag.* 534. Nos cum *Philippo* Jac. *Hartmanno* (3) itemque *Cellario* (4) *media via* incedemus, ut fiscum illum Judæorum causa institutum censeamus, cujus origo a Titi victoria est, qui, quod antiqui scriptores referunt, Judæis imperavit, ut singuli quotannis δίδραχμον *didrachmum* Jovi Capitolino referrent: cui *alia tributa* sunt adjecta, (5) ut qui in urbe habitarent, id beneficium quoque redimerent. Quod cum negligerent *Christiani*, & ipsi *vulgo* Judæi *visi* (6) ab improfessis non videntur excludendi esse. J. F. *Gronovius* aliique ad *Proselytos* restringunt, sed horum pauci tum in urbe erant, (7) *Christianorum* autem numerus in dies crescebat, ita ut calumnia fisci Judaici ad Christianos æque aut magis, quam ad Judæos referri possit. Audiamus *Job. le Sueur* dans l' Histoire de l' Eglise & de l' Empire *Part.* I. ad A. C. 95. *pag.* 360. il persècuta aussi *les Juifs*, faisant exiger d' eux *fort rigoureusement un grand tribut pour demeurer dans la ville, & pour faire publique profession de leur religion*. Les *Chrestiens* furent enveloppez dans cette persecution, parcequ' on les vouloit faire tous passer indifferement pour des Juifs, qui dissimuloient leur origine, afin de s' exempter de payer le tribut, tellement que malgrè eux, il faloit, *qu' ils souffrissent d' estre visitès, pour voir s' ils estoient circoncis*.

III. Nolim jam contra *Henr. Dodwellum* (8) disputare aut disquirere, utrum *vexatio* illa, qua *Domitianus Christianos* ævi sui afflixit, mitis, an gravis fuerit? Quamvis enim *Isaacus Jaquelotus* dans les dissertations sur l' Existence de Dieu *dissert.* IV. *cap.* 5. *pag.* 617. existimet controversiam illam certa ratione (9) vix componi posse, alii tamen docti homines, circumspectis rationibus rem ipsam extra omnem dubitationis aleam ponunt: etenim *Dodwellum* merito ad examen vocant *Jac. Basnagius* dans l' Histoire des Juifs *lib.* VII. *cap.* XI. §. 10. *pag.* 306. *Christoph. Cellarius* in dissertatione de VII. Ecclesiis Asiæ in Apocalypsi memoratis §. 19. *seq. Thomas Ittigius* in Selectis Capitibus Historiæ Ecclesiasticæ *sæculi* I. *pag.* 331. *Theodoricus Ruinartus* in præfatione generali in Acta Martyrum *pag.* 33. Sic & nunc omitto dispicere, an in nummo quodam *Domitiani* memoria ejus vexationis adversus Christianos institutæ occurrat, (10) satius fuerit ex antiquis scriptoribus afferre, quæ *calumniam fisci Judaici*, quatenus *in Christianos* fuit gravissima, ob oculos ponent. *Josephus* Vetus scriptor Christianus in Hypomestico *lib.* V. *cap.* 139. *pag.* 297. *Tom.* II. Codicis Pseudepigraphi Veter. Testamenti, quem edendum curavit *Job. Alb. Fabricius*, persecutiones ab ethnicis adversus Christianos institutas recenset, & de Domitiano addit: Δομετιανὸς μέγαν κινεῖ καθ' ἡμῶν διωγμὸν, πονηρος ᾗ ὅτος γενόμενος *Domitianus magnam adversus nos persecutionem movit pessimus & ipse*. *Dio Cassius*, cujus epitomen *Xiphilino* debemus, in Domitiano conceptis verbis ait: *Domitianus Flavium Clementem Consulem eodem anno* κατέσφαξεν *capitali supplicio adfecit propter* ἔγκλημα ἀθεότητος *crimen contem-*

prio-

ptionis *Deorum*, *quæ Christianæ pietatis*, (11) in uno & vero Deo confisæ, non *atheismi*, ut vertit *Dodwellus*, descriptio est. Confer *Vitringam* in Hypotyposi Historiæ Sacræ & Chronologiæ *pag.* 287. 291. Quando vero *Suetonius* in Domitiano Clementem *contemtissimæ inertiæ* hominem vocat, eo ipso Christianum fuisse demonstrat. De quo injuriæ in Christianos titulo, quod inertes & inutiles & infructuosi dicerentur, *Tertullianus* in Apolog. cap. 42. *alio quoque*, inquit, *injuriarum titulo postulamur*, & *infructuosi in negotiis dicimur*. Confer *Baronium Tomo* I. Annalium ad A. C. 98. *num.* I. & *Christ. Kortholtum* in Pagano Obtrectatore *lib.* III. *cap.* 12. *pag.* 639. Unum adhuc est apud *Dionem*, quod inprimis calumniam fisci Judaici ad Christianos pertinuisse declarat: posteaquam enim ἔγκλημα ἀθεότητος nominaverat, non obscure *Christianos* tangens, addit: *cujus rei causa multi, qui in mores Judæorum transierant* ἐς τὰ τῶν Ἰουδαίων ἤθη ἐξοκέλλοντες damnati sunt, quorum pars occisa est, pars spoliata facultatibus. Recte *Baronius Tomo* I. Annalium ad A. C. 98. *num.* 4. *Theodorus Hasæus* in Diatriba de Ὀνολατρεία *cap.* IV. §. 20. *pag.* 88. *Joh. Le Sueur* dans l' Histoire de l' Eglise & de l' Empire *Part.* I. ad A. C. 96. *pagin.* 365. *Steph. Baluzius* in notis ad *Lactantium* de Mortibus Persecutorum *pag.* 358. *Tomo* II. Miscellaneorum, *Isaacus Jaquelotus* dans les Dissertations sur l' Existence de Dieu *Dissert.* IV. *cap.* 2. *pag.* 596. & *Christ. Noldius* in Historia Idumæa *pag.* 462. affirmant Christianos a *Dione* notari: quod si autem Domitianus multos Christianos bonis spoliavit, quis negabit, calumniam fisci ad Christianos æque aut magis quam ad Judæos referri posse? Addamus *Dioni* testem *Eusebium* Historiæ Ecclesiasticæ *lib.* III. *cap.* 17. *pag.* 88. *Domitianus, cum jam multa in multos crudelitatis suæ specimina edidisset, nec paucos nobilium atque illustrium virorum urbis Romæ injuste interemisset, alios præterea innumerabiles summæ dignitatis viros licet innocentes* exilio & bonorum proscriptione *multasset*, *ad extremum Neronianæ impietatis bellique & odii adversus Deum, successorem se ipsum professus est: quippe hic secundus persecutionem in nos concitavit, quamvis Pater ipsius Vespasianus nullam umquam injuriam nobis inferre tentasset*. Quemadmodum autem Flavius Vespasianus nihil mali fecit Christianis, ita credimus Titum eodem in Christianos fuisse animo. Exstat hæc de Tito inscriptio hic repetenda:

FELICITATI AUG.
ET PROVIDENTIÆ
DIVI TITI IMP. VESPASIANI
AUG. F.
SUBLATIS POP. ROM. HOST.
PERNICIOSISSIMIS
COELIUS SUCCENSIS
L. COCCEJUS FOELIX.

Quando autem *Tristanus* inde colligit, Titum quoque *Christianos* pro *perniciosissimis Populi Romani hostibus* habuisse, in eo fallitur, uti recte judicat *Jacobus Basnagius* (12) existimans solos Judæos innui, cum Christianis in illo excidio nullæ fuerint partes. Et profecto *Christianos* partem habuisse in hac calamitate, non liquet, quin probabile est, secundum *traditionem Ecclesiasticam*, quæ apud *Eusebium* & *Epiphanium* conservatur, illos obsecutos monitis Domini Jesu *Lucæ* XXI. 20. post primam Cestii Galli obsidionem saluti suæ consuluisse, *sedibus suis Pellam translatis*, urbem Trans Jardenensem in confiniis Decapolios & Perææ, in ditione Agrippæ. Vide *Baronium Tom.* I. Annalium ad A. C. 68. *num.* 48. *seq. Johannem Lightfootum* in Decade Chorographica Marco præmissa *cap.* VII. §. 4. *Adr. Relandum* in Palæstina *pag.* 914. *Joh. le Sueur* dans l' Histoire de l' Eglise & de l' Empire *Part.* I. ad A. C. 67. *pag.* 277. & ad A. C. 71. *pag.* 303. *Henr. Hammondum* in notis ad *Matth.* XXIV. 16. & *Apoc.* VII. 3. VIII. 7. *Salomonem* van *Til.* in Malachia illustrato *pag.* 398. *Campegium Vitringam* in Hypotyposi Historiæ & Chronologiæ Sacræ *pag.* 208. *Thomam Ittigium* in Selectis Capitibus Historiæ Ecclesiasticæ sæculi I. *cap.* VII. *sect.* 10. §. 3. *pag.* 491. *Augustinum Calmetum* in Dictionario Biblico in voce *Pella*, *Jac. Benignum Bossuetum* in libro, cui titulus: Discours sur l' Histoire Universelle pour expliquer la suite de la Religion & les changemens des Empires *pag.* 277. *sequ.* (13) J. G. *Bajerum* in singulari dissertatione de migratione Christianorum in oppidum Pellam, *Paulum Pezronum* dans l' Antiquitè des Tems dèfendue *c.* 5. *pag.* 305. 321. *Johannes* quidem *Lightfootus* in Harmonia IV. Evangelistarum *pag.* 333. *Tomo* II. Operum sententiam illam de *Christianis Pellam adeuntibus* recipit, at in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 116. *Tom.* I. Operum, eandem sententiam repudiat, his verbis usus: *vulgo fertur Christianos* Pellam urbem trans Jordanem sitam *migrasse: at viderint docti*, *qua ratione hæc cum* Josepho *couvenerint*, qui de bello lib. II. cap. 33.

cap. 33. *Pellam unam ex eis civitatibus narrat, quam Judæi ad ulciſcendam ſtragem viginti millium cæſorum ad Cæſaream funditus everterant.*

IV. *Cauſas vexationis* in *Chriſtiano* inſtitutæ exponit *Vitringa* in Hypotypoſi Hiſtoriæ & Chronologiæ Sacræ *pag.* 292. Una eſt, quod Principi conjurationes omnes ob peſſimam ſcelerum conſcientiam metuendi, *pavido ſemper*, ut *Svetonius* ait, *atque anxio, qui minimis etiam ſuſpicionibus præter modum commovebatur*, perſuaſum ſit, religionem Chriſtianam ſpectare coitionem & factionem in Republica, quæ imperium ad cognatos Chriſti, regia Davidis domo ortos, transferat; vel Chriſti regnum aliquod glorioſum cum illuſtri ejus adventu exſpectet. Conferatur *Heſegippus* apud *Euſebium* Hiſt. Eccleſ. lib. III. cap. 17. *de Chriſti conſanguineis ad Domitianum delatis.* (14) Altera vexationis cauſa fuit, quod ex conſanguineis Domitiani eſſent, qui ſe hujus religionis ſectæ aggregarent, qualis fuit *Flavius* ille *Clemens* Patruelis Domitiani, & Flavii illius ex ſorore neptis *Domitilla*. Auxit id firmavitque ſuſpicionem hominis meticuloſi: & quanto Chriſtianiſmo glorioſius fuit, tam illuſtres habere fidei confeſſores, tanto magis adverſarii odium adverſus illum concitavit. Acceſſit haud dubie, quod Chriſtiani titulum *Domini*, (15) quem ſoli Chriſto reſervabant, Imperatori ſuperbo negarint, nec Dei indere voluerint, quibus nominibus ille præ cæteris gaudebat. Quamvis enim *Statius* lib. I. Sylv. carm. 6. indicio *Ezech. Spanbemii* in Obſervationibus ad *Juliani Orat.* I. *pag.* 81. dicat Domitianum *Domini* titulum rejeciſſe: *Statii* tamen verba, judice *Joh. Seldeno* de Titulis Honorum *Part.* I. *cap.* 4. §. I. *pag.* 58. referre oportet vel ad adulationem meram, vel diſſimulationem, vel infantiam imperii ejus: nam expreſſo mandato ejus tituli Epiſtolarum & ſimilium erant apud *Svetonium* in Domitiano *cap.* XIII. *Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet*. *Martialis* de Domitiano: *edictum Dominis Deique noſtri*, at ſub Trajano illa evitat nomina his verbis uſus:

> *Fruſtra blanditiæ venitis ad me,*
> *Attritis miſerabiles labellis.*
> *Dicturus Dominum Deumque non ſum;*
> *Jam non eſt locus hac in urbe vobis.*
> *Non eſt hic Dominus, ſed Imperator.*

Ceterum conferas hic velim *Baronium Tomo* I. Annalium ad A. C. 89.

V. De *duratione calumniæ fiſci* multus erit forte diſſenſus, ſiquidem de *duratione perſecutionis* in Chriſtianos motæ viri docti non idem ſentiunt. *Baronius* ſex annos tribuit a *Jacobo Baſnagio* notatus, (16) alii vexationem intra biennium finitam putant, (17) alii arctius tempus, videlicet annum nominant. (18) Quicquid erit, *fiſcus Judaicus intra urbem* acerbiſſime actus eſt, cum ibidem Judæi (19) ſuas haberent *Synagogas*, quamvis eorundem *ſumma* eſſet *egeſtas*. (20) Porro autem Judæi ita per totum orbem diſperſi fuere, ut velut ex amputato trunco mira fertilitate pullulantes, paulatim ſe in terra ſua magno numero ſe colligerent, & indultu Domitiani, Nervæ, Trajani, civitates non plane deſtructas incolerent. Vide *Herm. Witſium Tomo* II. Miſcellaneorum Sacrorum *Exercit.* XII. §. 3. *pag.* 342. Quando autem *Joſephus Scaliger* (21) negat Judæos poſt excidium in ruderibus Hieroſolymorum vel remanſiſſe vel ſenſim pro virium modulo ſe recollegiſſe, quando *Joh. Harduinus* (22) affirmat, Domitiani indulgentia factum eſſe, ut *Græci* ſolum Hieroſolymitanum anno XXII. ab urbis excidio occupantes *novam* ibidem *coloniam*, quæ Καπιτωλιας dicta ſit, conderent: quilibet emunctæ naris facile videt, ab iſtis παραδιορθωτῶν allata eſſe, quæ incerta ſunt, ne dicam, falſa. Non dubitem poſt illam cladem quam plurimos, Chriſtianos inprimis, Hieroſolymam rediiſſe, cum ab iis quidem nihil periculi eſſet, neque alias ad tempora Hadriani uſque edictum promulgatum fuerit, quo ſedes illas adire cuipiam interdiceretur. Quid? quod juſſu Titi, conſidentis ad buſtum Hieroſolymorum exercitus mora neceſſario poſtulavit, hominibus, qui de commeatu, aliiſque neceſſariis, ei proſpicerent, ſedes ibi relinqui, quibus ſenſim ſenſimque alii aggregari potuerunt. Præter *Sebaſtianum le Nain de Tillemont* (23) id ipſum pluribus argumentis probavit *Jac. Baſnagius*. (24) Quæ autem *Harduinus* tradit de *Hieroſolyma, nova Græcorum colonia*, quæ *Capitolias Domitiani* dicta ſit, ea omnia falſa ſunt, uti videre licet apud *Adrianum Relandum* in Palæſtina *pag.* 693. *Henr. Noriſium* de Epochis Syro-Macedonum *pag.* 325. *Jac. Baſnagium* dans l'Hiſtoire des Juifs *libro* VII. *cap.* XII. §. 21. *ſequ. pag.* 357. *Godofredum Olearium* in Obſervationibus ad *Matthæum pag.* 658. & quem primo loco nominare debebam *Ezech. Spanbemium* Exercitatione II. de Orbe Romano *cap.* XV. *pag.* 280. *ſequ.* Atque hos Scriptores ideo commendamus, quia illa Capitolias Domitiani ab *Harduino* conficta decepit *Salomon. Deylingium Part.* III. Obſervationum Sacrarum *pag.* 160. incaute credulum.

NO-

N O T Æ.

(1) Ita *improfeſſum* dicunt *Quintilianus* declamat. 241. *res furtiva improfeſſa apud publicanos improfeſſum tranſtulerit, commiſſum ſit*. *Martianus* Digeſt. XXIX. 4. 16. §. 1. *ſi quis improfeſſus ſervus fuerit, & probabitur in commiſſum ceciſſe*. Confer J. C. *Bulengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani cap. 3. p. 837. Tomo VIII. Theſauri *Grævii*.

(2) Hinc *Martialis* libr. VII. Epigr. 14.

> *Sed, quæ de Solymis venit peruſtis*
> Damnatam *modo* mentulam tributis.

Confer *Baronium* Tomo I. Annalium ad A. C. 94. num. 2. Neque vero dubitamus, quin inter *Judæos* multi *præputium attraxerint*, ne tributum penderent. Audiamus hanc in rem *Danielem Clericum* dans l'Hiſtoire de la Medicine P. II. lib. IV. ſect. II. cap. 5. pag. 534. Poſteaquam enim ex *Celſo* de *attracto præputio*, & de *fiſco* Judaico ſub *Domitiano* acerbiſſime acto diſſerere inſtituerat, hæc addit: *quoique cette operation fut fort cruelle*, il ſe rencontroit pluſieurs Juifs aſſez patiens pour s'y ſoumettre, *dans la vae de* cacher leur naiſſance & leur religion, qui les expoſoit a payer des impots extraordinaires, *& qui les empechoit de parvenir aux charges de l'Empire Romain*. Hebræi appellant eum מושך *attractum*, qui fuit circumciſus, & poſt fit præputiatus. Iſtiuſmodi ἐπισπάσις præputii innuitur a Paulo 1. Corinth. VII. 18. Quid? quod *Joſephus* Antiquitatum XII. 6. hujus rei meminit. Refert enim Menelaum & Tobiam, cum a Judaica religione ad ſacra Paganorum defeciſſent, adduxiſſe ſibi præputia, ut nudi quoque non eſſent Græcis diſſimiles. Vide plura hanc in rem apud Jo. *Buxtorfium* in lexico magno ſub radice מושך & in ſingulari quadam de hoc argumento Epiſtola ad Jo. Caſp. Bauhinum (unde excerpta luculenta videas apud Th. *Bartolinum* de morbis Biblicis pag. 115.) *Chriſtoph. Cartwrightum* in Mellificio Hebraico lib. III. cap. 2. Jo. *Spencerum* de legibus ritualibus Hebræorum lib. I. cap. 4. ſect. 6. pag. 86. *Baronium* Tomo I. Annalium ad A. C. 57. num. 70. ſeq. Jo. *Bapt. ottium* in Annotationibus in Fl. *Joſephum* pag. 315. Operum Joſephi ab *Havercampio* editorum, *Dionyſium Petavium* in Animadverſionibus in *Epiphanium* pag. 401. *Gabrielem Grodeckium* in diſſertatione de Judæis præputium attrahentibus, G. VV. *Wedelium* Decade V. Exercitationum Medico-Philologicarum Exercitat. I. de Epiſpaſmo Judæorum, *Caſp. Hofmannum* Variarum Lectionum lib. IV. cap. 33. pag. 178. Jo. *Coch* ſive *Coccejum* in notis ad Excerpta Gemaræ Talmudicæ tractatus de Synedrio cap. VI. pag. 249. H. *Grotium* ad 1. Maccab. I. 16. *Jobum Ludolſum* in Hiſt. Æthiop. p. 270. J. H. *Hottingerum* in notis ad *Goodwinum* pag. 848. *Tanaquilium Fabrum* lib. II. Epiſt. 26. *Rich. Montacutium* P. I. Originum Eccleſ. pag. 79. *Petrum Cunæum* de Republica Hebræorum lib. III. cap. 5. alioſque ſcriptores, quos vel Jo. *Alb. Fabricius* in Bibliographia Antiquaria cap. 11. pag. 384. vel *Aug. Pfeifferus* in Antiquitatibus Hebraicis Selectis cap. 27. commendat. Confer Tomum noſtrum II. der Erorterung der dunckelſten Schriftſtellen des N. Teſtaments pag. 420.

(3) Audiamus, quæ in Commentario de rebus geſtis Chriſtianorum ſub Apoſtolis cap. XXI. p. 511. ad illuſtrationem verborum *Suetonii* attulit: *tributo* ſive *didrachmo* Jovis Capitolini duplici prætextu ſe *quidam ſubduxere*; alii hoc titulo, quod *intra urbem*, Romam ſcilicet degerent, adeoque *oneribus provincialium* non tenerentur; alii, quod *ſe Judæos negarent*. Priori excuſatione illis non opus erat, qui ſe Judæos negabant, quippe cum ab his, qui non Judaicæ eſſent profeſſionis, intra urbem degentibus nuſpiam tributum exactum legatur, neque de Ægyptiis, Syris, Græcis intra Romam aliquis cenſus unquam actus. Verum inter illos, qui *Judæorum originem diſſimularunt*, in quibuſdam videtur excuſatio locum habuiſſe: non unius enim generis fuerunt, qui diſſimulatæ originis ſunt accuſati: alii contra conſcientiam, ut qui revera & origine & religione eſſent Judæi, adeoque manifeſti falſarii, qui nullam merebantur veniam: alii qui *origine* quidem erant *Judæi*, ſed *religione puri puti Chriſtiani*, qui Judaicis cerimoniis nuncium miſerant, alii, qui *origine* quoque *Judæi*, ſed *religione* partim Judæi, partim Chriſtiani, quales *Ebionæi* & *Nazaræi* erant, quos *Hieronymus* propterea *Semi Judæos* & *Semi Chriſtianos* appellat. Alii denique, qui *nec origine nec religione Judæi* erant, Gentilibus autem tales apparebant, quod V. T. fidem haberent, quales fuerunt *fideles ex gentibus*. Poſtremos diſſimulatæ originis accuſare iniquum foret: hi igitur ab onere tributi merito erant eximendi. De fidelibus autem Catholicis ex circumciſione, aut etiam de fidelibus ſchiſmaticis cum circumciſione, *Ebionæis*, *Nazaræis* quæſtio fuerit, annon hi merito tributum iſtud pendere debuerint, &, ſi Judæos ſe negarint, annon diſſimulatæ originis jure accuſari potuerint? Utroſque rigore legis obſtrictos teneri puto, ex illo, quod tanquam ſignum certum Judaicæ originis & vitæ *circumciſio* in foro Romano obtinuit, uti ex hoc loco *Suetonii* & ex illis, quæ *Hieronymus* in Epiſt. ad Galat. VI. 12. annotavit, liquere autumo. Hæc itaque inquiſitio Romæ occaſionem perſecutioni dederit, cum Procuratores Domitiani ſecundum rigorem legis, & non ſecundum æquitatem ſua jura adminiſtrarent, exemplo a *Suetonio* prolato omnia iſta illuſtrante.

(4) In diſſertatione de VII. Eccleſiis Aſiæ in Apocalypſi memoratis §. 40.

(5) *Lucus Egeriæ* in via Appia fuit a Numa Camœnis ſacratus: hunc ſua ætate *Judæis elocatum* dolet *Juvenalis* Sat. III. 11. Videntur Judæi in illo tunc temporis habuiſſe *Synagogam* & pro illa *locarium* ſolviſſe. Hæc *Pitiſcus* in Lexico Antiquit. Rom. in voce Lucus. *Dionyſ. Lambinus* apud *Juvenalem* per *Judæos* mavult intelligere *Chriſtianos*, qui edicto *Domitiani* urbe pulſi, ſylvas illas inhabitare cogebantur, quæ ſacræ erant ſuperſtitioni gentilium. *Lambino* ſubſcribere videtur *Nortonus Knatchbullus* in Animadverſionibus in libros Novi Teſtamenti pag. 128. at *Bulengerus* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani cap. XI. pag. 851. *Judæos* innui putat, præſertim cum a Cenſoribus ſylvæ interdum locarentur, ut ex *arboribus vectigal* exigeretur. Præterea *Judæi onera agrorum* perferre coacti ſunt, excepto *Joſepho* qui in vita ſua §. 76. Domitiani in ſe clementiam laudans, addit: *quin & mihi, quod attinet ad agros in Judææ provincia*, ἀτέλειαν ἔδωκεν tributorum immunitatem dedit: *id quod ei qui acceperit honorificentiſſimum cenſetur*.

(6) Id jam dudum plures obſervarunt ſcriptores, quos videre licet Tomo 11. Opuſculorum noſtrorum ſacrorum *pag. 66.* Inter alios hic commemorandus erat *Bernardus Aldrete* in libro Hiſpanico, cui titulus: Varias Antiguedades de Eſpana, Africa, otras provincias *lib. 11. cap. 4.*

(7) Placent inprimis verba illa *Baronii* Tomo 1. Annalium ad A. C. 98. *num. 4.* quis ſibi perſuadeat, Romanorum nobiliſſimos, hoc potiſſimum tempore, quo Judæorum civitas & templum a Romanis ipſis eſſet exciſum, & ipſi penitus profligati, & infames ubique redditi, tam cupidos fuiſſe Judaicæ ſuperſtitionis, ut ejus aſſequendæ cauſa, bonorum omnium ac vitæ etiam diſpendium ſubire vellent? quibus vero contumeliis Romæ præſertim, proſcinderetur Judaica ſuperſtitio, *Martialis* & *Juvenalis* locupletes teſtes ſunt.

(8) Diſſertationis XI. Cyprianicæ ſect. 16. Domitiani perſecutionem quovis modo mitigare ſuſtinet.

(9) En ipſa *Jaqueloti* verba, quando de *Dodwello* Martyrum paucitatem defendente ſermonem inſtituit: *je ne m' arreterai pas a rechercher ſi la perſecution de Neron s' etendit hors de la Ville de Rome*; ſi celle qui ſe fit ſous Domitien commenca long tems avant ſa mort, ni ſi elle continua ſous Nerva, ou ſi elle ceſſa entierement. *Ce ſont des faits qu' on ne peut certainement prouver par des temoignages formels des Hiſtoriens: on ne ſcauroit gueres ſe determiner que par des conjectures*. Confer eundem *Jaquelotum* Traite de la Verite & de l' Inſpiration des libres du nieux & du nouveau Teſtament P. 11. cap. 15. pag. 443. ubi hæc legas: *Domitien ce petit*

tit Neron en excita une autre perſecution, qui n' eut pas de grandes ſuites durant ſa vie, mais continua apres ſa mort juſqu' a Trajan.

(10) Quod *Domitianus* ſtiam contra Chriſtianos *perſecutionem* in *argenteo nummo* expreſſerit, falſum eſſe notavit *Ulricus Obrechtus* in Epiſtola de nummo Domitiani Iſiaco, & ex eo *Antonius Pagius* in Critica Baroniana ad A. C. 95. Confer *Thomam Ittigium* in Selectis Capitibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſæculi I. *pag.* 333. *Caſp. Sagittarium* in introductione in Hiſtor. Eccleſ. *p.* 605. Jo. *Chriſtoph. Wagenſeilium* in diſſertatione de Re Monetali Veterum Romanorum *cap.* XVII. *p.* 76. & Jo. *Alb. Fabricium* in notulis ad *Anſelmi Bandurii* Bibliothecam Nummariam pag. 83.

(11) Confer hanc in rem plures ſcriptores apud Jo. *Chriſtoph. Wolfium* in diſſertatione de Atheiſmi falſo ſuſpectis ſect. 2. *pag.* 15. & *Jac. Fried. Reimmannum* in Hiſtoria Univerſali Atheiſmi & Atheorum falſo & merito ſuſpectorum *pag.* 313. itemque illos, quos commendavimus in Commentario noſtro in *Juliani* τῦ Παρβάτυ Epiſtolam ad Arſacium *pag.* 22.

(12) Dans l' Hiſtoire des Juifs *lib.* I. *cap.* 19. §. 20. hæc habet: Triſtan s' eſt imagne qu' on felicitoit Tite d' avoir maltraite les Chretiens, qu' on regardoit comme des Ennemis tres pernicieux de l' Empire, & qu' on confondoit alors avec les Juifs. Mais les Chretiens n' eurent aucune part a la Rinne de Jeruſalem, ni au Soulevement de la Judee. Ainſi les Juifs etoient les Ennemis tres pernicieux, que Tite avoit tuinea.

(13) *Boſſuetus* recte *duplicem Hieroſolymorum obſidionem* diſtinguit: una eſt Ceſtii Galli, quæ cum nulla de cauſa ſolveretur, omnes pii Chriſto monente Lucæ XXI. 20. fuga ſalutem quæſivere, altera Titi, quarto poſt illam priorem obſidionem anno, quæ ut Chriſtus prædixerat Lucæ XIX. 43. urbem vallo circumdedit, & circumſedit & preſſit undique: tum vero nulla ſpes elabendi reliquæ fuit, cum inter utramque obſidionem ſatis temporis eſſet fugam arripiendi, & alio commigrandi. Ceterum *Boſſueto* omnino addendus erat *Fried. Adolph. Lampius* in Diſſertatione de *τῷ Βδελύγματι τῆς ἐρημώσεως* ad Matthæi XXIV. 15. §. 40. *pag.* 1035. Biblioth. Bremenſis, Claſſis III. faſciculo III.

(14) Hac in re *Hegeſippi* fidem vacillare exiſtimat Joſephus *Scaliger* in Animadverſionibus ad Chronicon Euſebii. *Scaligero* haud obſcure ſubſcribit *Herm. Witſius* Tomo II. Miſcellan. Sacror exercit. XII. §. 5. pag. 345. at *Hegeſippi* fidem auctoritatemque tuentur *Henr. Valeſius* in notis ad *Euſebium*, *Petrus Halloixius* in notis ad vitam Egeſippi *pag.* 728. *Jac. Baſnagius* dans l' Hiſtoire des Juifs lib. I. cap. XIX. §. 27. pag. 597. ſequ.

(15) *Tertullianus* Apol. cap. 34. *dicam plane inperatoeum Dominum, ſed more commuui, ſed quando non cogar, ut Dominum Dei voce dicam.* Inde etiam eſt, quod *Folycarpus* apud *Euſebium* lib. IV. H. E. cap. 15. martyrium ſubire maluerit, quam dicere Κύριε Κᾶισαρ Vide quæ ex *Antonii Borremanſiii* Veſperis Gorinchemenſibus hanc in rem obſervat *Jo. Clericus* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique Tomo V. p. 362.

(16) En ejus verba dans l' Hiſtoire des Juifs lib. VII. cap. XI. §. 10. pag. 306. cette perſecution commenca l' An 95. de Jeſus Chriſt. Je ne ſuis point etonne que *Baronius* ſoit d' un autre Sentiment, & qu' il la faſſe durer ſix Ans. La ſeule Envie de mettre *le Pape Cletus au rang des Martyrs*, ſuffiſoit pour l' obliger a deranger l' *Hiſtoire des Empereurs*. Mais, il eſt etonnant qu' on s' inſcrive en faux contre le Temoignage de *Brutus*, Auteur ancien & Paien, qui l' a fait commencer l' An 15. de Domitien; & cela s' accorde parfaitement avec les recits de *Tertullien* & de *Lactance*, qui ſoutiennent qu' elle fut tres cuorte; car en effet, elle ne dura qu' un An.

(17) Ita judicat *Cellarius* in diſſertatione de ſeptem Eccleſiiis Aſiæ in Apocalypſi memoratis §. 18. *non diuturna*, inquit, *hæc vexatio fuit*, *ſed* intra biennium *forte finiit*, *Senatu reſcindente Domitiani poſt mortem acta*, & *Nerva exſules inſontes revocante*.

(18) Ita ſentiunt *Dodvvellus*, *Baſnagius* & *Vitringa* in Hypotypoſi Hiſtoriæ & Chronologiæ Sacræ pag. 290.

(19) *Juvenalis* teſtis Sat. III. v. 296. *ede, ubi conſiſtas, in qua te quæro Proſeucha?* Judæi ſtantes Deum precabantur: hinc עמירה *ſtatio*, unum ex ſeptem nominibus orationis. Confer *Jo. Druſium* in Præteritis ad Matthæi VI. 5. *Ludov. De Dieu* in Commentario in Marci XI. 25. *Herm. Witſium* Exercit. IV. in Orationem Dominicam §. II. *pag.* 47. *Jo. Saubertum* de precibus Ebræorum *cap.* 4. Quæ cum ita ſint, *Jac. Triglandius* in Diatriba de Secta Karæorum cap. X. *pag.* 171. vocem *conſiſtere* apud *Juvenalem* de *procibus* ſive *ſtationibus Judæorum* intelligit. Porro autem *Proſeucha* hic, ut fere nunc doctiſſimi viri conſentiunt, eſt *Judæorum oratorium*. Vide imprimir *Adrianum Turnebum* Adverſar. lib. I. cap. 19. & ſcriptores de *Proſeuchis Judæorum*, quos adduxi T. II. Opuſculorum Sacrorum *pag.* 153. Idem *Juvenalis* eadem Satyra v. II. 12. commemorat *Synagogam* conditam *extra portam urbis Romæ*, quæ *Capena* vocatur; apud quam copioſæ fuere aquæ, unde *porta madida* & a *Feſto* fontinalis dicta eſt. Locus vero hic Synagogæ exſtruendæ commodiſſimus viſus, quia Judæi obſtricti etant ad manus ſuas ante preces abluendas. Ita hunc locum *Juvenalis* interpretatur *Campegius Vitringa* de Synagoga Vetere lib. I. P. II. cap. II. pag. 216. ſequ. Idem Satyricus ibidem commemorans, lucum olim facsum Camœnis nunc locatum eſſe Judæis, addit:

> *Omnis enim populo* mercedem pendere juſſa eſt
> Arbor, & *ejecti mendicat ſylva Camœnis*.

Quæ verba *Juvenalis Baronius* Tomo I. Annalium ad A. C. 94. num. 2. ad tempora Domitiani, cum Judaicus fiſcus acerbiſſime ageretur, refert, & hæc verba addit: *dicta perſecutione tributi Judæos fuiſſe Romæ vexatos, ut pro ſingulis arboribus ruris, quod conduxiſſent, tributum pendere cogerentur Juvenalis declarat*. Diximus jam ante Judæorum Synagogam hic a *Juvenale* deſignari, quæ cum *Baronium* fugerent, a vera verborum interpretatione idem longius aberravit. Nimirum *locus* ille *fonte irriguus*, uti vidimus, *arbores* habuit; hinc *Judæi*, qui amant *ſynagogas arboribus conſitas* (vide *Joſephum Scaligerum* in notis ad Vetetum fragmenta pag. 25. cujus verba excerpſimus in Commentario noſtro in *Hecatæi Abderitæ* Eclogas *pag.* 160. adde etiam *Virringam* de Synagoga Vetere *lib.* I. P. I. cap. 12. pag. 230.) iſtiuſmodi locum delegerunt Synagogæ & proinde locar um ſolverunt. Ceterum non negamus apud Romanos *arbores & carum fructus vectigali ſubjacuiſſe*, ut loquitur *Sam. Pitiſcus* in lexico Antiquitatum Romanarum Tomo II. *pag.* 441. at in hoc loco *Juvenalis* ad iſtiuſmodi vectigal, quod Judæi pependerint, reſpici, quotus erit, qui credet?

(20) De *mendicitate Judæorum* teſtis *Judæorum* teſtis *Juvenalis* Satyra III. 15. ejectis mendicat ſylva Camœnis. Et Satyra VI. 542. Judæa tremens mendicat in aurem. Judæi autem cum reliqua fæce plebis Romanæ ſive colluvie trans Tiberim habitarunt, uti pluribus probant *Sam. Pitiſcus* Tomo I. lexici Antiquitatum Romanarum *pag.* 997. *Baronius* In Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos n. 29. *Famianus Nardinus* de Roma Veteri lib. VII. cap. II. pag. 1406. Tomo IV. Theſauri *Grævii*, *Alexander Donatus* de Roma Veteri ac Recenti lib. III. cap. 21. pag. 782. Tomo III. Theſauri *Grævii*, Julius *minutolus* in Diſſertationibus Hiſtorico-Criticis Romanam Antiquitatem illuſtrantibus Diſſertat. IV. pag. 96. Tomo I. Theſauri Novi *De Sallengre* & *Jac. Baſnagius* dans l' Hiſtoire des Juifs lib. VII. cap. 8. §. 9. pag. 210. Audiatur de *regione* illa *Tranſtiberina Juvenalis* Sat. XIV. 200.

> *nec te faſtidia mercis*
> *Ullius ſebeant ablegandæ Tiberim ultra,*
> *Neu eredas ponendum aliquid diſcriminis inter*
> *Uuguonta, & corium.*

Inter fœtidas merces Tranſtiberinas eorium in primis nominat. quæmadmodum *Martiali* commemoratur detracta cani tranſtiberina cutis, monente *Sam. Pitiſco* in lexico Antiquitat. Roman, in voce Cerdo. Si quis autem *Judæos* vel *Chriſtianos* ignominiæ cauſa a *Javenale* Satyra IV. 153. *cerdonec* appellari crederet, erraret prorſus. Ita quidem *Baronius* Tomo I.

An-

Annalium ad A. C. 98. n. 9. verba dicta Juvenalis intelligit, ſed inepte ad modum, uti ex vero judicat *Is. Caſaubonus* in Prolegomenis Exercitationum ſuarum ad Annales Eccleſiaſticos *Baronii*. Interim de Judæis intelligendus *Martialis* cum in Epigrammate ad Sparſum ait:

> A matre doctu nec rogare *Judæus*,
> Nec *ſulphuratæ* lippus *inſtitor mercis*.

Idem de iiſdem:

> Urbanus tibi, Cæcili, videris,
> Non es, crede mihi: quid ergo? Verna es,
> Hoc quod *Tranſtiberinus Ambulator*,
> *Qui pallentia Sulphurata fractis*
> *Permutat Vitreis*.

Nempe Romæ rupta vitra ſulphuratis permutari ſolita, præter *Martialem* etiam *Statius* & *Juvenalis* nos docent apud *Baronium* Tomo I. Annalium ad A. C. 94. num. 6. qui hæc addit: *Judæus inſtitor mercis ſulphuratæ ad vendenda illa, vel ad permutanda fracto vitro ciſta geſtare ſolebat, prout hodie quoque eoſdem æque miſerrimos facere videmus*. Quid? quod *Juvenalis* Sat. VI. 541. ſequ. Judæos refert inter *conjectores* & homines divinantes: *qualiacunque voles Judæi ſomnia vendunt*. Neque Judæos a mimis obſcœna jocantibus abhorruiſſe patet e *Flavii Joſephi* vita, qui narrat Alityrum μιμολόγον Neroni chariſſimum Judæum genere fuiſſe. Vide *Jo. Alb. Fabricium* Bibl. Lat. Vol. I. lib. I. cap. 16. pag. 285. An huc quoque pertineat *Juvenalis* Sarcaſmus in Judæorum ſupellectilem & fœnum, ſingulari diſſertatione diſquirere volui.

(21) In animadverſionibus in *Euſebii* Chronicon.

(22) In Chronologia Vet. Teſtam. pag. 638. Oper. & in Nummis urbium illuſtratis.

(23) Dans l' Hiſtoire des Empereurs & des autres Princes, qui ont regne durant les ſix premiers Siecles de l' Egliſe, Tomo I. apud *Jo. Clericum* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique Tomo XXIV. *pag.* 80.

(24) Dans l' Hiſtoire des Juifs libro I. cap. XIX. §. 27. p. 594. in hanc ſententiam diſſerit: *Joſeph* dit deux choſes conſiderables: 1. qu' on y laiſſa ſix mille Hommes de Garniſon: il falloit donc qu' il reſtat la des Caſernes & quelques Batimens pour les loger, & que meme on y laiſſat habiter ce Nombre de Gens, qui vendent, & qui fourniſſent aux Troupes ce qui leur eſt neceſſaire. 2. *Joſeph* ajoute qu' il y eut quelques Vieillards & quelques Femmes qu' on laiſſa autour des Ruines. Si dans les Commencemens, ou tout etoit a craindre, on laiſſa encore quelques Habitans inutiles, il eſt apparent que dans la ſuite on permit a quelques autres de s' y venir retablir — Les Artiſans' y revinrent en ſuite peu apeu, & commencerent a former la une Eſpece de Ville, avec la Garniſon.

CAPUT VI.

Calumnia Fiſci Judaici per Nervam ſublata.

I. JOhannes quidem *Lightfootus* in Fragmentis quibuſdam Hiſtoriæ Romanæ & Chriſtianæ de rebus & perſonis IV. primorum ſæculorum *cap.* III. *pag.* 153. Operum poſthmorum de *Imperio Nervæ* diſſerit, ſed, quod mirum alicui videatur, de *calumnia Fiſci Judaici per Nervam ſublata*, ne verbum quidem addit. Idem in parergo de excidio urbis Hieroſolymiticæ nec non de ſtatu Judæorum poſt urbem exciſam *ſect.* 5. *pag.* 142. *Vol.* II. Operum, meminit ex *Suetonio fiſci Judaici a Domitiano acerbiſſime acti*, at de *calumnia ejuſdem fiſci per Nervam ſublata* prorſus tacet. (1) *Paulus Pezronus* dans l' Antiquitè des Tems defenduè ſemel iterumque *Nervæ in Judæos clementiam* commendat, at nihil addit de præſenti ejuſdem in Judæos favore. Quicquid autem ejus rei erit. Nerva certe calumniam fiſci Judaici ſuſtulit, & de futuro etiam cavit, vetuitque ut *Dion* refert, οὔτ' ἀσεβείας οὔτ' Ἰουδαϊκοῦ βίου καταιτιᾶσθαί τινας *neque contemptionis Deorum neque Judaici ritus crimine aliquos in poſterum accuſare* Vox ἀσέβεια illa ætate præſertim apud *Dionem* duplicem habuit ſignificationem. Cum Imperatores pene pro Diis colerentur, & *Domitianus* tantos gereret ſpiritus, ut divino faſtigio parem ſe putaret, ἀσέβειαν *impietatem* interpretabatur *quodvis læſæ majeſtatis crimen*. Apud *Dionem* LVII. 607. vox ἀσέβεια eo ſenſu legitur, uti recte obſervavit *Sam. Pitiſcus* ad *Suetonii* Domitianum cap. X. §. 9. Deinde vox eadem ἀσέβεια apud eundem *Dionem* denotat *contentum Deorum*, reſpectu ad Chriſtianos habito. Puta *Chriſtianorum ritus & profeſſionem*, qui quod orbi ab *Judæis* erant, & in Diis ſpernendis conſentiebant, ipſi quoque a Paganis illo tempore *Judæi* ſunt appellati. Teſtis iterum *Dio Caſſius* in Excerptis *Xiphilini* ὁ Νερούας τούς τε κρινομένους ἐπ' ἀσεβείᾳ ἀφῆκε καὶ τοὺς φεύγοντας κατήγαγε Nerva eos, qui rei facti erant impietatis (id eſt Chriſtianos, qui Deorum cultum negabant) abſolvit, exſuleſque reſtituit. O egregium ſane Principem! *Flavio Veſpaſiano* vel parem vel adhuc multo meliorem. De Veſpaſiano dicitur in *Dionis* excerptis Valeſianis *pag.* 702. cum iis omnibus qui *ſub Nerone* ac ſecutis principibus *majeſtatis crimine* erant damnati, ſive ſuperſtites, ſive mortui eſſent, *famam reſtituiſſe*, nempe prout ibi *Dionis* verba ἀτιμίαν καταλέφων bene reddit *Valeſius*. De Nerone *Dio lib. 63 pag.* 722. *quod & ipſa* virtus *apud ipſum fuerit* δημόσιον ἔγκλημα publicum crimen, *præter opes & nobilitatem*. Neque aliter de Domitiani temporibus *Tacitus* Hiſt. lib. I. *cap.* 2. *nobilitas, opes, omiſſi geſtique honores*, pro crimine, *&* ob virtutes *certiſſimum exitium*. Sicuti igitur *Veſpaſianus Neronis*, ita *Domitiani acta Nerva* reſcindere voluit, debuit cum maximo rei Chriſtianę incremento: idem major Veſpaſiano, quod ad *fiſcum* attinet, ſimillimus Coſtantio Chloro Auguſto, de quo *Eutropius* lib. X. *Fiſci commoda non admodum affectans, dicenſque melius publicas opes a privatis haberi, quam intra unum clauſtrum reſervari*. Certe *Vigeſimam* quoque ex hereditatibus & legatis *Nerva* mitigavit, ut ex *Plinii* Panegyrico obſer-

servat *Lipsius* de Magnitudine Romana *lib.* II. *cap.* 4. *pag.* 705. *Tomo* III. Operum.

II. Hęc quidem nos docent, *Hugonem Grotium* (2) & *Baronium* (3) falli, cum uterque existimat, *ipsa tributa a Nerva sublata esse*. Non est ita: non est: neque enim *Fiscum*, sed *Fisci calumniam* sustulit. Per *Fiscum* designatur tributum a Judęis Fisco Romano solvendum, per *calumniam* autem delationes, quibus innumeri impietatis & ritus Judaici accusabantur, & damnabantur. Verbo dicam: *Nerva fiscales calumnias, id est delationes falsas, adversus Judæos & Christianos pro fisco intentas repressit*. Pręter *Dionem Cassium* testis est *Sextus Aurelius Victor: iste*, inquit de Nerva locutus, *quicquid antea pœnæ nomine tributis accesserat, indulsit*. Nimirum vox *indulsit* hic inprimis observanda est & urgenda. Neque enim commemorat *relevationem rei tributariæ*, *κουφισμὸν τῶν δημοσίων*, sed *indulgentiam quandam* laudat, invitis delatoribus, qui non modo crimina majestatis, sed & quęvis alia objiciebant, modo inde ad fiscum aut ęrarium aliquid rediret. Ceterum *Bulengerus* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* III. *pag.* 832. vocem *indulsit* apud *Victorem* exponit, persuasus *Nervam*, in *tributis & vectigalibus solvendis moræ pœnam*, quę in duplum, aut quadruplum erat, *remisisse*. Vidimus veram nummi interpretationem: Confer omnino viros doctos, qui nobiscum eodem modo *nummum Nervæ*



interpretantur, *Christoph. Cellarium* in Dissertatione de VII. Ecclesiis Asię in divina Apocalypsi memoratis §. 40. *Marquardum Freherum* in dissertatione de Numismate Census, (4) *Jac. Guterium* de Officiis Domus Augustę *lib.* III. *cap.* 31. *pag.* 601. *Tom.* III. Thesauri Novi de *Sallengre*. *Samuelem Petitum* in Variis Lectionibus *cap.* 18. (5) *Laurentium Begerum Tom.* III. Thesauri Brandenburgici *pag.* 111. *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* VII. *cap.* XI. §. II. *pag.* 308. (6) & N. de *Grainville*. (7) Pręter hosce doctissimos viros etiam *Ezechiel Spanhemius Tom.* II. de Pręstantia & usu numismatum antiquorum dissertatione XIII. *Nervæ Cocceji nummum* egregie illustravit: at *Johannes Harduinus* non solum in dissertatione de Nummis Herodiadum apud *Anselmum Bandurium* in Bibliotheca Nummaria *pag.* 200. sed & sub ficto *Eumeni Pacati* nomine in Epistola quadam ad Valentem apud *Sigbertum Havercampium Tomo* II. Operum *Josephi pag.* 406. *Fisci Judaici calumniam* idcirco *sublatam* dici existimat, *quod Judæa fisco Augusti addicta post Archelai obitum, Nervæ Imperio Senatui Populoque Romano reddita sit*. Enimvero hęc interpretatio nummi nullo tibicine nititur: quis enim credet Judęam, quę provincia Cęsaris erat, Populi tandem Romani provinciam sub Nerva Coccejo fuisse? Erat gens Judaica cervicosa admodum & refractaria, inde semper fuit *Judæa Cæsaris provincia*, in qua Cęsar non solum omnia ordinabat, sed & milites alebat pro sua non item Senatus Populique Romani auctoritate. Atque hęc cum ita se habeant, mittimus *Harduini* interpretationem longius petitam, & priori ejusdem nummi interpretationi, quam doctissimi quique tuentur, calculum nostrum merito addimus.

III. Et quid multis aliorum suffragiis opus? *calumnia* exactionis sublata, *tributum* tamen deinceps tum *Judæi*, tum *Christianis* pependerunt. De *Judæis* suæ ætatis testis est *Origenes*, ut mirari subeat, cur *Baronius* alio loco & tempore ad *Originem* provocans (8) nunc sui oblitus, aut *Origenis*, in crassum satis inciderit errorem. De *Judæis* alter testis est *Tertullianus*, (9) hujus in hoc argumento identidem alio tempore meminit ipse *Baronius*, (10) sed nunc passus *Tertulliani* memoriam sibi excidisse, ad scopulum quendam impingit. Quod ad *Christianos* attinet, iisdem *libertas vectigalis* fuit teste *Tertulliano*, (11) qui tamen censorem agit difficilem & morosum infectus *Montani* erroribus. (12) Ceterum quando *Hieronymus* ad Matthæi XVII. negat *Christianos Principibus Paganis tributa pendere*, (vide de hac *Hieronymi* sententia *Ludov. Ellies Du Pin* in Bibliotheca Ecclesiasticorum Scriptorum & *Jo. Barbeyrac* Traitè de la Morales des Peres de l'Eglise *cap.* xv. §. 5. *pag.* 241.) immane quantum fallitur. Etenim contrarium docent primi Christiani sub Imperatoribus Paganis, uti colligere licet ex satis luculentis testimoniis *Just. Martyris*, *Tertulliani* & *Origenis* apud *Richardum Montacutium* Originum Ecclesiasticarum P. I. *pag.* 322. & *Baronium Tom.* II. Annalium ad A. C. 201.

num.

num. 34. Quando autem *Baronius Tom.* I. Annalium ad A. C. 33. *num.* 32. sententiam *Hieronymi* laudat, *quod scilicet immunes essent sacedotes, ac omnis Ecclesiasticus ordo a pensione tributi, Christi causa, cujus respectu Principes Christiani nullum illis de ea re negotium exhiberent*, idem *Baronius* sensum verborum *Hieronymi* pervertit, judice *Montacutio P.* II. Origin. Ecclesiast. *pag.* 209. cum enim *Hieronymus* suo tempore immunes esse dicit sacerdotes, non ille jus divinum obtendit scriptum, vel naturale, sed in gratia Principum & munificentia, situm esse, sicut res erat, profitetur. Fac autem *Hieronymo* eam fuisse sententiam, quam eidem tribuit *Baronius*, singularis tamen illa sententia *Hieronymi* a reliquis primæ Ecclesiæ Patribus deseritur. Vide sis, quæ inter ipsos Romano-Catholicos ex primis Ecclesiæ Patribus hanc in rem observavit scriptor ille, qui librum sub hoc titulo edidit: *Relazione Istorica* delle Vertenze, che si trovavano pendenti tra la Corte di *Roma*, e quella del *Re di Sardegna*, allorchè fu assunto al Pontificato *Benedetto* XIII. di Santa e gloriosa memoria; Dei Trattati sopra di essi seguiti, e delle *Determinazioni* prese, con gli *Motivi*, ai quali si sono appoggiate; come anche di tutto ciò che è succeduto nel Pontificato della Santità di *Clemente* XII. Præclara ex dicto Scriptore excerpta leguntur dans la Bibliotheque Italique ou Histoire Litteraire de l'Italie *Tom.* XI. *pag.* 90. *seq.*

IV. Unum adhuc alterumque est, quod silentio prætermittere haud licet, cum ad præsens pertineat institutum. Quod ad *nummum Nervæ* attinet in aversa ejus parte *palma* apparet, cujus rei rationem hisce verbis exponit *Baronius Tom.* I. annalium ad A. C. 98. *num.* 12. *quod ad* palmam *spectat*: Judæam provinciam eo signo exprimi solitam, *tum ex his tum ex aliis veteribus monumentis, omnes æque consentiunt. Sed cur ita? quod* ferax *sit* provincia *illa* palmis, *quod non solum divinæ scripturæ testificationibus compertum habetur, sed & Scriptorum Gentilium assertione* Plinii *lib.* V. *cap.* 17. Strabonis *lib.* XVI. *& aliorum*: & si quidem aliæ provinciæ in Oriente palmis abundent, Judæam ceteris præstare, ob eamque esse inclytam *Plinius lib.* XIII. *cap.* 4. *æque tradit*. Recte commendat *Baronius palmarum in Judæa nobilitatem*, vide *Ezech. Spanhemium* in Dissertationibus de Usu & Præstantia Numismatum differt. VI. *Adrianum Relandum* tum in Palæstina, tum in Dissertationibus Miscellaneis P. II. differtat. IX. de Persicis Vocabulis Talmudis § 62. *pag.* 301. *Hilerum* in Hierophyt. *lib.* I. *pag.* 139. J. C. *Wagenseilium* in Commentario in Sota *pag.* 1083. & Commentarium nostrum in *Hecatæi Abderitæ* Eclogas *pag.* 65. & 176 Recte etiam addit *Baronius Judæam palmæ signo exprimi solitam*: sed alias ejus rei rationes addit, jejunas prorsus & ridiculas, siquidem ita pergit: *sed & ab ipsis Judæis* palmæ figuram intra templi ornamenta *frequenter receptam esse docent divinæ scripturæ* I. Regum VI. 29. 32. 35. II. Paralipom. III. 5. Ezechiel. XL. 16. 22. 31. 37. XLI. 18. 20. 25. 26. *Erat & apud Ægyptios palma hieroglyphica anni, quod* (*ut* Orus Apollo *testatur*) *ipsa sola arbor ex omnibus ad singulos lunæ ortus singulos etiam ramos procreet: ita ut duodecim ramorum productione annus expleatur*: fortasse & hanc ob causam apud Judæos lunarium mensium observantissimos, *majori quam ceteræ arbores in pretio habita*. Ecquis autem *Baronii* Ambages æquo audire vel legere poterit animo? prima ratio ab eodem allata vel sola hic sufficit, præcipue cum palma Judææ symbolum in ipsis veterum Hebræorum nummis appareat. Vide quæso nummos apud *Adr. Relandum* in Dissertationibus de Nummis veterum Hebræorum Tabulam V. Nummorum *pag.* 51. itemque observationes Anonymi cujusdam in Epistola ad *Relandum* de Nummis Hebræorum cum literis Samaritanis *pag.* 91. apud *Massonum Tom.* II. Histoire Critique de la Republique des Lettres tant Ancienne que Moderne. Sed mittimus *Baronium*: quid? quod *VVagenseilius* in commentario in Sota *pag.* 1084. existimat *palmam in nummis Romanorum Judæam captam repræsentantibus, victoriæ Romanæ signum esse*, at vero vir magnus fallitur. *Rami palmæ* non additis *fructibus* ubique in lætitia leguntur adhibiti, Nehemiæ VIII. 15. I. Maccab. XIII. 51. II. Maccab. X. 7. Apocal. VII. 9. Tales *palmæ rami* φοίνικες appellantur: quid vero φοίνικες; palmæ, quales *victoribus* in ludis dabantur. Ita *Pausanias*, *Plutarchus* & alii eas appellant: qualem hæ figuram habuerint, numi plurimi urbium Νεωκόρων docent: scilicet *rami palmæ* erant, at *sine fructu & oblongi*. Fateor, appellantur & βάϊα Johannis XII. 13. verum per βάϊα necessario spadices debere intelligi, quæ & ramum & fructum complectantur, nondum videre potuit *Adr. Relandus* dissertatione III. de nummis veterum Hebræorum *pag.* 113. Interim confer *Gabrielem Grodeckium* in duabus dissertationibus de ceremonia palmarum apud Judæos in festo tabernaculorum aliosque scriptores, quos commendat J. C. *Wolfius*

sius in Notitia Karæorum *pag.* 85. Quid multa? in *nummis Vespasiani*, itemque in *nummo Nervæ* non ramus solum victoriæ signum, sed summum totius palmæ cacumen cum *duobus balanis* ab utroque latere pendentibus (uti in omnibus nummis palma pingi solet) & trunco, cujus cortex gradus illos præfert quos in palmis esse novimus, certo certius conspicitur. Nihil addo, sed lectores, ne *VVagenseilii* sententiæ temere subscribant, ad ipsorum nummorum conspectum remitto: id tamen adhuc moneo *duabus balanis* innui *vinum præstantissimum*, quod Judæi ex palmis conficiebant, vide de hoc vino *Henr. Valesium* in notis ad *Ammiani Marcellini lib.* XXIV. *cap.* 3. *pag.* 432. *Joh. Bapt. Ottium* in Epistola de Numis quibusdam Samaritanis ad Adrianum Relandum *pag.* 64. aliosque scriptores, quos hanc in rem commendavimus in Commentario nostro in *Hecatæi Abderitæ* Eclogas *pag.* 176.

V. Satis de aversa *nummi Nervæ* parte: addimus ex literis S. C. quæ in *nummo eodem* leguntur, intelligi nummum *Senatus consulto* sive Senatus autoritate cusum esse. *Nummus* quidem *Nervæ*, qui *in Thesauro Regio Prussico* conspicitur, & a nobis in Tabula Historiæ Fisci Judaici præfixa ante oculos ponitur, *æreus* est, sed & idem *argenteus* literis S. C. adscriptis passim a doctis hominibus commemoratur. Quando igitur *Marquardus Freberus lib.* I. de Re Monetaria Veterum Romanorum *cap.* I. *Henr. Thomas Chiffletius* in Dissertatione de Othonibus Æreis *cap.* III. *Ludovicus Jobertus*, in libro, cui titulus: La Science des Médailles pour l'Instruction de ceux, qui s'appliquent à la connoissance des Medailles Antiques & Modernes, J. C. *VVagenseilius* in Dissertatione de Re Monetali Veterum Romanorum, aliique contendunt, *jus cudendæ monetæ æræ* penes solum *Senatum* remansisse, & inde legi in talibus S. C. *auream* vero, atque *argenteam monetam* ab *Augustis* & *Cæsaribus* signatam esse: idcirco magis periti Antiquarii sententiam hanc tanquam falsam & erroris plenam merito rejecerunt. Vide omnino *Gisbertum Cuperum* Exercitatione II. de Elephantis in Nummis obviis *cap.* IX. *pag.* 215. *Tom.* III. Thesauri Novi de *Sallengre*, *W. E. Tentzelium* in Colloquiis Menstruis A. 1692. *pag.* 954. Autorem Anonymum, qui A. 1692. excerpta ex *VVagenseilii* Dissertatione de Re Monetali Veterum Romanorum, Actis Eruditorum Lipsiensibus, & quidem mensi Januario inseruit, *Joh. Georg. Eccardum* in Epistola de Nummis quibusdam explicatu difficilioribus ad Gerhardum Abbatem Luccensem. Quid multa? *Titi Vespasiani nummus aureus*, quem æri incidendum & Historiæ nostræ Fisci Judaici præfigendum curavimus, S. C. ex auro est confectus: quemadmodum etiam *Freberus* in Dissertatione de Numismate Census, cum aliis doctis hominibus, non *æreum Nervæ nostri nummum* qualis est *in Thesauro Regio Prussico*, sed *argenteum* cum literis S. C. commemorat. Quid autem discriminis sit inrer S. C. hoc est *Senatus consulto*, & inter EX S. C. quæ distinctæ voces in nummis Romanorum leguntur, pluribus declaravit *Antonius Gallandus* in singulari Disquisitione, quæ legitur *Tom.* I. de l'Histoire de l'Academie Royale des Inscriptions & belles Lettres *pag.* 261. *seq.* Confer *Gisbertum Cuperum* Exercitatione II. de Elephantis in Nummis obviis *cap.* IX. *pag.* 215. *Tom.* III. Thesauri Novi de *Sallengre*. Restat igitur, ut de ipso *Nerva Coccejo* quædam adhuc dicamus. In nummo quodam Græco Nervæ Λ.Γ. *annus tertius* designatur, qui quidem *tertius Imperii annus* attribuitur Nervæ in *nummis* etiam *Latinis* apud *Occonem* & *Goltzium*, & in antiquo lapide Gruteriani Thesauri *pag.* 185. cum tamen certum sit, *Nervam*, A. 96. Epochæ vulgaris die 18. Septembris post occisum Domitianum, *ad Imperium evectum*, & decimo septimo postea mense *imperandi & vivendi finem fecisse*, ex *Dionis* Excerptis, *Clemente Alexandrino lib.* I. Stromat. & *Theophilo Antiocheno lib.* III. ad Autolycum. Quare obiit Nerva mense VII. *Trib. Pot.* II. Itaque vel ubique erratum est in assignando eidem anno tertio; vel forte idem Kalendis Januariis *præter morem cum Tribunis plebis Tribunitiam Potestatem bis iteravit*. In *nummo Græco Nervæ* apud *Goltzium* legitur diserte ΕΤΟΥΣ ΤΡΙΤΟΥ, *Anno tertio*. Ex aliis tamen nummis error plane corrigendus est. Etenim tum apud *Occonem* tum apud *Goltzium* exstant nummi ejusdem inscripti, *Tr. P.* II. *Cos.* IV. *Imp.* Gessit autem consulatum IV. A. 98. quo ineunte, nempe die 27. Januarii diem obiit. Vide *Henricum Norisium* in Dissertat. II. de Numismate Liciniani Licinii Augusti *cap.* 6. *pag.* 452. *Tom.* I. Thesauri Novi de *Sallengre*. Nunc ad alia transeamus, necesse est. Nimirum *Nerva*, qui *calumniam fisci Judaici* sustulit, *Judæis circumcisione* interdixit, (13) cujus interdicti, dummodo factum sit, rationes satis graves habuit, cum Judæi id darent operam, ut plures sibi adsciscerent adventitios sive *Proselytos*. Indicio sunt *Horatii*, (14) *Taciti*, (15) & *Juvenalis* te-

testimonia. (16) Quando igitur *R. David Ganz* in צמח דוד *pag.* 180. scribit: *Nerva dilexit Judæos, effecit iis quietem, atque cervice eorum excussit jugum Romanorum præfectorum*, immane quantum fallitur. Nihil enim historici (uti recte observat *Guil. Henric. Vorstius*,) (17) de tanta Nervæ in Judæos benevolentia referunt, quod illis quasi pristinæ libertati restitutis ademerit præfectos Romanos: sub nullo enim Imperatorum hoc factum est. Quæ cum ita sint, fallitur *Ericus Frondin*, qui sub Præsidio J. F. *Mayeri* iin Dissertatione Historico-Ecclesiastica de Patriarchis Hebreorum *cap.* III. §. I. *pag.* 28. incaute credulus Judeo *Gansio* fidem habet. Interim sunt, qui credant *sub Nerva Patriarchas Judæorum* suam habere originem: qua de re Deo propitio dicam in singulari dissertatione *de Patriarcharum Judaicarum Auro Coronario*, sive *Canone Anniversario* in Codice Theodosiano.

NOTÆ.

(1) Idem de *Balthasare Bonifacio* observandum erat: hic quidem *calumniam fisci Judaici* sub *Domitiano* commemorat in Historia Ludicra libro XX. cap. 8. pag. 578. at de eadem *calumnia Fisci Judaici per Nervam sublata* ne verbum quidem addit. Eandem incuriam, negligentiamque notamus in *Bulengero*. Vide ejus librum de Tributis & Vectigalibus Populi Romani cap. 73. p. 899. Tomo VIII. Thesauri *Grævii*.

(2) En *Grotii* verba in notis ad Matthæi XVII. 24. *neque dubium, quin de* didrachmo *hoc* Vespasianeo *agat Martialis, cum τὴν τῶν Ἰουδαίων περιτομὴν obscœnius eloquens* damnatam *ait* tributo. *Et hæc est, ni fallor*, calumnia fisci Judaici sublata *postea, ut* nummi veteres *testantur. Nullum enim aliud onus impositum peculiariter τοῖς Ἰουδαΐζουσι legimus.*

(3) Tomo I. Annalium ad A. C. 98. num. 12. ita conceptis verbis loquitur: *sustulit & Nerva Imperator* gravissima illa tributa, *quibus Judaicus populus, ut dictum est, sub Domitiano gravissime pressus erat: argenteus enim nummus id exprimit hujusmodi inscriptione atque imagine: Fisci Judaici Calumnia sublata* S. C. *palmaque est in medio posita. Quod autem* ad tributum Judaicum sublatum: *quam calumniose a Domitiano Imperatore impositum fuerit, & quam acerbissime exactum, suo loco superius dictum est ex Suetonio & aliis.*

(4) Nerva bonus Imperator, inquit, illi belluæ (Domitiano) succedens, *vexationem calumniosam sustulit*, & ne liceret amplius majestatis aut Judaismi quenquam deferre edicto vetuit, *Dione* autore. Argenteus nummus ejus id exprimit hac inscriptione, *Fisci Judaici Calumnia Sublata. Sed tamen calumnia exactionis sublata, tributum ipsum mansit.*

(5) Ita enim inquit: tributum imperante Domitiano non acerbissime tantum agebatur, sed etiam *non sine calumnia*: verum *calumniam* tolli jussit Divus *Nerva*, eoque pertinet inscriptio nummi illius, *Calumnia Fisci Judaici Sublata*, & intelligenda sunt ad hunc modum, quæ de Nerva scribit *Dio*: *neque contemtionis Deorum, neque Judaici ritus crimine aliquos in posterum accusari concessit*. Non enim Divus Nerva Judæos levavit tributi onere.

(6) Ejus verba satis perspicua & luculenta sunt: *Nerva* dechargea les Juifs des Impots dont *Domitien* les avoit accablez. Une Medaille en fait foi, puisqu' on y lit ces Paroles: *Culumnia Fisci Judaici Sublata*. Quelques-uns outrent cette Medaille, en soute-

nant que *l'Impot annuel de la Didrachme* avoit ete *aboli*; car *Origene* assure si positivement qu'on paioit encore de son tems, qu'il n'y a pas lieu d'en douter. La Medaille porte seulement qu'on abolit *la Calomnie*, c'est-à-dire, qu'on cessa de condamner les *Juifs* à de *grosses Amendes* sous de *faux Pretextes*, comme on avoit fait sous *Domitien*.

(7) Dans la lettre sur l'usage qu'on peut faire des Medailles par raport à la Religion ea habet, quæ hic suo loco repetenda erant: on croit que *Vespasien* apres le renversement de Jerusalem & de tout le pais imposa encore des subsides à ces peuples, & *Domitien* pour fournir à ses folles depenses porta *ce tribut jusqu'à l'exces*. On s'en plaignit, on en murmura publiquement, & meme a Rome, on condamna son avarice. *Nerva* etant monte sur le Trone fit cesser ces plaintes, *moderant les impots de la Judee*; & le Senat, pour lui en faire honneur, fit graver dans quantite de Medailles, que ce Prince avoit arrete les mauvais discours qu'on avoit tenus sur le tribut de la Judee, *Fisci Judaici Calumnia Sublata*. S. C. On ne peut mieux entendre cette Medaille, & on ne peut l'entendre ainsi sans jussifier ce qui est dans l' Evangile, que les Juifs payoient un tribut a Cesar, comme parle S. Luc.

(8) Tomo I. Annalium ad A. C. 72. num. 28. testatur *Origenem* in Epistola quadam ad Africanum nos docere, quod sua ætate Judæi didrachmum a Tito imperatum adhuc persolverint. Confer etiam Tom. II. Annalium ad A. C. 224. num. 9. Ceterum *Origenis* illud testimonium quantivis pretii faciunt *Petitus* & *Basnagius* locis laudatis.

(9) *Tertulliani* verba quæ hic innuimus a *Baronio* adducta, paulo inferius exponentur.

(10) Vide Tomum II. Annalium ad A. C. 231. num. 35.

(11) En ejus verba in libro de fuga cap. 13. *nescio dolendum, an erubescendum sit, cum in matricibus* Beneficiariorum & Curiosorum, *inter tabernarios & lanios, & fures balnearum & aleones, & lenones* Christiani *quoque* vectigales *continentur. Beneficiarius* vocabatur, qui tributa, aut census fisco debitos exigebat. *Curiosi* erant, qui vectigalium exigendorum curam gerebant. Vide *Pitiscum* in lexico Antiquitatum Romanarum in vocibus *Beneficiarius* & *Curiosi*. Intelligit igitur *Tertullianus Christianos pensitasse pecuniam beneficiariis* aut *Curiosis*, ne accusarentur quod essent Christiani, quemadmodum pensitabant flagitiosæ & viles personæ ob artem, quam exercebant. Confer in *Tertulliani* verba observationes J. C. *Bulengeri* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani cap. 38. pag. 877. cap. 49. pag. 884. cap. 95. pag. 915. Tomo VIII. Thesauri *Grævii*, & *Jac. Gutherii* de Officiis Domus Augustæ lib. III. cap. 13.

(12) Fatetur quidem *Tertullianus* Christianos Imperatoribus etiam Paganis tributa pendere, idem eosdem hac in re laudat & commendat alio loco & tempore, sed id male habuit *Tertullianum* quod *Christianis sacrorum libertas vectigalis esset*. Quo in errore secutus est Montanum suum *Tertultianus*, quem ideo notant *Baronius* Tomo II. Annalium ad A. C. 205. num. 16. Jo. *Henr. Heideggerus* Tomo II. dissertationum selectarum dissertatione X. de Martyrio §. 20. pag. 298. & *Abrah. Andreæ* in Διωγμογραφίᾳ Sacra pag. 114. Inter alios Patres a *Tertulliano* dissidet *Petrus Alexandrinus*, qui credidit Martyrium, dummodo recte περιστάσεις observentur, nonnunquam pretio redimi posse, integra & salva conscientia. Hanc *Petri Alexandrini* sententiam singulari dissertatione Deo propitio exponemus, & tuebimur.

(13) *Jac. Basnagius* dans l' Histoire des Juifs lib. VII. cap. 12. §. 5. pag. 335. ex *Spartiano* in vita Adriani probare annititur & *Domitianum* & *Nervam* Judæis *circumcisione* interdixisse: ego vero nullum vestigium ejus rei apud *Spartianum* invenire potui.

(14) Libro I. Satyra IV.

numero plures sumus; ac veluti te
Judæi cogemus in hanc concedere turbam,

id est, interprete Jo. *Seldeno* in præfatione ad dissertationem de Anno Civili & Calendario veteris Ecclesiæ seu Reipublicæ Judaicæ, *Proselytum*, ut secta illa numerosissima solet, etiam renitentem suadendo faciemus.

(15) Hist. lib. V. cap. 5. *pessimus quisque* (loquitur de Proselytis) *spretis religionibus patriis tributa & stipem illuc* (Hierosolymam) *congerebant*, *unde aucta Judæorum opes*, quos ille *Proselytos* mox appellat *transgressos in eorum morem*. Confer notas nostras in *Hecatæi Abderitæ* Eclogas sive Fragmenta pag. 47.

(16) Satyra XIV. v. 95. tradit, quosdam *sortitos metuentem sabbata patrem* mox etiam *præputia posuisse*.

(17) In Observationibus ad dictum librum R. *David Ganz* pag. 307. Alio autem sensu verba Judæi *Gansii* accipit *Paulus Pezronus* dans l' Antiquite des Tems defendue cap. IV. pag. 275. & cap. VI. pag. 403. persuasus innui *Judæorum Patriarcham*, quem iisdem *Nerva Coccejus* concesserit. En ipsa *Pezroni* verba: apres la mort de *Domitien*, il arriva du changement dans la Police des Juifs. Il n'y avoit eu ches eux depuis la prise de Jerusalem jusqu'à la mort de ce Prince, que des *Chefs d'Ecoles*, qui s'etoient acquis du credit en enseignant la Loy; mais *sous Nerva* les choses changerent de situation. Il y a apparence que ce Prince, qui fut benin a tout le monde, *permit aux Juifs de la Palestine de creer un Patriarche* qui les pust gouverner selon leurs Loix & leurs Coutumes. C'est ce qu' insinuent les Historiens de cette Nation, quand ils disent, que Nerva a aime les Juifs, qu'il les a mis en repos en les exemtant d' assujettissement qu'ils avoient aux Gouverneurs des Romains.

CAPUT VII.

Historia Fisci Judaici *sub Trajano & Adriano.*

I. INgens ubique Judęorum renata est multitudo, tam in Palęstina quam extra eam, & myriades per totum terrarum orbem dispersę. Adeo vero gravissimis illis adflictionibus ad mansuetudinem domiti non sunt, ut *sub Trajano*, nescio quo furore perciti, quove malo genio agitati, in perniciem eorum, apud quos hospitia nacti erant, in *Palæstina*, *Ægypto*, *Libya*, (1) *Cyrenaica*, *Cypro* & vicinis oris, conspiraverint: ubique & in omnibus proterve ac ferociter se gerentes. Vide plura apud *Baronium Tom.* II. Annalium ad A.C. 116. *seq.* J*osephum Medum* in Clavi Apocalyptica *pag.* 17. *Her. Valesium* in Annotationibus ad *Eusebium pag.* 58. itemque *Herm. VVitsium Tom.* II. Miscellaneorum Sacrorum Exercit. XII. §. 10. *pag.* 349. J*acobum Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* VII. *cap.* XI. §. 20. *seq. pag.* 321. Quemadmodum autem dicti scriptores clades, quas Judæi illa ætate acceperint, commemorant, ita, quod illi observare neglexerunt addemus, cum docti viri nobis hujus rei auctores exsistant. *Trajanus* a Judæis טרגיאנוס dictus, Judæos *Lolianum* & *Pipum*, qui a gente sua pro *Sanctis* & *Martyribus* & habentur, & coluntur, interfecit. Vide *Jo. Seldenum* libro III. de Synedriis Veterum Ebræorum *cap.* 13. *pag.* 247. Judæi in Talm. Babylon. Avodah Zarah *fol.* 8. 2. ita differunt: *Judæi edicto vetabantur*, *ne* sacris initiari *se audeant*, *pœna capitis tam ejus*, *qui sacra conferret*, *quam ejus*, *qui ea susciperet*. *Nec non loci prorsus delendi*, *ubicunque sacrorum facultas permitebatur*. Quæ verba *Jo. Lightfootus* in Parergo de excidio urbis Hierosolymiticæ, nec non de statu Judæorum post urbem excisam sect. 5. *pag.* 142. *Vol.* II. Operum ad *tempora Trajani* referenda esse conjicit, at de iisdem temporibus multo asseverantius præter *Jo. Henric. Hottingerum* in Thesauro Philologico lib. 1. *cap.* 2. *sect.* 3. *pag.* 89. addit *Petrus Cunæus lib.* 1. de Republica Hebræorum *cap.* XVIII. his verbis usus: *ipse* Trajanus, *qui omnium principum fuit* lenissimus, *decrevit*, *ne Judæi legem legerent*: *quod ab aliis quoque Imperatoribus crebro factum postea est*. *Ea fuit maxima afflictio*, *& a* R. Zacuth *inter* שמרות persecutiones *numeratur*, *cum ait*: decreverunt persecutionem, ne Judæi legem lectitarent. Ita quidem visum est *Cunæo* ad *Trajani* tempus ista *de interdicta lege decreta* referri, at vero multo rectius crediderim ad tempora *Adriani* respici. Certe insignis quidam locus in tractatu *Berachoth* fol. *61*. col. 2. apud *Raymundum Martini* in Pugione fidei P. II. *cap.* 4. §. 24. *pag.* 328. & Jo. *Andr. Eisenmenger* im entdeckten Judenthum P. I. *cap.* 17. *pag.* 758. *fata* Judæorum *sub Adriano* inprimis designant. Ceterum quando Judæi illam *legis lectionem* sibi a Romanis *prohibitam* esse indicant, simul addunt *interdictionem circumcisionis* & reliquorum *sacrorum*. Vide locum insignem in *massechet meilah*, in distinctione, quæ incipit *Kodsche hammizbeach* apud *Raymundum Martini* in Pugione fidei P. II. *cap.* 14. §. 19. *pag.* 456. & *Petrum Galatinum* de Arcanis Catholicæ Veritatis *lib.* XI. *cap.* 13. Fidem quoque ejus rei quam dixi, facit locus alius ex *Rosch haschana*, quem adducunt docti homines infra *cap.* VIII. §. 1. a me laudati. Cumque Judæi suos habeant הרוני מלכות *baruge Malcuth*, hoc est *Martyres*, qui ob bonum publicum vel in gloriam Dei se morti objecerunt, *ab Imperatoribus Romanis occisi* (vide Jo. *Christ. VVolfium* Bibliothecæ Hebrææ P. II. *pag.* 832.) & P. IV. ejusdem Bibliothecæ *pag.* 394. inter eos quoque *R. David Ganz pag.* 28. recenset quendam *R. Chananja ben Tardejon*, qui ob *explicatam legem*, Romanorum jussu, post expugnatam Bitther A. C. 120. flammis fit ustulatus. Plura forte videre licet in libro הרוני מלכות *baruge Malkuth*, *occisi regni*, sive de *Martyribus Bether*, sed *Gilb. Gaulminus pag.* 281. *ad tract.* de vita & morte Mosis nondum editum putat. Confer *VVolfium* Bibliothecæ Hebrææ P. II. *pag.* 1291.

1291. Quicquid erit ejus rei, de *fatis Judæorum sub Adriano* hæc addit *Jac. Altingius* in Historia Academiarum Hebræarum: nec prætereunda *Bitter*, (cui *quadringenta Collegia*, *quadringentos* singula *præceptores* habentia, quorum unicuique *quadringenti auditores* fuerint, Talmudici adscribunt) deleta ab Imperatore *Adriano*, cum ob defectionem Ben Cosba Duce institutam, bello Judæos subjugasset: quo tempore idem se passos tradunt, quod postmodum in Christianos statuit Julianus Apostata, *ut scholæ omnes abolerentur*; lege lata, qua omni ipsis χειροθεσίᾳ seu Doctorum promotione deinceps interdicebatur: ordinantibus & ordinatis, nec non urbe, ubi sollenitas ista perageretur, internecioni addictis.

II. Transimus ad *Adrianum* sed ita, ut quædam præmittamus, quæ deinde dicendis aliquid lucis afferant. Vulgo consuluntur *Scriptores Judæi*, quasi illi primas partes habeant in pertexenda hujus temporis historia: at majori cautione opus est, ne circumventi & decepti erremus. Præter Dominum de *Simonville* sive *Richardum Simonium* dans la Comparaison des Ceremonies des Juifs & de la Discipline de l'Eglise *cap.* XV. *pag.* 110. *Grotius* in Matthæi XXIV. 24. affirmat, *Judæos esse pessimos historiæ magistros: nam ex quo patria expulsi sunt, omnis apud illos historia crassis erroribus & fabulis est inquinata: quibus proinde nihil credendum est, nisi aliunde testes accedant*. *Brianus VValtonus* in Prolegomenis in Biblia Polyglotta Prolegomeno III. non solum dicta *Grotii* verba commendat, sed & addit; Judæos in historia propria, ob exilia & dispersiones frequentes, peregrinos esse, & post excidium vix aliquem historicum fide dignum habuisse: hoc omnibus notum, nec a Judęis negari posse. *Jo. Henr. Otho* in prefatione ad Historiam Doctorum Mischnicorum apud *Jo. Christoph. VVolfium* Bibliothecę Hebręę P. II. *pag.* 673. ita disserit: *Judaicæ gentis incuria est, quod ubique antichronismos committat inexcusabiles, & maxime, quod Hierosolymitanam eversionem sub* Tito & Adriano *confundat*. Audiamus denique *Jo. Jacob. Schudtium* in Compendio Historię Judaicę pag. 437. *a destructo per Titum templo*, inquit, *Judæi pessimi sunt Historici, res, personas, & tempora confundentes, sæpius, præsertim ubi vana spe sibi blandiuntur, sine omni fronte multa confingere non verentur*. Quę cum ita sint, in nonnullis, quę *scriptores Judæi* tradunt, cohibebimus assensionem, dum aliquid certius & exploratius afferatur, in aliis, quæ certa sunt, & *exterorum* quoque suffragiis firmantur, non repugnabimus, id simul operam daturi, ut, si inter *Christianos scriptores* de eodem argumento lis componenda sit, mediam insistamus viam. Interim pene hic omiseram *Samaritanos*, qui uti ex *Epitome Capitum libri Josuæ*, quem jactant apud se esse, videre licet, ima summis miscent. Nimirum cap. 45. *obsidio urbis Hierosolymitanæ per Adrianum* fuse pertexitur: cap. 46. legimus, *Romanos prohibuisse ne quenquam Samaritani ex infantibus suis circumciderent*. En hominum illorum somnia apud *Joh. Alb. Fabricium Tomo* I. Codicis Pseudepigraphi Vet. Testamenti *pag.* 887. nobis nunc e diverticulo in viam redire placet. Nimirum intervallo LX. circiter annorum, qui inde ab *excidio templi & urbis* ad *Adriani tempora* effluxere, sensim, sensimque aucto eorum, qui habitare in patrio solo amabant, numero, effectum est, ut *urbis speciem* rursus induerent *Hierosolyma*. Sane enim quæ *Dio*, *Xiphilinus*, *Appianus*, & post illos *Chrysostomus* de statu illius urbis, qui *Adriani* ævo fuerit, dixerunt, clariora sunt, quam ut *Scaligeri* arte eludi possint: minime omnium vero scriptoribus illis fidem derogare audemus, dum de rebus non ita diu ante ævum suum gestis differunt. Sed ut *Servatoris* tandem *vaticinium*, quo prædictum erat *Matthæi* XXIV. 2. *Lucæ* XIX. 44. Hierosolymis nullum lapidem super alium relictum iri, implementum suum haberet, & ne minima quidem parte defecisse videri posset, novis rebellionis furiis incensa pectora Judæorum, *Adriano* Imperatori occasionem dedere penitus demoliendi, si quid *Titus* reliquisset, vel ab ejus inde ævo si quid esset instauratum. Id diserte adeo testatur *Appianus*, & ex nostris *Eusebius*, *Hieronymus* & *Chrysostomus*, ut ratio nulla pateat, cur scriptoribus illis fidem derogare audeamus. Certe cum horum Scriptorum in ea re fidem satis diligenter *Tillemontius* contra *Scaligerum* vindicaverit, (2) non est cur illis inhæreamus. Et ad hæc *Adriani* tempora verba Christi inprimis (3) pertinere putat *Dionysius Petavius* in Animadversionibus in Epiphanium *pag.* 394. & *Godofredus Olearius*, (4) qui id quod Judæi in tractatu Sanhedrin dicunt de *aratro templo inducto* etiam ad tempora Adriani refert. Recte quidem & jure, quamvis haud ignorem *Adr. Relandum* in notis ad *Joh. Henr. Otthonis* Historiam Doctorum Misnicorum *pag.* 143. Judæos, quos sequitur *Olearius*, redarguere, quoties *Turnum Rufum*, qui *aravit templum*, ad *Hadriani* tempora referunt. Antiquus est ille ritus, ab aliis copiosius (5) a nobis

bis autem hic paucis explicandus. Nempe ut in urbibus fundandis *aratro* primum ſulcus aperiebatur, ſpatium urbis finiens, quod *Ciceronis* phraſi eſt *circumducere aratrum*, ejuſque moris frequens eſt in veteribus nummis *coloniarum* repræſentatio, (*6*) ita aratro ſulcus, qui urbe fundata factus intelligebatur, inducendus erat, ſi ira victoris delendam penitus urbem expugnatam juberet. Diſerte *Servius* ad Æn. IV. pag. 327. *nam ideo ad diruendas, vel exaugurandas urbes, aratrum adhibitum, ut eodem ritu, quo conditæ, ſubvertantur*. Idem igitur templo ſuo contigiſſe fatentur Judæi in Gemara Taanith, ubi *cap.* IV. iſta legimus annotata: *quando aravit Turanus Rufus impius porticum, decretum factum eſt, ut interficeretur Rabban Gamaliel*. Hinc & רשע *impius* vocatur ille *Turanus Rufus* in Gemara Sanhedrin cap. 7. *Aratrum* autem ſub *Hadriano*, non ſub *Tito* inductum eſſe Hieroſolymis contra *Scaligerum* pluribus contendunt argumentis *Tilemontius* (7) atque *Olearius*, (8) ut nunc taceam *Auguſtini Calmeti* obſervationes Supplèment au dictionaire Hiſtorique, Critique, Chronologique, Geographique & Litteral de la Bible *Tom.* III. *pag.* 356. & *Danielis Lundii* notas ad מסכת תענית Tractatum de Jejuniis *cap.* IV. §. 7. *pag.* 383. P. II. Miſchnæ *Surenbuſii*. Idem autem *Adrianus ruderibus Hieroſolymæ*, quam inſtaurare cœperunt Judæi, *funditus dejectis*, novum oppidum, id eſt *Æliam coloniam* condidit, cujus nomen etiam celeberrimum eſt tum apud ſcriptores ſacros (vide *Henr. Valeſium* in annotationibus ad *Euſebium pag. 61.*) tum apud ipſos Mohaminedanos, vide *Bartholomæum Herbelotium* dans la Bibliotheque Orientale *pag.* 490. & *Joh. Seldenum lib.* III. de Synedriis Veterum Hebræorum *cap.* XI. *pag.* 162. tum etiam apud ipſos Judæos: namque *Colonia Ælia Capitolina* eſt Gemaricorum קלניא *Colonia*, *a tributis*, uti addunt, *libera*. Vide J. G. *Lakemacherum* Obſervationum Philologicarum P. III. Obſervatrone I. *pag.* 205. Et vero ex *Æliæ* hujus conditu bellum Judaicum cepit originem teſte *Valeſio* l. c. Nam cum Judæi urbis ſuæ ſolum ab alienigenis occupatum viderent, & in eo ipſo loco, in quo Dei templum olim fuiſſet, *ſacra fieri Jovi Capitolino* animadverterent; eam injuriam minime ferendam rati, arma corripuerunt. An vaticinium Danielis IX. 27. de τῷ βδελύγματι ἐρημώσεως, aliiſque rebus, quæ itidem *cap.* X. memorantur, ad *triſtiſſima* Judæorum *ſub Adriano fata*, referendum ſit? nunc diſquirere nolim. Hanc quidem ſententiam tuetur *Iſaacus Nevvton* in libro, quem inſcripſit: Obſervations upon the Prophecies of Daniel and the Apocalypſe of St. John. Vide Neue Zeitungen von Gelehrten Sachen A. 1734. *num.* II. *pag.* 91. Revertimur ad ipſam Judæorum Hiſtoriam. *Joh. Harduinus* in libro de Numis Nationum & Populorum in voce Judæa digreſſionem *de bello Judaico ſub Adriano* inſtituit, eo quidem conſilio, ut oſtendat, bellum illud fictitium eſſe prorſus, cum Judæa illo tempore pacata fuerit, quippe quam Pagani incoiebant. At vero *nummi* ſunt ſatis luculenti teſtes de bello illo Judaico, & victoria Hadriani. Vide *Philippum Buonarotti* in libro, cui titulus: Oſſervationi Iſtoriche ſopra alcuni Medaglioni Antichi, & ex eo excerpta, quæ huc pertinent apud *Baſnagium* dans l'Hiſtoire des Ouvrages des Scavans A. 1700. menſe Septembri *pag.* 382. Quamvis autem *Harduinus* ad ſtabiliendam ſuam ſententiam, *nummorum interpretationem* ex ſuo ingenio fingat, aliaque inſuper argumenta proferat, oleum tamen, operam omnem perdit, uti videre licet apud *Jac. Baſnagium* dans l'Hiſtoire des Juifs *lib.* VII. *cap.* 12. *Jo. Clericum* dans la Bibliotheque Choiſie *Tomo* XVII. *pag.* 383. & *Chriſtianum Sigiſmundum Liebe* in Gotha Numaria *cap.* III. unde exerpta, quæ huc contra *Harduinum* proferenda erant, habes dans la Bibliotheque Raiſonnée des Ouvrages des Savans de l'Europe *Tomo* V. *pag.* 85. Ceterum quanta *ſtrages Judæorum* ſub *Adriano* fuerit, *ipſi Judæi teſtes ſunt*, quorum teſtimonia diligenter collegerunt J. A. *Eiſenmenger* im entdeckten Judenthum P. II. *pag.* 654. *Chriſt. Noldius* in Hiſtoria Idumæa *pag.* 451. *Jac. Altingius* de Schilo *lib.* IV. *cap.* II. *pag.* 251. *Joh. a Lent* in Schediaſmate de Judæorum Pſeudo-Meſſiis, *Guil. Henr. Vorſtius* in Obſervationibus ad *R. David Ganz* צמח דוד pag. 307. *Joh. Henr. Otho* in lexico Rabbinico Philologico pag. 88. *Raymundus Martini* in Pugione Fidei P. II. cap. 4. pag. 327. *Joh. Lightfootus* in Parergo de excidio Urbis Hieroſolymiticæ, nec non de ſtatu Judæorum & in Chronicis Temporum & Ordine Textuum N. T. *pag.* 127. *Tom.* I. Operum, *Joſephus Medus* in Clavi Apocalyptica *pag.* 19. *Chriſtoph. Cartvvrightus* in Mellificio Hebraico *lib.* III. *cap.* 8. poſt exciſam urbem *ſect.* 6. *pag.* 144. *Vol.* II. Operum, *Guil. Schickardus* de Jure Regio Hebræorum *pag.* 480. Cum vero *Joh. Gagnerius* in Dedicat. Hiſtoriæ *Joſippi*, *hiſtoriam Akibæ & Bar Cochab* cum aliis Judæorum monimentis hiſtoricis ſe editurum promiſerit

(vi-

(vide *Joh. Christoph. Wolfium* Bibliothecæ Hebrææ P. I. *pag.* 956.) procul omni dubio multa proferet, quæ hic utramque paginam facient. Cumque more nostro nummos in subsidium afferre solemus, omittere nolumus *nummos Judæorum Samaritanos*, qui *Simonis nomen* præferunt. In Gallia *Henrion* & *Pinartus* de istusmodi nummis disseruerunt, uti videre licet dans l'Histoire de l'Academie Royale des Inscriptions & belles Lettres *Tom.* VI. *pag.* 199. alter existimavit, Simonem Maccabæum intelligi, cui, uti legimus I. *Maccabæorum* XV. 6. Antiochus permisit, propria patriæ nota monetam percutere, alter mavult *Simonem Barcochebam* fictitium illud Judæorum Regem intelligi, ut qui jus usurpaverit monetam percutiendi. Non est nostri instituti litem illam disceptare: faciant id, quibus majus est otium: Interim *Parabolam Christi de divite epulone & Lazaro* Lucæ XVI. *Henricus Teelmannus* singulari Commentario Critico & Theologico illustravit, persuasus in illa Parabola sensum parabolicum & propheticum rectissime referri *ad statum Judæorum infelicissimo illo defunctorum sub Adriano*. Vide excerpta inde satis luculenta a nobis edita *Tomo* I. der Erorterung der dunckelsten Schriftstellen des Neuen Testaments *pag.* 943. *seq.* An vera sit illa instituit, in præsenti disquirere nolim: *Campegius Vitringa Tom.* II. Commentarii in Esaiam *pag.* 617. *Teelmanni* sententiam summopere commendat, *Johannes* autem *Lomeierus* in Observationibus Analytico-Didacticis in *cap.* XVI. Lucæ itidem fata Judæorum quærit & invenit, persuasus *pag.* 122. in Parabola illa in primis tangi atque adumbrari eorundem fata sub *Tito Vespasiano*, Hierosolyma vastante. Sed & tristissima *Judæorum* sub *Adriano* fata non obscuris verbis prædicuntur Esaiæ VI. II. ut aliquanto luculentius ad ipsum probat *Vitringa Tom.* I. Commentarii in Esaiam *pag.* 167.

III. Bellum Judaicum, quod in *Palæstina* gerebatur, finem accepit anno XVIII. *Adriani*, ex eo deinceps tempore *universa Judæorum gens in regionem circa Hierosolymam sitam, pedem inferre prohibita est*, lege & constitutione Imperatoris Adriani, adeo ut ne prospicere quidem e longinquo patrium solum ipsis licuerit. Vide *Eusebium* Hist. Eccles. *lib.* IV. *cap.* 6. in Commentariis in Psalmos *pag.* 267. 382. *Tom.* I. Collectionis Novæ Patrum & Scriptorum Græcorum, quam curavit *Bernardus* de *Montefaucon*, & in Commentariis in Esaiam *pag.* 379. *Tomo* II. ejusdem Collectionis Novæ. Ac ne solum hic sistamus testem *Eusebium*: ejusdem interdicti præter *Justinum* Apol. II. *Hilarium* in Psalm. 58. *Hieronymum* ad *cap.* VI. Esaiæ, & *Sulpitium Severum lib.* II. *cap.* 45. meminit *Tertullianus* contra Judæos *cap.* XV. & Apologet. *cap.* 21. uti hæc ipsa Patrum testimonia diligenter collegerunt *Thomas Ittigius* in Selectis Capitibus Historiæ Ecclesiasticæ Sæculi II. *pag.* 298. *Jacobus Gothofredus* in Dissertationibus ad *Philostorgium* pag. 302. *Tillemontius* dans l'Histoire des Empereurs *Tomo* II. *pag.* 502. (cujus observationes hanc in rem diligenter excerpsit *Petrus Bœlius* in Lexico in voce Barcoohebas) *Marquardus Freherus* Parergon *lib.* III. *cap.* II. Permissio autem aliqua propius accedendi *una* duntaxat *die quotannis* data est, X. nimirum Augusti, idque eo solum fine, ut vastatæ urbis ædisque rudera deflerent. Vide *Gregorium Nazianzenum* in Orat. XII. *pag.* 202. apud *Petavium* in rationario temporum P. I. *pag.* 236. & *Henr. Valesium* in notis ad *Eusebium pag.* 60. adde & Itinerarium Burdigalense apud *Scaligerum* in animadversionibus ad *Eusebii* Chronicon *Gerh. Joh. Vossium* de Origine & Progressu Idololatriæ *lib.* VI. *cap.* 39. *pag.* 298. *Theodor. Hasæum* in Dissertatione Historico-Philologica de Lapide Fundamenti, cui olim Arca Fœderis imposita fuit *cap.* II. §. 14. *pag.* 19. & *Campegium Vitringam Tom.* II. Commentarii in Esaiam *pag.* 752. *pag.* 206. Atque illud ipsum *pretio* illis constitit, de qua re *Hieronymus* in Sophoniæ *cap.* I. usque in præsentem diem perfidi coloni, post interfectionem servorum & ad extremum filii Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Jerusalem: *& ut ruinam suæ iis flere liceat civitatis, pretio redimunt:* ut qui quondam *emerant sanguinem Christi*, *emant lacrymas suas*. Videas in die, quo capta est a Romanis & diruta Jerusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & in habitu suo iram Domini demonstrantes, congregatur turba miserorum, & patibulo Domini coruscante, ac radiante ἀναστάσει ejus, de oliveti monte quoque crucis fulgente vexillo, plangere ruinas suas populum miserum, (9) & tamen non esse miserabilem. Adhuc fletus in genis, & livida brachia, & sparsi crines, *& miles mercedem postulat*, ut illis flectere liceat. Quæ verba *Hieronymi* summopere commendant *Baronius Tom.* I. Annalium ad A. C. 72. *num.* 32. *Herm. VVitsius Tomo* II. Miscellaneorum Sacrorum exercitatione XII. §. 16. *pag.* 354. *Sam. Petitus* Variarum Lectionum *cap.* XVIII. Porro autem *Gregor. Abulpharagius* in

in Hist. Dynast. *pag.* 121. teste *J. H. Otthone* in Historia Doctorum Mischnicorum *pag.* 121. hęc de Judęis commemorat: *jussit Adrianus praecidi aures Judaeorum superstitibus: atque hanc iis legem indixit, ne quis vel e longinquo Hierosolymam intueretur.* Sed nec illud dicere pretermittamus, *cur super portam* (quod ait *Eusebius*,) *qua egrediebantur Bethlehem, porcum in marmore sculptum Hadrianus voluerit collocari?*



Audiamus *Baronium Tomo* II. Annalium ad A. C. 137. *num.* 2. num ad designandum *Judaeos* esse omnium hominum *scelestissimos?* quippe quod ejusmodi simulacrum esse soleret *Hieroglyphicum* apud *Horum* in Hieroglyph. & *Pierium* in Hieroglyph. *lib.* IX. hominum veritatem spernentium, profanorum, perniciosorumque, atque eorum denique, qui a Deo penitus essent aversi. An potius quod *porcus* videretur ob *infractum* in bello *robur* esse *Romanorum insigne*? Nam & tradit *Festus* in verbo porcus, quintum signum militare fuisse porci imagine effigiatum, quod & belli finis (ut tradit) symbolum esset: *porcorum imagines in militaribus signis* etiam Diocletiani temporibus, imo & Honorii Imperatoris visa esse satis liquet apud *Pierium* l. c. An potius quod (ut dicemus) eadem via in Bethlehem fuerit ab Hadriano erectum *templum Adonidi*, quem aper occidit? cum alioqui sciamus *Plutarchum* in Sympos. *lib.* IV. *quaest.* 5. cultum *Adonidis*, itidemque *Bacchi* Judęis impingere. Verum licet haec omnia recte dici possint, tamen quod Hadrianus novam illic condidit civitatem, quam *Aeliam* nominavit: cum sciret olim ejusmodi animal primum fuisse signum Aeneę condendae civitatis Lavinii, (ut inter alios *Virgilius* octavo Aeneidum cecinit) existimari potest, ejusdem quoque animalis signum super portam recens a se exstructae civitatis erigi voluisse, ut redderet in eodem opere idem antiquitatis egregium monumentum, quo & *numisma* ejusdem *Hadriani* expressum vidimus, nempe *porcum cum porcellis sugentibus ubera*, ut Aeneę diximus demonstratum, quod ex *Sebastiano Erizzo* hic tibi effigiandum curavimus. Ejusmodi quoque formę fuisse credi potest exemplar *super portam Aeliae* collocatum, licet porci unius *Eusebius* meminisse videatur. Ceterum & illud in dubitationem minime revocari debet, Hadrianum eo *signo Judaeis inter cetera omnia infensissimo* significare voluisse *propria civitate patrioque solo esse penitus interdictos*: ejusmodi enim animalium genus ex *Josepho* de bello Judaico *lib.* V. *cap.* I. diximus alibi Judaeis fuisse nefandum, atque visu etiam exsecrandum: quamobrem ne istęc signa militaria viserentur in regione Judęorum, principes ipsorum olim a Vitellio eodem *Josepho* teste *antiquit. lib.* VIII. *cap.* 7. in Arabes profecturo, deprecati sunt transitum. Hęc *Baronius* quem tacito ejusdem nomine exscripsit *Hermannus VVitsius Tom.* II. Miscellaneorum Sacrorum Exercitatione XII. §. II. *pag.* 350. Nobis placuit, *nummum* illum, ad quem uterque provocat, *aeri incisum*, Historiae nostrę Fisci Judaici pręfigere, praesertim cum *Antonini Pii nummus*, huic quam simillimus conspiciatur apud *Laurent. Begerum* in Continuatione Thesauri Brandenburgici *pag.* 666. Interim restat, ut adhuc alios scriptores audiamus. *Samuel Pitiscus Tomo* I. lexici antiquitat. Romanar. *pag.* 42. existimat, quod *sus in marmore portae insculptus* significarit *Romanae potestati subjacere Judaeos*. Ejusdem sententiae est *Tiro Prosper Aquitanus* in Chronico *pag.* 602. *Tomo* XI. Thesauri *Graevii* & *Jo. le Sueur* dans l'Histoire de l'Eglise & de l'Empire P. I. ad A. C. 135. *num.* 433. Confer hic *Begeri* judicium, & verba supra a nobis allata *cap.* IV. §. I. at *Marquardus Freherus* Parergων *lib.* III. *cap.* II. negat suem potestatem Romanam in Judaeos designasse, persuasus *ludibrii* potius *signum* fuisse, quasi *Judaei porcinum numum adorarent*, cum nec porcos sacrificarent, nec ederent, sed vel *nomen* illorum *inter res scaevas & mali ominis* numerarent. Confer *Petrum Cunaeum lib.* II. de Republica Hebraeorum *cap.* 24. *Bochartum* P. I. Gierozoici *lib.* II. *cap.* 57. *pag.* 696. *Spencerus* lib. I. cap. 5. sect. 4. pag. 171. *Urban. Chevreau* in Chevraeanis P. II. pag. 299. J. C. *VVagenseilium* in Confutatione carminis *R. Lipmanni* pag. 557. J. B. *Carpzovium* ad *Schikardi* Jus Regium Hebraeorum pag. 391. *Ang. Pfeifferum* Decad. I. Antiquitat. Sacr. posit. 10. pag. 26. Quaecunque autem Hadriani mens fuerit, ad ejus exemplum inde ab antiquo tempore *Papatus* puta *in multis Christianorum civitatibus scrofam in frontispicio templorum*, collocatam, &

Judæorum adſpectui objectam videmus, eo quidem conſilio, ne forſan limina templi profanarent, & loca ſacra acceſſuo inquinarent. Plenius hanc rem ejuſque cauſas depingit *Laurentius Fabricius* in Orat. de Schemhamphoraſch uſu & abuſu, ubi de iſtiuſmodi monumento in templo Wittebergenſi multa habet, quæ inde excerpſit *Juſtus Henningus Boehmerus* in diſſertatione de Jure Sacro & Profano circa Infideles ſectione I. *cap.* I. §. *pag.* 59. *ſeq.* niſi quis audire malit *Johannem Paſchium*, qui in Gripho Rabbinico-Philologico de Schem Hammephoraſch *cap.* I. §. 6. aliam cauſam ſubeſſe putat, cur antiquitus talia monumenta in contemtum Judæorum erecta ſint. Neque vero Judæi hanc contumeliam patiuntur inultam. Etenim *Imperium Romanum* adeoque Chriſtianos ex *Pſalmo* LXXX. 14. appellant חזיר מיער *porcum de ſylva*, præ impatientia ſervitutis ſuæ. Vide omnino *Guil. Schickardum* de Jure Regio Hebræorum *cap.* V. theorem. 18. *pag.* 393. *Joh. Buxtorfium* in Epiſtola quadam ad Matthiam Martinium, quæ legitur in Biblioth. Brem. Claſſ. IV. Faſcic. III. *pag.* 602. & *Bochartum* P. I. Hieroz. lib. III. cap. 30. pag. 984. At vero Judæos verba Davidis perperam de imperio Romano & Chriſtianis interpretari, evicit *Bochartus* l. c. cui adde *Antiochum Epiphanem* infenſiſſimum Judæorum hoſtem a Davide denotari. Vide *Campegium Vitringam Tomo* I. Commentarii in Eſaiam *pag.* 296. & *Tom.* II. *pag.* 228. adde etiam Tomum noſtrum II. der Erorterung der dunckelſten Schrifſtellen des A. Teſtam. *pag.* 507.

IV. Quemadmodum autem Adrianus quovis modo cavit, *ne Judæi priſtinam incolerent ſedem*, non in patria ſua domicilia figerent, ſic & alii Imperatores Romani, quos paulo inferius nominabimus, eoſdem Judæos patriæ aditu arcere ſuſtinuerunt. Ita quidem eſt, *Judæi ſummum amorem, affectumque nullo non tempore erga terram ſanctam, ejuſque rudera & cineres habuere*, vide *Autorem libri Coſri* Part. II. §. 22. *pag.* 96. aliquoſque ſcriptores, quos hanc in rem teſtes citat J. B. *Carpzovius* in notis & animadverſionibus ad *Schickardi* Jus Regium Hebræorum *pagin.* 202. Conſtat etiam, *poſt aliquot ſeculorum intercapedinem Judæos in patriam ſuam rediiſſe*, ſed vel in ipſa patria miſerrima ſemper fuit ſervitutis conditio: id quod vel *ex præſenti Judæorum in Palæſtina ſtatu* colligere licet. Ita *Moſes Chagis* de ſtatu Judæorum in terra ſancta calamitoſo in שפת אמת differit. Confer Unſchuldige Nachrichten A. 1713. *pag.* 411. & J. C. *Wolfium* Bibliothecæ Hebrææ *Part.* II. *pag.* 1073. Ita quidem eſt, a Turcis benignius ſe & clementius quam a Chriſtianis haberi, nonnunquam profitentur, ſed aliud affirmat R. *Salomon Zevi*. Vide *Daniel Wulferum* ad Theriacam Judaicam *pag.* 170. Ne plura addam: R. *Schimon Luzzatus* Rabbinus Italus fidem faciet dictis. Edidit is librum ſermone Italico ſub hoc titulo: Diſcorſo circa il Stato degl' Ebrei: in hujus libri *cap.* XVIII. *de Judæis per varias orbis partes diſperſis* agit, &, ubi ad *Judæos in Palæſtina* perventum eſt, ita diſſerit: *in terram ſanctam atque ſpeciatim* Hieroſolymas *annuatim defertur non tantum numerus ingens Hebræorum ex omnibus totius mundi nationibus, ſed & am*pliſſima redituum annuorum pecunia, *quæ offertur* ad alendos pauperes & *ſuſtentandas Academias*. Locum hunc inſignem debeo J. C. *Wagenſeilio*, & *Jac. Baſnagio*: alter enim in Confutatione Carminis R. *Lipmanni pagin.* 214. alter dans l' Hiſtoire des Juifs *lib.* IX. *cap.* 38. §. I. *pag.* 1061. *Luzzati* verba excerpſit. *Luzzati* teſtimonio addimus aliud *Leonis Mutinenſis*, ſic enim ex verſione Domini de *Simonville* ſive *Richardi Simonii* dans les Ceremonies & Couſtumes, qui s' obſervent aujourd' huy parmy les Juifs *P.* I. *cap.* 14. §. 7. *pag.* 42. diſſerit: *de tous les endroits du monde où les Juifs ſe trouvent, ils envoyent tous les ans des aumones* en Jeruſalem, *pour* l' entretien de pauvres, qui demeurent là, & qui prient pour le ſalut de commun: *ils envoyent auſſi quelque choſe en d' autres endroits de la* Judée, *comme a* Jaffé, *à* Taberia, & *en* Hebreon, *où eſt le ſepulchre des Patriarches Abraham, Iſaac & Jacob, & de leurs femmes*. En miſerrimam *Judæorum in Palæſtina conditionem*, ut qui ex aliorum liberalitate vix *egeſtatem ſuam* ſublevare poſſint. Ita R. *Chajim Moſche* filius Abraham *Koregal* קארינאל *Rabbinus Hieroſolymitanus* Synagogæ Hiſpanorum inde *ad Eleemoſynas pro Judæis Hieroſolymitanis colligendas* in varias regiones & ſpeciatim Belgium profectus eſt, obſervante J. C. *Wolfio* Volumine III. Bibliothecæ Hebrææ *pagin.* 259. Quid? quod *Georgius Diodati* Damaſcenus refert nonnulla, quæ hic omitti nefas eſſe duxerim. Nimirum *Diodati* ille libellum Lipſiæ 1724. ſub titulo iſto edidit: Anfang der Weisheit iſt die Furcht Gottes. Ein warhaftiger Bericht, und ein heilſames Project fur die gantze wertheſte Chriſtenheit, wo Juden wohnen, und ſich ſelbige aufhalten, aber ſehr nutzlich fur die enfaltigen Juden. Autor ibi (10) ex-

exponit de *Ferdinando Simon Tof*, (11) qui *Hierosolymis Judæis*, *ibi commorantibus*, & *vehementer a Turcis afflictis*, trecentos nummos aureos mutuos dederit, eosdemque deinde Constantinopoli a Rabbinis, postea vero Pragæ a R. David Oppeuheimero ex *ærario pauperum* (12) *quod Hierosolymitanum vocant*, solvendos frustra repetierit. Hujus hominis causam apud Judices Christianos Pragenses, hinc vero apud Imperatorem Augustissimum egerat noster, atque ea occasione significaverat, *ingentem pecuniæ summam quotannis ex Germania in terram sanctam per eleëmosynas a Judæis collectas*, *ad sublevandos pauperes ibi versantes*, *mitti*, *atque adeo Imperatori aliisque Principibus Christianis subtrahi*. Quæ dum ex *Diodato* repeto, in memoriam venit *Wilhelmus Schickardus*, qui in Oratione de *Festo Purim* ejusdem festi cerimonias explicans tradit, *Semisiclum* illum, quem Judæi omnes nullo excepto *Exodi* XXX. 11. 12. ex lege quotannis tenebantur templo inferre, post destructam Hierosolymam jussu Titi illatum Capitolio, *hoc tempore ab ipsis circa festum Purim colligi pro pauperibus terræ Canaan*, *eoque transmitti*. Enimvero cum *Schickardus* nullum scriptorem adducat, qui fidem faciat, cum scriptores, qui vel de *festo Purim* agunt (13) vel historiam *semisicli sacri* recensent, (14) de *dimidio siclo*, quem *Judæi ad suos in Canaane religionis causa habitantes*, taceant prorsus, hinc *Campegius Vitringa* de Synagoga Vetere *lib.* III. *Part.* I. *cap.* 13. *pag.* 811. rem in medio relinquit, usque quo eam certius edoctus fuerit: interim tamen video *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* III. *cap.* 2. §. 10. *pagin.* 45. itidem nullo adducto autore, affirmare, quod *Judæi* adhuc hodie *semiclum sacrum* ubivis terrarum collectum in Palæstinam transmittant. En ipsa *Basnagii* verba: *on a même retenu* cet ancient Usage; *car* les Deniers, *que cette Nation leve en Hollande*, & *dans les autres Lieux*, où elle jouit de quelque Prosperitè, *sont envoies a Vènise*, & *de là a Thessalonique*. *On en achete les choses nècessaires pour habiller les Docteurs de la Terre Sainte*, & *en suite on les remet entre les mains* des Maitres de l'Acadèmie de Tibèrias, *qui en font la Distribution selon leur Prudence*, *au commencement de l'Annè*, *lorsque le Vaisseau èchape à la Vigilance des Corsaires*.

V. Et hæc quidem de *miserrimo Judæorum in Palæstina statu* loco satis commodo addere hic collibuit, nunc e diverticulo in viam redimus, pertexentes, quæ de *Adriano* adhuc dicenda restant. Quemadmodum autem Imperator ille gravissime *Judæis circumcisione interdixit*, (15) ita & cavit *ne libros sacros legerent*, nisi *vectigali pensitato*, cujus meminit *Tertullianus* Apolog. cap. XVIII. his verbis usus: *sed* & Judæi *palam lectitant*: *vectigalis libertas vulgo aditur Sabbatis omnibus*. Cum *Tertullianus Hadriani* expressis verbis non meminerit, dispiciendum, an *Tertulliani* verba ad Hadriani tempora debeant referri? Negat id ipsum *Jac. Basnagius*, (16) itemque *Paul. Pezronius*; (17) contra *Samuel Petitus* in Variis Lectionibus *cap.* XVIII. affirmat. En ejus verba; *Vectigal istud non a* Vespasiano, *aut ejus* filiis *fuit institutum*, *ut constat ex* Josepho, *necdum quicquam a* Severo *adversus* Judæos *fuerat constitutum*, *quando ista scribebat* Tertullianus, *qui* Apologeticum *scripsit*, *quo tempore* Severus *Pescenniniani belli reliquias persequebatur*, & *expeditionem in Parthos parabat*, *qui Pescennii partibus faverant*. Severus *autem a Parthico bello rediens* primum in Judæos sæviit, & Judæos fieri sub gravi pœna vetuit, *ut est apud* Spartianum. *Inter* Vespasianum *autem ejusque filios* & Severum *nullus intervenit præter* Hadrianum, qui Judæos afflixerit. Hadrianus igitur is est, qui vectigal Judæis imperavit, ut liceret palam in Synagogis, Sabbatis omnibus libros Mosis & Prophetarum Hebraice legere, *quæ libertas vectigalis publice concessa*, *singulis privatim videtur denegata*. Hactenus *Petitus*, cum *Joh. Lightfootus* in Horis Hebraicis ad 1. *Corinth.* 11. itemque in Δεψφώνοις de rebus ad LXX. versionem spectantibus *cap.* II. *pag.* 8. Oper. posthumorum vectigalem illam Judæorum libertatem ad *Severi tempora* malit referri. At paulo distinctius quæritur, quid *Tertullianus* per *vectigalem* illam Judæorum *libertatem* designet? *Hugo Grotius* (18) & *Jac. Basnagius* (19) existimant a *Tertulliano* generatim innui, quod Judæis licuerit suam religionem impune profiteri: ab illa sententia *Henric. Valesius*, (20) *Joh. VVovverius* in *Syntagm. de Græc.* & *Lat. Bibl. Interpretat.* *Joh. Henr. Hottingerus* in Thesauro Philologico *Lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 336. *Guil. Ernest. Tentzelius* in Exercitatione Philologica de Proseuchis Judæorum §. 8. & *Baronius* (21) non recedunt longius. Neque vero negandum speciatim plerosque doctos viros vectigalem illam libertatem apud *Tertullianum* de ritu prælegendæ legis nominatim intelligere velle. Audiamus *Campegium Vitringam* de Synagoga Vetere *lib.* III. *Par.* 2. *cap.* 9. *pag.* 978. *sensus est* Tertulliani, inquit, *libertatem* legis divinæ in publico prælegendæ a *Judæis*

dæis Tertulliani ætate pecunia *redemtam fuiſſe : unde tamen neutiquam colligo cum Petito* , privatam Scripturæ Hebrææ lectionem illis prorſus fuiſſe interdictam . *Quomodo enim publice lex prælegi potuit abſque exercitatione privata ? aut* quæ ratio, publicam legis lectionem concedendi, privatam prohibendi? *Vel etiam*, *cur prohibuiſſent Romani*, *in Religionibus aliarum gentium tolerandis ceteroquin faciles* , *quod in ſua poteſtate non fuit per interdicta impedire ? Quod* Judæorum *aut* Chriſtianorum perſecutores, Epiphanes, Diocletianus, Maximianus, ſacros libros per edicta tradi juſſerint , & in eos flammis devovendos, inquiri voluerint, rarum omnino & extraordinarium fuit , *& a communi inſtituto* Imperatorum Romanorum *alienum*. *Et quicquid etiam* Romani Imperatores Gentiles *hic moliti ſint adverſus* Chriſtianos, *non memini legere*, (22) in Judæorum religionem dira ejuſmodi perſecutione ab iis unquam ſævitum eſſe. *Et ſi omnino ad idem exemplum ſævire voluiſſent* , *interdicta lectione legis privata*, *certus ſum permiſſuros non fuiſſe publicam*. Fac autem Judæis privatam legis *lectionem* conceſſam; at *publicam certa pecunia redemtam* fuiſſe , magna tamen adhuc ſupereſt controverſia *de ipſo codice* , quem *in publica lectione* adhibuerunt, *Hebræus* ne ille fuerit, an *Græcus* ex ſeptuaginta interpretum verſione? *Jacobus* quidem *Baſnagius* (23) deridet illos , qui hanc diſceptant quæſtionem, at ſatius tamen fuerit nonnulla hic moneræ , quæ ad verba *Tertulliani* interpretanda faciant. Nimirum codicem Hebræum a *Tertulliano* intelligi affirmat *Sam. Petitus* in Variis Lectionibus *cap.* XVIII. in hanc ſententiam diſſerens : *duo docet Tertullianus his verbis*. *Prius eſt* , Judæos *habuiſſe* libros *antiquiſſimos* , *ſua* , *hoc eſt* Hebræa lingua deſcriptos, *alterum vero ne notitia vacarent* , in Græcam fuiſſe verſos *a ſeptuaginta duobus interpretibus* , Ptolomæo Philadelpho *curante*. *Nequis vero poſſet ſuſpicari*, *hos libros Græce fuiſſe conſcriptos*, *non Hebraice*, *duobus pugnat argumentis* , Hebraice ſcriptos eſſe . *Nam apud Serapæum Ptolomæi Bibliothecæ cum ipſis Hebraicis literis* exhibentur: & hac ipſa lingua Judæi eos palam lectitant. Hactenus *Petitus*, cujus ſententiam quoque tuetur *Vitringa* de Synagoga Vetere *lib.* III. *Par.* 2. *cap.* 7. *pag.* 956. ſiquidem pluribus inſuper argumentis probat *Judæorum Canones lectionem legis ex verſione inſtituenda proſcribere* , etſi nihilominus *Scripturæ verſionem Græcam in privatos uſus* non improbarint. Pergimus ad doctos viros, qui codicem Græcum apud *Tertullianum* intelligunt. Atque hanc ſententiam præter *Joſephum Scaligerum*, (24) *Paulum Pezronum* , (25) *Joh. Buxtorfium* in lexico Talmudico *pag.* 101. J. H. *Hottingerum* in Theſauro Philologico *lib.* I. *cap.* 3. *quæſt.* 12. *pag.* 336. *Brianum Waltonum*, *Uſſerium* in Syntagmate de LXX. Interpretum verſione *cap.* III. *pag.* 24. & *Joh. Lightfootum* , (26) inprimis tuetur *Baronius* Tomo II. Annalium ad A. C. 231. *num.* 35. Operæ pretium fuerit *Baronii* verba repetere adjectis aut infra poſitis obſervationibus , quæ meliora *Baronium* doceant: *quod pertinet ad Judæos*, inquit, *tantæ ea translatio apud omnes fuit autoritatis*, *ut quam plurimis deſcriptis* exemplaribus , *eiſdem uterentur in* ſynagogis , *in* lectionibus illis , *quæ ex more per omne ſabbatum legebantur* . *Exſtat ea de re inſigne teſtimonium apud* Lucam (27) *cap.* IV. 17. *ubi habet*, *Dominum ingreſſum in Synagogam*, *cum illud legeret Eſajæ*: Spiritus Domini ſuper me &c. *plane conſtat* ſecundum Septuaginta legiſſe : *quod poſitus a* Hieronymo *uterque textus ſignificat* . *Confirmatur hoc ipſum* de lectione Septuaginta *ex eo quod Tertullianus* in *Apolog. cap.* 18. *in fine tradit his verbis*: ſed & Judæi palam lectitant , vectigalis libertas vulgo editur ſabbatis omnibus : *nimirum quod* ſuos conventus collata pecunia redimere *ſolerent*, *cum pro* qualibet Synagoga Romano Imperio tributum *penderent*. *Fuiſſe quidem ejus editionis Judæos ſtudioſiſſimos pariter & cupidiſſimos*, *oblato libello ſupplice* Juſtiniano Imperatori (28) *aperte ſignificarunt*, *quo petierunt eandem*, *ſicut antea factum erat*, (29) *in ſuis ipſorum Synagogis leges debere*. Hæc *Baronius* , at vero ſunt, qui ſibi perſuadent *in uno Codice Synagogæ textui Hebræo verſionem Græcam adjectam fuiſſe* . Audiamus hanc in rem J. C. *VVolfium* in Bibliothecæ Hebrææ *Part.* II. *pag.* 445. *in Judæorum Helleniſtarum Synagogis* non verſionem illam Græcam ſolam , *quod nonnulli ſibi perſuadent* , *ſed* contextui Hebræo junctam legi conſueviſſe *recte adſtruit Rich. Simon* in Hiſtoria Critica V. T. *lib.* II. *cap.* 17. *pag.* 92. *edit. Latin. Quod ipſum non ſolum ex* pervulgata illa Juſtiniani novella *veri fit ſimile* , *ſed hodierna quoque Judæorum conſuetudine confirmatur*, *qui in Synagogis ſuis* , *non habita ratione ſupinæ*, *quæ inter vulgus dominatur* , *ignorantiæ in Hebraiſmo* Legem Hebraice prælegunt , ne adjecta quidem interpretatione , *quam ad ſcholas ſuas & ludos librarios remittunt*. *Illuſtris præterea locus eſt* Tertulliani *cap.* 18. Apologetici: *ex hoc loco recte omnino*, *me judice Humfredus Hody* de Bibliorum textibus Ori-

ginalibus *pag.* 224. *sequ. contra Job. Lightfootum* in Horis Hebraicis ad *Actor.* VI. I. *lectionem Græcæ versionis in Synagogis receptam confirmat. Si quid autem video, ex eodem patet*, eam cum lectione contextus Hebraici conjunctam fuisse, *quia ipsum illud exemplar Bibliothecæ Ptolomæi* Hebraicum codicem versioni Græcæ junctum *exhibuit, ad morem scilicet, inter Judæos utroque utentes, receptum. Recte enim* Havercampius *in notis ex illis* Tertulliani *verbis efficit* biglosson fuisse hoc monumentum, *nec video, quomodo* Hodius *pag.* 225. *aliam horum verborum interpretationem satis tueri possit*. Et hæc quidem de vectigali Judæorum apud *Tertullianum* libertate, collatis doctorum hominum sententiis dicere collibuit: aliam eamque prorsus singularem viam in verbis *Tertulliani* interpretandis insistit *VVilhelmus a Loon* in Eleutheria, sive *lib.* IV. de manumissione servorum apud Romanos. (30) Etenim pro certo habet ad *libertatem vectigalem servorum manu missorum apud Romanos* hoc in loco respici, cum istiusmodi liberti vectigalis hujus præfectis qui vigesimarii inde appellabantur, impetrata manumissione vigesimam partem pretii illius, quo æstimabantur manu missi servi, ærario publico penderent. Nostrum non est nunc dispicere an a dicto Jurisconsulto verba *Tertulliani* recte sint explanata, interim monendum *Petrum Burmannum* in Dissertatione de Vectigalibus P. R. nonnulla de *vicesimariis* habere huc referenda. En *Basnagium* interpretem *Burmanni* dans l' Histoire des Ouvrages des Savans Ann. 1694. mens. August. *pag.* 529. l' auteur fait encore l' ènumeration de quelques autres impots; tel ètoit celui qui se prenoit *sur l' affranchissement des Esclavages*. On donnoit la 20. partie de la valeur de l' Esclave. C' est pourquoi on nommoit *vicesimarius* celui qui ètoit prepose à recevoir ce droit. Il ne s' exigeoit que des citoyens Romains qui mettoient leurs Esclaves en libertè; les ètrangers en ètoient exemts, parceque leurs Esclaves affranchis n' acqueroient point le privilege de bourgeoisie Romaine. Ceterum confer adhuc *Samuelem Pitiscum* in lexico Antiquitatum Romanarum in vocibus Vigesima & Vigesimarius.

NOTÆ.

(1) Judæos illic plurimos fuisse etiam docemur Actor. II. 10. Ἄιγυπτον, καὶ τὰ μέρη τῆς Λιβύης τῆς κατὰ Κυρήνην, quare sæpe junguntur *Judæi Libyes*, *Cyrenenses* & *Alexandrini*. Actor. VI. 9. junguntur Synagogæ Judæorum Λιβερτίνων, Ἀλεξανδρέων, Κυρηναίων. Neque vero dubitat *Adrianus Relandus* ad *Josephi* Antiquitatum lib. XVI. cap. 5. quin ibi apud Lucam *Judæi Libyes* intelligantur, & corrupta sit ibidem lectio Λιβερτίνων. *Notum est*, inquit *Relandus*, *Libystinos formari a Libya æque ac Libys*. Nec vacat jam nec libet illam *Relandi* conjecturam ad examen vocare, interim observamus ante *Relandum* eandem emendationem in Lucæ verbis instituendam *Jacobo Gothofredo* semel iterumque in mentem venisse. Vide Tomum I. Bibliothecæ nostræ Antiquariæ & Exegeticæ pag. 159. sequ.

(2) Dans l' Histoire des Empereurs & des autres Princes qui ont regne durant les six premiers Siecles de l' Eglise Tomo II. Confer inde excerpta apud *Jo. Clericum* dans la Bibliotheque Universelle & Historique Tomo XXV. *pag.* 102. sequ.

(3) Ante *Petavium* & *Olearium* jam pridem *Raymundus Martini* in Pugione Fidei P. II. *cap.* 4. §. 16. *pag.* 319. verba Christi sub Adriano suum implementum habuisse, observavit. Quæ sententia quoque arridet *Theophylacto* in *cap.* XIII. Marci apud *Jo. Casp. Suicerum* in Thesauro Ecclesiastico in voce Λίθος num. I.

(4) In Observationibus ad Matthæum pag. *660.*

(5) Vide præter *Philippum Rubenium* lib. I. Electorum *cap.* I. etiam *Andream Cirino* in Libro Singulari Antiquarum Lectionum de Urbe Roma cap. I. §. 10. *Jo. Dougtæum* P. I. Analect. *pag.* 283. & *Jac. Lydium* in Syntagmate S. de Re Militari *lib.* VI. *cap.* 5. *pag.* 234. qui ex hoc ritu illustrant verba Dei de excidio Hierosolymitano Jerem. XXVI. 18. Michæ III. 12. Ceterum adde Tomum I. Bibliothecæ nostræ Antiquariæ & Exegeticæ *pag.* 1093. itemque *Sam. Pitiscum* in lexico Antiquitatum Romanarum in voce Urbs.

(6) Vide quæso *Laurentium Begerum* in Continuatione Thesauri Brandenburgici *pag.* 607. sequ. *pag.* 679. *Ezech. Spanhemium* de Orbe Romano Exercit. I. *cap.* 15. *pag.* 92. *Vaillantium* in libro de Nummis Coloniarum, *Nicol. Abramum* in notis ad *Ciceronis* Orat. II. Philippic. *Andream Cirino* in Libro Singulari Antiquarum Lectionum de Urbe Roma, *cap.* 33. §. 430. *pag.* 374. Tomo II. Thesauri Novi *De Sallengre*, *Burcardum Gotthelff struvidm* in Historia Juris Romani *cap.* I. §. 35. *pag.* 131. & *Eliam Blanchardum* dans la Dissertation des Ceremonies cbservees par les Romains a la fondation des Villes p 63. Tomo III. de l' Histoire de l' Academie Roygl des Inscriptions & belles Lettres.

(7) Ex *Tillemontii Tomo* II. Historiæ Imperatorum hæc repetit *Jo. Clericus* dans la Bibliotheque Universelle & Historique Tomo XXV. *p.* 103. pour ce qui regarde *la remarque de Scaliger*, que la charrue avoit ete passee sur la Ville, lorsqu' elle fut prise par Tite; il n' en allegue d' autres preuve, que ce qu' il a avance *dans ses Canons Isagogiques*, sur l' autorite des Juifs, qui disent que *Turnus Rufus avoit passe la charrue sur le Temple*, ce qui est fort different. Il pretend de plus que ce fut apres que le Temple eut ete ruine par Tite: mais il ne cite personne qui le dise. *Joseph* n' en parle point, & S. *Jerome* dit assez positivement, que ce fut *apres la prise de Bether*, qui apartient certainement *au tems d' Adrien*: en sorte qu' il y a aparence que ce *Turanus Rufus*, n' est autre que *Tinnius Rufus*, qui commandoit en Judee sous Adrien, dans le tems de la Revolte, & qui y traita les Juifs avec une etrange rigueur.

(8) In Observationibus ad Matthæum *pag.* 661. refellit *Scaligerum*, qui sui oblitus in notis ad Chronicon Eusebianum pro *Turano Ruso Musonium Tyrrhenum* nescio quem tanquam aratri inductorem substituit.

(9) Quo minus mirum videatur, eundem lugendi morem Judæos nullo non tempore retinuisse. Ita R. *Jehuda filius Jechija*, *f.* R. *David*, *f.* *Gedalia Jacchia* scriptor sæculi XIV. composuit קינה *lamentationem*, quam Judæi IX. Julii (est autem ille *dies jejunii* quod vocant תשעה בעב in memoriam excisi templi primi & secundi institutum) recitare consueverunt, obviam adhuc in Machsore Hispanico *pag.* 174. Hactenus *J. C. Wolfius* Bibliothecæ Hebrææ P. I. n. 729. *pag.* 433. Non alienum fuerit hic subjungere verba *Josephi Scaligeri* in Elencho Tri-

Trihæresii *Nic. Serarii* cap. XIII. p. 100. quos *Benjamin* vocat אבילי ירושלם ii sunt θρηνῳδοὶ qui nulli alii rei, quam desolationi Sanctuarii deflendæ operantur. Ii ab excidio templi semper fuerunt apud Judæos, & quotannis Jerosolyma semel ex edicto Hadriani ingressus illis patebat, ad urbis eversionem lacrymis & lamentis prosequendam, puto nona mensis Ab, quod non dubito. Hactenus *Scaliger*.

(10) Excerpta hæc ex *Diodati* libro debemus J. C. *Wolfio* Bibliothecæ Hebrææ Vol. III. *pag.* 937. cujus verba ipsa hic repetimus.

(11) nimirum *Girdinand. Schimon Tof*, Smyrnensis, Rabbinus olim Hierosolymitanus, & inter suos Jacob *Simon Topf* dictus, deinde vero, cum Pragæ A. 1717. baptizaretur, altero nomine insignitus, hic intelligitur.

(12) *Simon Luzattus* in libri Italici paulo ante citati *cap.* IX. *tria* describit *æraria*, quæ Gens Judaica *in usum pauperum* instituerit, teste *Wolfio* Vol. III. Bibliothecæ Hebrææ *pag.* 1151.

Vide *Buxtorfium* de Synagoga cap. 29. & adde *Leonem De Modena* P. I. cap. 14.

(14) Vide inter hos præcipue *Waserum* de antiquis nummis Ebræorum *lib.* II. *cap.* 9.

(15) *Spartianus* in Hadriano: *moverunt ea tempestate & Judæi bellum, quod vetabantur mutilare genitalia*. Confer omnino ad hanc verborum illustrationem *Jac. Basnagium* dans l' Histoire des Juifs *lib.* VII. *cap.* 12. §. 5. *pag.* 335. sequ. & *Adrianum Relandum* in notis a J. H. Otthonis Historiam Doctorum Mischnicorum *pag.* 146.

(16) Dans l'Histoire des Juifs libro VII. cap. 12. §. 38. *pag.* 377. ita differit: on n' a jamais parle de cet Impot leve sur les Juifs par Adrien. Cependant, il devroit etre beacoup plus connu, si on l' avoit paie depuis le Commencement du second Siecle jusqu' a *Tertullien*. Mais *Tertullien* ne parle ni d' Adrien, ni de la Lecture de la Bible en Hebreu plutot qu' en Grec: il indique seulement *la Liberte de Conscience & l' Exercice public de la Religion*, qu' on achetoit par quelque Tribut. --- *Cet Impot* est plutot celui *de Didragmes*, que les Empereurs exigeoient encore du tems *d' Origene* & de *Tertullien*.

(17) Dans la Defense de l' Antiquite des Tems c. 5. p. 153. hæc habet: Tertullien parle de la sorte, parce que l' Empereur Severe a l' exemple d' Adrien & d' Antonin, avoit defendu aux Juifs de lire les Ecritures; & ils n' obtenoient cette liberte des Magistrats Romains qu' a force d' argent; d' ou vient qu' elle est appellee par luy vectigalis libertas. Et c' est ce que mon Censeur (*Jo. Marcianæum* innuit, qui contra *Pezronum* scripsit Defense du texte Hebræu & de la Chronologie de la Vulgate, itemque Continuation de la Defense du texte Hebreu) ne scavoit pas, non plus que beaucoup d' autres choses semblables.

(18) De veritate religionis Christianæ *lib.* III. §. 10. in notis lit. (c) ubi simul addit verba *Tertulliani* illustrari posse ex Actor. IX. 20. XIII. 5. 14. *Philone* contra Flaccum & de Legatione, & *Josepho* passim.

(19) Dans l' Histoire des Juifs *lib.* VII. *cap.* 12. §. 38. *pag.* 377.

(20) In notis ad *Eusebium pag.* 28.

(22) Tomo II. Annalium ad A. C. 231. num. 35.

(22) Ita quidem loquitur *Vitringa*, at in Talmud in libro Taanit, in distinctione, quæ incipit Bischloschna perakim hæc verba leguntur: *in* XVII. *die mensis qui dicitur Tammus* (Junius est) combussit Posthumus legem *& statuit imaginem in templo*. Quæ verba mihi indicavit *Raymundus Martini* in Pugione Fidei P. II. *cap.* 14. §. 18. *pag.* 456.

(23) Dans l' Histoire des Juifs lib. VII. *cap.* 12. *pag.* 375. in hanc sententiam differit: quelques Critiques soutiennent, que ce Prince ajouta un nouveau Degre a la Misere des Juifs, en leur imposant un Tribut pour avoir la Liberte de lire la Bible en Hebreu, & que ce Tribut se paioit encore du tems de *Tertullien*, sur l' Autorite duquel ils s' appuient. On soutient que les Juifs, apres avoir souverainement estime *la Version des Septante*, commencerent a l' avoir en horreur lorsqu' ils s' appercurent qu' elle etoit plus favorable aux Chretiens que l' Hebreu. Mais, Adrien leur ordonna de ne se servir que de cette Version; tellement qu' il falloit donner de l' Argent pour pouvoir lire l' Hebreu dans les Synagogues le Jour du Sabbat. Les Critiques sont souvent hardis a faire des Systemes imaginaires. Il est vrai, que les Chretiens trouverent que la Version des Septante leur etoit d' autant plus avantageuse, qu' il y avoit peu de Gens qui entendissent l' Hebreu, au lieu que la Langue Grecque etoit repandue dans tout l' Empires & cela la rendit odieuse aux Juifs. Ce fut le meme Motif qui les engagea *sous l' Empire de Justinien*, a faire un Proces a ceux qui lisoient cette Version dans les Synagogues; & on comprend aisement que ce Prince interesse a favoriser le Progres de la Religion Chretienne, maintint dans leurs Droits ceux qui lisoient l' Ecriture en Grec. Mais, on ne concoit point qu' *Adrien* ait eu aucun Motif semblable: il lui etoit egalement indifferent qu' on lut le Grec ou l' Hebreu dans les Synagogues, ou dans les Maisons. Au contraire, la derniere Langue etant barbare a la plupart des Latins & des Grecs de l' Empire, le Judaisme devenoit moins dangereux.

(24) In animadversionibus ad *Eusebium* pag. 134. plurimis præivit, qui post ipsum scripserunt, versionem Græcam, quæ LXX. interpretum dicta est, in Synagogis Judæorum Hellenistarum olim solenniter esse plælectam. Inter alia argumenta ad stabiliendam suam sententiam, argumentum quoque ex præsenti *Tirtulliani* loco desumit, sed infelici admodum eventu, cum verba *Tertlliani* per transennam tantum inspexerit a *Campegio Vitringa* de Synagoga Vetere lib. III. P. II. *cap.* 7. *pag.* 957. recte notatus & confutatus. Quæ *Scaligeko* falso verborum *Tertulliani* interpreti respondet *Vitringa*, eadem opponenda itidem erant *Briano Waltono*, qui in Prolegomenis in Biblia Polyglotta Prolegom. IX. §. 14. consimili ratione verba *Turtulliani* pervertit, ut jam nihil addam de *Jacobo Usserio*, qui in Syntagmate de LXX. Interpretum versione cap. III. p. 24. verba *Tertulliani* cum *Scaligero* perperam interpretatur.

(24) Dans la Defense de l' Antiquite des Tems cap. 5. p. 353. itidem affirmat a *Tertulliano* Codicem Græcum intelligi hoc in loco.

(26) Alibi hanc quorundam eruditorum sententiam de Versione LXX. Interpretum in Synagogis plæiecta in dubium vocat, in Horis autem Hebraicis ad I. Cor. II. allato hoc *Tertulliani*, loco fere concedit, versionem istam lestam fuisse Romæ ejus ætate in Synagogis Judæorum Confer eundem *Lightfootus* in Λευγάνοις de rebus ad LXX. versionem spectantibus cap. II. pag. 8. Oper. posthumorum.

(27) Quid? *Brianus Waltonus* in Prolegomenis in Biblia Polyglotta Prolegom. IX. de Versione Græc. §. 14. non rejicit prorsus sententiam, *Christum Dominum in Synagoga Nazarethana textum Esaiæ ex translatione Græca prælegisse*, & prælectum in Syriacum idioma convertisse. Mirandum vero & dolendum doctos viros in disputando sæpe plus consulere affectus, quam rationem. In ipsius nempe *Galilææ Synagogis vigente Republica* & diffusis per Canaanem literarum sacrarum studiis, *Græca versio* prælecta fuerit, cum *Hebræus textus*, apud Judæos omnes variis nominibus quavis versione commendatior, intellectu multo facilior esset (Græca nempe Lingua, ceu ex *Josepho* constat, a paucissimis intellecta, a plurimis neglecta, contemtaque) & a doctis omnibus illo tempore diligentissime excoleretur! Quod autem *Lucas* textum a Domino prælectum fere descripserit, quemadmodum apud LXX. Interpretes habetur, nullum equidem cordatum virum movebit, qui Lucam Evangelium Græce scribentem, in citandis textibus, Græcis hominibus se accommodare debuisse intelligit. Hactenus *Vitringa* l. c. cujus verba itidem opponenda sunt *Paulo Pezrono*: etenim dans l' Antiquite des Tems defendue cap. IV. pag. 161. ex Lucæ IV. 17. idem cum *Waltono* repetit argumentum pro stabilienda versionis τῶν LXX. autoritate. Ceterum sunt quidam docti homines, qui existimant verba a Christo ex *Targum aliquo* recitata esse, eo quod nec cum Hebræo fonte nec cum rivulo Græco τῶν LXX. conveniant. Vide J. C. *Wolfium* Bibliothecæ Hebrææ P. II. pag. 1142.

(28) Ex sola *Novella Justiniani* CXLVI. liquet, exstitisse Judæos, qui circa medium *seculi sexti* usum versionis Græcæ, sive quod prælegeretur ipsa, sive

quod

quod interpretationi Hebræi textus inserviret, in Sacra Synagogæ inferre conati sunt, & cum in eo a Synagogæ præfectis præpedirentur, post prolixas lites rem detulisse ad Justinianum, qui rescripto suo *meliores judicat esse eos, qui* Græcam quoque editionem ad librorum sacrorum lectionem assumere volunt, *& quamcumque Linguam simpliciter, quam locus commodiorem & aptiorem audientibus facit*. Tum igitur temporis, quando editum hoc a Justiniano Rescriptum est, fieri potest, ut Synagogæ aliquot *Græcam editionem ad librorum sacrorum lectionem assumserint*. Nec tamen sic satis exploratum habemus, quid per hanc phrasin intelligere oporteat, an, quod, misso textu Hebræo, Græcum textum solum in Synagoga prælegerint, an vero quod lectioni Hebræi textus Græcam interpretationem ex libro aliquo, contra communem Synagogarum consuetudinem subjunxerint. Posterius, ut simplicissimum, suadent verba constitutionis Justinianææ, & probatur a Jo. *Crojo* Observat. in N. T. cap. 31. & *Waltono* in Prolegom. l. c. *Quod si jam*, inquit *Vitringa*, *antiqui & recepti moris fuisset* apud Judæos versionem Græcam in Synagogis prælegere, *non præbuisset utique hæc ipsa Græcæ versionis prælectio materiam prolixæ contentionis sub Justiniano*, Ceterum de sensu Novellæ in hoc argumento disputat quoque *Jacobus Altingius* Heptad II. dissertation. Academicar. dissertatione II. de tempore cœptarum & modo usurpatarum in Ecclesia versionum Sacræ Scripturæ thesi 28. pag. 141. ut alios doctos homines nunc taceam, quos videre licet apud J. C. *Wolfium* Bibliothecæ Hebrææ P. II. pag. *679*. sequ.

(29) *Baronio* opponimus verba *Vitringæ*: notam mererer *temeritatis*, si *absolute affirmarem*, versionem Græcam in Synagogis Judæorum ante illa tempora (Justiniani) nunquam fuisse prælectam, quia neque Synagogarum singularum mores certa Historiarum fide ad nos translati, neque etiam, quæ certa fide recepimus, a me perspecta sunt omnia. Quare tutissimum fuerit, judicium hac de re suspendere, usque quo certioribus & solidioribus argumentis, quod mihi dubium hactenus & incertum est, adstructum videro.

(30) Videamus Journal des Scavans Tomo XVI. Anno MDCLXXXVIII. pag. *69*. ubi autoris sententia his verbis exponitur. Les affranchis payoient aux Receveurs des impositions publiques la vintieme partie de tout ce qu'ils possedoient. L'auteur est persuade que *Tertullien* avoit cette redevance en vue quand dans le dix-huitieme chapitre de son Apologie pour la Religion Chretienne, il dit, que *la liberte est sujette a un impot*. Il faut une penetration d'esprit toute extraordinaire pour decouvrir dans les paroles de *Tertullien* un sens aussi cachè que celui-là. Le commun des lecteurs n'y entendra rien autre chose sinonque les Juifs avoient la liberte de s'assembler les jours de Sabat dans leurs Synagogues pour y lire l'Ecriture, mais qu'ils ne l'avoient pas gratuitement, & que pour en jouir il faloit qu'ils payassent une certaine somme d'argent aux Romains, a l'obeissance desquels ils estoient soumis.

CAPUT VIII.

Historia Fisci Judaici sub aliis Imperatoribus Romanis & præcipue sub Juliano Apostata.

I. AD alios Imperatores Romanos dum ire perreximus, notamus ante omnia, de rebus gestis *Antonini Pii* adversus Judæos nullam penitus esse mentionem, nisi quæ apud *Julium Capitolinum* in vita Antonini Pii occurrit. *Judæos*, inquit, *rebellantes contudit*. Circumcisio ab Adriano Judæis interdicta tantorum motuum causa fuisse videtur: certe Antoninus cognita causa, Judæis etiam devictis *circumcisionis sacra integra* esse permisit. (1) Colligimus id inter alia ex *Justini Martyris* Dialogo cum Tryphone Judæo, hic enim Judæus apertis admodum verbis non solum testatur se circumcisum esse, sed & absolutam circumcisionis necessitatem urget, ut quæ fœderis divini sit sigillum. Quamvis autem Antoninum *sacra circumcisionis* Judæis permiserit, eodem tamen *Justino* in dicto Dialogo teste, Judæos graviter afflixit, urbes illorum incendio delevit, *& ne Hierosolyma adirent, aut inviserent, interdixit*. Interim Judæi passim jactitant, *Antoninum Pium* sibi impensius favisse, eundem *Proselytum* faciunt, sacrisque Judaicis initiatum, eidem *institutorum Mischnicorum collectionem* acceptam ferunt. Vide plura hanc in rem apud *Adr. Relandum* in notis ad *Otthonis* Historiam Doctorum Mischnicorum *pag. 146*. *Job. Seldenum* in Prolegomenis ad librum de Successionibus ad leges Hebræorum in Bona defunctorum, & *Job. Christoph. VVolfium* Bibliothecæ Hebrææ *Part.* II. *pag.* 840. At vero quis emunctæ naris homo fidem habebit istis fabulis? *Judæi* nunquam non apud *Romanis* in magno odio & contemtu fuerunt, ut vel *ex conviciis in Judæos collatis* constat. Vide plures scriptores huic rei testes apud J. C. *VVolfium* Bibliothecæ Hebrææ *Part.* II. *pagin.* 1100. quibus addimus *Balth. Bonifacium* in Historia Ludicra *lib.* XX. *cap.* 4. *pag.* 572. *Emonem Lucium Vriemoet* in Oratione de variis *Gentilium*, ipsorumque *Christianorum* quorundam *in gentem Judaicam conviciis* ex ignorantia rerum Orientalium maximam partem ortis, & *Job. Spencerum lib.* II. *cap.* 2. *sect.* I. *pagin.* 366. ut nunc taceam *Theodorum Hasæum* integrum librum conscribere voluisse de calumniis Gentilium in Judæos. Vide *Tomum* X. Histoire Critique de la Republique des Lettres tant Ancienne que Moderne *pag.* 416. Quamvis autem Judæi *Antoninum Pium* faciant, *Proselytum*, nos oportet in memoriam revocare verba illa *Guil. Henr. Vorstii* in Observationibus ad R. *David Ganz pag.* 307. *Thalmudici fabulatores, ut splendorem addant suæ legi, etiam* proselytis *suis lubenter* augusta Imperatorum ac Regum nomina *inserunt*. Nunc e diverticulo in viam redimus, & ad alios Imperatores Romanos pergimus. Judæi utique *Marco Antonino Philosopho* contemti exosique fuere: namque idem teste *Ammiano Marcellino lib.* XXII. *c.* 4. cum Palæstinam transiret Ægyptum petens *fœtentium* Judæorum *& tumultuantium sæpe, tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse: o Marcomanni! o Quadi! o Sarmatæ! tandem alios vobis deteriores inveni*. Per contemtum *Judæi fœtentes* ap-

appellantur, quemadmodum etiam *Rutilius* in Itinerario *obscœnam gentem* Judæos vocat, & *Martialis* eisdem *fœtorem* objicit, uti ad h. l. *Marcellini* observat *Freder. Lindenbrogius*. Quæ calumnia Judæis semper gravis visa est: hinc *Isaacus Cardoso* Doctor Medicus Hispanus & Judæus relapsus edidit Amstelodami Ann. *1679.* in 4. Excelencias de los Hebreos: in hujus libri parte altera, quæ inscribitur: Las Excelencias y calunias de les Hebreos autor, gentem suam ab objecto *odore fœtido* vindicare conatur, uti nos docent *Jac. Basnagius* dans l'Histoire des Juifs *lib.* IV. *cap.* 14. §. 11. *pag.* 315. & J. C. *VVolfius* Bibliothecæ Hebrææ *P.* II. *pag.* 1053. Quicquid erit de illo *Judæorum fœtore*: Vide ante omnes *Thomam Brovvn* in libro Anglice primum scripto, deinde Gallice verso, cui titulus: Essai sur les Erreurs Populaires, ou Examen de plusieurs Opinions recues comme vrayes, qui sont fausses ou douteuses *lib.* IV. *cap.* 10. *pag.* 478. *seq.* Hæc tunc Marcus Imperator, cujus judicio omnibus barbaris nationibus Judæi deteriores sunt habiti, uti recte observat *Baronius Tomo* II. Annalium ad A. C. 178. *n.* 4. Imo vero idem teste *Jacobo Basnagio* dans l'Histoire des Juifs *libro* VIII. *cap.* 1. *pag.* 20. leges ab Adriano contra Judæos scriptas, ne intermortuæ viderentur, renovavit: quamvis legum fulmina sprevisse videantur Judæi, in Asia præsertim, ubi Roma procul tanto licentius multa fecerunt, quanto major esset illorum numerus. Fidem facit *Claudius Apollinaris* apud *Eusebium* Historiæ Ecclesiasticæ *lib.* V. *cap.* 16. satis ille antiquus adversus Montanum ejusque sectatores scriptor: *quis illorum*, inquit, *qui vel a* Judæis *sit persecutionem perpessus, vel a nefariis & facinorosis Gentibus neci traditus? nemo certe: neque quisquam illorum prehensus aliquando pro Christi nomine cruci adfixus est: neque* in Judæorum Synagogis *mulier ulla inter eos aliquando* flagris cæsa, (2) *aut lapidibus usquam obruta.* (3)

II. Infelicissima fuit primis *Severi* temporibus *conditio Judæorum*; quippe qui imprimis a *Pescennio Nigro* Orientale Imperium invadente fuerunt tributis vehementer oppressi: de quo illud commemorasse satis, quod *Spartianus* in Pescennio his tradit verbis: *idem Palæstinis rogantibus* (nempe Judæis) *ut eorum censitio* levaretur, *idcirco quod esset gravata, respondit: vos terras vestras levari censitione vultis: ego vero etiam aerem vestrum censere vellem*. Nimirum innuitur *vectigal pro aere*, quem adspirando trahimus, institutum. Vide *Sam. Pitiscum* in Lexico Antiquitatum Romanarum *Tomo* II. J. C. *Bulengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* 74. *pag.* 900. *Tom.* VIII. Thesauri *Grævii*, *Henricum Christ. Henninium* in notis ad *Nicolai Bergierii lib.* 1. de Publicis & Militaribus Imperii Romani Viis *pag.* 648. *pag.* 1038. Occiso autem Pescennio, qui eos adeo affligebat, visi sunt Judæi aliquantulum respirasse. Tunc enim illorum Rabbini illud *Danielis* XI. 34. *cumque corruerint, sublevabuntur auxilio parvulo*, perperam usurpantes de *Severo* & *Antonino* filio putarunt intelligendum, quod Judæi ab eis diligi visi essent. Vide quæ ex *Hieronymi* Commentario in Danielem refert *Baronius Tomo* II. Annalium ad A. C. 199. *num.* 2. & *Herm. VVitsius* in Diatriba de Legione Fulminatrice Christianorum §. 63. Sed quam mendaces essent eorum interpretes, & quam falsam de Severo concepissent exspectationem, plane declaravit eventus. Nam primum in expeditione agente Severo, Claudius ex Pescennii partibus homo Romanus latronem agens, Judæam ac Syriam incursavit teste *Dione* in Severo. Posthæc sub Severo ipso rebellantes, ab eodem devicti sunt. Decretum fuisse de Judæis a Senatu triumphum autor est *Spartianus*, licet ipsum bellum Judaicum ab antiquorum nemine reperiatur esse descriptum. At de miserrima Judæorum conditione horum temporum fidem facit *Tertullianus* in *Apol. cap.* 21. *dispersi, palabundi, & cœli & soli sui extorres vagantur per Orbem, sine homine, sine Deo Rege: quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur*. Hæc *Tertullianus*, ex quibus apparet, Judæos sicut olim sub Adriano, ita nunc pariter *sub Severo* patrio solo exclusos, ac magna pecunia coercitos. Certe idem *Tertullianus* contra Judæos *cap.* hæc repetit: *interdictum est, ne in confinio ipsius regionis demoretur quisquam Judæorum*: ut hoc quoque esset adimpletum per prophetam Esaiam I. 7. terra vestra deserta, civitates vestræ igni exustæ, *id est, quod belli tempore eis venerit:* regionem vestram in conspectu vestro exteri comedent, & deserta & subversa erit a populis alienis. *Et alio loco sic per prophetam Esaiam* XXXIII. 17. *dicitur*: regem cum claritate videbitis, id est, *Christum facientem virtutes in gloria Dei Patris*: & oculi vestri videbunt terram de longinquo: *quod vobis pro meritis vestris post expugnationem Hierusalem, probibitis ingredi in terram vestram, de longinquo eam oculis tantum videre permissum est*. Nolim jam disquire-

re,

re, an *Tertullianus vaticinia Esajæ ad illum statum Judæorum* recte accommodaverit, (*Tertullianum* quidem & *Justinum Martyrem* tum in Apologia I. tum in Dialogo cum Tryphone vaticinia Esajæ illuc perperam trahere pluribus declarat *Vitringa Tomo* I. Commentarii in Esajam *pag.* 31.) interim tamen ex *Tertulliano* miserrimam gentis Judaicæ illa ætate conditionem recte colligimus. Unum adhuc est, quod de *Tertulliano* addi volumus. Nempe cum *Eusebio lib.* VIII. de Domonstratione Evangelica, scribit, Judæos non modo in urbem sacram, sed universam Palæstinæ regionem ingredi vetitos. Vide *Henr. Valesium* in adnotationibus ad *Eusebium pag.* 60. Ceterum idem Severus Judæos fieri sub gravi pœna vetuit teste *Spartiano*, hoc est circumcidere tantum filios suos Judæis permisit, non vero in non ejusdem religionis: idem aliquanto mitior postea in Judæos (4) eosdem *jure civitatis Romanæ*, aliisque *honoribus* donavit. Ita omnino est: etenim hic audire juvat *Ezech. Spanhemium Exercitat.* I. de Orbe Romano *pag.* 100. *Judæi entra Judæam in variis Romani orbis provinciis nati, aut domicilium ibi figentes* pari jure & conditione cum reliquis eorundem locorum civibus agebant, *indeque ad* munera civilia in iis obeunda, *aut* ad curiales etiam honores ac administrationes *latis quoque Romanorum Imperatorum constitutionibus sunt admissi. Leg.* III. D. de Decurionibus. *Exstant in thesauro Romanarum legum cum* Ulpiani *tum* Modestini (5) *verba ea de re, ut de posterioribus Christianorum Principum*, (6) Constantini, (7) Gratiani, Honorii, *aliorumque, quæ idem sanciunt, vel renovant, & quæ in* Codice Theodosiano *prostant, edictis; donec postea* (8) Leonis constitutione *sunt eadem abolita, nihil nunc dicam.* Adeo etiam ut iidem *Judæi*, non *Romano* solum & *communi* jure, ut de iis (9) ab Arcadio dicitur, *viverent*, sed & *cives Romanos* eos jam olim habitos, (10) vel inde liquere possit, quod a *tutela*, quæ erat civilis Quiritium juris, a quo exclusi erant peregrini, haud immunes essent iidem Judæi. Docent id *Modestini* (11) Dig. de Excusatione Tutorum ea de re verba: *Jam autem &* Judæi, *non Judæorum* (nempe Gentilium) tutores *erant, sicut & reliqua administrabant: constitutiones enim in iis solis sine molestia eos esse jubent, per quæ cultus inquinari videtur.* Neque enim *Alciato*, vel *Budæo* accedimus, qui per Judæos Christianos intelligi volunt, sed ipsos Judæos innui credimus, quibus ea quæ ad religiosum eorum cultum pertinent, peragere conceduntur. Hæc *Spanhemius*, adde *Justum Henningium Boehmerum* in Dissertatione de Jure Sacro & Profano circa Infideles *sect.* II. *cap.* I. §. 8. & in Dissertatione Juridica de cauta Judæorum tolerantia §. 3. *pag.* 5. *Dionys. Gothofredum* ad *l.* 3. §. f. de decur. *Josephum Castalionem* in Commentario de Columna Triumphali Imp. Antonini *pag.* 1947. *Tomo* IV. Thesauri *Grævii*, itemque *Jacobum Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* VIII. *cap.* 2. §. 7. *pag.* 49. Porro autem *Ulpianus leg.* III. D. de Decurionibus, hæc habet: *eis, qui Judaicam superstitionem sequuntur, Divi Verus & Antoninus honores adipisci permiserunt: sed & necessitates eis imposuerunt, quæ superstitiones eorum non læderent.* Quæ verba præter *Theodorum Hasæum* in Diatriba de Ὀνολατρέᾳ *cap.* IV. §. 20. *pag.* 87. infelicem verborum horum interpretem, itemque *Hieron. Magium* in libro posthumo de Tintinnabulis *cap.* II. *pagin.* 1174. *Tom.* II. Thesauri *Novi de Sallengre*, & *Andream Tiraquellum* de Jure Primigenitorum *quæst.* 66. *num.* 42. *pag.* 458. *Tomo* I. Operum, non satis hac in re sagacem sive cautum, etiam *Baronius Tomo* II. Annalium ad A. C. 177. *num.* 7. in medium affert, sed ita, ut & falsam verborum lectionem, & falsam eorundem interpretationem cum lectore communicet. Primum haud omnino opus fuerit, ut in illo *Ulpiani* loco pro recepta ibi & venerandi Codicis Medicei firmata lectione, *D. Severus & Antoninus*, reponatur *D. Verus & Antoninus*, idque præter solennem in eadem Romani juris penu morem, quo nuspiam *Veri* nomen, nempe *Lucii Veri* generi, *Marco Antonino* Socero ac Seniori Imperatori præmissum legitur. Quod alioquin de duobus illis, qui eam de Judæis constitutionem tulerunt, *Severo* & *Antonino*, Patre quanquam & Filio factum subinde constat, nempe ab iis Jurisconsultis *Paulo* & *Ulpiano*, qui Severo Patre jam mortuo & Antonino Caracalla superstite, constitutiones ab iis latas referunt (12) *Imperatores Antoninus & Severus Augusti*, vel (13) *Rescripti Imperatoris nostri & Divi Patris*, aut (14) ab Imperatore nostro & Divo Patre ejus, aut vero ab ejusdem Caracallæ obitu, ut a *Modestino* alibi (15) *D. Magnus Antoninus cum Patre rescripsit.* Et hæc quidem contra *Baronium* de vera lectione apud *Ulpianum* observare æquum erat: quando autem *Baronius*, per eos, qui *Judaicam superstitionem sequuntur*, & ad honores, Severi & Antonini constitutione admissi ab *Ulpiano* dicuntur, Christianos intelligi putat, fallitur, quamvis in hac

sen-

ſententia ſequatur *Alciatum* ducem in *diſpunct. lib.* III. *cap.* 8. Non negamus *Tertullianum* ad Scapulam *cap.* 6. teſtem eſſe creſcentis ita Chriſtianæ rei ſub Severo & filio Antonino Caracalla, ut in aula etiam tolerati & officiis admoti fuerint Chriſtiani, vide *Chriſtoph. Cellarium* in Diſſertatione de Primo Principe Chriſtiano §. 20. Fatemur etiam *Romæ*, cum adhuc Pagana eſſet, fuiſſe *ſummæ dignitatis viros*, qui ſubinde *Chriſto nomen dederint*, vide *Phil. Jac. Hartmannum* in Commentario de Rebus geſtis Chriſtianorum ſub Apoſtolis *cap.* IX. *pag.* 183. *Joh. Mich. Heineccium* in Diſſertatione de Miniſtris Cæſarum Gentilium Chriſtianis, eorumque in Eccleſia meritis, *Theodor. Haſæum* in Sicilimento ad C. A. *Heumanni* Diſſertationem de Theophilo, cui Lucas Hiſtoriam Sacram inſcripſit §. 17. *pag.* 527. *Biblioth. Brem. Claſſis* IV. *Faſciculo* III. at ex verbis allatæ conſtitutionis delatos Chriſtianis honores nunquam probabis: ſiquidem etiam *Marquardus Freherus* in diſſertatione de Numiſmate Cenſus itidem hic loci ſolos Judæos intelligi putat. Quamvis enim primis Eccleſiæ temporibus Chriſtianos cum Judæis confuderint Romani, notiores tamen *Ulpiani* temporibus erant Chriſtiani, quam ut ab *Ulpiano* & quidem e Phœnice oriundo, cum Judæis confunderentur. Adde jam hanc ipſam conſtitutionem ab Imperatoribus, ſub quibus Chriſtiani ſævam ſunt perſecutionem paſſi, de Judæorum honoribus latam eſſe: cum alioquin nec iis immunitatibus vel privilegiis ſub gentilibus Imperatoribus uſi fuiſſent Chriſtiani, quæ Judæis ſolennibus pridem Romanis Senatus & Imperatorum edictis, uti *Philo* & *Joſephus* paſſim teſtantur, indulta fuerant. Præterea obvia eſt de *Judæorum ſuperſtitione* apud Romanos autores, qui eorum meminere, mentio, ut apud *Ciceronem* pro Flacco: *huic autem barbaræ ſuperſtitioni*, Judæorum nempe *reſiſtere*, & apud *Tacitum* Hiſt. V. 13. *gens ſuperſtitioni obnoxia, religionis adverſa*. Hæc ex *Ezechiele Spanhemio* ad Reſcriptum Severi & Antonini de *Judæis*, nunc adire quoque liceat *Herm. VVitſium* in Diatriba de Legione Fulminatrice Chriſtianorum. Poſteaquam enim obſervarat, *Gothofredum* & *Franc. Balduinum* in libro ad Edicta Principum Romanorum de Chriſtianis, in dicto reſcripto Severi & Antonini, non *Chriſtianos*, ſed *Judæos proprie ſic dictos* intelligi, hæc verba addit §. 63. *id autem certum* magnum fuiſſe Imperatorum Severi atque Antonini adverſus Judæos favorem: *non tamen ſemper*. Multatos *fuiſſe* a Severo Palæſtinos e Spartiano *liquet*, *quod pro Nigro diu in armis ſtetiſſent*: *ſed & idem teſtatur*, Severum Palæſtinis pœnam remiſiſſe, *quam ob cauſam Nigri meruerant*. *Porro cum pœna iis inflicta fuerit*, excidiſſe jure civitatis Romanæ; *remiſſio pœnæ*, *eſt juris illius reſtitutio*. Samuel *quidem Petitus* in Diatriba de Jure Principum edictis Eccleſiæ quæſito pag. *66. dubitat*, *num* Palæſtinorum (16) nomine Judæi *intelligantur*: *neque nobis libet contendere*. *Id conſtat*, anno Severi nono Judæos bello fuiſſe vexatos, *unde Antonino Senatus* Judaicum triumphum *decrevit*. *Cumque Romam rediret*, *anno imperii ſui decimo*, *Coſſ. ipſo Severo* III. *& Antonino Auguſto*, in itinere Judæos & Chriſtianos fieri ſub gravi pœna vetuit: *ſed* animum *videtur* in Judæos mutaſſe Severus, *& quantum oderat prius tantum dilexiſſe*: *hactenus ut* Judæis honores adipiſci *edicto permiſerit*. Quæ cum ita ſint, verba illa conſtitutionis: *ſed & neceſſitates eis impoſuerunt*, *quæ* ſuperſtitionem eorum *non læderent* omnino reſpiciunt ad eas Edictorum in Judæorum gratiam ſubinde conceſſorum formulas, quibus liberorum circumciſionem, ſtataſque ſabbati, aliorumque ſolennium ferias, quæ ad religioſum eorum *cultum*, ſecundum *Modeſtinum*, aut *ſuperſtitionem* ſecundum *Ulpianum*, pertinerent, Judæis, citra ullum impedimentum & moleſtiam, peragere concedebatur. Ceterum nulli dubitamus, quin Judæi, cum *ſub Severo tot honoribus præ Chriſtianis donati* eſſent, more ſuo Chriſtianis illuſerint, quippe graviſſime afflictis: an vero nebulo ille ex Judæorum grege fuerit, (17) qui hac ætate teſte *Tertulliano lib.* I. ad Nationes *cap.* XIV. & in *Apologet. cap.* 16. exhibuit *Chriſtum pictum auribus aſininis*, *pedum altero ungulato*, *liberum geſtantem ac togatum*, cum hujuſmodi inſcriptione: *Deus Chriſtianorum Ononychites*, (18) non habeo dicere temporis anguſtia excluſus.

III. Quod rurſum pertinet ad Judæos, non mediocria *Alexandri Severi* ſtudia erga ipſos fuiſſe videntur: quippe qui didrachma pendentes, ſi non Regem, Præfectum tamen ejus permiſſu habuerint, qui eis jus diceret, poſteaquam idem Imperator conceſſerat Judæos in Palæſtina habitare. Quæ omnia teſtatur *Origenes* in Epiſtola de Suſanna ad Africanum, unde nobis luculenta excerpta dedit *Baronius Tom.* II. Annalium ad A. C. 224. *num.* 9. Verba *Origenis* memoratu digna Deo propitio aliquanto accuratius conſiderabimus in ſingulari diſſertatione *de Auro coronario Patriarcharum Judaicorum* ſive *Canone Anniverſario in Codice Theodoſiano*

no §. IV. Certe Severum Judaicæ religioni deditum fuisse, satis liquet ex *Ælio Lampridio*, sic enim scribit: *Judæis privilegia reservavit*. Quid? quod ob hanc ipsam causam, eodem *Lampridio* teste, quodam tempore festo, ut solent, Antiochenses, Ægyptii Alexandrini lacessiverunt eum conviciolis, *Syrum Archisynagogum* eum vocantes & *Archiereum*. Quod vocabulum *Archiereus* hic tantundem sonet ac alterum illud Archisynagogus, id ex prima verborum consideratione clarum est. Quid enim? an dicere voluerunt, Alexandrum vel Pontificem vel Sacerdotum Judæorum aliquem principem esse? Non opinor. Potius est, ut putemus, Orientales illos populos Alexandro per lusum sic voluisse exprobrare origines Judaicas, dignitatis autem & honoris causa illum comparasse cum nobilissimis Judeę gentis Pręfectis, quos Archisynagogos & Archiereos ab ipsis vocari intellexerant. Vide plura ad illustrationem horum verborum apud *Campegium Vitringam* de Synagoga Vetere *lib.* II. *cap.* 5. *pagin.* 527. & *cap.* 11. *pagin.* 589. & in libro singulari de Decemviris Otiosis ad sacra necessaria Veteris Synagogę curanda deputatis *cap.* XX. *pag.* 285. Fortasse autem mirificam illam *Alexandri Severi* erga *Judæos propensionem* inde derivare licebit, quod ex *Phœnicis* oriundus diu multumque inter Judæos, qui ibidem frequentes erant, vixit. Confer quę de *patria Alexandri Severi* Anonymus quidam observavit in dissertatione Critica ad *Gisbertum Cuperum*, in qua locus quidam *Callimachi* emendatur & illustratur. Hanc dissertationem *Samuel Massonius* inseruit *Tom.* IV. Histoire Critique de la Republique des Lettres tant Ancienne que Moderne *pag.* 11.

IV. M. *Julius Philippus*, Romanus Imperator, vulgo *Arabs* a patria nominatus Judęos mitius tractasse creditur, quia in Arabia ejus patria Judęi mercaturas faciebant amplissimas. Inter Imperatores Romanos eosque Paganos cum filio merito ponimus & rei veritate, & magnorum virorum consensu (19) magis magisque confirmati. Ex *nummo* quodam Philippi filii, *Christianismum Philipporum* perperam colligit *Baronius Tom.* II. Annalium ad A. C. 249. *num.* 4. merito refutandus. (20) Quemadmodum autem *Baronius* in illo nummo interpretando se turpiter dedit, ita & illi gravissime errant, qui ex *nummo* quodam *Apamensium* (21) Christianismi illius indicia, nescio quæ, exsculpere conantur. Quid multa? Exstat adhuc *nummus Apamensium*, ex quo satis aperte colligitur Philippos Paganos fuisse, non Christianos. In adversa dicti nummi parte apparet caput Philippi filii vultu juvenili, adjectis hisce literis ATT. K. M. IOTΛ. ΦΙΛΙΠΠΟΣ. ATΓ. *Imperator Cæsar Marcus Julius Philippus Augustus*. In aversa parte hæc leges verba: ΕΠΙ. Μ. ΑΤΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΤ. Β. ΒΕΛ. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ, ἐπὶ Μάρκȣ Αὐρελίȣ Ἀλεξάνδρȣ, δεύτερον βελτίςȣ Ἀρχιερέως Ἀπαμέων, *sub Marco Aurelio Alexandro secundum præstantissimo Pontifice Apamensium*. Posthæc in eadem nummi parte præter alia *Sacrorum Bacbi insignia*, *cista* etiam *mystica* apparet. Vide de hoc nummo *Josephum Monterchium* in Commentariis ad rariora maximi moduli Numismata *pag.* 103. & *Philipp. Buonarotti* in libro, cui titulus: Osservationi Istoriche sopra alcuni Medaglioni antichi, is vero *Buonarotti* a Pontifice Apamensium ideo *insignia Sacrorum Bacchi* in nummo adjecta esse judicat, quod sciret *Philippum iisdem Sacris initiatum* esse.

V. An *Judæorum res sub Valeriano* eo loco, statuve fuerint, ut Christianis alioquin infensissimi, dicto Valeriano vel suasores, vel auctores esse potuerint gravissimæ ab ipso in Christianos vexationis institutæ, nunc dispiciendum. *Dionysius* Episcopus Alexandrinus in Epistola quadam ad Hermammonem apud *Eusebium* Historiæ Ecclesiasticæ *lib.* VII. *cap.* 10. postquam explicaverat, quam clementer Valerianus Imperator initio principatus sui Christianos habuisset, sic pergit: *verum ei tandem persuasit* ὁ διδάσκαλος καὶ τῶν ἀπ' Αἰγύπτȣ μάγων Ἀρχισυνάγωγος magister & archisynagogus Magorum Ægypti, *ut ab hoc instituto descisceret*, *jubens ut castos & sanctos viros occideret & persequeretur*, *quippe qui scelestis ac detestandis incantationibus adversarentur atque obstarent*. Quis hic *Archisynagogus*? Judæi haud nominantur: neque enim ullæ iis partes in hac vexatione fuerunt, uti recte affirmat *Jac. Basnagius* dans l'Histoire des Juifs *lib.* VIII. *cap.* 2. §. 25. *pag.* 73. *ecquis igitur ille Archisynagogus Magorum Ægyptiorum*? *Valesius* ex universa verborum serie evicit, intelligendum esse *Macrianum* Valeriani adjutorem, & administrum in gerenda Republica: idem tamen addit, obscurum sibi esse, quid in hoc loco significet vocabulum ἀρχισυνάγωγος. Et vero hoc dubium *Campegius Vitringa* de Synagoga Vetere *lib.* II. *cap.* 11. *pagin.* 589. commode posse expediri judicat, si dicamus *Dionysium*, Episcopum Alexandriæ, ubi familiaris erat usus vocis *Archisynagogus*, illam potius adhibuisse, quam aliquam aliam, ut ostende-

deret, Macrianum fuiſſe *principem* quaſi & *præfectum* complurium Magorum Ægyptiorum, præſertim cum vocabulum συναγωγὴ apud Chriſtianos illius temporis ſæpe jam uſurpari cœperit *in malam partem* pro cœtu hominum nefariorum ad exemplum locorum Apocalypticorum II. 9. III. 9. in quibus mentio τῆς συναγωγῆς τȣ̃ Σατανᾶ *Synagogæ Satanæ*.

VI. Tandem *ſub Julianum* criſtas *Judæi* erigere cœperunt, qui cum Chriſtianorum ſacris eſſet initiatus, eadem deinde deſeruit, & ad Sacra Paganorum rediit. Ita quidem eſt, Anonymus quidam in Obſervationibus Halenſibus ſelectis ad rem literarium ſpectantibus *Tom.* III. Obſervatione IX. *pag.* 185. *negat Julianum unquam Chriſtianum fuiſſe*; at vero Anonymus ille infirmis admodum utitur argumentis, quemadmodum ſatis luculenter declaravit Vir Celeberrimus *Maturinus Veyſſiere la Croze* dans les Diſſertations Hiſtoriques ſur divers Sujets *pagin.* 74. Quid multa? *Arabes* teſte *Bartholomæo Herbelotio* dans la Bibliotheque Orientale *pag.* 405. *Julianum* nunc *Alkafer*, nunc *Barabatbis* appellant: quorum alterum nomen infidelem hominem ſignificat, alterum ex voce Græca Παραβάτης vel conflatum, vel corruptum, ſatis luculenter indicat, Julianum Sacra Chriſtianorum deſeruiſſe. Quicquid erit: Judæi omne præſidium in ipſo ponebant, & teſte *Hieronymo* apud *Baronium Tomo* IV. Annalium ad A. C. 363. *num.* 18. ex verbis *Danielis* XI. 34. ad ipſum translatis optima ſibi fata promittebant, cum ipſe Imperator quovis modo vaticinia Chriſti de ultimis Judæorum fatis mendacii convincere anniteretur. Et ſatis quidem ſuperque animum ſuum prodidit in Epiſtola illa, quam ad Judæos ſive ad τὸ Κοινὸν Ἰȣδαίων Judæorum nationem ſcripſit, apud *Baronium Tom.* IV. Annalium ad A. C. 363. *num.* 8. atque inter Epiſtolas *Juliani num.* 25. *pag.* 396. Operum *Juliani* legendam. Erunt fortaſſe nonnulli, qui Epiſtolam illam judicabunt *Juliano* eſſe ſuppoſitam (certe cum *Aldus Manutius* hanc Epiſtolam *Juliani* cum aliis ejuſdem inter Variorum Epiſtolas Græce excuſas exhiberet, addidit εἰ γνήσιος *ſi genuina*) at docti homines eandem veram & germanam eſſe exiſtimabunt, circumſpectis omnibus rationibus, quæ ad rem hanc facere videntur. *Henricus Valeſius* in notis ad *Sozomenus lib.* V. *cap.* 22. *pag.* 136. Julianum pro autore habet hujus Epiſtolæ aſperiori licet ſtylo conſcriptæ, *Ezech. Spanhemius* in Præfatione ad Opera Juliani eandem Epiſtolam genuinam eſſe judicat. *Jacobus* etiam *Baſnagius* dans l'Hiſtoire des Juifs *lib.* III. *cap.* 2. §. 12. *pag.* 46. eandem Epiſtolam *Juliano* adſcribit, perſuaſus illos falli, qui negent hujus Epiſtolæ auctorem *Julianum* fuiſſe. Denique ſcriptoribus illis, qui hanc Juliani Epiſtolam νοθείας accuſant, opponimus etiam *Jac. Benignum Boſſuetum* in libro, quem inſcripſit: Diſcours ſur l'Hiſtoire Univerſelle pour expliquer la Religion & les changemens des Empires *pag.* 311. J. C. *Bulengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* 64. *pag.* 892. *Tom.* VIII. Theſauri *Grævii*, *Joh. Caſp. Suicerum* in Theſauro Eccleſiaſtico in voce Ἱερȣσαλὴμ *numer.* II. & ſexcentos alios, qui Epiſtolæ Juliani γνησιότητα recte agnoſcunt. Quoquo autem modo ſeſe res habet, *Julianus* in illa Epiſtola ſatis luculenter prodit amoris ſui in gentem Judaicam & propenſionis benevolę ſigna, cum eorum vicem dolet propter acerbiſſimas tributorum exactiones, quas antea perpeſſi lugebant. En ipſa Juliani verba: *ſuperiora tempora non tam vobis ob ſervitutem moleſta fuere, quam quod tabulis injuſſu* Principis *emiſſis* (22) *obnoxii eſſetis*, immenſumque aurum in ęrarium inferretis. *Quam rem ego magna ex parte meis vidi oculis, tum multo magis ex ipſis tabellis, quæ contra vos aſſervabantur, perſpexi*, εὑρὼν τὰ βρέβια τὰ καθ' ὑμῶν φυλαττόμενα. *Quin & paratum jam iterum contra vos* vectigal εἰσφορὰν *probibui, & impietatem hanc deteſtabilem compreſſi*, tabulaſque τὰ βρέβια *incendi, quæ in meis ſcriniis* τοιαύταις *ad vos opprimendos cuſtodiebantur: ut nemini liceat deinceps tantæ impietatis rumorem in vos ſpargere. Neque ſane harum injuriarum cauſa* Conſtantio fratri, *viro memorabili potius tribuenda videatur* (23) *quam nonnullis animo barbaris & mente impiis, qui ejus menſa utebantur: quos ego manibus meis arreptos, atque in foveam conjectos perdidi, ut ne memoria quidem ulla de eorum interitu apud nos ſuperſit*. Hactenus *Julianus*, Quod ad vocem Græcam βρέβια attinet, eadem etiam alio modo, nempe βρεβία ſcribitur, uti obſervat *Suicerus* in Theſauro Eccleſiaſtico in voce Βρεβίον. Apud Latinos *Breves cenſuum* ſunt libelli, ſive catalogi, qui ex ſcrinio Principis manabant & nomina & debita Fiſci debitorum continebant, uti nos docet *Jacobus Gutherius* de Officiis Domus Auguſtæ *lib.* III. *cop.* 9. *pag.* 517. *Tom.* III. Theſauri Novi *de Sallangre*. Nunc pergimus in Juliani Epiſtola illuſtranda: quorſum autem illa animi benevoli in Judæos propenſio ſpectet, ſatis aperte ipſe *Julianus* nobis exponit. Poſteaquam enim ſcripſerat, ſeſe id maximopere velle,

le, ut *Judæi acerbissimis vectigalibus* τοιαύταις φόρων ἐισπράξεσι *liberati*, (24) in summa securitate & otio pro ipsius regno ejusque optimo statu vota Deo faciant, hæc statim subdit: *id vos inprimis curare, atque contendere debetis, quo & ipse Persico bello ex animi sententia gesto*, (25) *sanctam urbem Hierusalem, quam multos jam annos habitatam videre desideratis, meis laboribus refectam incolam, & una vobiscum in ea optimo Deo gratias agam*. Quæ verba clarissime testantur *Juliani* œptum templi Hierosolymitani instaurandi irritum fuisse, uti ex hac ipsa Epistola colligit *Jac. Gothofredus* in dissertationibus ad *Philostorgium pag. 296.* ut nunc taceam *Henr. Valesium*, qui in notis ad *Ammiani Marcellini lib.* XXIII. *cap.* I. *pagin.* 380. hæc addit: *de hac* eversione templi Hierosolymitani, *loquitur* Julianus *ipse in fragmento Epistolæ, quam D. Petavio viro doctissimo debemus*. Egregium sane est illud ipsius *Juliani* testimonium, quod cum verbo tantummodo indicare voluerit *Valesius*, hic integrum apponemus. Nimirum *Julianus* in dicto fragmento *pag.* 295. Operum *Juliani* a *Petavio* editorum, divinos sacri codicis prophetas aliquanto acerbius insectatus, sic inquit: *qui ista nobis objiciunt Judæorum prophetæ, quid de* templo suo *dicent, quod cum* tertio *sit* eversum, nondum ad hodiernum usque diem instauratur? *hæc ego non ut illis exprobrarem in medium adduxi: utpote qui* templum illud tanto intervallo a ruinis excitare voluerim, *in ejus honorem numinis, quod ibidem invocatum*. Audivimus *Julianum*, nunc operæ pretium fuerit audire Christianos, aliosque, qui veritatem tanti miraculi tuentur. Et de irrita Hierosolymitani templi sub Juliano restitutione testes adsunt *Gregorius Nazianzenus* στηλιτευτ. I. adversus Julianum, (26) *Ammianus Marcellinus* initio *lib.* XXIII. *Ambrosius Epist.* 29. ad Theodosium, *Chrysostomus Orat.* III. adversus Judæos, (27) quod Christus sit Deus, & in Matthæum *homil.* IV. & in Acta Apostolor. *homil.* 47. *Rufinus lib.* I. *cap.* 38. 39. *Socrates lib.* III. *cap.* 17. *Theodoretus lib.* III. *cap.* 17. *Sozomenus lib.* V. *cap.* 21. *Qua parte*, inquit *Jac. Gothofredus* loc. c. *omnes convenientia tradunt, ac* nominatim de terræ motu & igne, *quo opus istud turbatum, & in his quoque Gentilis scriptor Ammianus Marcellinus*. Multi etiam *tertium miraculum* addunt, puta cruces in vestibus visas, pariter ut crucis signum visum in cœlo, quod *Gregorius Nazianzenus* refert στηλιτ. 2. Imo quemadmodum jam tum eo ipso tempore *Cyrillus* Episcopus Hierosolymitanus (28) oraculorum vim Danielis (29) & Christi prophetiam super Hierosolymæ ἀφανισμῷ, sic ut lapis super lapidem non maneret, (30) denunciavit, teste *Rufino lib.* X. *cap.* 37. & *Socrate lib.* III. *cap.* 17. ita & multi pariter deinceps & in his *Chrysostomus* quoque eandem prophetiam denunciationemque repetiere, oraculorumque adeo dominicorum vim, quæ Julianus labefactare hoc cœpto cogitaverat, eo magis stabilitam firmatamque fuisse dixere. Et *Theodoretus* inter alios similiter prorsus *lib.* III. *cap.* 17. ὑπολαμβάνων ὁ μάταιος πρόῤῥησιν διελήγχειν, ἔδειξε δὲ μᾶλλον τὴν ταύτης ἀλήθειαν. Hactenus *Gothofredus*. Ac ne quis existimet solum *Gothofredum* divina hic agnoscere miracula, eidem tanquam ὁμοψήφους addere placet *Baronium Tomo* I. Annalium ad A. C. 72. *num.* 28. & *Tomo* IV. Annalium ad A. C. 363. *num.* 10. *seq. Herm. Witsium Tomo* II. Miscellaneorum Sacrorum *Exercit.* XII. §. 32. *seq. pag.* 375. *Jac. Abbadie* Traitè de la Veritè de la Religion Chretienne *Part.* III. *sect.* 4. *cap.* 8. §. 9. *pag.* 484. & *Tomo* I. libri, cui titulus: le Triomphe de la Providence & de la Religion ou l' Ouverture des sept Seaux par le Fils de Dieu *pag.* 586. *Joh. le Sueur* dans l'Histoire de l'Eglise & de l' Empire *Part.* III. ad A. C. 362. *pag.* 235. *Joh. Hoornbeekium* de convincendis sive convertendis Judæis *lib.* II. *cap.* I. *pag.* 193. *Joh. Andr. Eisenmenger* in dem Entdeckten Judenthum *Part.* II. *cap.* 15. *pag.* 864. *seq. Camp. Vitringam Tomo* I. Commentarii in Esajam *pag.* 321. *Abrah. Scultetum* Exercitationum Evangelicarum *lib.* II. *cap.* 91. J. C. *Wagenseilium* in Confutatione Carminis R. *Lipmanni pag.* 227. & in Commentario in Sota *pagin.* 236. *Salom. Deylingium* in S. Cyrillo Hierosolymitano a corruptelis Romano-Catholicis, quas recentissimus ejus elucidator *Anton. Augustinus Tovittæus* aliique ei affinxerunt, purgato & vindicato §. 3. *Laur. Ramiresium de Prado* in Pentecontarcho *c.* 43. *pag.* 252. *Joh. Lomejerum* in Observationibus Analytico-Didacticis in *Caput* XVI. *Lucæ pag.* 108. *Frider. Lindenbrogium* in notis ad *Ammiani Marcellini lib.* XXIII. *cap.* I. *pag.* 380. *Steph. Curcellæum* in Institutione Religionis Christianæ *lib.* V. *cap.* 24. §. 10. *pag.* 331. *Isaacum Jaquelotum* dans les Dissertations sur l'Existence de Dieu, *dissertat.* IV. *cap.* 6. *pag.* 631. H. *Grotium* de Veritate Religionis Christianæ *lib.* V. §. 16. in notis lit. (d) *Joh. Lundium* in den Judischen Heiligthumern *lib.* II. *cap.* 34. *pag.* 401. *Joh. Mullerum* in Judaismo *pag.* 254. *Phil. Mornæum* de la Veritè de la Religion Chrestienne *cap.* 29.

29. *pag.* 737. *Joh. Henr. Hottingerum* in notis ad *Th. Goodvvinum* pagin. 368. *Fried. Spanhemium* in Compendiosa introductione ad Historiam Ecclesiasticam N. T. *pag.* 139. *Guilielm. Caveum* P. II. Antiquit. Eccles. pag. 71. & 732. *Laurent. Dav. Bollhagen* in Dissertatione Inaugurali de templo Judæorum tertio §. 17. *Godof. Olearium* in Observationibus in Matthæum *pag.* 662. P. D. *Huetium* in Demonstratione Evangelica *Proposit.* IX. *cap.* 8. §. 13. *Melchior. Leideckrerum* in Dissertatione Theologica de Gloria Templi Secundi §. 50. *Balth. Bonifacium* in Historia Ludicra, *lib.* XIV. *cap.* 16. *pag.* 422. *Rodolph. Hospinianum* de Templis *lib.* I. *cap.* 3. *pag.* 19. *Jac. Benignum Bossuetum* in libro, cui titulus: Discours sur l'Histoire Universelle pour expliquer la suite de la Religion & les changemens des Empires *pag.* 279. *Dominicum de Colonia* in libro, cui titulus: la Religion Chretienne autoritèe par le tèmoignage des Anciens Auteurs Payens, *VValterum Moyle* in libro Anglice scripto, cui titulus: the Miracle of the thundering Legion examined in several Lettres botvveen Mr. Moyle & M. K. (31) Neque vero negandum est, præter *Joh. Clericum* (32) id in primis agere *Jac. Basnagium*, (33) ut miraculi hujus veritas quovis modo labefactetur, reclamante Viro Celeberrimo *Maturino Veyssiere la Croze*. Certe tantus vir dans les Entretiens sur divers Sujets d' Histoire de Literature, de Religion & de Critique *pag.* 214. argumenta *Basnagii* ad lancem veritatis exacta in minimis ponit. En ipsa verba: Mr. B... parle assez au long de la permission que Julien l' Apostat donna aux Juifs de rebàtir le Temple de Jerusalem. *Plusieurs Anciens Auteurs raportent un Prodige*, qui empècha nos gens de profiter de cette indulgence de l' Empereur, à propos de quoi *l' Historien des Juifs*, *on chicanant sur de lègères variations*, inèvitables dans les faits les plus certains, en vient à conclure que tout ce que *Socrate*, *Sozomone* & quelques autre Anciens ont dit de cette cause de l' interruption de l' entreprise des Juifs, est un conte fait à plaisir. Pour bien ètablir cette suposition, il auroit falu raporter le tèmoignage *d' Ammien Marcellin*, qui est un *Auteur Paien*, & par consèquent *desinteressè*, & voir si on avoit quelque chose à y rèpondre. Comme il a raportè le fait avec beaucoup de force & de brièvetè, je vous lirai ce qu' il en dit, si vous voulez me mettre pour un moment le Livre entre les mains. Voici le Passage au Chapitre premier du Livre vingt-troisième ... Voila *le tèmoignage d' un Paien*, *Ami de l' Empereur Julien*, *& tèmoin de la plupart de ses actions*. Quand on examine un fait, il faut aller à la source. *Sozomène*, & *Socrate*, quoique peu èloignez de ces tems-là, sont pour tant postèrieurs à *Ammian Marcellin*, aussi-bien qu' à *Grègoire de Nazianz*, Condisciple de Julien, qui raporte le mème fait, *avec quelque diversitè de circonstances*. Prennez quel èvènement vous voudrez de l' Histoire Ancienne, ou de l' Histoire Moderne, par exemple le passage du Granique, celui du Rubicon, la prise de Barcelone par le Roi Charles III. en les examinant selon la mèthode de l' Historien des Juifs, vous y trouverez autant & peut-ètre plus de variations, qu' on n' en raporte ici sur le fait dont il s' agit. *Quand un fait est bien attestè, il ne faut point chicaner sur les circonstances*. Si Mr. B.... avoit voulu debrouiller les pensèes confuses, qui rouloient dans son esprit, pendant l' examen de cette affaire, il auroit, sans doute, trouvè qu' il raisonnoit ainsi. *Saint Ambroise*, *Socrate*, *Sozomène*, *Thèodoret* & d' autres Anciens Auteurs raportent cette Histoire: mais elle est fausse, autrement ce seroit un Miracle: au lieu que pour raisonner consèquemment; il faloit dire, *Gregoire de Nazianze*, Auteur contemporain, raporte ce prodige, & bien loin que les Paiens de ce tems-là l' aient pù nier, *Ammian Marcellin*, homme fort attachè à l' Empereur Julien, raporte le mème fait; donc il est vèritable. Du reste, afin qu' on pùt faire *quelque chose de l' Argument nègatif*, qu' emploie *l' Historien des Juifs*, & qu' il tire *du silence de Cyrille de Jerusalem*, il faudroit prouver auparavant que ce Père n' a point parlè du Prodige, dont il s' agit, dans quelqu' un *de ses Ouvrages perdus*: car il n' y a pas d' aparence qu' il n' ait ècrit que le petit nombre d' Homèlies qui sont parvenuès jusqu' à nous. Et vero tanto fulgore veritas coruscat, ut *ipsi Judæi* etsi pro pertinaci sua malitia, caliginem ei inducere conati sint, tamen illam admittere fuerint coacti. R. *David Ganz* in Zemach veterator insignis est: neque enim negare audet, Deo ita disponente, Judæos in ædificando templo fuisse impeditos, sed interim veram rationem qua id factum est, malitiose dissimulat, Juliani tantum mortem Judæos ædificantes sufflamine strinxisse perhibens, cum tamen certum sit ante cessatum esse ab opere penitus, quam Julianus adversus Persas expeditionem susciperet. Ceterum inter narrat R. *Gedalia* in Schalsch. Hakkab. Judæos magis candide & sine fuco rem

pag.

pag. 109. *in diebus R. Channan & Sociorum ejus, anno circiter orbis conditi 4349. memorant libri Annalium, magnum in Orbe universo fuiſſe terræ motum, collapſumque eſſe templum, quod ſtruxerant Judæi Hieroſolymis, præcepto Cæſaris Juliani Apoſtatæ, impenſis maximis. Poſtridie ejus diei (quo mota fuerat terra) de cœlo ignis multus cecidit, ita ut omnia ferramenta illius ædificii liqueſcerent & amburerentur Judæi multi, atque adeo innumerabiles.* Hæc ex Judæis diligenter excerpſit J.C. *VVagenſeillus* in Confutatione carminis R. *Lipmanni pag.* 232. & in Commentario in Sota *pag.* 236. *VVagenſeilio* adde *Herm. VVitſium Tomo* II. Miſcellaneorum Sacrorum *Exercit.* XII. §. 33. *pag.* 375. *J. C. VVolfium* Bibliothecæ Hebrææ *Part.* II. *pag.* 1425. J. A. *Eiſenmenger* im entdeckten Judenthum *Part.* II. *cap.* 15. *pag.* 871. aliosque.

N O T Æ.

(1) Interim Judæi nonnunquam prohibiti ab *Imperatoribus Romanis* vel ſe vel alienæ nationis homines *circumcidere* & Proſelytos facere. Vide *Baſnagium* dans l' Hiſtoire des Juifs lib. VII. cap. 12. §. 5. pag. 335. *Guil. Spencerum* in notis ad *Origenem* contra Celſum *pag.* 34. *Dionys, Petavium* in Animadverſionibus in *Epiphanium* p. 400. *J. B. Cazrpovium* in Animadverſionibus ad *Schickardi* Jus Regium pag. 326. & *Jo. Alb. Fabricium* in Bibliographia Antiquaria cap. XI. pag. 384. Inprimis huc pertinent duo ipſorum *Judæorum teſtimonia* in libro Ben daath apud *Jo. Andream Eiſenmenger* im entdecktem Judenthum P. I. cap. 16. pag. 678. & in Tractatu Roſch haſchana fol. 19. col. I. apud eundem *Eiſenmenger* cap. 17. pag. 768. itemque apud *Bartoloccium* Biblioth. Rabbin. Tomo II. pag. 270. & *Baſnagium* dans l' Hiſtoire des Juifs lib. VII. cap. 12. §. 38. pag. 377.

(2) Quemadmodum Chriſti atque Apoſtolorum ætate *exampla flagellationis in ipſis Synagogarum ædibus* commemorantur. Vide Matth. X. 27. XXIII. 34. Actor. XXIæ. 19. Cumque doctis quibusdam hominibus incredibile ſit viſum Chriſtianos in Synagogis, quæ precibus ac religioni dicatæ erant, flagellatos eſſe ex antiquitatibus Ebræorum id ipſum luculenter probarunt *Hermannus Witſius* in Prælectionibus de vita & rebus geſtis Pauli Apoſtoli *ſect.* I. §. 20. pag. 19. *Campegius Vitringa* de Synagoga Vetere lib. III. P. I. cap. II. pag. 769. ſequ. *Jac. Rhenferdius* in diſſert. Philog. I. de Decem Otioſis Synagogæ §. 73. pag. 88. Diſcrimen autem inter *flagellationem* & *fuſtigationem* ſive מכת מרדות *plagam rebellionis* luculenter exponunt *Jo. Henr. Otho* in lexico Rabbinico Philologico p. 212. *Jo. Lightfootus* de Miniſterio templi cap. I. ſect. 3. *Prideauxius* ad cap. 7. *Maimonidis* de Jure Pauperum, aliiqun ſcriptores, quos hanc in rem laudavit *Jo. Bened. Carpzovius* in animadverſionibus & notis ad *Wilh. Schickardi*, Jus Regium p. 143. Confer etiam Tomum II. Opuſculor. noſtror. ſacror. pag. 312.

(3) Nimirum *Chriſtianos* in publicum prodeuntes *lapidibus petebant* aut inſectabantur. Confer *Baſnagium* dans l' Hiſtoire des Juifs lib. VIII. *cap.* I. § 16. *pag.* 22. Hac de cauſa Conſtantinus in l. 3. Cod. de Judæis conſtituit: quod ſi quis poſt hanc legem aliquem qui eorum feralem fugerit ſectam, & ad Dei cultum reſpexerit, *ſaxis* aut alio furoris genere (quod nunc fieri cognovimus) auſus fuerit *attentare*, mox flammis dandus eſt, & cum omnibus ſuis participibus, concremandus. Vide de hac lege Conſtantini, ejusque cauſis *Baronium* Tomo III. Annalium ad A. C. 327. num. 35. itemque *Jo. Andr. Eiſenmenger* im entdekten Judenthum P. II. cap. 18. pag. 1029.

(4) Varias ejus rei cauſas commemorat *Baſnagius* dans l' Hiſtoire des Juifs *lib.* VIII. *cap.* 2. §. 5. pag. 48. inter alia obſervat *Severum avariſſimum hominem* facile largitionibus *Judæorum* induci potuiſſe, ut in ea gente viris principibus, præ *Chriſtianis*, patrocinii partes daret.

(5) Leg. XVII. *6.* de excuſation. Tutor.

(6) Leg. II. Cod. Th. Judæis.

(7) Leg. v. Cod. Juſt. Leg. XXIV. Cod. Th. de Judæis.

(8) Leon. Conſt. LV.

(9) Leg. II. C. Th. de Judæis.

(10) *Jo. Tolandus* in libro, cui titulus: Reaſons for naturalizing the Jevvs probare conatur, Judæos non minus quam ceteras nationes, civitate Anglicana donandos eſſe. Vide J. C. *Wolfium* in Bibliotheca Hebræa P. II. *pag.* 1090. An vero *Tolandus* in dicto libro iſtiuſmodi argumenta quoque ex Antiquitatibus Romanis attulerit, me neſcire fateor, cum ejus libri legendi nondum poteſtas nobis facta ſit. Interim Jo. *D' Eſpagne* opponendus erat *Tolando*, ſiquidem in libro, cui titulus: Shibboleth ou Reformation de quelques Paſſages dans les verſions Francoiſes &c. pag. 215. Tomo II. Operum multis argumentis contendit, Judæos in Anglia non eſſe tolerandos. Ceterum de *Civitate Romana Judæis olim data*, vide *Chriſtoph. Cellarium* in Diſſertatione de Pauli Apoſtoli Romana Civitate §. 26. Jo. *Arntzenium* in ſingulari Diſſertatione de Civitate Romana Apoſtoli Pauli, *Jo. Aug. Franckenſteinium* in Diſſertatione Juridica de Juribus ſingularibus circa Judæos, maxime in Germania *cap.* II. §. 4. & *Salomonem Deylingium* P. III. Obſervationum Sacrarum, Obbſervatione XL. de S. Pauli Romana Civitate *pag.* 303. ſequ.

(11) Leg. XV. S. *6.*

(12) Leg. VIII. S. I. D. de Jur. Immunit.

(13) Leg. VI. D. de Nundin. & Leg. I. S. 10. de Extraord. Cognit.

(14) Leg. XV. D. de Adquir. Rer. Domin.

(15) Leg. XI. S. 3. D. de Munerib.

(16) Sed & *Chriſtoph. Cellarius* in Diſſertatione de Gentis Samaritanæ Hiſtoria & Ceremonii §. 27. non *Judæos* ſed *Samaritanos* intelligit, non contemnendis utens argumentis,

(17) Hanc imaginem Dei Chriſtianorum Romæ a nebulone neſcio quo riſui expoſitam fuiſſe contendit *Baronius* Tomo II. Annalium ad A. C. 201. num. 21. Cur ita ſentiat *Baronius*, non difficile erit dictu. Nimirum credidit *Apologeticum* a *Tertulliano Romæ* ſcriptum eſſe: qua in re quidem habet multos ὁμοψήφους, ſed ſi dicendum, quod res eſt, ejusdem erroris ſocios. Certiſſimum eſt perlegenti *Apologeticum*, eundem in *Africa* eſſe elaboratum, & quidem apud *Carthaginem*, uti contra *Baronium* pluribus argumentis probavit *Petrus Allixius* in diſſertatione de *Tertulliani* Vita & Scriptis cap. IX. pag. 75. ſequ. Ceterum *Jacobo Baſnagio* nebulo iſte Judæus quidam Carthaginienſis videtur fuiſſe. Poſteaquam enim dans l' Hiſtoire des Juifs lib. II. cap. 2. §. 8. pag. 51. obſervaverat Judæos ex Ægypto in Africam commigrantes Carthagine domicilia habuiſſe bona pace fruentes, hæc addit: les Juifs etoient fort tranquilles pendant que l' Egliſe ſouffroit; car, on badine rarement aux Depens des Perſecutez, lorsqu' on l' eſt ſoi-meme. Cependant Tertullien auroit du laiſſer paſſer cette Maſcarade dans les rues de Charthage, ſans la faire entrer dans ſon Apologetique. Les Juifs ont eſſuie des Chretiens beaucoup d' autres Outrages. Ces inſultes contre des Malheureux partent d' une Ame baſſe; mais, le Vulgaire ſe les rend tour-à-tour a proportion de ſa Proſperite; & cela ne s' appelle pas Perſecution. Et vero hæc omnia aliquanto diſtinctius exponenda erant. Qui figuram propoſuit *Judæus* putatur, ſed *Apoſtata*, quo noviſſima *Tertulliani* verba referunt: *ſuæ religionis* deſertor, *ſolo detrimento cutis Judæus*. Et vero *Jo. Philippo Heinio* Obſervationum Sacrarum lib. II. cap. 5. §. 3. *pag.* 67. & *Jacobo Haſæo* in Epiſtola ad *J. P. Heinium* de *Ononychoete*, Chriſtianis cujus-

dam

dam Veri nequitia, afflicto Numine, §. 7. ſeq. *pag.* 1054. Bibliotgecæ Bremenſis Claſſis III. faſcic. VI. pictor ille ignominioſus *Judæus* eſt, verum nequaquam *Apoſtata*. Nam primo *Tertullianus* diſertiſſime eum Judæum appellat: *credidit vulgus Judæo*: atqui abjuraverat cultum Judaicum, quod ajunt. Vel itaque *Paganus* vel ſaltem *Apoſtata* nominandus fuiſſet. Deinde clare *Tertullianus*: *ſolo detrimento cutis Judæus*. Ergo Judæus erat, qui in circumciſione glorians, nihil minus agebat, quam quod Judæum decuit. Nec obſtant verba: *ſuæ religionis deſertor*: nam & Servator noſter negat, *Judæos Abrahamo eſſe genitos*, cujus actiones non imitabantur Joan. VIII. 39. Illum igitur, qui, quod ſuæ religioni minime conveniebat, fecit, jure optimo *deſertorem* vocat *Tertullianus* & ſolo cutis detrimento Judæum. Quæ poſtrema verba nullo prorſus modo applicari poſſunt Pagano. Errat utique *Jacobus Gaffarellus*, quando in Curioſitatibus inauditis pag. 19. exiſtimat Principem Romanum fuiſſe, qui odio Chriſti & Chriſtianorum ſtatuam aſini ſpecie erigi curaverit cum dicta inſcriptione. Ceterum quæritur utrum Carthagine an Romæ viſa fuerit hæc ludicra imago? Carthagine, cum *Basnagio* affirmaverim: dicit enim *Tertullianus in iſta civitate*. *Heinius* quidem verba *Tertulliani* ita accipit, ut dicat Judæum perditum Romæ idolum pudendum appendiſſe: ecquæ autem hujus rei ratio? Roma, inquit, non ſolum *urbis* ſed & *civitatis* nomine κατ᾽ ἐξοχὴν frequentiſſime venit. *Livius* lib. I. *ut fides & jusjurandum, proximo legum ac pœnarum metu* civitatem *regerent*. At vero non tam *Livius* hic loci, quam ipſe *Tertullianus* optimus ſui interpres. Primum eſt, quod eos alloquitur, qui non in *urbe* ſed in ipſo fere *civitatis* vertice præſidentes judicabant. Notum omnibus Romam *urbem* non *civitatem* dictam. Ipſe ita loquitur *Tertullianus* Romam deſignans cap. 6. Apolog. *Liberum Patrem cum myſteriis ſuis Conſules Senatus auctoritate non modo* Urbe, *ſed univerſa Italia eliminaverant*. Eodem modo bis loquitur cap. 25. & paſſim in aliis ejus operibus, ubi *urbem* a *civitate* ita diſtinguit, ut Romam primo vocabulo, cum ſolum eſt, deſignatum uſque eat, *civitatis* nomini alium longe ſenſum tribuere conſtanter videatur: Plura vide apud *Petrum Allixium* in laudata diſſertatione l. c. & *Jacobum Haſæum* in Epiſtola de Ononychoete §. 8. ſequ. inde apparebit, per iſtam civitatem non Romam, ſed Charthaginem denotari hoc quidem in loco.

(18) De extrema inſcriptionis voce non conſentiunt Codices. In editis quidem eſt ononychites, ſed MSS. habent onocholtes, œnecholtes, onochoetes, onochoitis, onochorſitis, onochotaſis. Onocorſites propter Vaticanorum autoritatem, in quibus ita perſcriptum, comprobat *Franc. Junius* ut ſit ἀπὸ τῆς τοῦ ὄνου κόρσης ab aſinino capite. *Jac. Gothofredus* onochoetes quaſi dicas, τοῦ ὄνου χοητὴς aſini ſacerdos, voce ex eo ficta, quod χοαὶ ſint ſacrificia. *Nicol. Rigaltius* prætulit ὀνοκοίτης, hoc eſt *aſinina proſapia*. Vide *Gerh. Jo. Voſſium* de Origine & Progreſſu Idololatriæ lib. III. cap. 75. pag. 1136. qui varias dictorum virorum ſententias recenſet, nos alia aliorum judicia adhuc ſubjungemus *Iſaacus Voſſius* in notis ad *Pomponium Melam* pag. 48. legit *onochoirites* quaſi *aſinus porcinus*, ſive monſtrum quoddam ex aſino & porco compoſitum. Jo. *Crojus* in fine ſpeciminis conjecturarum in *Origenem*, *Irenæum*, *Epiphanium* &c. legit ὀνοποχαίτης, *aſini pes ſetaceus*. *Morellus* in ſua *Tettulliani* editione legit ὀνόχυλος *ungulam* ſeu *pedem aſininum* habens. *Stephanus Lemonius* in Variis Sacris pag. 290. mavult ὀνοχόης *aſini ſacerdos*. *Fried. Spanhemius* in Hiſt. Eccleſ. N. T. pag. 690. mentem ſuam his verbis explicat: *quidni legamus* ὀνοχευτὴς aſinus admiſſarius, *vel potius* ὀνοχημὴς aſino ſublimis vectus. *Sam. Baſnagius* in Annalibus Tomo II. p. 226. ſcribi mavult ὀνονυχώδης, ὄνος enim *aſinus* eſt, ὀνυχώδης *ungulatus*. Ceterum cum has varias doctorum hominum ſententias quod ad maximam partem attinet, expenderint rejecerintve *Stephanus Morinus* diſſertat. VII. de calumnia Gentilium, caput aſininum eſſe Chriſtianorum Deum, *Theodorus Haſæus* in Diatriba de Ὀνολατρείᾳ ſive calumnia cultus aſinini a gentilibus olim Judæis & Chriſtianis impacta cap. I. §. II. pag. 15. *Jac. Haſæus* in Epiſtola de Ononychoete ſæpius laudata, *Anton. del Monaco* in libro, cui titulus: Diſcorſo in cui ſi pruova la calumnia del culto Aſinino imputato agli antichi Chriſtiani, s' illuſtra un luogo di Tertulliano, *Robertus Turnerus* in libro, quem inſcripſit: the Calumnies upon the Primitive Chriſtians accounted for, Jo. *Phil. Heinius* lib. II. Obſervation. Sacrar. cap. v. nos hic merito labore illo diſcuſſionis ſuperſedemus. Nobis inprimis arridet *Voſſii* in Etymologico in voce Onos & *Heinii* loco citato conjectura, ſi ὀνονύχωτος legatur, vocabulom ex ὄνος *aſinus*, ὄνυξ *ungula*, οὖς, ὠτὸς *auris* compoſitum. Etenim in ignominioſa tabula conſpiciebatur *monſtrum auribus aſininis & ungulato pede*. *Aſini* ergo pars inerat, puta *aures*, inerat etiam *ungula*, Cuncta ſimul complectitur vox *ononychotus*, quæ cum vulgari lectione *ononychites* quam maxime convenit, & in formatione nihil anomali habet. Nam οὖς *auris* in compoſitis in ωτος degenerat. Sic ἀμφωτος utrinque auritus, δίωτος duas habens aures, πολύωτος multas habens aures,

(19) *Philippum* Chriſtianum fuiſſe nobiſcum negant *Joſephus Scaliger* ad *Euſebii* Chronicon n. 2260. *David Clericus* in Quæſtionibus Sacris, Quæſt. 19. pag. 203. ſequ. *Chriſtoph. Cellarius* in diſſertatione de primo Principe Chriſtiano §. 21. ſequ. *Dion. Petavius* in doctrina temporum lib. II. cap. 25. J. G. *Neumannus* in diſſertat. de Philippo Arabe inter ejus Primitias Academicas recuſa, *Chriſtianus Kortholtus* in diſſertatione Hiſtorica de Philippi Arabis, Alexandri Mamææ, Plinii Junioris, & Annæi Senecæ Chriſtianiſmo, *Theod. Hornius* in Exercitatione Academica de Philippi Arabis Auguſti fide Chriſtiana contra *Baronium*, C. S. *Schurzfleiſchius* in diſſertatione de Philippis Auguſti, *Chriſt. Thomaſius* in Cautelis circa Hiſtoriam Eccleſ. c. XII. §. 2. pag. 140. *Frieder. Spanhemius* in diſſertatione de temere credito Philippi Chriſtianiſmo *Jo. Alphonſus Turretinus* in Quæſtionibus Academicis de Ludis Sæcularibus *pag.* 643. *ſeq. Tomo* I. Opuſculorum Varii Generis.

(20) *Quod vides*, inquit Baronius, *in poſteriori numiſmate Philippum juniorem* virga templi aditum demonſtrare; *cum* novo ſæculo novam illum religionem ſervandam proponere (*ſecundum ea, quæ de ipſo jam addicto cultui Chriſtianæ religionis ſuperius dicta ſunt*) *haud inſulſe dici poſſe videtur*. Verum quis non videt hunc nummum ad *Sacra Sæcularia Paganorum* a Philippis agitata alludere? Confer *Turretinum* l. c. *pag.* 650. qui *Baronium* recte notavit. Quamvis enim *Petrus Taſſinus* in Opere Hiſtorico, Chronico & Critico de Veterum Romanorum Anno Sæculari, ejuſque potiſſimum per ludos ſæculares celebritate, eorumque Chronologia Parte II. *cap.* 12. *pag.* 620. *Tomo* VIII. Theſauri *Grævii*, *dicti nummi interpretationem*, quam *Baronius* attulit, probet, laudetque, aſſenſum tamen cohibemus, præcipue cum *Taſſinus* addat: *Philippos prætermiſſis Deorum ſacrificiis, non obſervatis ritibus aliis idololatriam ſapientibus, ludos ſæculares celebraſſe*. Primus, qui ita judicavit, eſt *Oroſius lib.* VII. *cap.* 20. nobis vero *Oroſii* fides valde dubia eſt, quia nec ullus idoneus autor oſtendit, vel deorum templa clauſiſſe, vel Chriſto aliquid dedicaſſe, vel aliud egiſſe, quod Chriſtianam vitam & confeſſionem probaret. In feſtis enim ſæcularibus quid egit? *ingenti ludorum apparatu*, *ſpectaculorumque celebravit* Eutropio referente *lib.* IX. *cap.* 3. Nihil in his Chriſtianorum rituum: vana, profana ſunt omnia: uti videre licet in *nummis Philipporm* apud *Onuphrium Panvinium* in libro de Ludis Sæcularibus, & *Ezech. Spanhemium* de Uſu & Præſtantia Numiſmatum.

(21) In Apamenſium nummi antica caput Philippi, in poſtica vir & mulier in arca ſedentes, itidem extra *arcam*, deſuper *duæ columbæ*, & adſcriptæ tres literæ ΝΩΕ, quibus quidem Noachi diluvium atque adeo Chriſtiana doctrina deſignari exiſtimatur. Huic ſententiæ ſubſcribunt *Claudius Gros de Boſe* in Diſſertatione de Jano Veterum, & de nummis eum reſpicientibus, *N. de Grainville* dans la Lettre ſur l' Uſage qu' on peut faire des Medailles par raport à la Religion, aliique quos indicavimus *Tomo* I. Bibliothecæ noſtræ Antiquariæ & Exegeticæ *pag.* 9. *ſeq.* Verum non alios hic exhiberi, quam *Deucalionem* & *Pyrrham*, & literas ΝΩΕ, ſicubi occurrant, pro ΝΕΩ (quod eſt initium vocis Νεώκοροι) cælatoris vitio poſieas eſſe, pro certo ſtatui poteſt. Extat hic nummus plane ut dico apud *Vaillantium* in Nu-

Numiſm. Imp. Græc. *pag.* 161. in antica eſt Philippus Pater, in poſtica figuræ illæ tum in arca, tum extra arcam cum hac epigraphe: ΕΠ. Μ. ΑΤΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΤ ΒΕΛ. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ ΝΕΩΚ. ſub Marco Aurelio Alexandro Optimo (vel Bellio uti vult *Harduinus* in Nummis Popul. & Urbium) Pontifice Apamenſium Neocororum. Scilicet hæc eſt *Apamea* Phrygiæ, ad Mæandrum & Marſyam ſita, dicta vulgo *κιβωτός arca*, non quod arca ibi reſederit, ut perperam *verſus Sibyllini*, ſed vel ob ipſum ſitum utpote circumfuſa Marſya, Obrima & Orga, fluminibus in Mæandrum cadentibus, ut autor eſt *Plinius*, vel ob emporii celebritatem, quod velut arca quædam ac receptaculum totius Aſiæ eſſet, prout *Strabo* teſtatur. Cum vero celebre in Græcia fuiſſet *Deucalionis diluvium*, hinc in variis hujus urbis nummis diluvium illud exhibetur. Sic unus eſt Sept. Severi, huic Philippi plane ſimilis cum hac Epigraphe: ΕΠΙ ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΤ ΑΡΤΕΜΑ Γ. ΑΠΑΜΕΩΝ ΝΕΩ. *ſub Agonotheta Artema tertium Apamenſium Neocororum*. Ergo ut in hoc Severi nummo, ita & in ſimili Philippi nec *Noachus*, nec *Chriſtiana fides* ullatenus eſt quærenda. Contra dum *Pontifex Apamenſium* his in numis nominatur, & *Apamea* Νεώκορος hoc eſt *Sacris præfecta* dicitur, quis non videt, hæc plane profana eſſe & non Chriſtiana? Vide plura de hac vera numi interpretatione apud *Turretinum* in Academicis quæſtionibus de Ludis Sæcularibus *pag.* 651. Ceterum *Franciſcus* quoque *Blanchinus* in Hiſtoria Veteri ex monumentis antiquis illuſtrata & Italice edita *cap.* 17. *pag.* 190. *ſeq.* obſervat in Philippi nummo, in quo nomen ΝΩΕ deprehendere ſibi viſus eſt *Octavius Falconerius* io Diſſertatione ad *Petrum Seguinum* de Numo Apameenſi, Deucalionei diluvii typum exhibente, legi ΝΕΩ non ΝΩΕ, adeoque literis illis notari Apameenſes Νεωκόρος. Confer *Joh. Alb. Fabricium Tomo* 1. Codicis Pſeudepigraphi Vet. Teſtamenti *pag.* 141.

(22) Initium hujus Epiſtolæ nequaquam intellectum eſt ab interprete. Ait enim Julianus quovis onere ac ſervitutis jugo graviores fuiſſe *Judæis deſcriptiones improviſas*, & *auri penſiones*, quæ ipſis indicebantur, ſic enim verba illa διαγραφαῖς ἀπροσδοκήτοις interpretatur *Henr. Valeſius* in notis ad *Sozomeni lib.* v. *cap.* 22. *pag.* 136. *Bulengerus* autem in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani cap. 64. pag. 892. Tomo VIII. Theſauri *Grævii* vel aliud, vel nihil agit, cum *Epiſtolam* illam *Juliani* interpretandam ſuſcipit: præmittit autem hæc verba: *Palæſtina Juris Italici fuit* l. 1. & ult. d. de cenſibus: *Judæa tamen poſt Conſtantinum M. graviſſimo onere oppreſſa eſt*.

(23) Cum mos ſit *Juliano* anteceſſores ſuos reprehendere, ſuamque illis notatis gloriam quærere, inde colligit *Baſnagius* dans l' Hiſtoire de Juifs lib. III. cap. 2. §. 12. pag. 47. hanc Juliani Epiſtolam non ſuppoſitam ſed genuinam eſſe, hæc addens verba: on voit meme qu' il tache d' adoucir ce qu' il dit de *Conſtance*, en rejettant la Faute ſur *ſes Miniſtres*, qui ſignoient ſans Ordre les Edits, pour en tirer l' Argent, & qui en avoient prepare de nouveaux, lorſque le Prince mourut.

(24) In Gloſſis antiquis ἐισπράξις eſt *compulſio*. Compulſores autem erant, qui fiſcalia debita exigebant, & lentos debitores ad ſolvendum compellebant. Vide plura apud *H. Valeſium* in notis ad *Ammiani Marcellini* lib. XXII. cap. 6. pag. 328.

(Juliani cœptum de templo Hieroſolymitono inſtaurando mox irritum, narratur paulo ante procinctum Perſicum: in quo conveniunt, qui id eidem tempori adſignant & quidem initio anni 363. ut *Marcellinus* initio lib. XXII. *Socrates* lib. III. cap. 17.

(26) Excerpta inde luculenta afferunt *Baronius* Tomo IV. Annalium ad A. C. 363. num. 13. ſequ. & *Jo. Clericus* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique Tomo XVIII. pag. 49. ſequ.

(27) Luculenta inde excerpta repetunt J. C. *Wagenſeilius* in Confutatione carminis R. *Lipmanni* p. 226. Jo. *Andr. Eiſenmenger* im entdeckten Judenthum P. II. pag. 865. ſequ. & *Baronius* Tomo IV. Annalium ad A. C. 363. num. 10. ſq.

(28) Vide *Salomonem Deylingium* in S. Cyrillo Hieroſolymitano purgato & vendicato §. 3. itemque *Baronium* Tomo IV. Annalium ad A. C. 363. num. 18.

(29) Ita & Paulus I. Theſſal. II. 16. ait *iram Dei Judæis* incumbere εἰς τέλος *ad ſummum* gradum & Reipublicæ illorum extremum exitium alludens ad verba Danielis IX. 27. ubi devaſtatio dicitur עד כלה *uſque ad conſummationem*. Quando etiam Chriſtus dicit Matth. XXIII. 38. *ecce relinquitur vobis domus veſtra* ἔρημος *deſerta*, *Vitringa* Tomo I. Commentarii in Eſaiam pag. 118. exiſtimat, hoc in loco Chriſtum reſpexiſſe ad verba illa Danielis IX. 26. & *uſque ad finem erit bellum* נחרצת שממות *definitum vaſtationum*. Et profecto quanta ſit vis argumentorum, quæ ex hoc vaticinio Danielis de LXX. hebdomadibus pro veritate Meſſiæ noſtri petunt, vel ipſe *R. Schimon Luzattus* publicæ diſputationis de hoc argumento arbiter, ſuo ipſius exemplo teſtari debuit. Vide quæ ex *Julii Mauroceni* Ex-Judæi דרך אמונה ſive libro: Via della Fede moſtrata a gli Ebrei hanc in rem diligenter excerpſit *Jo. Chriſtoph. Wolfius* Volum. III. Bibliothecæ Hebrææ pag. 1127. ſequ.

(30) Hoc vaticinium Chriſti Matth. XXIV. 2. Lucæ XIX. 44. *Scultetus*, *Rameſius de Prado*, *Olearius* aliique hoc inprimis tempore impletum eſſe judicant, cum inſtauratio Hieroſolymorum igni erumpente & terræ motu impediretur. Cum enim noctu ingens terræ motus lapides ex veteribus templi fundamentis evulſos excuſſerit, & cunctos cum contiguis ædificiis diſperſerit: vere & κατὰ τὸ ῥητὸν evenit, *quod prædixit Servator*: non tantum ſolo æquato templo & aratro ejus ſolo inducto, ſed ne in fundamentis quidem lapide ſuper lapidem relicto.

(31) Inde hæc excerpta nobis dat Jo. *Clericus* dans la Bibliotheque Acienne & Moderne Tomo XXVII. pag. 191. *cette hiſtoire*, dit Mr. Moyle, *eſt ſi extraordinaire, en toutes ſes circonſtances & ſi pleinement atteſtee*, par les Hiſtoriens Chretiens & Payens *de ce tems-la*; *que je ne vois pas avec quel front on en pourroit conteſter la verite*. *Cela*, continue-t-il, *n' eſt nullement contraire a la notion, que je me ſuis forme des Miracles. Peut etre, depuis le commencement du Chriſtianiſme, n' y avoit-il eu aucune conjoncture, ou* un Miracle fut plus neceſſaire qu' alors: *que le monde retomboit inſenſiblement dans l' Idolatrie, que* l' Empereur Julien *tachoit de retablir. Il ſe peut encore faire que Dieu, dans ſon infinie ſageſſe, jugeat qu' il etoit neceſſaire qu' il intervint d' une maniere miraculeuſe: pour prevenir* le retabliſſement des Juifs; *a fin qu' ils continueſſent a vivre, comme des Exilez & comme des Fugitifs, que tout le Genre Humain mepriſoit & abhorroit, & qu' ils fuſſent toujours un monument de la Vengeance Divine.*

(32) In recenſione Operum *Gregorii Nazianzeni pag.* 49. dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique Tomo XVIII. ita judicat: *S' il eſt arrive quelque* choſe de miraculeux, *en cette occaſion, il faut avoüer que l' on n' a eu gueres de ſoin de l' ecrire fidelement: puiſque* l' Hiſtoire varie extremement ſur ce ſujet, *comme on le peut voir, en conferant ſeulement* Socrate & Sozomene *avec* Gregoire. *Neanmoins ce dernier parle a l' egard de ce feu, qui ſortit, ou des fondement, ou du Temple, d' un ton tout a fait aſſure.*

(33) Dans l' Hiſtoire de Juifs lib. VIII. cap. 5.

PETRI ZORNII
DISSERTATIO
DE
PATRIARCHARUM JUDAICORUM
AURO CORONARIO sive CANONE ANNIVESARIO
In Codice Theodosiano & Justinianeo.

I. PRimo statim loco ex utroque Codice *leges*, quæ quidem hic utramque paginam faciunt, ante oculos ponenendæ erant, ut debito ordine dissertatio nostra pertexi possit. *Honorius*, monente itidem *Baronio Tomo* v. Annalium ad A. C. 399. *num.* 79. *pag.* 126. ad Messalam Præfectum Prætorio *lib.* 14. de Judæis cod. Theod. ita rescripsit: *Superstitionis indignæ est, ut* Archisynagogi, *sive* Presbyteri Judæorum, *vel quos ipsi* Apostolos *vocant, qui ad* exigeodum aurum *atque* argentum *a* Patriarcha *certo tempore diriguntur, a* singulis Synagogis exactam summam *atque* susceptam *ad eundem reportent. Qua de re, omne quicquid considerata temporis ratione confidimus esse collectum, fideliter ad* nostrum *dirigatur* ærarium. *De cetero autem nihil prædicto decernimus esse mittendum. Noverint igitur* populi Judæorum, *removisse nos* prædationi hujusmodi functionem. *Quod si qui ab illo* depopulatore Judæorum *ad hoc* officium exactionis *fuerint directi: judicibus offerantur; ita ut tanquam in legum nostrarum violatores sententia proferatur. Dat.* III. *Idus April. Mediol. Theod.* V. C. *Cons.* Porro autem, uti observant *Baronius* loc. cit. *Samuel Petitus* Variarum Lectionum cap. 24. *Jac. Rhenferdius* dissertatione Philologica II. de Decem Otiosis Synagogæ, *cap.* 4. *pagin.* 193. adhuc aliæ *leges* ex utroque Codice huc pertinent. *Theodosius* & *Valentinianus* ita ad Johannem Comitem Sacrarum Largitionum *lib.* XVII. C. de Judæis & Cœlicolis rescribunt: *Judæorum* Primates, *qui in* utriusque Palæstinæ Synedriis *dominantur, vel in aliis provinciis degunt, periculo suo* anniversarium canonem *de* Synagogis *omnibus, Palatinis compellentibus*, exigant *ad eam formam, quam* Patriarchæ *quondam* coronarii auri nomine *postulabant, & hoc, quod de Occidentalibus partibus* Patriarchis *conferri consueverat, nostris largitionibus inferatur. Dat.* III. *Kalend. Jun. Constantinop. Florentio & Dionysio Conss.* Eadem constitutio habetur Lege ultima Cod. Theod. eodem: *Judæorum primates, qui in utriusque* Palæstinæ Synedriis *nominantur, vel in aliis provinciis degunt, quæcunque post* excessum Patriarcharum pensionis nomine *suscepere, cogantur exsolvere. In futurum vero periculo eorundem* anniversarius canon *de* Synagogis *omnibus, Palatinis compellentibus*, exigatur, *ad eam formam, quam* Patriarchæ *quondam* coronarii auri nomine *postulabant. Quæ tamen quanta sit solerti inquisitione discutias, & quod de Occidentalibus partibus* Patriarchis *conferri consueverat, nostris largitionibus inferatur. Dat.* III. *Kalend. Jun. Constantinop. Florentio & Dionysio Conss.*

II. Notum autem est & ἐξαγώνιον habuisse *Judæos* etiam post urbem captam *Principes*, id est summos rerum suarum moderatores & *Synedrii Præsides*. Eorum unus in *Babylonia* erat *Aichmalotarcha* ראש הגלות vulgo dictus: alter in *Palæstina Summi Synedrii Præses* & plerumque etiam *Academiæ supremus Rector*, quem נשיא *Principem* vocabant. Hunc posteriorem Græci Romanique Scriptores ceu sibi propiorem & notiorem, Imperioque Romano subjectum, passim memorant, & *Patriarcham* appellant. Vide de hac *summa præfectura* sive *Aichmalotarcharum*, sive *Patriarcharum*, qua *Judæi*, indulgentibus imperatoribus Romanis, per aliquot secula post eversam eorum Rempublicam gavisi sunt, plura adhuc apud *Is. Casaubonum* exercit. I. ad apparatum Annalium *Baronii num.* 2. *p.* 17. & Exercitatione XIV. ad Annales Ecclesiasticos Baronii *num.* 2. *pag.* 275. *Fr. Spanhemium* in Dissertat. Historico-Theo-

logica de Apostolatu & Apostolis §. 9. J. C. *VVolfium*, (1) *Hugonem Grotium* in Dissertatione de Imperio Summarum Potestatum circa Sacra *cap.* IX. *pag.* 125. *cap.* X. *pag.* 155. *Just. Henningum Boehmerum* in Dissertatione Juridica de cauta Judæorum tolerantia §. *6. Joh. Casp. Suicerum* in Thesauro Ecclesiastico in voce Πατριάρχης *num.* 2. *Ericum Frondin* sub Præsidio J. *F. Mayeri* in Dissertatione Historico-Ecclesiastica de Patriarchis Hebræorum, *Georg. Ursinum*, (2) *Rich. Simonium*, (3) *Sam. Petitum* Variar. Lection. cap. XXIV. *Camp. Vitringam* de Synagoga Vetere lib. II. cap. 5. pag. 522. & in libro singulari de Decem viris Otiosis, ad sacra necessaria Veteris Synagogæ curanda deputatis *cap.* 20. *pag.* 277. *Jac. Rhenferdium* dissertat. Philol. II. de Decem Otiosis Synagogæ *pag.* 195. *Herm. VVitsium Tom.* II. Miscellan. Sacror. exercit. XII. §. 4. pag. 343. *Jac. Gothofredum* ad *lib.* I. Cod. Theod. de Judæis, *Petrum Molinæum* de Vate *lib.* II. *cap.* 3. *pag.* 53. *Petrum* de *Marca* de Concordia Sacerdotii & Imperii *lib.* I. *cap.* 3. §. 5. *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* III. *cap.* I. 2. & *lib.* VIII. *cap.* 3. *Mart. Helvicum* de Sceptro Judæ seu brevi explicatione ac vindicatione vaticinii Jacobæi, *Jac. Saurinum Tom.* I. Discours Historiques, Critiques, Theologiques & Moraux sur les Evenemens les plus memorables du Vieux & du Nouveau Testament *pag.* 549. *Joseph. Voisinum* in observationibus ad *Raym. Martini* Pugionem fidei P. II. *cap.* 4. §. 10. *pag.* 335. *Joh. Bened. Carpovium* in animadversionibus & notis ad *Schickardi* Jus Regium *pag.* 81. *Humfredum Prideaux* dans l'Histoire des Juifs *Tom.* I. *lib.* II. *pag.* 200. *Joh. Coch*, sive *Coccejum* in notis ad Excerpta Gemaræ Thalmudicæ tractatus de Synedrio *cap.* I. *pag.* 127. *Euseb. Renaudotum* in notis ad Itinerarium duorum Arabum Chinam profectorum sæculo IX. *pag.* 332. *seq. Augustinum Calmetum* Supplément au Dictionaire Historique, Critique, Chronologique & Literal de la Bible *Tom.* III. *pag.* 356. *Joh. Morinum* Exercit. Bibl. *lib.* II. exercit. 3. cap. I. 2. *Hottingerum*, (4) *Altingium*, (5) *Vorstium*, (6) *L'Empereur*, (7) *Tillemontium*, (8) & *Pezronum*. (9) Fuerunt autem *insigniorum Patriarcharum* duo uti dictum est, in Babylonia & Palæstina: quorum ille ראש הגלוה *Aichmalotarcha*, hic נשיא *Princeps* appellatus: cave tamen id ita accipias, quasi solus *Princeps Judæorum* in terra Canaan vocatus fuisset נשיא. cum revera hic titulus utrique fuerit communis, uti copiose probat *Vitringa* l. c. Alter *Babylone* sedem suam habebat in gratiam Judæorum trans Euphratem sub Parthorum imperio degentium: alter *Tiberiade* Galilææ pro Judęis per imperium Romanum dispersis. Præter hos *Patriarchas* alii nulli, nedum ut in singulis fuerint Synagogis. *Jac. Gothofredus* non unum Patriarcharum genus comminiscitur, quorum alii aliis superiores, alii contra ditioni aliorum sint subjecti, sed *Gothofrado* ita respondet *Rhenferdius* dicta dissertat. §. *26. pag.* 203. *minores Patriarchas*, *Archisynagogis inferiores & superiores Presbyteris in Synagoga nullos novimus*, *quin etiam*, *si qui in illam invehantur*, *jubemus exulare*. *Ægypti* denique *Synagogas* singulari subfuisse *Præfecto*, qui illas ad instar *Patriarchæ* rexit, tum videtur constare ex iis, quę *Origenes* memorat de *Patriarcha Huillo* apud *Hieronymum* Apologia adversus Ruffinum, tum ex iis, quę Hadrianus Imperator ad Servianum scripsit de *Patriarcha Ægyptio*. Non nescio tamen alibi *Origenem lib.* IV. de Princip. *cap.* I. *unum tantum Patriarcham*, ut communem *Judæorum Ethnarcham*, memorare. Vide *VVetstenium* in notis in *Origenis* Epist. ad Africanum.

III. Ante *excidium Hierosolymorum* atque adeo ante tempora τῆς ὑςέρας διασπορᾶς nulla fit mentio *Patriarcharum* in *sacris literis* & apud *Josephum*: ut falsi sint omnino Judæi, qui nescio quos *Patriarchas ante excidium Hierosolymitanum* commemorant multis argumentis a *Basnagio* dans l'Histoire des Juifs *lib.* III. *cap.* I. §. 16. *pag.* 27. confutati. Idem tradunt, *excisis Hierosolymis Rabban* Jochanan *ben Zaccai* a Tito victore impetrasse ut *Jabneh Synedrium* adhuc reciperet, retineretque. Judęis credunt *Joh. Henr. Ottho* in Historia Doctorum Mischnicorum *pag.* 100. *Joh. Lighfootus* in Academiæ Jasnensis Historia *pag.* 87. Operum Posthumorum, & in Centuria Chorographica Matthæo præmissa cap. 15. *Campegius Vitringa*, (10) *Jac. Altingius* in Historia Academiarum Hebræarum, aliique; at vero suspectam esse Judęorum fidem judicat *Jac. Basnagius*. (11) Vero enim simillimum *Patriarchas* Judęorum suam *originem* habuisse sub *Nerva Coccejo* (12) Imperatore Clementissimo, siquidem deinceps *Adrianus* Imperator Patriarchę Judęorum in Ægypto meminit. (13) Isti autem *Judæorum Patriarchæ* videri volebant esse *de tribu Juda*, ut *vaticinium* illud de *sceptro ablato* in disputatione cum Christianis instituta eluderent, teste *Origene* περὶ ἀρχῶν *lib.* IV. *cap.* I. Sed id vere negat *Cyrillus* Hierosolymitanus Ca-

te-

techesi xii. de vaticinio Jacobęo agens. Vere quoque idem negat *Theodoretus*, sed parum vere addit, omnes istos *Patriarchas* e stirpe *Herodis* fuisse, non autem *Davidis* prognatos. Neque vero Judęorum omnium ista fuit sententia de *Patriarcharum* e tribu Juda origine. Sic referebat *Josephus* Patriarcharum Hillelis & Judę quondam *Apostolus* Epiphanio, *Patriarchas Tiberiadenses* genus suum retulisse ad *Gamalielem* illum, cujus nomen legitur in Actibus Apostolicis v. 34. plura de hac fictitia sive *Aichmalotarcharum* sive *Patriarcharum ex tribu Juda origine* apud *Alphonsum* de *Spina* in fortalitio fidei contra Judæos, Sarracenos, aliosque Christianæ fidei inimicos (excerpta inde luculenta nobis suggerit *Joh. Henr.* a *Seelen* in Meditationibus Exegeticis *pag.* 33.) Dominum de *Simonville* sive *Rich. Simonium*, (14) *Mart. Helvicum* de Sceptro Judæ, seu brevi explicatione ac vindicatione vaticinii Jacobæi, *Jac. Saurinum*, (15) *Joseph. Voisinum* in Observationibus ad *Raym. Martini* Pugionem fidei P. II. *cap.* 4. §. 10. *pag.* 330. *Jac. Altingium* de Schilo *lib.* I. *cap.* 3. *pag.* 8. *cap.* 13. *pag.* 55. *cap.* 15. *pag.* 63. *cap.* 19. *pag.* 75. *lib.* IV. *cap.* 5. *pag.* 228. & *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* III. *cap.* 2. §. 6. Paucis multa complectitur *Humfredus Prideaux* dans l'Histoire des Juifs & des Peuples Voisins *Tom.* I. *lib.* II. *pag.* 200. cujus verba hic repetere haud pigeat: Jehojachin ètant mort, Salathiel son fils (16) devint *Prince titulaire des Juifs*. Depuis qu'ils avoient *perdu l'autoritè*, ils n'avoient pas laissè d'en *conserver le tìtre*. Plusieurs sìecles meme apres il y eut toùjours dans les pais voisins de *Babylone* quelqu'un *de la maison de David* (17) qui sous le nom de *Chef de la captivitè*, ètoit reconnu & reverè comme Prince par ce Peuple, exerçoit sur eux *une espèce de jurisdiction*, autant qu'elle pouvoit compatir avec le gouvernement auquel ils ètoient soumis, ètoit installè dans cette Dignitè, & y ètoit mème *confirmè quelque feis par les Souverains du pais*. On prètend mème, que cette Dignitè fastueuse (18) subsiste encore parmi eux, dans la vuè apparemment, *d'avoir dequoi repondre aux Chrètiens, lors qu'ils pressent contr'eux l'Oracle de Jacob*. Car toutes les fois qu'on leur prouve par cette prophètie, que le Messie doit ètre venu, puisque le Sceptre s'est dèparti de Juda & de Lègislateur d'entre ses pieds, ils ne manquent pas de nous objecter *ce chef de la captivitè*, dans lequel ils prètendent pròsseder encore le Sceptre; comme dans leur (19) *Nasi* ou *Prince du Sanhedrin*, autre Officier titulaire parmi eux, ils ont, si on les en croit, *un Legislateur d'entre les pieds de Juda, c'està-dire, de sa race*. Mais si ces Dignitez ne subsistent plus parmi eux, comme quelques-uns de leurs Docteurs le reconnoissent, *cette rèponse n'est plus d'usage & la prophètie retombe sur eux dans toute sa force. Comment donc resistent-ils encore à son èvidence, & à la preuve que nous en tirons en faveur de notre Jesus*. Et profecto tanto facilius *Judæos* redarguere possumus, quanto major est inter ipsos de re quam tantopere jactitant, *dissensus*, aut *inconstantia*, mobilitas, levitas. Certe *Johannes Coch* sive *Coccejus* in notis ad Exerpra Gemaræ Thalmudicæ tractatus de Synedrio *cap.* I. *pag.* 127. *Judæos de fictitia Patriarcharum ex tribu Juda origine inter se disputantes* eo redigit, ut ne hiscere quidem audeant. En ipsa *Cocceji* verba: *de ipso* Jacobi vaticinio *hic agendi locus non est: neque adeo necesse est Iliada post Homerum scribere*. Videsis cl. v. *D. Sixtini Amama* Antibarbarum pag. 444. seq. *Hoc certum est, quantumvis in particulis ejus vaticinii explicandis dissideant interpretes*, Judæos *vel sola hac glossa sua convinci satis posse pervicacia. Nam ubi jam* æchmalotarchæ Babylonici ex stirpe Davidis orti? *quæ in* successione illorum *certitudo? ubi* Hillelis posteri? *quæ in horum* stirpe *designanda constantia? quæ utrorumque majestas? ubi judicia? ubi sacra? ubi tribus? ubi imperia & magistratus?*

IV. Principes illi fuerunt omnium *Synedriorum* & *Synagogarum* sue ἐπαρχίας sive in *terra Canaan*, sive in *Babylonia*, primum quidem *in causis religionis*, cujus summum apud ipsos fuit arbitrium, deinde etiam in *Civilibus* & *Criminalibus*, quatenus *Imperatores Romani* potestatis illius exercitium non restrinxerunt, aut id tolerarunt. Et fuerunt sane illi ad tempus *Patriarchis*, quos *Illustres*, *Spectabiles*, & *clarissimos viros* vocant, indulgentissimi. Atque hæc ipsa est sententia *Vitringæ* de *Patriarcharum Judaicorum in causis civilibus & criminalibus potestate*, quæ tamen sententia infirmis admodum nititur argumentis. Largimur Imperatores Romanos dictis Patriarchis *Illustrium*, *Spectabilium* & *Clarissimorum virorum* titulos dedisse: negamus tamen eorundem potestatem tantam fuisse, quanta est ipsorum Ministrorum, qui apud Imperatores magnum tenebant amicitiæ gradum, paremque dignitatem. Vide *Guidum Pancirolum* in Commentario ad Notitiam Dignitatum utriusque Imperii Orientis sci-

licet, & Occidentis ultra Arcadii, Honoriique tempora *pag.* 3342. *Tomo* VII. Thesauri *Grævii*, & *Jac. Gutherium* de Officiis Domus Augustæ *lib.* IV. *cap.* 4. qui de titulis dictis magnorum apud Imperatores Romanos Ministrorum differunt, adde etiam *Petrum Bælium*, qui dans la Critique General de l'Histoire du Calvinisme de Mr. *Maimbourg* pag. 150. Epist. 30. Tomo II. des Oeuvres diverses, disquirit, cur *Imperatores Christiani*, *Patriarchis Judæorum* tot & tantos honorum titulos indulserint. Pergit autem *Vitringa* ad stabiliendam suam sententiam, in hunc modum disserendo. Quod cum ex aliis multis argumentis constat, tum præcipue ex insigni testimonio *Origenis* in Epistola Responsoria ad Africanum: *certe nunc temporis Romanis imperantibus* καὶ Ἰουδαίων τὸ δίδραχμον αὐτοῖς τελούντων, ὅσα συγχωροῦντος Καίσαρος ὁ ἐθνάρχης παρ' αὐτοῖς δύναται & Judæis didrachmum ipsis pendentibus, *quanta* permissu Cæsaris Ethnarcha (20) *apud ipsos possit*, *ut non aliter vivant*, *quam dum regnaret ille populus*; *id experti sumus*. Pergit Origenes: *fiunt autem interdum clam judicia secundum legem*, καὶ καταδικάζονται τινες ἐπὶ τῷ θανάτῳ ut condemnentur nonnulli eorum ad mortem (21) *non equidem cum omni omnino ad hoc licentia*, *nec tamen clanculum & inscio eo*, *qui regnat*: *id quod cum in regione hujus gentis longo tempore essemus commorati*, *didicimus*, & *certo persuasi sumus*. Quæ *Origenis* verba excerpit *Vitringa*; (22) tantum autem abest, ut in illa debitam exerceat censuram, ut potius, quod nollem factum, sine ulla cautione *Origeni* statim habeat fidem. Ita quidem est, *Paulus Pezronus* dans l'Antiquitè des Tems defenduè *cap.* IV. *pag.* 278. *P. D. Huetius* in Observationibus & notis in *Origenis* commentaria *pag.* 29. & *Baronius Tom.* II. Annalium ad A. C. 224. *num.* 9. ut de *Tillemontio* nunc taceam dans l'Histoire des Empereurs & des autres Princes qui ont regnè durant les six premiers Siècles de l'Eglise *pag.* 984. verba *Origenis* identidem afferunt, nulla addita nota: sed *Vitringam* id fecisse miramur, cum alioquin repugnantia sibi scripsisse videatur. Quæ enim de *Synedriis Judæorum* illa ætate observavit alio tempore *Vitringa*, eadem hic quoque de *Patriarcharum potestate* præcipue observanda sunt. Audiamus ipsum *Vitringam* de Synagoga Vetere *lib.* I. P. I. *cap.* 7. *pag.* 163. *Curiæ juridicæ* post Reipublicæ Judaicæ destructionem mutatæ fuerunt in *Academias*. Ex Chronicis Judæorum apparet, quod *Synedria* post eversionem Hierosolymæ sarta manserint tecta in terra Canaan: *jursdictio* tamen iis est ademta. Quare cum Judicibus *jus* amplius *dicere* negatum est, id inceperunt *docere*. Hinc נשיא *Princeps Synedrii* habitus est pro *Summo Scholarum Judaicarum Rectore*, atque ut jam dixi, *curiæ* acquisiverunt formam *Academiarum*. Idem *Vitringa* de Synagoga Vetere *lib.* III. P. I. *cap.* 13. *pag.* 817. hæc verba ponit notatu inprimis digna. Judæorum *Synedria* certum est in exilio non habuisse *potestatem jus dicendi* in causis *civilibus* & *secularibus*, nisi quatenus id illis *per concessionem Supremi Magistratus* indultum est. Etsi jam *Romani Imperatores* Judæos sæpe summa tractarint indulgentia, & *Patriarcharum* potestati in pluribus excessibus connivarint, *criminalia* tamen fere reservata fuerunt *tribunalibus Romanorum*, & de *civilibus* non judicarunt, nisi *ex Compromisso partium litigantium*. Synedria quidem sibi sæpe arrogarunt potestatem de civilibus causis jus dicendi, & inobedientes ad jurisdictionem suam agnoscendam aliquando instituerunt cogere per *Anathematismos*, aut Perinoeas (Pœnas) Ecclesiasticas. Quas tamen pœnas si spernerent partes litigantes, nullum illis plane superfuit medium, quo partes litigantes compellerent ad sententiæ admittendam executionem. *Exercita itaque Jurisdictio in Civilibus est ex pacto*: quod fundatum fuit in Principiis religionis & communionis sacrorum (Romanis indulgentibus, aut conniventibus) vel ex Compromisso electis promiscuis de Gente Arbitris, quorum sententiis litigantes se libere subjicerent. Utique constat, Romanos sæpe nullam aliam *Jurisdictionem* apud Judæos in exsilio tolerasse, quam *Arbitrorum Compromissariorum*. Manifestum id ex Lege Imperatorum Arcadii & Honorii Lib. 9. Tit. de Jud. & Cœlic. *Judæi communi Romano jure viventes in his* causis, *quæ* tam ad superstitionem eorum, *quam* ad forum & leges ac jura pertinent, *adeant solenni more judicia*, *omnesque Romanis legibus inferant & excipiant actiones*. *Si qui vero ex his communi pactione ad similitudinem Arbitrorum apud Judæos* in civili duntaxat negotio *putaverint litigandum*, *sortiri eorum judicium jure publico non vetentur*. *Eorum etiam sententias Judices exequantur*, *tanquam ex sententia cognitoris arbitri dati fuerint*. Per hanc Legem omnis Jurisdictio solennis Judæis est ademta. Et in genere certum est, post excisam Rempublicam speciem Regiminis & Jurisdictionis superfuisse *Synedriis*, sed rem ipsam procul ab iis abfuisse, agnoscente etiam *Seldeno* de Syned. *lib.* II. *cap.* 4. etsi Syne-

nedriis illis ab Imperatoribus modo major, modo minor libertas in judiciis concessa sit (& etiamnum in Regnis aut Rebuspublicis concedatur) ut facile liquet ex Legibus de Regimine Synagogarum a *Petito* & *Morino* congestis. Hactenus *Vitringa*, cum vero ille ad *Joh. Seldenum* tanquam optimum hac in re judicem nos ablegaverit, operæ pretium fuerit, ejusdem verba ex *lib.* II. de Synedriis *cap.* IV. §. 10. hic repetere: *accisis*, seculis in illis, *Hebræorum sub imperio Romano rebus*, & evanescente aut minuta cum eorundem politia veteri etiam pristina Synedrii illius continuatione & usu, habuere quidem *tam extra terram Sanctam, quam intra, velut umbras quasdam tribunalium pristinorum* (qualia *Synedria* illa Judæorum in *utraque Palæstina* in codice utroque (23) pro *collegiis* & *coitionibus* ipsorum qualibuscunque memorata) sed interim *institutas non tam reginimis & jurisdictionis causa*, seu *ut tribunalia* vera, *quam doctrinæ tradendæ gratia* ut *Scholas* seu *Auditoria*. Neque enim tunc permissum est imperium ejusmodi eis, ut libere inde possent in suos illud *cum jurisdictione* exercere. Attamen quoad permissum est a Principibus, sub quibus dogerent, etiam in Scholis illis ex summa erga Doctores reverentia, & confœderata inter se, quemadmodum etiam superioribus Captivitatis sæculis, disciplina, *imitatio quædam erat imperii ac jurisdictionis*, civilisque obedientiæ, quæ potius *Scholastica* erat, quam *Forensis*; sed interim mixta. Plura addit *Seldenus*, quæ si placet ab ipso repetes: audiamus etiam *Jac. Altingium* in Orat. de Doctore Hebræo, *hinc eadem* inquit, *fuit* Schola, *quæ* Curia, juri dicundo destinata: *nec ulla inter veterum* ישיבה Academiam & בית דין סנהדרין *seu* Synedrium *sive* dicasterium *datur differentia. Quin qui* Judices, *iidem* Professores *nuncupari merentur*, *quoniam iisdem docendi facultas concedebatur*, *quibus* jurisdictio *demandata fuit*. Sed & *Jac. Rhenferdius* in dissertat. Philologica II. de Decem Otiosis Synagogæ §. 14. *pag.* 196. contra illos, qui per *Synedria Judæorum* in *Codice Theodosiano* non *Synagogas*, sed *Dicasteria* intelligunt, recte eandem sententiam tuetur hisce verbis: tum temporis Judæos non tantum de religione sua, sed etiam causis civilibus sententiam habuisse; atque adeo non tantum in utraque Palæstina, sed etiam in reliquis provinciis *Synedria*, sive *tribunalia*: id vero cum illorum statu istis temporibus minus convenire videtur. Unde vox *Synedrii* κατ᾽ἐξοχὴν χρηστικῶς potius de *Synagoga* accipienda videtur, ejusque *Senatu*, in quo Archisynagogi & Presbyteri nominabantur, (24) quam de *Dicasteriis* vel *judiciis* proprie dictis. Quod si quis tamen omnino contendat, hos Primates ad *Synedria proprie* dicta pertinere: id nobis tanti non erit, ut vehementer obluctemur, neque eos ratione officii sui ἀποσυναγώγους fieri facile patiamur, modo nos in posterum in Synagoga non interturbent. Hactenus *Rhenferdius*, cui ex ipso Jureconsultorum ordine addimus *Hugonem Grotium* in Dissertatione de Imperio Summarum Potestatum circa Sacra *cap.* IX. §. 15. *pag.* 125. & *Jacobum Gothofredum*, quem inprimis laudat, & sequitur *Ericus Frondin* in Dissertatione Historico- Ecclesiastica de Patriarchis Hebræorum cap. III. §. 8. *pag.* 38. Neque vero diffitemur *Guidum Panciroluum* Jureconsultum Patavinum in libro de Magistratibus Municipalibus *cap.* VI. *pag.* 54. *Tomo* III. Thesauri *Grævii*, longius hinc recedere, & per *Synedria Judæorum*, quæ in Codice Theodosiano commemorantur, intelligere collegia Judæorum, in quibus causæ decidebantur, nec extra illa determinari poterant, quibus præerant *Decurionum* locum tenentes, & sine *Duumviris municipiorum* judicantes: at vero fallitur *Pancirollus*, & multa agendo, nihil agit, uti mecum judicabunt, qui rem ipsam ad veritatis lancem exigent, secum reputantes omnia, quæ paulo ante tum ex *Philologis* tum ex *Jureconsultis* observavimus.

V. Quæ cum ita sint, suavia sunt *Judæorum somnia* de *Principibus* suis post excidium Hierosolymitanum, quasi illi sua autoritate probare possent, *sceptrum a Juda nondum ablatum esse*. Turbæ Judaicæ in una alterave urbe sedentis Magistri, *Alabarchæ* (25) ראשי ישיבה *Academiarum Rectores* fuere, alieno prorsus arbitrio & durissima servitute constricti, cum gente sua, quam regunt. Præter *Maimonidem* in Commentario ad Mischnam Berachoth, etiam *Davidem Kimchium* ejus rei testem habemus, (26) ut nunc taceam consimilia hac de re testimonia *Abarbanelis*, *Menasse ben Israel* aliorumque Judæorum, quæ leguntur apud Joh. *Hoornbeekium lib.* II. de convincendis sive convertendis Judæis *cap.* I. *pag.* 131. & *Joh. Andr. Eisenmenger* in entdeckten Judenthum P. II. *pag.* 573. Certe *Synedria* Judæorum in *Synagogas* degeneraverant, *Principes Synedrii* in *Professores*, jurisdictione ademta. Namque Academiarum Principes sequioribus sæculis titulum אבות בתי דינין, *Patrum Synedrii* sibi vindicarunt, sive judicii, quia juris patrii periti sunt, & Synedrium vetus in Captivitate quali quali modo re-

præ-

præsentantes, quantum licet de *mundo* & *immundo*, *licito* & *illicito* sententiam ferunt. Vide, quæso *Paulum Pezronum* dans l'Antiquitè des Tems defenduè *cap.* IV. §. 6. *pag.* 274. *Vitringam* in libro singulari de Decemviris Otiosis ad sacra necessaria Veteris Synagogæ curanda deputatis *cap.* XX. *pag.* 281. & de Synagoga Vetere *lib.* II. *cap.* 5. *pag.* 525. Quamvis autem hæc ipsa veritas satis clara & perspicua sit, quippe ipso rerum usu comprobata, quidam tamen docti homines existimant, Judæos *Babylonios Patriarchas* habere, quorum tanta fere sit dignitas & potestas, quanta vel Regum vel Principum solet esse. *Eusebius Renaudotus* edidit librum, cui titulus: Anciennes Relations des Indes & de la Chine, de deux Vojageurs Mahometans, traduites de l'Arabe. In notis autem ad hunc librum *pag.* 332. sequ. affirmat *Renaudotus* vera esse omnia, quæ Judæi de *Babylonio* suo *Patriarcha*, ejusque dignitate tradunt. At vero quemadmodum illud Mahomedanorum Itinerarium multis est mendaciis, nugisque refertum, ita & *Renaudoti* notæ multos continent errores, sublestæ fidei testes. Vide hanc in rem singularem Jesuitæ de *Premare* Epistolam, quæ legitur inter Epistolas ita inscriptas: Lettres Edifiantes & Curieuses, ècrites des Missions Etrangeres, par quelques Missionaires de la Compagnie de Jesus. XIX. Recueil a Paris Ann. 1729. Quod ad eundem Judæorum *Patriarcham Babylonium* attinet, *Beniamin* quoque Tudelensis in Itinerario suo multa jactantius, quam verius tradit, uti pluribus probat *Ericus Frondin* in Dissertatione Historico-Ecclesiastica de Patriarchis Hebræorum, *cap.* IV. quod sigillatim agit de Patriarchis Hebræorum in Babylunia. Addamus verba *Adr. Relandi* in notis ad *Otthonis* Historiam Doctorum Mischnicorum pag. 75. *R. Petachias edidit* סבוב *hoc est itinerarium suum, quod proinde ac illud* R. Benjaminis *ad extollendum gentis Judaicæ decus, & fingendos, nescio quos, Hebræorum Reges e stirpe Davidis, plane est compositum.*

VI. *Patriarchæ* autem ex omnibus vel plerisque orbis Romani provinciis (quemadmodum *Aichmalotarcha Babylonius* (27) ex orientis regionibus) *tributum* quoddam *annuum* seu *pensionem coronarii auri* nomine a singulis Synagogis accipiebant. Exigebant autem ab *Synagogis* suis *Archisynagogi* & *Presbyteri*, acceptamque summam per *Apostolos* eo nomine missos ad Patriarchas mittebant. De istiusmodi *Patriarchæ Judaici Apostolis* plura vide apud *Sam. Petitum* Variarum Lectionum cap. 24. *Laurent. Dav. Bollhagen* in singulari Dissertatione de Apostolis Hebræorum, *Jac. Gothofredum* ad *lib.* 14. *Cod.* Theodosiani de Judæis, *Sam. Petiscum* in lexico Antiquit. Romanarum in voce Apostole, *Rich. Montacutium* in Originibus Ecclesiasticis P. II. *pag.* 121. *Guil. Caveum* in Vitis Apostolorum *pag.* 155. *Frid. Spanhemium* in dissertatione Historico-Thelogica de Apostolatu & Apostolis §. 7. seq. *Henr. Valesium* in annotationibus in *Eusebium* pag. 22. *Paul. Pezronum* dans l'Antiquitè des Tems defendue *cap.* VI. *pag.* 405. Dominum *de Simonville* sive *Richard. Simonium* dans la Comparaison des Ceremonies des Juifs & de la Discipline de l'Eglise *cap.* XI. *pag.* 77. *Petrum de Marca* in dissertatione de discrimine Clericorum & Laicorum *cap.* III. §. 13. *Petrum Molinæum* de Vat. *lib.* II. *cap.* 3. *pag.* 53. *Henr. Dodvvellum* in dissertatione de Jure Laicorum Sacerdotali *cap.* III. §. 13. *pag.* 211. *Herm. VVitsium* in Prælectionibus de Vita & rebus gestis Pauli Apostoli *sect.* II. §. 18. *pag.* 31. *Baronium Tom.* III. Annalium ad Ann. C. 327. num. 18. *Joh. Henr. Hottingerum* Hist. Eccles. Parte I. cap. 4. §. 3. pag. 208. *Vitringam* de Synagoga Vetere *lib.* II. *cap.* 10. *pag.* 577. *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* III. *cap.* 2. §. 8. *pag.* 41. *Adr. Relandum* in Antiquitatibus Sacris Vet. Hebræorum delineatis P. I. *cap.* 10. §. 11. *Dionys. Petavium* in notis ad Epist. XXV. *Juliani* τȣ̃ Παραβάτȣ, *Ezech. Spanhemium* in præfatione ad Opera dicti *Juliani*. Nimirum *Judæorum Patriarchæ anniversarium Canonem* a Synagogis exegere per *Apostolos* suos adsessores, ac inde ἀποϛολῆς seu *Adostolatus* nomine dictum, uti vocem illam ἀποϛολῆς de *tributo illo* accipit *Ezech. Spanhemius* l. c. & *Sam. Pitiscus* in lexico Antiquitatum Romanarum in voce Apostole: quamvis *Petrus* de *Marca* l. c. existimet per vocem ἀποϛολὴ tantummodo dictorum Apostolorum *functionem* designari. Quod ad J. C. *Bulengerum* attinet, is in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* 44. *pag.* 885. *Tom.* VIII. Thesauri *Grævii*, vocem ἀποϛολὴ perperam interpretatur, persuasus, per illam intelligi *tributum*, quod ad *Imperatorem* mittebatur a Judæis. Verum age videamus, quodnam illud fuerit, quod ad Patriarcham ditioni illius subjecti Judæi aurum mittebant atque argentum. *Coronarium* appellant Imperatores Theodosius & Valentinianus Lege XVII. Cod. Theod. *Anniversarium Canonem de Synagogis omnibus*, *Palatinis compellentibus*, *exigant ad eam formam*

quam

quam Patriarchæ quondam auri coronarii nomine postulabant. Quod his verbis Græci explicant, idque recte, ut *Cujacio* videtur ad *lib.* x. *Cod. Titul.* LXXV. de auro coronario ἐπειδὴ οἱ Ἰουδαῖοι παρεῖχον ὑπὲρ τοῦ γενέσθαι στέφανον τῷ οἰκείῳ ἱερεῖ καθ' ἕκαστον ἔτος ῥητὴν ποσότητα χρυσίου, putatque id aurum Judæos quotannis contulisse *Patriarchis Hierosolymitanis*, atque huc pertinere verba *M. Tullii* pro L. Flacco: *cum aurum Judæorum nomine, quotannis ex Italia & ex omnibus vestris provinciis Hierosolymam exportari soleret*. Sed fallitur *Cujacius* & confundit Patriarchas cum *Pontificibus Hierosolymitanis*. Atqui neque fuerunt Judæorum Patriarchæ de Pontificum aut Sacerdotum gente: neque item quamdiu fuerunt Pontifices Hierosolymæ: nam *Patriarchæ* instituti sunt ἐν τῇ ὑστέρᾳ διασπορᾷ *post excidium Hierosolymitanum*. Adde quod neque Hierosolymæ tantum fuerunt Patriarchæ, sed etiam alibi, ut *Alexandriæ Ægypti*, *Tiberiade*, & in partibus Occidentalibus. Quod vero ad *Ciceronis* verba attinet, sciendum est *Hierosolymitanum templum* fuisse *commune Judæorum omnium*, ubicunque gentium essent, *ærarium*. Noluimus hic repetere, quæ hanc in rem diximus in Historia Fisci Judaici *cap.* IV. §. 3. *De Gazophylaciis templi Hierosolymitani* conferendi erunt *Jac. Phil. Tomasinus* in libro singulari de Donariis ac Tabellis Votivis Veterum *cap.* 22. *pag.* 832. *Tomo* XII. Thesauri *Grævii*, *Constantinus l'Empereur* in notis ad Codicem Middoth *pag.* 47. *Jo. Lightfootus* in Decade Chorographica Marco præmissa *cap.* III. §. I. *seq. Bonaventura Corn. Bertramus* de Republica Judaica *cap.* XV. J. B. *Carpzovius* in Animadversionibus & notis ad *VVilh. Schickardi* Jus Regium *pag.* 212. *Joh. Lundius* in den Judischen Heiligthumern *lib.* II. *cap.* 25. *pag.* 354. *seq. Jo. Gothof. Lakemacherus* Observationum Philologicarum P. V. Observatione VI. Quæ cum ita sint, *Tacitus* Hist. *lib.* V. *cap.* 8. templum Hierosolymitanum *immensæ opulentiæ templum* nominat, & quando *Cicero* in Oratione pro lege Manilia meminit *fani locupletissimi & religiosissimi*, idem templum Hierosolymitanum intelligi putat *Gabriel Albaspinæus* in notis ad *Tertullianum*. Nisi quis malit cum *Paulo Manutio* a *Cicerone* Ponticum Bellonæ fanum designari. Quodnam autem fuerit illud *aurum*, quod *Hierosolymam* exportabatur, docet *Josephus*, τὸ δίδραχμον nempe, quod Israelitarum singuli annos nati XX. tenebantur Deo pendere, cujus lex habetur apud Moysem, inferebaturque templo præter aliam votivam pecuniam. Aurum igitur hoc mittebatur ad summum Pontificem, sed Hierosolymam exportabatur, inferebaturque in templum, ut in eo tanquam ærario publico reponeretur ad usus gentis publicos. *Aurum* vero, quod exigebant *Patriarchæ*, ad illos mittebatur non e *didrachmis* (28) aut *votiva* alia *pecunia*, sed proprio Judæorum amore, appellaturque *aurum Coronarium* familiari voce apud Romanos, sed hic per aliquam similitudinem generaliter sumta. Ceteroquin enim *coronarium aurum* dictum est veteribus, quod specie triumphorum vel oblatum vel exactum est, siquidem origo vetusta tulit, ut socii & amici, ipsi Victori Imperatori *coronas aureas* obtulerint, quasi gratulantes, & meritum ei caput cingentes, quæ ante ipsum in triumpho prælatæ & populo ostensæ fuerunt, ut a doctissimis viris (29) observatum est. Ex *Josepho* quoque *Antiquit. lib.* XII. *cap.* 3. XIII. 5. & 8. constat, quod Judæi tributum hoc nomine στεφανίτου φόρου Asiæ Regibus, Victoribus suis penderint. Confer *Grotium* ad I. *Maccab.* X. 29. Quod cum locum non habuerit in Patriarchis, *Auri Coronarii* hoc in casu interpretatio ita accipienda, ut denotetur *oblatio pecuniæ voluntaria*, statuta tamen, quæ Patriarchæ, ceu gentis Principi facta sit. *Est aurum coronarium, quæ diversarum ordines curiarum vel amore proprio, vel indulgentiarum lætitia, vel rebus prospere gestis admoniti in coronis aureis signisque diversis obtulerint*. Leg. IV. Cod. Theod. de auro coronario. Quod Patriarchis mittebatur aurum atque argentum a Judæis, & appellatur *aliqua similitudine aurum coronarium*, missum est, ut videtur, primo amore Judæorum proprio in suos Patriarchas: postea a Patriarchis coactum est, quia consuetudo id tulerat: nam non poterat ab ullo, *absque consuetudine cogi*: Lege unica C. De auro coronario. Cogebant autem & exigebant *Archisynagogi* sive *Presbyteri*, ceterique, vel *Apostoli a Patriarchis directi*, exigebant, inquam, aurum istud & argentum a Judæis ex uniuscujusque *decimis* atque *primitiis frugum*. *Epiphanius* de *Josepho* Patriarchæ Apostolo: μετ' ἐπιστολῶν ὁ Ἰώσηπος ἀποστέλλεται εἰς τὴν Κιλίκων γῆν, ὃς ἀνελθὼν ἐκεῖσε ἀπὸ ἑκάστης πόλεως τῆς Κιλικίας τὰ ἐπιδέκατα, καὶ τὰς ἀπαρχὰς παρὰ τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ Ἰουδαίων εἰσέπραττεν. Non tenebantur Judæi, templo non stante, nec obtinente sacrorum usu, ad primitias, therumoth, & decimas frugum; & si tenerentur, pendere non tenerentur nisi Levitis ac Sacerdotibus. At vero, quia primum amore proprio in suos Patriarchas, qui non erant de gente Levitica

tica aut Sacerdotali, contulerunt Judæi *adærationem primitiarum & decimarum suarum frugum;* propter hanc consuetudinem factum est, ut postea jure Patriarchæ ab iis aurum atque argentum cogerent ex *decimis* & *primitiis* illorum *adæratis*, idque *quotannis*, ut judicat *Petitus* (30) Quanquam *non una vice* cogebatur & exigebatur istud aurum, sed *pluribus in singulis annis vicibus*, quod suspicari licet ex verbis *Legis* XIV. *Codice Theodos.* de Judæis & Cœlicolis: *superstitionis indignæ est, ut &c.* vide §. 1. hujus dissertationis. Vides enim III. Idus Aprilis, ante quem diem data est Mediolani hæc constitutio, nondum coactum fuisse omne illud aurum atque argentum, sed pro temporis ratione *partem aliquam*; nimirum *aurum* atque *argentum ex adæratis primitiis* & *decimis musti* & *olei* illius anni Judaici vertentis a mense Tisri. Supererat cogendum *ex adæratis primitiis* atque *decimis frugum*, quod nondum cogi poterat a. d. III. Id. April. Nam cum exigeretur & cogeretur aurum illud coronarium, quod Patriarchæ postulabant e primitiis & decimis, non poterant exigi nisi jam collectis & elaboratis frugibus. Quare statuit *Petitus*, *tribus vicibus quotannis* exactum fuisse *coronarium* hoc *Patriarcharum aurum*, prima quidem novo anno, post festum σκηνοπηγίας, elaborato jam vino, altera, elaborato jam oleo; tertia, denique post Pentecostes festum, elaborato frumento. Atque ita, ut statueretur *modus* & *forma*, ad quam exigeretur, scilicet modius frumenti, aut hemina vini, aut quartarium olei, tot æra pendebat, atque formam hanc postulabant, & ad eam exigebant *coronarium aurum* nomine *Patriarchæ* a Synagogis *Archisynagogi*, *Hierei*, *Presbyteri*, *Azanitæ*, ab his *Apostoli*. Jam vero Patriarchæ ex illis oblationibus non familiam modo suam quam splendidissime aluerunt, sed & *partem* earum *Apostolis* distribuerunt, quam, ut nonnulli conjiciunt, τὴν τῆς Ἀποστολῆς ἐπιχαρπίαν vocat *Epiphanius*. Hactenus de *auro coronario*, quod Judæi *Patriarchis* suis pependerunt, confer de eodem auro *Samuelem Petitum* in Variis Lectionibus *cap.* 24. *Julium Cæsarem Bulengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* 18. *pag.* 864. *Tomo* VIII. Thesauri *Grævii*, *Ericum Frondin* in Dissertatione Historico-Ecclesiastica de Patriarchis Hebræorum *cap.* III. §. 11. *Fried. Spanhemium* in dissertatione Historico-Theologica de Apostolatu & Apostolis §. 8. *seq. Job. Morinum* in Exercitationibus Biblicis, *Jacob. Rhenferdium* Dissertatione Philologica II. de Decem Otiosis Synagogæ §. 11. *pag.* 195. *Camp. Vitringam* de Synagoga Vetere *lib.* III. *Part.* 1. *cap.* 18. *pag.* 884. *Herm. Witsium Tomo* II. Miscellaneorum Sacrorum *Exercitatione* XII. §. 4. *pag.* 344. *Cæsar. Baronium Tomo* V. Annalium ad A. C. 399. *num.* 79. *seq.* (31) *Jac. Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* III. *cap.* 2. §. 9. *sequ. pag.* 42. & *lib.* VIII. *cap.* 6. §. 17. *pag.* 229. An *Judæi* adhuc *aurum*, quod cum illo *auro coronario* aliquam similitudinem habeat, *exportent*, (32) nec libet jam nec vacat disquirere: videndum tamen, quid de illo *auro coronario Patriarcharum Judaicorum Imperatores Romani* constituerint? *Dionysius Petavius* in notis ad *Juliani Epistolam* XXV. *Jac. Gothofredus* ad *Cod. Theodos. pag.* 231. *Tomo* VI. & *Jac. Basnagius* dans l'Histoire des Juifs *lib.* III. *cap.* 2. §. 12. *pag.* 46. existimant *Julianum* Apostatam in *Epist.* XXV. quam ad τῶν Ἰουδαίων Κοινὸν scripsit, edicto quodam prohibuisse, ne Patriarchæ illud tributum a suis exigerent: at vero hæc sententia infirmo admodum tibicine nititur. Id enim tantummodo dicit *Julianus*, *se Judæorum Patriarcham hortatum, ut ab illo tributo exigendo vellet abstinere:* τὸν ἀδελφὸν Ἴουλον τὸν αἰδεσιμώτατον Πατριάρχην παρῄνεσα. Confer *Ezech. Spanhemium* in præfatione ad Opera *Juliani*, Neque vero Patriarcha ille admonitioni *Juliani* ob insecutam ejusdem cædem, paruit, sed ei, seu ejus successoribus eundem *Canonem* adhuc *pendi solitum*, aliunde patet. Nimirum Honorius A. 399. singulari quadam constitutione *Dat.* III. Idus Aprilis Mediol. Theod. V.C. Conf. Judæos sibi nimium arrogantes compressit, & aurum illud ab eis ex more colligendum inhibuit. Verum quod hoc anno Honorius Imperator Judæis ademtum voluit, haud post diu, sub suo sexto Consulatu cum Aristæneto pro iisdem datis rescriptis *lib.* 15. & 17. de *Jud. Cod. Theod.* restituendum putavit, anno videlicet Domini quadringentesimo quarto. Exstat tamen de eadem re Theodosii junioris rescriptum, quo sibi vendicat, quæ ab Occidentalibus Patriarchis a Judæis exigi vidimus, *l. ultim.* de *Jud. Cod. Theod.* & *lib.* 16. *Cod. Just. eod. tit.* Confer *Baronium Tomo* V. Annalium ad A. C. 399. *num.* 80. & *Basnagium* dans l'Histoire des Juifs *lib.* VIII. *cap.* 6. §. 17. *p.* 229

VII. *Tempus* quo esse desierunt *Patriarchæ* investigandum est. Sua ætate nullos fuisse Judæorum Patriarchas testatur *Theodoretus* Dialogo 1. hisce verbis: ἄλλως τε καὶ αὐτοὶ παντελῶς ἠφανίσθησαν, καὶ χρόνος διελήλυθεν ἐξ οὗ καὶ ἡ τούτων ἡγεμονία τὸ πέρας ἐδέξατο *quanquam & hi quoque prorsus* abo-

aboliti ſunt : & dudum eſt ex quo horum etiam principatus finem accepit. Nempe A. C. 429. Florentio & Dionyſio Coſſ. jam non erant Patriarchæ. Liquet ex Conſtitutione Imperatorum Theodoſii & Valentiniani data his Coſſ. ad Johannem C. S. L. L. XVIII. de Jud. & Coel. magiſque liquebit ex eadem conſtitutione, ut legitur L. ultima *Cod. Theod. eod.* Legis ibi *exceſſum Patriarcharum*, id eſt Patriarchas non amplius eſſe, idque jam ab aliquot annis, itaque dicunt Imperatores, *Patriarchas quondam poſtulaſſe aurum coronarium*, quando ſcilicet erant, erant autem adhuc Patriarchæ A. C. 404. qui Conſules habuit Honorium *Aug.* VI. & Ariſtænetum : nam eo anno ſcripta eſt Lex XVII. *Cod. Theod.* de Jud. & *Cælicol.* qua cavetur, licere Patriarchis aurum a Judæis ſuæ ἐπαρχίας ϗ ἀποδασμοῦ exigere. Reſtat igitur, ut intra illud annorum intervallum, quod eſt ab A. C. 404. ad A. C. 429. Patriarchæ eſſe deſierint. Poſtquam autem eſſe deſierunt, ſive *poſt exceſſum Patriarcharum*, ut loquuntur Imperatores, *Judæorum Primates*, (33) ex auro illo coronario quod *Patriarchis* pendebatur quotannis, *penſionis nomine* quædam ſuſceperunt : ſed id omne a Primatibus refundi voluerunt Imperatores, ut ſuo ipſorum inferretur ærario : atque in poſterum voluerunt *aurum* illud *coronarium*, quod *Primates Judæorum* ubique terrarum a Synagogis omnibus exigebant, ut Patriarchis a Primatibus qui illorum ἐπαχρίας & ditionis eſſent, mitteretur, ſibi pendi, iiſdem Primatibus exigentibus.

N O T Æ.

(1) Bibliothecæ Hebrææ P. I. *pag.* 230.

(2) De antiquitatibus Hebr. Scholaſtico Acad. *pag.* 135.

(3) Sub nomine Domini de *Simonville* dans la Comparaiſon des Ceremonies des Juifs & de la diſcipline de l' Egliſe *cap.* II. *pag.* 76. *ſequ.*

(4) Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ P. I. *cap.* IV.

(5) In libris de Schilo paſſim & quidem in iis locis, quæ paulo inferius indicabimus.

(6) In diſſertatione de Synedriis Hebræorum §. 44.

(7) In notis ad *Beniamini* Itinerarium p. 192.

(8) Dans l' Hiſtoire des Empereurs & des autres Peinces, qui ont regne durant les ſix premiers Siecles de l' Egliſe. Tomo I. *pag.* 984. ſequ. Luculenta ex *Tillemontio* excerpta videre licet apud *Jo. Clericum* dans la Bibliotheque Univerſelle & Hiſtorique *pag.* 87. *ſequ.*

(9) Dans l' Antiquite des Tems defendue *cap.* II. *pag.* 71. *cap.* IV. *pag.* 277.

(10) Ita enim diſſerit de Synagoga Vetere *lib.* III. P. I. *c.* 17. *pag.* 867. poſt Hieroſolymam deſtructam *ſummum gentis Synedrium* non mox penitus ſublatum ſed, etſi *autoritas* illius variis modis *infracta* ſit, aliquandiu poſt id tempus continuatum eſt. Primum quidem poſt exſcidium reſedit illud Synedrium ſive ſuprema Palæſtinæ Academia in *Jaſne*, dein *Tſippori* & *Tiberiade*, ubi tandem, ceu colligere licet ex Legibus Romanis, deſiit *ſæculo quinto*. Verum *tertio* poſt natum Dominum *ſæculo* inceperunt *curiæ* ſive *Scholæ Babylonicæ* (primum *Sorana*) ſummopere florere, nec ceſſerunt Præſides ſummæ Academiæ Babylonicæ vel doctrina, vel autoritate Præſidibus Acedemiæ ſupremæ Palæſtinæ, imo, evaneſcente ſenſim ſplendore priſtino Synedriorum ſive Scholarum Palæſtinæ, magnis aucta eſt incrementis Babylonicæ inſtitutionis auctoritas ; eaque celebria *Synedria Eccleſiaſtica Babyloniæ* continuata ſunt uſque ad *undecimum* a Chriſto nato *ſæculum*. *Benjamin* equidem Tudelenſis ſæculi XII. ſcriptor, *Bagdadenſes* adhuc agnoſcit *Ethnarchas*, ſed quorum tamen autoritas (ſi *Benjamini* in his fides adhibenda ſit) in *docendo* & decernendo de dogmatis religionis non ſane poteſt comparari cum eruditione & autoritate Præfectorum Scholarum Soranæ, Nehardeenſis & Pumbeditanæ.

(11) Dans l' Hiſtoire des Juifs lib. III. *cap.* I. §. 10. *pag.* 18. Nimirum ſi Titus Rabban Jochanan conceſſiſſet *Synedrium Jaſnæ* erigere, ſummam imprudentiam prodidiſſet, cum genti rebelli in loco maritimo ſuo permitteret uti Synedrio.

(12) Vide *Jac. Baſnagium* dans l' Hiſtoire des Juifs *lib.* III. *cap.* 2. §. 3. *pag.* 35. & *Paulum Pezronum* dans l' Antiquite des Tems defendue *cap.* IV. *pag.* 275. & *cap.* VI. *pag.* 403.

(13) In Epiſtola quadam ad Servianum apud *Flavium Vopiſcum* in Vita Saturnini. *Baronius* quidem Tomo II. Annalium ad A. C. 112. *num.* 2. *Caſaubonum* & *Salmaſius* in notis ad *Vopiſcum* volunt intelligi ab Adriano *Patriarcham Alexandrinum* eundemque *Chriſtianum*, ſed multo rectius *Patriarcham Judæorum* hoc in loco innui contendunt *Jo. Morinus* in Exercitationibus Biblicis *lib.* II. Exercit. III. *cap.* 2. *Petrus De Marca* de Concordia Sacerdotii & Imperii *lib.* I. *c.* 3. §. 5. *Fried. Spanhemius* in diſſertatione Hiſtorico Theologica de Apoſtolatu & Apoſtolis §. II. *Jac. Baſnagius* dans l' Hiſtoire des Juifs *lib.* III. *cap.* 2. §. I. *p.* 33. *Paulus Pezronus* dans l' Antiquite-des Tems defendue *cap.* IV. *p.* 275. & *cap.* VI. *p.* 403. *Campegius Vitringa* de Synagoga Vetere *lib.* II. *cap.* 5. *pag.* 523. *Guil. Beveregius* in notis ad Canonem VI. Concilii Nicæni, *Jo. Pearſonius* in Vindiciis Ignatianis P. I. *pag.* 174. *Jo. Caſp. Suicerus* in Theſauro Eccleſiaſtico in voce Πατριάρχης num. II. *Ericus Frondin* in Diſſertatione Hiſtorico-Eccleſiaſtica *cap.* III. §. 2. Ceterum *Larroquanus* in Obſervationibus ad *Pearſonii* Vindicias Ignatianas, & *Thomas Ittigius* in ſelectis Capitibus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sæculi II. *pag.* 275. malunt hic neutri accedere parti.

(14) Dans la Comparaiſon des Ceremonies des Juifs & de la Diſcipline de l' Egliſe *cap.* II. p. 76. ita ſcribit : il eſt parle dans le Talmud de *deux Chefs de la Tribu de Juda*, dont l' un eſtoit dans la *Paleſtine* & l' autres dans le territoire de *Babylone*. Les Juifs memes font *les genealogies de ces deux Chefs*, & pluſieurs d' entr' eux pretendent que *le Meſſie* qu' ils attendent viendra d' un de ces *Chefs imaginaires*, qui eſt celui de *Babylone*.

(15) Tomo I. Diſcours Hiſtoriques, Critiques, Theologiques & Moraux ſur les Evenemens les plus memorables du Vieux & du Nouveau Teſtament p. 558. 583.

(16) II. Eſdras v. 16.

(17) De eo vide notas *Conſtantini L' Empereur* ad *Benjamini* Itinerarium *pag.* 192. ſequ.

(18) Vide *Jacobi Altingii* Schilo lib. I. cap. 3. 13. 14. 15. & *Seldenum* de Synedriis lib. II. c. 7. §. 5.

(19) Vide *Buxtorfii* lexicon Rabbinicum pag. 1399. & *Seldenum* de Synedriis *lib.* II. *cap.* 6.

(20) De vera notionis vocis ἐθνάρχης, ubi de rebus *Judæorum* ſub Imperatoribus *Romanis* ſermo eſt, vide omnino *Nicolaum Fullerum* Miſcellaneor. Sacror. lib. IV. cap. 16. & *Vitringam* de Synagoga Vetere lib. II. c. 9. p. 559. Ceterum *Coccejus* in Comment. ad Zachar. IX. 2. & 2. Cor. XI. 32. huiuſmodi aliquem Judæorum ἄρχοντα *Præfectum* vel *Principem* deſignari exiſtimat per ἐθνάρχην Aretæ Regis, qui Paulum ſtuduit prehendere Damaſci. Μεγάλων etiam nomine *Principes* intelligendi, Matthæi XX. 25. quales fuerunt *Ethnarchæ Judæorum*, quos εὐεργέται dictos videre eſt apud *Joſephum* Anti-

quitat. Judaicar. XIII. 2. unde lux dicti apud Lucam XXII. 25. Vide *Hugonem Grotium* in Diſſertatione de Imperio Summarum Poteſtatum circa Sacra *cap.* IV. *pag.* 44.

(21) Res majoris adhuc indaginis erit, an *Ethnarchis Judæorum* præſertim hoc ipſo tempore tanta fuerit poteſtas, ut in ſuos jus vitæ neciſque habuerint. *Origenis* hæc ſcribentis fidem non ſatis firmam eſſe judicat *Jac. Baſnagius* dans l' Hiſtoire des Juifs *lib.* III. *cap.* 2. §. 14. *pag.* 49. itemque *Ericus Frondin* in Diſſertatione Hiſtorico-Eccleſiaſtica de Patriarchis Hebræorum *cap.* IV. §. 9. *pag.* 59.

(22) De Synagoga Vetere lib. II. cap. 5. pag. 522.

(23) L. 29. C. Theodoſ. lib. 16. tit. 8. & l. 17. C. Juſtin. tit. de Jud. Videſis *Cujacium* lib. VII. Obſerv. 30.

(24) In Reſcripto Theodoſii II. & Valentiniani AA. ad Johannem Sacrarum Largitionum Comitem in Codices Theodoſiano lib. 16. tit. 8. l. 29. hæc verba a *Rhenferdio* deſignantur: *Judæorum Primates qui in utriuſque Palæſtinæ Synedriis* nominantur *vel in aliis provinciis degunt, quæcunque poſt exceſſum Patriarcharum penſionis nomine ſuſcepere, cogantur exſolvere*. In Codice Juſtinianeo Tit. de Judæis l. 17. pro *nominantur*, legitur *dominantur*, aliaque ibi haud parum a Theodoſiani hic verbis diſcrepant, uti obſervat *Jo. Seldenus* in Diſſertatione de Anno Civili, & Calendario Veteris Eccleſiæ ſeu Reipublicæ Judaicæ cap. XVII. pag. 81. & *Jo. Andreas Schimidius* in Hiſtoria Cœlicolarum ad Tit. Codicis de Judæis & Cœlicolis. Certe quando *Petitus occidentis partibus Judeos Patriarchas præfuiſſe* cenſuit inductus lege 17. Cod. Juſtinian. de Judæis & Coel. reſtituendum textum eſſe ex Cod. Theodoſ. lege ult. de Jud. & Coel. legendumque *de occidentalibus partibus* non *de Occidentalibus Patriarchis*, alii monent apud *Petrum De Marca* de Concordia Sacerdotii & Imperii lib. I. cap. 3. §. 5.

(25) Ἀλαβάρχης ſummus apud Judæos in Alexandria jus civitatis habentes, Magiſtratus. Vide de hac voce atque officio *Ludov. Cappellum* in Hiſtoria Apoſtolica, *Henr. Valeſium* in notis ad *Euſebium* p. 27. *Adr. Turnebum* adverſ. XXVII. 25. *Voſſium* in Etymologico, *Gyraldum* in Dial. XXIX. *pag.* 450. T. II. theſ. Crit. *Gruteri*, *Nicol. Fullerum* Miſcellan. Sacror. lib. IV. cap. 16. *Chriſt. Noldium* in Hiſtoria Idumæa pag. 457. *Julium Cæſarem Bulengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani cap. 21. pag. 869. Tomo VIII. Theſauri *Grævii*, *Jo. Lightfootum* in Commentario Chronologico & Critico in Acta Apoſtolorum pag. 817. Tomo II. Operum, *Jacobum Haſæum* in Diſſertatione de Theophilo Alexandrino, cui Lucas Hiſtoriam Sacram inſcripſit, §. 14. pag. 1075. Bibliothecæ Bremenſis Claſſis IV. faſcic. 6. *Jo. Clericum* dans la Bibliotheque Ancienne & Moderne Tomo XVII. pag. 111. ſequ. *Sam. Pitiſcum* in lexico Antiquitatum Romanarum in voce Alabarches, *Jacob. Baſnagium* dans l' Hiſtoire des Juifs *lib.* VII. c. 7. §. 19. *pag.* 178. *Ludov. Cappellum* in Hiſtoriæ Judaicæ compendio ex Joſepho contracto & ad illuſtrationem Hiſtoriæ Evangelicæ & Apoſtolicæ N. T. accommodato, *Jac. Rhenferdium* in Diſſertatione de Arabarchis. An Alexander Alabarcha Alexandrinus Hieroſolymis in Concilio adverſus Apoſtolos Actor. IV. 6. ſederit? quæritur. Affirmat *Baronius* Tomo I. Annalium ad. A. C. 34. num. 265. & ad A. C. 42. num. 30. *Baronii* veſtigia premere videtur *Jac. Uſſerius* in Annalibus Vet. & Novi Teſtamenti p. 646. & *Jo. Pearſonius* in Acta Apoſt. pag. 43. & *Noldius* l. c. *pag.* 416. conferri merentur.

(26) Ad Hoſeæ III. 4. ita commentatur: diebus multis ſedebunt filii Iſrael *ſine rege & ſine principe*: hi ſunt *dies exiliis*, in quo nos hodies ſumus, *neque nobis rex eſt*, *neque princeps ex Iſraele*: ſumus enim in poteſtate gentium & in poteſtate regum, & principum ipſarum.

(27) Vide *de auro coronario Patriarchæ Babylonii Benjamini* & *Abrahami Zacuthi* verba apud *Campegium Vitringam* de Synagoga Vetere lib. III. P. I. cap. 18. pag. 882.

(28) Verba hæc ſunt *Petiti*, ſed alii aliter ſentiunt. Ita enim *Spanhemius* in Diſſertatione Hiſtorico Theologica de Apoſtolatu & Apoſtolis §. 8. *Apoſtoli a Patriarcha deferebant* ἐγκύκλια γράμματα circulares literas *ad Synagogas* pecuniis per capita colligendis *ſpeciatim* auro coronario, *coronæ ſcilicet Patriarchali ornandæ*, *quod* loco didrachmi ſacri *exigebant* Patriarchæ, *in modum annuæ penſionis tam in Orientis quam in Occidentis partibus*. Eadem verba ſunt *Witſii* Tomo II. Miſcellaneor. Sacrorum Exercit. XII. §. 4. p. 344. Ceterum hanc ipſam quoque ſententiam tuetur *Baſnagium* dans l' Hiſtoire des Juifs lib. III. c. 2. §. 9. ſequ. poſtquam enim de *Didrachmis Sacris* mentionem fecerat, addit: les Empereurs s' emparerent de ce Tribut apres la ruine de Jeruſalem. *Domitiem* l' exigea avec cette Severite. *Nerva* en relacha une Partie, que le Patriarche, qui commencoit alors a paroitre chez les Juifs s' appropria. Huc denique referas *Relandum* in Antiquitatibus Sacris vet. Hebræorum delineatis P. I. cap. 10. §. 11. *ſemiſiclum*, inquit, *appellabant* aurum coronarium *ob convenientiam aliquam cum auro coronario Imperatoribus offerri ſolito*. Ejuſdem ſententiæ autor eſt *Guidus Pancirolus* in Commentario ad Notitiam Dignitatum utriuſque Imperii Orientis ſcilicet & Occidentis ultra Arcadii, Honoriique tempora pag. 1524. Tomo. VII. Theſauri *Grævii*. Ceterum *Petiti* ſententia magnam habet veriſimilitudinem. Ex *Philone* diſcimus, quod tempore ipſius *Judæi in exteri regionibus* agentes *aurum* & *argentum* quamplurimum e *primitiis* collectum, & in *æraria* oppidatim fere ſacrata, depoſitum, per legatos quoſdam e viris cujuſque civitatis probatiſſimis ſelectos *Hieroſolymam* quotannis miſerint. *Philonis* teſtimonia, quæ hic utramque faciunt paginam, leguntur lib. II. de Monarch. pag. 565. & de Legat. ad Cajum *pag.* 697. De hac Judæorum conſuetudine nihil reperimus in lege: quamvis lex de *decimis*, quas Deus ob longiorem viam vendere, & pretium inde redactum ad urbem ſacram perferre juſſerat Deuteron. XIV. 24. 25. occaſionem illi dediſſe videatur. Confer. *Jo. Chriſtianum Biel* in Obſervationibus ad Actorum II. 5. de Judæis ex omni gente ſub cœlo Hieroſolymis commorantibus §. 8. pag. 671. Bibliothecæ Bremenſis Claſſis III. faſcic. IV. Quamvis autem deſtructo templo, & diruta Hieroſolyma, *didrachmis*, itemque *pecuniæ ex primitiis & decimis colligendæ*, nullus eſſet locus, Judæi tamen ex more quodam longo jam tempore firmato, *auri coronarii canonem anniverſarium* Patriarchis ſuis pendere voluerunt.

(29) Vide Monumentum Ancyranum Auguſti, & titul. Cod. Th. de Auro Coronario, & ibi *Jac. Gothofredum*, *Petavium* ad Syneſium pag. 7. *Valeſium* ad *Ammiani lib.* XXV. cap. 4. p. 461. *Carolum Du Freſne* in Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis in vocibus Aurum Coronarium, *Giſbertum Cuperum* Exercitat. II. de Elephantis in Nummis obviis cap. IX. pag. 211. Tomo III. Theſauri novi *De Sallengre*, *Nicolaum Abramum* in notis ad *Ciceronis* Orationem in L. Piſonem, *Adrianum Turnebum* in notis ad *Ciceronis* Orat. de Lege Agraria contra Rullum, *Joannem Dougtæum* in Analectis Sacris P. II. pag. 185. *Julium Cæſarem Bulengerum* in libro de Tributis & Vectigalibus Populi Romani *cap.* 27. *pag.* 874. Tomo VIII. Theſauri *Grævii*, itemque in libro de Triumpho veterum Romanorum cap. 29. *Juſtum Lipſium* de Magnitudine Romana *lib.* II. cap. 9. pag. 716. Tomo III. Operum, & quem primo loco commendare debebam *Sam. Pitiſcum* in Lexico Antiquitatum Romanarum Tomo I. p. 224.

(30) Atque id inde colligit *Petitus*, quia *aurum* Patriarcharum *coronarium* in Jure vocatur *canon anniverſarius* LXVII. C. *de Judæis & Cœlicol.* quæ lex ultima Cod. Theod. eod. Ceterum de vera notione vocis *Canon* in hoc argumento, ubi de *tributis* ſermo eſt, vide *Juſtum Lipſium* libro I. Electorum cap. 8. pag. 670. Tomo I. Operum, *Octavium Falconerium* in Epiſtola ad Carolum Datum de Latere ex edificii veteris ruderibus eruto pag. 1490. Tomo IV. Theſauri *Grævii*, *Barn. Briſſonium* de verborum ſignificationibus lib. III. & in Appendice, J. C. *Suicerum* in Theſauro Eccleſiaſtico in voce Κανὼν num. VI. *Guidum Pancirolum* in Commentario ad Notitiam Dignitatum utriuſque Imperii pag. 1542. Tomo VII. Theſauri *Grævii*, *Jacobum Gutherium* de Officiis Domus Auguſtæ lib. III. cap. 4. pag. 499. Tomo. III. Theſauri Novi *De Sallengre*.

(31) Qui tamen verba *Claudii Rutilii Numatiani* Poetæ in itinerario inepte prorsus huc trahit, merito ad examen vocatus a *Jac. Basnagio* dans l' Histoire des Juifs lib. VIII. cap. 6. §. 17. p. 230.

(32) Confer. tamen Historiam nostram Fisci Judaici cap. VII. §.

(33) In rescriptis Juris memorantur *Primates*, qui illustrium & clarissimorum Patriarcharum arbitrio de Religione sententiam habere & in utriusque Palæstinæ Synedriis dominari dicuntur. Vox *Primatum* itaque generalis est & Magistratibus Judæorum quibusvis sive Politicam sive Ecclesiasticam rem curantibus competit. Vide plura de *Primatibus Judæorum* apud *Sam: Petitum*, *Jac. Rhenferdium* dissertatione Philol. II. de Decem Otiosis Synagogæ §. 12. pag. 195. *Vitringam* de Synagoga Vetere lib. II. cap. 5. pag. 523. & in libro singulari de Decemviris Otiosis ad sacra necessaria veteris Synagogæ curanda deputatis cap. 20. pag. 277.

D. SALOMON. DEYLINGII
OBSERVATIO
DE
SCEPRO JUDÆ
Vaticinium Jacobi, Genes. XLIX. 10.

I. JUdæi, Messiam a Vet. Test. vatibus promissum, advenisse negantes, nullo Scripturæ argumento arctius constringi, & in angustias cogi possunt, quam illo, quod ex oraculo Jacobæo Theologi depromunt. Nam quemcunque venire oportuit, antequam omnis ἐξουσία ὑπερέχουσα, αὐτονομία & potestas gladio animadvertendi, a gente Judaica auferretur, eum dudum venisse demonstrat omnis illius potestatis ac dominii post dirutam Remp. exustionemque Templi, Judæorum dispersionem ac turpem captivitatem ante tot secula ablatio. Atqui secundum Jacobi morituri vaticinationem venire debuit Schilo, sive Messias, antequam illud dominium & potestas a Judæis auferretur. Ergo Messiam a Jacobo promissum jamdudum, & ante XVII. secula minimum, advenisse oportet. Q. E. D.

II. Oraculum Patriarchæ his conceptum verbis legitur Gen. XLIX. 10. לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה ולו יקהת עמים: *Non recedet sceptrum a Juda, nec legislator de pedibus ejus, dum adveniat Messias, & ipsi congregatio populorum* adhærebit.

III. His verbis Messiæ prædictionem inesse, constans perpetuaque Christianorum non solum, sed priscorum etiam Judæorum opinio fuit, quorum testimonia collegerunt, *Galatinus*, *R. Martini*, *Jac. Altingius*, aliique, qui ex instituto de hoc oraculo scripserunt. Recutiti vero recentiores nova suæ doctrinæ, dudum confutatæ atque proscriptæ, præsidia quærentes, illustris oraculi sententiam alio deflexerunt, ut argumenta Christianorum declinarent, & præfracte negarunt, ullam prædictionem de Messia his verbis inesse. Judæis frigidam suffuderunt haut pauci ex Christianis, qui splendidissimum oraculum Disputationibus suis obscurarunt magis, & depravarunt, quam illustrarunt. Nos illud non tam a Judæorum, quam recentiorum quorumdam Criticorum censuris vindicabimus, rejectisque perincommodis aliorum interpretamentis, nostram sententiam, suis probationibus, & argumentis instructam exponemus, quam Ecclesiæ Evangelicæ judicio submittimus, non illubenter eam emendaturi, si rectiora edoceamur.

IV. Primum ψευδερμηνείας vitium, que verus vaticinii sensus pervertitur, in eo latet, quod vulgo vocem שבט interpretantur de *scepro Regio*, sive tanta αὐτοκρατορείᾳ & imperandi ἐξουσίᾳ, quam Galli appellant *la souverainitè*, qua Rex alii superiori non est obnoxius, nec tributa solvit. Ex hac enim interpretatione sequeretur, *sceptrum* a Juda non solum paullo post ætatem Salomonis, & in captivitate Chaldaica, sed multo antea sub Judicibus, ablatum esse. Nam quoties vicinis gentibus, Philistæi videlicet, Assyriis & Ægyptis Judæi facti sunt obnoxii? Quoties tributa pendere coacti fuerunt eorum Reges, Achazus, Hiskias, Manasses, 2. *Reg.* XVI. 7. XVIII. 14. aliique,

que, qui lege beneficiaria regnum tenuerunt? Hanc difficultatem nuper quoque animadvertit *Baſnagius lib.* IV. *Hiſtoire des Juifs cap.* XXI. §. VII. *pag.* 302. (*Ceux, qui ſe laiſſent èblouir par le mot de ſceptre, & qui y attachent l'autoritè Royale, ſe jettent dans une difficultè inſurmontable.*) Neque enim a Moſis inde ætate uſque ad Davidem, neque poſt reditum ex captivitate uſque ad excidium Reipublicæ Reges Judæis præfuerunt. Tempore Moſis nihil de ſceptro & majeſtate Regia in Judæ, fratrumque tribubus notum erat. Nec primus Iſraelitarum Rex ex Judæ, ſed ex Benjaminis tribu deſumtus fuit. Ergo per שבט *ſceptrum* præciſe *Regium* intelligi nequit, uti ex noſtratibus nonnulli contenderunt. Hæc enim vox diu ante introductam, in gentem Iſraeliticam, dignitatem Regiam, nota, uſitata, ac Judæ tribui adſcripta fuit.

V. Vulgaris vocis expoſitio de שבט מלכות *ſceptro Regio* & כסא מלכות *ſolio Regio* Judæos non tam emendavit, quam confirmavit in impietate. *R. Lipmannus*, rabidus Chriſtiani nominis hoſtis, hac expoſitione ad riſum quaſi provocatus, in promtu habet reſponſionem: *Regnum* videlicet *domus Davidicæ deſiiſſe univerſos quadringentos annos ante nativitatem & ſuſpenſionem* Jeſu *Nazareni*, *cum Nebucadnezar Judaicam gentem in captivitatem abduceret*, *& Zedekiæ erueret oculos*, in execrabili illo Carmine, quod, memoriæ tribulium conſulturus, *Lipmannus* ſcripſi, ad Chriſtianorum objectiones promte diluendas, & quod *B. Wagenſeilius* edidit & erudite confutavit.

VI. Fateri cogimur, rem revera ita ſe habere, neque Reges amplius poſt reditum ex captivitate Reipublicæ Judaicæ præfuiſſe. Quo vero modo oraculi fides vindicabitur, aut oſtendetur, ejus complementum in Jeſu Nazareni nativitate figendum eſſe, cum Jacobus prædixerit, ante ablationem שבט a Juda adventurum eſſe Meſſiam? Aut igitur dicendum eſt, *Regium ſceptrum* in Zedekia non eſſe ablatum a Juda, ſed poſt ſolutam etiam captivitatem ad natum uſque Servatorem, perpetua Regum ſucceſſione, Tribum Judæ poſſediſſe illud, id quod a fide ſacræ hiſtoriæ alieniſſimum eſt: aut affirmandum, Chriſtum jam tum ante excidium Urbis & Templi, a Chaldæis illatum, veniſſe, quod itidem falſum eſt, & abſurditatem vulgaris interpretationis ſatis manifeſtat.

VII. P. D. Huetius *in Demonſtr. Evangel. Prop.* IX. *cap.* IV. §. VIII. *p. m.* 697. difficultatem tollere conatur diſtinctione inter κτῆσιν & χρῆσιν *poſſeſſionem & uſurpationem* facta. Sed non animadvertit erudítiſſimus Præſul, ſe Judæis imprudenter ſubminiſtraſſe arma ad vim argumenti, verumque vaticinii ſenſum eludendum; dum docuit, firmam ſceptri poſſeſſionem κτῆσει mancipio ac prodrietate ad Judæ poſteros Pertinuiſſe, etiamſi χρῆσις & uſufructus ad alios interdum, Maccabæos exempli cauſſa, ex Tribu Levi oriundos, tranſierit. Quid ſi Judæi, qua ſunt nequitia, eadem diſtinctione uſi, negent, ſceptrum hodie a Juda ablatum eſſe? Quid ſi dicant, ſceptrum. ſive jus Regium hodienum ad Judæ poſteros κτήσει pertinere, eidemque aliquando reſtituendum eſſe, quamvis in diuturna hac captivitate, quam Edomiticam vocant, χρήσει ejus, & uſufructu deſtituantur?

VIII. Neque res continuo confecta eſt & expedita difficultas, ſi cum Celeb. *Wagenſeilio* in *Confutatione Carminis Lipmanniani p. m.* 298. dicamus, *ablato ſceptro Regio ſaltim* מחקקים *ſive Duces Judæis relictos eſſe?* Ita enim Jacobę prędictioni ſua veritas nondum conſtat, etſi id credidit Vir ſummus, quemadmodum nunc oſtenſuri ſumus, bona cum venia lectoris, a pręjudicatis opinionibus alieni.

IX. Non ignoro, particulam ו aliquando disjungendi notione ſumi, & per *aut* verti poſſe. Sed hęc ſignificatio ad hunc caſum, repugnante orationis ſerie, non poteſt applicari, nec verti: *Non recedet ſceptrum a Juda*, aut *legislator*. Ita enim incerti dubiique manſiſſent Jacobi poſteri, utrum *ſceptrum* perſeverare apud Judam, an *Legislator* dumtaxat debeat, uſque ad adventum Meſſię. Neque conſentaneum mihi eſt, Patriarcham, morti vicinum, ultimorumque temporum facta, & Meſſię imprimis adventum definiturum, tam ambigue & obſcure voluiſſe loqui? Mea ſic fert ratio, Judę hoc loco promitti, & *ſceptrum* & *legislatorem*, quorum neutrum ante Meſſię adventum auferendum erat. Nam I. dicitur, ſceptrum non eſſe receſſurum a Juda. II. neque etiam eſſe receſſurum legislatorem a Juda. III. Quouſque? Uſque dum veniat Schilo. Prędixit igitur Patriarcha divino Spiritu agitatus, nec legislatorem, nec ſceptrum, ante Meſſię adventum a Juda ablatum iri: ſed שבט *ſceptrum* non minus, quam מחקק *legislatorem* apud Judam ſuperfuturum eſſe, cum naſceretur Meſſias, quoniam beneficium non receſſuri ſceptri peręque conjungitur cum tempore adventus τȣ͂ Schilo, ac pręrogativa non receſſuri legislatoris. Imo verba לא יסור שבט מיהודה עד כי בא שילה׃ *non* re-

recedet sceptrum a Juda, sensum absolvunt integrum cum verbis עד כי בא שילה *usque quo veniat Schilo*, non minus ac verba ומחקק מבין רגליו *& legislator e medio pedum ejus* connexa sunt cum iisdem illis verbis, *usque quo veniat Schillo*, uti rectissime observavit *Camp. Vitringa Observat. Sacr. lib.* IV. *cap.* V. §. V. *pag.* 903. Duplex igitur promissio Jacobi vaticinationi inest:

I. Non minus *sceptrum*, quam *legislatorem* penes Judam permansurum esse.

II. Judam *utrumque* & sceptrum & legilatorem, adhuc dum, cum venerit Messias, possessurum.

Neglecta hęc oraculi analysis in ambages, innumerasque difficultates ac dissensiones veteres ęque ac recentiores interpretes induxit, & recentissimum doctissimumque Annalistam S. *Basnagium* Flottemanvillęum *Annalium Ecclesiastico-Politic. Ann.* XL. *ante Christ. num.* 24. *Thom.* I. *p. m.* 21. in eas redegit angustias, ut oraculi Jacobęi sensum redditurus diceret, sceptrum non ablatum iri in perpetuum, quoniam Schilo venturus sit. Sceptrum equidem a Juda auferendum prædici, sub captivitate videlicet, & post reditum ex illa, sed non in perpetuum; fore quippe, ut sub Messia & ab ipso restituatur. Quantam vim hoc interpretamentum a Judæis, uti postea ostendemus, mutuo acceptum, verborum proprietati, & vaticinio inferat, nemini obscurum esse potest. Patriarcha loquitur de sceptro temporali, Messiæ autem sceptrum & regnum, quod in terrarum orbe constitutum habet, est spirituale & mysticum. Conf. *Jacobi Basnagii Histoire des Juifs lib.* IV. *cap.* XXI. *p. m.* 302. §. VII.

X. His præmissis haut difficulter intelligi potest, quid שבט h. l. sit? Proprie notat *virgam & baculum:* sigillatim *virgam*, quæ autoritatis indicium est, vel baculum, quo pastores & milites ordinum antesignani utuntur. Unde cum Tribuum Principes haberent virgas Num. XVII. 2. factum est, ut, שבט significaret *Tribum*, quæ sub uno Principe regebatur. Quæritur autem, quid hoc in loco שבט significet? Non desunt ex recentiorum verporum colluvie, qui ad eludendum vaticinii sensum commenti sunt, per vocem שבט *virgam* afflictionis & calamitatis intelligi, qua hodienum cædantur. Hoc Judæus quidam Amstelodamensis a Patre suo se didicisse refert apud *Wagenseilium in Confutatione* Carminis Lipmanniani *p.* 327. sed idem expositionis commentum in Libro *Beer Mosche* jam suo tempore vidit *Rittangelius* apud *Basnagium in Histoire des Juifs l. c. p. m.* 317. Hanc vero significationem in hunc locum non posse convenire, vel inde liquet, quod Patriarcha non infausti quid Judæ ominatur. Et quomodo hanc vocis detorsionem conciliabunt cum eo, quod paullo ante dicitur, *manum Judæ instar leonis fore in cervice inimicorum suorum*? Repugnat præterea sacrorum Annalium memoria, in quibus proditum est, Judæorum gentem nec perpetuis calamitatibus, nec duris imperiis semper fuisse pressam. Nam tempore saltim Davidis & Salomonis, qui æquissimi mitissimique fuerunt Reges, res Israelitarum floruerunt. Neque vox שבט, si solitaria est, tyrannicum imperium notat. Hæc enim significatio alius vocis adjectione determinatur, sicut *Psalm.* II. 9. שבט ברזל *virga ferrea* dicitur. Repugnat vox מחקק, quæ non tyrannum, sed legislatorem notat. Dissentiunt interpretes Chaldæi, quos Paraphrastas appellant, veteresque Judæi, sicut multis testimoniis evincunt, qui de hoc vaticinio integros ediderunt Tractatus, inter quos eminet velut inter sidera luna minora, *Jacobi Altingii Schilo*, qui exstat *Tom.* V. *Operum*, ubi Libro *primo* varias Judæorum interpretationes recenset.

XI. Nostra opinione שבט h. l. non notat præcise sceptrum Regium, αὐτοκρατορεῖον & τὸ αὐτεξούσιον πολιτικόν, quod summa pacis ac belli, aliaque jura complectitur, ut vulgus interpretum opinatur: sed generatim non nisi dominationem significat, summamque potestatem Judæ inter fratres, quocumque demum nomine illa potestas in Republica exerceatur, sive Regis, sive Ducis, sive senatus summi, aliusve magistratus titulo exerceatur. Laxioris hujus significationis exempla passim in Scripturis exstant, *Ezech.* XIV. 5. legitur: שבט מושלים *sceptrum dominantium*, Es. XIV. 5. Ezech. XIX. 11. *& in eodem Capite* versu 14. שבט למשול *sceptrum ad dominandum*. Quæ aliaque loca, imprimis *Judic.* V. 14. satis probant, falsum esse, quod plerique interpretes asseruerunt, hac voce semper & ubique שבט מלכות: uti *Psal.* XLV. *v.* 7. hoc est, ἀνυπεύθυνον ἀρχὴν summam Regiamque potestatem, nullis circumscriptam limitibus designari. Nam שבט adeo generale est nomen in allatis Scripturæ locis, ut commune sit sceptro Regio, & scipionibus magistratuum inferiorum, qui populo sub Regibus præsunt. Quæ igitur caussa impulit interpretes, ut, relicta signi-

gnificatione laxiori, ad ſpecialem dominandi rationem, τὰ κύρια τῆς πολιτείας, ſupremum belli jus, & dominium, & multa alia τῆς αὐτοκρατορίας jura complexam, dilaberentur? Recte *Onckelos* עבר שולטן: *exercens dominium*, οἱ LXX. ἄρχοντα, ſenſus magis quam verborum curioſi, & *Symmachus* ἐξουσίαν interpretati ſunt. *Theodotion* & *Aquila* paullo obſcurius reddiderunt σκῆπτρον. Male reliqui duo Paraphraſtæ, *Hieroſolymitanus*, & *Jonathan*, illam autoritatem, cujus שבט ſignum erat, ad Regiam dignitatem reſtrinxerunt, & מלכיא *Reges* verterunt. Nam vox שבט in gente Iſraelitica ante Reges conſtitutos uſurpata, ſignum fuit cujuſcunque dominationis & autoritatis in genere. De generaliori ejuſmodi ἐξουσίᾳ ὑπερεχούσῃ, dignitate eminentiori cum imperandi jure conjuncta, αὐτονομίᾳ item, autoritate legislatoria, ac jure animadvertendi in violatores legum patriarum, cujus inſigne olim fuiſſe videtur *virga* vel *ſcipio*, Numer. XVII. שבט h. l. interpretari ſatius eſt, quam de ſpeciali & Regia poteſtate. Alioquin vaticinium Jacobæum, in quo שבט ad Meſſiæ uſque adventum Judæ promittitur, eventu non fuiſſet ratum. Regium quippe ſceptrum a Juda ablatum eſſe novimus, multo tempore ante Meſſiæ adventum, Zedekia, ultimo Judæorum Rege Babylonem deportato. Quapropter ſenſus vaticinii eſſe nequit, *Regnum a Juda non eſſe auferendum*, ſed αὐτονομίαν & ἐξουσίαν ὑπερέχουσαν, dominium ac juriſdictionem ſecundum patrias leges ante Meſſiæ adventum a Juda non eſſe auferendam, ſed uſque eo in Republica Judaica perpetuo exercendam ſive per Judices & Reges, ſive Principes & Duces, ſive Proceres populi, ſummum gentis ſenatum conſtituentes, aut denique per Ethnarchas, (quales ſub ipſum vaticinii complementum Herodes & Archelaus fuere,) penes quos futura eſſet ea poteſtas, cujus שבט ſive *virga*, quam gerebant, erat indicium. Videatur *Bern. Lamyus*, doctiſſimus Oratorii Preſbyter in Gallia, *Part.* II. *cap.* III. *Apparatus Chronol. ad Harmoniam Evangel. p. m.* 133. *& ſequ.* & William Nicholls *Conferenſe vvith a Theiſt. P.* III. *p.* 39.

XII. Sicut poteſtas imperandi, ita judicandi quoque poteſtas & αὐτονομία ſive facultas & libertas ſecundum patrias leges vivendi uſque ad Meſſiæ adventum in gente Judaica duratura ac ſuperfutura dicitur. Nam per שבט h. l. generatim poteſtas *adminiſtratoria*, & per מחקק poteſtas *legislatoria*, ſigillatim jus ferendi leges, & in violatores earum gladio animadvertendi, mihi ſignificari videtur. Vocem מחקק, quam LXX. ἡγούμενον, & vetus Latinus interpres eos imitatus *Ducem* reddunt, eruditiſſimi viri de Duce bellico exponunt, ſed perperam, & male, ſi quid judico. Diu enim ante Chriſtum natum jus belli ac pacis amiſerant Judæi: Hic autem מחקק ante Meſſiæ adventum receſſurus ab ea gente haut erat. Nec ullo evidenti Scripturæ exemplo probari poteſt, מחקק *Ducem bellicum* notare. Verbum חקק, unde eſt Participium מחקק ſignificat *ſtatuere*, *decernere*. Et quoniam apud veteres leges, tabulis inſculptæ, vel lapidibus inciſæ, proſtabant, notat etiam *incidere*, *inſculpere*. Recte *Kimchius* ad *Jud.* XV. 9. נקראו הגדולים חקקים שמשימים החקים בעם: *Magnates vocantur* חוקקים *quia leges populis condunt*. Nomen חק, quod a dicto verbo derivatur, eſt *lex* aut *edictum*, *ſtatutum*. Inde מחקק eſt, qui aut leges condit, aut ex legibus latis jus dicit, & in violatores pro conditione delicti, ſecundum latas receptaſque patriæ leges, animadvertit. Quam Juriſdictionem non ſolum Reges ex Juda oriundi exercuerunt, ſed Judices etiam, Duces, S. Sacerdotes, ſummus Judæorum Senatus, Herodes aliique, penes quos ſumma in Republ. Judaica poteſtas fuit.

XIII. Antequam ulterius progrediamur, breviter ſtrictimque indicare oportet, quid voce יהודה ſignificetur, in cujus explicatione eruditiſſimi interpretes diſſentiunt. De tota gente Hebraica, etſi Tribus Juda primas in illa tenuit, vox accipi nequit, quia Patriarcha unicuique Tribui ſigillatim ſuam prædicit ſortem & fata. Et in antecedente commate dicitur: *Juda te laudabunt fratres tui*. Et rurſum: *adorabunt te filii Patris tui*, quæ ſane non ad integrum populum Hebræum, ſed proprie ad Judam, ejuſdemque nepotes pertinent. Nec ullum Scripturæ exemplum proſtat, ubi ante captivitatem Babylonicam univerſus Iſrael *Juda* vocetur. Quapropter de Tribu *Juda* illam vocem interpretamur. Qui ſecus ſentiunt, & vaticinium de univerſa Hebræorum gente accipiunt, ne ortum quidem Meſſiæ, quem his verbis prædixit Jacobus, ex Judæ familia adſtruere poſſunt.

XIV. Ubi tamen obſervandum, & illud ſubmonendum eſt, *Judæ* Tribum ſpectari h. l. ſecundum varium ſuum ſtatum & conditionem debere. Ego non memini, ante Babylonicam captivitatem ullum Iſraelitam, ex alia Tribu natum, ad *Judæ* Tribum vel relatum, vel denominatum ab ea fuiſſe. At poſt cladem a Chaldæis illatam, & reditum in patriam Tribui Judæ adnumerari cœperunt

Le-

Levitæ & Benjaminitæ, jam antea cum Tribu Judæ commixti, & ab eo tempore *Judæi* dicti, ob eminentem istius Tribus dignitatem. Quamvis igitur permulti Judæorum Duces, & ipsi Assamonæi ex Tribu Levi fuerint; quod *Cæsar Baronius*, & *Genebrardus in Chronologia*, atque *Brunus Scotus*, Ordinis Minimorum in Academia Complutensi quondam, dein Avenionensi, Theologiæ Professor, in *Commentariis & Quæstionibus Analyticis in Benedictiones* XII. *Patriarcharum*, Venetiis 1604. excusis, *p. m.* 158. temere & impudenter negarunt, adversus historiæ sacræ, & *Josephi*, scriptoris domestici, fidem, contra quos legatur *Basnagius* lib. IV. *Histoire des Juifs* cap. XXI. §. XIV. *p. m.* 311. hoc tamen non obstat, quo minus dici queat, שבט & מחקק illo quoque tempore penes *Judæ* Tribum fuisse. Nam, ne commemorem, Judam, tempore Saulis, τὸ שבט vere habuisse, etsi ὁ σκηπτοῦχος, Saul, qui sceptrum gestavit, ex Tribu Juda non fuit oriundus, Levitæ Maccabæorum ætate Judæis accensebantur, summusque gentis Senatus, סנהדרין dictus, Proceribus, ex Judæ Tribu lectis, maximam partem constabat.

XV. Ordo & instituti ratio requirit, ut ad illa oraculi verba מבין רגליו nos conferamus, &, quo sensu illa accipi debeant, investigemus. Hic vero interpretes longe doctissimos, innumeris difficultatibus constrictos, hærere, & in diversas opiniones abire videas. Permulti ad illam consuetudinem, quæ in scholis obtinebat, quando Doctores instituebant suos discipulos, respici arbitrantur, qua Judæorum Magistri olim in cathedra excelsiore, eorum vero discipuli humi, & ad Præceptorum pedes consedisse dicuntur. Qui in hac opinione sunt, verba oraculi in hunc exponunt sensum: *Non deerunt Doctores inter Judæos, ad quorum pedes discipuli sedeant, donec veniat Messias*. De loco Doctorum, institutioni discipulorum vacantium, sive loco, qui muneri eorum obeundo destinatus erat, verba מבין רגליו exposuit etiam *Jac. Altingius in Schilo lib.* III. *cap.* V. *f. m.* 53. *Tom.* V. *Op.* Sed multa graviaque in promtu sunt argumenta, quibus pervulgata receptissimaque illa sententia refelli potest. Nam de discipulis dici nequit, quod בין רגלים μεταξὺ vel ἐν μέσῳ τῶν ποδῶν *inter pedes*, *vel in medio pedum* sedeant, sed dici debuisset לרגלים, παρὰ τοὺς πόδας, לרגליו vel אל רגליו *ad*, vel *juxta pedes*. Neque tollit difficultatem hæc explicatio, sed auget magis, quia de Doctore vel Legislatore sermo est, in quem formula *sedere ad pedes*, vel *recedere a pedibus* non quadrat: quippe qui non ad pedes, sed ad caput nepotum Judæ discentium sedere dicendus erat. Huc accedit, quod eruditissimi viri *Sam. Petitus* lib. III. Observ. cap. 2. & *Wagenseilius in Confutatione* Carminis Lipmanniani *p. m.* 265. & in *Commentario* ad *Sota f. m.* 316. *Edit. Surenbusianæ*, perbelle observarunt, a Mosis inde temporibus ad ætatem usque Gamalielis, atque sic ad exhibitum usque Messiam, & amplius non sedisse discipulos, sed stantes in pedibus a sedentibus Magistris fuisse institutos, quod ex Tractatu *Megilla* Talmudis Babylonici *cap.* III. f. 21. 1. probant, & ex ipso Evangelio haud obscuris indiciis demonstrant, ne quis Talmudici testimonii fidem temere solicitare ausit.

XVI. Non desunt, qui verba מבין רגליו de generandi modo, & naturali ortu per generationem exponunt, Chaldæos Paraphrastas, *Onckelosum*, *Jonathanem*, & *Hierosolymitanum*, sequuti, nec non seniores Græcos, ut videtur, qui reddiderunt ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ. Latinus interpres habet: *de femore ejus*. Qua interpretatione significari putant, ad adventum usque Messiæ non defuturos Legislatores, vel Principes, qui ex Tribu Juda continue nascerentur. Verum Linguæ Hebrææ usus repugnat. Quamvis enim posteri dicantur *ex femore* γενεάρχου *egredi*, attamen e mediis pedibus ejus nusquam leguntur. *Deut.* XXVIII. *vers.* 57. secundina dicitur *e mediis pedibus* mulieris egredi, sed de viro nihil ejusmodi usquam occurrit, uti recte annotavit ad h. l. *Joh. Clericus f. m.* 304. *sui Commentarii*. Idem interpretamentum prolixe & solide refellit *Jac. Altingius in Schilo lib.* II. *cap.* VIII. *f. m.* 42.

XVII. B. *Vejelius*, Theologus Ulmensis, in literis ad *Wagenseilium* datis, per רגליו *pedites* intellexit, sive exercitum pedestrem, quo Hebræi olim magis valuerunt, quam equitatu, ut nomen adeo sit רגלי quod legitur *Exod.* XII. 37. I. *Chron.* XVIII. 4. *Jerem.* XII. 5. & indicetur, *non recessurum esse Ducem belli ex medio militum ejus*. Hæc interpretatio nobis violenta, & ab indole sermonis Hebræi aliena videtur, quia pronunciari deberet רגליו quemadmodum עניו *Esajæ* XLIX. 13. Vocem מחקק de Duce belli nullibi usurpari in Scripturis, antea jam monuimus.

XVII. Verborum difficultas summis eruditissimisque Viris tanta visa est, ut abjecta idoneæ interpretationis fiducia, ipsam textus Hebræi integritatem solicitarint, locumque in mendo cubare, & ad Codicis Samaritani fidem emendandum, vel potius genuinam lectionem exinde resti-

ſtituendam eſſe, exiſtimarint. Samaritanus Codex a fonte Hebræo levi unius elementi, τȣ̃ ר in ד immutatione differt, & pro רגל quod *pedem* notat, habet דגל, quod *vexillum* ſignificat. Quod ſi מחקק de belli Duce & דגליו de vexillis, & ſignis militaribus interpreteris, ſenſus erit: *Non ablatum iri ſceptrum ſive principatum de* Juda, *neque Ducem belli de vexillis ejus, inter quæ ſcilicet verſari ſolet, donec venerit Schilo*. Sive quod idem eſt: *Tribum* Judam *habiturum tamdiu ſuos Duces & Principes, aut jura pacis & belli, donec venerit Meſſias*. Hanc conjecturam, rejectis vulgi interpretamentis, perbelle exornatam ſuperiori ſeculo eruditis examinandam propoſuit Nobiliſſimus ſummæque exiſtimationis Vir Jobus *Ludolphus*, primus linguæ Æthiopicæ inter Chriſtianos Magiſter. Non diſplicuit illa Joh. *Clerico* in *Comment. ad h. l. f. m.* 305. *Sed forte hoc in loco emendatior videatur Samariticus Codex, qui habet* דגליו *daglau* e mediis ejus vexillis. *Facile mutari* Daleth *in* Reſch *cum in Hebraico, tum in Aſſyriaco charactere propter figuræ affinitatem potuit*.

XIX. Ego cum Celeb. *Wagenſeilio* in Diſſertationem de hoc loco ad v. C. *Chriſtoph. Arnoldum* ſcripta, quæ inſerta eſt Faſciculo v. *Opuſculorum*, quæ ad Hiſtoriam & Philologiam S. ſpectant, & Roterodami aliquot abhinc annis a *Th. Crenio* edi cœperunt, *p. m.* 211. fateor ingenue, ſolertem, ingenioſamque eſſe hanc conjecturam, & omnino talem, ut ejus nunquam autorem pœnitere debeat. Ego quoque ſi de ullo alio, præter S. literas, ſcriptore ageretur, citra hæſitationem aſſenſum præberem. At vero, quia ipſius S. Codicis lectio, conſtanti Codicum MSS. fide, & vetuſtiſſimorum interpretum teſtimoniis, confirmata, in controverſiam vocatur, nolim ego cum *Jobo Ludolffo* & *Jo. Clerico* fontes ex verſione adeo temere emendare. Nam quid fiet tandem de Codice ſacro, ſi corrigendi mutandique arbitrio non ſtatuitur modus? Deſcriptores equidem & librarii non fuerunt ἀναμάρτητοι & θεόπνευστοι. Unde fieri potuiſſe fateor, ut in nonnulla Codicis Hebræi exemplaria, negligentius deſcripta, unum ulterumve mendum irreperet. Sed affirmare velle, illud in omnes omnino Codices MSS. ſe diffudiſſe, veteremque ac genuinam lectionem exturbaſſe, hoc profecto providentia divina, quæ in tuenda S. literarum incolumitate, plane ſingularis fuit, indignum, impieque ac temere dictum videtur. Tantæne Samariticus Codex, aut interpres autoritatis eſt, ut ex eo ſolo contra Chaldaicorum, aliorumque veterum interpretum fidem, de integritate vel corruptione veritatis Hebraicæ tuto judicari poſſit? Imo vero tot craſſis maniſeſtiſque erroribus ac vitiis, quæ partim caſu, partim ἐκ προαιρέσεως in eum illata ſunt, ſcatet, ut hodie apud æquos rerum æſtimatores parum fidei habeat & autoritatis, quando a fontibus diſſentit. Provoco ad *Hottingeri Exercitationes Anti-Morinianas*, & ad Epiſtolam *Arnoldi Bootii* ad *Jacobum Uſſerium*, Archi-Epiſcopum Armachanum, ſcriptam, Pariſiiſque A. C. 1650. typis expreſſam. Provoco ad ipſum *Waltonum* acerrimum Samaritani Codicis defenſorem, qui in *Prolegomenis ad Biblia Polyglotta f. m.* 370. negare non potuit, impoſtorem quendam *Doſitheum*, qui ſe pro Meſſia venditavit, & qui cujuſdam ſectæ inter Samaritanos Dux fuit, exemplaria Samaritana corrupiſſe, & adulteraſſe. Provoco denique ad *Waſmuthum*, qui *in Vindiciis p.* 98. non pauca Samaritani Codicis vitia adnotavit, ubi pro ר *Reſch* ſubſtitutum invenitur ד *Daleth*. Quo, quæſo, argumento, Viri eruditiſſimi fidem dabunt, ſimilem depravationem hunc locum non ſubiiſſe? ſed Codicem Samaritanum ſolum ſapere præ omnium aliarum nationum & linguarum exemplaribus? Nonne Judæi, ſi oraculum Jacobæum ad Samaritani Codicis lectionem refingi audient, *Dei* hominumque fidem continuo inclamabunt, & tam deſperatam Chriſtianorum cauſſam eſſe criminabuntur, ut nobis neceſſe ſit, a Scripturæ depravatione remedium petere. Hoc expertus eſt *Wagenſeilius*, ubi cum Judæo de iſta lectionis varietate nonnihil egit. Videatur ejus *Confutatio* Carminis Lipmanniani, *in Telis igneis Satanæ p. m.* 273. qui reliqua quoque interpretationis Ludolffinæ momenta ſolide examinavit.

XX. Nos igitur de vaticinii integritate certi, receptam lectionem non ſolicitamus, ſed tuemur, ne Judæos offendamus, & in contumacia magis confirmemus, cum præſertim non incommoda oraculi expoſitio dari poſſit. Perplacet opinio eorum, qui verbis מבין רגליו morem ac habitum leonis exprimi cenſent, dum incubat prædæ ſuæ, quam accubando inter pedes ſuos ita ſervat, ac tenet, ut nemo eam ipſi facile eripiat. Ad hunc morem alluditur *in Numeris Cap.* XXIII. verſ. 24. XXIV. 9. & Eſaiæ v. 29. Huic interpretationi valde favent ea, quæ proxime antecedunt verſ. 9. *Catulus eſt leonis Juda. Aſcendiſti fili mi poſt prædam, inſtar leonis, & leænæ crura flexit, recubuit, quis illum excitabit?* Quibus

bus verbis graphice describitur leæna satura, in antrum redux. Et quamvis a sumta esca leo mitior sit, ut autor est *Aristoteles Libr.* IX. *cap.* XLIV. *Hist. Animal.*, tamen si quis cubantem in antro excitare, vel prædam eripere eggrediatur, collecta ira formidandam ferocitatem prodit. Talicum leone comparatur Tribus Juda, cui dominium αὐτονομίαν, & potestatem ὑπερέχουσαν, prius haut ereptum, nec feralem cladem, excidiumque illatum iri, prædicit Jacobus, quam advenerit Schilo. Hoc sensu vaticinium Jacobæum ipso eventu ratum fuit. Nam quamvis, sub adventum *Christi* Servatoris, Romanis essent obnoxii Judæi, tamen αὐτονόμους adhuc fuisse, ipse *Josephus* testatur. Nec ab Herode M. ἀλλοφύλῳ, cui eo tempore parebant, sceptrum ablatum erat, quia Judæis patriis adhuc legibus & vivebant, & servato pristino Reipublicæ statu, atque Synedrii autoritate & potestate, regebantur. Quemadmodum enim Romanum Imperium sub Trajano non dicebatur eversum, etiamsi ille Hispanus erat, nec sceptrum sub Decio, aut Diocletiano ablatum, quia hic Dalmata, ille Pannonius erat: ita nulla etiam est ratio statuendi cum vulgo, sceptrum recessisse a posteris Judæ, ob collatam potestatem Judaici populi in Herodem ἀλλόφυλον, & gente Idumæum, perinde ac hodie Poloni non dici possunt alieni juris facti, quando rerum summam ad Potentissimum Saxonum Electorem detulerunt, qui eos suetis receptisque patriæ legibus regit.

XXI. Properamus ad tertium oraculi membrum, primo loco de particula עד כי disquisituri. Verpi quidam recentiores ad enervandam argumenti vim & telum, adversus eos efficacissimum, nobis extorquendum, illustre vaticinium nequiter obscurant, particulam עד כי, quam Lexica reddunt *donec*, dissolventes, & duas inde facientes, quarum primam עד *de æternitate* exponunt, & alteram vertunt *quando*, ut hunc eliciant sensum: *Sceptrum a Juda non auferetur in æternum, quando venerit Schilo*. Ablatum est sceptrum a Juda, inquiunt, Ergo nondum venit Schilo, sive Messias. Videatur omnino *Josephus de Voisin in notis ad Raymundi Martini Pugionem fidei f. m.* 332. Sed fundamentum, quod Judæi in Accentu *Jethib* dinstinctivo quærunt, perinfirmum est. Refelluntur commatis sequentis voce כנס, quæ etsi adnexum hunc Accentum habet, tamen a sequentibus non divellitur. Propterea Paraphrastæ Chaldæi, & LXX. seniores Græci, illam particulam non discerpunt. Nec Judæi ullo idoneo exemplo istam dissolutionem tueri possunt. Præterea legibus Grammaticis adversa est, & intentioni Jacobi, ac rerum eventui repugnat, sicut viri harum literarum periti, qui collato pede cum verporum colluvie dimicant, demonstrarunt.

XXII. Vox שילה ut nomen est ἅπαξ λεγόμενον, ita crucem interpretibus fixit non levem, & Judæos non solum, sed Christianos etiam, in diversas sententias traxit. Disputatur enim & de *lectione*, & de *significatione* vocis *Jo. Clerico* lectio Samaritani Codicis placet, qui literam *Jod* in voce שילה omissam habet. Pontificii, Vulgati interpretis errorem sequuti, & *H. Grotius* olim שילח, quod contra analogiam Grammaticam de *mittendo* exponunt, quasi שלוח esset, scriptum, sed a Judæis, vaticinii evidentia constrictis, corruptum esse in vocem שילה prolixe contendunt: sed nullam afferunt caussam, cur Judæis locum ita corruperint? Nec ulla utilitatis ratio apparet, vel emolumentum, ex ejusmodi corruptione in eos redundaturum. Nonne ipsimet Judæi, veteres Paraphrastæ Chaldæi, *Onkelos*, *Jonathan* & *Hierosolymitanus* suffragantibus non paucis sequiorum temporum magistris, fassi sunt, *Schilo* esse Messiæ nomen? Certe inter Messiæ nomina recensetur in Codice *Sanhedrin Cap.* IX. Nos igitur vulgatam receptamque lectionem servandam, tuendamque esse arbitramur, consensu Codicum, Masoretharum fide, ac Talmudicorum Doctorum testimoniis, multisque aliis rerum argumentis confirmati. Adeundus interea legendusque est *Johann. Buxtorffius*, Fil. *in Anti-Critica*, seu *Vindiciis veritatis Hebraicæ*, adversus *Lud. Cappellum Part.* II. *Cap.* X. *p. m.* 714.

XXIII. Major difficiliorquem disceptatio est de origine & significatione. Nonnulli cum *Ludovico de Dieu* in Arabia ejus natales quærunt, & ab usitato Arabum verbo שול *fluxit* nomen שיל *fluxus* derivant, cui *Ob* affigunt, ut efforment שילה *fluxus ejus*, sive *semens ejus*, quod ex Juda profluxerit. In Græca LXX. seniorum translatione leguntur verba: ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *donec veniat*, *cujus sunt reposita*, quæ idoneo sensu destituuntur. Quod manifestum est indicium, vel interpretes Græcos errasse, vel textum Græcum in mendo cubare. Quamvis enim ad fidem nonnullorum Codicum verba refingas, & legas ᾧ ἀπόκειται, *cui repositum est*, sc. βασιλεία *regnum*, ut οἱ LXX. legisse videantur שלו pro אשר לו *cujus est*, vel *cui debetur* regnum, quemadmodum Chaldæum quo-

quoque legiſſe ſuſpicor, qui vertit דדיליה היא מלכותא *cujus eſt regnum*: tamen *ſubjectum* deeſt, ad ſupplendum ſenſum, quod Chaldæus habet. Vertit enim עד דייתי משיחא: *donec veniat Meſſias, cujus eſt regnum*. Suſpicio igitur non levis eſt, veteres interpretes Græcos eodem ſenſu, quem Chaldæus habet, Græce reddidiſſe cum expreſſa mentione vocis *Schilo*, vel *Chriſti*, *ᾧ ἀπόκειται, cui repoſitum eſt* regnum, quæ tamen vox lapſu temporis, & librariorum incuria, extruſa & amiſſa eſt. Quidquid ſit, certe vocis Χριστοῦ ſuppletio ad ſenſus reſtitutionem neceſſaria eſt, ut recte animadvertit nuper doctiſſimus *Baſnagius Libr.* IV. *Cap.* XXI. *Hiſtoriæ Judaicæ* §. V. *p. m.* 299. *Afin de decouvrir un ſens juſte dans ces paroles* (Grecs) *il faut remplir le hiatus le vuide, & remettre le terme de Scilo, ou de Chriſt, qu' on a peutetre retranche.*

XXIV. Multi ex recutitis, quos Chriſtiani interpretes agminatim ſequuti ſunt, exponunt שילה *filium ejus*, exiſtimantes, primævum hujus vocis thema eſſe שליה quod *ſecundinam* notat, ſive involucrum illud, quo partus obvolutus ex utero prodit, quod figurate de *fœtu* ſeu *filio* exponunt. In hac opinione *Jonathan* fuit, qui vertit זעיר בנוי *parvulus filiorum ejus*, quem ſequuti ſunt *R. Aben Eſra*, *R. Bechai*, & alii quam plurimi. *R. David Kimchi ad Radicem* שיל citato hoc Jacobi oraculo, ſcribit: שילה פירושו בנו *Schilo, expoſitio ejus eſt, filius ejus*, cui reſpondere ait τὸ שליה *ſecundina*, & τὸ שליל *embryo*. Multa vero in hac interpretatione deſiderari, erudite monuit *Jac. Altingius in Schilo Libr.* III. *Cap.* VIII. *f. m.* 58.

XXV. *Jacobus Guſſetius*, Theologus Grœningenſis, ut nova ſubinde conſectatur, ita hic confidenter aſſerit, שילה eum ſignificare, *qui laboribus graviſſimis premitur, & qui purificationem gentium penes ſe habet, eamque ſuſcepit*, in Commentario Linguæ Hebraicæ *f. m.* 425. Sed poſt magnum circuitum, moleſtamque literarum mutationem, ac trajectionem, vix aliquam conjecturæ veriſimilitudinem conciliavit. Nomen quippe שילה a להה deducit, quod ſignificat *languere, miſere laborare, moleſtia & ægritudine deficere*, *Geneſ.* XLVII. 13. *Prov.* XXVI. 18. Quoniam vero radix in Scripturis præter loca allegata non exſtat, ad vim verbi plenius cognoſcendam, in ſubſidium vocavit cognatum verbum לאה, quod frequentius eſt in Scripturis: exiſtimans, vocem שילה componi ex ש pronomine אשר æquipollente, & ילה futuro apocoptico verbi להה, quod in שילה ſueta ratione coaleſcat. Ego miror, Virum doctiſſimum ingenio ſuo, in fingenda tam difficili & obſcura vocis interpretatione, quæ genio linguæ adverſatur, nec uſu, & Scripturæ exemplis firmari poteſt, adeo indulgere potuiſſe!

XXVI. Multo audacior eſt *Jo. Clericus in Commentario ad h. l. f. m.* 304. opinatus, שילה eſſe ἀντὶ τοῦ שילו, & ſenſum eundem, ac verbi קצו *finis ejus*. Quod ut confirmet, ſic pergit, שיל ſecundum analogiam Hebraicæ Linguæ deduci poſſe a radice שול, ut ניל ἀπὸ τοῦ גול, חיל ἀπὸ τοῦ חול, ציץ ἀπὸ τοῦ צוץ, עיר ἀπὸ τοῦ עור, aliaque ſimilia. Verbum autem שול idem ſignificare, ac חלה, ut חול idem eſt, ac חלה, prout ſoleant earum formarum verba confundi. Apud Chaldæos porro שלה eſſe *ceſſare, deſinere*, unde & Arabicum שאל *ſchaala* eſt, *defecit, imminutus fuit*. Inde quoque Hebræorum שול eſſe *limbum, oram veſtis*, & ejus quaſi *finem*; atque שיל per *finem* aut ceſſationem exponi poſſe, arbitratur.

XXVII. Ego nihil ſolidi in tanti Critici conjectura deprehendo. *Primo* enim שול & שיל tanquam vera & certa ſupponuntur, quæ Hebræis plane ſunt inuſitata. Sola ἀναλογία, quæ talem flexionem permittit, non ſufficit ad demonſtrandam vocis originem, & ſignificationem, niſi uſus, & alia indicia accedant. Nullum *deinde* præſidium invenit in radice שלה, tanquam cognata, quia radices cognatæ non ſolum diverſas ſæpe ſignificationes habent, ſed שלה etiam apud Hebræos nunquam ſignificat *finire*. Nec plus roboris illud habet, quod *Jchaala* apud Arabes notat *deſinere, deficere*. Norunt harum literarum periti, radices Linguarum cognatarum non ſemper *ſignificatione*, ſed perſæpe *ſono* dumtaxat convenire. Et quamvis nomen שול apud Hebræos *fimbriam & oram veſtis* ſignificet, & quaſi *finem*, nemo tamen colligat inde, τὸ שול *finem* cujuſvis rei ſignificare. *Tandem* interpretationis infirmitatem ac falſitatem exinde etiam intelligas, quod Criticus noſter in ſenſu, quem ex Jacobæo oraculo, tam violenter extorſit, eligendo, admodum fluctuat & Proteo mutabilior eſt. Modo enim vertit: *Semper erunt Reges in Juda, donec ejus erit finis*: Modo ita ſenſum exprimit: *Donec Judæ Tribus incolumis erit, nunquam regnum amittet, ſemel ſibi in Davidica familia collatum*. Parum intereſſe putat *Clericus*, ſive hunc, ſive ſuperiorem ſenſum, ſequaris: Quod mihi ſecus videtur. Nam ſi priorem tuearis ſententiam, & verba, *donec erit finis*, re-

fe-

feras ad ſceptrum, ſenſus erit: *Semper erunt Reges, uſque dum non amplius erunt, ſive donec finis veniet*. Quæ mera ταυτολογία, tanto *Dei* vate indigna, & idem eſt, ac ſi dicerem: *Ego ſemper vivam, donec moriar*. Sin vero referas illa verba ad Tribum Juda, hac ratione: *Semper erunt Reges ex Tribu Juda, donec ejus, nempe Tribus, finis erit*, falſum elicis ſenſum, & a temporum ratione, ac fide Hiſtoriarum peralienum. Multo enim antea ceſſarunt Reges ex Tribu Juda oriundi, quam Reſpublica Judaica interiret. Denique non video, quomodo שילה *incolumitatem* notare poſſit, quod *finem*, *ceſſationem* & *interitum* ſignificare *Clericus* affirmarat. Non ita pridem nonnemini vocis שילה origo tam difficilis & obſcura viſa eſt, ut deſperatis rebus omnibus ad extremos Indos excurrendum, & inde vocis originem repetendam eſſe exiſtimaret. Quam perinde ac genuinam vocis ſignificationem ſibi inveniſſe viſus eſt in lingua Chinenſium, perſuaſus, illam componi ex *Chi*, quod *ſeculum*, & *Lo*, quod *gaudium* notet, ita ut *Schilo* ſit *Gaudium Seculi* vel *Seculorum*. Videatur *Hiſtoria Critica Reipubl. Tom.* II. *pag.* 123.

XXVIII. Nos eorum tuemur interpretationem, qui שילה exponunt de *Tranquillatore & Servatore Meſſia* a radice שלה, *pacificari*, *tranquillum eſſe*, *felicem*, *ſalvum*, *fortunatum*, ita ut שילה ſit veræ felicitatis & ſalutis autor. *Lutherus* ea propter eleganter reddidit Held/ id eſt, *victorioſus heros*, Caſtalio *ſoſpitator*. Verſio Tigurina retinuit *Schilo*, ſed in margine exponit *felicitator*. Similis interpretatio legitur in *notis Belgarum* & *Ainſuvorthi*. Favet huic expoſitioni analogia, & linguæ indoles. Ita vox גלה *Gilo*, in Tribu Juda, *Joſuæ* XV. 51. *a* גלה *exultavit* oritur, & vi originis ſuæ locum notat amœnum, de quo exultare licet. Neque officit valde, quod per *Jod* ſcribatur שילה, ut *Clericus* objicit. Habemus enim non pauca hujuſmodi flexionis exempla, in nominibus a verbis *Lamed He* deductis. Sic פישון *Geneſ.* II. 11. a פשה *diviſit*, *diffudit*, *crevit*, itemque פינן *Geneſ.* XXXVI. 41. a פנה *adſpexit*. Confirmant hanc vocis שילה ſignificationem alias vaticinia de Meſſia, quæ eum ut feliciſſimum deſcribunt, & ut omnis felicitatis ac ſalutis autorem, *Eſ.* IX. 5. *Jerem.* XXIII. 6. *Eſ.* XI. & LII. 13. LIII. 10. Confer *Pſalmum* XLV. quem de Meſſia exponit *Kimchius*, ſcribens inter alia ימות המשיח יהיו שלום: *dies Meſſiæ erunt pax*. Diſcat ab hoc Judęo, infenſiſſimo Chriſti hoſte, *Tenebrio* iſte Helmſtadienſis, qui integrum *Pſalmum* XLV. qui perilluſtre continet vaticinium de Meſſia, aliquo abhinc tempore, de amoribus Salomonis, & filię Pharaonis, nequiſſime, & inaudito inter Chriſtianos exemplo, interpretatus eſt.

XXIX. Objicit *Jacobus Guſſetius in Comment. Linguæ Hebrææ, f. m.* 426. *O.* שלה *nihil ponere reale, nihil ſui communicativum, nihil laudabile, ſed removere tantum labores & difficultates, ac ſolam exprimere facilitatem, quæ alicui ſe offert in potiendo, vel quiete optata, vel ſucceſſu inceptorum; ita ut hæc notio* שילה *prorſus contraria ſit vitæ ac morti Chriſti*. Conferatur *f. m.* 857. 858. *ſub radice* שלה. Paucis: vocem שילה eum notare putat *Guſſetius*, *qui pace fruitur*, *non vero aliis illam confert*. Faciam, ut intelligas L. B., quam falſa ſcripſerit Criticus Grœningenſis. Falſum eſt, vocem שלה nihil *boni* dicere, nec *tranquillitatem*, e morali bonitate, nec e temporali rerum proſperarum poſſeſſione, natam, indicare. Hanc opinionem refellit vel ſolus locus *Pſalm.* CXXII. *verſ.* 7. ubi David per שלה bene precatur Urbi Hieroſolymæ, quæ Regii vatis precatio procul dubio *bonorum* communicativa fuit, & *reale* quid incluſit. Ut Meſſias dicitur צמח *germen*, non tantum quod ipſe *crevit*, ſed ideo etiam, quod ſub eo *florere* debuerunt omnia, *Zach.* VI. 12. ita Meſſias *Schilo* dicitur, non propterea tantum, quod pace fruatur & pacificus ſit, ſed & quod ſit pacis inſtaurator. Vid. *Jac. Altingius in Schilo* lib. III. cap. VIII. *f. m.* 59.

XXX. Noſtram interpretationem innumera Scripturæ oracula, Meſſiæ perſonam & officium deſcribentia, confirmant, quæ Meſſiam ſummo conſenſu felicem & felicitatis autorem, ſalvum, & Salvatorem repræſentant, ut adeo *Schilo* vi ſignificationis idem ſit ac Hebraicum ישוע *Jeſus*, & Græcorum ΣΩΤΗΡ, quod nomen Meſſiæ ideo imponebatur, quod, ΣΩΖΕΙΝ debebat τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν, ex Angeli prædictione *Matth.* I. *ver.* 21. hoc eſt, *a peccatis & miſeriis, ſalvare populum ſuum, & in libertatem, & priſtinum ſalutis ſtatum vindicare*. Nam elogia ΣΩΤΗΡΟΣ, *Servatoris*, *Conſervatoris* & *Liberatoris* illis Principibus olim tribuebantur, qui civitatem, aut provinciam, a patriæ hoſtibus oppreſſam, liberarant & vindicarant. Ita in nummo, a civitate Nicopolitana cuſo, legimus:

ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ
ΣΩΤΗΡ ΤΗΣ
ΠΟΛΕΩΣ
Imperator Cæsar Trajanus Urbis Conservator.

Et in postica: ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ. Trajanus liberaverat hanc urbem ab incursionibus & depopulationibus Dacarum. Ita in nummis Constantini & Maxentii tituli Latini apparent:

CONSERVATORES URB. SUÆ.

Quo significatur, urbes quasdam suam salutem non Jovi tantum, cujus imaginem antica; sed & illis Imperatoribus, quorum imaginem postica exhibet, tribuere & acceptam ferre. Perillustris nobilissimaque hujus generis inscriptio apparet in nummo quodam Imperatoris Aureliani. Nam imago Solis exhibetur in antica cum inscriptione:

SOL DOMINUS IMPERII ROMANI.

In postica apparet Aurelianus cum hac inscriptione:

AURELIANUS AUG. CONS. id est,

Aurelianus Augustus Conservator. Qui nummum hunc cuderunt, indicare voluerunt, Solem quidem, quem Romani colebant, summum Romani Imperii autorem, & Dominum: sed Aurelianum Imperatorem ejus *Conservatorem* esse. Ad eundem fere modum rarissimum Justiniani Imperatoris nummum explicat *Joh. Harduinus f. m.* 907. *&* 908. *Operum Select.*, quæ Amstelodami nuper prodierunt. Nomen ΣΩΤΗΡΟΣ Medicis olim tribuebatur, præsertim Hippocrati. Sic *Paetus Epistol.* ad Artaxerxem eum appellat ὑγιείας πατέρα & σωτῆρα. Eodem nomine Soteris Verres olim insigniebatur apud Siracusanos, quod ægerrime tulit Cicero, qui Soteris vocem exponit de eo, qui salutem dedit. Eodem nomine Reges Syriæ & Ægypti ornabantur. Sic Ptolomæus Lagi, Seleucus, Antigonus & Demetrius dicebantur. Σωτῆρες. Idem titulus adulatorie datus est Hadriano a Græcis in inscriptione apud *Sponium* in Itinerarii *Tomo* II. ubi Αὐτοκράτωρ, Σωτὴρ καὶ κτίστης dicitur. Nec ipsos Romanos a tali adulatione liberos fuisse, inscriptione ex eodem *Sponio* allata ostendit *Ant.* van *Dalen* Differt. *Sexta cap.* IV. *pag.* 471. Conferantur *Ez. Spanheimii* Notæ in *Callimachum pag.* 432. Gentiles eo impietatis prolapsi sunt, ut Jovem, Apollinem, Herculem, Neptunum, Bacchum, ac ipsum Priapum appellarent Soteres. In libro, qui inscribitur *le Grand Cabinet Romain* sub finem Priapus aere expressus verba habet inscripta: ΣΩΤΗΡ ΤΟΥ ΚΟΣΜΟΥ. Ægyptios Nilum, qui toti regno plurima commoda afferebat, σωτῆρα vocasse, ex *Platonis* Timæo docuit *Steph.* le *Moine V. S. Tom.* II. *pag.* 134. Hos profanarum gentium Σωτῆρας detestamur, nec æstimamus veterum Servatores, & Sospitatores & Liberatores. Nobis solus Christus est *Salvator*, quia solus ille nos vindicavit, salvosque fecit, ac salutem dedit, quæ vocis Σωτῆρος excelsa significatio est, interprete Cicerone, cujus vim Servatoris nomen non exhaurit. Aliud quippe est servare, aliud salutem dare. Servat is, qui ne salus amittatur, aliqua ratione præstat. Salutem dat, qui amissam restituit. Servator est verbum Martiale, & usurpatur de victore, qui hostibus devictis, quos occidere poterat, in prœlio parcit, sed libertate exutos in servitutem redigit. Inde servus vocatur a servando, quia jure belli poterat occidi. Sed Christus plus nobis præstitit tribuitque *Joh.* XV. 15. Unde rectius dicitur *Salvator*, qua voce Patres Latini, ac ipse *Lactantius*, vir eloquentissimus, usus est, vel *Salutificator* cum *Tertulliano* in Libro *de Carne Christi* cap. XIV. pag. 559. & *de Resurrectione Carnis Cap.* XLVII. *pag.* 585. *ac lib.* V. *adversus Marcionem cap.* XV. *p.* 707.

XXXI. Reliquum est, ut de voce יקהה breviter strictimque agamus. Dissentimus a *Jac. Gussetio*, qui nomen hoc deducit a נקה *mundus, purus fuit*, quod in Niphal significat *innocentem asseruit se, insons fuit, vel declaratus fuit*. Hinc nomen יקהה derivat, ut sensus sit, & ipsi *purgatio vel purificatio populorum*, scilicet competit Hebr. I. 3. Nam hæc derivandi ratio analogiæ Hebrææ linguæ repugnat, & loco *Proverb.* XXX. 17. ubi idem nomen occurrit, sed sensu diversissimo. *Joh. Clericus in h. l. f.* 305. illud derivat a קוה *expectavit*, mutato *Vau* in *He* & exponit per *conventum & aggregationem Israelitarum in agrum Tribus Judæ*, quia radix קוה in Niphal *aggregari* significat. Sed hanc etiam conjecturam reliquis Critici commentis accensendam esse censemus. Nam post tempora Salomonis non conveniebant Israelitæ ad Judices regios Jerosolymitanos, aut ad Regem ipsum, nec eo ibant amplius ad S. Sacerdotem & Levitas consulendos, & sacra ibi frequentanda, quia, separatione facta, sua sacra & idola in Dan & Be-

Bethel constituerant. Unde tot Prophetarum querelæ de populo rebelli, & tot comminationes audiuntur propter fœdam illam idololatriam. Neque numerus multitudinis עמים in Israelitas, qui Tribui Judæ h. l. opponuntur, satis convenit, nec simile denominationis exemplum succurrit. Rectius igitur יקהת עמים *de collectione populorum* ex quavis natione ad Christum interpretamur, qui Regi huic obedientiam præstituri, & vera fide illum amplexuri erant. Nam cum Scriptura alioquin gentes appellet גוים, Patriarcha non aliam ob caussam voce עמים h. l. usus mihi videtur, quam quod norat, in Messia benedicendas esse omnes familias terræ ob promissiones *Dei* Abrahamo & Isaaco factas. Deinde nomen יקהה percommode derivari potest a radice יקה quæ *obedire*, *revereri* notat, sicut V. C. *Ludovicus* de *Dieu* ex Arabismo probavit. Suffragantur nobis *Onkelos*, *Jonathan* & *Hierosolymitanus* & LXX. Græci, qui habent ϗ αὐτὸς προσδοκία ἐθνῶν, nec non R. *Kimchius in Libro Radicum*, qui יקהת עמים exponit אליו ישמעון העמים לקבל עליהם מה שיצום: *ipsi obedient populi, ut in se recipiant, quodcunque sibi præceperit*. Consentiunt R. Menasse Ben Israel, R. Is. Abarbanel, & plurimi ex Christianis, sigillatim *Jac. Altingius in Schilo lib.* III. *cap.* IX. *f. m.* 59. aliique. *Conf. Es.* XI. 10. *Michæ* VII. 12. *Hagg.* II. 8.

XXXII. In *Jesu* Nazareno, vero pacis ac salutis instauratore, vaticinium hocce Jacobæum impletum est. Nam in eo solo duo isti characteres, a Patriarcha indicati, quibus fideles Vet. Test. verum Messiam dignoscere debuerunt, eluxerunt. *Alter* eorum *civilis* est, & in collapsa regiminis forma, adempta αὐτονομίᾳ, & Reip. excidio: *alter* vero *spiritualis* est, & in congregatione gentium ad Ecclesiam Christi consistit. Uterque character in nostro oraculo solis quasi radiis scriptus est.

XXXIII. Dissentiunt tamen interpretes in definiendo tempore, quando שבט & מחקק a Juda recesserint. Permulti in Herode M. ἀλλοφύλῳ ac Idumæo, vaticinii complementum figunt, quam opinionem supra erroris convicimus. Alii vaticinium impletum esse ajunt, quando Archelaus, Herodis M. filius, non regnum integrum, sed mediam dumtaxat ejus partem, solo *Ethnarchæ*, non Regis titulo, ab Augusto impetravit. At vero, quid harum partium patroni dicent de Rege Agrippa, ad quem, Imperatoris Romani gratia, rerum summa paullo post rediit? Num sceptrum in Archelao a Juda ablatum, in Agrippa ei restitutum esse dicent? Alii, hoc incommodum evitaturi, putant, characterem in Augusto Imperatore constitui oportere, de quo constet, quod & Monarcha universi terrarum orbis fuerit, & Judæam in Provinciæ formam redegerit, cujus insigne sit argumentum, magna illa ἀπογραφή, cujus Lucas meminit in Evangelio. Hasce interpretum dissensiones, & errores, ex duplici potissimum fonte dimanasse, existimo. *Primo* enim Judaici regiminis abolitionem, sive *ablationem sceptri*, in puncto quasi mathematico quæsiverunt, qua occupati opinione, *deinde* haut difficulter crediderunt, sceptrum ante adventum Messiæ auferendum hoc loco prædici, quorum utrumque tamen longe est falsissimum. Vates enim divinior clarissimis verbis denunciat, illo demum tempore auferendum esse sceptrum a Juda, quando jam advenisset Schilo. Exinde sequitur hoc, sub nativitatem *Christi* Servatoris sceptrum in Herode Rege nondum fuisse ablatum, sed aliquo demum tempore post, imminuta sensim paullatimque Judæorum αὐτονομία, afflictaque & valde accisa eorum potestate tum *administratoria*, quam voce שבט & *legislatoria*, quam voce מחקק, subindicavit Patriarcha, auferri cœpit, ex illo præsertim tempore, quo Judæa, Archelao in exilium ejecto, Romanæ Provinciæ formam subiit, & Procuratori Romano obtemperavit. Cum tamen ista tempestate magna etiamnum Synedrii esset autoritas, in sacris saltim, ita ut gladio quoque animadvertendi potestatem haberet, uti suo loco ostendemus, & Judæi suis adhuc legibus in Republica viverent, dici nequit, sceptrum ab iis ablatum fuisse. Dum tandem excisa Republica, Urbe ac Templo everso, de pristino αὐτονομίας, & residuæ libertatis statu penitus dejicerentur, dispersique per omnes terrarum angulos, misera fierent mancipia. Post id tempus, sceptrum de Juda penitus ablatum esse, dici potest, sive per שבט intelligas Regiam dignitatem, sive summam dumtaxat potestatem præ reliquis Tribubus, & αὐτονομίαν, sive quamcunque jurisdictionem, qua constitui potest, ac regi populus, in Rempublicam congregatus. Nam feralem ejusmodi cladem Judæi antea nunquam erant passi. Abscissis enim X. Tribubus a Juda, iisdemque in captivitatem abductis, regnum Judæ sub Regibus, sua ex Tribu ortis, non minus floruit. Et quamvis postea Tribus Juda idem experiretur fatum, ut, dirutis Hierosolymis, Temploque devastato, & opibus a Chaldæorum exercitu expilatis, Judæi, patria mulctati,

Ba-

Babylonem deportarentur; tamen non plane abjecti extinctique fuerunt, aut tribus Juda cum aliis permixta, aut Respublica in perpetuum abolita. Nam servitus illa non nisi LXX. annorum fuit, sicut *Deus* per Jeremiam aliquoties prædixerat, quibus expletis libertatem & patriam receperunt. Nec in ipsa illa captivitate sceptrum de Juda penitus ablatum fuisse dixerim, quia in ipsa etiam servitute non omni jurisdictione caruisse videntur. Nonne Evilmerodachus extulerat caput Jechoniæ, Judæorum Regis & thronum ejus aliorum Regum soliis anteposuerat? Nonne Daniel, qui ex semine Regio & cognatus Zedekiæ fuit, Judæos judicavit? Ipsimet Judæi fatentur, Patres suos in captivitate Babylonica propriis legibus vixisse, habuisseque suos αἰχμαλωτάρχας, qualis Zerobabel fuit, sub cujus auspiciis in patriam reversi, Urbis mœnia instaurarunt cum Templo, ac cultu publico, pristinamque Reipublicæ formam reddiderunt. Ab illo tempore floruerunt res Judæorum, ac steterunt ad ea usque tempora, quibus iterum afflicti fuerunt a Græcis Syriæ Regibus, ab Antiocho maxime, quorum tamen violentiam represserunt Maccabæi, excusso jugo, & religione ac libertate vindicata. Et quamquam sub Maccabæis, qui ex ordine sacerdotum erant, sceptrum e manibus posterorum Judæ exciderat, non tamen ab ipsa Republica Judaica ablatum erat, quippe quæ perdurabat, quamvis Duces ejus & Rectores essent ex Tribu Levitica, quæ non erat gens ab ea separata. Præterea summus Judæorum senatus, a quos Respublica secundum antiquas patriæ leges regebatur, magnam partem ex primoribus Tribus Judæ constabat. Qui rerum status perduravit usque ad adventum & mortem Servatoris, ac aliquot annos ultra, ita tamen, ut res Judaicæ jam tum a capta per Pompejum Hierosolyma, quotidie in pejus ruerent. Procuratores enim a Romanis dati, ac ipse Herodes M., beneficiaria lege regnum adeptus, peregrinis ritibus politiam Judaicam subinde defœdabat, in Cæsaris honorem Athletica certamina instituebat, theatrum in Urbe, & amphitheatrum in campis exstruebat, movebat sacerdotio ac promovebat, quos volebat, quin imo ipsam stolam Pontificiam in munito loco custodiebat, quæ non nisi precario, a sacerdotibus ad sacrum brevis temporis usum, obtineri poterat. Interim tamen affirmari nequit, regnante Herode M. sceptrum a Juda penitus fuisse ablatum, gentemque ac Remp. suo statu excidisse, eo videlicet sensu, quo vaticinium Jacobæum exponi & intelligi debet. Nam tunc temporis Judæi suis adhuc legibus vivebant, usque dum magis a Procuratoribus Rom. vexati, & ad desperationem adacti, contra Romanos rebellarent, eorumque Respublica, cum ipso templo, funditus everteretur. Post illud ferale Reipublicæ excidium Judæis ubique occisis, flagris cæsis, & membratim dissectis, ac reliquis miserrimæ servituti mancipatis, vere dici potest, sceptrum a Juda ablatum esse, quia post destructam Rempublicam res eorum sic pessumdatæ sunt, ut exules sint extorres, sine Rege & Principe, sub absoluta gentium potestate, nec habeant amplius leges condendi facultatem, sicut *Maimonides in Commentario* ad Mischnam *Berachot*, & R. *David Kimchius* in Hos. III. 4. fatentur. Videatur *Bernardus Lamyus P.* II. *cap.* III. *Apparat. Chronol. ad Harmoniam Evangelicam* §. *IV. p. m.* 139. 140. nec non *VVilliam Nicholls in Collatione cum Deista P. III. p. m.* 41.

XXXIV. Ex ingenua hac *Maimonidis* & *Kimchii* confessione intelligitur, quam vana & inania sint commenta, quæ *Beniamin Tudelensis in itineris sui historia* de infinitis Judæorum copiis, versus Eurum habitantibus, & rerum omnium ubertate affluentibus, de eorum gloria, jure, dominio, & de Æchmalotarcha, ex Tribu Juda oriundo, & summum Judæorum imperium in Asia tenente, aliique ex eo tradunt. Hoc commentum dicendo dilatavit *R. Isaac Ben Aramah in suis Legis Explanationibus*. Multa quoque de maximis Judæorum ἀποδασμοῖς, & regnis in deserto Chabor, & ad mare Rubrum sitis, disserit *R. Abraham Peritzol in Orchoth Olam cap.* XIV. nec pauca congessit insignis mendaciorum & ineptiarum fictor *Eldad Danita*, qui quatuor Israelitarum Tribus Danitidem, Gaditidem, Aseritidem, & Naphthalitidem in Æthiopia locat, Sabbathio flumine septas, & omnibus copiis adfluentes: reliquas sex in Asia, suis legibus utentes. De eodem commento *R. Simeon in Jalkut* nonnulla habet. *Peritzolum* Judæos versus orientem Solem locasse, & montibus immensis circumclusos finxisse, non admodum miror. Hoc autem male me habet, quod *Postellus*, Vir magni quidem, sed immoderati & effrenati ingenii, *in Histor. Orient. Part.* I. *cap.* V. *&* VI. asseverat, intra has montium angustias diu latitasse decem Tribus, tandem vero, prognatos ex iis Tartaros, & Turcas, inde erupisse, vastissimasque regiones armis occupasse. Quod figmentum cum ex *Histor. Orient. Haythoni*, Armeni, *cap.* XVII. probare conatus fuerit, viris gravibus

bus & eruditis persuasit, merito propterea notatus a *P. D. Huetio in Demonstr. Evang. Prop.* IX. *cap.* IV. §. XIV. *p. m.* 707. *&* 708. cui præterea mirum videtur, tantam hominum multitudinem, bonis omnibus florentem, qualem Judæi in oriente fingunt, & quorum imperium ipsis Asiæ finibus circumscribi tradunt, ita delituisse ad hanc diem, ut post tot ac tantas hominum nostrorum peregrinationes, adiri non potuerit? Hac enim ætate frequentibus mercatorum commerciis, & longinquis viatorum peregrinationibus, tam accuratam habemus orbis habitabilis notitiam, ut nulli Judæorum fabulosa ejusmodi imperia, ab impura Verporum colluvie in Asia constituta, impune fingere liceat. Omnes quotquot Orientem perlustrarunt, miro affirmant consensu, Judæos ibi miseram servire servitutem, in Asia perinde, ac in Europa nostra, despicatui & ludibrio, & atroces atque promeritas scelerum suorum pœnas ubique luere. Conferantur *L' Empereur in Notis ad itinerarium Benjaminis*, *Bern. Lamyus*, & *P. D. Huetius* l. c.

XXXV. Dissentimus tamen a laudato Præsule Gallicano, qui in erudita *Demonstratione Evang. l. c.* §. VII. *p. m.* 693. explosis aliorum interpretum sententiis, novam attulit, qua verba, *non recedet sceptrum a Juda*, non ad sequentem termini circumscriptionem, *usque quo veniat Schilo*, retulit, sed seorsim ab illa temporis definitione intellexit, ac separavit, existimans, prima hac prædictionis parte *non auferetur sceptrum de Juda*, æternam sceptri possessionem Judæ sponderi: altero autem vaticinii membro, *& Dux de femore ejus*, temporarium & caducum Judæ præsignificari principatum. Hæc nobis interpretatio violenta atque coacta, & ab orationis serie, & consuetudine loquendi, per aliena semper visa est. Supra §. IX. ostendimus, verba ערכי יבא שילה *usque dum veniat Schilo*, non minus ad prius prophetiæ membrum, *non recedet sceptrum a Juda*, quam ad posterius, *& legislator de pedibus ejus*, referri debere. Falsum est, æternam sceptri possessionem Judæ hoc loco promissam ac collatam esse, cum illud aliquando auferendum esse, disserte prædicatur. Sin æternam sceptri possessionem exponas *de perennitate regni Messiæ* aut verba *Dux de femore ejus* temporarium & caducum regnum denotare dicas, per humanam generationem, & personarum mortalium successionem reparandum, sub vocabulo מחקק quod ad potestatem judiciariam in sacris, vi suæ originis, non tantum ducit, intelligendi etiam erunt *Reges*, quos Tribus Juda habuit, quod durum est & admitti vix potest. Tandem hæc *Huetii* interpretatio perobscurum, & impeditum reddit Jacobi vaticinium, quod multo facilius in hunc aut alium modum enunciari potuisset מחקק לא יסור מבין רגלי יהודה ערכי יבא שילה ולו שבט עולם ויקהת עמים: quemadmodum *Camp. Vitringa* notavit *Libr. IV. Observ. Sacr. Cap. V. p. m.* 904.

XXXVI. Restat nova *Jo. Harduini*, famosissimi in Gallia Critici, & sodalitatis Ignatianę Patris, conjectura, quam ad Jacobęi vaticinii depravationem magis, quam illustrationem prodit in *Chronologia Vet. Test. f. m.* 523. *Operum Selectorum*, Amstelodami nuper impressorum. Hanc enim prophetiam, quam post Archelaum, in provinciam redacta Judæa, alias impletam fuisse credidit, ita nunc παραφράζει: *Erunt ex Juda Reges, Principes, Duces, nec defuturi sunt ex ea Regum stirpe primogeniti, masculi ex masculis ejusdem familiæ nati, qui sint propterea hereditario jure, etsi non semper facto, ut ICti loquuntur, Reges ac Duces populi, donec veniat appareatque is, qui mittendus est, ut sit Dux, & Salvator populi sui, & idem futurus expectatio, sive spes omnium gentium.* Initium nempe Regum in Tribu Juda a Davide petendum censet, post quem ab ipsius familia non sit ablatum sceptrum, seu *jus ad sceptrum*, usque ad Josephum, *Christi* Patrem, cum masculi semper a masculis ejusdem familiæ geniti fuerint hęreditario jure gaudentes. Josepho autem hęrede postremo mortuo, transmissum jure sponsaliorum jus etiam hęreditatis paternæ, ad *Christum* ibi manifestandum, cum agnoscerent jam Judæi, deficere post Josephum masculos Davidici Regni hęredes.

XXXVII. Nolim ego alicui Judæo nonovum hoc *Harduini* interpretamentum enarrare; quantopere, quæso, risurus esset, & Critici nostri, atque Christianorum interpretum impudentiam in vaticiniorum depravatione! Jam enim prævideo, inepta hac illustrissimi oraculi interpretatione ipsam fidem Christianam, hostibus exagitandam, prodi. Quæ *Harduinus* pro fulcienda conjectura supponit, tanquam indubitato vera, eorum pleraque vel manifesto sunt falsa, vel dubia, & valde incerta. Πρόδηλον equidem & *manifestimum* est, ut *Paullus* ait *Ebr.* VII. 14. ὅτι ἐξ Ἰούδα ἀνατέταλκεν ὁ Κύριος ἡμῶν, *Servatorem nostrum ex Tribu Juda*, & Regia Davidis familia, *ortum esse*, quod tabulæ in Templo olim adservatæ, quas *Matthæus* βίβλος γενέσεως appellat, & Evangelistarum Apostolorumque testimonia cumulate probant: sed hoc incertum du-

dubiumque manet, fueritne Davidici regni hęres? Quibus, obsecro, argumentis fidem faciet Criticus, *Ducem de femore ejus* significare primogenitum familiæ Davidicæ, ejusdemque caput? שבט notare dumtaxat *jus ad sceptrum* atque solium Regium? Nemo sane *Harduino* credet, מחקק esse *familiæ caput*, & *primogenitum*, nisi Scripturæ exemplis hanc expositionem, aliisque rationibus, confirmet, quod negligentissime ab eo video prætermissum. Unde porro probabit, Josephum, *Christi* Patrem, solum fuisse Davidicæ familiæ masculum, & postremum regni Davidici, jure natalium, hęredem? Hoc enim non nisi pręcario a Lectore obtinere potest, ut credatur, cum deficiant *Harduino* argumenta. Sed simus paullo liberaliores, & demus aliquantisper, jus regni adeundi penes Josephum fuisse, quomodo, quæso, hoc paternæ hęreditatis jus transmitti potuit ad *Christum*, qui per matrem dumtaxat ex semine Davidis oriundus erat? Quis credat, *solo sponsaliorum jure* transmitti potuisse? Unde probatur, præter *Christum* nullum tunc superfuisse masculum, ex masculis genitum, qui regni Davidici post Josephi mortem hæres esset? Certe diu post natum Servatorem superfuisse masculos, ex Regio Davidis semine ortos, ex *Eusebio* disci potest, qui *H. E. lib.* III. *cap.* XII. *f. m.* 87. tradit, Vespasianum post expugnatam Hierosolymorum civitatem πάντας τȣ̃ς ἀπὸ γένȣς Δαβὶδ, *omnes, qui a Davide genus ducerent*, perquiri jussisse, ne quisquam apud Judæos ex regia stirpe superesset; eaque ex caussa gravissimam rursus vexationem Judæis illatam fuisse. Non ignoro hanc *Eusebii* narrationem fabulis accenseri ab *Harduino*, sed temere omnino, ac impudenter, nec aliam ob caussam, quam quia novo interpretamento minus favet. Quod reliquum est, titulus *Filii Davidis*, quo gentiles æque ac Judæi Jesum frequenter cognominarunt, genus & natales dumtaxat indicat, non autem illum, qui jure natalium solus sit Davidici regni heres, sicut *Harduinus* contendit. Tandem, quod matri ab Angelo dictum est de *Christo*, Luc. I. vers. 22. *Dabit illi Dominus* Deus *sedem Davidis patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*, non de jure successionis in perexiguum ac temporale Judææ regnum, quod David olim obtinuerat, intelligi debet, sed de regno spirituali & æterno. Cujus rei ipsum Servatorem habemus testem, & Angelici oraculi fidum interpretem, coram tribunali confitentem: ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ ȣ̓κ ἔςιν ἐκ τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ, Joh. XVIII. 36. Conf. *Jo. Clerici Bibl. Selecta Tom.* XVIII. *p. m.* 271.



D. SALOMON. DEYLINGII OBSERVATIO DE JUDÆORUM JURE GLADII

Tempore Christi, ad Johann. XVIII. 31.

I. JUdææ Procuratores potestatem vitæ ac necis, *majoremque animadversionem* habuisse, vel solum *Coponii* exemplum probat, qui primus post ejectum Archelaum cum potestate *Vice-Præsidis* eo mittebatur μέχρι τοῦ κτείνειν λαβὼν παρὰ τοῦ Καίσαρος ἐξουσίαν, ut loquitur *Josephus lib.* II. *de bello Judaico cap.* XII. Quæritur autem, *an Judæi*, sub Romanorum potestatem redacti, tempore Christi, *omni omnino vitæ necisque jure fuerint exuti?* Et an penes solum Procuratorem Romanum jus illud fuerit?

II. Permulti interpretes in ea versantur opinione, judicia criminalia penes Judæos cessasse tempore Christi, iisdemque fuisse ademta a Romanis. Hoc enim nec ipsos Judæorum Proceres potuisse diffiteri, dicentes ad Pilatum: ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα, *nobis non licet interficere quemquam*, *Joh.* XVIII. *v.* 31. Ita sentiunt magni Viri *Isaacus Casaubonus Exercit.* XVI. *cap.* LXXI. *p. m.* 431. *Sunt*, inquit, *e Patribus, qui illud* non licet *interpretantur de festo Paschatis, & Azymorum, dies septem duraturo. Sed verior sententia est doctiorum e recentioribus, qui e libris Talmudicis*, Juchasin, *& aliis, demonstrarunt, judiciorum capitalium potestate Judæos tum caruisse, ademta sibi paullo ante.* Suffragantur *Buxtorffius* in *Lex. Talm. f.* 514. 515. Constantinus l'Empereur *in Notis ad* Bertramum *de Rep. Jud. cap.* XIII. & Jos. Scaliger *ad Joh.* XVIII. 31. qui dixisse Pilatum λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτὸν, *insultabundum*, & εἰρωνικῶς, suspicatur. Judæis jam olim jus vitæ ac necis a Romanis fuisse ablatum P. D. *Huetius* sentit in *Observ. & Notis ad Origen. f.* 30. ne quid de *Jo. Drusio*, *Th. Beza*, aliisque ex recentioribus subjungam, *Jo. Marckius Exercit. Scriptur. in N. T.* XV. & *Basnagius* nuper *Tom.* III. *l'histoire des Juifs lib.* V. *cap.* II. §. III. *pag.* 518. *& seq.* idem probare conati sunt.

III. Verum est, Doctores Judæorum Talmudicos *variis in locis*, aliosque eorum Magistros affirmasse, jus vitæ & necis Judæis ademtum, *quadraginta* annis ante eversionem Hierosolymæ fuisse, quorum testimonia & verba exhibent *Buxtorffius*, & *l'Empereur* l. c. & *Ligtfootus in Horis Talm. ad Joh.* XVIII. 31. *p. m.* 1123. Ita in Codice *Aboda Zara cap.* 1. *fol.* 8. *col.* 2. hæc leguntur verba, quæ brevitatis caussa contraxit *l'Empereur*, quoniam inseruntur illis nihil ad rem facientia ארבעים שנה מרלא חרב הבית גלחה סנהדריז למאי הלכתה לומר שלאדנו דיני רנסות אמר רב נחמן בר יצחק לא תימא דיני קנסות אלא שלא דנו דיני נפשות מאי טעמא כיוז דחזו דנפשי להו רוצחים ולא יכלי למידן אמרו מוטב נגלי ממקום למקום כי הכי דלא ליחייב דכתוב ועשית על פי הדבר אשר יגידו לך מן המקום ההוא מלמד שהמקום נורס: *quadraginta annis, antequam Ædes vastaretur, migravit Sanhedrin, & consedit in tabernis. Quorsum ista traditio*, Patris Ismaelis? *Ut indicaret, non decidisse caussas criminales. At Magister Nachman, F. Isaaci, Ne dicas* Caussas Criminales, *sed non decidisse Caussas Capitales. Quæ ratio? Cum viderent, quod animas occiderent, & se non posse judicia exercere, dicebant, præstat, migremus de loco in locum, ne rei fiamus. Nam scribitur* Deuter. XVII. 10. Deinde facies ex præstituto sententiæ illius, quam indicaverint tibi e loco illo.

IV. *Jos. Scaliger* hanc Judæorum traditionem de sublatis sibi judiciis a Romanis, annis XL. ante excidium Templi, hoc est, anno Tiberii Cæsaris XV. explodit, tanquam ridiculam. Hoc enim accidisse ait LXI. annis ante Jerosolymorum casum, Archelao Viennam relegato, *in Animadvers. Euseb. n.* MMLXXXVI. *& Epist.* XII. Cum *Scaligero* consentiunt *Joh. Drusius*, *Th. Beza*, & *P. D. Huetius* l. c.

V. Contra multi ex eruditis pernegant, capitalia supplicia Judæis ademta esse, aut XL. annis ante excidium Hierosolymitanum, aut post Archelaum in exilium actum, & contendunt, Judæos sub ipsis quoque Procuratoribus Romanis, non sacrorum modo immunitate, sed etiam potestate gladii, usque ad Templi propemodum excidium, gavisos esse. Pro hac sententia pugnant *Joh. Seldenus* de Syn. Hebr. lib. II. cap. XV. §. X. & XI. B. *Wagenseilius in Confut. Carminis R. Lipmanni p. m.* 299. & in peculiari Dissertatione de loco Classico, *Gen.* XLIX. 10. ad Virum Cl. *Christoph. Arnoldum* scripta, quæ continetur Fasciculo *quinto*, *Opusculorum*, quæ ad Historiam & Philologiam S. spectant *p. m.* 241. aliique complures, qui diversa tamen ratione interpretantur Judæorum verba ἡμῖν ὐκ ἔξεςιν ἀποκτεῖναι ὐδένα. *Edm. Merillius in Notis ad h. l.* de eo supplicii genere illa intellexit, cui Christum addici postularunt, videlicet de *supplicio crucis*, Judaicis legibus incognito. Eam mentem Judæorum fuisse sequentibus Johannis verbis indicari putat, neque aliter voluisse Christum occidi, quam supplicio crucis, ut sermo *Jesu* impleretur, quem dixerat, significans, qua morte esset moriturus. Hoc genus mortis Servator sibi prædixerat, *Joh.* XII. 37. Addit *Merillius*, Judæos Christum non solum ut blasphemum, aut violatæ religionis reum, accusasse; sed etiam ut seditiosum, ut turbas concitantem, & prohibentem dare tributa Cæsari. At secundum Romanas leges pœnam seditiosorum fuisse crucem. *Paullus* lib. V. *sentent. tit.* 22. Hac igitur pœna Judæos voluisse affici Christum, sed ipsos afficere non potuisse. Assentitur *Joh. Jac. Wissembachius*, Professor Juris Franeckeranus, in *Notis Nomico-Philologicis in h. l.* quæ una cum *Notis Merillii* insertæ sunt Fasciculo *tertio* Opusculorum, quæ ad Historiam & Philologiam S. spectant. Idem visum est *Theophylacto*, & *Wolffgango Musculo* in h. l. & B. *Calovio* in *Bibliis illustratis in h. l. f.* 815.

VI. *Bernardus Lamyus*, pereruditus Oratorii Presbyter in Gallia, concordiam iniri posse putat inter discordes sententias, de tempore, quo dicitur ablatum judicium animarum a Synedrio magno, si dicatur, illud non omni caruisse judiciaria potestate, sed illam non potuisse exercere, nisi impetrata venia a Præsidibus, in *Apparatu Chronol. ad Harmoniam Evang. Part.* II. *cap.* III. *p. m.* 142. In *Harmoniæ lib.* V. *cap.* XXXI. *p. m.* 562. existimat, sine Præsidis Romani consensu neminem mortis supplicio afficere licuisse Judæis: si tamen accederet consensus Præsidum, potuisse de more suo Synedrii judices pœnis addicere reos violatarum legum suarum, modo non dissentiret Romanus Præses. Nobis hæc *Lamyi* hypothesis parum probatur, quia ex ingenio dumtaxat, ad evitandas utriusque opinionis difficultates, est excogitata, & cum historia illius temporis, ac statu regiminis Judaici minus consentit.

VII. Nos iis adsentimur, qui existimant, supplicia capitalia Judæis non ademta, vel XL. annis ante ultimum Templi & Reipublicæ Judaicæ excidium, vel, cum Judæa, post Archelaum in exilium missum, in formam Provinciæ redigeretur, sed Judæos sub ipsis Procuratoribus Romanis, & tam diu fere, quoad Urbs & Templum superfuit, potestate gladii, seu jure vitæ & necis gavisos, eodemque adversus religionis & legis suæ violatores usos esse. Permulta ac gravia rerum argumenta me in hac opinione confirmant. De Romanis constat, quanta usi sint erga devictos populos humanitate. Nam *pro magnanimitate, modestiaque sua, subjectos non cogebant patria jura transcendere*, quam laudem iis tribuit *Flavius Josephus L.* II. *contra Appionem*, quamvis hæc verba Latine dumtaxat in codicibus nostris exstent. Ut plerosque populo secundum constitutas in unaquaque gente leges regebant, & moribus eorum, ac consuetudinibus se accommodabant: ita erga Judæos quoque, devictos, ac subjugatos, eadem humanitate atque clementia usi sunt. Iis quippe permiserunt τοῖς πατρίοις ἔθεσι καὶ ἱεροῖς χρῆσθαι *patriis moribus & sacris uti*, quod privilegium a Romanis concessum, commemorat *Fl. Josephus Libr.* XIV. *Antiqu. Cap.* XVII. *Julius Cæsar* perindigne tulit decretum, quo vetabantur Judæi τοῖς πατρίοις ἔθεσι καὶ ἱεροῖς uti, *l. c. f. m.* 487. Decrevit quoque, jura omnia Pontificalia habere *Hyrcanum*, & filios. Et si qua controversia exorta fuerit de Judaica disciplina, judicium penes ipsum esse, *loc. cit. f.* 486. *C.* Nefas erat, Judæum Sabbatho vadari. Ita reliquis Judæorum ritibus pro sua sapientia indulgebant Romani, quod vel ex solius Pilati exemplo haut obscure apparet. Nam cum Judæi, Christum accusantes, extra Prætorium manerent, ne polluerentur, tantam erga eos declaravit benevolentiam Romanorum Procurator, ut *exire ad eos* non gravaretur, *Joh.* XVIII. 29.

VIII. Cum igitur Romani Judæos tam comiter haberent, indulserunt etiam αὐτονομίαν, seu patriis utendi legibus potestatem & libertatem, *Josepho* id aliquoties

ties atteſtante. Si quis Judæus in patrias peccaret leges, & adverſus religionem aliquid committeret, poterat a ſummo gentis ſenatu, ſive *a Synedrio* puniri, non modo carcere, flagris, aliiſque minoribus pœnis, ſed capitis etiam ſupplicio, pro facinoris enormitate. *Titus* Hieroſolymitanis civibus inter beneficia Judæis a Romanis collata hoc etiam numerat, quod permiſerint Romani Judæis eos, qui in Templo cancellos tranſiſſent, & in ſanctum locum irrupiſſent, necare, quamvis etiam Romanus eſſet, apud *Joſephum de B. Jud. lib.* VII. *p. m.* 949. *cap.* X. *&* *pag.* 963. Hanc gratiam tanto facilius impetrarunt Judæi, quanto magis ignari erant Romani Præſides rituum, religionis, & legum Judaicarum, quæ cuncta tanquam ineptas & ridiculas ſuperſtitiones explodebant, indignaſque cognitu, vel auditu, judicabant, ſicuti *Feſti* exemplum declarat, *Act.* XXV. 18. 19. 20.

IX. Multa & luculenta Juriſdictionis Judaicæ exempla, & indicia in Evangelii hiſtoriis exſtant. Habuit ſummus gentis Judaicæ ſenatus tempore Chriſti ſuum στρατηγὸν τοῦ ἱεροῦ, & alios ipſius officio additos, qui στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ vocantur, quibus parebant ὑπηρέται, hoc eſt, publici judicii miniſtri, quorum omnium munus erat, ſontes & facinoroſos prehendere, & vinculis conſtrictos judicibus Judaicis ſiſtere. Rem nobis declarant exempla Apoſtolorum, qui in Templo docentes, prehenduntur, & coram Senatu ſiſtuntur, ubi conſilia agitantur de iis interficiendis, *Actor.* V. 33. quod procul dubio fuiſſent facturi judices, niſi Gamaliel eos ab inſtituto revocaſſet. Luculentius poteſtatis Judaicæ exemplum habemus in Stephano, quem ἐκβαλόντες ἔξω τῆς πόλεως ἐλιθοβόλουν, *ejectum extra urbem lapidarunt*, *Actor.* VII. 58. Equidem non ignoro, H. *Grotium lib.* IV. *de Jure B. & P. cap.* XX. §. IX. hoc factum retuliſſe *ad judicium zeli*, & cum *Th. Beza* aliiſque quam plurimis affirmaſſe, *omnia iſta per ſeditionem & tumultum popularem eſſe facta*, & quidem violata Præſidis Provinciæ autoritate. H. *Grotium* nuper ſecutus eſt *Baſnagius* in *Hiſtoria Judæorum l. c.* §. VIII. *pag.* 524. ubi ait: *Ce fut une multitude furieuſe, qui avant la fin du plaidoier ſe ſaiſit de l'accuſe, & le tua par un mouvement de zele*. Hoc falſum eſſe, & orationis ſeries, & ſingulæ textus circumſtantiæ oſtendunt, præeunte nobis *Antonio Bynæo lib.* III. *de Morte Jeſu Chriſti cap.* I. *p. m.* 29. Diſtincte enim narratur, quod, cum Judæi non poſſent obſiſtere ſapientiæ & Spiritui, per quem Stephanus loquebatur, ſubornarint viros, qui dicerent, ſe eum audiviſſe loquentem verba blaſphema in Moſem & Deum. Καὶ ἐπιστάντες συνήρπασαν αὐτὸν, καὶ ἤγαγον εἰς τὸ συνέδριον, *& eum adorti, corripuerunt eum, & adduxerunt ad Synedrium*, *Act.* VI. 10. 11. 12. Stiteruntque falſos teſtes contra eum, dicentes: ὁ ἄνθρωπος οὗτος οὐ παύεται ῥήματα βλάσφημα λαλεῖν κατὰ τοῦ τόπου τοῦ ἁγίου τούτου, καὶ τοῦ νόμου, *homo iſte non ceſſat verba blaſphema loqui adverſus locum hunc ſanctum & Legem*. Recitat deinde Stephanus inſignem orationem, defenſionis, & probandæ innocentiæ cauſſa, coram ſenatu Judaico, a quo capitis damnatur, & ad *lapidationis* ſupplicium, quod de blaſphemis ſumi ſolebat, non tantum ducitur, *Act.* VII. *verſ.* 58. ſed teſtes etiam, more majorum, & ſecundum legem *Dei*, ſaxa in eum conjecerunt primi, *Deuter.* XVII. 7. Hoc intelligimus ex his *Lucæ* verbis: *Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ad pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus*, *v.* 58. Et ipſe Saulus fatetur, *Act.* XXII. 20. ſe cum effunderetur ſanguis Proto-martyris, adſtitiſſe, & conſenſiſſe in ejus cædem, & cuſtodiviſſe veſtimenta ΤΩΝ ΑΝΑΙΡΟΥΝΤΩΝ ΑΥΤΟΝ, *interficientium illum*, teſtium ſcilicet. Quæ cuncta antiquo Judæorum more fiebant, nec *per tumultum*, aut ex *judicio zeli*, ſed per ſuetum ſummi Synedrii Judicium ac ordinarium ſecundum legem Moſaicam proceſſum, in ſolenni judicum conſeſſu, auditis teſtibus, accuſatore, reo. Nec dubitaverim ego, ſolennem Synedrii formulam, ac ſententiam damnatoriam contra Stephanum latam, ac pronunciatam fuiſſe, etſi Lucas eam non memoravit. Hæc manifeſte probant, crimen blaſphemiæ, aliaque facinora, & delicta, adverſus legem *Dei* commiſſa, pertinuiſſe ad S. Synedrii tribunal, & licuiſſe Judæorum ſenatui, eo adhuc tempore, non modo carcere, & flagris, ſed pœnis etiam capitalibus afficere legis Moſaicæ violatores. Hanc ſententiam confirmat *Paullus* in oratione, quam coram civibus Hieroſolymitanis habuit, *Act.* XXII. 4. & 5. & *Tertullus*, orator Judæus, Paullum accuſans nomine Ananiæ, Pontificis Maximi, & Senatus Judaici apud *Felicem*, Procuratorem Romanum, *Actor.* XXIV. 5. 6. 7. 8. ubi de Apoſtolo dicit: τοῦτον καὶ ἐκρατήσαμεν, καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον νόμον ἠθελήσαμεν κρίνειν, *hunc etiam prehendimus, & ſecundum noſtram Legem voluimus judicare, ni Lyſias tribunus ſuperveniens eum magna vi e manibus noſtris abduxiſſet*. Si Judæis jam tum ademtum fuiſſet jus vitæ & necis in legis Moſaicæ tranſgreſſores, nunquam profecto auſus fuiſſet Ter-

tullus coram Romano Præside in hunc modum loqui. Quoniam vero *Festus* hæc omnia placido audivit animo, in ea confirmor opinione, Romanos, ficut plerisque gentibus a se devictis, ita Judæis etiam permisisse, ut suis legibus uterentur, & inter se agerent. Hinc *Titus* apud *Josephum lib.* VII. *de Bello Jud. cap.* XIII. Judæis exprobrat, quod iis τὰς πατρίες νόμες Romani servarint. Idem *Titus* apud eundem *Josephum*, sicut antea monuimus, refert, Judæis expresse concessum fuisse, ut possent eum, qui septa Templi transiret, licet Romanum, impune occidere. Nego igitur, Judæis, sub Romanorum potestatem redactis, ante devastationem Templi omne omnino jus vitæ ac necis ademtum fuisse. Nam si Romani, leges patrias, ad Religionem pertinentes, illis illibatas reliquerunt, potuerunt Judæorum judices violatæ religionis reos punire, & blasphemos, atque adulteros, lapidare, quemadmodum legimus apud Johannem, eos mulierem adulteram, & ipsum Christum lapidare voluisse. Conf. *Edm. Merillius in Notis Philolog. in Pass. Christi ad Johannem* §. VII. VIII. *p. m.* 587. & 589. & *Ant. Bynæus* l. c.

X. Huc tandem accedit, quod ipse Romanorum Procurator Pontius Pilatus aliquam Judæorum jurisdictionem, & potestatem animadvertendi in Religionis Judaicæ, & legum patriarum violatores, agnovisse videtur, quando Judæis dixit *Joh.* XVIII. 31. λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτόν, *accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum*, apud *Vulgatum*, seu *condemnate eum* apud *Bezam*. Quibus verbis, cum *versu* 30. collatis, de judicio capitali, & condemnatione hominis malefici agitur, ad subeundam quamcunque pœnam, ac ipsum adeo supplicium, divina Judæorum lege constitutum. Vult igitur Pilatus *serio*, non per *ironiam*, aut *sarcasmum* mordacem, cujus nullum exstat in textu indicium, ut ipsi Judæi supplicium de Christo secundum patrias leges sumant. Neque ulla ratione consentaneum est, Romanum Procuratorem supremæ Romanorum Imperatorum jurisdictioni derogasse, & potestatem gladii, Judæis dudum ademtam, proprio ausu, ac nova venia indulsisse. Hoc quippe per leges, & instituta Romanorum facere non poterat, si vel maxime voluisset. *Præsides enim provinciarum habebant quidem jus gladii, & in metallum dandi potestas ipsis permissa, erat*, lib. 6. §. 8. D. de Offic. Præs. *sed hanc potestatem, quæ aliis vocibus in jure Quiritum, & nominatim* lib. 3. D. de Jurisd. *Merum Imperium appellatur, mandari non potuisse, certum est, & nota in hanc rem* lib. 1. §. 1. D. de Offic. ejus, cui mand. *Qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet; sed & ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur. Verius est enim, more majorum jurisdictionem quidem transferri, sed merum imperium, quod lege datur, non posse transire. Utique si his adversum facinus Pilatus cœptasset, merito ei* οὐκ εἶ φίλος τοῦ Καίσαρος, *quæ Judæorum apud* Johannem XIX. 12. vel τοῦτο ὕβριν Καίσαρι φέρειν, quæ ipsius Pilati apud *Josephum* lib. XVIII. Ant. cap. IV. *phrasis est, objectum fuisset: cujus rei suspicionem tantopere a se amotam volebat*, ita Celeb. *Wagenseilius* l. c.

XI. Multiplices equidem responsiones ad hoc argumentum a viris eruditis, & sigillatim a *Joh. Marckio* in *Exercitation. Scriptur. ad N. Test. p. m.* 481. dari solent, sed nulla earum accuratum sustinet examen. Primo verbum κρίνειν, quod *judicandi* notionem habet, adoriuntur, contendentes, illud caussæ dumtaxat cognitionem, & sententiæ dictionem, nequaquam vero ejus exsecutionem absque Præsidis, vel Procuratoris consensu, indicare. Imo si vel maxime includat exsecutionem, eam tamen ad sententiam mortis necessario non extendi, sed potius restringi ad verbera, ad ejectionem ex synagoga, & alia minoris coercitionis genera. At vero quæ subest caussa, aut quæ nos urget necessitas, ut a *judicandi* verbo, absolute, & citra ullam restrictionem posito, quod sane latissime patet, & quævis judiciorum ac suppliciorum genera includit, condemnationem capitalem hoc in loco excludamus? Nec veri fit simile, dictum hoc ad Judæos esse a Pilato *insultabundo*, & εἰρωνικῶς quæ *Jos. Scaligeri* conjectura fuit, ita ut mordaci dicto tacti fuerint Judæi. Nulla quippe orationis ejusmodi εἰρωνικῆς indicia apud Evangelistas prostant, sine quorum tamen consensu nihil tradi, nedum fingi debet. Multo minus induci possum, ut credam, Pilatum verbis aliud præ se tulisse, & longe aliud pectore clausum gessisse, quod *Zach. Hubero*, JCto & Antecessori Franeckerano, placuisse miror, *Dissertat. Jurid. Philolog.* I. *cap.* II. & V. Illorum effugium restat, qui opinantur, Judæos non αὐθεντικῶς, sed alieno beneficio, meraque Pilati benevolentia, supplicii Christo inferendi copiam tunc habuisse. Ut adeo Pilati concessio Judæis facta de Christo interficiendo, non fuerit traditio Imperii Meri, quam in Procuratoris arbitrio non fuisse fatentur, sed vel generalis & cœca approbatio ejus, quod judicaturi erant Judæi, vel remissio quædam par-

particularis de communi jure, facta intuitu unius personæ vilis, & caussæ religiosæ potissimum, & ob furiosum plebis, procerumque impetum, quo agi Judæos Pilatus videbat, nec non ob majora evitanda mala, quæ ex tumultu populi potuissent oriri. At enim vero nonne milites in promtu erant, quibus populi turbas daturi audacia compesci, & Romani Imperatoris jura asseri, ac illibata servari potuissent? Num credemus, Pilatum omnem rei male actæ accusationem his rationibus apud Tiberium, suspicionibus nimis indulgentem, acerrimumque jurium majestaticorum assertorem, qualem annales nobis ubique describunt, satis diluere, ac amoliri potuisse? Ipse *Job. Marckius*, deprehensa responsionis vanitate, noluit ei inhærere, quia verba Pilati non antecedunt, sed sequuntur post illa Judæorum ἡμῖν ὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι ὐδένα, *quibus illi etiam adversus factam modo seriam concessionem præscribere videntur, tam ingrate eam non repudiaturi in suo adversus Jesum insano impetu*, l. c. *Exercit.* XV. §. XIV. *p.m.* 484.

XII. Quo vero sensu dicunt Judæi *Job.* XVIII. *vers.* 31. ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι ὐδένα? Non *propter diei festi sanctitatem, quam celebrare jam cœperant*, quod *Augustino* visum est, *Tractatu* CXIV. *in Johannem*; Nec propter *supplicii genus*, cui Christum addici postulabant, videlicet supplicium crucis, Judaicis legibus incognitum, quod *Merillio* in mentem venit. Nec *propter ablatam potestatem* gladio animadvertendi, ut plerique putant, sed hanc ob caussam, quia facinora contra leges Romanas, Majestatem Imperatoris, & status publici tranquillitatem commissa, *seditio, perduellio, conjuratio, tumultuationes*, & similia crimina, non ad Senatus Judaici, sed ad Procuratoris Romani tribunal pertinebant. Judæos autem *Jesum* de crimine læsæ Majestatis, & seditionis accusasse apud Pilatum, historiæ Evangelistarum fidem faciunt non obscuram. Idcirco Romanus Procurator, introiens in prætorium, Jesum interrogat: σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰυδαίων; *Tune es Rex Judæorum*? Ergo de affectato Regis titulo, & seditione, ac tumultu ab eo metuendo, a Judæis eum delatum fuisse indicat. Judæorum videlicet proceres metuentes tumultum, iras ac furorem innumeræ ad Paschatos celebrationem confluentis plebis, quam doctrina melliflua, innumerisque prodigiis obnoxiam sibi Servator Sanctissimus reddiderat, supplicium de eo, tanquam blasphemo, sumere noluerunt, quamvis potuissent: sed consultius ducunt, si per Romanum Procuratorem, tanquam rebellis, & criminis læsæ Majestatis reus, ac turbator tranquillitatis publicæ, e medio tolleretur. Hac ratione invidiam odiumque plebis declinari, & nihilo tamen minus Jesum ad supplicium duci, ac minori cum periculo, ac strepitu occidi posse, confidebant, quia populus autoritatem, ac potestatem Procuratoris Rom. valde metuebat. Cum igitur dicunt Judæi: *nobis non licet interficere quemquam*, subintelligunt, seditionis ac læsæ Majestatis reum, cujus facinoris Jesum accusarant, uti recte observavit *Ant. Bynæus l. c. p. m.* 32. *Lucas* testis illius accusationis est luculentus, *cap.* XXIII. 1. 2. *Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt eum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare, dicentes:* Τοῦτον εὕρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος, καὶ κωλύοντα Καίσαρι φόρυς διδόναι, λέγοντα ἙΑΥΤΟ'Ν ΧΡΙΣΤΟ'Ν ΒΑΣΙΛΕ'Α εἶναι, *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & probibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse*. Cumque Pilatus Christum tanquam insontem liberare conaretur, repetunt accusationem de læsa Tiberii autoritate & alta voce exclamant, *Job.* XIX. *vers.* 12. Οὐκ εἶ φίλος τῦ Καίσαρος, *non es Cæsaris amicus, si hunc dimittis*, vel, hoc esse ὕβριν Καίσαρι φέρειν, *cum Cæsaris injuria conjunctum*, quæ ipsius Pilati formula est, apud *Josephum lib.* XVIII. *Antiq. cap.* IV. His rebus ac contentionibus Judæorum, effectum est, ut Servator innocentissimus capitis damnaretur, tanquam perduellis, & supplicio Romanis usitato, in crucem ageretur, quia, ut *Theophylactus* recte adnotavit, Οἱ Ῥωμαῖοι σαυρῷ τὺς αὐθάρτας δικάζυσι, *Romani, regni affectati reos, cruci affigunt*.

XIII. Maximum in hac controversia dubium facit Judæorum testimonium, quo confitentur, *quadraginta annis ante excidium Urbis Hierosolymitanæ, pulsum esse Synedrium loco suo*. Exinde enim dissentientes colligunt, capitalia judicia apud Judæos ad postrema usque Urbis tempora non durasse? Cel. *VVagenseilius* in erudita, ac antea laudata *Vaticinii Jacobæi* explicatione *p. m.* 264. suspicatur, codicem Thalmudis vitio librariorum corruptum esse, eosque cum scribere debuissent *quatuor annos* ארבע שנים, expressisse ארבעים שנה *quadraginta annos*; facili ac obvio lapsu, sive habuerint voces integras in iis, quibus utebantur exemplaribus, sive suo fine truncas. Hæc conjectura minus placuit *Bernardo Lamyo in App. Chronol. ad Harm. Ev. Part.* II. *cap.* III. *pag.* 142. & *Jac. Basnagio* in *Historiæ Judaicæ Tom.* III. *p.m.* 520. nec no-

nobis etiam probatur satis. Nam *Maimonides* in Tract. *Sanhedrin cap.* XIV. hunc Thalmudis locum non aliter legit, ac hodie scriptus reperitur. Nec necesse est, ut locum in mendo cubare suspicemur, ac emendari oportere contendamus. Sufficit, Thalmudicum hoc testimonium, ob rerum falsarum admixtionem, semetipsum evertere, & veritati, ac sigillatim *Josepho*, domestico, ac fide digno illorum temporum scriptori, adversari, ex quo discimus, summum Judæorum Senatum, decennio adhuc ante Urbis excidium, *meri Imperii* jus exercuisse. Nam Synedrium paullo ante *Albini* Præsidis adventum, qui, secundum calculum H. *Valesii* ad *Eusebii* H. E. *lib.* II. *cap.* XXIII. anno Neronis quarto administrare Judæam cœpit, capitalem lapidationis sententiam adversus aliquos & pronunciavit, & adimpleri curavit quo supplicio nullum aliud apud Judæos erat gravius, ut observavit l. c. *pag.* 263. *VVagenseilius*, qui falsitatem testimonii Judaici prolixe & erudite demonstravit.

XIV. Objicit *Jacob. Basnagius lib.* V. cap. II. §. IV. *Histoire de Juifs pag.* 520. *Christum* prædixisse discipulis, *qu' on les fouetteroit dans les Synagogues, & qu' on les livreroit aux Gouverneurs*. Hic duos persecutionis gradus distingui opinatur. Habuisse quidem tunc temporis Judæos jus, flagris cædendi eos, qui legem violabant: sed adire debuisse Præsides & Provinciarum procuratores, si quem capitis supplicio affici vellent. *Basnagius*, ni fallor, respexit loca *Matth.* X. 17. & *Marc.* XIII. 9. ubi Servator, discipulos ad annunciandum Evangelium emissurus, iis fatorum seriem, durissimasque vexationes, tum a Judæis, tum a gentilibus inferendas, generatim prædixit. Judæorum violentiam his depinxit verbis: *Matth.* X. 17. παραδώσεσι γὰρ ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσεσιν ὑμᾶς. Vexationes ab ethnicis expectandas ita descripsit commate sequente: Καὶ ἐπὶ ἡγεμόνας δὲ καὶ βασιλεῖς ἀχθήσεσθε, ἕνεκεν ἐμοῦ. Non id vult sanctissimus Servator, Apostolos coram Judæis, & Synedrii sententia flagellandos, & *Ab His* ad Romanos Procuratores, & Provinciarum Rectores, mittendos esse, ad supplicium de iis sumendum: nec negat, Judæis jus vitæ ac necis competere: sed hoc dumtaxat docet, gentiles æque ac Judæos in Apostolos, & reliquos Evangelii præcones, sævituros esse. Quod utrosque etiam gnaviter fecisse, & *Acta* Apostolorum, & Historiæ Ecclesiasticæ monumenta satis superque confirmant.

XV. Quod reliquum est, Jo. *Marckius*, aliquoties a nobis laudatus, & qui sequiorem sententiam novissime propugnavit, apud *Josephum*, gravem, domesticumque rerum Judaicarum scriptorem, multa exempla, & argumenta sibi observasse visus est, quæ de potestate necis, a Judæis sub illa tempora ablata, testentur. Nec ego ignoro, reperiri illic, a Romanis Præsidibus sublatos esse homines sceleratos, uti a *Fado* Annibam seditiosum, & Tholomæum τὸν ἀρχιλῃστὴν *latronum principem*, cum aliis vel occisis, vel e Judæa ejectis, ad eam a latronibus purgandam, *Antiquit. lib.* XX. *cap.* I. *f. m.* 682. *Felix* tantam latronum turbam sustulit, ut scripserit *Josephus lib.* II. de *B. Jud. cap.* XII. *f.* 796. τῶν δὲ ἀνασταυρωθέντων ὑπ' αὐτοῦ λῃστῶν, καὶ τῶν ἐπὶ κοινωνίᾳ φωραθέντων, οὓς ἐκόλασεν, ἄπειρόν τι πλῆθος ἦν, *eorum, quos in crucem sustulit, latronum, vel in communione sceleris deprehensorum popularium, fuit pene innumerabilis multitudo*. Tradit idem *Antiq. lib.* XX. *cap.* VIII. *f. m.* 699. ab *Albino* sublatos, ὅσοι ἦσαν προδήλως θανεῖν ἄξιοι, *quotquot erant in culpa manifeste capitali*. Ego vero non video, quid exempla hęc latronum, a Procuratoribus Romanis e medio sublatorum, magnopere faciant ad confirmandam dissentientium opinionem? Quęstio enim est de legum Judaicarum violatoribus, ac Judęis natione, patria & religione, non de latronibus, aut illis, qui pacem publicam turbabant. Adversus hoc nebulonum genus animadvertendi potestatem solus habebat Procurator Romanus: in religionis vero Judaicę transgressores, & impiorum Numinum cultores summus Judęorum Senatus. Exinde etiam haut difficulter intelligitur, Romanos milites, in sacra Judęorum peccantes, non a Judęis, sed a Pręside, vel Procuratore Rom., sub cujus potestate erant, fuisse puniendos, salva Judaici Senatus jurisdictione. Quapropter nihil huc pertinet exemplum illius militis, ad Judęorum rogationem securi percussi a *Cumano*, Judęę Pręside apud *Josephum Antiquit. lib.* XX. *cap.* IV. *f. m.* 691. quod Libros Mosaicos, in vico inventos, lacerarit in conspectu omnium, multis debachatus convitiis, & in legem, & in gentem totam. Longe plus ad rem pręsentem facere *Joh. Marckius p. m.* 474. opinatur, historiam *Ananis Pontificis, cum Synedrio sævientis in Jacobum, fratrem Domini, aliosque ob violatam specie tenus religionem, quo tempore post* Portii Festi *obitum, & ante* Albini *adventum, Judæi essent absque Præside; ob quod factum tanquam indecens, querelæ Judæorum institutæ sunt, non modo apud* Agrippam *Ju-*

Juniorem, sed & apud Albinum *advenientem, quamobrem & in Pontificem severe animadversum fuit*, apud *Josephum Antiquit. lib.* XX. *cap.* VIII. *f. m. 698.* Ego vero ex hoc exemplo nequaquam evinci posse puto, *quod Ananus cum Synedrio non potuisset secundum temporis istius jus ista de Jacobo, aliisque Christianis supplicia sumere*, imo ne absente quidem Præside hoc illi licuisse, id quod *Joh. Marekius* exinde collegit. Ego potius existimaverim, nostram sententiam ex hac historia confirmari posse. Ordine enim, & secundum receptam judiciorum consuetudinem egit *Albinus* Pontifex, Judicum advocat concilium, statutumque coram eo Jacobum, & una quosdam alios, impietatis accusat, damnatosque judicum suffragiis lapidandos tradit. Neque tam ipsum Judaici Senatus concilium, quam injusta *Albini*, hominis audacis, ingenioque ferocis, sententia in Jacobum, eximiæ spectatæque probitatis virum, lata, nonnullis ex civibus Hierosolymitanis, qui Viri boni, & legum studiosi erant, displicuit, quorum nonnulli, missis ad Regem *Agrippam* nunciis, rogaverunt, mandaret Anano, ne quid tale posthac ageret: Quidam etiam *Albino* occurrentes, docuerunt eum, non licuisse Anano, sine ipsius consensu advocare concilium. Horum igitur verbis persuasus, ut diserte scribit *Josephus*, non ob violatam Romanorum jurisdictionem incitatus, iracunde scripsit Pontifici. Quapropter vix aliud quid ex hac narrationis & rerum gestarum serie colligas, nisi hoc, licuisse a Senatus Judaici sententia ad Regem Agrippam, vel Rom. Procuratorem provocare, nec cogi potuisse Judæorum & S. Pontificis consilium absque Præsidis Romani consensu. Quod tanto minus mirari oportet, quanto magis ex ipso *Josepho* constat, illo tempore res Judæorum magis magisque collapsas esse, Ἐξ ἐκείνου μάλιστα τοῦ καιροῦ συνέβη τὴν πόλιν ἡμῶν νοσεῖν, προσκοπτόντων πάντων ἐπὶ τὸ χεῖρον. κ. τ. λ.



CHRI-

CHRISTOPH. CELLARII
DISSERTATIO
DE
CN. POMPEII M.
EXPEDITIONE JUDAICA,

Sive initio ablati ab Juda Sceptri, habita Ann. 1693.

I. QUum propitio cœlo beatum iſtud ſæculum exortum eſſet, quo humani generis Servator in conſpectum hominum prodiret, & homo ipſe factus cum hominibus verſaretur; *percrebuerat Oriente toto*, ut Svetonius Veſpaſiano *cap.* IV. refert, *vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Judæa profecti rerum potirentur*. Divinum oraculum fuiſſe, ſacris illis literis conſignatum, quarum Judęi cuſtodes erant; nec Tacitus, profanus quidem at fide dignus homo, nos ſinit dubitare. Libro enim V. *Hiſt. cap.* VIII. ubi idem vaticinium attingit, *antiquis* ait *ſacerdotum literis contineri*.

II. Vir ſummus Iſaacus Caſaubonus in d. l. Svetonii ad illud *Michææ* V. refert, quod *Matth.* II. *cap.* repetitum ſcimus, ἐκ σοῦ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, motus, ut apparet, hiſtoricorum conſenſu, quod uterque, Tacitus & Svetonius, eodem verbo *Judæa profectos rerum potituros* tradidiſſent. Sane verbo *proficiſcendi* ἐξέρχεσθαι, quo LXX. h. l. & Apoſtolus uſi ſunt, & ipſum, quod in fonte eſt, יצא, *exire*, non male nec coacte convenire poteſt: quum vero & temporis notam oraculum illud expreſſam habeat, quæ in Michææ verbis non clare conſpicitur; originem rumoris, qui Orientem pervaſerat, aliunde demonſtrare, pretium, ut puto, non nullum operæ erit. Svetonius enim clare addidit *eo tempore*, & Tacitus, *eo ipſo tempore* fore, ut Judæa profecti rerum potirentur. Hegeſippus quoque *lib.* V. *cap.* XLIV. prædictum fuiſſe ſcribit, *ſecundum illud tempus futurum eſſe, qui de regione Judæorum imperium adſumeret in orbem terrarum*. Malim ad patriarchæ ſupremam vocem *non auferetur Sceptrum de Juda*, referre, quod ibi etiam ſecundum LXX. interpretes ἡγούμενος, *dum & dominator*, Judæis promittitur, qui ſit *Schiloh*, hoc eſt, ut Targum Onkeloſi vertit, משיחא *Meſſias*; aut Jonathanis & Hieroſolymitanum, מלכא משיחא *Rex Meſſias*: & ſimul tempus, quo venturus ſit, accurate definitur, *quum ſceptrum de Juda ablatum fuerit*.

III. Judæorum regnum a Babylonio monarcha deſtructum fuiſſe, & Perſas illis reddidiſſe quandam rempublicam, nemo eſt qui ignoret. Qui ex Babylonia Judæi reverterant, magnis quidem immunitatibus, Perſarum indulgentia, fruebantur, non autem ita liberi penitus erant, ut nullum munus ſubjectionis liberatoribus deberent. Dario ſane, ultimo Perſarum regi, pontifex Judæorum ὅρκους ἐνδεδωκὼς, *jure jurando obſtrictus fuit*, ut ipſe apud Joſephum XI. *Antiq. Jud. cap.* VIII. fatetur: nec ab Alexandro, Perſarum victore, perpetuam, ſed ſeptimi tantum anni immunitatem (ἕβδομον ἔτος ἀνεπίφορον) petebat. Mortuo Alexandro, & diviſis inter duces provinciis, in Lagidarum, hoc eſt Ægyptiorum regum poteſtatem Judæi venerunt, durius habiti a Ptolemæo primo, qui plures αἰχμαλώτους, *captivos*, in Ægyptum deduxit, ut ibidem ſedem figerent, aut caſtella regia cuſtodirent, quod idem Joſephus ineunte *lib.* XII. memoravit. Bellis autem inter Ægypti atque Syriæ reges exortis, Seleucidarum ditionis Judæi facti, a Seleuco Philopatore, Antiochis Epiphane atque Eupatore, nec non a Demetrio Sotere aliiſque multa & gravia damna acceperunt.

IV. Num vero ſceptrum in his calamitatibus ſervatum Judæis fuit? Abſit, ut de oraculi veritate dubitemus, cui cum hiſtoria rerum omnino convenire neceſſe eſt. Regalem quidem dignitatem & diadema, ut Ambroſius in Lucæ *cap.* III.

III. observat, captis Jechonia & Zedekia ultimis regibus, tribus Juda in tantum amisit, ut nullo posthac tempore recuperaret. Qui enim post captivitatem Judæis præfuerunt sacerdotes Hasmonæi, ex alia, quam Judæ tribu, suum genus deducebant, quibus deficientibus illuxit illud auspicatum tempus, quod votis & desideriis sancti patres exspectaverant. Nec vero vis oraculo illata, quum sacerdotes rempublicam administrarent. Nam sive שבט *tribum*, ut multis placet, sive *sceptrum* & regiam virgam interpretamur, bene divinæ prædictioni & sæculari historiæ inter se convenit, quod Judæ posteri, etsi Beniaminitis atque Levitis permisti, dignitatem & prærogativam tenuerunt, ut illorum nomen evilesceret, *Judæorum* solum ubique valeret, & ipsi principes Hasmonæi se Judæos appellare non erubescerent, quod Eusebius *lib.* III. Demonstr. Evang. *pag.* 95. θαυμαστῶς καὶ προφητικῶς, *mirando & prophetico modo* ita factum dicit, ut aliæ etiam tribus imperantes sub Judæ nomine laterent, propter eximiam βασιλικῆς φυλῆς, *regalis hujus tribus* prærogativam, qua nomen suum toti genti esset impositura. Cetera privilegia ipse *lib.* VIII. ejusdem operis *pag.* 376. enarrat, quæ brevitatis studio intacta nunc præterimus.

V. Quid? quod Justinus Martyr, antiquissimus facile Christianorum, qui post Apostolos aliquid literis mandaverunt, Dialogo cum Tryphone Judeo *pag.* 272. vocabulum שבט (quod LXX. ἄρχων, *Aquila* σκῆπτρον, Symmachus ἐξουσία, Hierosolymitanus Targumista מלכין, junior Jonathan מלכין ושליטין *reges & dominatores*, verterunt) tam laxe interpretatur, ut non tantum βασιλεῖς, verum etiam κυρίους, ἄρχοντας, ἡγουμένους, aut quocunque nomine imperantes sint, contineat. Sed non est nostrum, oraculi verba interpretari, quod aliis relinquimus: sufficiet ex antiquorum monumentis ostendisse, predictionem historiæ nostræ non repugnare. Unum adjicimus Hugonis Grotii ex commentariis suffragium, quod forsan illustrandæ historiæ aliquid conferre potest. *Sub Hasmonæis*, inquit, *imperium penes Judam fuit non minus, quam penes Romam Gallis aut Thracibus in imperium electis*. Intercesiones fuere breves, si ad spatium annorum prope MD. comparentur, atque ita etiam LXX. captivitatis annos interpretatur, quibus sine sceptro Judæi, non autem sine spe recuperandi, propheticis testimoniis sustentata, vixerint. Prius de aliena tribu ex Eusebio hausit Demonstr. *pag.* 373. posterius ferme ex Justino Martyre contra Tryphon. c. l. Adde Casaubonum Exercit. I. in Baron. *cap.* II. & III.

VI. Sed satis de iis, quę historiis explicandis prœmittenda videbantur, quas non longius, quam ab Hasmonęis ducibus in pręsentia repetemus. Hos principatum cum sacerdotio conjunxisse, & a Seleucidis vexatos, tandem in libertatem se vindicasse, percusso cum Romanis Spartanisque fœdere, ex Maccabæorum & Josephi monumentis constat. Ex eo tempore Pontifices fuerunt supremi principes, nemini mortalium subjecti, sed sine diademate ac regali dignitate, quam in hac gente primus post Babyloniam captivitatem Aristobulus, Johannis Hyrcani filius, adsumsit, huncque sequuti frater Jannæus Alexander, & fratris hujus filii Hircanus ac Aristobulus, sed infelici hi discordia dissidentes, constanter sunt imitati. Mater horum Alexandra, Hyrcano sacris præfecto, IX. annis rempublicam rexit: qua defuncta Hyrcanus cum fratre minore controversiam habuit de regno, qui multorum sibi studium consequutus majorem fratrem & regno & pontificatu ejecit, quo ad Aretam, Arabiæ regem, confugiente, victus ab Arabe Aristobulus, occasionem dedit, ut libertas, qua usi adhuc fuerant, ab Judæis auferretur. Quæ plenius Josephus sub initium XIV. libri enarravit.

VII. Iisdem temporibus, Mithridate victo, Cn. Pompejus Magnus contra Armeniæ regem Tigranem bellum gerebat, unde in Syriam, quam Tigrani ademit, Scaurum præmisit, apud quem per legatos utroque fratre, Hyrcano & Aristobulo, conquerente, Aristobulus Romanis copiis adjutus, fratrem & Aretam uno prœlio vicit, sed Pompejo adveniente Aristobulus, quum pecunias, quas promiserat, prohibitus ab Judæis, exsolvere non posset, in custodiam a Pompejo datus, & Hierosolymis tum primum Romanus exercitus admotus fuit. Intus autem dissidio exorto, qui Hyrcano studebant, Romanos intra mœnia admiserunt, ceteris in templum confugientibus, quod quia natura & arte munitissimum erat, multum negotii Pompejo expugnanti fecit adeo, ut vix περὶ τρίτον μῆνα, *tertio mense*, sicut Josephus *cap.* VIII. d. l. ait, seu ut Ben Gorin *cap.* XXXIX. tradit, בחדש הרביעי *mense quarto*, hoc est, post trimestrem obsidionem expugnarit, neque tum expugnare potuisset, nisi sabato die, quo Judæi feriantur, nec repugnant obsidioni, valle aggeribus planata, in munitiones irruisset. Quod præter Josephum etiam Dio Cassius *lib.* XXXVII. no-

notavit, atque ita Cn. Pompejus, ut idem ait *pag.* 36. τὸ ἱερὸν ὀυκ ἀπόνως εἷλε, *templum non sine magno labore cepit*.

VIII. Captum templum Pompejus *victoriæ jure*, ut Tacitus ait *lib.* v. Hist. *cap.* IX. *ingressus est*, & ea vidit, quæ videre fas nemini erat, præter sacerdotes, quod ægre Judæi ferebant, prohibere autem non poterant. Nihil vero ex sacris thesauris Pompejus abstulit, & ὀυκ ἥψατο δι' ἐυσέβειαν, *ne attigit quidem præ pietate*, ut Josephus *lib.* XIV. *cap.* VIII. judicavit, quod Cicero pro Flacco *cap.* XXXIII. alii caussæ tribuit. *Pompejus*, inquit, *captis Hierosolymis, victor ex illo fano nihil attigit*; quod ait *sapienter* factum, ne *sermoni obtrectatorum* locum daret: non autem credit, *religionem Judæorum impedimento*, sed *imperatoris pudorem fuisse*. Quoquo autem animo intactam illam gazam reliquit, sua laude non destituendus est; Crassus e contrario vituperandus, qui contra jusjurandum, cui se obstrinxerat, omnia, quæ intus in templo erant, rapuit: de quo Josephus lib. XIV. *Antiquit. cap.* XII. consulatur. Quum ergo tanta fuerit Cn. Pompeii continentia, mirari omnino subit, quo autore Gorionides Hebræus d. l. scripserit, Pompejum misisse ante oppugnationem, qui *vasa & lapides pretiosos* acciperet מהיכל ה׳ אשר בירושלם: *exemplo Dei, quod Hierosolymis est*. Vetus enim & Græcus Josephus libro sæpius dicto *cap.* VII. nihil memoravit, quam Aristobulum promisisse χρήματα, *pecunias*, & Gabinium missum fuisse a Pompejo ἐπὶ τὰ χρήματα, templi & sacrorum nulla facta mentione.

IX. Quum vero inanem Gabinium Judæi remisissent, Pompejus Aristobulum, quasi elusus ab eo, ἐν φυλακῇ κατέστησε. *in custodiam dedit*, & quod Hebræus Ben Gorion addit. ויאסרהו בנחושתים *& catenis eum constrinxit*. Tunc urbem oppugnatum accessit, ejusque deditione facta, templum, quod Aristobuli fautores tenebant, vi expugnavit. Sic sceptrum de Judæis auferri cœpit, quum uterque rex & templum, quod eis sanctissimum, in potestate Romanorum esset. Pompejus Hyrcano τὴν ἀρχιερωσύνην ἀπέδωκεν, *pontificatum reddidit*, ut Josephus XIV. Antiq. *cap.* VII. adnotavit, nec idem *lib.* I. Belli Jud. *cap.* v. plus dixit, quam Hyrcanum ἀρχιερέα, *pontificem* a Pompejo declaratum esse. An vero etiam *regnum* Hyrcano restituit? negant multi. Carolus Sigonius, vir eximius in antiquitate historica, lib. VII. de Rep. Hebr. cap. IV. *Pompejus*, inquit, *Aristobulo rege capto, Judam occupavit, & in provinciæ formulam redegit, atque ei procuratorem Antipatrum Ascalonitam imposuit*. Si conjecturæ locus est, Ammianum Marcellinum Sigonius sequutus videtur. Is enim *lib.* XIV. *cap.* XXVI. *Pompejus*, inquit, *Judæis domitis & Hierosolymis captis in provinciarum speciem, rectori delata jurisdictione, formavit*. Nec aliter Henr. Valesius f. 43. Marcellini verba interpretatur, quam *Judæam a Pompejo captam & in provinciæ speciem redactam esse*, eamque opinionem cum indignatione tuetur contra dissentiens. Idem Sigonius in Sulp. Severi *lib.* II. *f.* 874. *Judææ* (Pompejus) *procuratorem reliquit, ita tamen, ut prætori aut proconsuli Syriæ obediret*. Quod & Josephus videtur approbasse, *Syriam & Judæam* Pompejum Scauro διέπειν *administrandam* dedisse, *lib.* I. de Bello *cap.* v. extr. professus. Alii vero, & in his Casaubonus maxime, ante Archelai relegationem, provinciam Judæam factam esse, strenue negant, quando primus procurator Coponius eo anno fuit constitutus, quo Quirinus proconsul Syriæ factus fuit, quod ex Josephi *lib.* XVIII. ineunte manifestum est. Ubi enim reges & etnarchæ relinquuntur, quos tamen ad extrema Augusti toleratos scimus; provinciæ Romanę forma locum non potest habere. Scauro non eodem modo Pompejus Syriam & Judæam commisit, sed illam, ut provinciam: hanc, tanquam ex Syria, si opus foret, defendendam. Quid? quod *procuratoris* nomen, quoad libera respublica Romanorum stetit, in provinciis auditum non fuit. Antipater amicus regis Hyrcani jam ante Pompeii adventum fuerat, quo postea, per Pompejum restitutus, administro in rebus gerendis ut plurimum usus est. Vid. Joseph. *lib.* XIV. *cap.* II. & v. Sed longe diversa ratio illorum fuit, quos *procuratores* provinciarum Cæsares vocaverunt.

X. Alii præter pontificatum, etiam *regnum* Hyrcano concessum fuisse non dubitant. Dio Cassius d. l. clarissime p. 37. ἥ τε βασιλεία Ὑρκανῷ ἐδόθη, *regnum Hyrcano redditum*, quum Aristobulus Romam abduceretur. Et ipse Josephus vel solo *cap.* VIII. *lib.* I. *Bell. Jud.* ter quaterve Hyrcanum βασιλέα, *regem* vocat, post Pompeii discessum, quum civili jam bello cum Cæsare certaret. Nec aliter R. Ganz in Zemach David *pag.* 33. ed. Prag. וימליך פומפיוס את הורקנוס למלך על כל ישראל: *Pompejus Hyrcanum Regem totius Israelis costituit* Jacobus quoque Cappellus sub finem Hist. Sacræ & Exoticæ, *Pompejus sacerdotium & regnum restituit*. Casaubonus quidem ab Baron. Exerc. I. *num.* XXX. rem fatetur; nomen & exter-

nam

nam dignitatem negat. *Palæſtina*, inquit, *Hyrcano permiſſa: verum bonos regii nominis ademtus*. Sed Joſephum nomen regis non ſemel Hyrcano ultimis Pompeji temporibus tribuiſſe, ſupra ex *lib.* I. de Bello Jud. probavimus. Jacobus Uſſerius, Armachanus archiepiſcopus, in Annal. *pag.* 261. eodem ferme modo: *Cum pontificatu principatum quoque ſuæ gentis* (Hyrcanus) *accepit: ſed diadema eum ferre Pompejus vetuit*. Velim uterque, ut fecerunt alibi, etiam heic adnotaſſent, quo veteri ſcriptore confiſi de Hyrcano ita ſentirent. Joſephus *lib.* XIV. *cap.* XVII. Cæſaris dictatoris literas, & decretum æri inciſum profert, quibus Hyrcanus ἀρχιερεὺς καὶ ἐθνάρχης, *pontifex & ethnarcha*, Pompejo jam exſtincto, vocatur & confirmatur. Et Cæſare interfecto Dolabella, quum Aſiæ præeſſet, literis ad Epheſios magiſtratus, Hyrcanum non regem, ſed *pontificem ac ethnarcam* vocat, quod ibidem quoque Joſephus recitavit. Scilicet *Ethnarchæ* nomen minus, quam *Regis* apud Romanos erat, & *lib.* XVII. *cap.* XIII. ineunte Joſephus tradit, ab Auguſto Archelaum, Herodis filium, οὐ μὲν βασιλέα, *non regem*, ſed tantummodo ἐθνάρχην conſtitutum eſſe: promiſſum autem eidem, tunc ἀξιώματι βασιλέως, *Regis titulo* etiam ornatum iri, ἅπερ εἰς αὐτὴν ἀρετὴν προσφέροιτο, *quum meruerit*.

XI. Sic cognovimus, quo in honore dictator Cæſar, & poſt eum Dolabella, Hyrcanum Judæorum principem habuerint: quo loco apud Pompejum fuerit, tam liquido nobis non conſtat, niſi quod βασιλείαν *regnum*, ei Pompejum reddidiſſe ſupra ex Dione adprobavimus. Qui Antiocho Commageno & multis aliis Romanorum clientibus *Regis* nomen relinquere non dubitavit; non puto eum parciori liberalitate erga Hyrcanum exſtitiſſe. Nec enim teſtimonia nobis deeſſe poſſunt, quibus probari videatur, etiam poſt decretum Julii Cæſaris Hyrcano *Regis* nomen in gente ſua tributum fuiſſe. Supra ad *lib.* I. Joſephi de Bello *cap.* VIII. provocavimus, quo ſæpe numero *Rex* Hyrcanus appellatur: nunc addo, quod ibidem amici Hyrcano ſubgeſſiſſe feruntur, niſi creſcenti potentiæ Antipatri reſiſtat, fore, ut τοὔνομα μόνον βασιλέως, ἔρημον ἐξουσίας, *nudum nomen Regis, vacuum poteſtate poſſideat*.

XII. De Antipatro, quem *provinciæ Judææ*, *procuratoris* nomine, Pompejum præfeciſſe, ſupra Sigonius dixerat, nunc ut diſpiciamus, non alienum erit a propoſito. Nec ſolus Sigonius, ſed ex veteribus etiam Sulpicius Severus *lib.* II. *cap.* XXVI. idem tradit, Antipatrum a Pompejo Judææ procuratorem præpoſitum eſſe. Fuiſſe autem amicum Hyrcani, antequam Romani in Palæſtinam venirent, & legatione pro illo ad Pompejum functum eſſe, *num.* IX. ſupra oſtendimus. In eo gradu amicitiæ manſit apud Hyrcanum, poſtquam ex Judæa Pompejus diſceſſerat. Quum enim Scaurus, Syriæ primus Romanorum præſes, cum Areta Arabum rege bellum gerens, frumento deficeretur, κατ' ἐντολὴν Ὑρκανοῦ *juſſu Hyrcani* Antipater & frumenta & alia neceſſaria attulit, Joſepho *lib.* XIV. *cap.* IX. teſtante: quod idem *lib.* I. de bello *cap.* VI. dixit δι' Ἀντιπάτρου, *per Antipatrum*, ſive miniſterio ejus, Hyrcanum Scauro, quæ ad victum pertinent, ſuppeditaſſe. Antipater etiam Cæſari Ægyptum oppugnanti tria millia militum auxilio adduxit, ſed ἐξ ἐντολῆς, *ex mandato Hyrcani*, quod Joſephus notat *lib.* XIX. *cap.* XIV. Ergo tum ſubjectus Hyrcano Antipater fuit, ejuſque in rebus gerendis adminiſter, quamvis ἐπιμελητὴς Ἰουδαίων, *Judæorum procurator* ibidem & ſequenti capite dicatur, quod eo in adminiſtranda republica Hyrcanus ſemper uſus fuerat. Quum vero Cæſar Hyrcano pontificatum confirmaſſet; etiam Antipatrum ob rem ad Peluſium præclare geſtam, (reſtituta, quæ inclinabat, acie, & muro capiendæ urbi perfracto, Joſeph. dicto *cap.* XIV.) Judææ ἐπίτροπον, *procuratorem*, quod proprium ejus muneris vocabulum eſt, declaravit; ut ibidem *cap.* XV. extremo, & I. de Bello *cap.* VIII. narratur. Nec vero Hyrcano hoc modo imperium omne ſubtractum fuit, ſed ipſe Antipater eodem capite VIII. Judæis rerum novarum cupidis, minatus dixit, ſi pergerent vana ſpe tumultuari, futurum eſſe, ut Hyrcanum ἀντὶ βασιλέως, *pro rege* tyrannum, & ſe ἀντὶ κηδεμόνος (quod molliſſimum procurationis verbum eſt) δεσπότην, *dominum* experiantur. Atque ita nec auctus honoribus, firmatuſque a Cæſare, regiam dignitatem Hyrcano abjudicavit.

XIII. Hæc ſunt initia ablati ſceptri ante Herodem, quæ ut illuſtriora faciamus, ex ſæpe laudati Joſephi *lib.* XIV. *cap.* VIII. adjungimus, Pompejum Hieroſolyma ὑποτελῆ φόρου *ſtipendiaria* Romanis reddidiſſe, & brevi tempore *plus quam decem millia talentorum* ab Judæis Romanos exegiſſe, quibus immunitates & privilegia primum a Pompejo conceſſa, deinde aucta ab Julio Cæſare (ut ſupra ex decreto ejus *num.* X. oſtenſum) nequaquam repugnant. Umbra enim libertas fuit, quam Romani Judæis reliquerunt; & regnum precarium, quo Hyrcanus & He-

Herodes usi sunt, quum Tacito autore *Agricol. cap.* XIV., *vetus & jam pridem recepta populi Romani consuetudo fuerit, ut haberet instrumenta servitutis & Reges*. Initium ergo ablati ab Juda sceptri in eo tempore statuendum est, quo Pompejus templum expugnavit, Aristobulum catenis strinxit, Hyrcanum rebus quidem præesse, sed ut clientem Romani populi, permisit. Ipse Josephus, quum illam Pompeii victoriam descripsit, sæpe dicto *cap.* VIII. *libri* XIV. hoc ingenue confessus est, τὴν ἐλευθερίαν ἀπεβάλλομεν καὶ ὑπήκοοι Ρωμαίων κατέστημεν, *libertatem* (Aristobuli & Hyrcani discordiis) *perdidimus, & Romanorum imperio subjecti sumus*. Quod Hebræus interpres sub finem *cap.* XXXIX. expressius ita transtulit: ומאז ירדנו מגדולתינו והיינו כנועים תחת יד מלכות רומה: *Ex eo tempore dejecti sumus de dignitate nostra, humiliati sub potestatem imperii Romani*. Non possumus, quin Germanicam translationem adjiciamus ex *pag.* 134. *B. ed. Amsterd.* ut elegantia sermonis patrii, quo utuntur hi homines, una innotescat: Von demselbigen Tag an und für bat / da seyn mir genidriget von unser Achbarkeit / und wir seyn gewesen unterthänig / unter dem Gewalt des Königreichs Rom. Similia ferme in libro Juchasin *pag.* 15. A. leguntur.

XIV. Hæc de Pompeii expeditione, qua se subjugatos fuisse ipsi Judæi non diffitentur, ut adeo non audiendi sint, qui demum ab Herode sceptrum Judæis ablatum existimant. Eusebius *Hist. Eccles. lib.* I. *cap.* VI. facile princeps hujus sententiæ, *Quum Herodes*, inquit, πρῶτος τὸ γένος ἀλλόφυλος, *primus genere alienigena Judaicæ gentis regnum obtineret, completa esse videbatur Mosis prædictio, quæ sic habet: Non deficiet Princeps de Juda*. Loquitur enim cum Græcis LXX., qui שבט verterunt non *sceptrum*, sed ἄρχων *princeps*. Sequuti sunt Hieronymus in *Matth.* XXII. 16. & Sulpicius Severus *lib.* II. *cap.* XXVII. Herodem vocantes *alienigenam*, & hic etiam *externum regem*, quasi prius compleri vaticinium non potuerit, quam imperium gentis ad peregrinum hominem devolutum esset. Quod si vero peregrinitas Herodis infringi potuerit, sponte ruet, quod ei impositum est, de initio ablati sceptri argumentum.

XV. Justinus Martyr contra Tryphon. *pag.* 272. Herodem *Ascalonitam* vocat, & Eusebius *Demonst. Evang. lib.* VIII. *pag.* 374. ac Sulpicius Severus c. l. patrem ejus Antipatrum *Idumæum* appellat, quæ quidem minus forsan inter se convenire videbuntur. Idumæa enim Judææ ab Austro subdita, Arabiam Petræam attingit. Ascalon autem ad mare sita est urbs in termino occidentali. Sed laxi tum fines Idumææ erant ad mediterraneum usque mare protensi. Plinius enim *lib.* V. *cap.* XII. quum oram maritimam a Pelusio per Ostracinen descripsit, subjicit principio *cap.* XIII. *Mox Idumæa incipit*: & Ptolemæus *lib.* V. *cap.* XVI. extremo Idumæam ponit ἀπὸ δύσεως, *ab occasu* Jordanis fluminis, quod quidem ἀκύρως dictum, ut tamen occiduum Idumææ situm, quod satis nobis est, perspicue declaret. Strabo clarius *lib.* XVI. *pag.* 523. *Judææ* ἑσπέρια ἄκρα, *extrema occidentalia, Casio monti proxima, attingunt Idumæi*. Aut Idumæus dictus fuit Antipater, quia pater ejus ejusdem nominis, Herodis avus, ab Alexandro & Alexandra, Judæorum regibus constitutus erat στρατηγὸν ὅλης Ἰδουμαίας *præfectus militiæ per totam Idumæam*, Josepho prodente *lib.* XIV. *cap.* II. Nicolaus Damascenus, ut ibidem refertur, genus ejus deducit ἐκ τῶν πρώτων Ἰουδαίων, *ex primariis Judæis*, qui ex Babylonia reverterunt. Sed quia multa fecit scripsitque in gratiam Herodis Nicolaus, cujus amicus erat & ad Cæsarem legatus; fidem clarissimi scriptoris quidem non sugillamus, nec vero tuto satis in illa innitemur. Esto ergo, Idumæum Herodem fuisse & Ascalonitam, quam civitatem avus ejus, quum Idumææ præesset, sibi conciliaverat; tamen inde non probabitur, alienigenam Herodem & externum regem, quod Sulpicius cum aliis volebat, exstitisse.

XVI. Etenim Idumęi jam olim adjuncti Synagogę fuerant, admisso in se circumcisionis ritu, & aliis Judęorum ceremoniis adsumtis, quum Hyrcanus Aristobuli, primi regis ex Hasmonęis pater, rebus Judaicis pręesset. Ex quo tempore factum est, εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους, *ut Idumæi imposterum Judæi censerentur*, Josepho fatente *lib.* XIII. *cap.* XVII. Et Strabo *lib.* XVI. *pag.* 523. de Idumęis, προσεχώρησαν τοῖς Ἰουδαίοις καὶ τῶν νομίμων τῶν αὐτῶν ἐκείνοις ἐκοινώνησαν, *accesserunt Judæis, etiam sacrorum illorum participes facti*. Qua de caussa idem Strabo *pag.* 526. Herodem, Antipatri filium, ἄνδρα ἐπιχώριον, *indigenam* vocat, non peregrini generis hominem: & Hieronymus d. l. *proselytum regem*, quod quidem *alienigenæ*, quem ibidem vocaverat, conciliari non potest, *Quis* enim, (quod Scaliger dixit ad Euseb. *pag.* 162.) *vetustissimos proselytos unquam legit alienigenas vocari?*

XVII. Ut suam sententiam confirmaret, Eusebius dicto *lib.* I. *Hist. Eccles. cap.* VI. ex Africano admiscet, quibus peregrinitatem Herodis manifestissime putat demonstrari. Quę quoniam ab Ambro-

brosio Latine repetita sunt (in *Lucæ cap.* III. *pag.* 52. ex ejus interpretatione potius, quam Grece, recitabimus. *Fertur*, inquit Ambrosius, ---- *quia Idumæi latrones Ascalonem urbem Palæstinæ ingressi, de fano Apollinis, quod vallatum muris erat, Antipatrum, Herodis cujusdam hierodulî filium, inter alios abduxere captivum, quem pater redimere propter paupertatem nequivit. Is igitur imbutus disciplinis & mysteriis Idumæorum, Hyrcano Judææ regi amicitia copulatur, quem pro se ad Pompeium Hyrcanus legatum direxit.* Sed fabulam esse, quę Africanus de Antipatri genere scripsit, in odium Herodis confictam, cum Scaligero ad *Euseb. Chr. pag.* 161. censemus, quia Josephus omnia his contraria docet, Herodi genus clarum usque ab avo, qui sub Alexandro, pontifice & rege, Idumeę prefectus fuit, contigisse. De quo supra *num.* XV. diximus.

XVIII. Sed ajunt, qui alienigenam Herodem credunt, multa pagano more potius, quam Judaico egisse. At si ex moribus de origine judicare liceret, quot queso ex longa avorum serie Christianos possis gentilitatis arguere, quia pejus quam pagani & gentiles vivunt? Deinde urgent, Antigonum, quum ab Herode & Sosio obsideretur, populum admonuisse, ne Herodi urbem & regnum traderent homini *Idumæo*, τȣτ' ἔςιν ἡμιιȣδαίῳ, *hoc est, semijudæo*, apud Josephum *lib.* XIV. *Antiquit. cap.* XXVII. Sed hoc hostis jurati convicium est; non veritatis, ut vidimus, argumentum, quum a XC annis aut amplius omnes. Idumęi Judaicę professionis & vere Judęi fuerint. Josephus pariter indignatione adductus *lib.* XIV. extremo eundem dicit οἰκίας δημοτικῆς καὶ γένȣς ἰδιωτικȣ̃, *plebejæ familiæ & privati generis*. Verum & hęc non aliter, nisi respectu sacerdotalis dignitatis, quę nobilissima apud Judęos erat, intelligenda sunt, quum claro Herodem loco natum fuisse, supra ex eodem Josepho probaverimus. Quid multa? Idem Josephus *lib.* XX. *cap.* VI. de Cęsariensibus Judęis refert, in certamine cum Syris sibi primas partes poposcisse, quia Herodes conditor civitatis, τὸ γένος Ἰȣδαῖος, *genere Judæus* fuerit; & ipse *lib.* XV. *cap.* XIV. Judęos compellat, ἄνδρες ὁμόφυλοι, *viri ejusdem generis*. Ergo Herodes non ἀλλόφυλος, id est alienigena sive peregrinus fuit.

XIX. Sic initium ablati Judęorum sceptri a Pompeii victoria, nec demum ab imperio Herodis cœpisse, satis, putamus, demonstratum est. Licet vero per legem, quam ipsi nobis posuimus, non postulari a nobis possit, ut ultra principium, seu Pompeii expeditionem, in narrandis rebus progrediamur: quod tamen initiis lux etiam non parva accedit, si illis quodammodo adjiciatur; quis medius status, qui finis tandem rerum fuerit, brevissime tantummodo & per summa capita de illis quoque disseremus, uberiori deductione in aliud tempus & opportunitatem reservata.

XX. Initium, ut sępe dictum est, a capto templo numeramus, per cujus munimenta primus irrupit Faustus, Syllę dictatoris filius, ob id egregie ornatus a Pompejo: quę gesta sunt M. Cicerone & C. Antonio *Coss.* quod Josephus observavit *lib.* XIV. *cap.* VIII. Ex eo tempore Hyrcanus reipublicę vel vere vel titulo tenus pręfuit, expulsus post XI. annos ab Antigono, & auribus pręcisis in Parthiam abductus, quod Josephus *lib.* XV. *cap.* IX. plenius exponit. Herodes, Romanorum ope ejectis, & Antigono securi percusso, XXXIV. annos rempublicam vexavit magis quam rexit, de quo Josephus *lib.* XVII. *cap.* X. consulendus: quibus si IX. annos Archelai adjicimus, post quos in Galliam relegatus & Judęa in provincię formam redacta fuit; veniemus ad alteram ablati sceptri periodum, quę statum Judęę provincialem tenet. Tunc enim Judęa Romanos pręsides habuit, seu *procuratores* Cęsaris; ut Tacitus illos proprio vocabulo appellat *lib.* XV. *cap.* XLIV. usque ad supremum tumultum, qui caussa fuit ruinę atque eversionis, quum Gessius Florus ab Judęis pelleretur. Tertia periodus habet Vespasiani Titique expeditionem, cum urbis exscidio & gentis dispersione. Consummata enim sceptri ablatio fuit, quando Titus & urbem & templum Hierosolymitanum solo ęquavit. Primam periodum Antigoni tumultus; secundam Agrippę majoris imperium; postremum interrupit quodammodo, sed breve & vix memorandum erat, quod extransverso intercucurrit. *Dei* autem misericordia est, quod ita sensim & pedetentim amovit, quę uno impetu destruere potuisset.

ADDITAMENTUM.

QUum humani generis Servator homo Bethlehemi nasceretur, *Cyrenium* quendam, sine, ut Romani vocant, *Quirinium* Syrię ἡγεμονεύοντα fuisse, ex sanctissimis & indubitatis tabulis constat. Quis ille Quirinius fuerit, & quo officii genere defunctus eo anno, si quid aliud ex vetustis historiis, difficile admodum est explicatu. Josephus, diligentissimus rerum Judaicarum scriptor, ni-

nihil de censu horum temporum aut de præsidatu Quirinii commemoravit: XII. vero post annos, Archelao in Gallias relegato, Quirinium, quem mirifice laudat, in Syriam cum proconsulari imperio missum esse, & simul Archelai bona percensuisse, idem ineunte *lib.* XVIII. *Antiquit. Judaic.* refert. Hic fuit P. Sulpicius Quirinius, quem Tacitus laudat III. *An. cap.* XLVIII. qui *expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis insignia triumphi adeptus, datusque rector C. Cæsari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluisset.* At eo anno, quo mundi Salus in lucem prodit, Sentius Saturninus Syriarum præses sive proconsul erat, ut non tantum ex Josepho per successionem præsidum inde a Pompeii victoria lucidissime constat, verum etiam Tertullianus, antiquissimus Christianorum, qui latine scripserunt, *lib.* IV. contra Marcionem *cap.* XIX. confirmat. *Census*, inquit, *constat actos sub Augusto nunc in Judæam per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus* (Christi) *inquirere* pagani *potuissent*. Cui eo magis decet nos fidem habere, quo diligentior fuit in historiis hujus rei perscrutandis, ut qui archiva etiam Romanorum perspecta habuerit. Nam eodem libro *cap.* VII. *archiva Romana* ait *custodire censum Augusti, testem fidelissimum Dominicæ nativitatis*. Quapropter cum magnis viris Isaaco Casaubono in Exercit. ad Baronii Annales, cum Jacobo Usserio in Annalibus mundi *pag.* 531. cum Henrico Noris, Vaticanæ nunc præfecto, in Cenotaphiis Pisanis *pag.* 321. censemus, Quirinum virum consularem, quod id temporis in Oriente degeret, ac bellum contra Homonadenses feliciter confecisset, in Syriam cum extraordinario imperio missum fuisse, ut tum ibidem, tum in Judæa, quæ gens erat socia & amica populi Romani, censum perageret. Atque ita utrumque constabit, & quod Tertullianus habet, *census actos per Sentium Saturninum*, & quod Evangelista docet, *descriptionem factam esse* ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου. Nam amplæ notionis hoc vocabulum est, & tam extraordinariis quam ordinariis, tam majoribus quam minoribus magistratibus conferri solet.



CHRI-

CHRISTOPH. CELLARII
DISSERTATIO
QUA
FLAVII JOSEPHI
(*) DE HERODIBUS HISTORIA,

A νοθείας suspicione contra V. Cl. JOHANNEM HARDUINUM *justis vindiciis adseritur, & nummis antiquis conciliatur.*

I. DE Herodibus disserturi principio indicamus, cujus fide in enarratione innitamur. Is *Flavius Josephus* est, Judæorum historiæ auctor locupletissimus, cui tantum antiqui, recentes, & medii tribuerunt, ut nemini historicorum plus potuerint. Quantum enim est, quod Hieronymus illum *Epist.* XXII. ad Eustochium *cap.* XV. cum optimo comparat, dum *Livium Græcum* appellat? hoc est eum, cujus in condenda historia ingenium, industriam, & fidem non minus omnes mirentur, quam T. Livii Patavini, *cujus visendi caussa Gaditanum quamdam ab ultimo terrarum orbe videret, abiisse*, cum Plinius *lib.* II. *epist.* III. tum idem Hieronymus epist. CIII. *cap.* I. referunt. Eusebio, probatissimo & ipsi auctori, H. E. *lib.* III. *cap.* IX. Josephus est ἄξιος πιστεύεσθαι, *dignus cui fides habeatur*: & ut unum tantummodo ex recentioribus, sed facile principem, adjungamus, magno Scaligero prolegom. Emend. Temp. idem φιλαληθέστατος, *veritatis studiosissimus* non immerito censentur.

II. Quanto igitur laus est illustrior, ab laudatis viris, non interrupto consensu, laudari: tanto maior admiratio subit, quod clarissimus vir, & tam Plinio illustrato, quam urbium & populorum ex nummis geographia eximiam laudem doctrinæ consequutus *Joannes Harduinus*, Prolusione Chronologiæ ex nummis restitutæ Lutetiæ nuper excusa, in tantum derogat de Josephi auctoritate, ut pro inepte ficto & suppositicio auctore habeat, ad id nummorum, ut ait, fide inductus, qui passim Flavianis narrationibus in Herodiadum historia aversentur. Nos ut omnino magni antiquos nummos facimus, & ex iis multa in historiis & chronologia emendari censemus; ita commoveri nondum possumus, ut præ hisce nummis, quos Harduinus producit, omnis antiquitatis & memoriæ in Josepho consensionem negligamus, aut penitus elusam illam contemni vel everti patiamur. Quanta igitur fieri industria potest, doctissimi viri nummos & rationes quibus nititur, ita exponemus omnium conspectui, adjecta veritati consona interpretatione, ut & nummis genuinis sua fides, & Josephi simul historiæ sua intemerata constet auctoritas.

III. Nota est Josephi de Herodum familia traditio, a doctis omnibus huc usque magno consensu approbata, & in Antiqua nostra Historia, locis ubique ex Josepho significatis, breviter repetita. Scilicet Herodem, Antipatri filium, illustri genere proselytorum Idumææ ortum, summam rerum in Palæstina a patre acceptam (is autem Cæsari Julio debuerat) Antigoni Hasmonæorum ultimi, quem Parthi inaubant, inausione amisisse, sed brevi post Antonii ope cum titulo Regis recepisse, atque ita satis multos annos totam Palæstinam, quæ inter Syriam, Arabiam & Aegyptum patet, Augusti Cæsaris auspiciis, qui confirmaverat regnum, severo imperio tenuisse. Hujus filium Archelaum, quum IX. annos Judææ & Samariæ imperitasset Ethnarchæ nomine, in Galliam relegatum esse, & ex possessione ejus provinciam Romanam factam, quam procuratores Cæsaris rexerint, reliquos filios, Herodem Antipam & Philippum, utrumque suæ tetrarchiæ præfuisse, illum quidem Galilææ & Peræææ; hunc Ituræ & Trachonitidi; & hoc mortuo; illo itidem relegato, Agrippam, primi Herodis ex interfecto filio Aristobulo nepotem, Claudii Cæsaris favore totum

(*) Hanc, & quæ consequitur dissertationem, quæ collocandæ erant post libram Harduini de Nummis Herodiadum, hoc non inopportuno loco. Edendas curavimus.

tum avitum regnum, ſublata provinciæ forma recepiſſe, ſed hoc poſt paucos annos exſtincto Judæam iterum provinciam factam, filium vero, Agrippam minorem, Chalcidenæ regulum, deinde Abilenes & Philippi tetrarchię exſtitiſſe.

IV. Ab his diſſentit non una ratione Harduinus. Primum ait, Herodem per Julium Cęſarem ingreſſum dominationem eſſe: nec illum totam Palæſtinam, ſed tantum Judęam & Samariam rexiſſe: in eodemque regno, cum regio etiam titulo, Archelaum patri ſucceſſiſſe: Galilęam autem cum ceteris partibus ſub poteſtate Zenodori tetrarchę fuiſſe, cui vivo patre, Herodes, Herodis filius, Philippus frater ejus, uterque tetrarcha, ſed diviſa poſſeſſione, ſucceſſerint. Et hunc tetrarcham Herodem, Baptiſtę interfectorem, non Judęum, nec proſelytum, ſed gentilem, poſtea regem factum, eundem eſſe qui Jacobum ſuſtulerit, & Petrum conjecerit in vincula, eumque perperam ſub Agrippę nomine a tetrarcha diſtingui. Neque Judęam poſtquam ſemel a morte Archelai (nam & hujus exſilium negat) provinciæ formam induerit, unquam rurſus regni habitum, ut Joſephus prodit, recepiſſe. Et quæ reliquæ de hiſce rebus paradoxæ opiniones ſunt, Singula ordinatim examinabimus.

V. Vir celeberrimus de initio dominationis Herodis ita ſentit pag. 24. *Judæa Herodi data eſt hanc, ut nunc videtur, ob cauſſam: Erat Julius Cæſar dictator in magno ære alieno Herodis, ut conjicere eſt ex illa Tullii voce ad Atticum lib.* VI. *epiſt.* I. *Sed Heuſtu! Jamne a Cæſare per Herodem Talenta Attica quinquaginta extorſiſtis?* Mira res ne dicam, ridicula. Scripta epiſtola in Aſia eſt a proconſule Cicerone, quum Cæſar adhuc in Gallia eſſet. Quo pacto igitur ad illum Herodis Idumæi pecunia? qui ante Alexandrinum bellum ne notus quidem Cæſari fuit. Præterea variatis ſcripturis vexatus ita locus eſt, ut quidam non *Herodem*, ſed *Orodem* legant: quidam pro *jamne vos* monſtroſe *Genuarios*; unde ſunt, quæ *Genua vos*, quod nomen Allobrogum civitatis eſt, exſculpant. Quam clarior explicatiorque eſt Joſephi hiſtoria, Antipatrum, Herodis patrem, Hyrcani regis amicum, in Peluſiaca expugnatione, & in prœliis ceteris egregiam Cæſari operam in Aegypto præſtitiſſe, a quo id præmium laboris acceperit, ut Hyrcano regi in gerenda republica adjungeretur, aut ſolus illam adminiſtraret, atque iſte, quod ſimul pontifex erat, rebus ſacris magis, quam civilibus præ eſſet. Vide Joſeph. lib. I. de Bello cap. VII. & VIII.

VI. Nunc fines regno Herodis conſtituendi ſunt Patre ſuperſtite præfectus Galilææ erat, unde in amicitiam Sexti Cæſaris, Syrię proconſulis, venit. Sed patre, Malichi fraude, hoc eſt veneno, ſublato, incidit Antigoni bellum, Parthorum auxilio geſtum, quo Hyrcanus rex captivus abductus, Phaſaelus, Herodis frater, in carcere ſe interfecit; ipſe Herodes ęgre evaſit in Italiam: ubi rex ab ſenatu Romano, Antonii ope, declaratus, aliquamdiu de regno cum Antigono certavit, donec ille Romanis armis, & Soſio duce oppreſſus, captuſque, & ſecuri percuſſus fuit. Sic Herodes in totum regnum Haſmonęorum venit, cujus pars etiam Galilęa & vicinę regiones erant. Vir contra clariſſimus Jo. Harduinus pag. 24. *Herodis ethnarchiam regiamque poteſtatem ad Judæam tantummodo cum Samaria pertinuiſſe* contendit.

VII. Argumenta, quibus perſuaſus eſt, fere hęc ſunt: primum, quia Lucę I. comm. 5. vocetur βασιλεὺς τῆς Ιȣδαίας tantum *Judææ rex*. At ſi arcte ſumitur *Judæa*, neque Samarię imperitavit, quod contra Harduinum eſt: ſin laxe, tam Galilęam & Peręam, quam Samariam comprehendit. Deinde objicit Archelai ſucceſſionem in his duabus tantum partibus, qui tamen Matth. cap. II. comm. 22. dicatur ἀντὶ τȣ̃ πατρὸς *pro parente ſuo regnaſſe*, quę formula integram hereditatem, a patre filio relictam ſignificet. Verum eſt, ſignificat id, quod vult vir clariſſimus, niſi teſtamentum interveniat, aut ſuperioris domini, qui Auguſtus erat, alia diſpoſitio: quibus duę tantum ex quatuor regni partibus majori filio ceſſerunt: reliquę fratribus tetrarchis Antipę & Philippo. Etiam illud putat, pag. 26. Herodis regnum coarctare, quod nullas urbes in Galilęa, fidei erga Romanos & reverentię monimenta, condiderit, ſicut alibi Cęſaream & Sebaſten. At nec in Idumęa condidit, & ſi accurate loquimur, nec in ipſa Judęa, quia Cęſarea, ut ex Act. Apoſt. XII. comm. 19. apparet, extra limitem Judęę fuit. Sufficit aliquibus regni locis condidiſſe: in ſingulis partibus ędificare neceſſarium non erat.

VIII. Tandem illud tanquam pręcipuum urget, quod Herodis temporibus Galilęa Zenodori tetrarchę fuiſſet, a quo Herodis filii vel adfinitate vel alio titulo acceperint, non autem ex paterna hereditate. Id credit fide nummi unius alteriuſque, qui Octaviani vultum pręferant, & in poſtica vultum Zenodori ſine diademate, cum inſcriptione ΖΗΝΟΔΩΡΟΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗ .... ΓΗ .... & in altero, ΖΗΝΟΔΩΡΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ .... detu-

tritis literis ceteris, ut legi nequeant. Priore annus Grecorum ita expressus conspicitur, L. ΒΠΣ, id est CLXXXII. Sed quid inde conficitur ad minuendos Herodiaci regni fines? Josephus Antiq. Jud. lib. XV. cap. XIII. Zenodoro Trachonitidem cum vicinis partibus adsignat, easque diserte a Galilea distinguit, quas Augustus post mortem Zenodori donaverit Herodi. Id quod & Dio Cassius confirmat lib. LIV. pag. 526. sub urbis annum DCCXXXIV, τῷ Ἡρώδῃ Ζηνοδώρου τινὸς τετραρχίαν ἔδωκεν, *Herodi Zenodori cujusdam tetrarchiam donavit*: Augustus. Hec tetrarchia fere illa erat, quam postea Philippus ex paterna hereditate accepit, Paneadem etiam, quod Josephus addit, complexa: sed tota extra Galilæam. Harduinus autem *p.* 30. *Eo*, inquit, *animus ut credam inclinat*, *Galilæa simul tetrarcham fuisse* Zenodorum. Quoniam vero nihil præter inclinationem suam, hoc est conjecturam, adfert; nos potiori jure, id est regni Hasmonæi, in quo Herodes successit, adseveramus, extra Zenodori hujus possessiones Galilæam exstitisse. Quod de *vultu* obvertit, insueto in nummis Judaicis, contra ipsum auctorem invertimus; quia Galilæa ubique ab Judeis habitata erat, uti pernotum est ex evangeliis; nummi vultum præferentes, ut Zenodori sunt, ad Galilææ dominum non possunt pertinere. Unum, antequam ad reliqua pergamus, de Herode non prætereundum est, post patris mortem, sed ante bellum Parthicum, *tetrarcham* ab Antonio, quemadmodum & Phasaelus frater; constitutum fuisse, quod Josephus tradit lib. XIV. cap. XXIII; Hyrcano autem capto, & exstincto fratre Phasaelo, *ethnarchæ* nomen sibi usurpasse, quod nos vir illustrissimus & princeps in his literis *Ezechiel Spanhemius* docet de Præst. & Usu Numism. pag. 447. producto nummo, cui inscriptum est ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡ.... quem is pro summo judicio suo non alium, quam primum Herodem censet fuisse, antequam regium nomen ab Romanis impetraret.

IX. Nunc de *Archelao* disquiremus, quem Josephus ἐθνάρχου, *Ethnarchæ* honores, non regios, ab Augusto accepisse refert l. XVII. Antiq. cap. XIII. ipsumque antequam possessionem Augustus confirmaret, φειδοποιεῖσθαι τοῦ βασιλέως ὀνόματος, *regio nomine abstinuisse*. (ibidem cap. XI.) quod illud unice a Cæsaris auctoritate & adsensu dependeret. Harduinus autem æque regem, ac patrem, fuisse sibi persuasum habet, quia Matth. cap. II. comm. 22. βασιλεύειν, *regnasse* dicatur, & in locum patris successisse. Quis vero nescit, sacros scriptores sæpe cum vulgo loqui, cui Judaico præsertim, etiam minores principes *reges* dicuntur, quemadmodum Herodes alter in una eademque historia a Matthæo cap. XIV. ineunte, & Luca cap. IX. comm. 7. recte & ex Romanorum genio & decreto, τετράρχης *tetrarcha*; a Marco autem cap. VI. comm. 14. βασιλεὺς, *rex*, populari loquendi modo, appellatur. Successit in locum quidem patris Archelaus, sed ex parte, quæ ibidem ad Judeam (ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας) restricta est: non in toto regno: neque in nomen etiam regium, quod non hereditarium erat, sed Romanorum liberalitate concedendum.

X. In annis etiam Archelai, & exitu non levis est dissensus. Josephus ait extremo lib. XVII. Archelaum δεκάτῳ ἔτει τῆς ἀρχῆς, *decimo principatus anno*, id est ex acto nono imperii, accusatum a suis & Viennam Galliæ ab Augusto relegatum esse. In re consentit Dio Cassius lib. LV. p. 567. Ἡρώδης ὁ Παλαιστινὸς, αἰτίαν τινὰ ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβὼν, ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ὑπερωρίσθη. *Herodes* inquit, *Palæstinus a fratribus accusatus trans Alpes relegatus est*. Quod is octavo ante mortem Augusti anno, qui & Christi ætatis ferme octavus erat, contigisse, per consules annorum singulorum enumerat. Ex Josephi autem calculo non ante undecimum annum Christi potest accidisse. Quod Harduino *pagin.* 38. videtur cum sacro codice pugnare, quo *Christus Dominus dicatur*, *ante annum ætatis duodecimum*, *singulis annis templum frequentasse*, *id quod post annum ætatis fere octavum intelligendum videtur*: *ut saltem per annos quatuor ante id tempus in templum se contulisse credatur*, *quod adire Archelao vivo*, *quem fugerat*, *noluisset*. Quod vix ex Lucæ contextu, (cap. II.) probaveris, ubi κατὰ τὸ ἔθος, non ad Christum puerum, sed ad parentes vel ad festos dies eorumque ritus referendum est, nisi ex verbis *comm.* 44. νομίσαντες ἐν τῇ συνοδίᾳ εἶναι quod multi interpretes faciunt, idem velimus colligere. Cui opinioni non repugnamus, nec vero ex eo firmiter, quod Archelaum fugerit, probari credimus, vivente illo in templum non venisse. Ex Ægypto reversi cum puero parentes non tam Archelaum, ut Herodis filium, refugerunt (sic enim nec se filio alteri credidissent Galilææ imperanti) sed proditionem ex habitationis loco in Bethlehemitico agro, timuerunt.

XI. Sed de annis faciliores sumus, quum numeris, præsertim per notas scriptis, per facile aliquid erroris adlabi possit. Nulli genuini nummi, ab Archelao per-

percussi, superant, ex quibus decidi controversia possit: id solum ex nummo, quem Harduinus ostendit, clarum probatumque videtur ante annum XXXIX receptæ Asiæ, seu pugnæ Actiacæ sublatum Archelaum fuisse. Is enim nummus *spica*, fertilitatis symbolo, & *Palma*, Judææ gloria, insignitus non alius quam ΚΑΙΣΑΡΟΣ nomen habet, & anni notam ΛΘ, ex quo conjicitur, in Judæa jam provincia cusum esse, non in regno, aut ethnarchia. Quoquo autem anno Archelai imperium cessavit, de modo cessationis major est controversia. Josepho is relegatus est: Harduino sine hęrede obiit. Quod vero, ut supra diximus, Josepho Dio Cassius consentit, qui communi nomine *Herodem* vocat, quem alii *Archelaum*, ut in Antipa quoque & Agrippa consuevit fieri; huic receptę sententię eo constantius inhęremus, quo propius ad illam etiam Judæi accedunt. Ben Gorion enim cap. LXI. extremo: ויהי מקץ ה׳ ימים עלה על ארקילאוס חיל הרומיים ויאסרהו שר ההיל בנחשתים וישלחהו אל רומי וימת שם: *Post quintum diem* (a somnio Archelai) *adscendit contra Archelaum exercitus Romanorum, cujus dux illum catenis constrinxit, misitque Romam ubi mortuus est*. Consentit autor in deportatione, licet modi & loci definitione aberret.

XII. Sed gravissima lis, ut prædiximus, de *Herode* tetrarcha est, & *Agrippa* rege, quos distinguit Josephus ut filium Herodis, Baptistæ interfectorem, Antipam singulari nomine, eundemque tetrarcham Galilææ, non regem, in Galliam a C. Cæsare relegatum: & alterum Agrippam Herodem, Herodis magni ex Aristobulo, quem interfecerat, nepotem, a Cajo Cæsare tetrarchiis Philippi & Lysaniæ, ac regio nomine ornatum, postea etiam tetrarchia Antipæ a Claudio Judææ quoque & Samariæ regionibus auctum sed brevis imperii regem, vix tertio Claudii expleto anno fataliter peremtum. Harduino autem unus idemque est Herodes longo tempore tetrarcha, tandem etiam rex, atque sic idem qui Baptistam & Jacobum, Johannis fratrem, interfecit. Quam sententiam nunc nostrum est diligentius examinare.

XIII. Primum in eo Harduinus est, ut tetrarcham Herodem non Judæum, nec proselytum, sed gentilem fuisse persuadeat *pag.* 54. *seq.* At vero qui natus est Judæo patre; & ea gente oriundus, quæ tota ante nonaginta annos proselytorum lege Judæis adscripta fuerat: & qui præfuit genti Judaicæ, ut Galilæi erant: ac quotannis ad sacra Judæorum profectus Hierosolymam est, & Johannem Baptistam libenter audivit; hunc Judæis ritibus initiatum fuisse negabimus? Natus is erat Herode rege, Judaismi observatore, ut præter Josephum vel ex Augusti joco apud Macrobium *lib.* II. *Saturn.* cap. IV. *Melius est Herodis porcum esse quam filium*, apparet. Non exstat in Scripturis sanctis, tetrarcham hunc regis Herodis filium esse, quod Josephus adfirmat; sed si Josepho non credemus, evincit vetus inscriptio, a diligentissimo viro Jac. Sponio *Miscell. Erud. Antiq. f.* 338. in lucem producta: ΗΡΩΔΗΝ ΗΡΩΔΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΥΙΟΝ ΤΕΤΡΑΡΧΗΝ &c. Nec illa ætate Idumæi, unde Genus Herodes ducebant, proselyti, sed Judæi erant, a longo tempore in Judaismum recepti, adeo, ut Scaliger ad *Euseb. Animadvers. pag.* 165. probet, Herodem majorem proselyti abnepotem exstitisse. Quæ satis confirmant, non ita tetrarcham, ut ἕλληνες, *Græci*, *Johann.* XII. *vers.* 20. quod Harduinus credit, Hierosolymam sacrorum caussa profectum, sed tanquam Judæum & Judaica sacra plenissime professum, quod autem *pag.* 56. ex illicito conjugio, cum fratris uxore inito, & ab Johanne improbato, contra Judaismum tetrarchæ argumentum petit; nobis plane contrarium videtur; nec dignum, cui multis verbis respondeamus.

XIV. Deinde ex nummo & nummero annorum tetrarchiæ Josephum falsitatis incusat. Is ita scalptus Græcis literis est: ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ. ΜΓ. & in altera facie ΓΑΙΩΚΑΙΣΑ, ΓΕΡΜ. ΣΕΒ. sive ut eminentissimus vir Henric. Noris, singulari dissertatione *de Nummo Herodis Antipæ*, æri incisum expressit, in anticæ laurea ΓΑΙΩΚΑΙΣΑ. ΓΕΡ.... ΝΙΚΩ: in postica circa palmam ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ, cum anni literis ΜΓ. Ex quo constare videtur sub Cajo Caligula XLIII. annum tetrarchiæ Herodem egisse. Sed nec hoc Josephi historiæ repugnat, qui non sub alio, quam Cajo principe, relegatum tetrarcham dixit, & postremo quidem illius anno. Vide *Antiq. Jud. lib.* XVIII. *cap.* IX. Et laudatus Norisius pro docta sua computandi ratione ita calculum disponit, ut hinc XLIII. tetrarchæ annus cum ultimo Caligulæ bene conveniat. Quod si vero aliam & vulgarem rationem numerus tetrarchiæ excedere videatur; non inconveniens erit dicere, Antipam a vivo patre, seu aliquot ante mortem annis, Galilææ fuisse præfectum, sicut ipse pater Herodes ab Antipatro parente suo, adhuc superstite & principatum tenente, ut supra diximus, eidem Galilææ præpositus fuerat. Hæc satis tuendo calculo sunt, si utique non

non alia æra, quam tetrarchiæ acceptæ, intelligenda ſit.

XV. Ad hæc unum eſſe tetrarcham & regem ex communi nomine *Herodis* Harduinus putat, quum Scriptura neque *Antipæ*, neque *Agrippæ*, majoris, nempe, nomen habeat. Sed nihil proficit. Etiamſi enim diſcriminationis nomina, quæ Joſephus pandit, Scriptura, non uſurpaverit; habet tamen alios diſcernendi ſatis claros characteres, dum v. gr. *Act.* XII. & XIII. utroque ineunte capite, alterum Herodem *regem*, alterum *tetrarcham* nominat, qui ſane diverſi honores & munia ſunt. Et quoties alii ſcriptores *Antiochos*, *Ptolemæos* nominant, non appoſito, quo differant invicem, ullo cognomine? Juſtinus quidem Martyr Dial. contra Tryph. *pag.* 330. Herodem quoque Herodis, ſub quo natus Chriſtus eſt, filium βασιλέα, *regem*, vocat, ſed dum βασιλέα Ἰουδαίων, *Judæorum regem*, & διάδοχον *ſucceſſorem patris* appellat, ſatis imperitiam hiſtoricarum rerum prodidit.

XVI. Ad alium itaque nummum *pag.* 48. vir clariſſimus provocat, in quo ſcriptum eſt ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔ.... ΥΔΙΟΣ: & in altera parte ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩΕ Τ. Γ. *Rex Herodes Philoclaudius & Claudio Cæſari Auguſto*, *an.* III. Quid cogit vero, ut de Herode Herodis filio hæc intelligamus, aut quid impedit, quo minus cum ſummo viro, quem iterum honoris cauſſa nominamus, Ezech. Spanhemio, *pag.* 443. de Agrippa Majore interpretemur? Is ſane, Joſepho teſte *lib.* XIX. extremo, tres annos vixit in aucto ſibi a Claudio regno, in cujus beneficii profeſſionem *Philoclaudius* cenſeri voluit, & aliquot regni ſui urbes, ut Gabam, Tiberiadem, *Claudias* appellavit, quod ſupra laudatus Henricus Noris in Epoch. Syro-Maced. *pag.* 389. & 463. itidem ex nummis declaravit. Quo & illum nummum referendum putamus, quem Lucas Holſteinius, Germanorum quondam inter Italos decus in Spephan. Byz. *pag.* 154. ex Barberina gaza oſtendit, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ, & in averſa. ΚΛΑΥΔΙΑ ΚΑΙΣΑΡΙΑ, *Rex Herodes Claudia Cæſaria*.

XVII. Hic eſt ille Herodes, Joſepho *Agrippa major* cognominatus; cujus mentio facta eſt XII. *cap.* Apoſtol. Actuum. Quod ſi Joſephi teſtimonium pro more ſpreverit vir doctiſſimus Harduinus; nequaquam tamen contemni licebit antiquiſſimi interpretis Syri ſuffragium, qui ut omnem ſcrupulum eximeret, non tam interpretem quam paraphraſtam egit, dubitabilem locum *cap.* XII. *comment.* I. ſumma perſpicuitate, ita interpretatus, ܗܪܘܕܣ ܡܠܟܐ : ܗܘ ܕܡܬܟܢܐ ܐܓܪܝܦܘܣ *Herodes rex, qui cognominatur Agrippas*. Quid clarius dici potuiſſet, & quidem in tanta antiquitate, qua vix majorem habere poſſumus? Sic omnes codices ferunt, nec quidquam variantis lectionis obſervatum unquam eſt, unde de novitate, aut interpolatione conjici fortaſſis poſſit.

XVIII. Quum ergo vir clariſſimus nihil ex nummis adferat, quo recepta ex Joſepho de Herodibus ſententia evertatur; utique in ea perſtantes, Act. XII. Herodem Agrippam, Ariſtobuli filium, cui Claudius Cæſar avitum regnum donaverat, intelligendum eſſe cenſemus. Hinc a Tiberio, cui maledixerat, in vincula conjectus, a Cajo Cæſare ſolutus & rex tetrarchię Philippi & Lyſanię factus, poſt tertium annum ab eodem tetrarchę Herodis poſſeſſionem accepit: mox a Claudio Samariam quoque & Judęam, ut ſic omnem Palæſtinam ſive Iſraelis terram, per triennium, ad fatalem uſque mortis pœnam, ab Joſepho non minus quam a S. Luca licet ab illo obſcurius) notatam, poſſederit. Vide *Antiq. Jud. lib.* XIX. *extr.* & *Dion. Caſſ. lib.* LIX *pagin.* 645. & *lib.* LX. *pag.* 670.

XIX. Accedit egregium ab hoſte teſtimonium, Juſto nempe Tiberienſi, Galilæo, cui graves inimicitiæ cum Joſepho, æquali ſuo interceſſerunt, nihilominus cum iſto in Herodum diſtinctione conſentiente. Ex ejus chronico Photius, *Biblioth. cod.* XXXIII. hæc excerpſit: Ἄρχεται τῆς ἱσοείας ἀπὸ Μωσέως, καταλήγει δὲ ἕως τελευτῆς Ἀγείππα τοῦ ἑβδόμου μὲν τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας Ἡρώδου ὑςάτου δὲ ἐν τοῖς Ἰουδαίοις βασιλεῦσιν Ὅς παρέλαβε μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπὶ Κλαυδίου εὐξήθη δὲ ἐπὶ Νέρωνος, καὶ ἔτι μᾶλλον ὑπὸ Οὐεσπασιανοῦ. τελευτᾷ δὲ ἔτει τρίτῳ Τραϊανοῦ. Hoc eſt, in Herodum regnatrice familia ſeptimum ac ultimum fuiſſe Agrippam minorem, qui ſub Claudio regnare cœperit: vita exceſſerit anno tertio Trajani. Bene autem hic numerus cum Joſepho convenit, cui I. eſt *Herodes Magnus*: II. *Archelaus*: III. *Philippus*: IV. *Antipas*: V. *Agrippas major*: VI. *Herodes Chalcidus*: VII. *Agrippa minor*.

XX. Negat Harduinus Herodem Actuum Apoſtolicorum Judææ imperaſſe, aut provinciam Romanam rurſus regnum fieri potuiſſe. At quot exempla in Aſia ſunt, Ciliciæ, Ponti, Syriæ Commagenæ, ubi, provinciæ formulis abrogatis, regna reſtituta ſunt? Ex Tabulis, Hiſtoriæ Antiquæ noſtræ ſubjectis, omnia clariſſime dilucent. Sed Hieroſolymæ forſan hoſpes fuit, ut tetrarches Herodes, cui victum Ser-

vatorem Pilatus ſubmiſit. Apoſtolos itaque tanquam Galilæos, ad Galilææ principem, forte præſentem, procurator Cæſaris remiſit, præſertim in cauſſa non civili, ſed religionis Judaicæ. Ita ſentit & interpretatur ſæpe laudatus Harduinus *pag.* 55. Verum haudquaquam hæc ſufficiunt ad ſenſum Lucæ interpretandum. Si hoſpes tantum fuit; unde poteſtatem ſupplicii in milites præſidis Romani habet, neglectæ cuſtodiæ reos? nam XIX. commate ejuſdem capitis, ἐκέλευσε ἀπαχθῆναι, *duci ad ſupplicium* & ſecuri feriri *juſſit*, quod Latini etiam ſimpliciter *duci* dicunt. Plinius de Chriſtianis ad Trajanum epiſtola, *perſeverantes duci juſſi*. Vide quę ibi adnotavimus. Syrus interpres rurſus perſpicue, ܘܚܝܒ ܐܢܘܢ ܠܢܛܘܪܐ ܘܦܩܕ ܕܢܬܩܛܠܘܢ *condemnavit illos cuſtodes, & præcepit interfici*. Addo: ſi hoſpes tantum fuit, cur Hieroſolymis Cæſaream diſceſſit, & διέτριβεν, *habitavit* ibidem tanquam in regia ſua? Quando autem provincia erat Judęa; non Galilęi principis, ſed pręſidis Romani ſedes Cęſarea erat, uti ex Felicis & Feſti hiſtoria longe eſt clariſſimum.

XXI. Ipſe nummus, quo Harduinus gloriatur, inſcriptus ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, *Rex magnus Agrippas Claudii amicus*, pro Joſephi ſententia cum primis facit. Si enim *magnus rex* ille fuit, uti fuit, nummo pręferente; omnino ſequi oportet, ut majores poſſeſſiones, quam geminam tetrarchiam, ab Harduino ipſi tributam, Galilęę & Philippi, (vide *pagin.* 65.) tenuerit, quę vix *regis* aut *reguli* nomine, ne dicam *magni*, dignę habebantur. Joſepho autem hic Agrippa amplioris regni, aviti nempe, ſeu totius Palęſtinę dominus laudatur, a quo minus ambitioſus ille titulus abhorret.

XXII. Diximus ſupra de religione Herodis illius tetrarchę: a quo diverſum Herodem regem eſſe, *Act.* XII. memoratum, quum demonſtraverimus; de ejus etiam religione diſpicere non nullum in hiſtoria pretium erit. Harduinus, cui unus eſt tetrarcha & rex, eodem loco negat, qui Jacobum occiderit, Judęum fuiſſe. *Nec proſelytum*, inquit, *pag.* 55. *neque Judæum fuiſſe, Lucas aperte declarat; qui eum non ſtudio religionis impulſum, ſed*, Quia placeret Judęis, *bellum Chriſtianis indixiſſe narrat*. Anne vero Judęi non ſunt, qui *Judæis ſtudent placere*? Sic neque Romani fuiſſent, qui *populare* dicebantur effuſis patrimoniis, ut populo placerent, ejus favorem ſibi & ſtudium populi conciliantes: nec ex imperatoribus Romani, qui ob eandem cauſſam *civiliſſime*, ut Eutropius ait, ſeſe imperio geſſerunt.

XXIII. Hujus Agrippę frater fuit *Herodes, rex Chalcidenſis*, Joſepho autore *lib.* II. de Bello *cap.* XIX. *Gr.* (Lat. cap. X.) cujus nummum Petrus Seguinus, vir hujus ſtudii peritiſſimus, produxit, ita ſignatum in laurea: ΚΛΑΥΔΩΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΤ. Ε. id eſt, *Claudio Cæſari Auguſto anno* V. & in averſa parte, ſenili capiti, & faſcia regali pręcincto circumſcriptum: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔ..... ΥΔΙΟΣ, *Rex Herodes* φιλοκλαύδιος Harduinus contra pag. 58. *Quid ſi non tantum nullus Herodes Chalcidicus, ſed neque regnum Chalcis ullum fuit?* Ita facillime cenſet pręjudicio occupatus, falſa omnia eſſe, quę ex ſola Joſephi hiſtoria promuntur. Hic vero Herodem, Agrippę fratrem, *lib.* XIX. *cap. ult.* dicit τῆς Χαλκίδος δυναστεύοντα, *Chalcidis dynaſtam*: & *lib.* II. de Bello *cap.* XIX. de eodem, ἦρξε τῆς Χαλκίδος, *regnabat in Chalcide*. Immo *rex* a Claudio appellatus in epiſt. apud Joſeph. *lib.* XX. *cap.* I. Momentum quęſtionis ex eo pendet, an quinto Claudii anno ſuperfuerit Herodes Agrippa, quod vero ſimile non eſt, etiam contra Euſebium, qui in Chronicis *quarto* imperii anno interiiſſe dicit, quod laudat & approbat Scaliger Animadverſ. *pag.* 189. Quid? quod Dio Caſſius, incorrupta fide Autor, *lib.* LX. *pag.* 670. de Claudio Cęſare: ἀδελφῷ αὐτοῦ Ἡρώδῃ δυναστείαν τινὰ ἔδωκε, *fratri* (majoris Agrippę) *principatum quemdam dedit*, quem Joſephus *lib.* XIX. *cap.* IV. &c. nominatim ſignificat non alium, quam *Chalcidium* fuiſſe. Nondum ergo ſatis rationis eſt, ut ab Joſepho & Euſebio refugiamus, quibus cum bene etiam Dio, ut cognovimus jam, concordat.

XXIV. Filius *Agrippa*, ſupereſt, in Actibus Apoſtolorum *cap.* XXX. cum ſorore *Berenice* memoratus. Hic Romæ apud Claudium erat ſeptemdecim annorum adoleſcens, quum de morte patris nuntius adferretur. Cui ſucceſſorem hunc Claudius conſtituiſſet, niſi amici admonuiſſent, periculoſum eſſe limitaneum regnum, ut Judaicum erat, puero regi committere. Rurſus itaque in provinciæ formam Judæa cum ceteris Agrippæ poſſeſſionibus redacta, Cuſpio Fado miſſo, qui præſes ordinaret regetque. Vide Joſephum extremo lib. XX. Negat Harduinus Judæam iterum provinciam factam, quæ nunquam ceſſaverit, poſtquam ſemel facta ſub Auguſto fuerat. Reſpondimus ſupra ſectione XIX. exemplis regionum in Aſia, quæ ex Romanis provinciis regna,

& rursus provinciæ factæ fuerant. Nunc Taciti suffragium accedat ex lib. v. Histor. *cap.* IX. *Claudus defunctis regibus, aut ad modicum redactis, Judæam provinciam equitibus Romanis aut libertis permisit.*

XXV. Nec vero Agrippæ filius, regno caruit, sed id non statim post mortem patris consequutus est. Josephus Scaliger in Euseb. *pag.* 189. *Non statim*, *ait ab obitu patris regnum illi traditum, sed nomine Cæsaris tamdiu administratum, quo ad Rex tutelæ suæ fieret.* Idem paucis interjectis ad Taciti verba annali XII. *cap.* XXIII. Ituræi & Judæi, defunctis Regibus Sohemo atque Agrippa, Provinciæ Syriæ additi, *Intelligendum*, inquit, *Ituræos Syriæ perpetuo additos fuisse: Judæos autem, quoad Agrippa Junior ad tutelam suam perveniret. Sed quinquennio post obitum Agrippæ senioris hoc contigisse quis credat, nisi qui in ratione temporum, & historia externa. Corn. Tacitum non semel, neque leviter peccasse meminerit.* Malim aliter scripsisse vir maxime dignitatis. Bene enim inter Tacitum atque Josephum convenit. Mors Agrippæ majoris, ut supra ex Josepho & Eusebio ostensum, in annum IV. Claudii incidit. Minor Agrippa, XVII. annorum puer, non successit patri, cujus regnum provinciæ formam subiit, aut Syriacæ provinciæ adjectum fuit. Nono imperii anno, ineunte, hoc est C. Pompejo & Q. Verannio Coss. in Chalcidico regno, Herodi patruo, haud dubie tum morituro, Agrippam, Agrippæ filium, imperator Claudius suffecit: sed quadriennio post, hoc est imperii sui duodecimo anno, demta Chalcide, eidem Philippi & Lysaniæ tetrarchias, hoc est Trachonitidem, Baranæam, & Abilenam donavit, quum interea Judæa, Samaria, & Galilæa, ac reliqua ejusdem juris, a præside Romano usque ad excidium urbis regerentur. Vide Josephum *lib.* XX. *cap.* V. Diu præfuit regno suo Agrippa, per quinquaginta annos, ab IX. Claudii ad III. Trajani. Photius enim patriarcha, *Cod.* XXXIII. Bibliothecæ, ex Justo Tiberiensi, qui æqualis Josepho fuit, verbis supra adlegatis hæc recenset: Ἄρχεται τῆς ἱστορίας ἀπὸ Μωσέως, καταλήγει ἕως τελευτῆς Ἀγρίππα τοῦ ἑβδόμου μὲν τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας Ἡρώδου, ὑστάτου δὲ ἐν τοῖς Ἰουδαίων βασιλεῦσιν· ὃς παρέλαβε μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπὶ Κλαυδίου, ηὐξήνθη ἐπὶ Νέρωνος, καὶ ἔτι μᾶλλον ὑπὸ Οὐεσπασιανοῦ. τελευτᾷ δὲ ἔτει τρίτῳ Τραϊανοῦ. Hoc est: *Incipit* (Justus) *historiam a Mose: desinit in morte Agrippæ, septimi illius e familia Herodis, & ultimi inter Judæorum reges. Qui regnum sub Claudio accepit, quod auctum a Nerone est, magisque a Vespasiano. Mortuus anno tertio Trajani.* Multa numismata hujus regis supersunt cum Vespasiani, Titi, Domitiani iconibus percussa, quæ summus patronus noster Ez. Spanheimius de Præst. & usu numism. *pag.* 864. ostendit, quorum illud, quod cum Vespasiani effigie est, in postica habet: ΕΤΟΥ ΚΘ ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ *anno* XXIX. *regis Agrippa*, quod satis argumentum est longævæ dominationi.

XXVI. Hæc de Herodibus eorumque ordine & successione. Quod reliquum eorum est, quæ contra Josephum Harduinus urget, nunc vindicandum nobis sumimus. Cujus fidem ille ut omnibus suspectam faciat, primum objicit, *Antipæ* nomen, quod Josepho debemus, in nummis & inscriptione supra *num.* XIII. adducta non apparere. At vero si id valeret, etiam *Archelai* nomen suspectum foret, quod, ut ipse Harduinus fatetur, in nummis non occurrit, & pro illo *Herodes* apud Cassium invenitur. Quale autem sit *Antipæ* nomen, Gorionides *cap.* LXIII. ineunte ostendit, qui אנטיפטר, *Antipatrum*, Græco nomine appellat, ex quo fit *Antipas*, sicut ex Harpocrates *Harpocras* apud Plinium *lib.* X. *epist.* V. Pergit Harduinus Josepho falsitatem objicere, dum Herodem Antipam modo in Galliam, modo in Hispaniam relegatum dicat. Sed & hæc perfacile conciliari possunt, quum in Galliam primum, deinde ut gravior pœna esset, in Hispaniam usque, atque sic longissime a patria, abduci potuerit. In Hispaniam missum fuisse Gorionides quoque *cap.* LXIII. & Rabbi Ganz. *pag.* 36. confirmant, ספרד locum exsilii nominantes, quæ Judæis Hispania est. Ad hæc ex eo etiam suspectum vult Josephum reddere *pag.* 51. quod Claudium in imperio capessendo ab Agrippa, qui forte Romæ erat, adjutum scribat, quum non pronum ad fidem sit, ditionis barbaræ regulum consiliorum senatus arbitrum fuisse. Sed & heic non deest, qui Josephi fidem tueatur, Dio Cassius *lib.* LX. *pag.* 670. de Claudio: τῷ Ἀγρίππᾳ τῷ Παλαιστινῷ, συμπράξαντί οἱ τὴν ἡγεμονίαν (ἔτυχε γὰρ ἐν τῇ Ῥώμῃ ὤν) τὴν ἀρχὴν προσεπηύξησε *Aggrippæ Palæstino, qui eum in potiundo principatu adjuverat, regnum auxit.*

XXVII. Alia via vir clarissimus Josephum adgreditur, templi Hierosolymitani novam structuram, quam ille *lib.* XV. *cap.* XIV. Herodi tribuat, *confictam* in magnificentiæ prædicationem esse, *pag.* 32. objiciens. Non autem confictam esse illam templi instaurationem, etiam ex divino scriptore Joann. cap. II. comm. 20. non ob-

obscure probatur. Illi enim XLVI. anni οἰκοδομήσεως, ad Zorobabelis templum, quod quadriennio perfectum fuit (Esdræ VI. 15.) referri non possunt. Neque cum provincia Judæa esset, cessavit templum renovari, nec vero auspiciis Romani illud præsidis fiebat. Cæsares enim principi cuidam Judaici generis hanc sacrorum & templi curam permisere, ut Agrippa majore sublato, Claudius Herodi fratri, Chalcidensi regulo, concessit, Joseph. lib. XX. cap. I. & III. quod jus postmodum Agrippæ minori mansit, usque ad templi & urbis eversionem. Vide ibidem cap. VII. & cum primis cap. VIII. f. *699.* ubi de Agrippa rege dicitur, ἐπεπίςευτο ὑπὸ Κλαυδίυ καίσαρος τὴν ἐπιμέλειαν τῦ ἱερῦ, *templi curam ei Claudius Cæsar concrediderat;* quamvis neque Herodi illi, nec Agrippæ juniori in Judæam vel Hierosolyma quidquam juris fuerit, quod omne penes præsidem seu procuratorem erat.

XXVIII. Aliud crimen Josepho Harduinus impingit, ex quo constare putat, auctoriali Palæstinam non fuisse conspectam, quia *lib.* XV. *cap.* XIII. Cæsaream Palęstinę ἐν τῇ Φοινίκῃ, *in Phænice*, posuisset, Novum crimen & ante inauditum, cujus si reus Josephus agendus est, ante hunc princeps geographorum Strabo quoque condemnari debet. Hic enim *lib.* XVI. *pag.* 520. *Jam Cœlesyria peragrata*, ἐπὶ τὴν Φοινίκην μέτειμεν, *in Phœnicem transimus*. Recensitis urbibus, tandem claudit *pag.* 523. hisce verbis: Τοιαύτη μὲν ἡ Φοινίκη *Hactenus de Phœnicia.* Medio sermone & in mediis Phænices urbibus infit: Μετὰ τὴν Ἄκην, Στράτωνος πύργος πρόσορμον ἔχων, *post Alcen* (quæ Ptolemais est) *Stratonis turris*, *navale habens*. Hæc autem ipsa Cæsarea. Plinius *lib.* V. *cap.* XIII. *Stratonis turris*, *eadem Cæsarea*, *ab Herode rege condita*. Quo jure nunc Josephus accusatur, qui idem sensit quod Strabo, quod alii geographorum historicorumque? quibusdam longior in austrum Phœnicia procurrit, licet aliis angustiori limite definiatur. Livius *lib.* XXXV. *cap.* XIII. *Antiochus rex*, *ea hyeme Raphiæ in Phœnice Ptolemæo regi Ægypti filia in matrimonium data*, -- *extremo jam hiemis Ephesum pervenit*. Raphia autem prope Ægypti fines ad mare est.

XXIX. Tandem etiam de *Hasmonæorum regno*, Josephum Harduinus sublestæ fidei insimulat. At vero diu ante Josephum Strabo *lib.* XVI. *pag.* 524. in Syriæ & Judææ enarratione: πρῶτος ἀνθ' ἱέρεως ἀνέδειξεν ἑαυτὸν βασιλέα Ἀλέξανδρος, *primus pro pontifice se regem fecit Alexander*, qui & Jannæus erat; Hyrcani & Aristobuli pater: quod satis ad *fabulam*, quam objicit Harduinus, diluendam est, licet in eo corrigendus Strabo sit, quod Alexander hic non primus fuerat, qui diademate & regis titulo uteretur, sed frater ejus Aristobulus eodem honore antecessit. Ad hoc, credo, inductus est vir clarissimus, quod nummos forsan Hasmonæorum regum non repererat. Sed sic multæ & præstantissimæ partes historiarum negandæ forent. v. gr. Imperium Trapezuntinum, quod per CCL. annos stetit, ab Alexio Comneno conditum, quum Constantinopolis in Latinorum potestatem venisset; ex nummis adhuc illustrari nondum potuit, nec peritissimi viri eos videre se meminerunt. Nec vero propterea fabula est quod Nicetas, Paullus Venetus, Chalcocondyles de illo narraverunt.

XXX. Denique in foro quoque Grammaticorum Harduinus reum Josephum facit: *Taceo*, inquit *pag.* 64. *de Josephi solœco*, Ἀγείππυ, *quod etiam in codd. MSS. legitur*, *pro* Ἀγείππα, *ut nummi exhibent ipsius Agrippæ*, *quicum vixisse vult videri*. Sed bona verba, quæso. Solœcum non est, quo optimi Græcitatis scriptores usi sunt. Gemina forma gignendi casus in his nominibus est, & Ἀγείππα quidem *Act. Apost.* XXV. 23. & apud Xiphilinum Vespasiano tam Stephani editione *pag.* 222. quam Sylburgii *pag.* 322. reperitur, nec vero solœca est altera in υ terminata, qua Plutarchus in Antonio *pag.* 946. Dio Cassius ineunte *lib.* LII. Appianus Alexandrinus B. Civ. *lib.* V. & elegantiorum imitator Zonaras in Augusto, usi sunt. Hosne ergo solœcismi accusabit Harduinus? Nec in aliis propriis, in ας finitis, inusitatum est. v. gr. Αἰνέυ Ἀρέτυ Μαιχήνυ· Theodorus Gaza, Isagog. *lib.* I. *pag.* 4. κλίνεται Αἰνέας, Αἰνέυ & nummus ab Andr. Morellio, sagacissimo antiquitatis scrutatore, in Specim. *Tab.* XXIII. nuper productus: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΕΤΟΥ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ: & ipse Dio Cassius d. l. μετὰ τε τῦ Ἀγείππυ καὶ τῦ Μαιχήνυ. Neque alterius formæ, quam solam Harduinus Græcam putat, ignarus fuit Josephus noster, quod vel uno exemplo satis sit ostendisse. *Lib.* XIV. *Antiquit. cap.* II. *pag.* 469. Πέτρα, τὰ βασίλεια τῦ Ἀρέτα.

XXXI. Super est, quod infantium eædem de industria præterierit, *ne legisse sacras Novi Testamenti literas videretur: pag.* 36. Etiam Scaligero in Euseb. Animadvers. *pag.* 176. *mirum est*, *tam belluinæ crudelitatis exemplum ab Josepho præteritum esse*, *qui tanta diligentia*, *reliqua sævitiæ Herodianæ facinora persequitur*.

Mi-

Miramur ipſimet; nec vero id ſatis putamus eſſe ad fraudem ſcribentis, quo Harduinus refert, evincendam. Fieri enim alia de cauſſa potuit, & ſi qua culpa eſt in Nicolaum Damaſcenum potius, quam Joſephum, illa rejicienda. Iſte enim haud dubie prȩteriit, quia vivente Herode ſcripſit, cujus amicus & orator ad Auguſtum fuit; quem dum preſſe, uti non diffitetur, Joſephus inſequutus eſt: forte accidit, quod aliis pluribus accidiſſe novimus, ut non dedita opera, ſed partim memoriȩ lapſu, partim tenaci prȩeuntis perſequutione, deteſtabile factum effugerit animum, memoriam & manum ſcribentis.

CL. V. Joh. Harduinus *pag.* 39. νοθείας ſcriptores accuſat, qui Romanos *imperatores* vocant βασιλέας, & *imperium* illorum βασιλείαν. Eſto, exoſa Latine fuiſſe vocabula *regnum* & *rex*: Grȩca tamen mitius fuerunt, nec invitis Romanis, habita. Herodianus *lib.* I. *cap.* II. de Marco imperatore, βασιλεύοντ Μάρκου: & *cap.* VII. de Commodo, τὴν τοῦ βασιλέως ἄφιξιν; ac ibidem de Fauſtina auguſta, βασίλισσα. Et ante Herodianum Pauſanias Phoc. *cap.* XVI. βασιλεὺς Ἄυγουστος: & Dionyſius Perieg. v. 1052.

Ἀυσονίου βασιλῆος, ----

Auguſtum Cȩſarem, ſub quo ſcripſit, deſignans: ac Diodorus Siculus ecloga *lib.* XXXV. ΙΝΠΕΡΑΤΩΡ αὐτὸν ἀναγορεύειν καὶ ἀποκαλεῖν, ὅ ἐστι βασιλέα. Non eſt itaque quod cum Harduino τὸν βασιλέα ὑπερέχοντα I. Petri II. comm. 14. de Polemone malimus, quam cum Grotio de Romano imperatore, interpretari. Sequiori ȩvo ita βασιλέως vocem ſibi Conſtantinopolitani vindicarunt, ut ceteros reges, etiam ipſos Germanicos imperatores, ȩgre βασιλέας, ſed tantum ῥῆγας (a ῥὴξ, *rex*) appellaverint. Exempla proſtant paſſim in Hiſtoria Byzantina.



D. SA-

D. SALOMON. DEYLINGII OBSERVATIO DE FAMILIA ET GENEALOGIA HERODIADUM.

I. FRequens in Scriptura Novi Testamenti *Herodiadum* mentio est, & cognitio hujus familiæ, ad plurima Evangelistarum loca recte intelligenda, & illustranda, summe necessaria videtur. Regnante Herode Johannes Baptista, & *Christus*, nati sunt, *Luc.* I. *Matth.* II. Regnante Herode Johannes interficitur, *Matth.* XIV. Herodes *Christo* insidiatur, *Luch.* XIII. 31. eidemque illudit, *Luch.* XXIII. II. Regnante Herode Jacobus interimitur, & Petrus in vincula conjicitur, *Actor.* XII. Permultum igitur refert, nosse seriem familiæ, & explicare posse, de quo Herode in quolibet Scripturæ loco sermo sit.

II. Vir doctissimus *Bernardus Lamyus in Apparatu Chronol. Part.* II. *cap.* III. §. IV. *pag.* 141. Herodem generis obscuri & incerti fuisse ait, quia *Josephus* eum vocat ὀικίας δημοτικῆς, ϗ γένους ἰδιωτικοῦ *plebeii generis*, & *privatæ domus*. Verum *Jos. Scaliger* in *Eusebianis* dudum animadvertit, *Josephum* his verbis tantum indicare voluisse, quod Herodes non fuerit ἐκ τοῦ ἱερατικοῦ γένους *ex ordine sacerdotali*, sicut Hasamonæi, & quod in ejus majoribus nullus Rex fuisset. Vid. *Casaubonus Exercit.* I. *contra Baronium p. m.* 24.

III. Pervetus traditio est, Herodis M. avum servum in Templo quodam Apollinis Ascalonitico fuisse, quam *Africanus* in *Epistola* ad *Aristidem*, tanquam verissimam, & a Servatoris nostri cognatis acceptam, ennarravit. Latrones scilicet Idumæos, cum Ascaloni Palestinæ civitati supervenissent, ex delubro quodam Apollinis, quod ad ipsos urbis muros positum erat, Antipatrum, Ἡρώδου τινός Ἱεροδούλου παῖδα *Herodis cujusdam Hieroduli filium* simul cum reliqua sacra præda captivum duxisse. Cum vero pro redemtione filii minister templi pretium solvere non valeret, Antipatrum Idumæorum more institutoque educatum, postmodum Hyrcani summi Judæorum Pontificis amicum effectum esse. Hanc de obscurioribus Herodiadum natalibus narrrationem, ex *Africani* Epistola descripta, *Eusebius* nobis conservavit in *H. E. lib.* I. *c.* VII. *f. m.* 22. Sunt, qui legunt ΙΈΡΟΘΥΤΟΥ, pro ΙΈΡΟΔΟΥΛΟΥ, ut efficiant, Herodis avum, non servum sacerdotalem, sed ipsum Apollinis sacerdotem fuisse At vero Hæc loci Eusebiani emendatio audax, vana, & a mente *Eusebii* peraliena mihi videtur, quippe qui illam cognatorum *Christi* traditionem eo narravit fine, ut Herodiadum gloriam, & dignitatem obscuram esse ostenderet, & multa alia inde deduceret, quæ Christianæ religioni faverent. *H. Valesius in Notis ad Euseb. H. E. f. m.* 14. hanc narrationem pro fabulosa & commentitia habet, quia Antipater patrem habuit non Herodem, Hierodulum Templi Apollinis, sed Antipatrum Idumæum, ut scribit *Josephus* Libr. XIV. Cap. II. Quem Antipatrum Alexander Judæorum Rex Præfectum totius Idumææ constituit. Et hic ipse Antipater primus fuisse videtur auctor hujus potentiæ, ad quam posteri ipsius postea pervenerunt. Nam & præfecturam Idumææ gessit Alexandro & Alexandra regnantibus; & hospitio atque amicitia cum Ascalonitis & Gazæis, & Arabibus inita, maximas sibi opes comparavit. Hoc *Valesii* est judicium de illa *Africani* apud *Eusebium* narratione, quod ex *Josepho* fuse confirmari potest. *Valesio* plerique ex eruditis suffragantur, sigillatim *Is. Casaubonus Exerc.* I. *contra Baronium p.* 21. Hoc tamen non impedivit *V. Cl. Basnagium*, quo minus Libr. I. Cap. II. *de Historia & Religione Judæorum* §. VIII. *p.* 30. in aliam discederet opinionem, existimas, hanc cognatorum Christi traditionem non esse spernendam, quod paullo post Herodiadum excessum e vita, illi vixerint in Palæstina, & familiæ seriem atque initia longe melius cognoscere potuerint, atque describere, quam recentio-

tiores. Nec ullam obſtare difficultatem, aut rationem ſatis idoneam cenſet, quo minus Herodis avus ſervus ſacerdotalis in templo Apollinis eſſe potuerit? Quidquid ejus rei ſit, tres certe generationes ſufficiunt, accedente rerum geſtarum gloria, & ſumma munerum dignitate, ad familiam altius evehendam & illuſtrandam, ut adeo dici hautquaquam poſſit, Herodis M. natales fuiſſe obſcuros. Avus quippe Antipas Idumæus, vir acer & militaris, ac Idumææ præfectus: Antipas autem, Patri cognominis, qui poſtea Antipater dici maluit, Vir inſignis Dynaſtarum, ac Regum amicus, Judææ provinciæ Procuratoris nomine præpoſitus fuit a Pompejo M. Hic enim Antipater Hyrcani Judæorum principis adminiſter & amicus Romanis Præſidibus ac Ducibus maximopere ſe commendavit. Quum Scaurus, primus Syriç Præſes a Romanis conſtitutus, cum Areta Arabum Rege bellum gereret ac frumento deficeretur, Antipater juſſu Hyrcani & frumenta & alia ad victum neceſſaria attulit, *Joſepho* teſtante *Libr.* XIV. *Cap.* IX. idem Antipater Cæſari etiam Ægyptum oppugnanti tria millia militum auxilio adduxit, ut notavit *Joſephus* Libro XIX. Cap. XIV. Quum vero Cęſar Hyrcano pontificatum confirmaſſet, etiam Antipatrum ob rem ad Peluſium pręclare geſtam, & aciem, quę inclinabat, reſtitutam, Judeę ἐπίτροπον ac procuratorem declaravit, & Hyrcano in gerenda Republica adjunxit. Videatur *Joſephus* Libro XIX. Cap. XV. & de B. J. Libro I. Cap. VII. & VIII.

IV. Ut de natalibus, ita de *religione* quoque Herodiadum diſputatur. *Epiphanius* traditionem cognatorum Servatoris noſtri ex *Euſebio* & *Africano* repetens, addit, Antipatrum cum filio de amplectenda religione Judaica ne cogitaſſe quidem, uſque dum viderent, ſuam gentilis fidei profeſſionem, ſaluti, ac fortunæ amplificandæ, apud Judæos valde ſibi obſtare. In hac opinione veterum plerique fuerunt, ſigillatim *Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone p.* 272. *Cyrillus Alexandr. Glaphyr. in Geneſ. Cap.* VII. *p.* 223. quos ex recentioribus ſecuti ſunt *Iſ. Caſaubonus Exercit. in Baronium p.* 44. *Serarius in Herodem p.* 20. aliique. Ab hac ſententia diſceſſionem fecit *Jo. Scaliger* Notis *in Euſebii Chronicon p.* 150. ubi contendit, Herodem fuiſſe Judæum. Idem *Baſnagius* nuper erudite probavit *l. c.* §. VIII. *&* IX. *p. m.* 31. 32. Certe conſentaneum eſt, Antipam, Herodis M. avum, cum Idumææ præficiendus eſſet, ad ſacra Judaica acceſſiſſe, non ſolum utilitatis, & ſuæ ſalutis firmandæ cauſſa, ſed ob hanc imprimis rationem, quod Hyrcanus, qui iſtam regionem ſibi ſubjecerat, omnes incolas ad amplectendam religionem Moſaicam coegit. Antipatrum Patris religionem ſecutum eſſe, propterea credo, quod minus veriſimile videatur, hominem ſacris Judaicis non initiatum, ſummum conſiliorum & arcanorum arbitrum fuiſſe apud Maximum Judæorum Pontificem Hyrcanum. Nuſquam etiam legimus, ſuperſtitionem paganam, aut idololatriam ei objectam fuiſſe. In eadem igitur religione, & Phazaelum, & Herodem, filios educaſſe cenſendus eſt. Quapropter Herodes, qui Patrem Antipatrum, & avum Antipam, factos ex Idumæis Judæos, & ut ipſi loquebantur, מתיהרים Ἰ'ϐδαιωμένϐς habuit, optimo jure inter Judæos refertur. Hinc graviſſimus illorum temporum ſcriptor, *Strabo* libro XVI. eum ἄνδρα ἐπιχώελον, *hominem Judæorum popularem* appellavit. Vid. *Iſ. Caſaubonus in Exercit. S. I. p. m.* 19. 20. In contentione Cæſareæ orta inter Syros & Judæos, de qua *Joſephus lib.* XX. *cap.* VII. Judæi ſibi principalem locum vindicant διὰ τὸ τὸν κτιςὴν τῆς Καισαρέιας Ἡ'ρώδην αὐτῶν βασιλέα γεγονέναι τὸ γένος Ἰ'ϐδαῖον, *quod Conditor Cæſareæ rex Herodes fuiſſet genere Judæus.*

V. De *patria* Herodum, quod ego ſciam, parum diſputatum eſt inter eruditos. Nam communi docetur conſenſu, Haſcalonem Herodiadum patriam fuiſſe. Nuper tamen *Joh. Harduinus*, Criticus in Gallia ſatis famoſus, in Libro *de Nummis Herodiadum* nova eaque peraudaci conjectura affirmare auſus eſt, Herodem fuiſſe Athenienſem, quod homines hujus nominis Athenis vixerint, & quia hæc Urbs Herodem ſuum benefactorem appellarit, facta in illius honorem Inſcriptione:

ΕΠΙ. ΕΤΕΡΓΑΣΙΑΣ. ΚΑΙ. ΕΤΝΟΙΑΣ.
ΤΗΣ. ΠΡΟΣ. ΤΗΝ. ΠΟΛΙΝ.

Verum dudum obſervarunt eruditi, non ſolum Athenis, ſed in multis aliis Romanorum, Græcorumque provinciis vixiſſe Herodes, & Inſcriptionem ab *Harduino* laudatam non ad Herodem Aſcalonitam, cujus Pater fuit Antipater, & avus Antipas, ſed ad alius familiæ Herodem pertinere, qui fuerit Imperatorum in ſua patria ſacrificulus. Conf. *Baſnagius l. c.* §. X. *p. m.* 34. Et quamvis verum eſſet, cives Athenienſes ἐυεργασίαν καὶ ἔυνοιαν Herodis, Judæorum Regis erga ſe, publica Inſcriptione laudaſſe, num colligi exinde poſſet, Herodem Hthenis natum fuiſſe?

VI. Sed tanta est Critici nostri audacia, tanta fingendi libido, ut universam Herodiadum seriem, qualem *Josephus*, scriptor domesticus, descripsit, corruperit, novumque systema Genealogicum, ex proprio ingenio vane excogitatum, obtruserit orbi erudito, in *Prolusione de Herodiadum nummis*, quod tale est:

HERODES, ETHNARCHA

Primum Judææ atque Samariæ, deinde Rex

ARCHELAUS	PHILIPPUS	HERODES
Rex Judææ ac Samariæ, *Matth.* II. 22. ubi *regnasse* dicitur *in Judæa pro Patre suo*, h. e. regnum obtinuisse paternum cum regio titulo.	Tetrarcha Ituræ & Trachonitidis. Uxor Herodias.	Tetrarcha primum Galilææ, deinde Magnus Rex adjecta Ituræa & Trachonitide.

AGRIPPA Magnum Rex Galilææ & Ituræ cum Trachonitide, cujus ætate capta sunt Hierosolyma. Uxor Berenice, *Actor.* XXV.

JULIUS AGRIPPA Rex, vice Cæsaris præfectus rei militari in Judæa & Palæstina, usque ad suprema fere Domitiani tempora.

JULIA BERENICE, Regina Magna.

VII. Hanc Herodiadum genealogiam nuper sibi impugnandam sumsit Celeb. *Basnagius* in erudito & eleganti Opere, quod aliquoties laudavimus, *de Historia & Religione Judæorum lib.* I. *cap.* II. & III. quam tamen *Joh. Harduinus*, literis ad *Ballonffeaum*, Hispaniarum Regis in Ducatu Luxemburgico Consiliarium datis, quæ exstant in *Operibus* Harduini *Selectis*, superiori anno Amstelodami excusis, *f. m.* 357. 358. partim vindicavit, partim ita emendavit, ut novum plane in hac Editione Genealogiæ Herodum exstruxerit systema, quod collectores *Actorum Erudit. Lips.* MDCCX. *pag.* 58. cum Genealogica Herodum serie prioris Editionis collatum, exhibuerunt.

N.

HERODES Ethnarcha Judææ ac partis Samariæ. | **ZENODORUS** Tetrarcha Galilææ & Ituræ.

ARCHELAUS Rex Judææ & Samariæ, *Matth.* II. 22. ubi *regnasse* dicitur *in Judæa pro patre suo*, h. e. regnum obtinuisse paternum integrum.

PHILIPPUS Tetrarcha Ituręę & Trachonitidis, Uxor Herodias. | **HERODES** Tetrarcha primum Galilææ, deinde Rex.

AGRIPPA Magnus Rex Galilææ & Ituræ cum Trachonitide, cujus ætate capta sunt Hierosolyma.

BERENICE. | **AGRIPPA** Rex vice Cæsaris Præfectus rei militaris in Judæa & Palestina, usque ad suprema fere Domitiani tempora.

Ad novum hoc systema suas etiam *Adnotationes* accommodavit *Harduinus*, in quibus rationes dissensionis suæ a priori opinione reddit. *Herodem M.* nunc fratrem facit Zenodori Ethnarchæ, Philippum & Herodem II. non affines, ut antea, sed filios ejusdem. Inscriptionem Sponianam, quam olim Herodi Tetrarchæ positam existimaverat, nunc spuriam, ut plerasque ex Græcia, judicat, quod Herodis Regis in illa dicatur filius. Sententiam de origine Herodum ex Athenis deserit *p.* 350. cum indignum censeat, niti eam lapide, cujus generis monumenta omnia spuria esse pronunciat. Elevat igitur Inscriptionis olim a se probatę, fidem, eo potissimum argumento, quod τῆς βȣλῆς τῆς ἐξ Ἀρέιȣ πάγȣ faciat mentionem, cum talis Senatus nunquam fuerit. Hæc omnia eo tendunt, ut lectoribus persuadeat, vetustis scriptoribus non esse credendum. *Harduinus* enim in scriptis suis nulla adhibet veterum monumenta, præter Latinam Editionem Vulgatam, & scripta *Herodoti*, *Ciceronis*, *Pliniique*, nec non nummos, quando iis locus est, Eclipsis Solis ac Lunæ, & Kalendarium Judaicum, quod, a Mosis inde temporibus, usu receptum fuisse arbitratur. Reliqua antiquitatis monumenta fere omnia in suppositiis habet. Hoc ei exprobravit *Bernardus Lamius in Apparatu Chronologico ad Concordiam IV. Evangelistarum pag. m.* 188. & 189. *Harduinus* repetit quidem hanc *Lamyi* objectionem *f.* 895. *Operum Sel.*, sed nihil expectatione dignum, aut, ad amoliendam adeo absurdæ opinionis invidiam, idoneum, respondet, nisi hoc, reliquos scriptores ne inter se quidem ipsos consentire, jure igitur negligi eos atque contemni.

VIII. Apud animum constitueram ire per singula capita, & insectari *Harduinum* κατὰ πόδα, ad vindicandam S. literarum, *Josephi*, *Dionis*, & veterum monumentorum fidem, quæ Criticus noster, qua est audacia ac petulantia, seculo post Christum natum XIII. in Gallia conficta esse, affirmavit, a cœtu hominum, quorum ætas & officina probe sibi sit nota, qui ducem suum & præsidem Severum Archontium appellaverint, quod nominis apud *Vopiscum* est illi, qui Firmi Tyranni nummos protulit. Hunc vero tam insignis fraudis architectum *Severum Archontium Harduino* nostro non alium esse, quam Fridericum II. Imperatorem, in quem characteres ænigmatici, quos suppeditat, optime conveniant, demonstrare annisus est Dn. la *Croze*, Potentissimo Borussiæ Regi a Bibliotheca, *in Vindiciis Veterum Scriptorum p. m.* 22. Verum re diligentius considerata, consilium mutavi, non propterea tantum, quod ipse *Harduinus*, Superiorum suorum jussu, hanc de veterum autorum suppositione sententiam abjecit, publiceque, ac solemni formula, quę *Tom.* XVIII. *Bibliot. Sel. Joh. Clerici* exstat, recantavit, sed quia ipsa hęc hypothesis, cui systema Herodum Genealogicum superstruxit, tam absurda & ab omni similitudine veri aliena est, ut ad eam

eam refellendam ne verbis quidem ſit opus. Quis credat, ſeculo, quo ad interitum ruebant elegantiores literę, & ſub barbarie ſcholaſticorum, tot diverſi argumenti libros, tam vario ſcribendi genere, atque paucorum annorum ſpatio, ex una aliquot falſariorum officina emanare potuiſſe? Quid dicemus de MStorum Codicum antiquitate, & varietate in literis pariter, & emendata ſcribendi ratione, quę ſeculi unius figmentum hautquaquam prę ſe ferunt? Manifeſtam certe Gręcę Linguę ignorantiam aut incredibilem nequitiam prodidit Criticus noſter, quando Agrippam a *Joſepho* μέγαν vocari cenſet per Gallicismum, quo *le grand Agrippa* pro majori natu dicatur, idque pro evidente ficti in Gallia *Joſephi* indicio habet. Oſtendit enim antea laudatus Dn. la *Croze l. c. pagin.* 54. hunc vocis ſignificatum, ex *Homero*, & *Cicerone*, Jeſuitę non ſuſpectis, quorum *ille* μέγας τῷ νηπίῳ opponit, *hic* expreſſe Κικέρων ὁ μικρὸς pro juniore dixit. Huic, ne quid excipiat *Harduinus*, addit locum *Marc.* v. 40. ubi Ἰακώβου τοῦ μικροῦ fit mentio. Legi meretur adverſus *Harduini* ſyſtema Viri doctiſſimi A *Des-Vignoles*, Verbi Divini Miniſtri Dorotheopolitę Epiſtola per erudita, *Vindiciis* antea laudatis ſubjecta, in qua illud refellitur ex obſervationibus Aſtronomicis, quales ſec. XIII. ineunte fingi per Europam ob defectum tabularum non poterant, quas tamen paſſim exponunt antiqui ſcriptores. Opponi poſſunt Faſti marmorei conſulares, qui, ſeculo XVI. demum detecti, melius ſępe cum libris conveniunt, quam cum Faſtis aliis, quos diutius habuimus. Refelli poteſt *Harduini* ſententia ex catalogis Archontum Athenienſium, qui paſſim apud Hiſtoricos texuntur, & qui magna ex parte cum Marmoribus Oxonienſibus conſentiunt, nec non ex menſibus Atticis ſeculo XIII. ignotis, & vix Patrum memoria in ordinem redactis.

IX. Deſtructo *Harduini* ſyſtemate, & veterum monumentorum fide breviter ſtrictimque aſſerta, veram Herodiadum ſeriem, genealogiam & ſucceſſionem ex *Joſepho*, domeſtico illorum temporum ſcriptore, trademus, qui *Euſebio* H. E. *lib.* III. *cap.* IX. ἄξιος πιστεύεσθαι *dignus viſus eſt, cui fides habeatur*.

HERODES M. Rex Judææ.

Filii Tetrarchæ			Nepotes ex ARISTOBULO juſſu Patris ſtrangulato		
ARCHELAUS Tetrarcha Judæorum per Annos VII. aut VIII.	PHILIPPUS Ituræ & Trachonitidis Tetrarcha.	HERODES Antipas Tetrarcha Galilææ.	HERODES Rex Chalcidis.	AGRIPPA Major univerſum regnum avi obtinuit.	HERODIAS primum Philippi, non Tetrarchæ, ſed obſcurioris Herodis Philippi, poſtea fratris Antipæ Uxor Matth. XIV.

Liberi AGRIPPÆ Majoris:

BERNICE.	AGRIPPA Minor.	DRUSILLA.

X. *Herodes* M. ſub *Chriſti* nativitatem univerſę Judęę, ac omnium Provinciarum, quę poſt ejus e vita exceſſum filiis obtigerunt, Rex fuit. *Harduini* aſſertum, quod Zenodorus Herodi M. mortuo ſuperſtes fuerit, dubium mihi eſt & perincertum. Scribit *Joſephus* lib. XV. cap. XIII. Tetrarchiam Zenodori donatam fuiſſe Herodi ab Auguſto anno Urbis DCCXXXIV. adeoque XVIII. ante natum Servatorem. Hoc teſtimonium confirmat *Dio*, ſcriptor externus, *lib.* LIV. Cumque Herode mortuo inter terras ab eo poſſeſſas reperta eſſet hęc Tetrarchia, Auguſtus partem illius Philippo ejus filio attribuit, teſte *Joſepho*. Rationem, quod Galilęa nempe, & Trachonitis ſub Herodis poteſtate non fuerint, hanc allegat *Harduinus*, quod Herodes nulla in his terris exſtruxerit fortalitia. Hoc aſſertum falſum eſt. Nam Herodes in Trachonitide bella geſſit contra incolas, latrociniis adſuetos, teſte *Joſepho lib.* XVI. *cap.* XIII. & fortalitia poſtea, ut in fide & obſequio eos contineret, exſtruxit. Vid. *Baſnagius loc. cit.* §. XIII. *p. m.* 42. Ceterum hic eſt ille Herodes, quo regnante Johannes Baptiſta, & Chriſtus, nati, *Luc.* I. *Matth.* II. Idem hicce Tyrannus magorum adventu & abitu ter-

territus, occidit infantes Bethlehemiticos:

XI. *Herode* mortuo, in tres filios regnum fuit divisum ab Augusto Cęsare, Herodis mortui Testamentum confirmante, ita ut *Archelao* dimidium attribueretur, cum Ethnarchę nomine, & reliquus regni semissis bifariam divisus, *Antipæ* & *Philippo* daretur. Sic Archelaus semissem, reliqui singulos quadrantes accepesunt, *Tetrarchias* vocatos, *eo quod tetrantes essent totius regionis*, secundum *Scaligerum in Eusebianis*, & qui unius tetrantis Dominus esset, Tetrarcha jure appellaretur, etsi non continuo tres alii essent Tetrarchę. Juxta *Salmasium* apud *VValæum ad* Luc. III. vers. 2. *p. m.* 567. Tetrarchię vox proprie significat *quaternorum simul in una eademque provincia vel gente principatum*, ita ut, quando regio aliqua vel natio a quatuor viris regebatur, singuli dicerentur *Tetrarchæ*, & singulorum administratio Τετραρχία. Consentit *Frider. Spanhemius* Part. II. *Geographiæ S. Operum Tom.* I. *f. m.* 71. qui nominis originem a Galatis arcessendam esse censet ex *Strabone lib.* XII. ubi de Galatis, qui in Asia sedes posuere, narratur: *Universa gens in tres populos divisa*, tertiam quamque partem *quaternis* rectoribus administrandam tradidit, qui hinc *Tetrarchæ*. Unde Τετραρχία ea primum regio, quæ a viris quatuor regeretur, aut μερίδες singulæ quatuor, quæ Τετραχίαι dictæ. Hæc vocis est origo, hoc olim, & ab initio, Tetrarchiæ fuerunt. Postea vero mutata sunt dominia, & plures sæpe Tetrarchiæ in unam junctæ, ita ut nomen remanserit, mutata ditionis ac dominationis forma. Usu enim ad alios Regulos *Tetrarchæ* nomen translatum est, qui aliquam majoris regni partem administrarent, *Tetrarchiam* appellatam. *Ex Plinio* constat, singulis Cœle-Syriæ Urbibus præfuisse *Tetrarchas*. Sic singulæ Urbes Phœniciæ, totidem quondam regna, ex *Strabone*, post *Tetrarchiæ* sunt nuncupatæ. Deinceps vero plures Tetrarchiæ in unam conjunctæ, ampliato dominatu, etiam Regio axiomate ornatæ fuerunt. Sic Herodes M. & Tetrarcha & Rex fuit, uti Dejotarus Gallo-Græciæ modo *Tetrarcha*, modo *Rex* ipsi *Tullio* est. Herodes enim *Tetrarcha* primum ab Antonio constitutus, postmodum vero ab Antonio & Augusto *Rex* proclamatus est. Hoc mortuo regnum denuo in Τεραρχίας divisum est, ut ex *Josepho* constat. *Herodi* Antipæ cessit *Galilæa*, & magna *Trans-Jordanicæ* regionis pars: & *Philippo Trachonitis*, *Batanæa*, *Auranitis*, *Ituræa*, & *Paneas*; titulo Ethnarchæ in *Judæam*, *Samariam*, & *Idumæam*, *Archelao* relicto. *Josephus lib.* XVII. *cap.* XIII. *f.* 611. Ceterum Galliam quoque in *Tetrarchias* olim distributam fuisse *Petrus* de *Marca*, Archiepiscopus Parisiensis, observavit de *Concordia Imperii & Sacerdotis tom.* II. *p.* 136.

XII. Intelligitur exinde, eos falli, qui putant, Τετραρχίαν esse *quatuor* provinciarum, aut oppidorum principatum. Quo in casu Syria Tetrapolis, in quatuor satrapias divisa a Seleuco Nicanore, *Seleucidos*, *Antiochiæ*, *Apameæ*, *Laodiceæ*, dicenda fuisset primitus Tetrarchia, uti harum singulæ. Nec acu rem tetigit *Bern. Lamyus*, qui in *Apparatu Geographico cap.* VI. §. II. *p. m.* 51. & in *Apparatu Chronolog. Part.* II. *cap.* I. *p. m.* 98. *Tetrarchiam* de quarto Imperii Rom. gradu interpretatus est, & *Tetrarchas* putavit, quotquot in quarto dignitatis gradu, post *Imperatorem*, *Proconsulem* & *Regem*, fuerunt, Conf. *Frider. Spanhemius loc.* antea *cit. f.* 72.

XIII. Augustus Cæsar Archelaum non declaravit Regem, sed dimidia parte ditionis paternæ ei concessa, *Ethnarcham* eum constituit, regnum quoque pollicitus, quamprimum ille se tali honore dignum redderet, *Josepho* teste *lib.* XVII. *cap.* XIII. Errat igitur *Harduinus*, qui Archelaum Regem facit Judææ & Samariæ, quem Augustus pro Rege nunquam agnovit. Cl. *Salmasius Exercitat. Plin. cap.* XXXV. *Tom.* I. *p. m.* 406. existimavit, Archelao postea regium etiam nomen ab Augusto datum fuisse, quod *Baronius* etiam & *Frid. Spanhemius l. c.* credidisse videntur, Evangelistæ testimonio freti, cui Archelaus ΒΑΣΙΛΕΥΕΙΝ dicitur ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας ἀντὶ Ἡρώδου τοῦ πατρός, *Matth.* II. 22. Verum recte observavit *Basnagius lib.* I. *Historiæ Judaicæ cap.* II. *p. m.* 55. titulum ΒΑΣΙΛΕΩΣ apud Græcos vagum fuisse, ac valde generalem, qui honoris caussa iis persæpe datus fuerit viris, qui nec regnum nec subditos haberent, quales Imperatorum generi, & principes Imperii administri fuerint. Altum præterea apud *Josephum* silentium est de nomine regio Archelai. Equidem Herodes M. in tabulis Testamenti Archelaum scripserat Regem, *Josepho* teste de *B. Jud. lib.* I. *cap. ultimo f. m.* 774. Sed Cæsar Augustus eum pro Rege nec agnovit nec confirmavit. Hoc regnante Josephus ab exilio rediit cum puerulo *Jesu Matth.* II. 2. Timens autem crudelitatem Archelai, abiit in Galilæam, ubi regnabat alius ex filiis Herodis, nempe Herodes Antipas, qui cum Archelao de toto regno contendens, abe-

rat tunc temporis a Galilæa, & Romæ commorabatur, prioris Testamenti, ab Herode conditi, executionem urgens, quo totius regni paterni heres constitutus erat. Præterea longe mitior erat Archelao, nec adeo inquisiturus videbatur in eos, qui Archelaum solio deturbaturi videri poterant.

XIV. *Archelaus* a Judæis & Samaritanis apud Augustum crudelitatis accusatus, Viennam in exilium mittitur, omni prius pecunia mulctatus, teste *Josepho Libr.* XVII. *Cap.* XV. *f.* 613. In re ipsa consentit *Dio Cassius L.* LV. *p. m.* 567. Quo facto Judæa provinciæ Syriæ attribuitur, & accipit Procuratorem, anno post Christum natum *septimo*, secundum *Calvisium*, aut *decimo* secundum alios. Judæa in formam provinciæ redacta, venit Coponius, vir equestris ordinis, ut eam tanquam Procurator Cæsaris administraret; apud *Josephum Libr.* XVIII. *Cap.* I. *f. m.* 616.

XV. Illo igitur tempore, quo Joannes Baptista prædicare cœpit, terra Israelitica, quæ in universum Tiberio, Romano Imperatori parebat, triplici regebatur dominio. Suberat enim Rom. Procuratori, & duobus Tetrarchis. Judæam procurabat Pontius Pilatus: Regiones vero sibi concessas Herodes Antipas, & Philippus tenebant. Hoc diversum dominium descripsit Lucas Cap. III. vers. I. *Eusebius in Chronico p.* 190. hæc misere corrupit, & non solum contra omnem historię finem Lysaniam Herodi filium supposuit, quem nulla ex novem uxoribus ei peperit, sed totam præterea Herodis M. ditionem in quatuor partes distribuit: & unam Antipatro, alteram Herodi Antipæ, tertiam Philippo, quartam Lysanię adscripsit, merito propterea a *Scaligero* in *Eusebianis* castigatus apud *Walæum* in *h. l. p. m.* 565. Historia non novit Lysaniam Herodis filium. Videatur. *Josephus Antiquit. Jud. L.* XVII. *Cap.* X. *f.* 599. *&* *de B. J. L. I. Cap.* XXI. *f.* 773. Novit autem, Antipatrum quinque diebus ante obitum patris laqueo strangulatum fuisse, adeoque in tres tantum filios regnum Herodis fuisse divisum, & Archelao quidem dimidium attributum, & reliquum semissem bifariam divisum, Antipę & Philippo, quorum Lucas h. l. meminit, cessisse. Ceterum quis iste Lysanias, a Luca commemoratur, fuerit, pereruditе exponunt *Is. Casaubonus Exercit.* XIII. *adversus Baronium* III. *p. m.* 174. *& seq.* & *Frid. Spanhemius in Geographia S. P. I. Sect.* II. *f.* 43. *Opp. T. I.*

XVI. Plurimum proinde refert, nosse triplicis hujus dominii limites, nec non urbes, vicos & regiones, quæ in Evangelio memorantur. Servator quippe pro sua sapientia subinde sedem mutabat, prout hic vel illic tutior erat ab hostibus, donec statuto demum tempore & loco, annis ministerii & prædicationis elapsis, crucis supplicium subiret. Quando igitur novimus, cui Principi quæque regio paruerit, protinus intelligemus caussam susceptorum a Servatore itinerum, quæ ab Evangelistis studiose describuntur. Legatur in hanc rem *Bern. Lamyi*, doctissimi Oratorii Parisiensis Presbyteri *Apparatus Geographicus* ad Commentarium *Harmoniæ suæ Evangelicæ* MDCXCIX. Parisiis editus.

XVII. *Herodes* II. cognomine *Antipas*, secundus Herodis M. filius, Tetrarcha Galilææ fuit, *Luc.* III. I. Frequens hujus Herodis mentio est in Evangeliis. Herodiadem quippe rapuit fratri Philippo, Matth. XIV. 4. & Joannem Baptistam interfecit *l. c.* Ut *Vulpes* insidias struxit Christo, *Luc.* XIII. 31. Est illusor Christi, *Luc.* XXIII. II. Ejus procurator Chuza, *Luc.* VIII. 3. memoratur. Cum eo educatus legitur Manahen, *Actor.* XIII. I. Conspirat cum Pilato adversus discipulos Christi, *Actor.* IV. 27. Appellatur ab Evangelistis Ὁ ΒΑΣΙΛΕΥΣ, *Matth.* XIV. 9. *Marc.* VI. 14. honoris caussa, & generali vocis notione, qua idem h. l. est, quod ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ, uti ipse Matthæus explicat *Cap.* XIV. I. & Lucas *Cap.* IX. 7. Hic enim Herodes nunquam veri nominis Rex fuit, sed Galilęę dumtaxat, & Peręę Tetrarcha. Hoc adeo certum est, ut vel sola regiæ dignitatis affectatio ei exitio fuerit. Herodias quippe, quam fratri raptam, in conjugem sibi adjunxerat, invidens regio titulo Agrippæ fratris sui, Herodi persuasit, ut Romam profectus, regiam dignitatem & ipse ab Imperatore peteret. Sed Caligula certior ab Agrippa factus, & de armamentario Herodis, & de amicitia ejus cum Artabano, Parthorum Rege, Antipam in Galliam relegat, cui Herodias voluntaria comes accessit. Tetrarchiam Herodi ademtam ad Agrippę regnum adjecit. Hęc prolixe enarrat *Josephus Antiqu. Libr.* XVIII. *Cap.* IX. *Basnagii* conjectura est, Evangelistas Herodem Antipam ΒΑΣΙΛΕΑ *regem* appellasse, *aulicorum forte morem secutos*, *pour suivre peutetre le langage des Juifs de sa cour*, l. c. §. XVIII. *p. m.* 58.

XVIII. *Philippus* tertius Herodis M. filius a Patre accepit Paneada & Trachonitim, cum Batanea, & Auranitide, ut eas haberet nomine Tetrarchiæ. Sic plures Tetrarchiæ in unam coaluerunt, quia Paneas & Trachonitis secundum *Pli-*

Plinium duæ fuerunt Tetrarchiæ. Hujus Philippi uxorem Herodiadem fuisse, Herodi Antipę postea nuptam, communi interpretum consensu, Evangelistæ affirmare videntur, *Matth.* XIV. 3. *Marc.* VI. 17. *Luc.* III. 19. Sed contradicit *Josephus*, scriptor rerum Judaicarum domesticus, & qui familiam Herodiadum ignorare haut potuit, asserens, Herodiadem Herodis fuisse uxorem, antequam raperetur, *Libr.* XVIII. *Antiquit. Cap.* VII. *f. m.* 626.

XIX. Hanc difficultatem, quæ non exigui est momenti, varia diversaque ratione tollere conati sunt eruditi, ut Evangelistas cum Josepho conciliarent. Audacissima *Conzenii* Jesuitæ conjectura fuit, nomen Philippi apud Matthæum additum esse ex glossa. *Jo. Millius in prolegominis ad N. T.* §. 394. *f. m.* 42. nomen φιλίππου, Matth. XIV. 3. *Marci* esse, auctoritate nixus interpretis Vulgati, & Codicis Cantabrigiensis, qui *Theod. Bezæ* fuit, suspicatus est. *Huic enim moris esse*, ait, *in historiolis, ipsi cum Matthæo communibus, circumstantias quasdam insigniores, ab altero isto haut memoratas, adjicere, quomodo hic nomen mariti Herodiadis*. Sed quamvis φιλίππου nomen in Vulgata & Codice Cantabrigiensi desit, tamen in universis Codicibus MSS. & antiquissimis versionibus, *Syra*, *Arabica*, *Æthiopica*, & *Persica* hic exstat. Apud Lucam probatiora exempla pleraque, apud Marcum omnia, imo ipse Cantabrigiensis Codex, ut & *Vulg. Goth. Copt. Syr.* nomen hoc retinent, fatente ipso *Jo. Millio* ad *Matth.* XIV. 3. *f. m.* 32. & intercedente, ne expungatur. Apud vulgatum interpretem error quidem satis est vetustus, sed simul manifestus, quem Codicum & Evangelistarum consensus arguit, qui errare non potuerunt. Ex veteri Latina versione vitium in Codicem Cantabrigiensem, cujus textus Græcus satis corruptus ac depravatus est, irrepsisse suspicor, descriptoris culpa, quem Latinum fuisse *R. Simonius* erudite ostendit *Hist. Critic. N. T. Cap.* XXX. & *Bibliothecæ Cap.* XVIII. *p. m.* 276. Qui cum a dextra Codicis pagina collocaret Latina verba, & a sinistra Græca, ut utraque sibi invicem responderent, servato plerumque eodem ipso verborum ordine, cumque videret, *Philippi* vocem in Latina versione deesse, ipsum φιλίππου nomen e Græco textu, tanquam irreptitium, sibi omittendum esse censuit.

XX. Alii cum videant, lectionem apud Evangelistas solicitari non posse, *Josephum* adoriuntur, eumque vel malæ fidei accusant, vel dissensum hunc pro certo ac manifesto suppositionis indicio habent, quod nuper *Jo. Harduino* visum est, a cujus criminationibus supra vindicavimus *Josephus*. Cujus diligentia & fides, & quæ passim in eo apparet, intima rerum, ac familiæ Herodiadum cognitio, nos impediunt, quo minus grave quid contra eum, ac temere pronunciemus, cum præsertim rem istam, ut omnibus notissimam, sicut res Regum & Principum esse solent, memoriæ mandarit. Quare cum *H. Grotio ad Matth.* XIV. 3. *f. m.* 309. verissimum credo, inter Herodis M. filios, qui *novem* fuere, duos appellatos fuisse Philippos: Quorum alter, ex Simonis Pontificis filia natus, dictus fuit Philippus Herodes, & alter, de quo hęc narratur historia, Antipater, aut Antipas Herodes. Neque duos in tot liberorum numero dictos fuisse Philippos magis mirum videri debet, quam duos itidem eodem in numero dictos fuisse Antipatros. Nam Antipatri & Antipæ idem est nomen. Nec obscura apud ipsum *Josephum* argumenta exstant, quæ evincunt, Herodem illum, cui frater rapuit & abduxit uxorem, nequaquam fuisse, nec esse potuisse, Philippum Tetrarcham Trachonitidis, sed alium obscurioris nominis Herodem, quem etiam Philippum appellatum fuisse, Evangelistæ docent. Hunc enim *Josephus* filium Mariamnæ facit, filię Simonis Pontificis, cum 2. contra Philippus, Tetrarcha Trachonitidis, Cleopatra esset natus. Hos duos fratres historiæ Judaicæ conditor accurate distinguit. Raptum quippe Herodiadis enarraturus, observat, Herodem Tetrarcham, Romam iter facientem, divertisse ad Herodem fratrem οὐχ ὁμομήτριον, *alia genitrice natum*, videlicet ex Mariamna τῆς Σίμωνος τοῦ Ἀρχιερέως θυγατρός, *ex Simonis Pontificis filia*. Hic obscurior Mariamnę filius, exheredatus a Patre, pręter *Herodis* nomen, quo *Josephus* eum appellat, nomen etiam *Philippi* habuit, quod apud Evangelistas exstat, qui hunc ipsum Herodem Philippum, nequaquam vero Philippum Tetrarcham intellexerunt. Nec mirum est, *Josephum* Herodem Philippum appellasse dumtaxat *Herodem*, cognomine Philippi omisso. Nam in eodem *Capite* Herodem Antipam, Galilęę Tetrarcham, *Herodem* tantum appellat, cognomine *Antipæ* etiam suppresso. Hac ratione omnis inter Evangelistas & *Josephum* contradictio evanescit. Videatur *Basnagius* in *Libro* sępius laudato §. XIX. *p. m.* 60.

XXI. *Agrippa* Major, quo de sacri scriptores loquuntur, Herodis M. & Mariamnę nepos, & Aristobuli ac Berenices filius,

filius, pauper aliquandiu vixit apud sororem Herodiadem. A Tiberio in vincula conjectus, liberatur a Caligula e carcere, aureaque ejusdem ponderis catena, quo ferrea fuerat, donatur, atque non solum Tetrarchię, quę Philippi fuerat Rex constituitur, sed Tetrarchię etiam Lysanię. *Josephus Libr.* XVIII. *Cap.* VIII. In hoc regno a Claudio postea confirmatur, qui præterea Judæam atque Samariam adjecit, quod olim ad ejus avi Herodis regnum pertinuissent. Sic Judæi iterum non Romanis, sed suo Regi tributum pependerunt. Hic Jacobum Apostolum interfecit, & Petrum in vincula conjecit, ut Judæorum gratiam captaret, *Act.* XII. Sed cum Cæsareæ ludos pro salute Cæsaris exhibuisset, & divinos honores, qui a populo offerebantur, non recusasset, ab Angelo percussus interiit, quarto anno Claudii Cæsaris, postquam per septennium regnasset, *Actor.* XII. *Josephus lib.* XIX. *cap.* VII. *f. m. 679.*

XXII. Hic *Harduinus* omnia turbavit, & cœlum terra, quadrata rotundis, qua conjectandi audacia est, miscuit. Ab initio, ut ex primo Genealogiæ Herodiadum systemate apparet, *Agrippam* fecit Herodis M. filium, eundemque cum Herode II. Tetrarcha Galilęę confudit. Verum hosce duos diversos fuisse Principes multis evinci potest argumentis. Herodis enim Tetrarchæ mater, Samaritica obscuri, & ignobilis nominis fœmina fuit, quę nunquam Romam abiit, nec in aula gratiam Imperatoris sibi conciliavit, quemadmodum Berenice, Herodis Agrippę mater, quę omnibus sexus sui ornamentis conspicua, diu in aula Romana versata est, initaque, cum Antonia, Drusi & Claudii Imperatoris matre, amicitia, Agrippæ filio ad acquirendam dignitatem Regiam permultum profuit. Ut *matrum*, ita *conjugum* diversitate distinguuntur: Herodi Tetrarchę uxor *Herodias* fuit, prioris mariti desertione famosa: Agrippę vero *Cypros*, *Josepho* teste. Lucas in Actis duos hosce Herodes aperte distinguit, alterum appellans *Regem*, Hierosolymis dominantem, alterum vero Tetrarcham, *Act.* XII. 1. & XIII. 1. Suffragantur *Dio Cassius lib.* LIX. *pag.* 74. & *Strabo Geograph. lib.* XVI. *pag.* 884. nec non *Eusebius Chron. pagin.* 190. & *Hieronymus Chron. pagin.* 159. Ceterum nummos Herodiadum, ab *Harduino* allatos, non posse, nisi ex serie hujus familię a *Josepho* tradita, & tot autorum consensu firmata, explicari, erudite ostendit *Basnagius lib.* I. *cap.* III. §. V. *p.* 73. Ne quid de incommodis & absurdis dicam, quę ex *Harduini* systemate sequuntur. Herodem II. enim Regem facit ex Tetrarcha, eundemque, Caligula imperante, in exilium ejectum atque mortuum, usque ad tertium Claudii annum vixisse, perinepte fingit. Si novę opinionis ac genealogię rationem ab *Harduino* requiras, ad Scripturę S. autoritatem provocat, quę ubique de unico loquatur Herode, nec ullibi eum Antipam, aut Agrippam, appellet. Quasi vero ignorare potuerit *Harduinus*, permultis Judęis duplex fuisse nomen. Ita Hircanum dictum quoque fuisse constat *Johannem*, Oniam *Menelaum*, S. Matthęum *Levi*, Simonem *Cepham*, Alexandrum senioris Hircani filium *Jannæum*. Hęc nomina interdum conjuncta, interdum separata, apud autores occurrunt. Utrique nostro Herodi duplex erat nomen, & Regi quidem *Herodis Agrippæ*, & Tetrarchę, *Herodis Antipæ*. Lucas, quę profanorum etiam historicorum est consuetudo, semel dumtaxat in Actis *cap.* XII. 1. de Rege locutus, illustre *Agrippæ* nomen, Romę adscitum, & Italis magis, quam Judęis notum, brevitatis studio, omisit, & *Herodis* solum adhibuit nomen, quod ob Herodiadum familiam, & notius, & illustrius in Oriente erat.

XXIII. In posteriori systemate Agrippam M. filium supposuit *Harduinus* Philippo Tetrarchæ, sed absque testibus & tabulis. Perincertum quippe est, nec ullo idonei autoris testimonio probari potest, quod Philippus Tetrarcha tertius hic Herodis M. filius, filios ex se genitos reliquerit? Quibus igitur argumentis fidem facturus est Criticus, Agrippam Majorem Philippi filium fuisse? Cum Patrem habuerit Aristobulum, & matrem Mariamnam, ex illustri Hassamonæorum gente oriundam? Hoc ex ipsius Agrippæ *Epistola* ad Cajum apud *Philonem de Legatione f. m.* 1031. liquido apparet, in qua affirmat, natale solum sibi esse Hierosolyma, se avos proavosque Reges habuisse, & *ex his aliquot etiam summos Pontifices*, quam dignitatem Judæi pluris faciant, quam regiam, rati, quanto *Deus* antestat homini, tanto pontificatum regno esse excellentiorem. Si Agrippam filium fingas Philippi Tetrarchæ, falsa narravit Imperatori, Domino suo, Agrippa. Nullus enim ex Herodiadum gente unquam fuit apud Judæos Sacerdos summus, nec fuit, nisi unicus ex hac familia Rex. Quod si vero ex Mariamna natales ejus derives, Agrippam vera scripsisse deprehendes. Mariamna quippe, Hircani, summi Pontificis filia, Herodi M. nupta, mater fuit Aristobuli, & avia Agrippæ Regis.

XXIV.

XXIV. Ceterum magno conatu mihi nugari videtur *Harduinus*, quando Agrippam perinde ac alios Herodes *paganos* fuisse asserit, Platonicorum placitis addictos, & receptas Judaicæ religionis ceremonias spernentes. De Rege Agrippa rem probat ex *Capite* XII. *Actuum*, ubi narratur, eum τινὰς τῶν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας κακῶσαι, *quosdam ex cœtu Christianorum afflixisse*, vexationemque continuasse, cum videret, ὅτι ἀρεστόν τοῖς Ἰουδαίοις, *quod Judæis id placeret*. Exinde colligit noster Criticus, Herodem Agrippam non ex amore Judaicæ religionis, & illius defendendæ caussa, *Christi* discipulos persecutum esse, sed ut Judæis rem faceret gratam, non dissimili fere instituto, quo Pilatus Servatorem ad crucem damnarit.

XXV. Negari nequit, Herodes olim fuisse paganorum religioni addictos. Certam hujus rei fidem facit vetus Inscriptio in via Appia non procul ab urbe Roma, quæ certam paganæ superstitionis notam habet:

ΥΜΜΙ ΓΑΡ ΗΡΩΔΗΣ ΙΕΡΗΝ ΑΝΑ ΓΑΙΑΝ ΕΗΚΕ.

Vobis enim Herodes hanc terram consecravit.

Frequens fuit Herodum nomen, & usu obvium apud Parthos, Syros, Romanos, Athenienses, aliosque. Ejus meminerunt non solum *Josephus*, sed *Cicero* etiam, *Plutarchus*, *Philostratus*, *Trebellius Pollio*, *Appianus*, *Justinus*, & *A. Gellius*. Verum Herodes Agrippa, Judæorum Rex, citra controversiam religionem Judaicam professus est. Nam ad Cajum Imperatorem scribit: Γεγέννημαι, ὡς οἶδας, Ἰουδαῖος, *Judæus natus sum, ut nosti*. Addit in eadem *Epistola* apud *Philonem f. m.* 1031. *se Judæorum genti, patriæ, Templo, multis modis esse conjunctissimum*. Ut libenter & continue degebat Hierosolymis, & institutorum ac rituum patriæ servator religiosissimus erat: ita nullam prætermittebat diem absque sacrificio, *Josepho* teste *lib.* XIX. *cap.* VII. *f. m.* 677. Ipsius Caji testimonio apud *Philonem f.* 1030. Agrippa tantum tribuit patriis ritibus, ut ne verbo quidem eos violari ferret. Idem Agrippæ Regis in Judaicam religionem studium Publius Petronius, Legatus Claudii, confirmat in *Epistola* ad Doritas pro Judæis scripta apud *Josephum l. c. cap.* VI. *f. m.* 675. Verum est, Herodem Agrippam in vincula conjecisse Petrum, *ut Judæis placeret*. Hoc ipso tamen non negatur religionis Judaicæ studium, quia unius actus plures esse possunt caussæ. Si Agrippa non tam religionis Judaicæ zelo, quam Judæis placendi studio fidelium cœtum vexare cœpit, num colligi inde potest, eum fuisse paganum? Rex Galliarum Ludovicus XIV. ambitione, & vanæ gloriæ studio, & ad applausum clericorum, Pontificisque gratiam captandam, in Reformatos sæviit, eosque regno expulit. Num *Harduinus* colliget exinde, Regem Christianissimum esse paganum?

XXVI. Agrippa Rex, divinitus percussus, interiit, unicumque *septendecim* annorum filium, *Agrippam Minorem* dictum, post se reliquit. *Eusebius in Chron. pag.* 160. refert, Claudium Imp. Juniori huic Agrippę regnum paternum concessisse, eumque statim ab obitu Patris regnare cœpisse. *Tacitus* contra *Annal. lib.* XII. *pag.* 155. affirmat, *Judæam Syriæ additam* esse post majoris Agrippæ mortem. Utrumque falsum est. Quamvis enim Claudius, audito Agrippę obitu, confestim successorem paterni regni Agrippam Juniorem in aula Imperatoris educatum, & tum Romę pręsentem, mittere destinarit, liberti tamen, & amici, qui multum apud Imperatorem poterant, dissuaserunt, negantes, tutum esse adolescenti tantum regnum committere, cui administrando sit impar, quodque etiam viriles gravare possit humeros. Cumque visi essent ęquum dicere, Cęsar Pręsidem Judęę, totiusque regni misit Cuspium Fadum, *Josepho* teste, *lib.* XIX. *cap. ult. f. m.* 680. Octavo demum anno Claudii, mortuo Herode patruo, Chalcidos Syriacę Rege, eo regno Agrippa donatus est, quod ei initium regnandi fuit, anno Ærę Christiane XLVIII. ut *Baronius* censuit, sive anno XLIX. uti *Ant. Pagio* in *Critica Baroniana* visum est. Post *quatuor* annos Chalcidem ei aufert Claudius, Imperii sui anno duodecimo, & donat Agrippę loco illius *Tetrarchiam* Philippi & *Batanæam*, cum *Trachonitidem* & *Abyla*, quę Tetrarchia Lysanię fuerat, apud *Josephum lib.* XX. *c.* V. *f.* 693. Nero postea ejus regno adjecit partem Galilęę, jubens *Tiberiada*, & *Tarichæas* parere ejus imperio: addita his & *Juliade* trans Jordanem sita, agroque ejus habitato vicis quatuordecim. Idem *Josephus l. c. f.* 694. Nescio igitur, quid in mentem venerit *Harduino*, quod Agrippam hunc Minorem, Imperatoris locum tenentem, & Præfectum militum in Judæa fuisse contendat, usque ad finem imperii Domitiani? (*Lieutenant de l'Empereur, & General des troupes de l'Empire.*)

XXVII. Non minus falsum, & commen-

mentitium est, quod idem Criticus de paganismo hujus Agrippæ, illiusque signis habet. Judæum enim fuisse S. Paulli oratio, coram Agrippa recitata, *Act.* XXVI. multis modis probat. Apostolus *vers.* 3. eum describit γνώστην ὄντα πάντων τῶν κατὰ Ἰουδαίους ἐθῶν τε καὶ ζητημάτων, *quod gnarus sit omnium rituum Judaicorum & capitum fidei*. Commate 27. quærit Paullus: Πιστεύεις βασιλεῦ Ἀγρίππα τοῖς προφήταις; οἶδα, ὅτι πιστεύεις. *Credisne, Rex Agrippa prophetis? novi, quod credas.* Imo tam firmiter credebat Agrippa, ut, eo ipso fatente, parum abesset a religionis Christianæ amplexu *vers.* 28. In nummo vero, ab *Harduino* laudato, nulla paganismi indicia, contra Agrippam, exstare, *Basnagius* ostendit *lib.* I. *cap.* III. *Historiæ Judaicæ* §. XX. *pag.* 92.

XXVIII. *Eusebius* ut Agrippam Juniorem ab obitu patris statim regnasse statuit, quem errorem paullo ante notavimus ex *Josepho*: ita regnum Agrippæ Hierosolymorum excidio terminari, magno etiam errore putavit, *in Chronico Anno* LXXI. *pag.* 192. Quasi vero, quia XXVI. annorum intervallum sit inter initium hujus Regis, quod in morte Agrippæ I. erronee fixit, & Hierosolymorum excidium, una cum Urbe & Templo ipse quoque Rex deletus fuerit? Nullam ego caussam video, cur *Eusebius* regnum Agrippæ Hierosolymorum excidio circumscripserit? Neque enim Hierosolymorum Rex fuit Agrippa, neque ulla Tetrarchiæ Archelai portio ad eum pertinuit, cum Judæa suum ἐπίτροπον seu *Procuratorem* a Cæsare missum haberet. Cum destructione Urbis nihil juris in ipsam Hierosolymam amisit Agrippa II. nisi curam & inspectionem Templi, ac Summorum Pontificum denominationem & abdicationem, quod jus hereditatis lege, a patruo Herode, Chalcidis Rege, qui illud ab Imperatore Claudio obtinuerat, in se devolutum, aliquoties exercuerat Agrippa. Ceterum diu superfuit hic Agrippa Minor, Herodiadarum Dynastarum in Palæstina ultimus, Hierosolymorum excidio, regno incolumi, & aliquot urbium accessione, Vespasiani beneficio, ampliato. Luculentum & peridoneum fidei faciendæ testem produco nummum, in honorem Vespasiani, post captam Judæam, ab Agrippa Rege, regni sui anno XXI. cusum, cum Græca hac inscriptione, quæ apud *Jac. Usserium* exstat *in Annalibus f.* 687.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΩΚΙΑΣ ΕΤΕΙ ΚΑ. ΑΓΡΙΠΠ.

Hæc verba *Ant. Pagius*, percelebris Galliæ Criticus, nuper vertit: *Imperator Vespasianus Cæsar, Judaicus, Elliacus anno* XXI. *Agrippæ*, in *Critica Baroniana* ad *A. Ch.* LXX. *f. m.* 67. Hæc inepta Græcæ Inscriptionis interpretatio pudendam Græcarum literarum ignorantiam, certe supinam tanti Critici negligentiam, in nummo adeo eleganti, accurate contemplando, & examinando, indicat. Multa in ipso nummo indicia prostant, quæ *Pagium* erroris admonere potuissent. In eo quippe mulieris effigiem mœstæ, sub palma sedentis, *Judæam captam* haut obscure repræsentantem vidit. Nec ipse *Pagius* satis intellexit, quid sibi titulus *Elliaci*, Vespasiano tributus, velit? Quid elegantius, faciliusve, quam ita interpretari nummum?

IMPERATOR. VESPASIANUS. CÆSAR. JUDÆA. CAPTA. ANNO. XXI. AGRIPPÆ.

Hic regni Agrippæ annus, in nummo indicatus, erroris manifesti convincit *Eusebium*, qui regnum Agrippæ II., quod XXVI. annos durasse supponit, in Hierosolymorum devastatione finit. Nan si Agrippa tunc temporis, cum Hierosolyma, & Templum exscinderentur, XXI. dumtaxat annos regnavit, & universum ejus regnum XXIV. annos duravit, necesse est, regnum Agrippæ II. cum ipsis Hierosolymis non cessasse, sed eum post Judæam captam, *quinque* minimum adhuc annos, regnum, Regisque titulum tenuisse.

XXIX. Præterea falsum est, Agrippam II. tantum XXVI. annos regnasse, etsi hoc *Eusebius in Chronico* confidenter affirmavit, cui Chronologi nimis facile adhibuerunt fidem. *Josephus Scaliger in Notis ad Chron. Euseb. p. m.* 182. & illustris *Spanhemius de Præstantia & Usu Numismatum Dissert.* IX. *pag.* 864. nummos exhibent, in quibus Agrippæ regno non solum anni XXIX. tribuuntur, sed in quibus vultus etiam, & nomen Domitiani Imperatoris comparent, quod manifestum est indicium, Agrippam sub Imperio Domitiani vixisse. Alius exstat nummus a *Basnagio* commemoratus, *l. c.* §. XXVII. *p. m.* 105. quem Agrippa in Domitiani honorem, & memoriam victoriæ, a Parthis & Arabibus ab hoc Imperatore reportatæ, cudit, in quo annum Domitiani Imperii *decimus quartus* memoratur, qui cum anno Christi XCIV. coin-

coincidit. Hucusque saltim Agrippam vixisse oportet, & in hoc ipso anno laudatus *Basnagius* mortem Agrippæ figit, ut regno adeo præfuerit ab anno XLIX. usque ad annum Chr. XCIV. Quam supputandi rationem cum nummis ab *Harduino* in contrarium allatis, & *Justo Tiberiadensi*, qui ipsi Regi Agrippæ *Chronologica* sua obtulit, &, *Photio* teste *in Bibliotheca Cod.* XXXIII. ejus mortem ad annum Trajani *tertium* retulit, non incommode conciliat, ita tamen, ut *Photii* textum nequaquam solicitarit, aut emendarit, sicut *Pearsonus Op. Posth.* & *Dodvvellus pag.* 173. fecerunt. Uterque enim & *Pearsonus* & *Dodvvellus* apud *Photium* l. c. pro ΤΡΑΙΑΝΟΥ legi volunt τῦ αὐτῦ, ut tertio nempe ejusdem *Vespasiani* anno, cujus paullo antea meminerat *Justus Tiberiensis*, decesserit Agrippa.

XXX. Restant duæ Agrippæ II. sorores, *Berenice* & *Drusilla*, quarum utraque a *Luca* in Actis memoratur. Utramque Cypros peperit Agrippæ Majori, *Josepho* teste *lib.* XVIII. *cap.* VII. *f.m.* 628. Berenicen Agrippa Pater Herodi fratri suo in matrimonium dedit, impetrato illi regno Chalcidis a Claudio, *Josephus lib.* XIX. *cap.* IV. *f.* 673. Hoc mortuo marito & patruo aliquandiu in viduitate egit. Sed cum rumor spargeretur, cum fratre Agrippa Juniore eam congredi, Polemoni Ciliciæ Regi nupsit, quod conjugium tamen diuturnum haut fuit. Nam propter intemperantiam maritum deseruit Berenice, & fratrem Regem, Agrippam II. sectari cœpit, non sine manifesta incesti suspicione. Videantur J*osephus libr.* XX. *cap.* V. *f.* 693. & Lucas in *Actis cap.* XXV. 23. & XXVI. *vers.* 30.

XXXI. Hic denuo figmentis & conjecturis suis indulsit Jo. *Harduinus*. Hanc enim Berenicen Agrippæ Junioris facit filiam, *Magnanque* ac ultimam Judæorum *reginam*, ut Athenienses eam appellarint in quadam Inscriptione. Nobis satis certum & exploratum est, Berenicen Agrippæ Minoris fuisse sororem, cui tam arcte adhæsit, ut nemini non incesti suspicionem præberet. Hoc non solum J*osephus*, sed externi etiam scriptores docent, sigillatim *Xiphilinus*, *Dioniis Cassii* Epitomator *in Vespas. pag.* 222. ex quo apparet, univesam Romam hanc Berenicen, quam Titus amabat, pro Junioris Agrippæ sorore habuisse. Idem confirmat J*uvenalis Satyr. VI. v.* 156. incestuosos ejus amores ita perstringens:

> *Deinde adamas notissimus & Berenices*
> *In digito factus pretiosior, hunc dedit olim*
> *Barbarus*; incestæ dedit hunc Agrippa Sorori.

Prævidit *Harduinus* hoc telum. Idcirco in *Notis* ad *Plinii Libr.* XXXVII. *Cap.* VIII. 4. 5. *pag.* 392. persuadere conatur lectori, hunc adamantem, Berenicæ datum, fuisse *topazium* a *Plinio* commemoratum, & uxori Ptolomei Lagi, Ægyptiorum Regis, missum. Verum, quæ Critici est temeritas, & inaudita audacia, ut adamantem digiti ornamentum, in statuariæ magnitudinis topazium, & in Ægyptum transmutare non dubitarit Judæam? De Judæa enim J*uvenalis* loquitur:

> *Observant ubi festa mero pede sabbata Reges,*
> *Et vetus indulget senibus clementia porcis.*

Nec *Philemonem*, Insulæ Topaziæ Rectorem, qui Berenicæ, Ptolomei uxori, pretiosum istum lapidem apud *Plinium* donasse legitur, sed Agrippam, J*uvenalis* memorat, de incestu cum sorore Berenice suspectum. Non minus falsum est, & nugas *Harduini* commentum, quod Berenice hæc, post Agrippæ II. mortem, Judææ facta fuerit regina. Nam Inscriptio Attica apud *Sponium*, in qua *Regina Magna*, & *Agrippæ filia* vocatur, nihil probat, nec peculiare quid habet. Omnes quippe auctores externi *Reginæ* titulum ei tribuere solent. Nec solum Agrippæ, Majoris videlicet, filia, sed *Regina* etiam vere fuit, quia primum in matrimonio habuerat Herodem patruum, Chalcidis Regem, & post hujus mortem Polemoni, Ciliciæ Regi, nupta erat. Cum vero in ipsa viduitate titulo Regio uteretur, & μετὰ πολλῆς φαντασίας *Actor.* XXV. 23. ac apparatu regio ubique se ostentaret, quid mirum, si adulatores quidam, gratię captandę caussa, *Magnam Reginam* eam appellarunt?

XXXII. *Drusilam* sororem frater Agrippa II. collocavit Azizo, Emesenorum Regi, circumcisionem admittenti. Postea precibus & pollicitationibus solicitata, Fęlici Judęę procuratori nupsit, religione patria ejurata, desertoque priori marito. J*osephus lib.* XX. *cap.* V. *f.m.* 693. Conf. Actor. *Cap.* XXIV. 24.

FINIS TOM. XXVI.